SCRIPTURÆ SACRÆ

CURSUS COMPLETUS

21

HISTORIA

ET CONCORDIA

EVANGELICA

MATTHÆUS

BS548
M5
v.21

007122



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080014727

222.
A.P.M.

SCRIPTURÆ SACRÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX COMMENTARIIS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICÈ CONFLATUS;

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTAVIT VERO SIMUL ET EDIDIT

J.-P. M^ne^.

EDITIO NOVISSIMA.

TOMUS VIGESIMUS-PRIMUS.

HISTORIA ET CONCORDIA EVANGELICA.

VERBA A CHRISTO PROLATA. — PRÆFATIONES IN QUATUOR EVANGELIA.

IN S. MATTHÆUM COMMENTARIA.

Venit apud Editores, in vico dicto :
MONTROUGE,
Juxta portam inferni Variscorum,
Gallicè : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

1841.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria "Alfonso Reyes"
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
44467
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BS 548
M5
V.21

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

—

ARNALDUS.

Historia et Concordia Evangelica.

EDITORES.

Christo prolata, prout ab Evangelistis et Apostolis referuntur.

MALDONATUS.— DUHAMEL.

Præfationes in quatuor Evang lia.

IDEM.

In S. Matthæum Commentaria.

—

INDEX RERUM

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE.
In vico dicto : MONTROUGE,
Juxta portum inferni Parisiorum,
Gallicè : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

ARNALDI VITA.

Arnaldus (Antonius), natus anno 1612, humaniores litteras philosophiamque Calvi necnon Lexovii didicit, ac deinde theologiam edoctus est ab inclyto professore Lescot, quo quidem de gratiâ edissrente, contumax sæpè reluctatus est discipulus. Anno 1635, *tentaminis Actum* edidit, in quo circa gratiam sensus scholæ documentis omninò contrarios enuntiavit, magnâque animi contentione propugnavit. Sorbonici doctoris infulâ insignitus anno 1641, in Ecclesiâ B. Mariæ, ante altare Martyrum, solito sese sacramento obstrinxit, juravitque se pro veritatis defensione sanguinem etiam effusurum, quæ jurandi forma in consuetudinem postea invaluit. Duobus abhinc annis, librum edidit de *frequenti Communione*, nonnullis approbantibus episcopis, necnon quatuor et viginti Sorbonicæ domûs doctoribus. Ille verò tractatus magno virorum quos impetere videbatur studio lacessitus, majori etiam acrimoniâ ab auctore propugnatus est. Ex his circa gratiam disputationibus ipsi suppedita est occasio suam de alterâ materiâ eloquentiam depromendi : quippe cùm quidam è Sulpitianâ familiâ presbyter duci de Liancourt absolutionem denegâsset, eò quòd inter Janseniani libri defensores publicè fuerat declaratus, Arnaldus duas hâc de re conscripsit Epistolas, è quibus duplex propositio deprompta est, quam censurâ notârunt Sorbonici theologi. Huic verò censuræ subscribere nolens, è facultate exclusus est. Quo quidem casu infelici motus vir celeberrimus, in solitudinem quam pauló ante jam animo præoccupaverat, altissimè sese recepit, nec priùs in publicum rursùs prodiit, quàm falsò dictam *pacem* Clemens IX vulgavit, anno nempe 1678. Tunc igitur iisdem adversùs Calvini asseclas armis usus, quibus Sorbonam episcoposque olim impugnaverat, plurima edidit opera, quibus sese formidandum Protestantibus præbuit. Primo loco assignantur *Perpetuitas fidei*, necnon *Eversio christianæ moralis à Calvinistis*. His feliciter succedentibus, nullam turbandæ, in posterùm pacis indicium apparebat; res verò aliter cessit : quippe qui nimiâ disputandi prurigine abreptus frequentiorique asseclarum numero circumfusus, multorum suspicionem movit, ac regi Ludovico XIV visus est metuendus, adeò ut propter ingruentem tempestatem in Germaniam inferiorem sese conferre coactus fuerit. Post hæc novum opus vulgavit, cui titulus : *Apologia cleri Gallici necnon Angliæ Catholicorum, adversùs ministrum Juriurum*. Hinc nata Calvinistæ vatis iracundia, bilisque, quam pleno ore in adversarium evomuit, edito libello *de Spiritu D. Arnaldi*. Postremò, Arnaldum inter et Malebranchium altera circa gratiam rixa coorta est, quam quidem exscribere nostri non est laboris, quândoquidem apud omnes biographiarum auctores uberiùs evolvitur, à nobisque etiam altero loco prolixiùs enarrabitur. Illud verò in præsentiarum memorare sufficiat, hæc inter dissidia, Arnaldi animum jurgandi studiis asperrimum, Malebranchii verò mentem à bello alienam, concordiæque amantem eminuisse. Quòd si quis ulteriùs quærat quâ parte steterit victoria, illud constat, priorem multos habuisse fautores, à quibus plus æquo celebraretur, posteriorem verò omnium sanè sentientium, nec ullis partium studiis abreptorum judicio victorem è prælio discessisse.

Arnaldus Bruxellis obiit anno 1694, ætatis verò 82. « Nemo, ait magni nominis auctor, aptiorem ad philosophiam « animum unquàm à naturâ habuit; ipsius verò philosophia, Jansenianis erroribus imbuta, cùm per sexaginta « et ampliùs annos in arduas sæpèque inutiles controversias rapuit, atque in calamitates conjecit, quæ virum « proprii sensûs tenaciorem ordinariè sequuntur. »

Arnaldi nomine inscribuntur centum et quadraginta volumina, variis formis edita, quorum magna pars ipsius discipulos auctores habuit. Hæc inter opera, sequentia tantùm, brevitatis causâ, memorabuntur : 1° *Grammatica generalis ac ratiocinio stabilita*, primùm collaborante Lancelot, deinde verò à DD. Portûs-Regii vulgata anno 1756, in-12, hoc titulo inscripta : *Grammatica generalis ac ratiocinio stabilita, in quâ continentur artis loquendi fundamenta*; 2° *Elementa geometriæ*; 3° *Logica, sen ars cogitandi*, collaborante Nicolio; 4° *Reflexiones circa eloquentiam concionatorum*; 5° *Objectiones ad Meditationes Cartesii*; 6° *Tractatus de veris et falsis Ideis*; 7° *Reflexiones ad philosophiam theologiamque attinentes*; 8° *Perpetuitas fidei*, quod quidem opus magnâ ex parte confecit, propriòque nomine vulgavit, annuente Nicolio, cujus operâ in ipso elucubrando usus est; 9° *Eversio christianæ moralis à Calvinistis*, in-4°, 1672; 10° *Impietas moralis Calvinistarum*, 1675; 11° *Apologia pro Catholicis*; 12° *Calvinistæ impiis dogmatibus circa moralem convicti*; 13° *Moralis practica Jesuitarum*, 8 vol., « opus « in quo, » ait auctor Dictionarii Felleri, ex quo hancce Arnaldi vitam abbreviatam mutuamur, « quædam vera « sunt, multa verò adulterata, at longè plura immoderatiori verborum æstu enarrata reperire est. » 14° *Historia et Concordia evangelica*, Latinè scripta, 1 vol., 1655, in quâ quidquid in aliis hucusque editis ad digerendos Evangelistas aptius videbatur, ita continetur, ut quàmplurimis in locis recèns contexta et instaurata, articulis et versiculis distincta, excerptis illustriorum Patrum de Evangelistarum consensu testimoniis, novisque annotationibus locupletata à nobis nunc in lucem denuò edatur. 15° *Translatio Missalis in linguam vulgarem, Scripturæ sacræ Patrumque auctoritate comprobata*, collaborante D. de Voisin elucubrata. Plurimi sunt ejusdem auctoris fœtus, ac nominatim Epistolæ post mortem ipsius novem voluminibus editæ, quas non sine fructu leget quisquis celebratissimi viri biographiam retexere aggredietur.

007.722

BS 548
M5
V.21

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM

QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

—

ARNALDUS.

Historia et Concordia Evangelica.

EDITORES.

Christo prolata, prout ab Evangelistis et Apostolis referuntur.

MALDONATUS.— DUHAMEL.

Præfationes in quatuor Evang lia.

IDEM.

In S. Matthæum Commentaria.

—

INDEX RERUM

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE.
In vico dicto : MONTROUGE,
Juxta portum inferni Parisiorum,
Gallicè : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER DE PARIS.

ARNALDI VITA.

Arnaldus (Antonius), natus anno 1612, humaniores litteras philosophiamque Calvi necnon Lexovii didicit, ac deinde theologiam edoctus est ab inclyto professore Lescot, quo quidem de gratiâ edissrente, contumax sæpè reluctatus est discipulus. Anno 1635, *tentaminis Actum* edidit, in quo circa gratiam sensus scholæ documentis omninò contrarios enuntiavit, magnâque animi contentione propugnavit. Sorbonici doctoris infulâ insignitus anno 1641, in Ecclesiâ B. Mariæ, ante altare Martyrum, solito sese sacramento obstrinxit, juravitque se pro veritatis defensione sanguinem etiam effusurum, quæ jurandi forma in consuetudinem postea invaluit. Duobus abhinc annis, librum edidit de *frequenti Communione*, nonnullis approbantibus episcopis, necnon quatuor et viginti Sorbonicæ domûs doctoribus. Ille verò tractatus magno virorum quos impetere videbatur studio lacessitus, majori etiam acrimoniâ ab auctore propugnatus est. Ex his circa gratiam disputationibus ipsi suppedita est occasio suam de alterâ materiâ eloquentiam depromendi : quippe cùm quidam è Sulpitianâ familiâ presbyter duci de Liancourt absolutionem denegâsset, eò quòd inter Janseniani libri defensores publicè fuerat declaratus, Arnaldus duas hâc de re conscripsit Epistolas, è quibus duplex propositio deprompta est, quam censurâ notârunt Sorbonici theologi. Huic verò censuræ subscribere nolens, è facultate exclusus est. Quo quidem casu infelici motus vir celeberrimus, in solitudinem quam pauló ante jam animo præoccupaverat, altissimè sese recepit, nec priùs in publicum rursùs prodiit, quàm falsò dictam *pacem* Clemens IX vulgavit, anno nempe 1678. Tunc igitur iisdem adversùs Calvini asseclas armis usus, quibus Sorbonam episcoposque olim impugnaverat, plurima edidit opera, quibus sese formidandum Protestantibus præbuit. Primo loco assignantur *Perpetuitas fidei*, necnon *Eversio christianæ moralis à Calvinistis*. His feliciter succedentibus, nullam turbandæ, in posterùm pacis indicium apparebat; res verò aliter cessit : quippe qui nimiâ disputandi prurigine abreptus frequentiorique asseclarum numero circumfusus, multorum suspicionem movit, ac regi Ludovico XIV visus est metuendus, adeò ut propter ingruentem tempestatem in Germaniam inferiorem sese conferre coactus fuerit. Post hæc novum opus vulgavit, cui titulus : *Apologia cleri Gallici necnon Angliæ Catholicorum, adversùs ministrum Juriurum*. Hinc nata Calvinistæ vatis iracundia, bilisque, quam pleno ore in adversarium evomuit, edito libello *de Spiritu D. Arnaldi*. Postremò, Arnaldum inter et Malebranchium altera circa gratiam rixa coorta est, quam quidem exscribere nostri non est laboris, quândoquidem apud omnes biographiarum auctores uberiùs evolvitur, à nobisque etiam altero loco prolixiùs enarrabitur. Illud verò in præsentiarum memorare sufficiat, hæc inter dissidia, Arnaldi animum jurgandi studiis asperrimum, Malebranchii verò mentem à bello alienam, concordiæque amantem eminuisse. Quòd si quis ulteriùs quærat quâ parte steterit victoria, illud constat, priorem multos habuisse fautores, à quibus plus æquo celebraretur, posteriorem verò omnium sanè sentientium, nec ullis partium studiis abreptorum judicio victorem è prælio discessisse.

Arnaldus Bruxellis obiit anno 1694, ætatis verò 82. « Nemo, ait magni nominis auctor, aptiorem ad philosophiam « animum unquàm à naturâ habuit; ipsius verò philosophia, Jansenianis erroribus imbuta, cùm per sexaginta « et ampliùs annos in arduas sæpèque inutiles controversias rapuit, atque in calamitates conjecit, quæ virum « proprii sensûs tenaciorem ordinariè sequuntur. »

Arnaldi nomine inscribuntur centum et quadraginta volumina, variis formis edita, quorum magna pars ipsius discipulos auctores habuit. Hæc inter opera, sequentia tantùm, brevitatis causâ, memorabuntur : 1° *Grammatica generalis ac ratiocinio stabilita*, primùm collaborante Lancelot, deinde verò à DD. Portûs-Regii vulgata anno 1756, in-12, hoc titulo inscripta : *Grammatica generalis ac ratiocinio stabilita, in quâ continentur artis loquendi fundamenta*; 2° *Elementa geometriæ*; 3° *Logica, sen ars cogitandi*, collaborante Nicolio; 4° *Reflexiones circa eloquentiam concionatorum*; 5° *Objectiones ad Meditationes Cartesii*; 6° *Tractatus de veris et falsis Ideis*; 7° *Reflexiones ad philosophiam theologiamque attinentes*; 8° *Perpetuitas fidei*, quod quidem opus magnâ ex parte confecit, propriòque nomine vulgavit, annuente Nicolio, cujus operâ in ipso elucubrando usus est; 9° *Eversio christianæ moralis à Calvinistis*, in-4°, 1672; 10° *Impietas moralis Calvinistarum*, 1675; 11° *Apologia pro Catholicis*; 12° *Calvinistæ impiis dogmatibus circa moralem convicti*; 13° *Moralis practica Jesuitarum*, 8 vol., « opus « in quo, » ait auctor Dictionarii Felleri, ex quo hancce Arnaldi vitam abbreviatam mutuamur, « quædam vera « sunt, multa verò adulterata, at longè plura immoderatiori verborum æstu enarrata reperire est. » 14° *Historia et Concordia evangelica*, Latinè scripta, 1 vol., 1655, in quâ quidquid in aliis hucusque editis ad digerendos Evangelistas aptius videbatur, ita continetur, ut quàmplurimis in locis recèns contexta et instaurata, articulis et versiculis distincta, excerptis illustriorum Patrum de Evangelistarum consensu testimoniis, novisque annotationibus locupletata à nobis nunc in lucem denuò edatur. 15° *Translatio Missalis in linguam vulgarem, Scripturæ sacræ Patrumque auctoritate comprobata*, collaborante D. de Voisin elucubrata. Plurimi sunt ejusdem auctoris fœtus, ac nominatim Epistolæ post mortem ipsius novem voluminibus editæ, quas non sine fructu leget quisquis celebratissimi viri biographiam retexere aggredietur.

007.722

HISTORIA
ET CONCORDIA
EVANGELICA.

Præfatio.

Articulus primus.

Quantùm conferat ad Evangelii intelligentiam evangelica concordia, et quanta sit evangelicæ historiæ dignitas.

Quis sit operis hujus fructus, et quæ generatim ex evangelicâ concordiâ expectanda utilitas, christiane et erudite lector, nihil attinet, opinor, ut ego jam diligentiùs declarare ac probare aggrediar. Cùm enim evangelica concordia nihil aliud sit quàm historia Evangelii longè clariùs, planiùs ac distinctiùs repræsentata, quis est qui librum ejusmodi non expetat, qui se modò christianum esse meminerit? Et sacram quidem Salvatoris historiam Evangelistarum quemque suo, eoque divino modo, complexum esse nemo nescit. Sed cùm illorum suum quisque in scribendo ordinem secutus sit; cùm alius aliud vel clariùs expresserit, vel significantiùs enunciârit, vel diffusiùs exposuerit; cùm res etiam aut voces maximi momenti in aliis reperiantur, in aliis desiderentur; cùm etiam persæpè alter alteri annexi mutuam sibi in locis obscurioribus lucem afferant; quid ad Evangelii intelligentiam utilius confici potest, quàm ut Evangelistæ omnes inter se collati unam et eamdem totius evangelicæ historiæ seriem exhibeant, ut scriptores quatuor quasi uno ore loqui videantur, et quadruplici vocum varietate, sed firmissimâ rerum concordiâ, perfectum harmoniæ evangelicæ concentum edant? Sæpè enim dùm Matthæum, exempli causâ perlegis, excidit ex animo quod olim in Joanne animadverteras; nec tunc occurrit ante oculos quod Lucas, quod Marcus, de eâdem re quam legis, pleniùs fortassè et uberiùs edisserunt. Hic autem omnia quæ vel vario tempore, vel variis locis, vel vario ordine perlecta, aut mentem leviùs tetigerant, aut è mente citiùs effluxerant, uno tempore, uno loco, uno ordine, uno obtutu cernas licet, ut ita quasi radiis omnibus qui dispersi fuerant in unum coeuntibus, novus quidam ac planè insolitus evangelicæ veritatis splendor exoriatur. Quantus ille fructus sit, et quanti habendus, is demùm planè intelligit qui quantum sit Evangelium et quanti habendum, non dicam intelligit (quis enim hominum id queat), sed tantùm dignè ac reverenter cogitat. Quid enim aliud Evangelium quàm Christus ipse dùm hic viveret, ut præclarè ait Augustinus, *divina faciens et humana patiens*, nunc autem *in cœlo sedens, et in terrâ docens*. Quòd si vel in fragili isto orbe ac deciduo, dùm admirabilem illum habentium rerum, ac sibi invicem decedendo succedentium ordinem attentiùs exploras, imò dùm vel unius grani vim attendis, inquit insignis doctor, obstupescit mens, obruiturque miraculis, et multa usitata calcantur, quæ considerata stupentur. Quid non supra quàm dici potest admirabile atque divinum expectes à sacrâ illâ historiâ, in quâ Dei facta et dicta à divinis hominibus, Deo movente, regente, dictante, perscribuntur? Si vel minima Dei opera Deum referunt, atque admirationem omnem superant! Quid Deus ipse? quid Dei vel minima vox, si minima vocanda est, quæ divina est? Illæ planè verba sunt, de quibus illud longè verissimum, non esse numeranda sed ponderanda. Quodque olim non nemo temerè ac leviter, id nos aptè admodùm et sanctè de divinis illis vocibus dicamus licet:

. . . . *Grave et immutabile sanctis*
Pondus adest verbis, et vocem facta sequuntur.

Cùm igitur evangelicæ concordiæ utilitatem esse uberrimam nemo, ni fallor, in dubium revocaverit, dicendum superest quænam è pluribus concordia potissimùm deligenda videatur. Multæ enim à multis, et contexi possunt, et contextæ sunt, idque ordine ac modo multùm diverso. Jam igitur de iis, et de illo scribendi genere, saltem delibare aliquid, nos suscepti muneris ratio compellit.

Articulus II.

De optimâ harmoniâ evangelicas contexendi ratione; quòdque in iis Evangelistarum textus sine piaculo transponi possit.

Etsi divino planè consilio factum est ut admiranda Salvatoris nostri acta dictaque non ab uno, sed à quatuor scriptoribus fidei nostræ commendarentur, semper tamen probata est eorum diligentia qui concordias evangelicas contexere, hoc est, unum veluti è quatuor Evangeliis Evangelium conficere conati sant, ut per hanc mutuam Evangelistarum inter se collationem, tum quæ varia à variis referuntur suo quæque tempori reddita plenam et integram Christi historiam uno contextu legendam offerrent; tum ubi eadem vel facta vel verba à multis referuntur, se invicem illustrarent et explicarent.

Quâ autem ratione id præstari debeat, non convenit inter omnes qui hâc in re laboraverunt. Prima dissadendi occasio est, an ista Evangelistarum inter se collatio ita instituì debeat, ut proprius cujusque Evangelistæ ordo nusquàm interturbetur, sed interponantur tantùm quæ ab aliis referuntur.

Non desunt, inquam, qui ita fieri debere contendant, sed non unam ob causam. Alii enim quia in eâ sunt sententiâ, ut singulos Evangelistas ab accurato temporis ordine nunquàm recessisse arbitrentur. Alii verò quia ficèt agnoscant multa τοῦτων πρότερον à sacris illis scriptoribus narrata, religioni tamen ducunt quem quisque secutus sit ordinem invertere, sed satius esse existimant sine ullâ textûs transpositione quæ per anticipationem vel recapitulationem ab unoquoque dicta sunt indicare. Ab utrisque dissidemus, cùm priorum opinio absurdissima sit, posteriorum religio præpostera.

Articulus III.

Refelluntur qui temporis ordinem ab omnibus Evangelistis ubique servatum esse contendunt.

Primùm igitur alo absurdissimum esse opinari ab omnibus Evangelistis temporis ordinem ubique servatum.

Joannes quidem, qui reliquis seriùs scripsit, id sibi proposuisse videtur ut res ordine narraret; unde solus per paschata et aliquos dies festos prædicationis Christi tempus distinguit.

Cæteri verò vix curârunt quid quo loco ponerent, modò vera et sibi compertissima narrarent; ideòque sæpiùs à temporis ordine recesserunt, dùm vel omissa recolunt, vel quod postea factum est, ante præoccupant, ut ait Augustinus, lib. 2 de Consens. Evang., c. 21, quod qui negant pervicacissimos esse necesse est.

Primò enim trium Evangelistarum, qui Joannis incarcerationis meminerunt, nullus eam suo loco refert. Lucas enim, c. 5, 19, eam anticipat occasione correptionis Herodis. Matthæus verò et Marcus seriùs referunt occasione decollationis ejusdem Joannis. (*Concord.* 22.)

Deinde in tentationibus Christi recensendis eumdem Matthæus et Lucas ordinem non servant: ita ut necesse sit vel alterutrum ordinem non servâsse, vel quater Christum tentatum, et quidem bis eâdem tentatione, quod stultissimum est arbitrari, etsi non nemo id fingere ausus est. (*Concord.* 15.)

Denique qui ab Evangelistis nihil non suo positum loco esse contendunt, in eas angustias rediguntur, ut pleraque Christi facta et miracula, quæ nemo non eadem credidit, contra omnium judicium, contra communem sensum, diversa facere coganter, ut historiam Hæmorrhoissæ, Centurionis, dæmonum in porcos immissorum (*Concord.* 35, 45, 52), et pleraque alia quibus enarrandis molestiorem, quàm huic operi utiliorem operam ponerem.

Articulus IV.

De iis qui cùm agnoscant ab Evangelistis multa præter ordinem posita, religioni tamen ducunt in concordiis suis transpositione uti.

Nunc verò de iis breviter aliquid dicendum est, qui, cùm agnoscant ab Evangelistis multa per anticipationem et recapitulationem dicta, in suis tamen connexionibus evangelicis nullâ unquàm transpositione utuntur, ne Evangelistarum textus nimiùm perturbetur, sed se satis ordini prospexisse existimant, cùm quæ per anticipationem et recapitulationem dicta sunt, et ad quæ loca pertinent, diligenter notant, productis etiam in margine lineis ut facilius conspici possint, in locis autem ad quæ pertinent, quæ ad ipsa sint transferenda, et unde, apponunt.

Eam Evangelia connectendi rationem secutus est Cæsar Becillus Urbinas, presbyter congregationis Oratorii de Urbe, cujus ego diligentiam laudo, judicium probare non possum; cùm sanè illâ haud satis, nisi me animus fallit, providâ religione præcipuum evangelicæ connexionis fructum subduxerit. Is enim est ut simul habeas quæ eâdem de re à diversis Evangelistis scripta sunt, quòd sæpè non præstat Becilli connexio, cùm easdem historias ab uno Evangelistâ suo loco, ab altero verò per anticipationem vel recapitulationem narratas, variis in locis semper reponat, dùm nimis superstitiosè cavet ne propriam ejusque Evangelistæ seriem invertat. Exemplo sit historia Centurionis, quam cum unicam esse fateatur à Matthæo, c. 8, à Lucâ verò, c. 7, narratam; non uno tamen in eam nobis loco exhibet, sed ex Matth., art. 62, ex Lucâ verò, art. 89. Quis ergo major fructus ex hâc connexione quàm ex ipso simplici Evangeliorum contextu, ubi ad illum Matthæi locum in margine annotatur, idem haberi apud Lucam, c. 7.

Deinde ita Evangelia digerit Becillus, ut persæpè res apponat ubi legi non debent, non apponat ubi legi debent. Ita sermo Domini in monte ex Matthæo refertur articulo 44, alieno, ut ipse admonet, loco. Tum ergo legendus non est, sed articulo tantùm 82, ad quem cum pertinere ipse significat, ubi tamen nusquàm apparet.

Magni igitur faciendus, nemo negat, quem quisque Evangelista ordinem secutus est; sed eum integrum et illibatum habere non potes nisi cùm unumquemque seorsim legis. Alterò ubi de quatuor Evangeliis in unum conjungendis agitur, non jam de cujusque proprio, sed de communi hoc est, temporis et rerum ipsarum ordine unicè satagendum.

Articulus V.

Cùm eadem res à pluribus Evangelistis narratur, eorum verba inter se misceri debere, ut olera et coharens historia habeatur.

Alterum inter harmoniarum evangelicarum auctores dissidium est in connectendis iis quæ eâdem de re à diversis Evangelistis scripta sunt. Qui enim nefas ducunt ejusdem Evangelistæ textum transponere, non minùs formidant ubi eadem historia à pluribus refer-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
FONDO UNIVERSITARIO

tur eorum verba inter se miscere; sed vel distinctis in columnis simul prospicienda proponunt, ut Alanus Copus et Molinæus, vel unum locum sub altero distinctè collocant, ut Becillus.

Verùm nec eorum mihi sententia unquàm probari potuit, quòd eâ ratione non continuam et cohærentem Salvatoris historiam habeas, qui harmoniarum Evangelicarum scopus esse debet, sed talem ut et eadem res frequenter tibi sit repetenda, et novo labore opus ut perspicias quid in eâdem historiâ narranda quisque Evangelista singulare habeat quid cum aliis commune.

Quare ad optimam concordias evangelicas contexendi rationem quatuor mihi necessaria videntur.

I. Quæ à quatuor Evangelistis scripta sunt suo quæque ordini reddantur, quantâvis transpositione ad id præstandum opus sit.

II. Cùm eadem res à pluribus narratur, ita ex plurium verbis oratio contexatur, ut qui hanc historiam prout à multis refertur nôsse volverit, sæpiùs eam legere necesse non habeat.

III. Ita id fiat ut primo statim intuitu appareat quid ex quo Evangelistâ desumptum sit.

IV. Quæ ad connectendam historiam necessaria non sunt ita ad marginem rejiciantur, ut nullius Evangelistæ verbum omittatur, nec ullum quod Evangelistæ non sit adjiciatur.

Articulus VI.

De Concordiâ evangelicâ Joannis Rubi, cujus primus auctor quoad ordinem rerum gestarum Cornelius Jansenius, episcopus Gandavensis.

Nulla verò ex hactenùs editis Evangeliorum harmoniis ea omnia meliùs præstat quàm quæ à Joanne Rubo sive Buissonio, anno 1575, Duaci typis mandata est, cujus tamen primus auctor ipse censendus non est, cùm hæc Rubi concordia nihil aliud sit quàm Cornelii Jansenii, episcopi Gandavensis, evangelica concordia anno 1549 in lucem primùm edita, sed à Joanne Rubo postmodùm commodiùs digesta.

In utràque enim idem numerus capitum, n. 150.

In utràque idem ordo rerum gestarum, quem semel tantùm correxit Rubus, sed malè dùm ex uno leproso duos facit.

Omnes ferè Rubi annotatiunculæ in quibus ordinis rationem redit, ex Jansenio Gandavensi desumptæ.

Verùm cùm Jansenius quindecim prioribus alphabeti litteris usus esset ad significandam quid cuique Evangelistæ proprium, quid cum aliis, et cum quibus, atque cum quot commune, ita ut quatuor primæ, A, B, C, D, singulos Evangelistarum solos loquentes designarent; sex quæ sequuntur, E, F, G, H, I, K, binos; quatuor aliæ, L, M, N, O, ternos, et postrema, P, omnes simul; Rubus ex tot litteris quas omnes distinguere laboriosum et molestum, solas quatuor primas retinuit, toties rem et verba repetens quoties in diversis Evangelistis reperiuntur, sed semel tantùm in contextu, reliquis in marginem rejectis; ita ut longè faciliùs in Rubo quàm in Jansenio distinguas quid ab uno quoque Evangelistâ scriptum sit, et multò commodiùs unumquemque seorsim legas.

Cùm autem eam Evangelistas inter se connectendi rationem in hâc Concordiâ secuti simus, in quo ea consistat paucis verbis accipe.

Articulus VII.

De utilitate et ordine hujus Concordiæ, quem ex Joanne Rubo depromptum secuti sumus.

Haud ferè quisquam est, qui si oculos tantùm in hanc Concordiam conjecerit, viam ejus et rationem (neque enim abstrusa et implicata est) non facilè per se ipse deprehendat. Dicta enim Evangelistarum ita inter se permixta sunt, ut qui rem quæ narratur latiùs vel uberiùs expresserit, semper in textu adscribatur, appositis in margine interiori iis quæ alii Evangelistæ, vel similibus vel iisdem verbis, et eodem planè sensu de re eâdem edisserunt. Quin etsi verbulum aliquod ponderis alicujus in alio Evangelistâ occurrat, quod absit ab eo qui in textu apponitur, ne quid ad plenam Evangelii intelligentiam desit, distinctis litteris ut ex alio mutuatum intelligas, in textu inseritur. Ita fit ut quatuor Evangelistæ alter alteri subjuncti, et ut quisque historiæ tenorem plenius exequitur in illo perpetuo textu vicissim quasi suas partes agentes velut unus scriptor esse videatur, et sese invicem mirum in modum illustrent. Quare non modò hic sacræ historiæ seriem accuratissimè repræsentatam habes, sed et nullo negotio cernas licet quid quisque Evangelistarum vel dixerit, vel omiserit; quid unus, quid duo, quid tres, quid quatuor simul asseruerint; qui, quibus, quomodò, et quâ in re, vel consentiant, vel in speciem discrepare videantur. Ita verò quatuor Evangelistarum voces aliæ aliis hic annexæ sunt, ne verbulo quidem ex quoquam eorum omisso, ut si unum tantùm ex iis legere animus sit, id facilè queas, dummodò unam litteram majusculam quæ eum designat, oculis perlustrans textûs ipsius tenorem sic ubi deficiat, admonitus ubi reperiatur, investiges. Nihil igitur in hoc ordine reconditum, nihil perplexum, omnia clara, plana, facilia. Quem quidem ordinem ita laudo ut ejus laudem omnem in Joannem Rubum, qui primus ejus auctor est, et à quo eum mutuati sumus, refusam velim. Cæterùm hæc inter legendum animadvertere memineris.

1° Quoties in historiæ corpore distiunculam invenies his uncinis [ ] inclusam, scito eam esse Evangelistæ, sed in legendâ Concordiâ omittendam.

2° Quòd si ordinis ratio obscurior fuerit, brevis annotatiuncula in ipsâ capitis fronte illam explicat.

3° Quòd si aliud quidpiam explicatione indiget, apposito numero 1, 2, etc., ad eam annotationem manu ducens quæ post capitis finem difficultatem hanc breviter explicabit.

4° Nonnulla sunt quæ non semel Christus fecit aut dixit. Nunquàm istiusmodi quidquam refertur quin alia loca similia in textu parenthesi inclusa indicentur.

Articulus VIII.

Quid in hâc Concordiâ supra Jansenii Gandavensis et Joannis Rubi Concordias præstitum sit.

1° Cùm Jansenius et Rubus ante Clementinam correctionem scripserint, Evangelistarum textus ubique ad illam correctionem emendatus est.

2° Apud illos auctores nulla versiculorum distinctio, hic autem ubique apposita, quod non parvo constitit.

3° Rubi Concordiam etiam Duaci editam an. 1575, typographorum Incuriâ innumeris mendis scatere deprehendimus, ut triginta ampliùs locis integræ lineæ deessent. Hanc autem si non ab omnibus prorsùs mendis expurgatam, quod haud scio an nulli hactenùs libro contigerit, ita non nisi paucis iisque levibus erratis maculatam esse spondere ausim.

4° Numerum quidem capitum Jansenii et Rubi retinuimus, sed longiora in articulos sive numeros distinximus, quod non parùm lucis et commodi Concordiæ allaturum esse existimamus.

5° Concordiam ipsam multis in locis aliter digessimus; an verò meliùs, eruditi et christiani lectoris judicium erit.

6° Rubi annotatiunculas, quæ utiles visæ sunt, quamvis paucissimas retinuimus, quàm plurimas adjecimus, ex variis plerimque auctoribus desumptas, quos tamen brevitatis studio sæpè non nominamus.

7° In his notis observamus Latinorum exemplarium à Græcis diversitatem.

8° Evangeliorum quæ per annum leguntur, in ipsâ Concordiâ, initia crucem ✝, clausulæ verò hoc flosculo ❦ designavimus.

Articulus IX.

De annis Christi, qui cum annis æræ vulgaris non confundendi.

1° In paginarum orâ Christi annos adscripsimus. Sed ne fallaris, duo hic observanda sunt. Primum est in his annis numerandis nos eorum opinionem secutos qui Christum baptizatum esse existimant 8 idus Jan., expletis annis 30 ab aliquot diebus, cùm ab augusto mense anni præcedentis Tiberius Cæsar annum imperii su 15 auspicatus esset, qui est annus Julianus 74, duobus geminis Coss. Quo posito, Christus natus finiente an. 43 Juliano; C. Cornel. Lentulo, et Valerio Messalâ Coss.

Cæterùm cave hunc numerum annorum eumdem esse putes ac æram nostram vulgarem secundùm quæm annos à Christo nato numeramus 1653. Quidquid enim de vero anno Christi natalitio statuas, certum est æræ nostræ hodiernæ caput seu primum annum (qui à primâ januarii octo nimirùm post Christum natum diebus initium ducit), non aliud esse quàm Julianum 46, ut secundùm illam numerandi rationem, cujus auctor Dionysius Exiguus abbas, Justiniani tempore, Christus natus sit anno Juliano 45, duobus annis seriùs quàm Scaliger, Baronius, aliique vulgò existimant. Sed Baronius in eo lapsus est, quòd cùm vulgarem epocham duobus annis antevertat, eam tamen se sequi falsò putet, cùm annotare debuerit quo anno, secundùm eam quam ipse veram arbitratur de Christo nato sententiam, et quo secundùm Dionysianam æram quidque contigerit: verbi gratiâ, Christum passum esse anno ætatis 34 currente, Dionysiano verò 32. Is verò Baronii metachronismus tria ferè illius Annalium priora secula occupavit, donec duobus consulum paribus omissis, cum vulgari epochâ in gratiam rediit. Anni igitur in hâc Concordiâ adscripti non æræ nostræ sunt, sed ætatis Christi secundùm Baronii opinionem à quibus duo anni abscindendi sunt, ut annum habeas æræ nostræ hodiernæ.

Articulus X.

Alterum observatione dignum est, hanc Baronii sententiam non usquo adeò certam esse, cùm mortem Herodis, quo vivente natum esse Christum constat, usque ad hoc tempus procrastinare difficile sit. Si enim Josepho et Dioni fidem habeamus, mortuus videtur Herodes ante Pascha anni Juliani 42, cùm paulò ante luna defecisset; quod cùm instituti nostri non sit latiùs pertractare, sufficit hic varias de anno Christi natalitio sententias breviter indicâsse.

LATERCULUM

VARIARUM SENTENTIARUM DE ANNO CHRISTI NATALITIO.

ANNI JULIANI.	NATALIS CHRISTI.	MORS HERODIS.	AUGUSTI: à cæde Cæsar.	AUGUSTI: à 1ª magistrat.
40. Coss..... P. Lælius Balbus. C. Antistius vetus.	Nascitur Christus 25 decemb., secundùm Keplerum.		39	38
41..... Oct. Aug. 12..... L. Cornelius Sylla.	Nascitur Christus, secundùm Dekerium.		40	39
42..... Caluisi. Sabinus 2	*Moritur Herodes, secundùm Keplerum, paulò ante Pascha.*		41	40
L. Passienus Rufus	Nascitur Christus, secundùm Sulpitium Severum.			
43..... C. Corn. Lentulus. M. Valer. Messala.	*Moritur Herodes, secundùm Dekerium.* Nascitur Christus, secundùm Scaligerum, Baron., etc.		42	41
44..... C. Oct. Aug. 13... Plautius Sylvanus.	1. Annus à natu Christo, secundùm Baronium. Nascitur Christus, secundùm Onuphrium et Chronicon Eusebii.		43	42
45..... Corn. Lentulus.... L. Calphurn. Piso.	*Moritur Herodes, secundùm Scaligerum.* Nascitur Christus, secundùm æram vulgarem.		43	44
46..... C. Cæsar absens. L. Æmilius Paulus	1. Annus æræ vulgaris, Quam antevertit Keplerus quinquennio, Dekerius quadriennio, Sulpitius triennio, Baronius biennio, Onuphrius, anno uno.		45	44

ARTICULUS XI.

De tempore prædicationis Christi.

Quatuor Paschata prædicationis Christi tribuimus, longè communiorem sententiam secuti. Etsi non sumus nescii rem istam in magnâ etiam sententiarum varietate positam esse.

Sunt enim qui duo tantùm Paschata adscribant, ut nonnulli veterum, qui Christum unico tantùm anno prædicâsse existimaverunt.

Sunt qui tria, ut Epiphanius, eumque recentiores aliquot secuti.

Sunt qui quatuor, ut vulgò ferè omnes.

Sunt qui quinque, ut Scaliger et ejus asseclæ.

Verùm primam opinionem explodit Joannes, qui tria Paschata distinctè nominat.

Postrema nullo satis idoneo nititur fundamento, et multùm temporis *exercemus*, et nullis rebus gestis illustre relinquere cogitur.

Quod verò secundam et tertiam attinet, duo præsertim litem faciunt: primùm, an dies festus de quo Joannes, 5, 1, sit Pascha; deinde an inter primum Pascha, de quo Joannes, 2, 12, et confricationem spicarum de quâ Matth., 12, 1, Marc., 2, 23, et Luc., 6, 1, annus intercesserit. Utrumque affirmant qui quatuor Paschata tuentur; negant, qui tria; et hoc potissimùm argumento suam opinionem probabilem faciunt, quòd ex veteri traditione Christus 23 martii passus sit; dies autem 23 martii non cadit in sextam feriam nisi in anno Juliano 76, æræ nostræ 31. At Christus baptizatus est anno 15 Tiberii, Juliano 74. Ergo duobus tantùm annis et tribus mensibus prædicavit.

Utut sit, non ægrè hæc Concordia, paucis tantùm capitibus aliter dispositis ad eorum opinionem accommodari posset, qui tribus tantùm Paschatis tempus prædicationis Christi definiunt.

ARTICULUS XII.

Cohortatio ad christianum lectorem, ut evangelicam historiam eo, quo par est, spiritu ac proposito perlegat.

Hæc de rebus quæ ad scientiam potiùs et eruditionem pertinent, parciùs fortassè, nonnullorum judicio, meo quidem vel fusiùs pro ocuti sumus. Quamvis enim non planè omittenda sint ea quæ hic leviter tantùm ac strictim attigimus, tamen si cum iis quæ longè graviora sunt ea conferas, jam quasi pro nihilo habenda videantur. Non enim id maximè agitur ut noveris accuratiùs, quo potissimùm anno Christus natus sit, quot Paschata inter prædicandum exegerit, et cætera hujus generis, quæ quidem in conjecturis ut plurimùm posita, multùm torquent eruditos homines, contentionis non rarò amantiores quàm veritatis. Verùm id agitur potissimùm: id non modò utile, sed et necessarium est, ut evangelicæ historiæ majestatem, eo quo decet studio amplectare, eâ quâ decet veneratione colas atque observes. Cogita, dùm hæc legere aggrederis, sancta non modò sanctis impertienda, sed et sanctè esse habenda. Ad historiam, ad vitam, ad voces Christi percipiendas, Christi spiritu accedere satage. *Dux ipse est venientibus ad se*, ait eximius Ecclesiæ doctor; *ad ipsum non itur nisi per ipsum.* Nec verò si me audis, ut obscurioribus locis lucem aliquam adhibeas, ascisces tibi immensos illos commentarios qui pietatis et divinæ traditionis malè securi, et in unam scientiam intenti, jejunis ut plurimùm et sterilibus quæstionibus atque expositionibus paginas implent, quibus divini eloquii sapor non modò non degustatur suaviùs, sed planè obtunditur. Et verò nemini dubium est, quin aureis illis et florentibus Ecclesiæ seculis sanctorum Patrum pars longè maxima et divini illi penè innumerabiles beatarum solitudinum incolæ, Scripturam sacram noctes diesque pervolvendo soli solam per sese accuratissimè didicerint, atque animo penitùs imbiberint. Quòd si eruditiores præsertim præsidium aliquod ad eam intelligendam uberius appetunt, adjungant sibi aliquem è sanctis Patribus, qui sanctos libros eodem spiritu interpretetur quo ipsi conscripti sunt; aut interpretem graviorum paternæ traditionis de antiquæ pietatis æmulum et sectatorem. Cùm enim Ecclesia catholica Scripturæ sacræ vera sit interpres, (quod quidem hæretici soli negaverint), ii demùm ad Scripturam exponendam videntur adhibendi, vel quos ipsa Patribus suis ac defensoribus annumerat, vel qui eorum sensibus ac vestigiis studiosissimè adhærescunt. Verùm, quod hujus rei caput est, etiam atque etiam cogitare oportet, sic omninò habendum, evangelicam historiam ita assiduè terendam esse, ut tamen intelligas, non tam ipsam diligentiâ evolvendo penètrari, quàm piè orando, rectè vivendo, atque ut uno verbo Evangelii divinissimus interpres *humiliter petendo ac fulciendo*, Scripturæ sanctæ clavis aurea, vita sancta est. Hæc clausa aperit, hæc obscura illustrat, hæc ad sanctissima quæque mysteria reserando aditum nimit. *Mores perducunt ad intelligentiam*, inquit Augustinus. Atque ut ejusdem præclarissimi doctoris notâ forsitan satis mentibus, et ignotâ nimiùm cordibus voce hunc tandem sermonem claudam, cùm Scripturæ omnis ex ejus mente summa et finis amor sit, ejusdem etiam et illustrator et interpres, idem est amor. Ne longè ergo vel commentariorum molem, vel alienæ hujusmodi subsidia accersamus, *amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit, permanetur.*

DE AUCTORITATE, NUMERO, SCRIPTIS ET CONCORDIA EVANGELISTARUM.

Excerpta ex quatuor Augustini libris de eorumdem Evangelistarum consensu. Quibus adjunctus est locus unus Hieronymi, et alter Chrysostomi.

CHRISTIANO ET ERUDITO LECTORI.

Evangelicæ historiæ seriem contexturi, Augustini qui quatuor eodem de argumento libros scripsit, mentem et sensum tacitum prætermittere fas non duximus. Verum enim theologum, hoc est, verum Dei et divinæ traditionis discipulum, minimè decet, in re quâque quid sancti Patres, nedùm quid sanctorum Patrum maximus ac sublimissimus senserit, vel ignorare, vel omittere. Itaque in hâc historiâ digerendâ, atque Evangelistis, in locis obscurioribus, inter se conciliandis, non solùm ejus operâ feliciter usi sumus, sed etiam ipsius sententias, atque interdùm verba ipsa in annotationibus apposuimus. Verùm cùm ille vel de Evangelio, vel de Evangelistis multa generatim ac præcipuè quatuor illorum librorum initio ac fine, nonnulla etiam passim, complexus esset, nihil consultius est visum, quàm ut hæc eadem hinc atque inde collecta, hic quasi in unum corpus redacta repræsentaremus, quæ pius lector nullo negotio, uno obtutu oblata perspiciat. Ideò quamvis multa hic interdùm non interrupta Augustini capita retulerimus, hæc tamen, ut verè sunt, *excerpta* nominamus. Locum etiam unum egregium Chrysostomi, ex primâ ejus in Matthæum homilia; et alterum Hieronymi, ex ipsius in eumdem Matthæum præfatione addidimus; quòd hæc cum Augustino optimè cohærerent, et nonnulla sancti illi doctores plenius persecuti sint quæ Augustinus breviter et quasi strictim attigerat. Habes igitur hic præter duorum illorum Patrum locos, veluti summam quamdam et compendium quatuor illorum Augustini de Evangelistarum consensu librorum; munus, si capita numeres, exiguum; si sensa ponderes, magni habendum. Vale, christiane lector, et Augustini mentem, Augustini, hoc est, pii et humili spiritu, cape.

ARTICULUS PRIMUS.

Auctoritas Evangeliorum. Cur duo ex Evangelistis discipuli tantùm, non Apostoli.

(August., de Consens. Evang., c. 1.)

Inter omnes divinas auctoritates quæ sanctis litteris continentur, Evangelium meritò excellit. Quod enim lex et prophetæ futurum esse prænuntiaverint, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur. Cujus primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum et Salvatorem nostrum Jesum Christum etiam præsentem in carne viderunt. Qui non solùm ea quæ ex ore ejus audita, vel ab illo sub oculis suis operata, dicta et facta meminerant; verùm etiam quæ priusquàm illi per discipulatum adhæserant, in ejus nativitate, vel infantiâ, vel pueritiâ, divinitùs gesta et digna memoriâ, sive ab ipso, sive à parentibus ejus, sive à quibuslibet aliis certissimis indiciis et fidelissimis testimoniis requirere et cognoscere potuerunt; imposito sibi evangelizandi munere, generi humano annuntiare curârunt. Quorum quidam, hoc est, Matthæus et Joannes, etiam scripta de illo quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt.

At ne putaretur, quod attinet ad percipiendum et prædicandum Evangelium, interesse aliquid utrum illi annuntient, qui eumdem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ii qui ex illis fideliter compérta crediderunt; divinâ providentiâ procuratum est per Spiritum sanctum, ut quibusdam etiam ex illis qui primos Apostolos sequebantur, non solùm annuntiandi, verùm etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas. Ili sunt Marcus et Lucas. Cæteri autem homines qui de Domini vel de Apostolorum actibus aliqua scribere conati vel ausi sunt, non tales vel suis temporibus extiterunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, atque in auctoritatem canonicam sanctorum librorum, eorum scripta reciperet. Nec solùm quia illi non tales erant quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ catholica atque apostolica regula fidei et sana doctrina condemnat.

ARTICULUS II.

Ordo, dignitas, stylus Evangelistarum. Alius alia præcipuè persecutus est.

(Ibid., cap. 2.)

Isti igitur quatuor Evangelistæ universo terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortassè quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodò declarârunt, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primùm Matthæus, deinde Marcus, tertiò Lucas, ultimò Joannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque prædicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque prædicandum primi utique fuerunt qui secuti Dominum, in carne præsentem dicentem audierunt, facientemque viderunt, atque ex ejus ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo Evangelio, quod divinitùs ordinatum esse credendum est, ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt: primum Matthæus, ultimum Joannes, ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tanquàm illi amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere muniretur.

Horum sanè quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco. Et quamvis singuli suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluam cooperationem sui laboris adjunxit. Nam Matthæus suscepisse intelligitur incarnationem Domini secundùm stirpem regiam, et pleraque secundùm hominum præsentem vitam et facta et dicta ejus. Marcus eum subsecutus tanquàm pedisequus et breviator ejus videtur. Cum solo quippe Joanne nihil dixit; solus ipse perpauca, cum solo Lucâ pauciora, cum Matthæo verò plurima, et multa penè totidem atque ipsis verbis, sive cum solo, sive cum cæteris consonante. Lucas autem circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam, magis occupatus apparet (c. 5, v. 31). Nam et ad ipsum David non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt, exiit ad Nathan filium David, qui nec ipse rex

fuit. Non sicut Matthæus (*c.* 1, *v.* 6), qui per Salomonem regem descendens, cæteros etiam reges ex ordine prosecutus est, servans in eis, de quo postea loquemur, mysticum numerum.

Articulus III.

Christus simul rex et sacerdos. Lucas sacerdotium ejus maximè designavit.

(Aug., l. 1, c. 3.)

Dominus enim Jesus Christus unus verus rex et unus verus sacerdos, illud ad regendos nos, istud ad expiandos, has duas personas apud antiquos Patres significatim commendatas, suam figuram egisse declaravit : sive titulo illo qui cruci ejus superfixus erat, *Rex Judæorum*, Joan. 19, 21, unde arcano instinctu Pilatus respondit : *Quod scripsi, scripsi* ; prædictum quippe erat in Psalmis : *Ne corrumpas tituli inscriptionem* ; sive quòd ad personam sacerdotis attinet in eo quod nos offerre atque accipere docuit ; unde prophetiam de se præmisit dicentem, Psal. 109, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* ; multisque aliis documentis divinarum scripturarum, rex et sacerdos Christus apparet. Hinc et ipse David, cujus non frustra crebriùs filius dictus est quàm filius Abrahæ, quem communiter tenuerunt Matthæus et Lucas, ille à quo per Salomonem descenderet, iste ad quem per Nathan ascenderet, quanquàm apertè rex fuit, figuravit tamen et sacerdotis personam, quando 1 Reg., 21, 4, panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus.

Huc accedit quòd solus etiam Lucas, cap. 1, v. 36, Mariam commemorat manifestè cognatam fuisse Elizabeth, quæ uxor erat Zachariæ sacerdotis ; de quo idem scripsit, ibid., 5, quòd eam *de filiabus Aaron*, hoc est, de tribu sacerdotum habebat uxorem. Cùm ergo Matthæus circa regis, Lucas circa sacerdotis personam gereret intentionem, utique humanitatem Christi maximè commendârunt. Secundùm hominem quippe Christus et rex et sacerdos effectus est *cui dedit Deus sedem David patris sui*, ibid., 32, *ut regni ejus non esset finis, et esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, 1 Timoth. 2, 5.

Articulus IV.

Tres primi Evangelistæ humanitatem Christi, Joannes divinitatem præcipuè demonstravit.

(Ibid., cap. 4.)

Tres tamen isti Evangelistæ in his rebus maximè diversati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit : porrò autem Joannes ipsam maximè divinitatem Domini, quâ Patri est æqualis, intendit ; eamque præcipuè suo Evangelio, quantùm inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longè à tribus illis superiùs fertur, ita ut hos videas quodammodò in terrâ cum Christo homine conversari, illum autem transcendisse nebulam quâ tegitur omnis terra, et pervenisse ad liquidum cœlum, unde acie mentis acutissimâ atque firmissimâ videret *in principio Verbum Deum, apud Deum per quod facta sunt omnia* ; Joan. 1, 1 ; et ipsum agnosceret *carnem factum, ut habitaret in nobis*, ibid., v. 14 ; et quòd acceperit carnem, non quòd fuerit mutatus in carnem.

Nisi enim carnis assumptio, servatâ incommutabili divinitate, facta esset, non diceretur, Joan. 10, 30 : *Ego et Pater unum sumus* ; neque enim Pater et caro unum sunt. Et hoc de ipso Domini testimonium solus idem Joannes commemoravit, cap. 14, v. 9 : *Et qui me videt, videt et Patrem* ; et ibid., v. 10 : *Ego in Patre, et Pater in me est* ; et cap. 17, v. 22 : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* ; et cap. 5, v. 19 : *Quæcumque Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter* ; et si qua alia sunt, quæ Christi divinitatem in quâ æqualis est Patri, rectè intelligentibus intiment, penè solus Joannes in Evangelio suo posuit ; tanquàm de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in ejus convivio solitus erat (Joan. 13, 25), secretum divinitatis ejus uberiùs et quodammodò familiariùs hiberit.

Articulus V.

In tribus prioribus Evangelistis activa, in Joanne contemplativa vita exprimitur.

(Ibid., cap. 5.)

Proinde cùm duæ virtutes propositæ sint animæ humanæ, una activa, altera contemplativa : illa quâ itur, ista quâ pervenitur ; illa quâ laboratur ut cor mundetur ad videndum Deum, ista quâ vacatur, et videtur Deus. Illa est in præceptis exercendæ vitæ hujus temporalis, ista in doctrinâ vitæ illius sempiternæ. Ac per hoc illa operatur, ista requiescit : quia illa est in purgatione peccatorum, ista in lumine purgatorum. Ac per hoc in hâc vitâ mortali illa est in opere bonæ conversationis, ista verò magis in fide, et apud perpaucos per speculum in ænigmate, 1 Cor. 13, 12, et ex parte in aliquâ visione incommutabilis veritatis.

Hæ duæ virtutes in duabus uxoribus Jacob figuratæ intelliguntur (Gen. 29, v. 23 et 28). De quibus adversùs Faustum Manichæum pro modulo meo, quantùm illi operi sufficere videbatur, disserui. Lia quippe interpretatur *laborans*, Rachel autem *visus principium*. Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas temporalia facta Domini et dicta, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maximè valerent, coposiùs prosecutos, circa illam activam virtutem fuisse versatos ; Joannem verò facta Domini multò pauciora narrantem, dicta verò ejus, ea præsertim quæ Trinitatis unitatem et vitæ æternæ felicitatem insinuarent, diligentiùs et uberiùs conscribentem, in virtute contemplativâ commendandâ suam intentionem prædicationemque tenuisse.

Articulus VI.

Proponitur et solvitur objectio ethnicorum, discipulos tantùm Christi, non Christum ipsum de seipso scripsisse.

(Ibid., cap. 7.)

Sed illud priùs discutiendum est quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim dicunt illi vel maximè pagani, qui Dominum Jesum Christum culpare aut blasphemare non audent ; eique attribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquàm homini ; discipulos verò ejus dicunt magistro suo ampliùs tribuisse quàm erat, ut eum *filium Dei dicerent*, Joan. 1, 34, *et verbum Dei per quod facta sunt omnia*, ibid., v. 3, *et ipsum ac Deum Patrem unum esse*, idem, 17, 22 ; ac si qua similia sunt in Apostolicis litteris, quibus eum cum Patre unum Deum colendum esse didicimus. Honorandum enim tanquàm sapientissimum virum putant ; colendum autem tanquàm Deum negant. Cùm ergo quærunt quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicâssent.

A quibus quæro cur de quibusdam nobilissimis philosophis suis hoc crediderunt, quod de illis eorum discipuli scriptum memoriæ reliquerunt, cùm de se ipsi nihil scripsissent ? Nam Pythagoras, quo in illâ contemplativâ virtute nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantùm de se, sed nec de ullâ re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem, quem rursùs in activâ quâ mores informantur, omnibus prætulerunt, ita ut testimonio quoque dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Æsopi fabulas pauculis versibus persecutus est, verba et numeros suos adhibens rebus alterius ; usque adeò nihil scribere voluit, ut hoc se coactum imperio sui dæmonis fecisse dixerit, sicut nobilissimus discipulorum ejus Plato commemorat. In quo tamen opere maluit alienas quàm suas exornare sententias.

Quid igitur causæ est, cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum litteris commendârunt ; et de Christo nolunt credere quod ejus de illo discipuli conscripserunt ? Præsertim cùm ab eo cæteros homines sapientiâ superatos esse fateantur, quamvis eum fateri Deum nolint. An verò illi quos isto multò inferiores fuisse non dubitant, veraces de se discipulos facere potuerunt, et iste non potuit ? Quod si absurdissimè dicitur, credant de illo quem sapientem fatentur, non quod ipsi volunt, sed quod apud eos legunt, qui ea quæ scripserunt, ab illo sapiente didicerunt.

Articulus VII.

Christum ipsum de seipso scripsisse, quoniam ad scribendum Evangelium Evangelistas quasi manus suas adhibuit.

(Ibid., c. 33.)

Hoc magnum et mirabile sacramentum, hoc regnum et sacerdotium antiquis per prophetiam revelabatur, posteris eorum per Evangelium prædicatur. Oportebat enim ut aliquando in omnibus gentibus redderetur, quod diù per unam gentem promittebatur. Proinde qui prophetas ante descensionem suam præmisit, ipse et Apostolos post ascensionem suam misit.

Omnibus autem discipulis suis per hominem quem assumpsit, tanquàm membris sui corporis caput est. Itaque cùm illi scripserunt quæ ille ostendit et dixit, nequaquàm dicendum est quòd ipse non scripserit : quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquàm suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium, et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quàm si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.

Articulus VIII.

Deus ita mentem et recordationem Evangelistarum gubernavit, ut per ea quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, multi ad elimandum pium intellectum exercerentur.

(Aug., l. 3, c. 13.)

Recordationes Evangelistarum cujusque, Dei manu gubernatæ sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit. Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes, nec in cujusquam potestate est quid et quando ei veniat in mentem. Cùm ergo illi sancti et veraces viri quasi fortuita recordationum suarum propter narrationis ordinem occultæ Dei potestati, cui nihil fortuitum est, commisissent, non oportet quemquam hominum dicere longè abjectum ab oculis Dei et longè peregrinantem ; hoc loco poni debuit, quod valdè ignorat cur eo loco Deus poni voluerit. *Quia et si obvelatum est Evangelium nostrum*, ut ait Apostolus, 2 Cor. 4, 3, *in iis qui pereunt obvelatum est*. Et cùm dixisset, 2 Cor. 2, 16 : *Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem*, subjecit statim : *Et ad hæc quis idoneus?* id est, quis idoneus est intelligere quàm justè fiat. Quod idem Dominus dicit, Joan. 9, 39 : *Ego veni ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant*. Ipsa est enim *altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei*, Rom. 11, 33, quâ fit *ex eâdem massâ aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*, ibid. 9, 21 ; et dicitur carni et sanguini, ibid., v. 20 : *O homo tu qui es, qui respondeas Deo?*

Quis ergo et in hâc re *cognoscit intellectum Domini, aut quis consiliarius illi fuit*, Rom. 11, 34, ubi sic gubernavit corda reminiscentium Evangelistarum, et in Ecclesiæ fastigio tanto auctoritatis culmine sublimavit, ut per hæc ipsa quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, dignè traditi in concupiscentias cordis sui et in reprobum sensum ; et multi exercerentur ad elimandum pium intellectum secundùm occultam Omnipotentis justitiam? Dicit enim Propheta Domino, Psal. 91, 6 : *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ : vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.*

Articulus IX.

Evangelistarum quisque quædam omittit, ut tanquàm nihil prætermittentis series digesta videatur.

(Aug., l. 2, cap. 5.)

Non ideò contrarium videri potest, quòd vel hic

Evangelista dicit quæ ille prætermittit; vel ille commemorat quæ iste non dicit... Hoc proinde cognoscendum est quod deinceps ad cætera talia valeat, ne similiter moveant animumque conturbent, sic unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tanquàm nihil prætermittentis series digesta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuò sequi videantur. Sed cùm alter ea dicit, quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerit, à quo prætermissa sunt, transilire, ut ea quæ dicere intenderat, ita superioribus copularet, tanquàm ipsa nullis interpositis sequerentur...

(Ibid., cap. 39.)

Quis autem non videat superfluò quæri, quo illa ordine Dominus dixerit, cùm et hoc discere debeamus per Evangelistarum excellentissimam auctoritatem non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine cujusquam sermonem digesserit, quo ille à quo processit, cùm ipsius ordinis nihil intersit ad rem, sive ita, sive ita sit.

Articulus X.

Non dissentire Evangelistas, etiamsi eadem non iisdem verbis efferant.

(Ibid., cap. 12.)

Quòd Evangelistarum alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit quod alius prætermittit. Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel breviùs vel prolixiùs, eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicàsse manifestum est. Et in hoc satis apparet, quod ad rem maximè pertinet, quoniam veritas Evangelii, verbo Dei, quod supra omnem creaturam æternum atque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus signis et linguis hominum dispensato, summum culmen auctoritatis obtinuit; non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiscentibus, non eodem modo atque eisdem verbis, eadem tamen res fuerit explicata; ut sive mutetur ordo verborum, sive alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba proferantur: sive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quæ dicuntur possit intelligi, minùs dicatur; sive aliorum quæ magis dicere statuit narrandorum gratiâ, ut congruus tempori modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat; sive ad illuminandam declarandamque sententiam nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est; sive rem benè tenens non assequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba quæ audivit ad integrum enuntiare.

Quisquis autem dicit Evangelistis certè per Spiritûs sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero discreparent, non intelligit quantò ampliùs Evangelistarum excellit auctoritas, tantò magis per eos fuisse firmandam cæterorum hominum vera loquentium securitatem: ut pluribus eamdem rem fortè narrantibus nullo modo quisquam eorum de mendacio rectè arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam Evangelistarum exemplo præcedente defendi. Cùm enim fas non sit, Evangelistarum aliquem mentitum fuisse vel existimare, vel dicere, sic apparebit nec eum fuisse mentitum, qui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. Et quantò magis ad mores optimos pertinet cavere mendacium, tantò magis tam eminenti auctoritate regi debeamus, ne putaremus esse mendacia, cùm sic inter se variare aliquorum narrationes inveniremus, ut inter Evangelistas variatæ sunt. Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maximè pertinet, intelligeremus, non tam verborum quàm rerum quærendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos, qui non eàdem locutione utuntur cùm rebus sententiisque non discrepant, in eàdem veritate constitisse approbamus.

Articulus XI.

Unde factum sit, quòd Evangelistæ ordine et modo narrandi, salvâ tamen rerum concordiâ, inter se discrepent.

(Ibid., c. 21.)

Quid autem interest quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante præoccupat, dùm tamen non adversentur eadem vel alia narranti, nec sibi, nec alteri? Quia enim nullius in potestate est, quamvis optimè fideliterque res cognitas quo quisque ordine recordetur, quid prius posteriusve homini veniat in mentem; non est ut volumus, sed ut datur: satis probabile est quòd unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quæ narrabat ejus recordationi suggerere, in eis duntaxat rebus, quarum ordo sive ille, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicæ.

Cur autem Spiritus sanctus *dividens propria unicuique prout vult*, 1 Cor. 12, 11, et ideò mentes quoque sanctorum propter libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quæ scriberent sine dubio gubernans et regens, alium sic, alium verò sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis piâ diligentiâ quæsiverit, divinitùs adjutus poterit invenire. Hoc tamen non est hujus operis munus, quod nunc suscepimus, tantùm ut demonstremus Evangelistas neque sibi, neque inter se pugnare, quolibet ordine vel easdem res, vel alias factorum dictorumque Christi unusquisque eorum potuerit volueritve narrare. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostrâ interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit; ubi autem apparet, si quid moverit quod sibi aut alteri repugnare videatur, utique considerandum et enodandum est.

Articulus XII.

Quomodò ex difficultatibus manifestè solutis ab ipso Evangelio, nobis similium solutionum in locis obscurioribus excogitandarum aditus detur.

(Ibid., c. 50.)

Hoc sanè non abs re fuerit admonere in hoc miraculo de septem panibus quod duo Evangelistæ Matthæus Marcusque posuerunt, quia si aliquis eorum id dixisset, qui de illis quinque panibus non dixisset, contrarius cæteris putaretur. Quis enim non existimaret unum idemque factum esse? non autem integrè et veraciter, sive ab illo, sive ab aliis, sive ab omnibus fuisse narratum; sed aut illum pro quinque panibus septem dùm falleretur commemoràsse, aut illos pro septem quinque, aut utrosque mentitos, vel oblivione deceptos. Hoc et de duodecim cophinis, et de septem sportis opinaretur quasi contrarium. Hoc de quinque millibus, et quatuor millibus eorum qui pascerentur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque panibus tacuerunt, neminem movet, et utrumque factum omnes intelligunt.

Hoc ideò diximus, ut sic, ubi simile invenitur factum à Domino, quod in aliquo alteri Evangelistæ ita repugnare videatur, ut omninò solvi non possit, nihil aliud intelligatur quàm utrumque factum esse, et aliud ab alio commemoratum. Quia si non etiam illud utrumque apud unum inveniremus, contraria singulos dixisse putaremus.

Articulus XIII.

Idem altero exemplo probat.

(Ibid., c. 46.)

Sanè prætermittere non oportet hoc loco intentum, et ad cætera quæ talia fortè occurrerint, facere lectorem; quia Lucas dixit, c. 9, v. 14, *quinquagenos* jussos esse discumbere, Marcus verò, c. 6, v. 40, *et quinquagenos et centenos.* Quod hic ideò non movet, quia unus partem dicit, alter totum. Qui enim etiam de centenis retulit, hoc retulit quod ille prætermisit. Nihil itaque contrarium est. Verùmtamen si alius de quinquagenis tantùm commemoraret, alius tantùm de centenis, valdè videretur esse contrarium; nec facilè dignosceretur utrumque dictum esse, unum autem ab altero, alterum ab altero esse commemoratum; et tamen attentiùs consideratum inveniri debuisse quis non fateatur? Hoc ideò dixi, quia existunt sæpè aliqua ejusmodi, quæ parùm intendentibus et temerè judicantibus contraria videantur, et non sunt.

Articulus XIV.

De Evangelii Joannis præ cæteris altitudine.

(Aug., l. 4, c. 10 et ult.)

Commendare hic volumus amatoribus verbi Dei, et studiosis sanctæ veritatis, quamvis ejusdem Christi, qui verus et verax est, annuntiator atque prædicator Joannes in Evangelio suo fuerit, cujus et cæteri tres qui scripserunt Evangelium, et cæteri Apostoli, qui non quidem ipsam narrationem scribendam susceperunt, in eâ tamen prædicatione sui officii munus impleverunt; longè tamen hunc in Christi altiora subvectum, ab ipso initio libri sui raro fuisse cum cæteris; id est, primò circa Jordanem propter testimonium Joannis Baptistæ; inde trans mare Tiberiadis, quando turbas de quinque panibus pavit, et super aquas ambulavit; tertiò in Bethaniâ, ubi unguento pretioso fidelis feminæ devotione perfusus est; donec inde illis occurreret ad passionis tempus, quod cum eis erat necessariò narraturus; ubi tamen ipsam dominicam cœnam, de quâ nullus eorum tacuit, multò opulentiùs tanquàm de cellario dominici pectoris, ubi discumbere solebat, exhibuit.

Ipsum deinde Pilatum verbis altioribus percutit, dicens regnum suum non esse de hoc mundo, regemque se natum, et ad hoc venisse in hunc mundum ut testimonium perhibeat veritati. Mariam quoque post resurrectionem mysticâ altitudine visitans: *Noli me*, inquit, *tangere; nondum enim ascendi ad Patrem*, Joän. 20, 17. Discipulis etiam insufflando dedit Spiritum sanctum, ne ipse Spiritus, qui Trinitati substantialis et coæternus est, tantummodò Patris esse, non etiam Filii spiritus putaretur.

Postremò suas oves Petro se amanti, eumque amorem ter confitenti commendans, dicit eumdem Joannem sic se velle manere donec veniat; ubi etiam mihi videtur alto docuisse mysterio, istam ipsam Joannis evangelicam dispensationem (quâ in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, ubi Trinitatis æqualitas et incommutabilitas videri potest, et quâ maximè proprietate distat à cæteris homo, cujus susceptione Verbum caro factum est) perspicuè cerni cognoscique non posse, nisi cùm ipse Dominus venerit; ideò sic manebit donec veniat, manebit autem nunc in fide credentium, *tunc autem facie ad faciem* (1 Cor. 13, 12) contemplandum erit, *cùm apparuerit vita nostra Christus, et nos cum ipso apparebimus in gloriâ.* (Col. 3, 4.)

Articulus XV.

De corde per contemplationem et humilitatem emundando præclara ex Augustino, quibus quartum et postremum de Evangelistarum consensu librum claudit.

(Aug., ibid.)

Quisquis autem arbitratur, homini vitam istam mortalem adhuc agenti posse contingere, ut amoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium atque carnalium serenissimâ incommutabilis veritatis luce potiatur, et mente penitùs à consuetudine vitæ hujus alienatâ illi constanter et indeclinabiliter hæreat: nec quid quærat, nec quis quærat intelligit. Credat ergo potiùs sublimi auctoritati minimèque fallaci, 2 Cor. 5, 6: *Quamdiù sumus in corpore peregrinari nos à Domino, et ambulare per fidem, nondùm per speciem*; ac sic perseveranter retinens atque custodiens fidem, spem et charitatem, intendat in speciem ex pignore quod accepimus sancti Spiritûs, *qui nos docebit omnem veritatem*, Joan. 16, 13, *cùm Deus qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis*, Rom. 8, 11.

Priùs autem quàm vivificetur hoc quod mortuum est propter peccatum, 2 Cor. 4, 11, procul dubio corruptibile est et aggravat animam, Sap. 9, 15; et si quando adjuta excedit hanc nebulam quâ tegitur omnis terra, id est, hanc carnalem caliginem quâ tegi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tur omnis vita terrena, tanquàm rapidâ coruscatione perstringitur; et in suam infirmitatem redit, vivente desiderio quo rursùs erigatur, nec sufficiente mundità quâ figatur; et quantò quisque hoc magis potest, tantò major est; quantò autem minùs, tantò minor.

Si autem nihil adhuc tale mens hominis experta est, in quâ tamen habitat Christus per fidem, instare debet minuendis finiendisque cupiditatibus hujus sæculi, moralis virtutis actione tanquàm in comitatu trium illorum Evangelistarum cum mediatore Christo ambulans; eumque, qui Filius Dei semper est, propter nos filium hominis factum, ut sempiterna virtus ejus et divinitas nostræ infirmitati et mortalitati contemperata de nostro nobis in se atque ad se faceret viam, cum magnâ spei lætitiâ fideliter teneat: ne peccet, à rege Christo regatur; si forte peccaverit, ab eodem sacerdote Christo expietur; atque ita in actione bonæ conversationis et vitæ nutritus, pennis geminæ dilectionis tanquàm duabus alis validis evectus à terris, ab eodem ipso Christo Verbo illuminetur, Verbo quod *in principio erat, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, Joan. 1, 1; et si *per speculum et in ænigmate*, 1 Cor. 13, 12, longè tamen sublimius ab omni similitudine corporali.

Quapropter, quamvis in illis tribus activæ, in Joannis autem Evangelio dona contemplativæ virtutis eluceant eis qui hæc dignoscere sunt idonei, tamen et hoc Joannis, quoniam ex parte est, sic manebit donec veniat quod perfectum est. *Et alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum*, 1 Cor. 12, 8; alius diem Domino sapit, alius de pectore Domini liquidius aliquid bibit; alius levatus usque ad tertium cœlum, 2 Cor. 12, 2, ineffabilia verba audit; omnes tamen, quamdiù sunt in corpore, peregrinantur à Domino et omnibus bonæ spei fidelibus in libro vitæ scriptis servatur quod dictum est, Joan. 14, 21: *Et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi.*

Verùmtamen in hâc peregrinatione quantùm in rei hujus intelligentiâ vel scientiâ quisque profecerit, tantò magis caveat diabolica vitia, superbiam et invidentiam. Meminerit hoc ipsum Evangelium Joannis, quàm multò ampliùs erigit ad contemplationem veritatis, tam multò ampliùs præcipere de dilectione charitatis. Et quia illud præceptum verissimum ac saluberrimum est, Eccli. 3, 20: *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus*, qui Evangelista Christum longè cæteris aliùs commendat, apud eum discipulis pedes lavat.

Articulus XVI.

Pseudo-evangelistæ. Evangelistarum ordo, stylus, figuræ.

(Hieron., Præf. in Comment. super Matth., ad Eusebium Cremon.)

Plures fuisse qui Evangelia scripserunt, et Lucas Evangelista testatur, dicens, c. 1, v. 1: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt sermonem, et ministraverunt ei*; et perseverantia usque in præsens tempus monimenta declarant; ut est illud juxta Ægyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomæum, duodecimque Apostolorum, et Basilidis atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longissimum est; cùm tantùm impræsentiarum hæc necesse sit dicere, exstitisse quosdam, qui sine Spiritu et gratiâ Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historiæ texere veritatem. Quibus jure potest illud propheticum coptari: *Væ qui prophetant de corde suo; qui ambulant post spiritum suum; qui dicunt: Dicit Dominus, et Dominus non misit eos*, Ezech. 13, 2 et seq. De quibus et Salvator in Evangelio Joannis loquitur, c. 10, v. 8: *Omnes qui ante me venerunt, fures et latrones fuerunt.* Qui venerunt, non qui missi sunt. Ipse enim ait: *Veniebant, et ego non mittebam eos.* In venientibus enim præsumptio temeritatis; in missis obsequium servitutis est.

Ecclesia autem, *quæ supra petram, Domini voce fundata est*, Matth. 16, 18, *quam introduxit rex in cubiculum suum*, et *ad quam per foramen descensionis occultæ misit manum suam; similis damulæ hinnuloque cervorum*, in Cantic., passim, *quatuor flumina paradisi instar eructans*, Gen. 2, 10, *quatuor angulos et annulos habet*, Exod. 26, per quos quasi arca testamenti et custos legis Domini, lignis immobilibus vehitur.

Primus omnium Matthæus est publicanus, cognomento Levi, qui Evangelium in Judæâ Hebræo sermone edidit, ob eorum vel maximè causam, qui in Jesum crediderant ex Judæis, et nequaquàm legis umbram, succedente Evangelii veritate, servabant.

Secundus Marcus, interpres Apostoli Petri, et Alexandrinæ Ecclesiæ primus episcopus: qui Dominum quidem Salvatorem ipse non vidit, sed ea quæ magistrum audierat prædicantem, juxta fidem magis gestorum narravit, quàm ordinem.

Tertius Lucas medicus, natione Syrus Antiochensis, *cujus laus in Evangelio*, 2 Cor. 8, 18, qui et ipse discipulus Apostoli Pauli in Achaiæ Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altiùs repetens; et, ut ipse in prœmio confitetur, audita, magis quàm visa describens.

Ultimus Joannes Apostolus et Evangelista, quem Jesus amavit plurimùm; qui supra pectus Domini recumbens purissimæ doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce meruit audire: *Ecce mater tua.* Is cùm esset in Asiâ, et jam tunc hæreticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis et cæterorum, qui negant Christum in carne venisse; quos et ipse in Epistolâ suâ *Antichristos* vocat, et Apostolus Paulus frequenter percutit; coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris aliùs scribere et ad ipsum, ut ita dicam, Dei Verbum non tam audaci quàm felici temeritate prorumpere. Unde et Ecclesiastica narrat historia, cùm à fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, revelatione saturatus illud prœmium è cœlo

veniens eructavit, Joan. 1, 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum.*

Hæc igitur quatuor Evangelia multò ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur, cap. 1: *Et in medio sicut similitudo quatuor animalium; et vultus eorum, facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilæ.* Prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere, cap. 1, v. 1: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Secunda Marcum, in quâ vox leonis in eremo rugientis auditur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*, Marc. 1, 3. Tertia vituli quæ Evangelistam Lucam à *Zachariâ sacerdote* sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem Evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, et ad altiora festinans de *Verbo Dei* disputat.

Articulus XVII.

Cur Evangelista non unus, sed multi. Hinc maximè Evangeliorum veritatem elucescere.

(Chrysost., Præf. in Matth., homil. 1.)

Principio requirendum est, quænam illa causa sit, quòd cùm tam multi sint discipuli, duo tantùm ex Apostolis scribant, et duo eorum qui Apostolos sunt secuti: unus enim Petri, alter Pauli discipulus, præter Joannem atque Matthæum Evangelia condiderunt. Quia scilicet nihil ambitione moti faciebant, sed omnia ad utilitatem referebant. Quid igitur? Non sufficiebat unus Evangelista cuncta memorare? Sufficiebat quidem, sed cùm quatuor sint qui Evangelia conscribant, nec eisdem certò temporibus aut in eisdem locis, neque pariter congregati, neque mutuò colloquentes; et tamen quasi uno ore omnia pronuntiant; fit hoc sine dubio veritatis grande documentum.

Verùm è contrario, inquis, ista res accidit; in multis enim diversi inter se inveniuntur ac dissoni. Imò hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ex toto et in omnibus consonarent, et cum nimiâ diligentiâ atque curâ usque ad tempora ac loca omnia usque ad singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset unquàm quin illi communi ad decipiendum consilio congregati, quasi ex humanâ quâdam conspiratione Evangelium condidissent. Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam judicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, et satis clarè scribentium existimationem tuetur. Si verò aliquid de temporibus ac locis variè dixerunt, nihil quidem dictorum præjudicat veritati.

Sed tamen, prout donaverit Deus, progredientes, etiam ista declarare tentabimus: illud post hæc quæ diximus postulantes, ut diligenter notetis, quòd in illis principalibus causis, in quibus et vita nostra et prædicationis summa consistit, nusquàm aliquis illorum vel in minimo discrepare convincitur. Quæ verò ista sunt? Nempè quòd Deus homo factus sit, quòd mirabilia operatus, quòd crucifixus, quòd sepultus, quòd resurrexit, quòd ascendit in cœlum, quòd judicaturu est, quòd salutaria præcepta constituit, quòd non contrariam legem intulit priori, quòd Filius Dei est, quòd Unigenitus, quòd germanus et verus, quòd ejusdem cum Patre substantiæ, et quæcumque sunt talia. In his quippe omnibus maximam illorum inveniemus esse concordiam.

Si verò in miraculis non omnes omnia dixerunt, sed hic quidem illa, alter verò alia narravit, nihil te omninò conturbet. Nam si unus universa dixisset, superfluus jam fuisset numerus cæterorum; sin varia omnes inter se scripsissent, ac nova omnia, nullum potuisset convenientiæ apparere documentum. Propterea et communiter multa dixerunt, et nihilominùs quisque proprium aliquid ac speciale conscripsit, ut neque superfluus esse videretur et temerè adjectus, et accuratam et exactam evangelicæ veritatis narrationem exhiberet.

Prœmium ex Luca.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt, rerum; 2. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis; 3. Visum est et mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex (1) ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

(1) *Ex ordine*, græcè, καθεξῆς, id est, sigillatim, ut videre est Act. 11, 4, et 18, 23. Non enim pressiùs secutus est Lucas temporum ordinem, quàm alii.

Verbum Dei æternum caro factum.

CAPUT PRIMUM.

D. I. (1. *In nat. Dom., missâ* 3.) † In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. 2. Hoc erat [in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. 4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum; 5. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. 6. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. 8. Non erat ille lux; sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (1). 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus

tur omnis vita terrena, tanquàm rapidâ coruscatione perstringitur; et in suam infirmitatem redit, vivente desiderio quo rursùs erigatur, nec sufficiente mundità quâ figatur; et quantò quisque hoc magis potest, tantò major est; quantò autem minùs, tantò minor.

Si autem nihil adhuc tale mens hominis experta est, in quâ tamen habitat Christus per fidem, instare debet minuendis finiendisque cupiditatibus hujus sæculi, moralis virtutis actione tanquàm in comitatu trium illorum Evangelistarum cum mediatore Christo ambulans; eumque, qui Filius Dei semper est, propter nos filium hominis factum, ut sempiterna virtus ejus et divinitas nostræ infirmitati et mortalitati contemperata de nostro nobis in se atque ad se faceret viam, cum magnâ spei lætitiâ fideliter teneat: ne peccet, à rege Christo regatur; si forte peccaverit, ab eodem sacerdote Christo expietur; atque ita in actione bonæ conversationis et vitæ nutritus, pennis geminæ dilectionis tanquàm duabus alis validis evectus à terris, ab eodem ipso Christo Verbo illuminetur, Verbo quod *in principio erat, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, Joan. 1, 1; et si *per speculum et in ænigmate*, 1 Cor. 13, 12, longè tamen sublimius ab omni similitudine corporali.

Quapropter, quamvis in illis tribus activæ, in Joannis autem Evangelio dona contemplativæ virtutis eluceant eis qui hæc dignoscere sunt idonei, tamen et hoc Joannis, quoniam ex parte est, sic manebit donec veniat quod perfectum est. *Et alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum*, 1 Cor. 12, 8; alius diem Domino sapit, alius de pectore Domini liquidius aliquid bibit; alius levatus usque ad tertium cœlum, 2 Cor. 12, 2, ineffabilia verba audit; omnes tamen, quamdiù sunt in corpore, peregrinantur à Domino et omnibus bonæ spei fidelibus in libro vitæ scriptis servatur quod dictum est, Joan. 14, 21: *Et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi.*

Verùmtamen in hâc peregrinatione quantùm in rei hujus intelligentiâ vel scientiâ quisque profecerit, tantò magis caveat diabolica vitia, superbiam et invidentiam. Meminerit hoc ipsum Evangelium Joannis, quàm multò ampliùs erigit ad contemplationem veritatis, tam multò ampliùs præcipere de dilectione charitatis. Et quia illud præceptum verissimum ac saluberrimum est, Eccli. 3, 20: *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus*, qui Evangelista Christum longè cæteris aliùs commendat, apud eum discipulis pedes lavat.

Articulus XVI.

Pseudo-evangelistæ. Evangelistarum ordo, stylus, figuræ.

(Hieron., Præf. in Comment. super Matth., ad Eusebium Cremon.)

Plures fuisse qui Evangelia scripserunt, et Lucas Evangelista testatur, dicens, c. 1, v. 1: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt sermonem, et ministraverunt ei*; et perseverantia usque in præsens tempus monimenta declarant; ut est illud juxta Ægyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomæum, duodecimque Apostolorum, et Basilidis atque Apellis, ac reliquorum, quos enumerare longissimum est; cùm tantùm impræsentiarum hæc necesse sit dicere, exstitisse quosdam, qui sine Spiritu et gratiâ Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historiæ texere veritatem. Quibus jure potest illud propheticum coptari: *Væ qui prophetant de corde suo; qui ambulant post spiritum suum; qui dicunt: Dicit Dominus, et Dominus non misit eos*, Ezech. 13, 2 et seq. De quibus et Salvator in Evangelio Joannis loquitur, c. 10, v. 8: *Omnes qui ante me venerunt, fures et latrones fuerunt.* Qui venerunt, non qui missi sunt. Ipse enim ait: *Veniebant, et ego non mittebam eos.* In venientibus enim præsumptio temeritatis; in missis obsequium servitutis est.

Ecclesia autem, *quæ supra petram, Domini voce fundata est*, Matth. 16, 18, *quam introduxit rex in cubiculum suum*, et *ad quam per foramen descensionis occultæ misit manum suam; similis damulæ hinnuloque cervorum*, in Cantic., passim, *quatuor flumina paradisi instar eructans*, Gen. 2, 10, *quatuor angulos et annulos habet*, Exod. 26, per quos quasi arca testamenti et custos legis Domini, lignis immobilibus vehitur.

Primus omnium Matthæus est publicanus, cognomento Levi, qui Evangelium in Judæâ Hebræo sermone edidit, ob eorum vel maximè causam, qui in Jesum crediderant ex Judæis, et nequaquàm legis umbram, succedente Evangelii veritate, servabant.

Secundus Marcus, interpres Apostoli Petri, et Alexandrinæ Ecclesiæ primus episcopus: qui Dominum quidem Salvatorem ipse non vidit, sed ea quæ magistrum audierat prædicantem, juxta fidem magis gestorum narravit, quàm ordinem.

Tertius Lucas medicus, natione Syrus Antiochensis, *cujus laus in Evangelio*, 2 Cor. 8, 18, qui et ipse discipulus Apostoli Pauli in Achaiæ Bœotiæque partibus volumen condidit, quædam altiùs repetens; et, ut ipse in prœmio confitetur, audita, magis quàm visa describens.

Ultimus Joannes Apostolus et Evangelista, quem Jesus amavit plurimùm; qui supra pectus Domini recumbens purissimæ doctrinarum fluenta potavit, et qui solus de cruce meruit audire: *Ecce mater tua.* Is cùm esset in Asiâ, et jam tunc hæreticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis et cæterorum, qui negant Christum in carne venisse; quos et ipse in Epistolâ suâ *Antichristos* vocat, et Apostolus Paulus frequenter percutit; coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ episcopis, et multarum Ecclesiarum legationibus, de divinitate Salvatoris aliùs scribere et ad ipsum, ut ita dicam, Dei Verbum non tam audaci quàm felici temeritate prorumpere. Unde et Ecclesiastica narrat historia, cùm à fratribus cogeretur ut scriberet, ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur: quo expleto, revelatione saturatus illud prœmium è cœlo

veniens eructavit, Joan. 1, 1: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum.*

Hæc igitur quatuor Evangelia multò ante prædicta, Ezechielis quoque volumen probat, in quo prima visio ita contexitur, cap. 1: *Et in medio sicut similitudo quatuor animalium; et vultus eorum, facies hominis, et facies leonis, et facies vituli, et facies aquilæ.* Prima hominis facies Matthæum significat, qui quasi de homine exorsus est scribere, cap. 1, v. 1: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.* Secunda Marcum, in quâ vox leonis in eremo rugientis auditur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*, Marc. 1, 3. Tertia vituli quæ Evangelistam Lucam à *Zachariâ sacerdote* sumpsisse initium præfigurat. Quarta Joannem Evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, et ad altiora festinans de *Verbo Dei* disputat.

Articulus XVII.

Cur Evangelista non unus, sed multi. Hinc maximè Evangeliorum veritatem elucescere.

(Chrysost., Præf. in Matth., homil. 1.)

Principio requirendum est, quænam illa causa sit, quòd cùm tam multi sint discipuli, duo tantùm ex Apostolis scribant, et duo eorum qui Apostolos sunt secuti: unus enim Petri, alter Pauli discipulus, præter Joannem atque Matthæum Evangelia condiderunt. Quia scilicet nihil ambitione moti faciebant, sed omnia ad utilitatem referebant. Quid igitur? Non sufficiebat unus Evangelista cuncta memorare? Sufficiebat quidem, sed cùm quatuor sint qui Evangelia conscribant, nec eisdem certò temporibus aut in eisdem locis, neque pariter congregati, neque mutuò colloquentes; et tamen quasi uno ore omnia pronuntiant; fit hoc sine dubio veritatis grande documentum.

Verùm è contrario, inquis, ista res accidit; in multis enim diversi inter se inveniuntur ac dissoni. Imò hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ex toto et in omnibus consonarent, et cum nimiâ diligentiâ atque curâ usque ad tempora ac loca omnia usque ad singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset unquàm quin illi communi ad decipiendum consilio congregati, quasi ex humanâ quâdam conspiratione Evangelium condidissent. Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam judicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, et satis clarè scribentium existimationem tuetur. Si verò aliquid de temporibus ac locis variè dixerunt, nihil quidem dictorum præjudicat veritati.

Sed tamen, prout donaverit Deus, progredientes, etiam ista declarare tentabimus: illud post hæc quæ diximus postulantes, ut diligenter notetis, quòd in illis principalibus causis, in quibus et vita nostra et prædicationis summa consistit, nusquàm aliquis illorum vel in minimo discrepare convincitur. Quæ verò ista sunt? Nempè quòd Deus homo factus sit, quòd mirabilia operatus, quòd crucifixus, quòd sepultus, quòd resurrexit, quòd ascendit in cœlum, quòd judicaturu est, quòd salutaria præcepta constituit, quòd non contrariam legem intulit priori, quòd Filius Dei est, quòd Unigenitus, quòd germanus et verus, quòd ejusdem cum Patre substantiæ, et quæcumque sunt talia. In his quippe omnibus maximam illorum inveniemus esse concordiam.

Si verò in miraculis non omnes omnia dixerunt, sed hic quidem illa, alter verò alia narravit, nihil te omninò conturbet. Nam si unus universa dixisset, superfluus jam fuisset numerus cæterorum; sin varia omnes inter se scripsissent, ac nova omnia, nullum potuisset convenientiæ apparere documentum. Propterea et communiter multa dixerunt, et nihilominùs quisque proprium aliquid ac speciale conscripsit, ut neque superfluus esse videretur et temerè adjectus, et accuratam et exactam evangelicæ veritatis narrationem exhiberet.

Prœmium ex Luca.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt, rerum; 2. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis; 3. Visum est et mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex (1) ordine tibi scribere, optime Theophile, 4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

(1) *Ex ordine*, græcè, καθεξῆς, id est, sigillatim, ut videre est Act. 11, 4, et 18, 23. Non enim pressiùs secutus est Lucas temporum ordinem, quàm alii.

Verbum Dei æternum caro factum.

CAPUT PRIMUM.

D. I. (1. *In nat. Dom., missâ* 3.) † In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. 2. Hoc erat [in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt; et sine ipso factum est nihil, quod factum est. 4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum; 5. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. 6. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. 8. Non erat ille lux; sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (1). 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus

eum non cognovit. 11. In propria venit; et sui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; 13. qui non ex sanguinibus (2), neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 14. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: (et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre) plenum gratiæ et veritatis ¶. 15. *Joannes testimonium. c. 16.*

(1) Græcè ἐρχόμενον, quod notavit Augustinus referri posse ad τὸ φῶς, lumen: ut sit sensus: Erat lux vera, quæ veniens in mundum illuminat omnem hominem; quia Christus adventu suo in mundum non unam gentem, ut Moses, et prophetæ, sed totum genus humanum illuminavit. Unde Paulus ad Tit. 2, 11: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus*, etc., et Ecclesia canit: *Tunc salvus erit omnis homo*, scilicet in adventu Messiæ. Confer hunc locum cum eo quod dicitur infra 3, 19, et Concord. 20, *Lux venit in mundum*; et 12, 46, Concord. 110, n. 7: *Ego lux in mundum veni*. Ita Estius.

(2) Id est, non ex humano semine, nec ex concupiscentiâ carnali, nec ex appetitu propagandæ sobolis, qui in viris dominari solet; vel fortassè hoc postremum membrum, ut distet à prioribus, eos denotat qui adoptione aut institutione fiunt alicujus hominis filii, ut hæc humana adoptio divinæ adoptioni opponatur.

ANNUNTIATIO ET CONCEPTIO JOANNIS.

CAPUT II.

C. I. (*In vig. S. Joan. Bapt.*) 5. † Fuit in diebus Herodis regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia (1 Par. 24, 24, 10); et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elizabeth. 6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ. 7. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. 8. Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum. 9. Secundùm consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini: 10. Et (*Exodi* 30, 7; *Levit.* 16, 17) omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi. 11. Apparuit autem illi angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. 12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. 13. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem; 14. Et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt; 15. Erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet et Spiritu sancto replebitur, adhuc ex utero matris suæ; 16. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum; 17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ; ut convertat corda patrum in filios (*Mal.* 4, 6), et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam ¶. 18. Et dixit Zacharias ad angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. 19. Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. 20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. 21. Et erat plebs exspectans Zachariam; et mirabantur quòd tardaret ipse in templo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos; et cognoverunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. 23. Et factum est ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. 24. Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens: 25. Quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

ANNUNTIATIO ET INCARNATIO CHRISTI.

CAPUT III.

C. I. 26. In mense autem sexto (*In annunt.*) † missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis, Maria. 28. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. 29. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. 30. Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: 31. Ecce concipies in utero (*Isa.* 7, 14), et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. 32. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in æternum (*Dan.* 7, 14, 27; *Mich.* 4, 7), 33. Et regni ejus non erit finis. 34. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? 35. Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideòque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute suâ; et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis; 37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. 38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum ¶. Et discessit ab illâ angelus.

VISITATIO. CANTICUM MARIÆ.

CAPUT IV.

C. I. 39. (*In visit.*) † Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda: 40. Et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth. 41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elizabeth; 42. Et exclamavit voce magnâ, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. 43. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? 44. Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo; 45. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. 46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum; 47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo ¶. 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent

omnes generationes. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. 50. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo (*Isai.* 51, 9); dispersit superbos mente cordis sui (*Psal.* 32, 10). 52. Deposuit potentes de sede (*Psal.* 33, 11), et exaltavit humiles. 53. Esurientes implevit bonis (1 *Reg.* 2, 5), et divites dimisit inanes (*Isai.* 41, 8). 54. Suscepit Israel puerum suum (*Ps.* 131, 11), recordatus misericordiæ suæ. 55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in secula (*Gen.* 17, 9 et 22, c. 16). 56. Mansit autem Maria cum illâ, quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.

NATIVITAS JOANNIS.

CAPUT V.

C. I. 57. (*In nat. S. Joan. Bapt.*) † Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. 58. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illâ, et congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui, Zachariam. 60. Et respondens mater ejus dixit: Nequaquàm, sed vocabitur Joannes. 61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tuâ qui vocetur hoc nomine. 62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. 63. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. 64. Apertum est autem illicò os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. 65. Et factus timor super omnes vicinos eorum; et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. 66. Et posuerunt omnes qui audierant, in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo. 67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto; et prophetavit, dicens: 68. Benedictus Dominus Deus Israel (*Psal.* 73, 12), quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ ¶. 69. Et erexit cornu salutis nobis (*Psal.* 131, 17), in domo David pueri sui; 70. Sicut locutus est per os sanctorum (*Jer.* 23, 6, et 30, 10), qui à seculo sunt, prophetarum ejus; 71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos; 72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris; et memorari testamenti sui sancti. 73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum (*Gen.* 22, 16), daturum se nobis; 74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi (*Jer.* 31, 33); 75. In sanctitate et justitiâ coram ipso (*Heb.* 6, 13, 17), omnibus diebus nostris. 76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus; 77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus (*Mal.* 4, 1), in remissionem peccatorum eorum; 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto (*Zach.* 3, 8; *Mal.* 4, 2); 79. Illuminare (1) his qui in tenebris, et in umbrâ mortis sedent; ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80. Puer autem crescebat, et confortabatur Spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. (II. 1. *Factum est autem*, c. 8.)

(1) Non est imperativum, sed infinitivum; hoc est, *visitavit nos Christus ut illucesceret*, etc.

GENEALOGIA CHRISTI.

Genealogia Joseph ex posteritate Salomonis; A. enim Judæis scribens, regalem progeniem Messiæ à Davide proponit.

CAPUT VI.

A. I. 1. (1) (*In Nat. et Conc. B. Mariæ*). † Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. 2. Abraham genuit Isaac (*Gen.* 21, 3). Isaac autem genuit Jacob (*Gen.* 25, 25). Jacob autem genuit Judam et fratres ejus (*Gen.* 29, 35). 3. Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar (*Gen.* 38, 29, 1, *Par.* 2, 4). Phares autem genuit Esron (1. *Par.* 2, 5). Esron autem genuit Aram. 4. Aram autem genuit Aminadab (*Ruth.* 4, 19). Aminadab autem genuit Naasson (*Num.* 7, 12.). Naasson autem genuit Salmon. 5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem (*Ruth.* 4. 20, 21, 22). 6. David autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Uriæ (3 *Reg.* 12, 24). 7. Salomon autem genuit Roboam (2 *Reg.* 11, 43). Roboam autem genuit Abiam (3 *Reg.* 14, 31). Abias autem genuit Asa (3 *Reg.* 15, 8). 8. Asa autem genuit Josaphat (3 *Reg.* 15, 24). Josaphat autem genuit Joram (2 *Paral.* 21, 1). Joram autem genuit Oziam. 9. Ozias autem genuit Joatham (2 *Par.* 26, 23). Joatham autem genuit Achaz (2 *Par.* 27, 9). Achaz autem genuit Ezechiam (2 *Par.* 28, 27). 10. Ezechias autem genuit Manassen (2 *Par.* 32, 33). Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam (2 *Par.* 33, 20 et 25). 11. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis. (2 *Par.* 34, 1, 2). 12. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. 13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14. Azor autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. 15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. 16. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus ¶. 17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim; et à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim; et à transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

(1) Non est titulus libri, sed hebraismus: *Liber generationis, pro genealogiâ.*

JOSEPH ADMONITUS DE GENERATIONE CHRISTI.

Loquitur quidem A. de generatione in utero; non tamen dubium, quin ea quæ narrat, contigerint post reditum Mariæ ab Elizabeth.

CAPUT VII.

A. I. 18. Christi generatio sic erat. (*In vig. Nat. Dom.*) † Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero

habens de Spiritu sancto. 19. Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. 21. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum (*Act.* 4, 12) ; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum ¶. 22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem : 23. Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium ; et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus (*Isa.* 7, 14). 24. Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam. 25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum ; et vocavit nomen ejus Jesum. (II. 1. *Cùm ergo*, c. 9.)

NATIVITAS CHRISTI.

CAPUT VIII.

1. *Christus nascitur.*

C. II. 1. (*In Nat. Dom., missâ* 1.) † Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. 2. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriæ Cyrino. 3. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem (*Mich.* 5, 2) ; eò quòd esset de domo et familiâ David ; 5. Ut profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore prægnante. 6. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut parerent. 7. Et peperit filium suum primogenitum (*anno Ch.* 1), et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.

2. *Pastores.*

8. Et pastores erant in regione eâdem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis angelus : Nolite timere ; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo ; 11. Quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. 12. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. 13. Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : 14. Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus (1) bonæ voluntatis ¶. 15. Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum (*in Nat. Dom., missâ* 2) † pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. 17. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. 18. Et omnes qui audierunt, mirati sunt, et de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. 20. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos ¶.

3. *Circumcisio.*

21. Et (*in Circum. Dom.*) † postquàm consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer (*Gen.* 17, 12 ; *Lev.* 12, 3) vocatum est, nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquàm in utero conciperetur ¶. (22. *Et postquàm*, c. 10.)

(1) Græcè *ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας* (non *εὐδοξίας*) hoc est, bona Dei erga homines voluntas ; hoc enim vox, *εὐδοκία*, in Scripturis significare solet.

EPIPHANIA.

Magos venisse ante Purificationem, et Augustinus tenet, et ab Ecclesiâ receptum est, id decimâ tertiâ die post nativitatem contigisse.

CAPUT IX.

A. II. 1. (*in Epiph.*) † Cùm ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente (1) venerunt Jerosolymam, 2. Dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ? vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. 3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo : 4. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. 5. At illi dixerunt ei : In Bethleem Judæ : sic enim scriptum est per prophetam. 6. Et tu Bethleem terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel (*Mich.* 5, 2). 7. Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis : 8. Et mittens illos in Bethleem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. 9. Qui cùm audissent regem, abierunt : et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dùm veniens staret supra ubi erat puer. 10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valdè. 11. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham (*Psal.* 71, 10). 12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam ¶. (13. *Qui cùm recessissent*, c. 11.)

(1) Ab Aram, sive Mesopotamiâ, quæ orientem respectu Judææ : unde etiam cùm Balaamus venisset, dicit Num. 23, 7, se vocatum de Aram, de montibus orientis. Neque hîc quidquam probabilius, quàm hos magos celeberrimo Balaami de stellâ ex Jacob oriturâ oraculo excitos fuisse.

PURIFICATIO.

CAPUT X.

1. *Purificatio.*

C. II. 22. Et (*in Purific.*) † postquàm impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi (*Lev.* 12, 6), tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum

Domino ; 23. sicut scriptum est in lege Domini (*Exod.* 13, 2 ; *Num.* 8, 16) : Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur ; 24. Et ut darent hostiam, secundùm quòd dictum est in lege Domini (*Lev.* 12, 8), par turturum, aut duos pullos columbarum.

2. *Simeon.*

25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon ; et homo iste justus, et timoratus, exspectans consolationem Israel ; et Spiritus sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem legis pro eo ; 28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : 29. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace : 30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, 31. Quod parâsti ante faciem omnium populorum. 32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel ¶. 33. Et (*Dom. infra Oct. Nat. Christi.*) † erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur : (*Isai.* 8, 14 ; *Rom.* 9, 33 ; 1 *Pet.* 2, 7.) 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

3. *Anna prophetissa.*

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser ; hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ ; 37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor ; quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. 38. Et hæc ipsâ horâ superveniens confitebatur Domino ; et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. (39. *Et ut perfecerunt*, c. 12.)

FUGA IN ÆGYPTUM.

CAPUT XI.

1. *Fuga in Ægyptum.*

A. II. 13. Qui (*Magi*) cùm recessissent (1), ecce (*In festo SS. Innoc.*) † angelus Domini apparuit (2) in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dùm dicam tibi : futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. 14. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum ; 15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum. (*Osee* 11, 1.)

2. *Infanticidium.*

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè ; et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infra (3), secundùm tempus quod exquisierat à Magis. 17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : 18. Vox in Ramâ audita est, ploratus et ululatus multus ; Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt (*Jerem.* 31, 15) ¶.

3. *Reditus ex Ægypto.*

19. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, 20. Dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. 21. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. 22. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode patre suo (4), timuit illò ire ; et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. 23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazæus vocabitur. (III. 1. *In diebus autem*, c. 15.)

(1) Non significatur, nihil inter recessum Magorum et fugam hanc contigisse, cùm tempus utcumque magnum intercesserit.

(2) Quia hæc apparitio, ut causa fugæ docet, contigit in Bethleem, et inde fugit Joseph ; constat eum post purificationem rediisse Bethleem, ubi sibi putabat habitandum.

(3) Hoc ita tùm referri debet ad infra bimulos, qui nati erant ante apparitionem stellæ ; stella enim indicium erat Messiæ jam nati, non nascituri. Fallunt ergo qui hinc putârunt stellam ante biennium apparuisse. Illinc tamen constat non subitò post recessum Magorum infanticidium contigisse. Verisimile est enim Herodem aliquandiù expectâsse, et cum increbresceret fama Messiæ nati, hoc tandem consilium cepisse.

(4) Nisi ex Judæâ fugisset, et existimâsset sibi in Bethleem habitandum, rectà ivisset Nazareth, præsertim cùm ibi domum haberent.

INVENTIO JESU IN TEMPLO (*An. Ch.* 12).

Licèt C. *dicat eos reversos ut perfecerunt legalia, tamen ex causâ fugæ, et illo metu Joseph constat hunc reditum non è Judæâ ante fugam, sed ex Ægypto factum. Et nota sæpè aliquid narrari, quasi mox post aliud, cùm multa intercesserint.*

CAPUT XII.

C. II. 39. Et ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth (1). 40. Puer autem crescebat, et confortabatur, plenus sapientiâ (2) ; et gratia Dei erat in illo ¶. 41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ (*Exod.* 23, 15 *et* 34, 18 ; *Deut* 16, 1.) 42. Et (*Dom. infra Oct. Epiph.*) † cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi, 43. Consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. 45. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. 46. Et factum est post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentiâ et responsis ejus. 48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic ? ecce pater tuus et ego

dolentes quærebamus te. 49. Et ait ad illos : Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratiâ, apud Deum et homines ¶.

(1) Non immediatè ex Jerosolymis, vel Bethleem, sed post interpositam fugam in Ægyptum. Ubi notandum Evangelistas ita quandoque connectere gesta diversa, quasi inter illa nihil intercesserit.

(2) Græcum hic addit, *spiritu*.

JOANNES IN DESERTO (*An. Ch.* 30).

CAPUT XIII.

1. *Baptismus et prædicatio Joannis.*

B. 1. 1. Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei (1), 2. Sicut scriptum est in Isaiâ prophetâ. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te (*Mal.* 3, 1; *Isa.* 30, 5). 3. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

C. III. 1 (*Dom. 3, Adv.*). ✝ Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judææm, tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarchâ Iturææ, et Trachonitidis regionis; et Lysaniâ Abilinæ tetrarchâ; 2. Sub principibus sacerdotum Annâ et Caiphâ : factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto (*Act.* 4, 6). 3. Et venit in omnem regionem Jordanis.

A. III. 1. *In diebus autem illis* (2) *venit Joannes Baptista.*

B. *Fuit Joannes*

A. *Prædicans in deserto Judææ.*

B. In deserto *Judææ*, baptizans,

C. *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum;*

et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum (5. *Et egredicbatur, infra*).

C. 4. *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.*

A. 2. Et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. 3. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (*Isai.* 40, 3).

C. 5. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas; 6. Et videbit omnis caro salutare Dei ¶.

2. *Vestitus et esca Joannis.*

B. 6. *Et erat Joannes vestitus pilis cameli; et zona pelliceæ circa lumbos ejus, et locustas et mel sylvestre edebat.* (Et prædicabat, infra, n. 5.)

A. 4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locustæ, et mel sylvestre.

A. 5. *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa,*

B. *Et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua* (6. Et erat, supra).

B. 5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi,

A. Et omnis regio circa Jordanem, 6. Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua.

3. *Invitatio ad pœnitentiam.*

C. 7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso : Geniniua viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ? 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham : dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est : omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

4. *Monita ad turbas, ad Publicanos, ad milites, ad Pharisæos.*

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid ergo faciemus? 11. Respondens autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, similiter faciat (*Jac.* 2, 15; 1 *Joan.* 3, 17).

12. Venerunt autem et Publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus? 13. At ille dixit ad eos : Nihil amplius quàm quod constitutum est vobis, faciatis.

14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; et contenti estote stipendiis vestris.

A. 7. Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ (4)? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9. Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham : dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*inf.* 15, *n.* 8, *v.* 19).

5. *Testimonium primum de Christo* (*v.* 2 *et* 3, *c.* 16, *et* 4, *c.* 21).

C. 15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne fortè ipse esset Christus :

B. *Et prædicebat, dicens :* 7. *Venit fortior me post me :*

C. *Ego quidem aquâ baptizo vos, veniet autem fortior me,*

16. Respondit Joannes, dicens omnibus :

A. Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam (*D.* 16, *n.* 1, *v.* 26; *Act.* 1, 5.); qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare;

cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni.

B. Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

B. 8. *Ego baptizavi vos aquâ, ille verò baptizabit vos Spiritu sancto.*

A. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni.

A. 12. *Cujus ventilabrum in manu suâ, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.*

C. 17. Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam; et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. 18. Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo 19. *Herodes autem, c.* 22; (3).

(1) Non est inscriptio, sed significat Evangelium Christi cœpisse à Joanne, ut prædixit Isaias.

(2) Hinc constat ejusmodi formulas, *in illis diebus, tunc, in illo tempore*, et similes, non semper pertinere ad tempus rei proximè narratæ; sed vel indefinitè sumi pro quodam tempore, vel certè pertinere ad tempus rei quæ narratur : hæc enim contigerunt triginta circiter annis post ante narrata ab A, ut patet.

(3) Quia B priùs concursum, deinde vestitum et escam narrat, ideò ejus lectio nonnihil inversa est, ut responderet lectioni A, quæ aptior videtur. Id et alibi præstare necesse fuit.

(4) Probabile est hæc verba bis à Joanne dicta fuisse; primùm quidem ad turbas, ut refert C, deinde ad Pharisæos et Sadducæos, ut refert A, quò scilicet illi intelligerent, quamvis reliquos virtute antecellere sibi viderentur, et ideò quid sibi faciendum non interrogarent, sicut cæteri omnes; non alio tamen modo quàm quemvis è vulgo à Deo tractatum iri, nisi maturè dignis pœnitentiæ fructibus resipiscerent.

(5) Perspicuum est passim C non servare ordinem rerum gestarum; quod hic præsertim patet, subjicit enim mentionem incarcerationis, licèt ante illam ea quæ sequentibus cap. continentur certum sit contigisse.

BAPTISMUS CHRISTI, ET GENEALOGIA EX LUCA.

CAPUT XIV.

1. *Baptismus Christi* (*An. Ch.* 31).

C. III. 21. *Factum est autem,*

B. 1. 9. Et factum est : in diebus illis,

C. Cùm baptizaretur omnis populus; et

A. III. 15. *Tunc venit Jesus à Galilæa.*

B. Venit Jesus à Nazareth Galilææ.

A. In Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. 14. Joannes autem prohibebat eum (1), dicens : Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me? 15. Respondens autem Jesus dixit ei : Sine modò : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum :

B. Et baptizatus est à Joanne in Jordane.

B. 10. *Et statim ascendens de aquâ,*

A. *Aperti sunt ei cœli :*

B. *Vidit cœlos apertos,*

Et Spiritum tanquàm columbam descendentem,

C. *Sicut columba in ipsum; et vox de cœlo facta est : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi.*

C. Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum : 22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie (*D.* 16, *n.* 2) :

A. Et vidit (2) Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se,

B. Et manentem (3) in ipso.

B. 11. *Et vox facta est de cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (4).

A. 17. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus (4), in quo mihi complacui (A. B. C. 67, *n.* 2, 2 *Pet.* 1, 17).

2. *Genealogia ex Luca.*

C. 23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta (5) : ut putabatur filius Joseph, qui fuit Eli (6), qui fuit Mathat, 24. Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, 25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, 26. Qui fuit Mahat, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, 27. Qui fuit Joannæ, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, 28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, 29. Qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, 30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, 31. Qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, 32. Qui fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, 33. Qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, 34. Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, 35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 37. Qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, 38. Qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

(1) Hinc non dubium quin Joannes Christum nunc primùm videns, cum etiam ante baptismum agnoverit, afflatu scilicet ejusdem Spiritûs qui Christum visibili signo post baptismum manifestavit.

(2) Christus nimirùm, ut ex B patet : quamvis dubitari non possit, quin Joannes quoque hanc columbam viderit; ut ipse testimonium perhibet, D, 1, 15. Concord. 16, n. 2, sicut probabile est et alios vidisse ad majorem manifestationem Christi. Quibusdam autem hæc columba vera fuit; aliis verò species tantùm quædam et similitudo corporalis columbæ.

(3) Gr. non habet, *manentem*.

(4) In B et C, Christus ipse compellatur : *Tu es Filius meus*. Sensus idem. Utrùm è duobus sit dictum, incertum est.

(5) Incipiens, non ætatis annum, sed palam prodire, prædicare, Messiam agere. *Quasi* autem, non vix, aut ferè, sed circiter, plus minùs. Unde hinc

certò conjici non potest, cujus præcisè fuerit ætatis Christus.

(6) *Eli* brevitatis causâ pro *Eliachim*; *Eliachim* autem apud Hebræos idem quod *Joachim*; pater erat Mariæ, non Joseph, cujus pater fuit Jacob, ut patet ex A. Dicitur autem hic de Joseph, *qui fuit Eli*, scilicet propter Mariam conjugem. Unde probabile est hanc esse Mariæ genealogiam ex posteritate Nathan, sicut ea quam refert A. c. 6 præced., est genealogia Joseph ex posteritate Salomonis. Adde quòd hic diversa sunt omnia nomina usque Nathan, ab iis quæ apud A, præter Salathiel et Zorobabel.

JEJUNIUM ET TENTATIO.

CAPUT XV.

Christus in deserto jejunans.

C. IV. 1. Jesus autem plenus Spiritu sancto egressus est à Jordane.

A. IV. 1. *Tunc Jesus (Dom. 1. Quadrag.) † ductus est in desertum à Spiritu,*

C. *Et agebatur à Spiritu in desertum.*

2 *Diebus quadraginta, et tentabatur à diabolo;*

B. 13. Et erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus; et tentabatur à Satanâ (1); eratque cum bestiis. C. Et nihil manducavit in diebus illis.

Et consummatis illis esuriit.

A. 2. Et cùm jejunàsset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.

1. *Tentatio.*

3. *Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.* 4. *Et respondit ad illum Jesus: Scriptum est, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* (5. Et duxit illum diabolus, infra.)

3. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. 4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Deo (*Dent.* 8, 3).

2. *Tentatio.*

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem Jerusalem, et statuit eum super pinnaculum templi, 6. Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsùm; scriptum est enim (*Ps.* 90, 11): Quia angelis suis mandavit de te, ut conservent te, et in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Jesus: Rursùm scriptum est (*Deut.* 6, 16): Non tentabis Dominum Deum tuum.

9. *Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsùm;* 10. *Scriptum est enim, quòd angelis suis mandavit de tent conservente;* 11. *Et quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* 12. *Et respondens Jesus ait illi: Dictum est, non tentabis Dominum Deum tuum* (2). (13. Et consummata, infra).

4.

5. *Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ.*

A. 9. *Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo,*

Si cadens adoraveris me.

C. 8. *Et respondens Jesus dixit illi* (3): *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* (9. Et duxit, supra.)

A. 11. *Tunc reliquit eum diabolus;*

B. *Et angeli ministrabant illi.* (14. Postquàm autem, c. 23.)

3. *Tentatio.*

8. Iterùm assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè; et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum

C. In momento temporis; 6. Et ait illi: Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum; quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa. 7. Tu ergo *si cadens* adoraveris coram me, erunt tua omnia.

A. 10. Tunc dicit ei Jesus: Vade, Satana; scriptum est enim (*Deut.* 6, 13): Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

C. 13. Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. (14. *Et regressus est, c.* 24.)

A. Et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei. ¶. (12. *Cùm autem, c.* 25.)

(1) Quidam propter hæc verba B et C Christum arbitrantur per istos 40 dies tentatum fuisse: alii verisimiliùs negant ex A, tum quia pro, *tentabatur*, apud B et C Græcum habet, πειραζόμενος, *tentatus*; tum quia constat B totam tentationem compendio tantùm tetigisse: C verò hic videtur generatim tractare tentationem, quam postea sigillatim, et per singula describit.

(2) Duæ ultimæ tentationes vulgò apud C inverse leguntur, ideò eas reduximus ad A, qui passim per hæc verba, *tunc, iterùm*, satis ordinem servâsse significat.

(3) Plerique Græci codices habent etiam hic: *Vade post me, Satana*; ex quo satis constaret hanc esse tertiam tentationem, nisi hæc verba perperam viderentur hic addita ex A, cùm ea in C non agnoscant nec Syrus, nec Origenes, nec Ambrosius, nec quisquam Græcorum Theophilacto antiquior.

II. ET III. TESTIMONIUM JOANNIS DE CHRISTO (v. 1, c. 13, *n.* 5 *et* 4, *c.* 21).

CAPUT XVI.

1. 2. *Testimonium ad Judæorum legatos.*

D. I. 15. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est; quia prior me erat. 16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratiâ; 17. Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est (1 *Tim.* 6, 17). 18. Deum nemo vidit unquàm: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit (1 *Tim.* 6, 16; 1 *Joan.* 4, 12). 19. Et hoc est testimonium Joannis, quando (*Dom.* 3 *adv.*) miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? 20. Et confessus est, et non negavit: et confessus est, quia non sum ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. 22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? 23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta (*c.* 40, 3). 24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. 25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? 26. Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aquâ; medius autem vestrùm stetit quem vos nescitis (A, B, C, 1, *n.* 5. *Act.* 1, 5). 27. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. 28. Hæc in Bethaniâ (1) facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans ¶.

2. 3. *Testimonium.*

29. Alterâ die (2) (*in oct. Epiph.*) vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est; quia prior me erat; 31. Et ego nesciebam eum; sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aquâ baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi (3) Spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum (A, B, C, 14, *n.* 1). 33. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. 34. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei. ¶.

(1) Alii lecto juxta Græcum, *Bethabara*, id est, *domus transitûs*; quia hic Jordanis trajiciebatur, vel olim ab Israelitis trajectus fuerat, Jos. 3. Certè locus de quo hic agitur, à Bethaniâ, de quâ aliàs in Evang. fit mentio, multùm diversus est; qui tamen et Bethania dici potuit.

(2) Postridiè legationis Judæorum.

(3) Hinc constat ista post Christi baptismum et jejunium contigisse, et Dominum post jejunium rediisse ad locum ubi Joannes baptizabat.

DISCIPULI PRIMUM A CHRISTO VOCATI.

CAPUT XVII.

1. 1. *Vocatio Petri et Andreæ* (*vide* 2, *c.* 26).

D. I. 35. Alterâ die iterùm stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. 36. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. 37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. 38. Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei; Rabbi,

quod dicitur interpretatum, magister, ubi habitas? 39. Dicit eis: Venite et videte. Venerunt et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo (1): hora autem erat quasi decima. 40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant à Joanne, et secuti fuerant eum. 41. Invenit hic primùm fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus. 42. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus.

2. *Philippus et Nathanael.*

43. In crastinum (2) voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me. 44. Erat autem Philippus à Bethsaidâ civitate Andreæ et Petri. 45. Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege (*Gen.* 49, 10; *Deut.* 18, 18); et prophetæ (*Isa.* 40, 10; 45, 8; *Jerem.* 23, 5; *Ezech.* 34, 23; 37, 24; *Dan.* 9, 24, 25), invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, et vide. 47. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael: Unde me nôsti? Respondit Jesus, et dixit ei: Priusquàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. 49. Respondit ei Nathanael, et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. 50. Respondit Jesus, et dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis; majus his videbis. 51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

(1) Videtur significare eos postea rediisse ad sua, ut fecerunt. Nam statim sequitur, Andream invenisse fratrem suum. Nunc tamen vocatos, assumptos fuisse in familiam et continuum comitatum Christi, inde apparet, quòd hic Simon acceperit nomen Petri, sitque hic absoluta vocatio et assumptio Philippi; et ex Joannis narratione constat, ex hoc Dominum habuisse continuos discipulos, imò et inter hos fuisse ipsum Joannem et Jacobum, quamvis nec se, nec fratrem hic nominet. Constat enim ex 1 Act. à Joannis baptismate Dominum habuisse valdè multos discipulos, vixque potest esse dubium, quin hi et primi, et maximè continui fuerint, quique semper sint comitati, ac omnia viderint, etiam quæ primo anno gesta sunt. Et Joannes nonnisi à se visa miracula narrare videtur.

(2) Postero die ex quo Petrus ad Christum accesserat.

NUPTIÆ IN CANA.

CAPUT XVIII.

D. II. 1. Et die tertiâ (1) (*Dom.* 2 *post Epiph.*), † nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ; et erat mater Jesu ibi. 2. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. 4. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondùm venit hora mea. 5. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

7. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aquâ ; et impleverunt eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino ; et tulerunt. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam : vocat sponsum architriclinus, 10. Et dicit ei : Omnis homo primùm bonum vinum ponit ; et cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est ; tu autem servâsti bonum vinum usque adhuc. 11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Canâ Galilææ ; et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus ¶.

(1) A profectione in Galilæam : ab eo enim loco in quo Christus erat prope Jordanem, usque ad urbem Cana, facilè iter bidui.

PRIMUM PASCHA (*v.* 2, *c.* 57, 3, *c.* 58, 4, *c.* 128).

EJECTI VENDENTES. TEMPLUM SOLVENDUM.

CAPUT XIX (*v.* 2, *c.* 110).

1. *Ejectio prima è Templo.*

D. II. 12. Post hoc descendit Capharnaum (1) ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus : et ibi manserunt non multis diebus. 13. Et (*Fer. post Dom. 4 Quadrag.*) † propè erat pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam ; 14. Et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes. 15. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit. 16. Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt verò discipuli ejus quia scriptum est (*Ps.* 68, 10) : Zelus domûs tuæ comedit me.

2. *Templum solvendum.*

18. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis quia hæc facis ? 19. Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (A, B, 158, *n.* 4 *et* 145, *n.* 7). 20. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus quia hoc dicebat ; et crediderunt Scripturæ (*Ps.* 5, 6, *et* 56, 9), et sermoni quem dixit Jesus. 23. Cùm autem esset Jerosolymis in Pascha (2) in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat. 24. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nôsset omnes ; 25. Et quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine ¶.

(1) Primus accessus Capharnaum quasi habitandi causâ : infra tamen quandò faciemus mentionem primi aut secundi accessûs Capharnaum, non hunc intelligimus primum, nec ab hoc computamus ; sed ab eo quo apertè delegit habitationem in Capharnaum, misso Joanne in carcerem, post reditum ex Judæâ.

(2) Ex his videtur non diù fuisse Jerosolymis.

COLLOQUIUM CUM NICODEMO.

CAPUT XX.

D. III. 1 (*in invent. S. Crucis*). † Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. 2. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa (1) facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò (2), non potest videre regnum Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodò potest homo nasci, cùm sit senex ? Numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, et renasci ? 5. Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quòd natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuò ? 8. Spiritus ubi vult spirat ; et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quò vadat ; sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodò possunt hæc fieri ? 10. Respondit Jesus, et dixit ei : Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis ; 12. Si terrena dixi vobis, et non creditis ; quomodò, si dixero vobis cœlestia, credetis ? 13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui est in cœlo. 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto (*Num.* 21, 9) ; ita exaltari oportet Filium hominis ; 15. Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam ¶. 16. (*Fer. 2 post Dom. Pentec.*). † Sic enim Deus dilexit mundum (1 *Joan.* 4, 9), ut Filium suum unigenitum daret ; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum (D., 110, *n.* 7), ut judicet mundum ; sed ut salvetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non judicatur ; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem ; erant enim eorum mala opera ; 20. Omnis enim qui malè agit, odit lucem ; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta ¶.

(1) Hinc intelligitur Dominum etiam primo anno multa signa fecisse, licèt non tam aperté, nec tanto hominum concursu ; pauca autem, aut nulla potiùs scripta sunt eorum quæ primo anno fecit in Judæâ.

(2) Gr. ἄνωθεν, sicut et seq. v. 7, vox ambigua, quæ aliquando significat *iterùm, denuò*, ut ad Gal. 4, 9, aliquandò, et sæpiùs *supernè, desuper*, ut D. seq. v. 31, ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, *qui desuràm venit*. Sed hic haud dubiè est *iterùm*, ut accipit noster interpres ; quod ex Nicodemi responsione apparet, qui ambiguitate vocis falli non potuit, cùm ambiguitas illa non esset in Syriaco.

TESTIMONIUM IV JOANNIS DE CHRISTO (*v.* 1, *c.* 15, *n.* 5, 2 *et* 3, *c.* 16).

CAPUT XXI.

D. III. 22. Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judæam (1) ; et illic demorabatur cum eis et baptizabat. 23. Erat autem et Joannes baptizans in Aenon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic ; et veniebant, et baptizabantur : 24. Nondùm enim missus fuerat Joannes in carcerem. 25. Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione. 26. Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Joannes, et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo : 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd dixerim : Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam sponsus est ; amicus autem sponsi qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi ; hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. 31. Qui desursùm venit, super omnes est. Qui est de terrâ, de terrâ est, et de terrâ loquitur ; qui de cœlo venit, super omnes est ; 32. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur ; et testimonium ejus nemo accipit. 33. Qui accepit ejus testimonium, signavit (*Rom.* 3, 4), quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur : non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium ; et omnia dedit in manu ejus. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam (1 *Joan.* 5, 10) ; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam ; sed ira Dei manet super eum. (IV. 1. *Ut ergo, c.* 23.).

(1) Hoc est, ex Jerosolymis in agrum tribûs Juda ; sæpè enim γῆ vel χώρα opponitur oppidis.

INCARCERATIO JOANNIS (*An. Ch.* 32).

Hic ponenda fuit incarceratio, licèt nullus Evang. hoc loco narret ; quia secessus, quem statim superioribus subjiciunt D, A *et* B, *testatur ipsam jam contigisse.*

CAPUT XXII.

C. III. 19. Herodes autem (1) tetrarcha cùm corriperetur ab illo (Joanne) de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis quæ fecit Herodes, 20. Adjecit et hoc super omnia.

A. XIV. 3. *Herodes enim tenuit Joannem,*

C. *Et inclusit Joannem in carcere.* (21 Factum est, *c.* 14.)

B. VI. 17. Ipse enim (*in decol. S. Joan.*) Herodes misit, ac tenuit Joannem,

B. *Et vinxit eum in carcere,*

A. Et alligavit eum ; et posuit in carcerem,

A. *Propter Herodiadem uxorem fratris sui.* 4. *Dicebat enim illi Joannes : Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*Levit. tibi habere vii.* 16, 18, 16.) *eam.*

B. Propter Herodiadem uxorem (2) Philippi fratris sui (3), quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Joannes Herodi : non licet tibi habere uxorem fratris tui (*Levit. tibi habere vii.* 16, 18, 16.)

A. 5. Et volens illum occidere, timuit populum : quia sicut prophetam eum habebant. (6. *Die autem, c.* 55.)

B. 19. Herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat (4) eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. (21. *Et cùm dies, c.* 55.)

(1) C. Anticipavit incarcerationem. A et B, occasione decollationis ea simul narrant ; itaque nullius Evangelistarum narratio hic cohæret, et aperta est causa interruptionis.

(2) Josephus aliam causam affert, metum scilicet novationis rerum, quod verisimile est Pharisæos suggessisse Herodi, et eorum invidiâ et auctoritate captum Joannem : alioquì enim Herodes nec capere fuisset ausus. Idque postea significat Dominus, *c.* 67.

(3) Sic etiam in Græco A et C, Is autem Philippus, non tetrarcha Trachonitidis, de quo C. eod., *c.* 3, sed alius Herodis item Magni filius, ex Mariamne Simonis pontificis filiâ, quem Josephus Herodem nominat ; quare binominis fuerit necesse est, sicut et Herodes qui Joannem occidit, vocabatur Herodes et Antipater, aut Antipas.

(4) Græcè συνετήρει, quod verè potest, *observabat*, id est, *colebat, venerabatur* ; sed tamen, ad placendum Herodiadi, cupiebat eum occidere ; quod ne faceret et sanctitas Joannis, et metus populi prohibebant.

SECESSUS E JUDÆA SAMARITANA.

A *et* D *diversas videntur causas secessûs in Galilæam reddere ; sed in hâc conveniunt, ut scilicet Jesus cederet invidiæ Pharisæorum, qui auctores fuerant Herodi ut Joannem comprehenderet, quia plures quàm ipsi discipulos faciebat ; itaque non dubitandum quin idem sit secessus à 4 Evangelistis significatus.*

CAPUT XXIII.

1. *Secessus.*

A. IV. 12. *Cùm autem audisset Jesus,*

D. IV. 1. Ut ergo cognovit Jesus,

B. I. 14. *Postquàm autem traditus est Joannes* (venit Jesus, *c.* seq.).

A. Quòd Joannes traditus esset, *et* (1)

D. Quia audierunt Pharisæi quòd Jesus plures discipulos facit et baptizat quàm Joannes (2). 2. Quanquàm Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. 3. Reliquit Judæam, et ablit iterùm in Galilæam (5). 4. Oportebat autem eum transire per Samariam.

A. *Secessit in Galilæam.* (13. Et relictâ, *c.* 24.)

2. *Christus cum Samaritanâ.*

5. (*Fer. 6 post Dom. 3 Quadr.*) † Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob Joseph (*Gen.* 33, 19, *et* 48, 22 ; *Jos.* 24, 32) filio suo ; 6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem ; hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samariâ haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere ; 8. Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos eme-

rent. 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodò tu Judæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana ? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis.

5. *Aqua viva.*

10. Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan (4) petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est ; unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus? 13. Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aquâ hâc sitiet iterùm ; qui autem biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : 14 : Sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam hùc haurire. 16. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni hùc. 17. Respondit mulier, et dixit : Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Benè dixisti, quia non habeo virum : 18. Quinque enim viros habuisti et nunc quem habes non est tuus vir ; hoc verè dixisti.

4. *Veri adoratores.*

19. Dicit ei mulier : Domine, video quia propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet (*Deut.* 12, 5). 21. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis (1 *Reg.* 17, 33 *et seq.*) ; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est : 23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate : nam et Pater tales quærit qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus (1 *Cor.* 3, 17) ; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus : cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum.

5. *Mulier prædicans Christum.*

27. Et continuò venerunt discipuli ejus ; et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum eâ? 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus : 29. Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci ; numquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.

6. *Cibus Christi voluntas Dei.*

31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. 35. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt (5), et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jàm ad messem : 36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam ; ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum : quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. 38. Ego misi vos metere, quod vos non laborâstis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introîstis.

7. *Fides Samaritanorum.*

39. Ex civitate autem illâ multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci. 40. Cùm venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret : et mansit ibi duos dies : 41. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. 42. Et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus ; ipsi enim audivimus et scimus quia hic est verè Salvator mundi. ¶.

(1) Hùc usque ne unus quidem apex Evangelistis additus est ; hic autem nullatenùs connecti potuit contextus sine additione hujus particulæ (*et*) quod nusquàm aliàs.

(2) Intellige, quàm baptizâsset, non, quàm baptizabat ; tunc enim erat tradîtus.

(3) Cùm Christus fugeret sævitiam Herodis, mirum est eum in Galilæam secessisse, quæ Herodi parebat. Verùm secessit in partem Galilææ maritimam, in quâ Bethsaida et Capharnaum, quæ non Herodi, sed Philippo ejus fratri obvenerat, ut patet ex Josepho, Antiq. lib. 18, c. 3.

(4) Græcum hic non habet, *forsitan.*

(5) Hæc contigerunt circa brumam ; messis enim incipiebat ad Pascha, vel paulò post, ut constat ex c. 3 Josuæ ; et verisimile est hic intelligi plenam messem, quæ erat aliquandiù post Pascha. Itaque Dominus primo anno fuit circiter octo mensibus in Judæâ. Alii tamen locutionem hanc proverbialem esse aiunt, et non certum tempus designare.

Ingressus in Galilæam. Prædicatio. Fama.

CAPUT XXIV.

D. IV. 43. Post duos autem dies exiit inde (*Et abiit infra*).

A. IV. 43. Et relictâ (1) civitate Nazareth (*venit et habitavit, c.* 27).

D. 44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia propheta (2) in suâ patriâ honorem non habet (A, B, C, 54, *n.* 5).

B. I. Venit,

B. *Jesus in Galilæam.* D. *Et abiit in Galilæam.* (44. *Ipse enim, supra.*)

C. IV. 44. Et regressus est Jesus in virtute Spiritûs in Galilæam (3).

D. 45. Cùm ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo ; et ipsi enim venerant ad diem festum.

B. *Prædicans.*

A. IV. 17. Exinde cœpit Jesus prædicare

B. Evangelium regni Dei,

B. 15. *Et dicens.*

A. Et dicere :

B. Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei,

037.22

B. *Pœnitemini.*

A. Pœnitentiam agite,

B. Et credite Evangelio.

A. Appropinquavit enim regnum cœlorum.

C. Et fama exiit per universam regionem de illo. 15. Et ipse docebat (4) in Synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. (16. *Et venit Nazareth* (5), *c.* 54, *n.* 1.)

(1) Non quòd eam ingressus esset, et exiisset ; sed relictâ, hoc est, neglectâ Nazareth, in quâ tot annis habitaverat.

(2) Obiter significat D cur non iret Nazareth ; istud tamen testimonium videtur diù post esse dictum : sed verbum, perhibuit, non ad tempus rei narratæ, sed quo D hæc scribebat, pertinere potest. Hinc autem constat D et A eumdem accessum in Galilæam significare.

(3) Dominus hoc ingressu in Galilæam ostendit virtutem spiritûs, et cùm priùs fermè latuisset, cœpit magno hominum concursu concionari, publicèque se gerere pro Messiâ. Ideò non dubium quin C eumdem ingressum significet, scilicet post traditum Joannem.

(4) Id non fecit Dominus primo ingressu in Galilæam, sed secundo, capto Joanne ; ideò certùm est, eumdem accessum in Galilæam à quatuor Evang. significari.

(5) C subdit Nazareth, non quòd nunc Dominus eò iverit, sed ut commemoratione ejus quod postea accidit, insinuaret cur Dominus, relictâ Nazareth, iret Capharnaum habitaturus, quod D et A ante significârunt. Vobuit ergo C causam hic ponere quam A et B non expresserant.

Filius Reguli.

CAPUT XXV.

D. IV. 46. Venit ergo iterùm in Canâ Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et (*Dom.* 20 *post Pent.*) † erat quidam regulus (1), cujus filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cùm audisset quia Jesus adveniret à Judæâ in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus ; incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus : Domine, descende priusquàm moriatur filius meus. 50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, et ibat. 51. Jàm autem eo descendente servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in quâ meliùs habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri horâ septimâ reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater quia illâ horâ erat in quâ dixit ei Jesus : Filius tuus vivit. Et credidit ipse et domus ejus tota. ¶. 54. Hoc iterùm (2) secundum signum fecit Jesus, cùm venisset à Judæâ in Galilæam (*v.* 1. *Post hæc, c.* 37).

(1) Regulus, Græcè, βασιλικός ; Syro, minister regis ; Arabi, homo regis : quare sunt qui hunc regulum Herodis tetrarchæ, vel Philippi potiùs, in cujus ditione videtur fuisse Capharnaum, ministrum interpretentur, colligendis fortassè vectigalibus præpositum.

(2) Quia hoc cap. bis dicitur, *iterùm, et secundum signum*, intelligitur nihil sequentium præcessisse ; et hunc esse secundum accessum in Galilæam, qui esset tertius, si quod habetur cap. 21, *venit in terram Judææam*, intelligeretur de Galilæâ.

Vocatio Petri et Andreæ, Jacobi et Joannis.

Non dubium eamdem esse quatuor Apostolorum vocationem, à C prolixius, ab A verò et B compendio descriptam. Unde quia eos A et B visos simul et voce eos referunt, nullâ factâ mentione sermonis Christi de naviculâ, nec miraculi capturæ piscium, quæ tamen inter utrumque intercesserunt, ut patet ex C qui totam historiam exactiùs prosecutus est ; ideò lectiones eorum hic aliquatenùs invertere, atque ad faciliorem notitiam, nonnulla quæ subaudiuntur, distinctis characteribus supplere necessarium duximus.

CAPUT XXVI.

1. *Piscatores visi à Christo.*

B. I. 16. *Et præteriens secùs mare Galilææ, vidit Simonem et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, erant enim piscatores.* (17. Et dixit eis, infra, *n.* 3.)

A. IV. 18 (*in festo S. Andreæ*). † Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream, fratrem ejus, mittentes rete in mare, erant enim piscatores. (19. *Et ait illis, infra, n.* 3.)

19. *Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi.* (20. Et statim (1), infra, *n.* 3.)

21. Et procedens inde *pusillum*, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua. (*Et vocavit eos, infra, n.* 3.)

C. V. 1 (*Dom. 4 post Pent.*). † Factum est autem, cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secùs stagnum Genezareth (2). 2. Et vidit duas naves stantes secùs stagnum ; piscatores autem descenderant, et lavabant retia (3). 3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terrâ reducere pusillum. Et sedens docebat de naviculâ turbas.

2. *Piscatio miraculosa* (*v.* 2, *c.* 148, *n.* 1).

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. 5. Et respondens Simon dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. 6. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam ; rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt sociis qui erant in aliâ navi, ut venirent, et adjuvarent eos ; et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur. 8. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens : Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captură piscium quam ceperant ; 10. Similiter autem Jacobum et Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus : Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens.

3. *Piscatorum vocatio.*

B. 17. *Et dixit eis Jesus : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.*

A. 19. Et ait illis (*Simoni et Andreæ*) : Venite post me, et faciam vos piscatores hominum. 20. At illi, continuò relictis retibus, se-

minum 18. *Et reclinka relictis retibus secuti sunt eum.* (19. Et progressus, *supra*, n. 1.)

A. *et vocavit eos.* B. 20. Et statim vocavit illos *alios duos fratres Jacobum et Joannem* (*supra*, *n.* 1).

A. 22. Illi autem, statim relictis retibus,

C. 11. Et subductis ad terram navibus (4),

Et patre secuti sunt eum ¶. (23. et circuibat, c. 40, n. 1.)

B. Et relictò patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis,

B. *Secuti sunt eum.* C. Relictis omnibus secuti sunt eum ¶. (12. *Et factum est*, c. 44.)

(1) Non quòd simul atque vidit, eos vocaverit; vidit enim primùm, postea editum miraculum capturæ piscium; ac tum vocati, et secuti Christum quatuor Apostoli, ut patet ex C.

(2) Stagnum Genezareth, mare Galilææ, mare Tiberiadis, varia sunt nomina ejusdem lacûs.

(3) Ut id concilietur cum A et B, intelligendum videtur, navibus subductis piscatores alios aliis fuisse ministerûs distentos, ut fieri solet; fuisse qui purgarent retia, fuisse qui resarcirent; quòsdam et ex littore expertos num quid capere possent; itaque partem eorum in navibus fuisse, partem in littore.

(4) Verisimile est Jacobum et Joannem unam tantùm navim habuisse, sicut Petrum et Andream; hùc autem adduximus ex C, in plurali, *subductis navibus*, quia hæc circumstantia, quæ satis notatu digna est, æquè de quatuor Apostolis dicitur, et quia sequendo hunc ordinem vocationis eorum, alibi commodiùs non potuit collocari.

INGRESSUS CAPHARNAUM. DOCTRINA. SPIRITUS IMMUNDUS.

CAPUT XXVII.

C. IV. 31. Et descendit,

B. I. 21. *Et ingrediuntur Capharnaum;*

A. IV. 15. Venit, et habitavit in Capharnaum maritimâ, *civitate Galilææ*, in finibus Zabulon et

C. *In Capharnaum civitatem Galilææ,*

Nephtalim: 14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam (*c.* 9, *v.* 1): 15. Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium: 16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. (17. *Exinde cœpit*, *c.* 24)

C. *Ibique docebat illos sabbatis.* 32. *Et stupebant in doctrinâ ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.* 33. *Et in synagogâ erat homo habens dæmonium immundum,*

B. Et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. 22. Et stupebant super doctrinâ ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. 23. Et erat in synagogâ eorum homo in spiritu immundo;

B. *Et exclamavit,* 24. *Dicens: Quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.*

C. Et exclamavit voce magnâ, 34. Dicens: Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpavit illum,

C. *Jesus, dicens: Obmutesce, et exi ab eo.*

B. 25. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, et exi de homine. 26. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magnâ,

B. *Exiit ab eo.*

C. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus,

B. 27. Et mirati sunt

C. Et colloquebantur ad invicem

C. *Dicentes.*

B. Omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc?

C. Quod est hoc verbum? ·

B. Quænam doctrina hæc nova?

B. *Quia in potestate*

C. Quia in potestate et virtute

C. *Imperat immundis spiritibus,*

B. Etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei,

C. Et exeunt?

B. 28. Et processit rumor ejus statim,

B. *In omnem regionem.*

C. 37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

B. Galilææ.

SOCRUS SIMONIS. OMNES MALÈ HABENTES.

Constat ex B *et* C *istud contigisse proximè post præcedens, imò, ut apparet, eodem die. A autem post sermonem in monte, cùm narrâsset Dominum ingressum Capharnaum sanâsse servum Centurionis, ea occasione redìit ad ea narranda quæ post primum ingressum contigerunt. Vide titul. cap. seq.*

CAPUT XXVIII.

C. IV. 38. (*Fer.* 5 *post Dom.* 3 *Quadr.; et sabb.* 4 *temp. Pentec.*) † *Surgens autem Jesus de synagogâ introvit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur.*

B. I. 29. Et protinùs egredientes de synagogâ, venerunt in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne.

B. 30. *Decumbebat autem socrus Simonis febricitans.*

A. VIII. 14. Et cùm venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem.

C. Magnis febribus.

B. Et statim dicunt ei de illâ,

C. Et rogaverunt illum pro eâ.

A. 15. *Et tetigit manum ejus:*

B. 31. Et accedens elevavit eam, apprehensâ manu ejus:

C. 39. Et stans super illam imperavit febri.

et dimisit eam febris,

B. Et continuò dimisit eam febris:

C. *Et dimisit illam: et continuò surgens ministrabat illis.*

A. Et surrexit, et ministrabat eis.

B. *Et ministrabat eis.*

B. 52. Vespere autem facto cùm occidisset sol,

A. 16. *Vespere autem facto,*

A. Obtulerunt ei multos dæmonia habentes; et

C. 40. *Cùm autem sol occidisset,*

C. Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.

B. *Afferebant ad eum omnes malè habentes, et dæmonia habentes,*

B. 53. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

B. 34. *Et curavit multos,*

C. At ille singulis manus imponens, curabat eos

B. Qui vexabantur variis languoribus; et

dæmonia multa ejiciebat.

A. Ejiciebat spiritus verbo; et omnes malè habentes curavit. 57. ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem (*c.* 53, *v.* 4.): Ipse infirmitates nostras accepit; et ægrotationes nostras p rtavit. (18. *Videns autem*, *c.* 50.)

Et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

C. 41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, et dicentia: Quia tu es Filius Dei; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

EGRESSUS IN DESERTUM. PRIMA PERAGRATIO GALILÆÆ.

(V. 2, c. 56, n. 1.)

Ex B *et* C *constat hunc egressum contigisse ante reprehensionem scribæ, licèt eam* A *proximè superioribus subjungat: hæc enim adeò continuè narrantur à* B, *ut videatur Dominus ipso die ingressûs Capharnaum docuisse, et omnia hactenùs narrata (ecisse, et postridiè mane egressus. Non tamen hæc sic accipienda; et Dominum non diù quidem, sed aliquandiù tamen mansisse, et aliquoties docuisse, intelligitur ex eo quòd* B *et* C *ad ingressum dicunt:* Et docebat eos sabbatis; *præterquam quòd verisimile non est, Dominum unicâ nocte hausisse Capharnaï, præsertim cùm eo venisset habilandi causâ. Vide titulum cap. seq.*

CAPUT XXIX.

C. IV. 42. *Factâ autem die egressus ibat in desertum locum.*

B. I. 35. Et diluculò valdè surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. 36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant. 37. Et cùm invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. 38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem; ad hoc enim veni. C. Et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum; et detinebant illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideò missus sum.

C. 44. *Et erat prædicans in synagogis Galilææ* ¶. (V. 1. Factum est autem, c. 26.)

B. 39. Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilææ, et dæmonia ejiciens. (4° *Et tenet ad eum*, *c.* 44.)

REPREHENSIO TRIUM.

Hæc reprehensio et accessus ad mare, cum sedatione tempestatis, et historiâ porcorum, ita cohærent apud A, *ut sejungi non possint. Et hæc contigisse in dictâ peragratione, antequàm Dominus rediret Capharn., pòst certum est ex* A, *et magis ex eo quòd nihil eorum quæ* B *et* C *narrant usque ad sedationem tempestatis, possit ipsum hanc sedationem præcedere, ut suis locis videbitur. Fuerunt itaque hic interrumpendæ narrationes* B *et* C, *et sequenda narratio* A, *qui reversus ad ea quæ post primum ingressum Capharn. contigerunt, multa ordine narrat. Egressûs autem in desertum mentionem non fecit, quia jam c.* 4 *sui Evang. vers.* 25 *generaliter descripserat dictam peragrationem quæ cœpit ab hoc egressu.*

CAPUT XXX.

A. VIII. 18. Videns autem Jesus turbas multas circùm se, jussit ire trans fretum (1). 19. [et]

C. IX. 57. Factum est autem: ambulantibus illis in viâ (2),

C. *Dixit quidam ad illum: Sequar te quòcumque ieris.* 58. *Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

A. Accedens unus scribæ, ait illi: Magister, sequar te quòcumque ieris. 20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

C. 59. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem

dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, et sepelire patrem meum. 60. *Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos:*

A. 21. Alius (autem) de discipulis ejus, ait illi: Domine, permitte me primùm ire, et sepelire patrem meum. 22. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos:

C. Tu autem vade, et annuntia regnum Dei. 61. Et ait alter: Sequar te, Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei. (X. 1, *Post hæc autem*, c. 79, n. 1.)

(1) Cùm jussisset Dominus discipulos parare se ad transfretandum, in itinere accessit scriba.

(2) Loquitur quidem C de viâ quâ Dominus ascendebat Jerusalem; et vix dubium quin aliquid eorum quæ narrat, ut fortè quòd de tertio, in hàc viâ contigerit; sed quia ejus occasione etiam reprehensionem scribæ conjungit, quæ nunc in viâ hâc ad mare contigit, has tres reprehensiones, licèt diversis temporibus et locis contigerint, hic collocandas putavimus.

TEMPESTAS SEDATA.

Quòd sit eadem tempestas ab A, B *et* C *descripta, patet ex eo quod in singulis terminus transfretationis sit oppidum in regionem Geracenorum, ubi dæmones in porcos expulsi. Quòd autem in transfreta-*

minum 18. *Et reclinka relictis retibus secuti sunt eum.* (19. Et progressus, *supra*, n. 1.)

A. *et vocavit eos.* B. 20. Et statim vocavit illos *alios duos fratres Jacobum et Joannem* (*supra*, *n.* 1).

A. 22. Illi autem, statim relictis retibus,

C. 11. Et subductis ad terram navibus (4),

Et patre secuti sunt eum ¶. (23. et circuibat, c. 40, n. 1.)

B. Et relictò patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis,

B. *Secuti sunt eum.* C. Relictis omnibus secuti sunt eum ¶. (12. *Et factum est*, c. 44.)

(1) Non quòd simul atque vidit, eos vocaverit; vidit enim primùm, postea editum miraculum capturæ piscium; ac tum vocati, et secuti Christum quatuor Apostoli, ut patet ex C.

(2) Stagnum Genezareth, mare Galilææ, mare Tiberiadis, varia sunt nomina ejusdem lacûs.

(3) Ut id concilietur cum A et B, intelligendum videtur, navibus subductis piscatores alios aliis fuisse ministerûs distentos, ut fieri solet; fuisse qui purgarent retia, fuisse qui resarcirent; quòsdam et ex littore expertos num quid capere possent; itaque partem eorum in navibus fuisse, partem in littore.

(4) Verisimile est Jacobum et Joannem unam tantùm navim habuisse, sicut Petrum et Andream; hùc autem adduximus ex C, in plurali, *subductis navibus*, quia hæc circumstantia, quæ satis notatu digna est, æquè de quatuor Apostolis dicitur, et quia sequendo hunc ordinem vocationis eorum, alibi commodiùs non potuit collocari.

INGRESSUS CAPHARNAUM. DOCTRINA. SPIRITUS IMMUNDUS.

CAPUT XXVII.

C. IV. 31. Et descendit,

B. I. 21. *Et ingrediuntur Capharnaum;*

A. IV. 15. Venit, et habitavit in Capharnaum maritimâ, *civitate Galilææ*, in finibus Zabulon et

C. *In Capharnaum civitatem Galilææ,*

Nephtalim: 14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam (*c.* 9, *v.* 1): 15. Terra Zabulon, et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium: 16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. (17. *Exinde cœpit*, *c.* 24)

C. *Ibique docebat illos sabbatis.* 32. *Et stupebant in doctrinâ ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.* 33. *Et in synagogâ erat homo habens dæmonium immundum,*

B. Et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. 22. Et stupebant super doctrinâ ejus: erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. 23. Et erat in synagogâ eorum homo in spiritu immundo;

B. *Et exclamavit,* 24. *Dicens: Quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.*

C. Et exclamavit voce magnâ, 34. Dicens: Sine, quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpavit illum,

C. *Jesus, dicens: Obmutesce, et exi ab eo.*

B. 25. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, et exi de homine. 26. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magnâ,

B. *Exiit ab eo.*

C. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus,

B. 27. Et mirati sunt

C. Et colloquebantur ad invicem

C. *Dicentes.*

B. Omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes: Quidnam est hoc?

C. Quod est hoc verbum? ·

B. Quænam doctrina hæc nova?

B. *Quia in potestate*

C. Quia in potestate et virtute

C. *Imperat immundis spiritibus,*

B. Etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei,

C. Et exeunt?

B. 28. Et processit rumor ejus statim,

B. *In omnem regionem.*

C. 37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

B. Galilææ.

SOCRUS SIMONIS. OMNES MALÈ HABENTES.

Constat ex B *et* C *istud contigisse proximè post præcedens, imò, ut apparet, eodem die. A autem post sermonem in monte, cùm narrâsset Dominum ingressum Capharnaum sanâsse servum Centurionis, ea occasione redìit ad ea narranda quæ post primum ingressum contigerunt. Vide titul. cap. seq.*

CAPUT XXVIII.

C. IV. 38. (*Fer.* 5 *post Dom.* 3 *Quadr.; et sabb.* 4 *temp. Pentec.*) † *Surgens autem Jesus de synagogâ introvit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur.*

B. I. 29. Et protinùs egredientes de synagogâ, venerunt in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne.

B. 30. *Decumbebat autem socrus Simonis febricitans.*

A. VIII. 14. Et cùm venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem.

C. Magnis febribus.

B. Et statim dicunt ei de illâ,

C. Et rogaverunt illum pro eâ.

A. 15. *Et tetigit manum ejus:*

B. 31. Et accedens elevavit eam, apprehensâ manu ejus:

C. 39. Et stans super illam imperavit febri.

et dimisit eam febris,

B. Et continuò dimisit eam febris:

C. *Et dimisit illam: et continuò surgens ministrabat illis.*

A. Et surrexit, et ministrabat eis.

B. *Et ministrabat eis.*

B. 52. Vespere autem facto cùm occidisset sol,

A. 16. *Vespere autem facto,*

A. Obtulerunt ei multos dæmonia habentes; et

C. 40. *Cùm autem sol occidisset,*

C. Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.

B. *Afferebant ad eum omnes malè habentes, et dæmonia habentes,*

B. 53. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

B. 34. *Et curavit multos,*

C. At ille singulis manus imponens, curabat eos

B. Qui vexabantur variis languoribus; et

dæmonia multa ejiciebat.

A. Ejiciebat spiritus verbo; et omnes malè habentes curavit. 57. ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem (*c.* 53, *v.* 4.): Ipse infirmitates nostras accepit; et ægrotationes nostras p rtavit. (18. *Videns autem*, *c.* 50.)

Et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

C. 41. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, et dicentia: Quia tu es Filius Dei; et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

EGRESSUS IN DESERTUM. PRIMA PERAGRATIO GALILÆÆ.

(V. 2, c. 56, n. 1.)

Ex B *et* C *constat hunc egressum contigisse ante reprehensionem scribæ, licèt eam* A *proximè superioribus subjungat: hæc enim adeò continuè narrantur à* B, *ut videatur Dominus ipso die ingressûs Capharnaum docuisse, et omnia hactenùs narrata (ecisse, et postridiè mane egressus. Non tamen hæc sic accipienda; et Dominum non diù quidem, sed aliquandiù tamen mansisse, et aliquoties docuisse, intelligitur ex eo quòd* B *et* C *ad ingressum dicunt:* Et docebat eos sabbatis; *præterquam quòd verisimile non est, Dominum unicâ nocte hausisse Capharnaï, præsertim cùm eo venisset habilandi causâ. Vide titulum cap. seq.*

CAPUT XXIX.

C. IV. 42. *Factâ autem die egressus ibat in desertum locum.*

B. I. 35. Et diluculò valdè surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. 36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant. 37. Et cùm invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. 38. Et ait illis: Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem; ad hoc enim veni. C. Et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum; et detinebant illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia ideò missus sum.

C. 44. *Et erat prædicans in synagogis Galilææ* ¶. (V. 1. Factum est autem, c. 26.)

B. 39. Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilææ, et dæmonia ejiciens. (4° *Et tenet ad eum*, *c.* 44.)

REPREHENSIO TRIUM.

Hæc reprehensio et accessus ad mare, cum sedatione tempestatis, et historiâ porcorum, ita cohærent apud A, *ut sejungi non possint. Et hæc contigisse in dictâ peragratione, antequàm Dominus rediret Capharn., pòst certum est ex* A, *et magis ex eo quòd nihil eorum quæ* B *et* C *narrant usque ad sedationem tempestatis, possit ipsum hanc sedationem præcedere, ut suis locis videbitur. Fuerunt itaque hic interrumpendæ narrationes* B *et* C, *et sequenda narratio* A, *qui reversus ad ea quæ post primum ingressum Capharn. contigerunt, multa ordine narrat. Egressûs autem in desertum mentionem non fecit, quia jam c.* 4 *sui Evang. vers.* 25 *generaliter descripserat dictam peragrationem quæ cœpit ab hoc egressu.*

CAPUT XXX.

A. VIII. 18. Videns autem Jesus turbas multas circùm se, jussit ire trans fretum (1). 19. [et]

C. IX. 57. Factum est autem: ambulantibus illis in viâ (2),

C. *Dixit quidam ad illum: Sequar te quòcumque ieris.* 58. *Dixit illi Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.*

A. Accedens unus scribæ, ait illi: Magister, sequar te quòcumque ieris. 20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

C. 59. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem

dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, et sepelire patrem meum. 60. *Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos:*

A. 21. Alius (autem) de discipulis ejus, ait illi: Domine, permitte me primùm ire, et sepelire patrem meum. 22. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos:

C. Tu autem vade, et annuntia regnum Dei. 61. Et ait alter: Sequar te, Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei. (X. 1, *Post hæc autem*, c. 79, n. 1.)

(1) Cùm jussisset Dominus discipulos parare se ad transfretandum, in itinere accessit scriba.

(2) Loquitur quidem C de viâ quâ Dominus ascendebat Jerusalem; et vix dubium quin aliquid eorum quæ narrat, ut fortè quòd de tertio, in hàc viâ contigerit; sed quia ejus occasione etiam reprehensionem scribæ conjungit, quæ nunc in viâ hâc ad mare contigit, has tres reprehensiones, licèt diversis temporibus et locis contigerint, hic collocandas putavimus.

TEMPESTAS SEDATA.

Quòd sit eadem tempestas ab A, B *et* C *descripta, patet ex eo quod in singulis terminus transfretationis sit oppidum in regionem Geracenorum, ubi dæmones in porcos expulsi. Quòd autem in transfreta-*

tione contigerit de quâ cap. præced., constat ex A. *Nam quòd* B *et* C *de eâ post parabolas tantùm mentionem habeant, nihil facit; certum est enim dictas esse has parabolas post Matthæi vocationem, et post sermonem in monte, hanc verò tempestatem antè contigisse. Item quòd* B *dicit, in aliâ die, cùm verò esset factum, explicatur per* C, *qui eumdem ordinem secutus est in hæc verba : Factum est in unâ dierum; et familiare est Evangelistis passim ejusmodi formulis : Illo die, illo tempore, tunc, etc., non significare tempus rei proximè narratæ, sed narrandæ, potius, vel aliud indeterminatè. Nota etiam cùm verisimile sit dictas parabolas habitas esse à Christo ad idem littus, propè quod longè antè orta erat, et sedata hæc tempestas, ea occasione* B *tempestatis historiam ad parabolas adhibuisse.*

CAPUT XXXI.

B. IV. 35. *Et ait illis in illâ die,* C. VIII. 22. Factum est autem in unâ dierum,

A. VIII. 23. *Et (Dom. 4 post Epiph.) † ascendente eo in naviculam,* B. Cùm serò esset factum,

C. *et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus :* A. Secuti sunt eum discipuli ejus :

B *Transeamus contra.* C. Et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum.

B. 36. Et dimittentes turbam, assumunt eum, ita ut erat in navi,

C. Et ascenderunt;

B. Et aliæ naves erant cum illo.

C. 23. Et navigantibus illis obdormivit.

A. 24. Et ecce motus magnus factus est in mari,

B. 37. *Et facta est procella magna venti,* C. Et descendit procella venti,

C. *In stagnum,*

A. Ita ut navicula operiretur fluctibus :

C. Et complebatur, et periclitabantur,

B. Et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur

A. *Ipse verò dormiebat.* navis. 38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens.

C. 24. *Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes :* A. 25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes :

B. *Et excitant eum et dicunt illi :*

C. *Præceptor, perimus.* B. Magister, non ad te pertinet, quia perimus?

A. Domine, salva nos, perimus.

26. Et dicit eis Jesus : quid timidi estis, modicæ fidei?

A. *Tunc surgens imperavit ventis et mari.* C. At ille surgens increpavit ventum, et tempestatem aquæ,

B. 39. *Et exurgens comminatus est vento;*

C. *Et cessavit, et* B. Et dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus; et facta est tranquillitas magna. 40. Et ait illis (1) : Quid timidi estis? necdùm habetis fidem?

facta est tranquillitas. 25. *Dixit autem illis :*

A. *Et facta est tranquillitas magna.*

C. Ubi est fides vestra?

C. *Qui timentes mirati sunt ad invicem, dicentes : Quis, putas, hic est, quia.* A. 27. Porrò homines mirati sunt,

A. *Dicentes : Qualis est hic, quia* B. Et timuerunt timore magno : et dicebant ad alterutrum : Quis, putas, est iste; quia

B. *Et ventus, et mare obediunt ei?* C. Et ventis, et mari imperat; et

C. *Obediunt ei?* A. Venti, et mare obediunt ei ¶?

(1) Verisimile est Dominum, statim atque excitatus est, dixisse, *quid timidi estis, modicæ fidei*, ut habet A, et sedatâ tempestate, cùm vix essent apud se discipuli, ea dixisse quæ habent B et C. Timor autem hìc et admiratio tanta argumentum sunt, hæc in initio prædicationum Christi contigisse; post parabolas enim videntur magis assuefacti fuisse miraculis discipuli, quàm ut adeò timerent ac mirarentur.

LEGIO DÆMONUM. PORCI SUBMERSI.

In hâc dæmonum ejectione, A, B *et* C, *omninò conveniunt, præter quàm quòd* A *duos dæmoniacos commemorat, unicum verò* B *et* C. *Quod sic apud auctores passim, præsertimque apud S. Aug. l. 2, de Cons. Evang., c. 24, conciliatur, ut ideò unius meminerint* B *et* C, *tanquàm personæ insigniòris, de quo facti hujus fama latius, præclariusque fragraverat. Quod attinet ad regionem Gerasenorum, sciendum est, Græcum hìc habere apud* A, *Gergesenorum seu Gergesæorum, à civitate Gergesa seu Gerasa, quæ est celebris trans Jordanem; apud* B *et* C *autem, Gadarenorum, ab alterâ civitate Gadara, non procul à præcedenti dissitâ; unde quia eadem est regio, vulgata versio, Gerasenorum, habet in tribus his locis.*

CAPUT XXXII.

1. *Legio dæmonum ejecta.*

C. VIII. 26. Et navigaverunt,

C. *Ad regionem Gerasenorum,* B. V. 1. Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum,

A. VIII. 28. *Et cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum,* C. Quæ est contra Galilæam. 27. Et cùm egressus esset de navi ad terram,

B. 2. *Et exeunti ei de navi* B. Statim

occurrit homo C. Occurrit illi

B. De monumentis

C. Vir quidam

B. In spiritu immundo,

A. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia,* C. Qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed

C. *In monumentis.* B. 3. Qui domicilium habebat

A. *De monumentis exeuntes, sævi nimis.* in monumentis, et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare : 4. Quoniam sæpè compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset; et nemo poterat eum domare; 5. Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus :

A. Ita ut nemo posset transire per viam illam.

C. 28. *Is ut vidit Jesum* B. 6. Videns autem Jesum à longè, cucurrit,

C. Procidit ante illum,

B. Et adoravit eum;

A. 29. *Et ecce clamaverunt, dicentes : Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei?* C. Et exclamans voce magnâ, dixit : Quid mihi, et tibi est, Jesu Fili Dei altissimi?

B. 7. *Et clamans voce magnâ, dixit : Quid mihi, et tibi, Jesu Fili Dei altissimi?* A. Venisti hùc ante tempus torquere nos?

C. *Obsecro te, ne me torqueas.* B. Adjuro te per Deum, ne me torqueas.

B. 8. *Dicebat enim illi : Exi, spiritus immunde, ab homine.* C. 29. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis et compedibus custoditus : et ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

B. 9. *Et interrogabat eum : Quod tibi nomen est? Et dicit :* 30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est?

At ille dixit

C. *Legio :* B. Ei : Legio mihi nomen est, quia multi sumus;

C. Quia intraverant dæmonia multa in eum.

31. *Et rogabant illum,* B. 10. Et deprecabatur eum multùm, ne se expelleret extra regionem :

C. Ne imperaret illis, ut in abyssum irent.

2. *Porci submersi.*

B. 11. *Erat autem ibi,* A. 30. Erat autem non longè (1) ab illis,

C. 32. *Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte :* B. Circa montem grex porcorum magnus pascens.

A. *Grex multorum porcorum pascens.* 12. Et deprecabantur eum spiritus,

C. *Et rogabant eum,*

A. 31. *Dæmones autem rogabant eum,* C. Ut permitteret eis in illos ingredi,

B. *Dicentes : Mitte nos in porcos,* A. Dicentes : Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum,

C. *Et permisit illis.* B. Ut in eos introeamus.

13. Et concessit eis statim Jesus,

A. 32. Et ait illis : Ite.

A. *At illi exeuntes abierunt in porcos.* C. 33. Exierunt ergo dæmonia ab homine;

C. *Et intraverunt in porcos.* B. Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos.

B. *Et magno impetu grex præcipitatus est in mare,* A. Et ecce *magno* impetu ablit totus grex per præceps in mare.

C. *Et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est.* B. Ad duo millia (2); et suffocati sunt.

B. *In mari.* A. Et mortui sunt in aquis.

C. 34. Quod ut viderunt factum

A. 33. Pastores

B. 14. *Qui autem pascebant* C. Qui pascebant

A. *Autem fugerunt :* B. Eos, fugerunt,

B. *Et nuntiaverunt in civitatem,* A. Et venientes in civitatem,

C. *Fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem,* B. Et in agros

C. Et in villas,

A. Nuntiaverunt omnia, et de eis qui dæmonia habuerant.

C. 35. *Exierunt autem videre quod factum est.* B. Et egressi sunt videre quid esset factum :

B. 15. *Et veniunt ad Jesum :* C. Et venerunt ad Jesum; et invenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant :

B. Et vident illum

Qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanæ mentis; et timuerunt. C. Vestitum, ac sanâ mente, ad pedes ejus; et timuerunt. 36. Nuntiaverunt autem illis et qui viderant, 16. *Et narraverunt illis qui viderant.*

B. Qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat;

C. Quomodò sanus factus esset à legione :

B. Et de porcis.

A. 34. Et ecce tota civitas exiit obviàm Jesu :

C. 37. *Et rogaverunt illum.* B. 17. Et *viso eo*, rogare cœperunt eum

A. *Et, viso eo, rogabant, ut transiret à finibus eorum;* C. Omnis multitudo regionis Gerasenorum,

C. *Ut discederet ab ipsis;* B. Ut discederet de finibus eorum;

C. Quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim reversus est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

C. 38. *Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens:* 39. *Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus.*

B. 18. Cùmque ascenderet navem, cœpit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo: 19. Et non admisit eum; sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.

B. 20. *Et abiit,*

C. Et abiit per universam civitatem,

C. *Prædicans quanta illi fecisset Jesus.*

B. Et cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: et omnes mirabantur.

(1) Græcum hic habet, *erat autem longè*. Sensus idem: Grex enim ille longè fuisse dici potest collatus ad eos, qui Christo erant proximi; non longè tamen, quia in prospectu.

(2) Non passuum, ut videtur primâ fronte, sed quòd porci essent fermè bis mille; ut ex Græco constat.

PARALYTICUS.

Hic locanda fuit historia paralytici. Hunc enim A *cum suâ vocatione, disputatione de jejunio, et accessu Jairi, quæ ordine prosequitur, ita conjungit, ut et cura paralytici dictam dæmonum ejectionem statim subsequatur, et accessus Jairi à fine disputationis de jejunio separari omninò non possit: habet enim* A, *infra, c.* 35: Hæc illo loquente ecce princeps unus accessit. *Quod autem* B *et* C *ejectioni dæmonum proximè subjecerint adventum Jairi, quasi accessisset appellente Domino, occasio fuit idem littus, ad quod postea Jairus accessit, Dominumque invenit, ut patet ex* B, *infra, c.* 35, *ubi incipiens historiam Jairi ait de Jesu,* et erat circa mare. *Quantum verò ad intermedia quæ gesta sunt inter appulsum Domini ad littus, et accessum Jairi, ea prius eodem ordine narrant* B *et* C. *Horum ergo contextum multum hic habere hiatûs, ne mireris.*

CAPUT XXXIII.

1. *Jesus docens in Capharnaum.*

A. IX. 1. Et (*Dom.* 18, *post Pentec.*) ✝ ascendens in naviculam transfretavit.

C. VIII. 40. Factum est autem cùm rediisset Jesus,

B. V. 21. Et cùm transcendisset [Jesus] in navi rursùm trans fretum, convenit turba multa ad eum, et (*erat circa mare* (1), *c.* 35, *n.* 1.)

C. Excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum (41. *Et ecce venit, c.* 35, *n.* 1.)

A. Et venit in civitatem suam;

B. II. 1. Et iterùm (2) intravit Capharnaum post dies; 2. Et auditum est quòd in domo esset; et convenerunt multi, ità ut non caperet, neque ad januam.

C. V. 17. Et (*Fer.* 6, *quatuor temp. Pent.*) ✝ factum est in unâ dierum, et ipse sedebat docens; et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ et Jerusalem.

B. Et loquebatur eis verbum;

C. Et virtus Domini erat ad sanandum eos (3).

2. *Remissio peccatorum paralytici.*

C. 18. *Et ecce*

B. 3. Et ecce venerunt ad eum

A. 2. *Et ecce offerebant ei paralyticum*

C. Viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus,

B. *Ferentes paralyticum,*

A. Jacentem in lecto,

B. Qui à quatuor portabatur.

C. Et quærebant eum inferre, et ponere ante eum

4. *Et cùm non possent offerre eum illi præ turbâ,*

19. Et non invenientes quâ parte illum inferrent præ turbâ, ascenderunt supra tectum, et

B. Nudaverunt

tectum ubi erat; et patefacientes

C. Per tegulas

C. *Submiserunt eum cum lecto*

B. Submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.

C. In medium ante Jesum.

A. *Et videns Jesus fidem illorum,*

B. 5. Cùm autem vidisset Jesus fidem illorum,

C. 20. *Quorum fidem ut vidit,*

A. Dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur (*c.* 48, *v.* 48) tibi peccata tua.

B. *Ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.*

C. *Dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.*

A. 3. *Et ecce quidam de scribis*

B. *Et cogitantes*

C. *Scribæ et Pharisæi*

A. *Dicerunt*

B. 6. Erant autem illic quidam de scribis *et Pharisæis* sedentes,

C. 21. Et cœperunt cogitare

B. In cordibus suis,

C. Dicentes

A. Intra se:

B. 7. Quid hic sic loquitur?

B. *Blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

C. Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

A. Hic blaspemat.

3. *Ejusdem curatio.*

C. 22. *Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum,*

B. 8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se,

A. 4. *Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit:*

C. Respondens dixit ad illos:

B. *Dixit illis:*

C. *Quid cogitatis in cordibus vestris?*

B. Quid ista cogitatis?

B. *In cordibus vestris?*

A. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

C. 23. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, et ambula?*

B. 9. Quid est facilius dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula? 10. Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico: 11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

A. 5. *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge et ambula?* 6. *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.*

C. 24. *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.*

B. 12. *Et statim surrexit ille, et sublato grabato abiit.*

C. 25. Et confestim consurgens coram illis tulit lectum in quo jacebat, et abiit.

A. 7. *Et surrexit, et abiit in domum suam.*

B. Coram omnibus

C. In domum suam, magnificans Deum.

A. 8. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum.

C. 26. Et stupor apprehendit omnes;

B. Ita ut mirarentur.

B. *Omnes, et honorificarent Deum.*

C. Et magnificabant Deum,

C. *Et repleti sunt timore*

A. Qui dedit potestatem talem hominibus ¶.

B. *Dicentes:*

C. Dicentes: Quia vidimus mirabilia hodiè ¶.

B. Quia nunquàm sic vidimus.

(1) Quia certum est, ut patet, ex tit. hujus cap. hæc verba esse historiæ Jairi, non autem priora, ideò hæc ad *c.* 35 retulimus, ubi de eo agitur.

(2) *Iterum* et *post dies*, satis indicant, hæc contigisse secundo ingressu in Capharnaum, post scilicet istam Galilææ peragrationem.

(3) Relativum, *eos*, non ad Pharisæos, et legis doctores proximè nominatos, quos sanatos non legimus; sed ad loci illius homines referri debet. Simile loquendi genus, quod syllepticum appellant, habes in hâc concord. ex A, cap. 39, n. 1, v. 9, et cap. 56, n. 7, v. 1, et ex D, cap. 76, n. 4, v. 44.

MATTHÆI VOCATIO. PECCATORES. JEJUNIUM.

Quòd Evangelistæ inducant in disceptatione de jejunio, nunc discipulos Joannis Christum interrogantes, ut A; nunc Pharisæos solos, ut C; nunc verò utrosque, ut B, nulla dissonantia est; satis enim ex contextu conjicere est, Pharisæos præ invidiâ in Christum, instigâsse discipulos Joannis; et utroslibet promiscuè Christum interrogâsse, quamvis diverso animo.

CAPUT XXXIV.

1. *Matthæi vocatio.*

C. V. 27. Et post hæc exiit;

A. IX. 9. *Et cùm transiret inde Jesus (in festo S. Matth. Ap.)* ✝ *vidit.*

B. II. 13. Et egressus est rursùs ad mare; omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. 14. Et cùm præteriret, vidit Levi Alphæi,

C. *Et vidit*

A. Hominem

A. *Sedentem in telonio,*

C. Publicanum,

C. *Nomine Levi,*

A. Matthæum nomine,

B. *Sedentem ad telonium; et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.*

C. Sedentem ad telonium: et ait illi: Sequere me.

A. *Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.*

28. Et relictis omnibus surgens secutus est eum.

2. *Manducans cum peccatoribus.*

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo suâ.

B. 15. *Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi publicani, et peccatores simul discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus.*

A. 10. Et factum est discumbente eo in domo illius, ecce multi publicani, et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus:

C. *Et erat turba multa publicanorum, et aliorum qui cum illis erant discumbentes.*

B. Erant enim multi qui et sequebantur eum.

B. 16. *Et scribæ et Pharisæi*

C. 30. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ eorum,

B. Videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus;

A. 11. Et

C. *Dicentes ad discipulos ejus:*

B. Dicebant discipulis ejus:

A. *Videntes Pharisæi dicebant discipulis ejus:*

C. Quare cum publicanis, et peccatoribus manducatis et bibitis? 31. Et

Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?

B. Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? 17. Hoc audito,

12. *At Jesus audiens ait:*

C. Respondens Jesus dixit ad illos:

B. *Jesus ait illis:*

C. *Non egent qui sani sunt medico,*

A. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. 13.

sed qui malè habent. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

B. *Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent : non enim veni vocare justos, sed peccatores.*

Euntes autem discite quid est :

Misericordiam volo, et non sacrificium (*infr.* 38, *v.* 7 ; *Ose.*, 6, 6 ; 1 *Reg.* 15, 22) ; non enim veni vocare justos (1 Tim. 1, 15), sed peccatores. ¶.

C. Ad pœnitentiam (1).

3. *Disceptatio de jejunio.*

B. 18. *Et erant discipuli Joannis,*

A. 14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis,

B. Et Pharisæi jejunantes,

C. 33. *At illi dixerunt ad eum :*

A. Dicentes :

B. *Et veniunt, et dicunt illi : Quare discipuli Joannis, et Pharisæorum jejunant ; tui autem discipuli non jejunant?*

C. Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisæorum; tui autem edunt et bibunt?

A *Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter ; discipuli autem tui non jejunant?*

C. 34. *Quibus ipse ait :*

B. 19. Et ait illis Jesus :

A. 15. *Et ait illis Jesus : Numquid possunt,*

C. Numquid potestis filios sponsi, dùm cum illis est sponsus, facere jejunare?

B. *Quamdiù sponsus cum illis est, jejunare?*

B. Numquid possunt filii nuptiarum,

A. *Quamdiù cum illis est sponsus?*

A. Filii sponsi lugere,

B. Quanto tempore habent secum sponsum?

B. *Non possunt jejunare.* 20. *Venient autem dies,*

C. 35. Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis sponsus; tunc jejunabunt in illis diebus.

cùm auferetur ab eis sponsus ; et tunc jejunabunt in illis diebus.

A. *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus; et tunc jejunabunt.*

4. *Utres veteres.*

16. *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus.*

36. Dicebat autem et similitudinem ad illos : quia nemo commissuram à novo vestimento immittit in vestimentum vetus ; alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura à novo :

B. 21. *Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum à veteri, et major scissura fit.*

A. Tollit enim plentudinem ejus à vestimento, et pejor scissura fit.

22. *Et nemo mittit vinum novum in utres veteres ; alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt ; sed vinum novum in utres novos mitti debet.* (25. Et factum est, c. 38.

C. 37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres ; alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt. 38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est. (Vl. 1. *Factum est autem* (2), *c.* 38.

A. 17. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres ; alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.*

(1) Gr. etiam habet hic in A et B, sicut Latinum m C. ad pœnitentiam.

(2) Vide tit. cap. seq.

JAIRUS. HÆMORRHOISSA.

Hic ponendam esse historiam Jairi, dubitari non potest ex contextu A, *ut dictum est tit. cap.* 33. B *autem et* C *hic habent confricticnem apicarum, quia de Jairo statim post ejectionem dæmonum in porcos, mentionem faciunt ; in quo non dissentiunt ab* A, *imò ejus ordinem confirmant, docendo tunc venisse ad hoc mare Jairum : quid enim mirum si quasi eodem die venerit narrârint, cùm panca, quæ antè narraverant, intercesserint, sicut et paucissimi dies. Vide tit.* 33.

CAPUT XXXV.

1. *Accessus Jairi ad Christum.*

A. IX. 18. Hæc illo (*Dom.* 23 *post Pent.*) † loquente ad eos,

B. V. 21 (erat circa (1) mare).

A. *Ecce princeps unus.*

C. VIII. 41. Et ecce venit vir cui nomen Jairus, et ipse princeps Synagogæ erat :

B. 22. *Et venit quidam de archisynagogis, nomine Jairus :*

A. accessit,

C. *Et cecidit ad pedes Jesu.*

B. Et videns eum procidit ad pedes ejus ;

A. Et adorabat,

C. Rogans eum ut intraret in domum ejus : 42. Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, et hæc moriebatur.

A. *Eum, dicens : Domine, filia mea modò defuncta est ;*

B. 23. Et deprecabatur eum multùm, dicens : Quoniam filia mea in extremis est ;

B. *Veni, impone manum super eam*

A. Sed veni, impone manum tuam super eam,

A. *Et vivet.* 19. *Et*

B. Ut salva sit, et vivat.

24. Et

A. Surgens Jesus

sequebatur eum,

B. Abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa,

A. Et discipuli ejus.

B. *Et comprimebant eum.*

C. Et contigit dùm iret, à turbis comprimebatur.

2. *Hæmorrhoissa curata.*

B. 25. *Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim ;*

A. 20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis ;

C. 43. *Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat*

B. 26. Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis, et erogaverat

B. *Omnia sua,*

C. Omnem substantiam suam ;

C. *Nec ab ullo potuit curari.*

B. Nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. 27. Cùm audisset de Jesu,

B. *Venit in turbâ retrò, et tetigit vestimentum ejus :* 28. *Dicebat enim, quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.*

A. Accessit *in turbâ* retrò, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. 21. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.

C. 44. *Accessit retrò, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.*

B. 29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus, et sensit corpore quia sanata esset à plagâ.

Et confestim stetit fluxus sanguinis ejus.

30. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat : Quis tetigit vestimenta mea?

45. *Et ait Jesus :*

C. Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant *discipuli* : Præceptor, turbæ te comprimunt, et affligunt, et dicis : Quis me tetigit? 46. Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis ; nam ego novi virtutem de me exiisse.

B. 31. *Et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit?*

A. 22. *At Jesus conversus, et*

B. Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat,

B. 33. *Mulier verò*

C. 47. Videns autem mulier quia non latuit,

C. *Tremens venit*

B. Timens et trémens, sciens quod factum esset in se, venit,

B. *Et procidit ante eum,*

C. Et procidit ante pedes ejus,

B. Et dixit ei omnem veritatem :

C. Et ob quam causam tetigerit, eum, indicavit coram omni populo ; et quemadmodùm confestim sanata sit. 48. At ipse,

A. 34. *Ille autem dixit ei : Filia, fides tua te salvam fecit :*

A. Videns eam, dixit (*c.* 48, *v.* 50) : Confide, filia, fides tua te salvam fecit :

C. *Dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit ; vade in pace.*

B. Vade in pace, et esto sana à plagâ tuâ,

A. Et salva facta est mulier ex illâ horâ (3).

3. *Jairi filia suscitata.*

B. 35. *Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes : Quia filia tua mortua est :*

C. 49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem Synagogæ, dicens ei : Quia mortua est filia tua ;

C. *Noli vexare illum.* 50. *Jesus autem audito hoc verbo, respondit :*

B. Quid ultra vexas magistrum? 36. Jesus autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo

B. *Noli timere, tantummodo crede.*

C. Patri puellæ : Noli timere, crede tantùm, et salva erit.

B. 37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, fratrem Jacobi.

38. *Et veniunt in domum archisynagogi, et vidit tumultum.*

A. 23. Et cùm venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem,

C. 51. *Et cùm venisset domum,* (non permisit, infra.)

52. *Flebant autem omnes, et plangebant illam.*

B. Et flentes, et ejulantes multùm,

B. 39. *Et ingressus ait.*

A. Dicebat

B. Illis : Quid turbamini, et ploratis?

C. *At ille dixit : Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.* 53. *Et deridebant eum.*

A. 24. Recedite ; non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

B. *Puella non est mortua, sed dormit.* 40. *Et irridebant eum.*

C. Scientes quòd mortua esset. (54. *Ipse autem, infra.*)

A. 25. *Et cùm ejecta esset turba,*

B. Ipse verò, ejectis omnibus,

B. *Assumit patrem et matrem puellæ, et qui secum erant,*

C. Non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ. (52. *Flebant autem, supra.*)

A. *Intravit,*

B. Et ingreditur, ubi puella erat jacens.

B. 41. *Et tenens*

C. 45. Ipse autem tenens manum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manum puellæ, ait illi :	ejus clamavit, dicens :
A. *Et tenuit manum ejus.*	
C. *Puella, surge.*	B. Talitha cumi (*Act.* 9, 40); quod est interpretatum : Puella (tibi dico), surge.
B. 42. *Et confestim surrexit.*	C. 55. Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuò. (*Et jussit, infra.*)
A. *Et surrexit puella.*	B. Puella, et ambulabat; erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno
C. 56. *Et stupuerunt*	
B. 43. *Et præcepit illis vehementer,*	C. Parentes ejus; quibus præcepit vehementer ne alicui dicerent quod factum erat. (IX. 1. *Convocatis autem, c.* 56, *n.* 2.)
C. *Et jussit illi dari manducare.* (56. Et stupuerunt, supra.)	B. Ut nemo id sciret; et dixit dari illi manducare. (VI. 1. *Et egressus inde, c.* 54, *n.* 1.)
	A. 26. Et exiit fama hæc in universam terram illam ¶.

(1) Hæc parenthesis non est Evangelistæ, sed hic apposita propter constructionem; tria enim hæc verba huc referre visum est propter circumstantiam loci notatu dignam.

(2) Quia Jairus unicam filiam unicè diligebat, eamque graviter et periculosè laborantem reliquerat domi, potest præ magno affectu utrumque dixisse Christo, scilicet : *Filia mea moritur*, et *fortè modò mortua est*; vel certè hæc verba A : *Modò defuncta est, sed veni*, etc., intelliguntur ut plerùmque fit, hoc est, *mortua est, nisi promptè venias;* vel denique, quod probabilius est, A, brevitati studens, ultimam tantùm petitionem posuit nuntiatâ morte filiæ.

(3) Non quâ horâ Christus loquebatur, sed quâ mulier tetigerat eum; ille enim, sicut et per verba B, *esto sana à plagâ tuâ*, non confert sanitatem, sed confirmat, et non ampliùs rediturum morbum significat.

Duo cæci. Dæmoniacus.

A satis significat istud contigisse Capharnai, cunte Domino ab Jairo in domum, in quam se recipere consueverat. Quoad dæmoniacum mutum, de quo hoc cap. diversus est ab illis, de quibus alii Evangelistæ aliis locis, ut ex diversis circumstantiis innotescet. Ideò non dubitandum de ordine.

CAPUT XXXVI.

1. *Duo cæci.*

A. IX. 27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, et dicentes : Miserere nostri, fili David. 28. Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens : Secundùm fidem vestram fiat vobis. 30. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte ne quis sciat. 31. Illi exeuntes diffamaverunt eum in totâ terrâ illâ.

2. *I. dæmoniacus mutus.* (V. 2, c. 49, et 3, c. 68.)

32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. 33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, dicentes : Nunquàm apparuit sic in Israel. 34. Pharisæi autem dicebant (*inf.* 49, *n.* 2) : In principe dæmoniorum ejicit dæmones. (35. *Et circuibat, c.* 56, *n.* 1.)

SECUNDUM PASCHA.

Probatica piscina. (V. 1, c. 19, 3; c. 58, 4; c. 12, 8.)

Si trium Evangelistarum A, B, C, hic tantùm ratio haberetur, omninò videretur hic subjicienda historia Nazareth, de quà cap. 54; sed quia constat ex omnibus antequàm iret Dominus Nazareth, dictas esse parabolas; et ante has præcessisse electionem Apostolorum, et sermonem in monte, cum quibusdam aliis; et ante electionem sanationem manûs aridæ et confricationem spicarum, ante hanc autem istud caput, non dubium quin idem hoc caput debeat hic collocari; et de singulis quidem suis locis apparebit. Notandum hic tantùm per diem festum, *Pascha intelligendum, quod eàdem voce designatur cap.* 127, *n.* 1, A, *v.* 5, B, *v.* 2, *et cap.* 142, *n.* 1, A, B, C, *v.* 15, 6, 17. *Hujus sententiæ antiquissimus auctor Irenæus, lib.* 2, *c.* 39. *Qui verò tribus tantùm paschalibus prædicationem Christi comprehendunt, his verbis alium diem festum denotari volunt.*

CAPUT XXXVII.

1. *Languidus 38 annorum.*

D. V. 1. Post hæc (*Fer. 6 quatuor Temp. Quadr.*) † erat dies festus Judæorum (*Lev.* 23, 3; *Deut.* 16, 1), et ascendit Jesus Jerosolymam. 2. Est autem Jerosolymis Probatica (1) piscina quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam; et movebatur aqua (2); et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quàcumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate suâ. 6. Hunc cùm vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dùm venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. (*Exod.* 20, 11; *Jerem.* 17, 24.) 11. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula. 13. Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset : Jesus enim declinavit à turbâ constitutâ in loco (3). 14. Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum ¶. 16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato (4).

2. *Christi potestas duplex, vitæ et judicii.*

17. Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modò operatur, et ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat, Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis : 19. Amen, amen dico vobis : non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. 20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit, et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. 22. Neque enim Pater judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio; 23. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transiit à morte in vitam. 25. (*In commem. fid. def.*) † Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint vivent : 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso; 27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : 29. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ (A, 126, 46) : qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii ¶. 30. Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio judico : et judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

3. *Testimonia potestatis Christi.*

31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est qui testimonium perhibet de me (A, B, C, 14, *n.* 1, *et* 67, *n.* 2), et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me. 33. Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati. (*Sup.* 16 *et* 21; A, B, C, 13, *n.* 5.) 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio : sed hæc dico, ut vos salvi sitis. 35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. 36 Ego autem habeo testimonium majus Joanne : opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. 37. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me (*Sup.*, *v.* 32); neque vocem ejus unquàm audistis, neque speciem ejus vidistis (*Deut.* 4, 12, 15) : 38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me : 40. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.

4. *Incredulitas Judæorum.*

41. Claritatem ab hominibus non accipio; 42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodò vos vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? 45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. (*Gen.* 3, 15, *et* 22, 18, *et* 49, 10; *Deut.* 18, 15.) 47. Si autem illius litteris non creditis, quomodò verbis meis credetis? (VI. 1. *Post hæc abiit, c.* 57, *n.* 2.)

(1) Gr. *apud Probaticam* (subaudi, portam) *erat piscina, quæ hebraicè dicitur Bethesda*, hoc est, ut Syrus habet, ביתחסדא, sed gutturales à Græcis omitti solent; quæ vox significat *domum*, sive *locum gratiæ*, quòd hic ægroti divino beneficio sanarentur.

(2) Gr. *turbabat aquam*, scilicet angelus.

(3) Hinc patet Dominum huc usque non habuisse concursum, et sicut privatum hominem latuisse.

(4) Gr. addit : *Et quærebant illum occidere;* quod fortè omissum est in quibusdam libris quasi supervacaneum, quia infra repetitur, v. 18.

Confricatio spicarum in sabbato.

Confricationem non contigisse ante Pascha, satis inde liquet, quòd segetes non essent maturæ nisi post Pascha; Unde commodiùs quàm hic hæc historia videtur non potuisse collocari.

CAPUT XXXVIII.

A. XII. 1. *In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato.*	B. II. 23. Et factum est iterùm (1), cùm Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus.
C. VI. 1. *Factum est autem.*	C. In sabbato secundoprimo (2).
	A. Esurientes.
A. *Discipuli autem ejus*	B. Cœperunt progredi, et vellere spicas,
C. *Cùm transiret per sata,*	
A. *Cœperunt vellere spicas.*	
C. *Vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant.*	
A. *Pharisæi autem.*	A. Et manducare,
	C. Confricantes manibus. 2. Quidam autem Pharisæorum
B. 24. *Pharisæi autem dicebant ei: Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet?*	A. Videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.
C. *Dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis ?*	
B. 25. *Et ait illis :*	C. 3. Et respondens Jesus ad eos, dixit :
A. 3. *At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David, quando esu-*	B. Nunquàm legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo, erant? 26. Quomodò introivit (1 *Reg.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rit, et qui cum eo erant : 4. Quomodò intravit in domum Dei ;

C. *Nec hoc legistis quod fecit David; cùm esurisset ipse, et qui cum illo erant: 4. Quomodò intravit in domum Dei.*

A. *Et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?*

B. *Et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus; et dedit eis qui cum eo erant?*

C. 5. *Et dicebat illis : Quia Dominus est Filius hominis etiam sabbati.*

A. 8. *Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.*

(1) *Iterum* non legitur à Græcis, et si legatur, significat aliàs, seu aliam calumniam, ut significat C.

(2) De sabbato *secundo-primo* multi multa, sed omnia incerta; aliqui interpretantur : Sabbatum primum post secundam diem Paschæ; alii verò; Sabbatum quod incidebat in aliquem dierum festi Pentecostes : tria enim sabbata fuisse aiunt quæ dicebantur πρῶτα, id est, maxima ; sed ita ut sabbatum paschale diceretur πρωτόσαββατον, *primorum-primum* ; sabbatum Pentecostes δευτερόσαββατον, *primorum-secundum* ; sabbatum Tabernaculorum, τριτόσαββατον, *primorum-tertium*.

(3) Id tamen sub Achimelecho contigisse narratur 1 Reg. 21, cujus filius erat Abiathar. Respondent quidam patrem et filium binomines fuisse, quod probare conantur ex 2 Reg. 8, 17, et 1 Paralip. 34, 3. Alii Abiatharem Achimelechi filium adfuisse rei quæ hìc narratur, ipsumque tum patris, tum Davidis factum probàsse.

MANUS ARIDA.

CAPUT XXXIX.

1. *Manus arida sabbato curata.*

C. VI. 6. Factum est autem et in alio sabbato,

A. XII. 9. Et cùm inde transisset,

A. *Venit in synagogam eorum.* 10. *Et ecce homo manum habens aridam.*

B. III. 1. *Et introivit iterùm in synagogam; et erat ibi homo habens manum aridam.* 2. *Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.*

A. Et interrogabant eum dicentes : Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.

3. *Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium.* 4. *Et dixit eis : Licet sabbatis benefacere, an malè? animam salvam facere, an perdere?*

C. 8. Ipse verò sciebat cogitationes eorum; et ait homini qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medium. Et surgens stetit. 9. Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere an malè? animam salvam facere, an perdere?

B. At illi tacebant.

A. 11. Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo (*Deut.* 22, 4), qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam? 12. Quantò magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benè facere.

C. 10. *Et circumspectis omnibus,*

A. 13. *Tunc ait homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est*

B. *Dicit homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi.*

B. 5. Et circumspiciens eos cum irâ, contristatus super cæcitate cordis eorum,

C. Dixit homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus ejus.

A. Sanitati sicut altera.

C. 11. Ipsi autem repleti sunt insipientiâ; et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu.

2. *Multorum curatio.*

A. 14. *Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversùs eum, quomodò perderent eum,*

B. 7. *Jesus autem.*

A. *Secuti sunt eum multi.*

et Judææ secuta est (A, *c. seq.*, *n.* 1, *v.* 25, C, *ibid.*, *n.* 2.). 8. Et ab Jerosolymis, et ab Idumææ, et trans Jordanem; et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt

B. 6. Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant adversùs eum, quomodò eum perderent.

A. 15. Jesus autem sciens recessit inde; et

B. Cum discipulis suis secessit ad mare : et multa turba à Galilæâ

ad eum. 9. Et dixit discipulis suis, ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum : 10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

A. Et curavit eos omnes : 16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent.

B. 11. Et spiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei; et clamabant dicentes : 12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.

3. *Christi manuetudo.*

A. 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem (*c.* 42, *v.* 1) : 18. Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus; 20. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium : 21. Et in nomine ejus gentes sperabunt. (22. *Tunc oblatus est* (1), *c.* 49, *n.* 1.)

(1) Subjicit A multi et cæci curationem, non quòd in hoc secessu contigerit; contigit enim in domo coram Phariseis. Vide titul. cap. 49. Sed A ab hoc insigni miraculo cùm cœpisset narrare quæ in secundo reditu è Judææ contigissent, redit ad continuandam narrationem : et nota hanc vocem, *tunc*, ut jam alibi diximus, non semper pertinere ad tempus rei proximè narratæ; ut nec, *in illo tempore, illis diebus*, et similes.

ELECTIO DUODECIM APOSTOLORUM. SERMO IN MONTE.

Electionem et sermonem facta esse in supra descripto secessu, colligitur, non tantùm quia B *et* C *hìc narrant; et quòd hæc verba* C, *in illis diebus, omninò pertineant ad tempus turbæ tum congregatæ (quoniam enim* B *non significaverat quo tempore Dominus ascendisset in montem, id* C *explicuit), sed et multò magis ex eo quòd eadem ait turba coram quâ* A *et* C *dicunt habitum sermonem, cum eâ quæ describitur à* B *in secessu, et de quâ tum* B *quàm* C *dicunt, quòd quæreret tangere Dominum. Hunc verò sermonem anticipàsse* A, *ut miraculorum narrationi doctrinam præponeret, apud omnes constat : non est enim dubium quin idem sermo describatur ab* A *et* C; *nam et initium idem est, et progressus (nisi quòd* A *longè plura afferat), et eadem conclusio; habitusque est coram turbâ quam describit* B, *in secessu, et insinuat* A, *in fine cap. sui* 4, *proximè ante sermonem. Sed advertendum Dominum primùm secessisse ad mare, ibique ne comprimeretur à turbâ, è navi docuisse, et curàsse omnes, ac injunxisse ne ipsum manifestarent; tum sub vesperam, ut turbam fugeret, subiisse in montem, et manè vocàsse discipulos, et ordinàsse duodecim Apostolos; ac tùm eum eis descendisse, et eamdem turbam adhuc maximâ parte ibi inventam fuisse. Quomodò autem conveniant* A *et* C, *contextus et annotationes ostendunt.*

CAPUT XL.

1. *Electio 12 Apostolorum.*

A. IV. 23. Et circuibat Jesus (*inf.*, 56, *n.* 1, *v.* 35) totam Galilæam (1), docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni; et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. 24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes malè habentes (A, B, C, 28), variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos. 25. Et secutæ sunt eum turbæ multæ (B, *sup.*, *n.* 2; C, *inf.*, *n.* 2) de Galilæâ, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæâ, et de trans Jordanem.

C. VI. 12. *Factum est autem in illis diebus* (In fest. S. Barth. ap.) ✝ *exiit in montem,*

V. 1. (*In fest. omn. SS.*) ✝ Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem

B. III. 13. *Et ascendens in montem*

C. *Vocavit*

C. Orare; et erat pernoctans in oratione Dei. 15. Et cùm dies factus esset,

B. vocavit ad se quos voluit ipse (A, B, C, 56, *n* 2.)

C. Discipulos suos.

B. *Et venerunt ad eum.*

A. Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

C. Et elegit,

C. *Duodecim*

B. 14. Et fecit ut essent

C. Ex ipsis

B. Duodecim cum illo,

C. Quos et Apostolos nominavit;

B. Et ut mitteret (2) eos prædicare. 15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. 16. Et imposuit (A, 56, *n.* 2, *v.* 2.) Simoni nomen Petrus (3); 17. Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi; et imposuit eis nomina, Boanerges, quod est, filii tonitrui; 18. Et Andream, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi,

Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus; Jacobum et Joannem; Philippum et Bartholomæum; Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi,

B. *Et Thaddæum,*

C. Et Simonem Chananæum, qui vocatur Zelotes; 16. Et Judam Jacobi (*seu Thaddæum*), et Judam Iscariotem, qui fuit proditor.

et Simonem Chananæum; 19. Et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum. (20. Et veniunt ad domum (4), *c.* 49, *n.* 1.

2. *Miracula.*

17. Et (*in comptur. Marth.*) ✝ descendens (5) cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæâ, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis (B, 59, *n.* 2. A, *sup.*, *n.* 1, *v.* 25); 18. Qui venerant ut audirent eum, et sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes ¶.

3. *Beatitudines.*

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos (6) suos,

A. 2. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens :

C. *Dicebat : Beati* 3. Beati pauperes spiritu, quo-

pauperes, quia vestrum est regnum Dei. 21. *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* niam ipsorum est regnum cœlorum. 4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Ps.* 36, 11). 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Is.* 61, 2, 3, et 66, 18.) 6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Isa.* 65, 13). 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Psal.* 23, 4). 9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. 10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (1 *Pet.* 2, 20, *et* 3, 14, *et* 4, 14).

A. 11. *Beati estis.* C. 22. Beati eritis, cùm vos oderint homines,

A. Cùm maledixerint vobis,

C. Et cùm separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquàm malum, propter Filium hominis;

A. Et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me.

A. 12. *Gaudete, et exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* ¶.

C. 23. Gaudete in illâ die, et exultate; ecce enim merces vestra multa est in cœlo ¶.

C. *Secundùm hæc enim faciebant prophetis.*

A. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos,

C. Patres eorum. 24. Verùmtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram (*Amos.* 6. 1. *Eccli.* 31, 7). 25. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis (*Is.* 65, 13). Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis. 26. Væ cùm benedixerint vobis homines; secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. (27. *Sed vobis, c. seq., n.* 6.)

(1) Quæ A per anticipationem dixit, nunc suo ordini restituta sic accipienda sunt quasi quædam recapitulatio eorum, quæ priùs ex B et ex ipso A allata sunt præced. cap.

(2) Non significat B, jam missos, sed jam ordinatos ut mitterentur; ipse enim B postea describit eorum missionem, cap. 56, n. 2. Verisimile autem est eos etiam hic aliquam accepisse potestatem curandi, et fortassè totam; postea tamen missos ut exequerentur, et potestate acceptâ uterentur.

(3) Non hic, sed diù ante; credere tamen est, id hic repetitum ob mysterium, hicque Jacobum et Joannem accepisse nomina *Boanerges*.

(4) B proximè subjicit reditum in domum cùm curatus fuit dæmoniacus, quia reliqua media omisit; et nota dæmoniacum non fuisse curatum primo accessu in domum ex reditu è Judæâ, sed secundo; B autem sic narrat quasi primo accessu contigerit, quia intermedia omisit.

(5) Quòd A sermonem *in monte*, et à Christo *sedente* habitum significat, C verò Christum *descendisse et stetisse in loco campestri*, contraria non sunt: Christus enim primùm ascendit cum Apostolis in montis cacumen; deinde verò in ejusdem montis locum inferiorem, magis æquabilem et turbarum capacem descendit; ubi quidem *stetit* dùm ægrotos curaret, ut dicit C; postea verò *sedit* doctoris in morem, ut A indicat. Sic Augustinus.

(6) Præcipuæ partes ad discipulos pertinent; ideò tam A quàm C dicunt dictum discipulis; non tamen coram solis discipulis; cùm in fine ejusdem sermonis A testetur turbam audivisse.

1. CONTINUATIO SERMONIS IN MONTE.

In his quæ continent continuationem sermonis Domini, multa habet A, quæ passim à B et C dicta sunt; et fieri potest ut C quædam per recapitulationem, et A nonnulla per anticipationem dixerint; præsertim cùm A hic videatur summam evangelicæ doctrinæ voluisse comprehendere, licèt aliis locis et temporibus traditæ. Tamen quia fieri etiam potest ut quædam sarpsit dicta fuerint, multa eo loco relicta sunt quo sunt narrata ab Evangelistis; quædam verò hùc translata. (V. annot. 2 hujus cap.)

CAPUT XLI.

1. *Sal. Lux. Lex perficienda.*

A. V. 13. (*In com. Doct.*) † Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur (B, 70, *n.* 4, *v.* 49, C, 92, *v.* 34)? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. 14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. 15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modiò (C, 49, *n.* 8; B, C, 31, *n.* 4); sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus (1 *Pet.* 2, 12), ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. 17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere. 18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum (C, 94, *n.* 2, *v.* 17), aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis (*Jac.* 2, 10), et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum ¶. 20. (*Dom. 5 post Pent.*) † Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plusquàm scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

2. *Documenta evangelica de mansuetudine.*

21. Audistis quia dictum est antiquis: Non occides (*Exod.* 20, 13; *Deut.* 5, 17); qui autem occiderit, reus erit judicio. 22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus (1) erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te; 24. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum ¶.

A. 25. *Esto consentiens adversario tuo citò, dùm es in viâ cum eo; ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.*

C. XII. 58. Cùm autem vadis cum adversario tuo ad principem (2), in viâ da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te adjudicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. (XIII. 1. *Aderant autem, c.* 87.)

26. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

3. *De continentiâ.*

A. 27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis (*Ibid., n.* 14 *et* 18). 28. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. 29. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te (A, B, 70, *n.* 4, *v.* 9, 46), erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Et si dextra manus tua scandalizat te (A, B, 46, *v.* 8, 42), abscide eam, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. 31. Dictum est autem (*Deut.* 24, 1): Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. 32. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui dimiserit uxorem suam (A, B, C, 95, *n.* 1; 1 *Cor.* 7, 10), excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulterat.

4. *De Juramentis.*

33. Iterùm audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis (*Exod.* 20, 7; *Lev.* 19, 12; *Deut.* 5, 11); reddes autem Domino juramenta tua. 34. Ego autem dico vobis, non jurare omninò (*Jac.* 5, 12), neque per cœlum, quia thronus Dei est; 35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis; 36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. 37. Sit autem sermo vester, est, est (*Ibid*): non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.

5. *De patientiâ.*

38. Audistis quia dictum est (*Exod.* 21, 24; *Lev.* 24, 20; *Deut.* 19, 21): Oculum pro oculo, et dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.

C. VI. 29. *Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.*

40. Et ei qui vult tecum judicio contendere (1 *Cor.* 6, 7), et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. 41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo, 42. Qui petit à te, da ei; et volenti mutuari à te (*Deut.* 15, 8, *et seq.*), ne avertaris.

30. *Omni autem petenti te tribue;*

C. Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

6. *De dilectione inimicorum.*

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines (A. 45, *n.* 5, *v.* 12), et vos facite illis similiter. (32. *Et si diligitis, infra.*)

A. 43. (*Fer. 6 post Cineres*), † Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum (*Lev.* 19, 18 *et* 34,)

C. 27. *Sed vobis dico, qui auditis:* et odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros (*Prov.* 25, 21; *Rom.* 12, 20); benefacite his qui oderunt vos.

Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos.

Et orate pro calumniantibus vos. (20. Et qui te percutit, supra, n. 5.)

C. 28. Benedicite maledicentibus vobis (*Rom.* 12, 14; 1 *Cor.* 4, 12 *et* 13).

A. Et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (C, 143, *n.* 6; *Act.* 7, 59): 45. Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est; qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. 46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt.

32. *Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia?*

C. Nam et peccatores diligentes se diligunt, 33. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? si quidem et peccatores hoc faciunt. 34 Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

A. 47. Et si salutaveritis fratres vestros tantùm? quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt (4).

C. 35. Verùmtamen diligite inimicos vestros; benefacite et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. 36. (*Dom. 1 post Pentec.*) † Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. (37. *Nolite judicare, c.* 45, *n.* 1.)

A. 48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

(1) Græci hic addunt εἰκῇ, temerè.

(2) Satis verisimile est, ut diximus, multa ab A hùc translata quæ à Christo variis locis et temporibus dicta sunt, ut patet ex B et C; sed quia incertum est quo quidque tempore dictum sit, satius visum est quandoque hùc referre quæ ab aliis dicta sunt, ut quod hic habet C, quàm seriem hujus eximii sermonis interrumpere.

(3) Hic additur à Græcis: *Benedicite maledicentibus vos,* εὐλογεῖτε καταρωμένους ὑμᾶς.

(4) In Gr. hic τελῶναι, *publicani*, sicut et vers. præced.

2. CONTINUATIO SERMONIS IN MONTE.

CAPUT XLII.

1. *De eleemosynâ.*

A. VI. 1. Attendite ne justitiam (1) vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. 2. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperant mercedem suam. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi (2) ¶.

2. *De Oratione.*

5. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui

amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum (4 *Reg.* 4, 33), et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem nolite multùm loqui, sicut ethnici; putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. 8. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum. 9. Sic ergo vos orabitis (C, 82, *n.* 1) : Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum. 10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terrâ. 11. Panem nostrum supersubstantialem (5) da nobis hodiè. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo (4). Amen. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum (B, 111, *n.* 3, *v.* 25); dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus (*inf.* 71, *n.* 3, *v.* 35; B, *ibid.*, *v.* 26), nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

3. De Jejunio.

16. (*Fer. 4. Cinerum.*) ✝ Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. 17. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava; 18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

4. Non thesaurizandum in terrâ.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ (C, 85, *n.* 2, *v.* 33; *1 Tim.* 6, 19, ubi ærugo et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt et furantur. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum ¶.

5. Oculus simplex.

22. Lucerna corporis tui est oculus (5) tuus (C, 49, *n.* 8, *v.* 54). Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

6. Vana sollicitudo. (V. eâd. de re, c. 85, n. 2, C.)

24. (*Dom. 14 post Pent.*) ✝ Nemo potest duobus dominis servire (C, 94, *n.* 2, *v.* 13); aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. 25. Ideò dico vobis (*Ps.* 54, 23, 1 *Pet.* 5, 7; *Philip.* 4, 6, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis (6); neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum? 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt : non laborant, neque nent; 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni glorià suâ coopertus est sicut unum ex istis. 30. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos, modicæ fidei? 31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis ¶. 34. Nolite ergò solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia (7) sua.

(1) Gr. ἐπιούσιον, quanquàm non desint codices qui habent ἐπιουσίους; et ita legisse patet Syrum et Arabem. Sensus idem; justitia enim hìc eleemosynam significat.

(2) Tum hìc, tum seq. vers. 6 et 18, Græci addunt, ἐν τῷ φανερῷ, *in propatulo*.

(3) In Gr. ἐπιούσιον, sicut et apud C, cap. 82, n. 1, ubi noster interpres optimè vertit *quotidianum*, quanquàm enim vox Græca significet propriè, crastinum (nam ἡ ἐπιοῦσα dies sequens est, ut Act. 7, v. 26. Et in Hebræo Nazaræorum erat, *panem crastini*, id tamen non tam futurum significat, quàm continuum, ac singulis diebus definitum; quasi dictum esset : Da nobis hodiè panem quo singulis diebus egemus.

(4) Quod hìc sequitur in Græco : *Quoniam tuum est regnum, potestas, et gloria in secula seculorum*, cùm nullus Latinorum habeat, nec exponatur ab ullo interprete præter Chrysostomum, hùc translatum videtur ex Græcorum liturgiâ.

(5) Gr. absolutè habet, *lucerna corporis est oculus*, sicut et apud C, cap 49, n. 8, ubi eâm idem narret dictam à Christo, quod hìc A, cur hùc non retulerimus, vide annot. 5 ejusdem cap. 49.

(6) Additur hìc in Gr : *Aut quid bibatis*.

(7) Gr. κακία, *malitia*, pro θλῖψις, afflictio, quia Hebræum רָעָה Raa utrumque significat : in Evangeliis enim multi hebraismi.

3. CONTINUATIO SERMONIS IN MONTE

CAPUT XLIII.

1. Non judicandum.

A. VII. 1. *Nolite judicare, ut non judicemini.*

C. VI. 37. Nolite judicare (*Rom.* 2, 1,) et non judicabimini; nolite, condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini. 38. Date, et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et super effluentem dabunt in sinum vestrum.

C. *Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

A. 2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in quâ mensurâ mensi fueritis (B, 51, *n.* 4, *v.* 24), remetietur vobis.

2. Cæcus cæcum ducens. Festuca.

C. 39. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere (A, 60, *n.* 3, *v.* 14)? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum (A, 56, *n.* 4, *v.* 24. D. 151, *n.* 1, *v.* 16, et 154, *n.* 3, *v.* 20): perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. 41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? 42. Aut quomodò potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo; ipse in oculo tuo trabem non videns? Hyprocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo; et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui ¶.

A. 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? 4. Aut quomodò dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo; et ecce trabs est in oculo tuo? 5. Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

3. Sacra prudenter dispensanda.

A. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

4. Petendum, quærendum, pulsandum.

7. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (C, 82, *n.* 2; A, B, 111, *n.* 3; D, 153, *n.* 1, *et* 155, *n.* 4; *Jac.* 1, 5). 8. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. 9. Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei (C, *ibid.*, *v.* 11)? 10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? 11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

5. Arcta via.

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis (C, 41, *n.* 6, *v.* 31). Hæc est enim lex et prophetæ. 13. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam (C, 90, *n.* 1, *v.* 24). 14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam!

6. Falsi prophetæ. Arbor ex fructu.

15. (*Dom.* 7, *post Pent.*) ✝ Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces : 16. A fructibus eorum cognoscetis eos.

A. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?*

C. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos (A, 49, *n.* 3, *v.* 33); neque arbor mala, faciens fructum bonum. 44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur; neque enim de spinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam.

A. 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere : 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*sup.*, 13, *n.* 4). 20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

C. 45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. (A, 49, *n.* 5, *v.* 34.) Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

7. Opera, non verba.

46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et non facitis quæ dico?

A. 21. Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum ¶. 22. Multi dicent mihi in illâ die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor illis : Quia nunquàm novi vos (C, 90, *n.* 1, *v.* 27); discedite à me, qui operamini iniquitatem (*Ps.* 6, 9)

8. Ædificans super petram : super arenam.

A. 24. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro*

C. 47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos (*Rom.* 2, 13., *Jac.* 1, 22 *et* 25); ostendam vobis cui similis sit. 48. Similis est homini

A. Sapienti

Qui ædificavit domum suam supra petram :

C. Ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram. Inundatione autem factâ illisum est flumen domui illi,

A. 25. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non

C. *Et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram.* 26. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea,

A. *cecidit : fundata enim erat super petram. 26. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram*

C. similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam (*Ezech.* 13, 11 *et seq.*);

A. *sine fundamento,*

C. In quam illisus est fluvius,

A. 27. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam :

A. *Et cecidit; et fuit ruina illius magna.*

C. Et continuò cecidit (1); et facta est ruina domûs illius magna. (*VII.* 1. *Cùm autem, c.* 45.)

A. 28. Et factum est, cùm consummâsset Jesus verba hæc, admirabantur (2) turbæ super doctrinâ ejus (B, C, 27) : 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum, et Pharisæi.

(1) Qui conferre volet initium, medium, et finem, totumque progressum sermonis, dubitare non poterit, quin idem sit sermo ab A et C descriptus; imò quæ A hìc solus narrat, ab eo congesta videntur ad summam doctrinæ aliis locis et temporibus traditæ; nam penè omnia aliis locis habet C.

(2) Hinc constat coram turbis sermonem habitum; ac proinde turbas montem ascendisse, sed non in excelsius cacumen. V. annot. 5, c. 40.

amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum (4 *Reg.* 4, 33), et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem nolite multùm loqui, sicut ethnici; putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. 8. Nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum. 9. Sic ergo vos orabitis (C, 82, *n.* 1) : Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum. 10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terrâ. 11. Panem nostrum supersubstantialem (5) da nobis hodiè. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo (4). Amen. 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum (B, 111, *n.* 3, *v.* 25); dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus (*inf.* 71, *n.* 3, *v.* 35; B, *ibid.*, *v.* 26), nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

3. De Jejunio.

16. (*Fer. 4. Cinerum.*) ✝ Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. 17. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava; 18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

4. Non thesaurizandum in terrâ.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ (C, 85, *n.* 2, *v.* 33; *1 Tim.* 6, 19, ubi ærugo et tinea demolitur; et ubi fures effodiunt et furantur. 20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum ¶.

5. Oculus simplex.

22. Lucerna corporis tui est oculus (5) tuus (C, 49, *n.* 8, *v.* 54). Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

6. Vana sollicitudo. (V. eâd. de re, c. 85, n. 2, C.)

24. (*Dom. 14 post Pent.*) ✝ Nemo potest duobus dominis servire (C, 94, *n.* 2, *v.* 13); aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. 25. Ideò dico vobis (*Ps.* 54, 23, 1 *Pet.* 5, 7; *Philip.* 4, 6, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis (6); neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum? 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt : non laborant, neque nent; 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni glorià suâ coopertus est sicut unum ex istis. 30. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos, modicæ fidei? 31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis ¶. 34. Nolite ergò solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia (7) sua.

(1) Gr. ἐπιούσιον, quanquàm non desint codices qui habent ἐπιουσίους; et ita legisse patet Syrum et Arabem. Sensus idem; justitia enim hìc eleemosynam significat.

(2) Tum hìc, tum seq. vers. 6 et 18, Græci addunt, ἐν τῷ φανερῷ, *in propatulo*.

(3) In Gr. ἐπιούσιον, sicut et apud C, cap. 82, n. 1, ubi noster interpres optimè vertit *quotidianum*, quanquàm enim vox Græca significet propriè, crastinum (nam ἡ ἐπιοῦσα dies sequens est, ut Act. 7, v. 26. Et in Hebræo Nazaræorum erat, *panem crastini*, id tamen non tam futurum significat, quàm continuum, ac singulis diebus definitum; quasi dictum esset : Da nobis hodiè panem quo singulis diebus egemus.

(4) Quod hìc sequitur in Græco : *Quoniam tuum est regnum, potestas, et gloria in secula seculorum*, cùm nullus Latinorum habeat, nec exponatur ab ullo interprete præter Chrysostomum, hùc translatum videtur ex Græcorum liturgiâ.

(5) Gr. absolutè habet, *lucerna corporis est oculus*, sicut et apud C, cap 49, n. 8, ubi eâm idem narret dictam à Christo, quod hìc A, cur hùc non retulerimus, vide annot. 5 ejusdem cap. 49.

(6) Additur hìc in Gr : *Aut quid bibatis*.

(7) Gr. κακία, *malitia*, pro θλῖψις, afflictio, quia Hebræum רָעָה Raa utrumque significat : in Evangeliis enim multi hebraismi.

3. CONTINUATIO SERMONIS IN MONTE

CAPUT XLIII.

1. Non judicandum.

A. VII. 1. *Nolite judicare, ut non judicemini.*

C. VI. 37. Nolite judicare (*Rom.* 2, 1,) et non judicabimini; nolite, condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittemini. 38. Date, et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et super effluentem dabunt in sinum vestrum.

C. *Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

A. 2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in quâ mensurâ mensi fueritis (B, 51, *n.* 4, *v.* 24), remetietur vobis.

2. Cæcus cæcum ducens. Festuca.

C. 39. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere (A, 60, *n.* 3, *v.* 14)? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum (A, 56, *n.* 4, *v.* 24. D. 151, *n.* 1, *v.* 16, et 154, *n.* 3, *v.* 20): perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. 41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? 42. Aut quomodò potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo; ipse in oculo tuo trabem non videns? Hyprocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo; et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui ¶.

A. 3. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? 4. Aut quomodò dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo; et ecce trabs est in oculo tuo? 5. Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

3. Sacra prudenter dispensanda.

A. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

4. Petendum, quærendum, pulsandum.

7. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (C, 82, *n.* 2; A, B, 111, *n.* 3; D, 153, *n.* 1, *et* 155, *n.* 4; *Jac.* 1, 5). 8. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. 9. Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei (C, *ibid.*, *v.* 11)? 10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? 11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

5. Arcta via.

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis (C, 41, *n.* 6, *v.* 31). Hæc est enim lex et prophetæ. 13. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam (C, 90, *n.* 1, *v.* 24). 14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam!

6. Falsi prophetæ. Arbor ex fructu.

15. (*Dom.* 7, *post Pent.*) ✝ Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces : 16. A fructibus eorum cognoscetis eos.

A. *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?*

C. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos (A, 49, *n.* 3, *v.* 33); neque arbor mala, faciens fructum bonum. 44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur; neque enim de spinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam.

A. 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere : 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*sup.*, 13, *n.* 4). 20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

C. 45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. (A, 49, *n.* 5, *v.* 34.) Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

7. Opera, non verba.

46. Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et non facitis quæ dico?

A. 21. Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum ¶. 22. Multi dicent mihi in illâ die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor illis : Quia nunquàm novi vos (C, 90, *n.* 1, *v.* 27); discedite à me, qui operamini iniquitatem (*Ps.* 6, 9)

8. Ædificans super petram : super arenam.

A. 24. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro*

C. 47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos (*Rom.* 2, 13., *Jac.* 1, 22 *et* 25); ostendam vobis cui similis sit. 48. Similis est homini

A. Sapienti

Qui ædificavit domum suam supra petram :

C. Ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram. Inundatione autem factâ illisum est flumen domui illi,

A. 25. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non

C. *Et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram.* 26. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea,

A. *cecidit : fundata enim erat super petram. 26. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram*

C. similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam (*Ezech.* 13, 11 *et seq.*);

A. *sine fundamento,*

C. In quam illisus est fluvius,

A. 27. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam :

A. *Et cecidit; et fuit ruina illius magna.*

C. Et continuò cecidit (1); et facta est ruina domûs illius magna. (*VII.* 1. *Cùm autem, c.* 45.)

A. 28. Et factum est, cùm consummâsset Jesus verba hæc, admirabantur (2) turbæ super doctrinâ ejus (B, C, 27) : 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum, et Pharisæi.

(1) Qui conferre volet initium, medium, et finem, totumque progressum sermonis, dubitare non poterit, quin idem sit sermo ab A et C descriptus; imò quæ A hìc solus narrat, ab eo congesta videntur ad summam doctrinæ aliis locis et temporibus traditæ; nam penè omnia aliis locis habet C.

(2) Hinc constat coram turbis sermonem habitum; ac proinde turbas montem ascendisse, sed non in excelsius cacumen. V. annot. 5, c. 40.

LEPROSUS.

Cùm A, B *et* C *leprosi curationem iisdem verbis et circumstantiis describunt, dubitari non debet, quin idem sit miraculum à tribus narratum. Quare cùm* A *miraculi hujus tempus et ordinem significàsse hic videatur, nimirùm statim post sermonem in monte, dicendum est* B *et* C *historiam hanc anticipàsse, et eorum narrationes conjungendas esse narrationi* A.

CAPUT XLIV.

A. VIII. 1. (*Dom.* 3 *post. Epip.*) † Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

A. 2. *Et ecce leprosus.*

C. V. 12. Et factum est cùm esset in unâ civitatum, et ecce vir plenus lepra

B. 1. 40. *Et venit ad eum leprosus*

A. Veniens,

C. Et videns Jesum,

B. Deprecans eum,

Et genu flexo dixit ei : Si vis potes me mundare.

C. Et procidens in faciem,

C. *Rogavit eum dicens : Domine, si vis potes me mundare.*

A. Adorabat eum dicens : Domine, si vis potes me mundare,

43. *Et extendens manum tetigit eum dicens : Volo : mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.*

B. 41. Jesus autem misertus ejus extendit manum suam, et tangens eum, ait illi : Volo : mundare. 42. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est. 43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum ; 44. Et dicit ei : Vide, nemini dixeris ; sed vade (*Lev.* 14, 2 *et seq.*), ostende te principi sacerdotum (1), et offer pro emundatione tuâ quæ præcepit Moyses in testimonium illis. 45. At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem.

A. 3. *Et extendens Jesus manum tetigit eum dicens : Volo : mundare ; et confestim mundata est lepra ejus.* 4. *Et ait illi Jesus :*

C. 14. *Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret ; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tuâ, sicut præcepit Moyses in testimonium illis.*

A. *Vide, nemini dixeris ; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.*

C. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo ;

B. Ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset ; et conveniebant ad eum undique (*II.* 1. *Et iterùm, c.* 33, *n.* 1.)

Et conveniebant.

C. Turbæ multæ, ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis. 16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat. (17. *Et factum est, c.* 33, n. 1.)

(1) Gr. τῷ ἱερεῖ, ut apud A et C. Quare per principem sacerdotum non summus pontifex intelligendus est, sed quivis è Pontificum numero (quos principes sacerdotum sæpiùs Evangelistæ appellant) cui cæteri eam provinciam delegaverant. Vide Levit. 13, 2, 3 et seq.

SERVUS CENTURIONIS.

Vix dubium quin C *voluerit hic exponere* A ; *apertè enim dicit dominum post descensum è monte venisse Capharnaum, et sanàsse servum Centurionis, ut* A, *sed quod* A *dicit Centurionem accessisse, et Dominum ei locutum, id* C *ita exponit, non quòd ipse in personâ ierit ad Dominum, aut quòd ipsi Dominus sit locutus ; sed quia misit et primò et secundò amicos, quibus illud est dictum à Domino nomine Centurionis, quod* A *dicit ipsi Centurioni dictum ; et usitata est hæc forma loquendi tam vulgò quàm probatis scriptoribus. Diversas autem esse historias nullomodò verisimile est. Est verò hic primus ingressus in Capharn. à reditu secundo è Judeâ ; superiora enim in viâ contigerunt. Ne autem mireris finem cap. præced. cum hujus initio satis cohærere. Id enim eò contigit, quòd Catatim post sermonem in monte, omisso leproso quem anticiparat, subjicit historiam Centurionis.*

CAPUT XLV.

C. VII. 1. Cùm autem implèsset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. 2. Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. 3. Et cùm audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus,

A. VIII. 5. (Fer. 5 post Cineres). † *Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum,* 6. *Et*

A. Dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur.

C. 4. At illi cùm venissent ad Jesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes ; 5. Diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.

A. 5. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum.

C. 6. Jesus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari : non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres : 7. Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te ; sed dic tantùm verbo, et sanabitur puer meus. 8. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico huic, vade, et vadit ; et alii, veni, et venit ; et servo meo, fac hoc, et facit. 9. Quo audito Jesus miratus est ; et conversus sequentibus se turbis, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

A. 8. *Et respondens Centurio, ait : Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum ; sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.*

9. *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico huic, vade, et vadit, et alii, veni, et venit ; et servo meo, fac hoc, et facit.* 10. *Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.*

A. 11. Dico autem vobis quòd multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum (C, 90, *n.* 1. v. 28 *et* 29) : 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores (*inf.* 114, v. 15) ; ibi erit fletus et stridor dentium. 13. Et dixit Jesus (1) Centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illâ horâ ¶. (14 (2). *Et cùm venisset, c.* 28.)

C. 10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum qui languerat sanum.

(1) Id est, nuntiis Centurionis : et *vade*, etc., id est, *ite, et sicut credidit, fiat ei* idque non insuetum ut diximus supra in tit. hujus cap.

(2) A cùm narrâsset quod contigit Capharnaï statim à secundo reditu ex Judæâ, redit ad ea ordine narranda, quæ statim à primo reditu contigerant, usque ad secundum accessum in Judæam : itaque hic interrumpenda narratio A.

FILIUS VIDUÆ SUSCITATUS.

C *istud narrat cum aliquâ consequentiæ significatione, nec est, cur alio loco collocetur ; imò sequens caput ostendit hoc loco collocandum ; innuit enim famam ortam ex hoc miraculo occasionem fuisse legationis missæ à Joanne ad Christum.*

CAPUT XLVI.

C. VII. 11. Et factum est, deinceps (*dom.* 15 *post Pent. et fer.* 30 *post dom.* 4 *Quadr.*) † ibat in civitatem quæ vocatur Naim ; et ibant cum eo discipuli ejus et turba copiosa. 12. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ ; et hæc vidua erat ; et turba civitatis multa cum illâ. 13. Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi : Noli flere. 14. Et accessit, et tetigit loculum (hi autem qui portabant steterunt) et ait : Adolescens, tibi dico, surge. 15. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. 16. Accepit autem omnes timor ; et magnificabant Deum, dicentes (D, 57, *n.* 3, v. 14, *et* 74, *n.* 4, v. 40) : Quia propheta magnus surrexit in nobis ; et quia Deus visitavit plebem suam ¶. 17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circà regionem.

JOANNES A CHRISTO LAUDATUS.

Hic constituenda est legatio Joannis ad Christum, tum quia hic eam ponit C, *tum quia non ea tantùm legatio, sed et ipsa decollatio Joannis missionem apostolorum antecessit, ut clarum fiet ex* c. 55. A *verò legationem missioni proximè subjecit, quia missionem anticipavit.*

CAPUT XLVII.

1. *Legatio Joannis ad Christum.*

C. VII. 18. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.

C. 19. *Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium expectamus?*

A. XI. 2. Joannes autem (*dom.* 2 *Adv.*) † cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, 3. Ait illi : Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

A. 4. *Et respondens Jesus ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis :* 5. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* 6. *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

2. *Laudes Joannis.*

7. *Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam?* 8. *Sed quid existis videre ? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* 9. *Sed quid existis videre? prophetam ? etiam dico vobis, et plusquàm prophetam.*

C. 20. Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt ; Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 21. In ipsâ autem horâ multos curavit à languoribus, et plagis et spiritibus malis ; et cæcis multis donavit visum. 22. Et respondens dixit illis euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis : quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur (*Isa.* 35, 5). 23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Et cùm discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosâ sunt et deliciis, in domibus regum sunt.

26. Sed quid existis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plus quàm prophetam.

C. 27. *Hic est de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.*

A. 10. Hic est enim de quo scriptum est (*Mal.* 3, 1 ; B, 13, *n.* 1, v. 2) : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te ¶.

A. 11. *Amen dico vobis : Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ. Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.*

C. 28. Dico enim vobis : Major inter natos mulierum prophetâ Joanne Baptistâ nemo est : qui autem minor est in regno Dei, major est illo.

A. 12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (C, 94, *n.* 2, v. 16). 13. Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt ; 14. Et si vultis recipere, ipse est Elias (*Malach.* 4, 5)

qui venturus est. 15. Qui habet aures audiendi, audiat.

3. Pharisæi Joannem et Christum rejicientes.

C. 29. Et omnis populus audiens et publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. 30. Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo. 31. Ait autem

A. 16. *Cui autem similem æstimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cæquali-bus* 17. *Dicunt : Cecinimus vobis, et non saltâstis : lamentavimus, et non planxistis.* 18. *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : dæmonium habet.* 19. *Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis*

Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltâstis; lamentavimus, et non plorâstis. 33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum (A, B, 15, *n.* 2); et dicitis : dæmonium habet. 34. Venit Filius hominis manducans et bibens; et dicitis : ecce homo devorator, et bibens vinum; amicus publicanorum et peccatorum. 35. Et (1) justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. (36. *Rogabat autem, c. seq.*)

4. Exprobratio in civitates impœnitentes.

A 20. Tunc cœpit exprobrare (2) civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent

C X. 13. *Væ tibi, Corozaïn (2), væ tibi, Bethsaïda : quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* 14. *Verùmtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quàm vobis.* 15. *Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.*

pœnitentiam. 21. Væ tibi, Corozaïn, Væ tibi, Bethsaïda; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. 22. Verùmtamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis. 23. Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes : quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. 24. Verùmtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi (*inf.* 56, *n.* 3, *v.* 15. C. 79, *n.* 1, *v.* 12). (25. *In illo tempore* (3), *c.* 79, *n.* 3.)

(16. Qui vos audit, c. 79, n. 1.)

(1) *Et* pro, *sed*; sensus enim est : Sed sapientissima Dei providentia, et Joannis severitate, et Christi comitate Judæos ad pœnitentiam revocantis, probata et laudata est, seu justa declarata ab iis omnibus, quotquot verè in hoc populo sapientes fuerint, sive Apostoli, sive publicani, sive plebeii; qui de hoc consilio *justificaverunt* Deum, id est, *glorificârunt*; ut supra, C, v. 29.

(2) Hanc exprobrationem inserit, C, sermoni Christi ad septuaginta discipulos qui habetur cap. 79, fortassè quòd hæc illi in mentem venisset occasione verborum Christi ad septuaginta : *Sodomis remissius fore, quàm civitati quæ illos non recepisset*; quibus similia apud A, in illâ exprobratione continentur. Alioquin si exprobrationis verba à sermone Christi apud C, dempseris, antecedentia et consequentia inter se optimè cohærebunt. Quare probabilius est hanc exprobrationem apud A, suo loco referri, cùm adhuc Dominus versaretur in Galilæâ, et ut appareat Capharnaï, ad quam ideò specialiter verba sua dirigit. Et hâc de causâ verba C, hùc adduximus.

(3) Quod hic habet A de mysteriis à sapientibus absconditis, habet etiam C, post sermonem ad septuaginta, cap. 79, et quidem cum hâc notâ temporis, *in ipsâ horâ exultavit*, etc. Quare satius visum est locum A illùc transferre, apud quem hæc verba, *in illo tempore*, non semper notant tempus rei ante narratæ, ut aliàs diximus.

PECCATRIX UNGENS CHRISTUM. (*Vide aliam unctionem, cap.* 108.)

Historiam mulieris peccatricis hic reliquimus, ut fecerunt ante nos omnes harmoniarum Evang. auctores; quàm tamen (si peccatrix illa eadem sit cum Mariâ sorore Lazari, ut communior fert opinio) certum est alio tempore et loco contigisse : tum enim Christus versabatur in Galilæâ, soror autem Lazari habitabat in Bethaniâ prope Jerosolymam. Quare dicendum foret C hanc historiam suo ordine non retulisse, sed per anticipationem hoc illustre pœnitentiæ exemplum subjunxisse verbis Christi de peccatoribus et publicanis, præ pharisæis pœnitentiam amplexantibus, et ad Joannis baptismum accurrentibus. V. cap. 56, *n.* 1, *cum annot.* 1 *illius cap. Item cap.* 108.

CAPUT XLVIII.

C. VII. 36. (*In fest. S. Mar. Magd., fer.* 5 *post Dom. Pas., fer.* 6, 4 *temp. sept.*) ✝ Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. 37. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti (A, B, D, 108, *n.* 1); 38. et stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. 40. Et respondens Jesus dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. 42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? 43. Respondens Simon dixit : Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei : Rectè judicâsti. 44. Et con-

versus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti; hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit. 45. Osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit. 48. Dixit autem ad illam : Remittuntur tibi peccata (A, B, C, 33, *n.* 2). 49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic qui etiam peccata dimittit? 50. Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit (A, B, C, 33, *n.* 2), vade in pace ✝ (VIII, 1. *Et factum est deinceps* (1), *c.* 56.

(1) C subjicit circuitum ante missionem, sed sic ut statim, antequàm pergat, repetat pleraque quæ omiserat, ut transfretationem in regionem Gerasenorum, historiam Jairi, et Hæmorrhoissæ. Circuitum autem non posse hic collocari intelligetur ex cap. 56.

2. Dæmoniacus mutus et cæcus. (V. 1, Dæmoniac. unt., c. 56, et 3, c. 68.)

Hinc primùm, ut diximus annot. cap. 59, A *redit ad continuandam historiam eorum quæ post secundum è Judeâ in Galilæam reditum contigerunt, cùm horum pleraque, ut vidimus, anticipâsset. Continuam autem narrari historiam ab* A *hinc usque Nazareth, et deinceps, et istud esse primum à quo incipit, ex superioribus et inferioribus intelligitur. Quin et* B, *in his, et deinceps consentit cum* A, *eumdemque ordinem servat, nisi quòd quædam interponat; proximè autem istud subjicit electioni; non quòd primo post reditum ingressu in Capharn. contigerit, ut diximus; sed quia intermedia non narravit; itaque et istud primum est ex* B, *et ante omnia sequentia collocandum.* C *verò (quod verisimillimum est idem esse) istud de dæmoniaco narrat post missionem septuaginta, sed sic ut nullam cohæretiam significet.*

CAPUT XLIX.

1. Dæmoniacus cæcus et mutus.

B. III. 20. Et veniunt ad domum; et convenit iterùm turba, ita ut non possent neque panem manducare. 21. Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est (1).

A. XII. 22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus.

C. XI. 14. Et (*dom.* 3 *Quadr.*) ✝ erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cùm ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ.

A. Et curavit eum ita ut loqueretur, et videret. 23. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David?

2. Satanas per Satanam non ejectus.

A. 24. Pharisæi autem audientes dixerunt (*sup.*, 36, *n.* 2) : Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

C. 15. *Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebud principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* 16. *Et*

B. 22. Et scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum (2) ejicit dæmonia. 23. Et

A. 25. *Jesus autem*

C. Alii tentantes, signum de

sciens cogitationes eorum dixit eis :

C. *Dixit eis : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus suprà domum cadet.*

cœlo quærebant ab eo. 17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum,

B. convocatis eis, in parabolis dicebat illis :

A. Omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.

B. Quomodò potest Satanas Satanam ejicere?

A. 26. Et si Satanas Satanam ejicit, adversùs se divisus est.

C. 18. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodò stabit regnum ejus?

B. 24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. 25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare

26. Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet.

A. Quomodò ergo stabit regnum ejus?

A. 27. *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.* 28. *Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.*

C. Quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. 19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri (3) in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt. 20. Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei.

B. 27. *Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.*

A. 29. Aut quomodò potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet.

C. 21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. 22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

A. 30. *Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit.*

23. Qui est non mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit (24. *Cùm immundus* (4), *infra, n.* 9.)

4. Blasphemia in Spiritum sanctum.

31. *Ideò dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus :*

B. 28. Amen dico vobis quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ quibus blasphemaverint :

A. Spiritûs autem blasphemia non remittetur. 32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei (C, 84, *v.* 10; 1 *Joan.* 5, 16.); qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo,

B. 29. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit*

remissionem in æternum.

neque in futuro.

B. Sed reus erit æterni delicti. 30. Quoniam dicebant, spiritum immundum habet.

5. *Arbor bona, aut mala.*

A. 33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum (C, A, 43, *n.* 6, *v.* 45, 17); si quidem ex fructu arbor agnoscitur. 34. Progenies viperarum, quomodò potestis bona loqui, cùm siris mali? ex abundantiâ enim cordis os loquitur (C, *ibid., v.* 45). 35. Bonus homo de bono thesauro profert bona; et malus homo de malo thesauro profert mala. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. 37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

6. *Signum Jonæ.* (Hæc 1 petitio signi, v. 2, c. 64, n. 1.)

38. Tunc (*scr.* 4, 4 *temp. Quadrag.*) ✝ responderunt ei quidam de scribis et pharisæis, dicentes : Magister, volumus à te signum videre.

A. 39. *Qui respondens ait illis :*

C. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere : Generatio hæc generatio nequam est.

C. *Signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* 30. *Nam*

A. Generatio mala et adultera signum quæris, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ (A, B, 64, n. 1). 40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit

Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus (*Jonæ*, 2, 1).

C. Sicut fuit Jonas signum Ninivitis; ita erit et Filius hominis generationi isti. (31. *Regina, infra.*)

7. *Ninivitæ. Regina Sabæ.*

C. 32. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hâc, et condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ; et ecce plus quàm Jonas hic.* (33. Nemo lucernam, infra.)

A. 41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ, et condemnabunt eam (*Jonæ*, 3, 5 *et seq.*); quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; et ecce plus quàm Jonas hic.

31. *Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quàm Salomon hic* (32. Viri Ninivitæ, supra.)

42. Regina Austri surget in judicio cum generatione istâ, et condemnabit eam (3 *Reg.* 10, 1 ; 2 *Par.* 9, 1) ; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis : et ecce plus quàm Salomon hic.

8. *Oculus simplex.*

C. 33. (*In com. conf. pœn.*) ✝ Nemo (5) lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. 34. Lucerna corporis tui est oculus tuus (A, 41, *n.* 1, v. 15. B, C, 51, *n.* 4, A, 42, *n.* 5). Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. 35. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. 36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te (6) ¶. (37. *Et cùm loqueretur* (7), *c.* 83, *n.* 1.)

9. *Satanas ejectus et rediens.*

C. 24. *Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem; et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi.* 25. *Et cùm venerit, invenit, eam scopis mundatam, et ornatam.* 26. *Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se; et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.*

A. 43. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, et non invenit. 44. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. 45. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se; et intrantes habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus, 2 Petr. 2, 20. Sic erit et generationi huic pessimæ.

(1) Gr. ἐξέστη, *extra se factus est*, quod quidam non de furore, sed de animi deliquio interpretantur, ainsique cognatos Christi veritos ne tum ex inedià, tum ex circumstantiis æris tepore, quem faciebat nimius turbæ concursus, animo deficeret, voluisse eum ex eâ domo in quâ premebatur, aliò adducere.

(2) Licet B non faciat mentionem dæmoniaci cæci et muti, ex his tamen verbis, in quibus A, B, et C, conveniunt, sicut et in sequentibus, patet eamdem historiam ab illis tribus enarrari.

(3) Quidam de apostolis intelligunt, alii de exorcistis Judæorum, nonnulli de familiaribus vel propinquis ipsorum scribarum, qui non de familiâ Christi, sed inter ejus discipulos erant, et quibus ausi non fuissent scribæ illam impingere calumniam, quòd in Beelzebub dæmonia ejicerent.

(4) Multò magis cohæret narratio A quàm C; verisimilius enim est signum petisse Pharisæos et scribas tantùm post gravem reprehensionem de blasphemiâ, ut apud A, quàm ante, ut apud C. Item cùm dixisset Christus Jonam fuisse signum Ninivitis potùs subjecisse comparationem, et accusationem Ninivitarum in judicio, ut apud A, quàm locutum de reginâ Austri, ut apud Et ideò tam hic C, quàm v. 31, ubi de reginâ Austri, narrationem C nonnihil invertere, eamque ad narrationem A reducere necessarium duximus.

(5) Quia S. Aug. de Consensu Evang., l. 2, c. 39, existimat hìc C addidisse quæ omiserat A. Et quia hæ de lucernâ et oculo simplici sententiæ inter eas videntur reponendæ, quas sæpiùs datâ occasione Christus repetebat, quamvis propriam hìc non habeant sicut nec alibi cohærentiam; satius visum est hìc eas apponere, ubi ad perversa Pharisæorum de Christo judicia applicari possunt; in sermone enim in monte apud B sumuntur generaliùs, et ad vitam rectè instituendam diriguntur.

(6) Tautologia videtur. Græca lectio facilior : *Erit lucidum totum ut cùm lucerna fulgore illuminat te :* id est, eum tibi usum præbebit corpus totum lucidum, quem præberet latè coruscans lucerna, adeò nihil erit quod te offendat. Per *corpus* autem Christus hìc intelligit perpetuum vitæ tenorem : quod Joannes, 1 Epist. 2, 10, in lumine manere; et, ibidem, 1, 7, in luce ambulare appellat. Per *oculum* verò mentem puram, et soli Deo intentam.

(7) Quare adeò disjungantur quæ hìc proximè subjicit C, vide tit. cap. 85.

EXCLAMATIO MULIERIS. MATER ET FRATRES CHRISTI.

Constat ex C *exclamationem mulieris hìc collocandam, tum sequi proximè adventum matris et fratrum Christi; non solùm quòd* A *et* B *immediatè ea superioribus subjiciant, tanquàm facta antequàm Dominus è domo exiret; sed etiam quia dicit* A : Adhuc eo loquente : *item quia illud,* foris, *quo omnes utuntur, significat Dominum adhuc in domo fuisse : Dicendum ergo* C, *qui id refert post parabolam seminantis, ordinem temporis non servâsse.*

CAPUT L.

C. XI. 27. Factum est autem, cùm hæc diceret (*in Præsent. et missis vot. B Mariæ*), ✝ extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. 28. At ille dixit : Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud ¶. (29. *Turbis autem, c. præced.*, n. 6.)

B. III. 31. *Et venient mater ejus, et fratres :*

C. VIII. 19, Venerunt autem ad illum,

A. XII. 46. Adhuc eo loquente ad turbas,

A. *Ecce mater ejus et fratres stabant foris,*

C. Mater, et fratres ejus,

A. Quærentes loqui ei;

C. Et non poterant addire eum præ turbâ.

C. 20. *Et nuntiatum est illi : Mater tua, et fratres tui stant foris, volentes te videre.*

B. Et foris stantes miserunt ad eum, vocantes eum; 32. Et sedebat circa eum turba.

B. *et dicunt ei : Ecce mater tua, et fratres tui foris quærunt te.* 33. *Et respondens eis ait : Quæ est mater mea, et fratres mei ?*

A. 47. Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te. 48. At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, etqui sunt fratres mei ?

C. 21. *Qui respondens dixit ad eos :*

B. 34. Et circumspiciens,

A. 49. Et extendens manum in

B. Eos, qui in circuitu ejus sedebant,

B. *Ait : Ecce mater mea, et fratres mei.* 35. *Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.*

A. Discipulos suos, dixit : Ecce mater mea, et fratres mei. 50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est ¶.

C. Mater mea et fratres mei hi sunt, qui Verbum Dei audiunt et faciunt. (22 (1) *Factum est autem*, c. 31.)

(1) Hìc C sequitur B, in eo quòd utrumque post parabolas, antequàm pergant ad missionem, repetunt quæ omiserant, nimirùm tempestatem sedatam, expulsionem legionis dæmonum, Jairum, et Hæmorrhoissam, quæ vide supra, cap. 51, 52, et 55. In eo verò discrepant, quòd B plures parabolas, C unicam tantùm hìc referat, scilicet seminantis, cui subjungit adventum matris et fratrum Christi, quem B suo loco antè retulerat; et postea tempestatem, et reliqua, ut B. V. tit. c. 51.

PARABOLA SEMINANTIS.

A et B parabolas proximè subjiciunt superioribus; et primo optimè cohæret cum eo quod præcessit de audiendo Verbo Dei : itaque nullo alio loco potest verisimiliter collocari. nam et C hanc parabolam repetit statim post anticipatam secundam peregrinationem Galilææ.

CAPUT LI.

1. *Propositio parabolæ.*

C. VIII. 4. (*Dom. in Sexag.*) ✝ Cùm autem

A. XIII. 1. In illo die

C. Turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum,

A. Exiens Jesus de domo, sedebat secus mare :

B. IV. 1. Et iterùm cœpit docere.

B. *Ad mare : et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari;*

A. 2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet;

A. *Et omnis turba stabat in littore.* 3. *Et locutus est eis multa in parabolis, dicens :*

B. et omnis turba circa mare super terram erat. 2. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrinâ suâ : 3. Audite. Ecce

C. *Dixit per similitudinem.*

A. *Ecce exiit qui seminat, seminare :* 4. *Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea.*

C. 5. Exiit qui seminat, seminare semen suum; et dùm seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud.

B. *Exiit seminans ad seminandum;* 4. *Et dùm seminat, aliud cecidit circa*

viam, et venerunt volucres cæli, et comederunt illud.

C. 6. *Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem;*

A. 5. *Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam; et continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ;* 6. *Sole autem orto æstuaverunt, et quia non habebant radicem, aruerunt.*

C. 7. *Et aliud cecidit inter spinas, et*

A. 7. *Alia autem ceciderunt in spinas; et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea.*

C. *Spinæ suffocaverunt illud.*

A. 8. *Alia autem ceciderunt in terram bonam; et dabant fructum,*

C. 8. *Et aliud cecidit in terram bonam; et ortum fecit fructum centuplum.*

B. *Unum triginta, unum sexaginta, et unum centum,*

A. 9. *Qui habet aures audiendi, audiat.*

C. *Qui habet aures audiendi, audiat.*

B. 5. Aliud verò cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ; 6. Et quando exortus est sol, exæstuavit; et eò quòd non habebat radicem, exaruit. 7. Et aliud cecidit in spinas; et ascenderunt

C. Simul exortæ

B. Spinæ, et suffocaverunt illud et fructum non dedit. 8. Et aliud cecidit in terram bonam; et dabat fructum ascendentem, et crescentem; et afferebat

A. Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

C. Hæc dicens clamabat;

B. 9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

2. *Cur in parabolis loqueretur.*

C. 9. *Interrogabant autem eum.*

A. 10. *Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis.*

B. *Parabolam.*

B. 10. Et cùm esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim (1).

C. discipuli ejus, quæ esset hæc

11. *Et dicebat eis: Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei:*

C. 10. *Quibus ipse dixit: Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis:*

A. *Illis autem non est datum.*

C. *Ut videntes non videant, et audientes non intelligant.*

parabola?

A. 11. Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nôsse mysteria regni cœlorum;

B. Illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt: 12. Ut videntes videant, et non videant; et audientes audiant, et non intelligant, ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata.

A. 12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit (B, C, *inf. n.* 4, *v.* 25, 48; C, 106, *v.* 26; A, 125, *v.* 29.); qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. 13. Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis (*Isa.* 6, 9 · D, 110, *n.* 6, *v.* 40; *Act.* 28, 26; *Rom.* 11, 8.) 15. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. 16. Vestri autem beati oculi, quia vident; et aures vestræ, quia audiant (79, *n.* 5, *v.* 25). 17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.

3. *Explicatio parabolæ.*

B. 13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? Et quomodò omnes parabolas cognoscetis?

A. 18. Vos ergo audite parabolam seminantis.

C. 11. *Est autem hæc parabola.*

C. Semen est verbum Dei.

A. 19. *Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est.*

B. 14. Qui seminat, verbum seminat. 15. Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum; et cùm audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.

C. 12. *Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum.*

A. 20. *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum*

C. Ne credentes salvi fiant.

B. 16. Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur, qui cùm audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud;

audit, et continuò cum gaudio accipit illud; 21. *Non habet autem in se radicem, sed est temporalis; factâ autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.*

17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt, deindè ortâ tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

C. 13. *Nam qui supra petram: qui cùm audierint, cùm gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent: qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

18. Et alii sunt qui in spinis seminantur; hi sunt qui verbum audiunt;

A. 22. *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit,*

C. 14. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt,*

19. Et ærumnæ,

B. *Seculi et deceptio divitiarum,*

C. *Et à sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum.*

A. Et sollicitudo seculi istius, et fallacia divitiarum,

B. Et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

A. *Suffocat verbum et sine fructu efficitur.*

C. 15. *Quod autem in bonam terram hi sunt,*

20. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt,

A. 23. *Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert,* et *facit.*

C. Qui in corde bono et optimo audientes verbum, retinent; et fructum afferunt in patientiâ ¶,

B. *Qui audiunt verbum, et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.*

A. Aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.

4. *Nihil absconditum.*

B. 21. *Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?* 22. *Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.*

C. 16. Nemo autem lucernam accendens operit eam vase (A, 41, *n.* 1, *v.* 15; C, 49, *n.* 8), aut subtùs lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. 17. Non est enim occultum (A, 56, *n.* 5, *v.* 26; C, 84, *v.* 2) quod non manifestetur; nec absconditum, quod non cognoscatur et in palam veniat.

C. 18. *Videte ergo quomodò audiatis:*

B. 25. *Qui enim habet, dabitur illi; et qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo:*

B. 25. Si quis habet aures audiendi, audiat. 24. Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In quâ mensurâ mensi fueritis (A, C, 45, *n.* 1, *v.* 2, 58), remetietur vobis, et adjicietur vobis:

C. Qui enim habet, dabitur illi (A, *sup., n.* 2, *et* 125, *v.* 29; C, 106, *v.* 26); et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

(19. *Venerunt autem* (2), *c.* 50.)

(1) Non diceret B duodecim, nisi ante hic numerus Apostolorum fuisset constitutus, et essent hæ parabolæ dictæ post electionem Apostolorum: quod notandum est, ut intelligatur, cùm post parabolas, narraturus sedatam maris tempestatem, subdit: *Et ait illis in illâ die, cùm serò esset factum*, id intelligi non posse de die dictarum parabolarum: hæc enim tempestas sine dubio contigit ante vocationem Matthæi.

(2) C subjicit adventum matris et fratrum Christi, non quòd post parabolam, sed quòd proximè ante contigisset. (V. tit. cap. præced.)

PARABOLÆ VARIÆ.

CAPUT LII.

1. *Parabola zizaniorum.*

A. XIII. 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: *(Dom. 5 post Epiph.)* ✝ Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo; 25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit (*Sap.* 2, 24). 26. Cùm autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. 27. Accedentes autem servi patrisfamiliàs, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminâsti in agro tuo? unde ergo habet zizania? 28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea? 29. Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. 30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania: et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum ¶.

2. *Seminis ultrò germinantis.*

B. IV. 26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quem-

admodùm si homo jaciat sementem in terram ; 27. Et dormiat, et exurgat nocte et die ; et semen germinet, et increscat dùm nescit ille : 28. Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ : 29. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

3. *Sinapis.*

B. 30. *Et dicebat :*

A. 31. Aliam parabolam proposuit eis, dicens :

C. XIII. 18. *Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud?*

B. Cui assimilabimus regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud?

19. *Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum ;*

A. ✝ (*Dom.* 6 *post Epiph.*) Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo ;

B. 31. *Sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terrâ, minus est omnibus seminibus.*

32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus

A. *Cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.*

B. Quæ sunt in terrâ : 32. Et cùm seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbrâ ejus aves cœli habitare.

C. *Et crevit, et factum est in arborem magnam : et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.*

4. *Fermenti.*

20. *Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei? 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit, in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* (22. *Et ibat, c.* 90, *n.* 1.)

A. 33. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

A. 34. *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas ; et sine parabolis non loquebatur eis.*

B. 33. Et talibus multis parabolis (1) loquebatur eis verbum, prout poterant audire ; 34. Sine parabolâ autem non loquebatur eis.

A. 35. Ut impleretur quod dictum erat per prophetam, dicentem (*Ps.* 77, 2) : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi ¶.

B. Seorsùm autem discipulis suis disserebat omnia. (35. *Et ait illis* (2), c. 31.

(1) Hinc valdè verisimile est, omnes istas parabolas simul dictas.

(2) De iis quæ parabolas sequuntur apud B et C, vid. annot. cap. 50, et annot. 1, c. seq.

Expositio zizaniorum. Aliæ parabolæ.

Valdè verisimile est tres sequentes parabolas dictas fuisse discipulis in domo, cùm exposita esset parabola zizaniorum : A *enim et* B *videntur conclusisse parabolas dictas turbis, cùm aiunt :* Et sine parabolis non loquebatur eis ; *altioqui videri possent omnes simul dictæ.*

CAPUT LIII.

1. *Expositio zizaniorum.*

A. XIII. 36. Tunc dimissis turbis venit in domum (1) ; et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondens ait illis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autem est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. 39. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò, consummatio seculi est (*Joel* 3, 13 ; *Apoc.* 14, 15). Messores autem, angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi. 41. Mittet Filius hominis angelos suos ; et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem ; 42. Et mittent eos in caminum ignis ; ibi erit fletus et stridor dentium. 43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum (*Sap.* 5, 7 ; *Dan.* 12, 3). Qui habet aures audiendi, audiat.

2. *Parabola thesauri absconditi.*

44. (In comm. non Virg.) ✝ Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro ; quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

3. *Pretiosæ margaritæ.*

45. Iterùm simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. 46. Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

4. *Sagenæ.*

47. Iterùm simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, 48. Quam, cùm impleta esset, educentes, et secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foràs miserunt. 49. Sic erit in consummatione seculi (*Inf.* 126, *v.* 31 *et seq.*), exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum. 50. Et mittent eos in caminum ignis ; ibi erit fletus et stridor dentium. 51. Intellexistis hæc omnia (2) ? Dicunt ei : Etiam. 52. Ait illis : Ideò omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo nova et vetera ¶.

(1) A satis significat Dominum dictis parabolis domumvenisse ; non autem transfretâsse : nec quamcumque domum significat, sed in quam se solebat recipere Capharnaï. Quare dicendum B et C transfretationis hìc meminisse, quia repetunt quæ ante dictas parabolas ad idem littus gesta fuerant. Vid. annot. c. 50, et tit. c. 51,

(2) Hæc omnìnò videntur dici discipulis in domo.

Prædicatio in synagoga Nazareth. (Anno Ch. 33.)

Quæ A *et* B *hìc habent de Nazareth, jam anticipaverat* C, *ut dictum est annot.* 5, *c.* 24. *Quare hoc omisso,* C *pergit ad narrandam missionem.*

CAPUT LIV.

1. *Venit Nazareth. Iuìum legit.*

A. XIII. 53. Et factum est, cùm consummâsset Jesus parabolas istas, transiit indè (1).

B. VI. 1. Et egressus (inde) abiit in patriam suam ; et sequebantur eum discipuli sui.

A. 54. *et veniens in patriam suam*

C. IV. 16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus ; et intravit (2) secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam ; et surrexit legere. 17. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat (*Isa.* 61, 1) : 18. Spiritus Domini super me ; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, 19. prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. 20. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagogâ oculi erant intendentes in eum. 21. Cœpit autem

B. *Et facto sabbato cœpit*

A. *Docebat eos in synagogis eorum.*

B. In synagogâ docere, et

C. Dicere ad illos : Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

2. *Stupor, et incidia Nazarenorum.*

B. Multi audientes admirabantur in doctrinâ ejus ;

C. 22. Et omnes testimonium illi dabant ;

C. *Et mirabantur.*

A. Ità ut mirarentur

C. In verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius,

B. *Dicentes.*

A. Et dicerent : Unde huic sapientia hæc, et virtutes ?

C. *Et dicebant.*

B. Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia quæ data est illi, et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur? 3. Nonne hic est faber?

A. 55. Nonne hic est fabri filius?

C. Nonne hic est filius Joseph (D. 59, *n.* 4)?

B. *Filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? Nonne et sorores ejus hìc nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.*

A. Nonne mater ejus dicitur Maria? et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas? 56. Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? 57. Et scandalizabantur in eo.

3. *Propheta in patriâ sine honore.*

C. 23. *Et ait illis.*

Jesus autem dixit eis :

C. (*Fer.* 2 *post Dom.* 3 *Quadr.*) ✝ Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum ; quanta audivimus (2) facta in Capharnaum, fac et hìc in patriâ tuâ. 24. Ait autem :

B. 4. *Et dicebat illis Jesus, quia*

Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patriâ suâ (D. 24, *v.* 44).

A. *Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, et in domo suâ.*

B. Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, et in domo suâ, et in cognatione suâ.

C. 25. In veritate dico vobis : Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex (3 *Reg.* 17, 1 ; *Eccl.* 48, 2, 3 ; *Jac.* 5, 17), cùm facta esset fames magna in omni terrâ : 26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam (3 *Reg.* 17, 9). 27. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta ; et nemo eorum (4 *Reg.* 5, 14) mundatus est, nisi Naaman Syrus.

4. *Furor in Christum, et incredulitas.*

28. Et repleti sunt omnes in synagogâ irâ, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem ; et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. 30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat ¶. (51. *Et descendit* (3) *in Capharn.*, *c.* 27.)

A. 58. *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.*

B. 5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere (4), nisi paucos infirmos impositis manibus curavit. 6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum (*Et circuibat, c.* 56, *n.* 1).

(1) Particula, *inde*, apud A et B, significat tam urbem Capharn. quàm loca adjacentia, quæ circa mare erant, ubi parabolas enarraverat. Ab hinc autem non videtur amplius habitasse Capharnaï, licèt aliquoties illùc transierit, sicut per alias civitates, in quibus non habitavit.

(2) Ex eo quod dicit C, *secundùm consuetudinem*, et *quanta audivimus facta in Capharn.*, constat istud non contigisse eo loco et ordine quo ab eo narratur ; tunc enim primùm incipiebat Dominus publicè docere, nec quidquam adhuc fecerat Capharnaï.

(3) Sequitur apud C ingressus Capharnaum, qui longè ante contigit, quia scilicet C anticipavit historiam Nazareth, ut obiter rationem redderet, cur Capharnaï potiùs domicilium elegisset Christus, quàm in urbe Nazareth, ubi fuerat educatus.

(4) Non quin potuisset, si voluisset ; sed quia in odium pertinacissimæ illorum incredulitatis non potuit adduci ut vellet ; non enim conveniens Christus judicabat miracula facere, cùm ab incredulis, aut curiosis postularentur, ut patet de Herode, cap. 141, n. 3. C, v. 8, et de Phariseis, cap. 49, n. 6. A, v. 58.

Decollatio Joannis.

Non constat quo tempore Joannes sit decollatus : certum autem mortem ejus poni debere post discipulorum ejus legationem ad Christum, de quâ, c. 47, *et ante opinionem Herodis de Christo, de quâ, c.* 57. *Itaque, licèt hoc initium* B. : Et cùm dies, *etc., nullam cohærentiam habeat cum proximè superioribus, imò hiatum magnum videatur facere, eo quod hìc dies opportunus tantùm erat Herodiadi, de quâ tam longè ante, c.* 22, *ubi de incarceratione ; quia tamen et incarceratio et decollatio simul narrantur ab*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Evangelistis occasione opinionis quam Herodes de Christo habebat, quòd esset Joannes suscitatus, nec potuit incarceratio alibi reponi quàm dicto, cap. 22, ob rationem in ejus titulo habitam, commodius visum est, et Evangelistarum contextum ita diremptre, et decollationem Joannis loco isto collocare.

CAPUT LV.

A. XIV. 6. *Die autem.*

B. VI. 21. Et cùm dies opportunus accidisset (1),

A. Natalis Herodis,

B. Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ. 22. Cùmque introisset filia

Saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.

ipsius Herodiadis, et saltàsset in medio, et placuisset Herodi, simul-

7. *Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulâsset ab eo.*

que recumbentibus, rex ait puellæ (*Esther* 5, 3 et 6) : Pete à me quod vis, et dabo tibi; 23. Et juravit illi : Quia quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium regni mei. 24. Quæ cùm exisset, dixit matri suæ :

8. *At illa præmonita à matre suâ : Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.*

Quid petam? At illa dixit : Caput Joannis Baptistæ. 25. Cùmque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit, dicens : Volo ut protinùs des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. 26. Et contristatus est rex :

9. *Et contristatus est rex :*

B. *Propter jusjurandum, et propter simul discumbentes,*

A. Propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant,

B. Noluit eam contristare : 27. Sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco;

A. *Jussit dari* 10. *Misitque,*

A. Et decollavit Joannem in carcere; 11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ,

B. *Et decollavit eum in carcere, et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ,*

A. *Et attulit matri suæ.* 12. *Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud.*

B. Et puella dedit matri suæ. 29. Quo audito discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento ¶. (30. *Et convenientes, c.* 57.)

A. Et venientes nuntiaverunt Jesu. (13. *Quod cùm audisset, c.* 57.)

(1) Opportunus, scilicet Herodiadi. Vid. tit. hujus cap.

SECUNDA PERAGRATIO GALILÆÆ. MISSIO APOSTOLORUM.

A *sine dubio hìc, id est, post Nazareth, potuisset hunc secundam peragrationem et missionem, nisi utramque anticipâsset; nam et ea statim subdit quæ proximè post missionem et reditum Apostolorum contigerunt, ut videbitur; itaque hìc ponenda fuit missio, et peragratio quæ ejus causa fuit. Quare non dubium quin debeamus hìc sequi narrationem* B; *esse enim eumdem circuitum à tribus scriptum, ex verborum convenientiâ satis intelligitur, atque hunc circuitum in quo ista missio facta est, contigisse circa Nazareth. Ideò verò* C *hìc facit mentionem mulierum, quia jam Dominus reliquerat Capharn. peregrè agens, non amplius scilicet eò ut domum rediturus; sed cùm cœpisset narrare peragrationem quam missio secuta est, ante missionem quædam interposuit quæ priùs contigerant, initio facto à parabolâ seminantis, cui subjungit quæ ad idem littus longè ante facta fuerant.* (Vid. annot. in fine, c. 50.)

CAPUT LVI.

1. *Secunda peragratio Galilææ.*

V. 1, c. 29.

C. VIII. 1. Et factum est deinceps;

C. *Et ipse iter faciebat per civitates, et castella, prædicans, et evangelizans regnum Dei;*

A. IX. 35. Et circuibat Jesus omnes civitates, et castella (*Sup.* 40, *n.* 1, *v.* 23), docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem;

B. VI. 6. *Et circuibat castella, in circuitu docens.*

C. Et duodecim cum illo, 2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à spiritibus malignis et infirmitatibus; Maria (1), quæ vocatur Magdelene (B, 145, *n.* 5), de quâ septem dæmonia exierant, 3. Et Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. (4. *Cum autem, c.* 54, *n.* 1.)

2. *Missio duodecim Apostolorum.*

A. 36. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem (B. 57, *n.* 2, *v.* 34). 37. Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci (C, 79, *n.* 1, *v.* 2). 38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

A. X. 1. *Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et*

C. IX. 1. Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia (B, 40, *n.* 1, *v.* 15 *et seq.*), et ut

B. 7. *Et vocavit* (1) *duodecim* (et cœpit, infra); *Et dabat illis potestatem spirituum immundorum.*

C. *Languores curarent.*

A. Curarent omnem languorem et omnem infirmitatem :

B. Et cœpit eos mittere binos. (*Et dabat, supra.*)

A. 2. Duodecim (2) autem apostolorum nomina sunt hæc (B, C, 40, *n.* 1, *v.* 16, 14) : Primus, Simon qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus; 3. Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus; Philippus, et Bartholomæus, Thomas, et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, et Thaddæus (3), 4. Simon Chananæus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum. 5. Hos duodecim

C. 2. *Et misit illos.* misit Jesus

C. Prædicare regnum Dei, et sanare infirmos.

3. *Monita quoad conversationem.*

C. 3. *Et ait ad illos : Nihil tuleritis in viâ, neque virgam* (4) tantùm; non peram, non panem, neque in zonâ æs; 9. Sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis.

B. 8. Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ (C, 79, *n.* 1, *v.* 4 *et* 152, *n.* 5. *v.* 55; A, *inf.*), nisi

gam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

A. *Præcipiens eis, dicens :*

10. Et præcipiens, dicebat eis :

A. In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : 6. Sed potiùs ite ad oves quæ perierunt domûs Israel (*Act.* 13, 46) 7. Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris (B, C, *sup.*) 10. Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus enim est operarius cibo suo (1 *Tim.* 5, 18). 11. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus sit :

A. *Et ibi manete, donec exeatis.*

C. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.

B. *Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde.*

A. 12. Intrantes autem in domum (C, 79, *n.* 1, *v.* 5), salutate eam (5), dicentes : Pax huic domui. 13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra

C. 5. *Et quicumque non receperint vos; exeuntes de civitate.*

revertetur ad vos. 14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros (C, *ibid.*, *v.* 10), exeuntes foràs de domo vel civitate.

B. 11. *Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis* (6).

A. *Excutite pulverem de pedibus vestris.*

C. Illâ, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos (*Act.* 13, 51).

A. 15. (6) Amen dico vobis (*Sup.* 47, *n.* 4, *v.* 24. C, 79, *n.* 1, *v.* 12) : Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

(4. *De persecutionibus tolerandis.*)

V. cad. de re, c. 121, *n.* 5.

16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medium luporum (C, 79, *n.* 1, *v.* 3). Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. 17. Cavete autem ab hominibus : tradent enim vos in concilliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; 18. Et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. 19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini (C, 84, *v.* 11); dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini : 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient; 22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. 23. Cùm autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. 24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum (C, 45, *n.* 2, *v.* 40. D, 151, *n.* 1, *v.* 16, *et* 154, *n.* 3, *v.* 20). 25. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamiliâs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?

5. *De morte ferendâ.*

26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum quod non revelabitur (B, C, 51, *n.* 4, *v.* 22, 17. C, 84, *v.* 2), et occultum quod non scietur. 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta. 28. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (C, 84, *v.* 4 *et seq.*); sed potiùs timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. 29. Nonne duo passeres asse vænemt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. 30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. 31. Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos. 32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est (C, *ibid.*, *v.* 8). 33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est (B, C, 66, *n.* 5, *v.* 38, 26; 2 *Tim.* 2, 12).

6. *De pietate in Deum.*

34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram (C, 86, *n.* 3); non veni pacem mittere, sed gladium. 35. Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, et filiam adversùs matrem suam, et nurum adversùs socrum suam : 36. Et inimici hominis domestici ejus. 37. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus (*Mich.* 7, 6); et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus (C, 92, *v.* 26). 38. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus (A, B, C, 66, *n.* 5. C, 92, *v.* 27). 39. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, invenict eam (C, 97, *n.* 2. D, 110, *n.* 4, *v.* 25). 40. Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit (D, 151, *n.* 1, *v.* 20). 41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. 42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam (B, 70, *n.* 3, *v.* 40).

7. *Continuatio peragrationis.*

XI. 1. Et factum est, cùm consummâsset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum. (2. *Joannes autem* (7), *c.* 47, *n.* 1.)

C. 6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes, et curantes ubique.

B. 12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent; 13. Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros (*Jac.* 5, 14), et sanabant.

(1) Celebris dudùm quæstio est an Maria Magdalene de quâ hic C. et alii evangelistæ in historiâ passionis, eadem sit cum muliere peccatrice de quâ cap. 48, et cum Mariâ sorore Lazari. Sunt qui tres diversas faciunt; sunt qui duas, peccatricem et sororem Lazari eamdem esse arbitrantes, sed diversam à Magdalenâ; sunt qui unicam, quæ communis est, et ferè omnium hodiè opinio. Mihi certè nihil videtur causæ cur peccatricem à sorore Lazari distinguamus: de Magdalenâ gravior est difficultas, quam tractare prolixius foret, et alterius potiùs quàm hujus loci. V. cap. 48 et 108.

(2) B satis significat ante fuisse electos et constitutos duodecim, et ante fuisse ordinatos, et accepisse potestatem, quàm mitterentur et uterentur potestate; idem significat etiam A, licèt hanc missionem anticipârit: non factâ enim mentione electionis dicit: *Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc.* Verisimile tamen est eos hic accepisse ampliorem sanandi, et efficiendi dæmones potestatem; notandum verò videtur eos nisi missos non usos potestate priùs acceptâ.

(3) Gr., *Lebbæus cognomento Taddæus.* Judas verò, Taddæus, et Lebbæus idem nomen apud Hebræos.

(4) Virga dicitur, et quod sumitur ad defensionem, et quod ad corpus sustinendum; hæc concessa, illa prohibita. Alii id unum hic prohibitum aiunt, ne duas tunicas haberent, quibus diversis temporibus induerentur; hoc est, ne haberent vestes mutatorias, quod divitum est, idemque de calcamentis intelligi volunt; alii verò etiam de baculo. Sed dici potest, dùm ait B: *Nisi virgam tantùm*, significare voluisse ut viam carperent eo habitu quo pauperrimi quique, quibus unus baculus et soleæ quibus induuntur, sunt pro omnibus sarcinulis. A, verò et C, ne virgam quidem; hoc est, ut in viam se darent, etiamsi ne baculus quidem eis suppeteret. Id unum enim voluit Christus, ut divinæ providentiæ omninò fiderent. Quare finis horum præceptorum perpetuus, præcepta ipsa temporaria. Hic ergo sibi invicem Evangelistæ non adversantur, licèt primâ fronte videantur contrarii.

(5) Gr. tantùm, *salutate eam*, non quod sequitur, *dicentes, pax huic domui*, quod additum videtur ex aliis Evang., ut sequentia melius cohærerent, in quibus fit mentio pacis. Sed Græcum ἀσπάσασθε, *salutate*, pro Hebraïcâ locutione positum, quæ pacis vocem includebat, ut si dictum esset, *precamini ei pacem.*

(6) Gr. hîc additum in B: *Amen dico vobis, tolerabilius*, etc., ut apud A, et fortassè ex eo adscriptum. Pleraque autem eorum quæ hic referuntur; vel sæpiùs à Christo dicta sunt, vel A more suo multa congessit ob argumenti similitudinem, quæ aliis locis et temporibus dicta fuerant.

(7) Vide tit. cap. 47.

FAMA JESU. QUINQUE PANES.

Cùm idem secessus à quatuor describatur, A verò causam illius referat ad rumores de Christo in aulâ Herodis sparsos, B autem et C. ad reditum apostolorum ex missione, quam hic non memorat A, quia jam anticipaverat; pulei hic omnia optimè cohærere, modò ex narratione A et B, æstimetur mors Joannis, ut fecimus, quia referitur tantùm ex occasione opinionis Herodis de Christo.

CAPUT LVII.

A. Opinio Herodis de Jesu.

C. IX. 7. *Audivit autem Herodes tetrarcha* — A. XIV. 1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu; 2. Et

B. VI. 14. *Et audivit rex Herodes,*

C. Omnia quæ fiebant ab eo:

B. (Manifestum enim factum est nomen ejus.)

Et dicebat (1):

C. Et hæsitabat, eò quòd diceretur 8. A quibusdam:

C. Quia Joannes surrexit à mortuis:

B. Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis; et propterea virtutes operantur in illo:

B. 15. Alii autem dicebant: Quia Elias est.

C. A quibusdam verò: Quia Elias apparuit; ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit.

C. 9. Et ait Herodes:

B. Alii verò dicebant: Quia propheta est quasi unus ex prophetis. 16. Quo audito Herodes ait:

C. Joannem ego decollavi: quis est autem iste de quo talia ego audio? Et quærebat videre eum. 10. Et

A. Ait pueris suis:

B. Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit. (17. *Ipse enim, c.* 22.)

A. Hic est Joannes Baptista (2): ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo. (3. *Herodes enim, c.* 22.)

2. *Secessus Christi in desertum.*

13. Quod cùm audisset Jesus (3), secessit inde:

C. Reversi apostoli narraverunt illi quæcumque fecerunt:

B. 30. Et convenientes apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant et docuerant. 31. Et ait illis: Venite seorsùm in desertum locum, et requiescite pusillùm. Erant enim qui veniebant et redibant multi, et nec spatium manducandi habebant.

A. In navicùlâ, in locum desertum seorsùm.

C. Et assumptis illis secessit seorsùm;

D. VI. 1. Post hæc (Dom. 4 Quadrag.) † abiit Jesus (4)

B. 32. Et ascendentes in navim abierunt

B. In desertum locum seorsùm.

C. In locum desertum, qui est Bethsaidæ.

D. Trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.

C. 11. Quod cùm cognovissent turbæ, secutæ sunt illum.

B. 33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi; et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illùc; et prævenerunt (5) eos.

A. Et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

D. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. 3. Subìit ergo in montem Jesus; et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum.

A. 14. *Et exiens* — B. 34. Et exiens vidit turbam

vidit turbam multam, et misertus est eis;

multam Jesus (A. 56, n. 2, v. 36); et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.

C. Et cœpit illos docere multa,

Et curavit languidos eorum.

C. Et eos qui curâ indigebant, sanabat.

3. *Quinque panes.*

De septem panibus. V. c. 65.

A. 15. *Vespere autem facto,*

B. 35. Et cùm jam hora multa fieret,

C. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas,

A. Accesserunt ad eum duodecim discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit; dimitte turbas.

B. Accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora præteriit; 36. Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, et vicos, emant sibi cibos quos manducent.

C. Ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus.

A. 16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

A. Ut euntes in castella, emant sibi escas.

B. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes (6), et dabimus illis manducare.

B. 37. Et Respondens ait illis: Date illis vos manducare.

C. 13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare.

D. 5. Cùm sublevâsset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes (7), ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

B. 38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite et videte. Et cùm cognovissent,

C. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, et duo pisces:

D. 8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri: 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid inter tantos?

A. 17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.

B. dicunt: Quinque, et duos pisces.

C. Nisi fortè nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos:

A. 18. Qui ait eis.

D. 10. Dixit ergo Jesus;

B. 39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes.

A. Afferte mihi illos hùc; 19. Et

C. Facite illos discumbere per contivia quinquagenos.

D. Facite homines discumbere

A. Cùm jussisset turbam discumbere super fœnum,

B. Secundùm contubernia super viride fœnum:

B. 40. Et discubuerunt

D. Erat autem fœnum multum in loco.

D. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

C. 15. Et ita fecerunt; et discumbere fecerunt omnes

11. Accepit ergo Jesus panes; et

B. In partes, per centenos, et quinquagenos.

A. Acceptis quinque panibus et duobus piscibus, respexit in cœlum, et

C. 16. Acceptis autem Jesus quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cœlum, et

D. Cùm gratias egisset,

B. Benedixit illis; et fregit panes et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas:

C. Benedixit illis; et fregit panes et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas:

A. Discipuli autem turbis,

D. Quantùm volebant.

D. Distribuit (8) *discumbentibus; similiter et ex piscibus.*

A. 20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

B. 41. Et acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, intuens in cœlum benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes et saturati sunt.

C. 17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim (18. Et fatum est, c. 68, n. 1.)

D. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant,

B. 43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos.

A. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fra-

C. 6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes, et curantes ubique.

B. 12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent; 13. Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros (*Jac.* 5, 14), et sanabant.

(1) Celebris dudùm quæstio est an Maria Magdalene de quâ hic C. et alii evangelistæ in historiâ passionis, eadem sit cum muliere peccatrice de quâ cap. 48, et cum Mariâ sorore Lazari. Sunt qui tres diversas faciunt; sunt qui duas, peccatricem et sororem Lazari eamdem esse arbitrantes, sed diversam à Magdalenâ; sunt qui unicam, quæ communis est, et ferè omnium hodiè opinio. Mihi certè nihil videtur causæ cur peccatricem à sorore Lazari distinguamus: de Magdalenâ gravior est difficultas, quam tractare prolixius foret, et alterius potiùs quàm hujus loci. V. cap. 48 et 108.

(2) B satis significat ante fuisse electos et constitutos duodecim, et ante fuisse ordinatos, et accepisse potestatem, quàm mitterentur et uterentur potestate; idem significat etiam A, licèt hanc missionem anticipârit: non factâ enim mentione electionis dicit: *Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc.* Verisimile tamen est eos hic accepisse ampliorem sanandi, et efficiendi dæmones potestatem; notandum verò videtur eos nisi missos non usos potestate priùs acceptâ.

(3) Gr., *Lebbæus cognomento Taddæus.* Judas verò, Taddæus, et Lebbæus idem nomen apud Hebræos.

(4) Virga dicitur, et quod sumitur ad defensionem, et quod ad corpus sustinendum; hæc concessa, illa prohibita. Alii id unum hic prohibitum aiunt, ne duas tunicas haberent, quibus diversis temporibus induerentur; hoc est, ne haberent vestes mutatorias, quod divitum est, idemque de calcamentis intelligi volunt; alii verò etiam de baculo. Sed dici potest, dùm ait B: *Nisi virgam tantùm*, significare voluisse ut viam carperent eo habitu quo pauperrimi quique, quibus unus baculus et soleæ quibus induuntur, sunt pro omnibus sarcinulis. A, verò et C, ne virgam quidem; hoc est, ut in viam se darent, etiamsi ne baculus quidem eis suppeteret. Id unum enim voluit Christus, ut divinæ providentiæ omninò fiderent. Quare finis horum præceptorum perpetuus, præcepta ipsa temporaria. Hic ergo sibi invicem Evangelistæ non adversantur, licèt primâ fronte videantur contrarii.

(5) Gr. tantùm, *salutate eam*, non quod sequitur, *dicentes, pax huic domui*, quod additum videtur ex aliis Evang., ut sequentia melius cohærerent, in quibus fit mentio pacis. Sed Græcum ἀσπάσασθε, *salutate*, pro Hebraïcâ locutione positum, quæ pacis vocem includebat, ut si dictum esset, *precamini ei pacem.*

(6) Gr. hîc additum in B: *Amen dico vobis, tolerabilius*, etc., ut apud A, et fortassè ex eo adscriptum. Pleraque autem eorum quæ hic referuntur; vel sæpiùs à Christo dicta sunt, vel A more suo multa congessit ob argumenti similitudinem, quæ aliis locis et temporibus dicta fuerant.

(7) Vide tit. cap. 47.

FAMA JESU. QUINQUE PANES.

Cùm idem secessus à quatuor describatur, A verò causam illius referat ad rumores de Christo in aulâ Herodis sparsos, B autem et C. ad reditum apostolorum ex missione, quam hic non memorat A, quia jam anticipaverat; pulei hic omnia optimè cohærere, modò ex narratione A et B, æstimetur mors Joannis, ut fecimus, quia referitur tantùm ex occasione opinionis Herodis de Christo.

CAPUT LVII.

A. Opinio Herodis de Jesu.

C. IX. 7. *Audivit autem Herodes tetrarcha* — A. XIV. 1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu; 2. Et

B. VI. 14. *Et audivit rex Herodes,*

C. Omnia quæ fiebant ab eo:

B. (Manifestum enim factum est nomen ejus.)

Et dicebat (1):

C. Et hæsitabat, eò quòd diceretur 8. A quibusdam:

C. Quia Joannes surrexit à mortuis:

B. Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis; et propterea virtutes operantur in illo:

B. 15. Alii autem dicebant: Quia Elias est.

C. A quibusdam verò: Quia Elias apparuit; ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit.

C. 9. Et ait Herodes:

B. Alii verò dicebant: Quia propheta est quasi unus ex prophetis. 16. Quo audito Herodes ait:

C. Joannem ego decollavi: quis est autem iste de quo talia ego audio? Et quærebat videre eum. 10. Et

A. Ait pueris suis:

B. Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit. (17. *Ipse enim, c.* 22.)

A. Hic est Joannes Baptista (2): ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo. (3. *Herodes enim, c.* 22.)

2. *Secessus Christi in desertum.*

13. Quod cùm audisset Jesus (3), secessit inde:

C. Reversi apostoli narraverunt illi quæcumque fecerunt:

B. 30. Et convenientes apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant et docuerant. 31. Et ait illis: Venite seorsùm in desertum locum, et requiescite pusillùm. Erant enim qui veniebant et redibant multi, et nec spatium manducandi habebant.

A. In navicùlâ, in locum desertum seorsùm.

C. Et assumptis illis secessit seorsùm;

D. VI. 1. Post hæc (Dom. 4 Quadrag.) † abiit Jesus (4)

B. 32. Et ascendentes in navim abierunt

B. In desertum locum seorsùm.

C. In locum desertum, qui est Bethsaidæ.

D. Trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.

C. 11. Quod cùm cognovissent turbæ, secutæ sunt illum.

B. 33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi; et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illùc; et prævenerunt (5) eos.

A. Et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

D. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. 3. Subìit ergo in montem Jesus; et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum.

A. 14. *Et exiens* — B. 34. Et exiens vidit turbam

vidit turbam multam, et misertus est eis;

multam Jesus (A. 56, n. 2, v. 36); et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.

C. Et cœpit illos docere multa,

Et curavit languidos eorum.

C. Et eos qui curâ indigebant, sanabat.

3. *Quinque panes.*

De septem panibus. V. c. 65.

A. 15. *Vespere autem facto,*

B. 35. Et cùm jam hora multa fieret,

C. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas,

A. Accesserunt ad eum duodecim discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit; dimitte turbas.

B. Accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora præteriit; 36. Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, et vicos, emant sibi cibos quos manducent.

C. Ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas, quia hic in loco deserto sumus.

A. 16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

A. Ut euntes in castella, emant sibi escas.

B. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes (6), et dabimus illis manducare.

B. 37. Et Respondens ait illis: Date illis vos manducare.

C. 13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare.

D. 5. Cùm sublevâsset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes (7), ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

B. 38. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite et videte. Et cùm cognovissent,

C. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, et duo pisces:

D. 8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri: 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid inter tantos?

A. 17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.

B. dicunt: Quinque, et duos pisces.

C. Nisi fortè nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos:

A. 18. Qui ait eis.

D. 10. Dixit ergo Jesus;

B. 39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes.

A. Afferte mihi illos hùc; 19. Et

C. Facite illos discumbere per contivia quinquagenos.

D. Facite homines discumbere

A. Cùm jussisset turbam discumbere super fœnum,

B. Secundùm contubernia super viride fœnum:

B. 40. Et discubuerunt

D. Erat autem fœnum multum in loco.

D. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia.

C. 15. Et ita fecerunt; et discumbere fecerunt omnes

11. Accepit ergo Jesus panes; et

B. In partes, per centenos, et quinquagenos.

A. Acceptis quinque panibus et duobus piscibus, respexit in cœlum, et

C. 16. Acceptis autem Jesus quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cœlum, et

D. Cùm gratias egisset,

B. Benedixit illis; et fregit panes et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas:

C. Benedixit illis; et fregit panes et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas:

A. Discipuli autem turbis,

D. Quantùm volebant.

D. Distribuit (8) *discumbentibus; similiter et ex piscibus.*

A. 20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

B. 41. Et acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, intuens in cœlum benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes et saturati sunt.

C. 17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim (18. Et fatum est, c. 68, n. 1.)

D. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant,

B. 43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos.

A. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fra-

gmentorum plenos.

B. 44. *Erant autem* B. Et de piscibus.

aui manducaverunt, quinque millia virorum, A. 21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, et parvulis.

45. *Et*

D. 14. Illi ergo homines cùm vidissent quòd Jesus fecerat signum, dicebant (*inf.* 74, *n.* 4, *v.* 40, *c.* 46, *v.* 16) : Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.

(1) August. et antiqui Latini leguntbic pluraliter, *dicebant;* et sic maximè B consentit cum C, qui videtur explicasse B, imò legendum pluraliter satis indicat B, cùm subdat *v.* 16 : *Quo audito Herodes;* ubi perspicuum est eum priùs non induxisse Herodem loquentem, sed eos qui Herodi narrabant.

(2) Hoc dicebat Herodes, non confirmatâ sententiâ, sed hæsitando et dubitando : itaque A et C hic non dissentiunt.

(3) Non ad mortem Joan. nuntiatam, de quâ proximè ante A, referri istud debet, jamdiù enim contigerat; sed potiùs ad sermones qui de Christo in aulâ Herodis habebantur. Cùm enim A de illis sermonibus agere cœpisset, interpositis illorum occasione et incarceratione et morte Joannis, eo quòd Christus à quibusdam crederetur Joannes suscitatus; redit unde abierat : *Et cùm audisset,* inquit, *Jesus quid de se Herodes existimaret, secessit in desertum,* non ob hanc solùm causam; sed ut etiam apostolis ab Evangelii nuntiatione redeuntibus, et fatigatis requiescendi spatium daret, quod narrant B et C.

(4) Non solet D narrare ab aliis narrata, præsertim quæ facta sunt in Galilæâ, et hic id fecisse videtur, ut eâ occasione subjiceret disputationem de pane cœlesti, quam incipit cod. cap. 6, v. 27. Deinde propositum ejus fuisse videtur describere paschata, et ideò cùm tertio isto paschate Dominus manserit in Galilæâ, quæ tempore paschali abeo gesta sunt describit.

(5) Desertum dicebatur Bethsaidæ, non quòd ab eâdem parte ripæ esset, sed quòd interjecto mari, seu lacu, è regione esset; ideò satis percepérunt qui Jesum abeuntem videbant, eum in desertum illud secedere, ad quod cùm pedestre iter esset nonnisi circumeundo, turbæ undique illùc properârunt, multi currendo et præveniendo, ut ait B, et multi sequendo, ut A, C, et D, qui idcircò invicem non discordant.

(6) Hoc est, mille circiter assibus Gallicanis. Sunt qui ironicam locutionem esse velint. Alii non abhorrent credere, fuisse Christo ex amicorum collatione tantùm pecuniæ, tum in suos, et duodecim comitum, tum in pauperum usus : unde Apostolos affectu valdè liberali fuisse notant, ut qui omnia impendere vellent tot hominibus non sationdis quidem, sed contra inediam parumper refovendis.

(7) Dominus quasi non advertens ad difficultatem et multitudinem priùs dixerat : *Date illis vos manducare;* et postea quasi advertens et urgens difficultatem, accommodans se suorum discipulorum infirmitati et admirationi, dicit, *unde emamus panes;* itaque nulla est prorsùs dissonantia.

(8) Gr., *discipulis, discipuli autem discumbentibus.* Quod adjectum videtur ab iis qui repugnantiam sibi finxerunt inter D et alios. Sed dat etiam qui per alium dat. Cum latino faciunt Syrus, et quædam Græca exemplaria.

TERTIUM PASCHA.

JESUS AMBULANS SUPER MARE.

(V. 1, c. 19, 2, c. 37, 4, c. 128.)

CAPUT LVIII.

1. *Jesus super mare.*

D. VI. 15. Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem,

A. XIV. 22. *Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in navicu-lam, et præcedere eum transfretum, donec dimitteret turbas,* 23. *Et dimissâ turbâ ascendit in montem solus.*

B. VI. 45. Statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dùm ipse dimitteret populum. 46. Et cùm dimisisset eos,

B. *Abiit in montem orare.*

D. Fugit iterùm (1) in montem ipse solus ¶.

A. Orare.

D. 16. Ut autem serò factum est (2), descenderunt discipuli ejus ad mare. 17. Et cùm ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum : et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus;

B. 47. *Et (Sabb. post. cin.) † cùm serò esset.*

A. *Vespere autem facto solus erat ibi :*

B. *Erat navis in medio mari.*

A. 24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus,

B. Et ipse solus in terrâ :

D. 18. Mare autem vento magno flante exurgebat.

A. *Erat enim contrarius ventus.* 25. *Quartâ autem vigiliâ noctis venit ad eos ambulans super mare.*

B. 48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare.

D. 19. Cùm remigâssent ergo quasi stadia viginti quinque, aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri.

A. 26. *Et videntes eum super mare ambulantem turbati sunt.*

B. *Et volebat præterire eos.* 49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt præ timore,

D. *Et timuerunt.*

A. Dicentes : Quia phantasma est.

A. *Et præ timore clamaverunt.*

B. 50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt.

B. *Et statim locutus est cum eis, et dixit eis : Confidite, ego sum, nolite timere.* D. 20. *Ille autem dixit eis : Ego sum, nolite timere.*

A. 27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habète fiduciam : ego sum, nolite timere.

2. *Petens super mare.*

28. Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. 29. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicùlâ, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. 30. Videns verò

ventum validum timuit; et cùm cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac. 31. Et continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum; et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitâsti.

3. *Ascensus Christi in navim.*

D. 21. Voluerunt ergo accipere eum in navim :

B. 51. Et ascendit ad illos.

B. *In navim; et cessavit ventus.* A. 32. Et cùm ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

D. Et statim navis fuit ad terram (3), in quam ibant.

A. 33. Qui autem in naviculâ erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes : Verè Filius Dei es.

B. Et plus magis intra se stupebant : 52. Non enim intellexerunt de panibus; erat enim cor eorum obcæcatum.

4. *Multi curati.*

A 34. *Et cùm transfretâssent, venerunt in terram Genesar.* 53. Et cùm transfretâssent, venerunt in terram Genesareth (4), et applicuerunt, 54. Cùmque egressi essent de navi, continuò cognoverunt eum.

A. 35. *Et cùm cognovissent eum.*

A. Viri loci illius;

B. 55. Et percurrentes

B. *Universam regionem illam,* A. Miserunt in universam regionem illam, et

B. Cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. 56. Et

A. Obtulerunt ei omnes malè habentes (A, B, C, 28, A, 40, *n.* 1, *v.* 24); 36. Et

B. Quòcumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant ¶.

A. *Rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.* (XV. 1. Tunc accesserunt, c. 60, *n.* 1).

(VII. 1 *Et convenient, c.* 60, *n.* 1.)

(1) Id est, rediit in montem, unde venerat.

(2) Cùm, cap. præced., ante panum multiplicationem, dicatur apud A, v. 15 : *Vespere autem facto,* quod tamen aliquot horis ante illum Christi secessum contigit, clarum est duas fuisse Hebræis vesperas, inter quas edi pascha præcipitur in Exod. et Levit. Prior incipiebat simul atque sol à meridie ad occasum vergere cœperat : posterior autem à sole occaso.

(3) D non dicit eum non fuisse in navi, sed ubi cum Petro ascendisset, et vellent, ut solebant, cum eo navigare, cessâsse ventum simul, et navim appulisse. Significat enim D aliud miraculum, ab aliis prætermissum, quod scilicet subitò appulerint.

(4) Non proximè appulit Christus Capharnaum, sed per terram Genesareth, ut palam faciunt A et B.

SERMO DE CIBO CŒLESTI.

CAPUT LIX.

1. *Commendatio fidei in Christum.*

D. VI. 22. Alterâ die turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una (1), et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent : 23. Aliæ verò supervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino. 24. Cùm ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum, quærentes Jesum. 25. Et cùm invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando hùc venisti? 26. Respondit eis Jesus, et dixit : Amen, amen dico vobis : Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus, et saturati estis. 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis : hunc enim Pater significavit Deus (*Sup.* 16, *n.* 2, *v.* 52. A, B, C, 14, *n.* 1 *et* 67, *n.* 2). 28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei? 29. Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille (*Joann.* 5, 23).

2. *Christus panis de cœlo.*

30. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi? Quid operaris? 31. Patres nostri manducaverunt mannа in deserto, sicut scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare. (*Exod.* 16, 15. *Num.* 11, 7. *Ps.* 77, 24. *Sap.* 16, 20). 32. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet (*Eccl.* 24, 29); et qui credit in me, non sitiet unquàm. 36. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis.

3. *Dati Christo non pereunt.*

37. (*In annivers. defunct.*) † Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venit ad me, non ejiciam foràs : 38. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. 39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris; ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die ¶.

4. *Docti à Deo ad Christum veniunt.*

41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. 42. Et dicebant : Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem (A, B, C, 54, *n.* 2)? Quomodò ergo dicit hic : Quia de cœlo descendi? 43. Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem. 44. (*Fer.* 4, 4 *Temp. Pentec.*) † Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum; et ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in prophetis (*Isa.* 54, 13) : Et erunt omnes docibiles Dei (2). Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. 47.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Amen, amen dico vobis : Qui credit in me, habet vitam æternam.

5. *Eucharistia.*

48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt (*Sup. n.* 2, *v.* 31). 50. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum ; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ (5) ¶. 53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ? 54. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem habet vitam æternam ; et ego resuscitabo eum in novissimo die (*in festo Corp. Christi*). 56. † Caro enim mea verè est cibus ; et sanguis meus verè est potus (*1 Cor.* 11, 24, *et seq.*). 57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem ; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. 59. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum ¶.

6. *Discipulorum defectio.*

60. Hæc dixit in Synagogâ docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ? 62. Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : Hoc vos scandalizat ? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius (*Sup.* 20, *v.* 15) ; 64. Spiritus est qui vivificat ; caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat : Propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò ; et jam non cum illo ambulabant.

7. *Apostolorum in fide stabilitas.*

68. Dixit ergo Jesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire ? 69. Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes ; 70. Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus filius Dei (A, B, C, 66, *n.* 1). 71. Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi ; et ex vobis unus diabolus est ? 72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cùm esset unus ex duodecim.

(1) Gr. addit, *illa in quam ingressi fuerant discipuli ejus.*

(2) Id est, *docti à Deo,* διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ.

(3) Gr. addit hæc verba notata digna, *quam egoldabo.*

ILLOTÆ MANUS.

Quia D *dicit Dominum post superiora versatum in Galilæâ, nec tamen quidquam subdit in Galilæâ factum;* A *autem et* B *istud proximè subjiciunt, idque cum aliquâ temporis significatione, ideò et hic reponere nobis visum est. Nam et Phariswi capropter ab Jerosolymis venisse videntur (quamquàm verisimile sit, hos fuisse nonnullos eorum qui ab Jerosolymis ex Paschate domum redierant) quòd Dominus, ut solebat, non venisset ad Pascha : et hæc etiam causa est, cur* D *dicat eum manisse in Galilæâ, quòd eo tempore soleret esse in Judæâ. Hæc autem videntur contigisse Capharnaï, quamvis adeò certum non sit.*

CAPUT LX.

1. *Pharisæorum querelæ.*

D. VII. 1. Post hæc autem (*fer. 3 Post dom. Pass.*) † ambulabat Jesus in Galilæam ; non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere. (2. *Erat autem, c.* 72.)

B. VII. 1. *Et conveniunt ad eum Phariswi, et quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis.*

A. XV. 1. Tunc (*fer. 4 post dom. 3 Quadr.*) † accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi.

B. 2. Et cùm vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. 3. Pharisæi enim, et omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum ; 4. Et à foro, nisi baptizentur, non comedunt ; et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare : baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum. 5. Et interrogabant eum Pharisæi et Scribæ.

B. *Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum.*

A. Dicentes : 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum ? non enim lavant manus suas, cùm panem manducant ;

B. Sed communibus manibus manducant panem.

2. *Traditiones humanæ divinis contrariæ.*

B. 6. *At ille respondens, dixit eis :*

A. 3. Ipse autem respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ? (*Nam Deus dixit, infra.*)

A. 7. *Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens :* 8. *Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longè est à me.* 9. *Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas, et mandata hominum.* (10. Et convocatis, infra).

B. Benè prophetavit (1) Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me (*Is.* 29, 13). 7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas et præcepta hominum. 8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, et calicum, et alia similia his factis multa. 9. Et dicebat illis : Benè irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

B. 10. *Moyses enim dixit : Honora patrem tuum, et matrem tuam ;*

A. Nam Deus dixit : 4. Honora patrem et matrem (*Exodi* 20, 12. *Deut.* 5, 16. *Ephes.* 6, 2.) ; et : Qui maledixerit patri, vel matri,

et : Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 11. *Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri, aut matri : Corbam (quod est, donum) quodcumque ex me, tibi profuerit :* 12. *et*

morte moriatur (*Exodi* 21, 16. *Lev.* 20, 9. *Prov.* 20, 20). 5. Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri, vel matri : Munus quodcumque est ex me, tibi proderit : 6. Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam ; et

B. Ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri, 13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis,

A. Irritum fecistis mandatum Dei ;

A. *Propter traditionem vestram.* (7. *Hypocritæ, supra.*)

B. Et similia hujusmodi multa facitis.

3. *Non quod intrat in os.*

10. *Et convocatis ad se turbis, dixit eis : audite, et intelligite.* 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem ; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.*

14. Et advocans iterùm turbam, dicebat illis : Audite me omnes, et intelligite. 15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare ; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

A. 12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt ? 13. At ille respondens ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. 14. Sinite illos ; cæci sunt, et duces cæcorum (C, 45, *n.* 2, *v.* 39) ; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

B. 17. Et cùm introisset in domum à turbâ, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. 18. Et

A. Petrus dixit ei : Edissere nobis parabolam istam. 16. At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis ?

B. Sic et vos imprudentes estis ? Non intelligitis, quia omne extrinsecùs introiens in hominem, non potest eum communicare. 19. Quia non intrat in cor ejus ; sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas ? 20. Dicebat autem quoniam quæ

A. 15. *Respondens autem*

B. *Ait illis :*

A. 17. *Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur ?* 18. *Quæ autem*

B. *De homine exeunt, illa communicant hominem.*

A. 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes,*

A. Procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.

B. 21. Ab intùs enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, 22. Furta,

A. Falsa testimonia,

furta, blasphemiæ.

B. *Et communicant hominem.*

B. Avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. 23. Omnia hæc mala ab intùs procedunt.

A. 20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.

Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem ¶.

(1) Quia B hic et plura narrat, et ordinem convenientiorem videtur servâsse, ideò narratio A aliquantùm inversa est.

CHANANÆA.

CAPUT LXI.

B. VII. 24. *Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis.*

A. XV. 21. Et (*Fer. 5 post dom. 4 Quadr.*) egressus indè Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis ; B. Et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere.

A. 22. *Et ecce mulier.*

25. Mulier enim

A. Chananæa à finibus illis egressa,

B. Statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum,

A. Clamavit (1), dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. 23. Qui non respondit ei verbum. Et ascendentes discipuli ejus rogabant eum, dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens ait : Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domûs Israel. 25. At illa venit,

B. Intravit (2), et procidit ad pedes ejus. 26. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere (3).

A. Et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me.

B. Et rogabat eum, ut dæmonium ejiceret de filiâ ejus. 27. Qui dixit illi : Sine prius saturari filios ; non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 28. At illa respondit, et dixit illi : Utique Domine, nam et catelli comedunt sub mensâ de micis puerorum.

A. 26. *Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* 27. *At illa dixit : Etiam Domine ; nam et catelli edunt de micis.*

A. Quæ cadunt de mensâ dominorum suorum.

B. 29. *Et ait illi :* 28. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis :

B. Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filiâ tuâ.

A. Et sanata est filia ejus ex illâ horâ ¶.

B. 30. Et cùm ablisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium exiisse.

(1) Valdè verisimile est, mulierem primùm clamâsse ante januam, et excitâsse turbam, deinde etiam intrâsse.

(2) B in Græco utitur eodem verbo, quo A, *Cùm venisset ;* sed quia fecerat mentionem domûs, interpres vertit, *intravit ;* et verisimile est etiam introisse, et istud in domo contigisse.

UNIVERSIDAD NOMADA DE LEON ® GENERAL DE BIBLIOTECAS

(3) *Syrophœnissa*, idem quòd *Chananæa;* nam Chananæi Hebræis dicti strictè et peculiariter hi qui Sidonem et Tyrum, et quod adjacet oræ maritimæ, habitabant; Num. 13, 30; Isa. 23, 8, 11. Ili autem Græcis dicti sunt Phœnices, et Syrophœnices, ut distinguerentur ab Africanis Phœnicibus, ipsorum colonis.

SURDUS ET MUTUS, AC MULTI ALII.

CAPUT LXII.

B. VII. 31. *Et iterùm,*

A. XV. 29. Et cùm transisset inde Jesus,

B. (*Dom. 2 post Pent.*) † Exiens de finibus Tyri, venit

A. *Venit secùs mare Galilææ.*

per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapolcos.

32. Et adducunt ei surdum et mutum; et deprecabantur eum, ut imponat illi manum.

33. Et apprehendens eum de turbâ seorsùm, misit digitos suos in auriculas ejus; et expuens tetigit linguam ejus; 34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi: Ephpheta, quod est, adaperire. 35. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus; et loquebatur rectè. 36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant; 37. Et eò ampliùs admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui ¶.

A. Et ascendens in montem, sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles (1), et alios multos; et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos (A, C, 47, *n.* 1; *Isa.* 35, 5); 31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos (2) ambulantes, cæcos videntes; et magnificabant Deum Israel.

(1) Gr. κυλλούς, quod usitatissimè *mutilos* significat.

(2) Græca hic adduntur, κυλλοὺς ὑγιεῖς, *et mutilos sanos*, id est, integritati suæ restitutos.

SEPTEM PANES. (*De quinque panibus*, v. c. 37, *n.* 3.)

CAPUT LXIII.

A. XV. 32. Jesus autem

B. VIII. 1. In diebus illis, iterùm (*Dom. 6 post Pent.*) † cùm turba multa esset, nec haberent quod

A. *Convocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduò jam perseverant mecum, et non habent quod manducent: et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in viâ.*

manducarent, convocatis discipulis, ait illis: 2. Misereor super turbam; quia ecce jam triduò sustinent me, nec habent quod manducent; 3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in viâ: quidam enim ex eis de longè venerunt.

33. *Et dicunt ei discipuli:*

4. Et responderunt ei discipuli sui; unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?

A. Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

B. 5. *Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.*

34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, et paucos pisciculos.

A. 35. *Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.*

B. 6. Et præcepit turbæ discumbere super terram.

36. *Et accipiens septem panes, et pisces, et gratias agens fregit, et dedit discipulis suis; et discipuli dederunt populo.*

Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, et dabat discipulis suis, ut apponerent; et

B. 8. *Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.* 9. *Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia.*

discipuli, apposuerunt turbæ. 7. Et habebant pisciculos paucos; et ipsos benedixit, et jussit apponi.

A. 37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.

A. 39. *Et dimissâ turbâ, ascendit in naviculam; et venit*

B. Et dimisit eos ¶.

10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha,

A. In fines Magedan (1).

(1) Gr., Μαγεδάν: sed optimi codices habent, Μαγελάν, et hæc fuit olim Græca lectio, ut ex Hieron. et August. patet. B verò habet *Dalmanutha*; quia in eodem tractu, vici Magadan sive Magedan, et Dalmanutha; ita ut ab utrovis is tractus denominari potuerit.

SIGNUM DE CŒLO. FERMENTUM PHARISÆORUM.

CAPUT LXIV.

1. 2. *Petitio signi de cœlo* (v. 1, c. 49, n. 6).

B. VIII. 11. *Et exierunt Pharisæi,*

A. XVI. 1. Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes:

A. *Et rogaverunt eum.*

B. Et cœperunt conquirere eum eo, quærentes ab illo

B. *Signum de cœlo*

A. Ut signum de cœlo ostenderet eis,

B. Tentantes eum.

C. XII. 54. *Dicebat autem* (1) *et ad turbas:*

A. 2. At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum:

3. Et mane: Hodiè tempestas, rutilat enim triste cœlum.

C. Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit; et ita fit. 55. Et cùm austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit; et fit. 56. Hy-

A. *Facies ergo cœli*

poeritæ, faciem cœli et terræ

C. *Nòstis probare: hoc autem tempus quomodò non probatis?*

A. Dijudicare nòstis: signa autem temporum non potestis scire?

C. 57. Quid autem et à vobis ipsis non judicatis quod justum est? (58. *Cùm autem vadis, c.* 41, *n.* 2.)

B. 12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis:

A. Generatio mala et adultera signum (A, C, 49,

B. *Si dabitur generationi isti signum.*

n. 6.) quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis abiit.

2. *Fermentum Pharisæorum.*

B. 13. Et dimittens eos ascendit iterùm navim, et abiit trans fretum.

A. 5. Et cùm venissent discipuli ejus trans fretum,

B. 14. *Et obliti sunt panes sumere:*

obliti sunt panes accipere:

B. Et nisi unum panem non habebant secum in

A. 6. *Qui dixit illis: Intuemini, et cavete à fermento Pharisæorum, et Sadducæorum.*

navi. 15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, et cavete à fermento Pharisæorum *et Sadducæorum*, et fermento Herodis. 16. Et cogitabant (2) ad alterutrum, dicentes:

A. 7. *At illi* (2) *cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus.* 8. *Sciens autem Jesus dixit:*

Quia panes non habemus. 17. Quo cognito ait illis Jesus:

B. *Quid cogitatis, quia panes non habetis?*

A. Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis?

A. 9. *Nondùm intelligitis,*

B. Nondùm cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis?

Neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis? 10. *Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis?* 11. *Quare non intelligitis.*

Nec recordamini, 19. quando quinque panes fregi in quinque milla (A, B, C, D. 57, *n.* 5); quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. 20. Quando et septem panes in quatuor millia (A, B, 63), quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. 21. Et dicebat eis: Quomodò nondùm intelligitis.

A. Quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Pharisæorum, et Sadducæorum? 12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrinâ Pharisæorum, et Sadducæorum.

(1) Hæc alibi refert C, sed sine ullâ notatione loci et temporis: quare propter affinitatem cum iis quæ habet A commodè hùc referri posse visum est.

(2) Gr., διελογίζοντο in A et B, *disceptabant inter se*; ut et postea, *quid disceptatis*, etc.

CÆCUS IN BETHSAIDA.

CAPUT LXV.

B. VIII. 22. Et veniunt Bethsaidam; et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. 23. Et apprehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum: et expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret? 24. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. 25. Deinde iterùm imposuit manus super oculos ejus; et cœpit videre; et restitutus est ita ut clarè videret omnia. 26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam; et si in vicum introieris, nemini dixeris.

CONFESSIO PETRI. EJUSDEM CORREPTIO.

CAPUT LXVI.

1. *Confessio Petri.*

A. XVI. 13. (*In festo SS. Petri et Pauli apostol.*) † Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi.

C. IX. 18. Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo et discipuli.

B. VIII. 27. Et egressus est Jesus, et discipuli

A. *Et interrogabat discipulos suos, dicens:*

ejus in castella Cæsareæ Philippi; et in viâ interrogabat discipulos suos, dicens eis:

C. *Et interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?*

A. Quem dicunt homines esse Filium hominis? 14. At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam;

B. *Quem me dicunt esse homines?*

C. Alii verò, quia unus propheta de prioribus surrexit.

C. 19. *At illi respondentes, et dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam,*

B. 28. *Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam, alii Eliam, alii verò quasi unum de prophetis.*

A. *Aut unum ex prophetis.* 15. *Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis?*

B. 29. Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis.

C. 20. *Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.*

A. 16. Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi (D, 59, *n.* 7).

B. *Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus.*

2. *Primatus Petri.*

17. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. 19. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis (*Inf.* 71, *n.* 2. D, 147, *n.* 1); et quodcumque solveris super terram, erit solutum et

C. 21. *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.*

A. *Ut nemini dicerent,*

A. Quia ipse esset Jesus Christus.

3. Mortis Christi prima prædictio.

(V. 2, c. 69, n. 1 et 3, c. 104, n. 1.)

B. 31. *Et cœpit docere eos,*

C. 22. *dicens :*

A. *Quia oporteret eum.*

B. *Pati multa.*

A. *A senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere.*

C. *Quia oportet Filium hominis multa pati et reprobari à senioribus, et principibus sacerdotum, et scribis ; et occidi, et tertiâ die resurgere.*

4. Petri correptio.

A. 22. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum,*

23. *Qui conversus, dixit Petro :*

B. *Vade retrò me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.* 34. *Et*

C. 23. *Dicebat autem ad omnes.*

A. *Dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum , et tollat crucem suam , et sequatur me :*

B. *Si quis vult me sequi, deneget semetipsum; et tollat crucem suam quotidiè,* et sequatur me (A, 56, *n.* 6, *v.* 38. C, 92, *v.* 27). 24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam (A, *ibid.*, *v.* 39. C, 97, *n.* 2. D, 110, *n.* 4, *v.* 25).

B. Qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.

A. 26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?

C. 26. Nam qui me erubuerit (A, 56, *n.* 5, *v.* 35. C, 84, *v.* 9), et

B. Me confusus fuerit, et verba mea, in generatione istâ adulterâ et peccatrice ;

C. Hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ, et Patris et sanctorum angelorum.

A. 27. Filius enim hominis venturus est in glorià Patris sui cum angelis suis ; et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus (*Ps.* 61, 13. *Rom.* 2, 6. 1 *Cor.* 3, 8).

A. 28. *Amen dico vobis : Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem,*

C. 27. *Dico autem vobis : Verè sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.*]

A. Donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

TRANSFIGURATIO.

CAPUT LXVII.

1. Christus orans transfiguratur.

A. XVII. 1 *Et post dies sex* (*Dom.* 2 *Quadrag., et sabb. præced., et in festo Transfig.*) † *assumit*

B. IX. 1. *Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et Joannem fratrem ejus :*

C. *Petrum, et Jacobum, et Joannem.*

A. *Et ducit illos in montem excelsum seorsum.*

B. Et ducit illos in montem excelsum seorsùm solos ;

C. Et ascendit in montem ut oraret. 29. Et factâ est, dùm oraret, species vultûs ejus altera :

B. *Et transfiguratus est coram ipsis.*

A. *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.*

C. *Et vestitus ejus albus et refulgens.*

30. *Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias,*

B. 3. *Et apparuit illis Elias cum Moyse : et erant loquentes cum Jesu.*

C. 31. Visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. 32. Petrus verò, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.

A. 4. *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum :*

B. 4. *Et respondens Petrus, ait Jesu : Rabbi , bonum est nos hìc esse : et faciamus tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.*

C. *Præceptor, bonum est nos hìc esse : et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi , et unum Eliæ : nesciens quid diceret.*

B. 5. Non enim sciebat quid diceret : erant enim timore exterriti.

2. Vox de nube.

C. 34. *Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos :*

A. 5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos :

B. 6. *Et facta est nubes obumbrans eos : et venit vox de nube, dicens :*

C. Et timuerunt, intrantibus illis in nubem.

C. 35. *Et vox facta est de nube, dicens : Hic est filius meus dilectus, ipsum audite :*

A. Et ecce vox de nube dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui (A, B, C, 14, *n.* 1 ; 2, *Pet.* 1, 17) ; ipsum audite.

B. *Hic est filius meus charissimus, audite illum.*

C. 36. Et dùm fieret vox, inventus est Jesus solus.

A. 6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valdè. 7. Et accessit Jesus, et tetigit eos ; dixitque eis : Surgite, et nolite timere. 8. Levantes autem oculos suos,

A. *Neminem viderunt, nisi solum Jesum.* 9. *Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus.*

B. 7. Et statim circumspicientes, neminem ampliùs viderunt, nisi Jesum tantùm secum. 8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi cum Filius hominis à mortuis resurrexerit.

A. Dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. ¶.

C. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant :

B. 9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset : Cùm à mortuis resurrexerit.

3. De Eliâ ventura.

B. 10. *Et interrogabant eum, dicentes :*

A. 10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes :

A. *Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?*

B. Quid ergo dicunt Pharisæi et scribæ, quia Eliam oportet venire primùm (*Mal.* 45)?

B. 11. *Qui re-*

A. 11. *At ille respondens, ait*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

spondens, ait illis: Elias

eis : Elias quidem venturus est, et

B. Cùm venerit primò, restituet

A. *Restituet omnia.*

omnia ; et quomodò scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur (*Isa.* 53, 3, *et seq.*).

B. 12. *Sed dico vobis, quia et Elias venit, et fecerunt illi quæcumque voluerunt,*

A. 12. Dico autem vobis quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum (2), sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt,

B. Sicut scriptum est de eo.

A. Sic et Filius hominis passurus est ab eis. 13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptistâ dixisset eis.

(1) C dicit, *ferè octo*, quia post sex integros, et duorum extremorum aliquam partem.

(2) Hinc colligi potest Scribas et Pharisæos auctores fuisse necis Joannis : sunt tamen qui suppleant nominativum *Judæi*, qui hic deest : quæ vox tam Herodem et Galilæos proceres, quàm pontifices, senatores, et legis peritos ; illos Baptistæ, hos Christi interfectores, comprehendat. Nota Joannem Bapt. dici, *Eliam*, quia *in spiritu Eliæ venerat.*

Dæmoniacus lunaticus, et mutus.

CAPUT LXVIII.

(V. 1. Dæm. mut, c. 36 ; et 2, c. 49.)

1. *Ab Apostolis non curatus.*

C. IX. 37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte,

A. XVII. 14. *Et cùm venisset ad turbam ;*

B. IX. 15. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquirentes cum illis. 14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, et exp averunt,

C. *Occurrit illis turba multa.*

et accurrentes salutabant eum. 15. Et interrogavit eos : Quid inter vos conquiritis?

C. 38. Et ecce

B. 16. *Et (Fer. 4 quatuor Temp. septemb.) † respondens unus de turbâ dixit :*

A. Accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens :

C. *Vir de turbâ exclamavit, dicens : Magister,*

B. Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum :

C. Obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi :

A. Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et malè patitur : nam sæpè cadit in ignem, et crebrò in aquam :

C. 39. Et ecce spiritus apprehendit eum,

B. 17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum,

C. Et subitò clamat,

C. *Et elidit, et dissipat eum cum spumâ,*

B. Et spumat, et stridet dentibus, et arescit ;

B. *Et dixi discipuli tuis,*

C. Et vix discedit dilanians eum.

C. 40. *Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, et non potuerunt.*

A. 15. Et obtuli eum discipulis tuis,

A. *Et non potuerunt curare eum.*

B. Ut ejicerent illum, et non potuerunt.

2. *A Christo curatus.*

B. 18. *Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula,*

A. 16. Respondens autem Jesus, ait : O generatio incredula, infidelis, et perversa !

C. 41. *Respondens autem Jesus, dixit : O generatio infidelis et perversa, usquequò ero apud vos, et patiar vos? Adduc hùc filium tuum.* 42. *Et cùm accederet ;*

B. Quamdiù apud vos ero? quamdiù vos patiar? Afferte illum ad me.

A. *Quousque ero vobiscum? usquequò patiar vos? Afferte hùc illum ad me.*

B. *Spiritus.* C. Elisit illum dæmonium, et dissipavit, B. 45. Et conturbavit illum : et elisus in terram, volutabatur spumans. 20. Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait : Ab infantiâ : 21. Et frequenter eum in ignem et in aquas misit, ut eum perderet ; sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri. 22. Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. 23. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. 24. Et cùm videret Jesus concurrentem

19. Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum statim.

17. *Et increpavit illum Jesus.*

turbam comminatus est spiritui, immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo ; et amplius ne introeas in eum. 25. Et exclamans, et multùm discerpens eum, exiit ab eo ;

C. *Increpavit Jesus spiritum immundum,*

A. *Et exiit ab eo dæmonium.*

et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est. 26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit :

C. *Et sanavit puerum.*

A. Et curatus est puer ex illâ horâ.

C. Et reddidit illum patri ejus. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. (*Omnibusque c. seq. n.* 1).

3. *Vis fidei, orationis, et jejunii.*

B. 27. Et cùm introisset in domum,

B. *Discipuli ejus secretò.*

A. 18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secretò, et

A. *Dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere eum?*

B. Interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum?

mus ejicere illum?

A. 19. Dixit illis Jesus : Propter

B. 28. *Et dixit illis:*

incredulitatem vestram.

C. XVII. 5. Et dixerunt apostoli Domino (1) : Adauge nobis fidem. 6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare ; et obediet vobis. (7. *Quis autem vestrùm, c.* 71, *n.* 4.)

A. Amen quippe dico vobis (A, B, 111, *n.* 3, *v.* 21, 25) : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illùc ; et transibit, et nihil impossibile

B. *Hoc genus.*

erit vobis. 20. Hoc autem genus.

A. *Non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.*

B. In nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio ¶.

(1) Hoc refert C. non hic, quia solius miraculi meminit, non eorum quæ in domo, illius occasione à Christo et Apostolis vicissim dicta sunt, sed inter variæ Christi documenta, quæ nullam habere videntur inter se cohærentiam : hùc autem probabilissimè referri satis ipsa lectio demonstrat.

Prædictio mortis.

Didrachma.

B. *Significat jam Dominum fuisse in itinere ad relinquendam Galilæam, et quod* A *dicit*, conversantibus, *id est, cùm adhuc in ea essent, jam scilicet relinquentes illam. Nec veniebant Capharnaum quasi domum, sed prætergredientes tantùm, ut supra aliquoties. Videtur enim habitationem reliquisse ab egressu quo profectus est Nazareth; ac ex eo semper Dominus est peregrinatus.*

CAPUT LXIX.

1. 2. *Mortis prædictio.*

V. 1, c. 66, n. 3, et 3, c. 104, n. 1.

B. IX. 29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam ; nec volebat quemquam scire.

A. XVII. 21. Conversantibus autem eis in Galilæâ,

B. 30. *Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis : Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum.*

C. IX. 44. Omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos (1) : Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum ;

A. *Dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum :* 22. *Et occident eum, et tertiâ die resurget.* B. 31. *At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum.*

B. Et occident eum, et occisus tertiâ die resurget.

C. 45. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos, ut non sentirent illud : et timebant eum interrogare de hoc verbo.

A. Et contristati sunt vehementer.

2. *Didrachmatis solutio.*

B. 32. *Et venerunt Capharnaum. Qui*

A. 23. Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum ; et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? 24. Ait : Etiam. Et cùm intrâsset in domum, prævenit eum Jesus, dicens : Quid tibi videtur,

Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit. Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. 26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum ; et eum piscem qui primus ascenderit, tolle et aperto ore ejus invenies staterem ; illum sumens da eis pro me et te.

(1) Gr. habet *auribus.*

Quis major. Scandalum.

Adhuc videtur in eâdem domo diversatus.

CAPUT LXX.

V. 2, c. 132, n. 1.

1. *Contentio apostolorum de primatu.*

A. XVIII. 1. *In illâ horâ (in Dedic. et Appar. S. Mich. Arch.) † accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum ?*

C. IX. 46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. 47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum,

B. IX. 32. Cùm domi essent, interrogabat eos : Quid in viâ tractabatis? 33. At illi tacebant (1) ; si quidem in viâ inter se disputaverant, quis eorum major esset (2). 34. Et residens vocavit duodecim ; et ait illis : Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. (C, *infra.* A, B, 104, *n.* 2 ; C. 132, *n.* 1.)

2. *Commendatio humilitatis.*

A. 2. *Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum ;* 3. *Et dixit :* C. *Apprehendit puerum, et statuit illum secùs se ;* 48. *Et ait illis :*

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum *secùs se*, quem cùm complexus esset, ait illis :

A. Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. 4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. 5. Et

C. *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit ; et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit.*

B. 36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit ; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

A. *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.*

C. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est (B, *supra*, et A, B, C, *locis cit.*)

3. *Pro nobis, qui non contra nos.*

B. 37. *Respondit illi Joannes, dicens : Magister,*

43. Respondens autem Joannes, dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæ-

vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. 38. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum :

monia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere.

B. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit citò malè loqui de me (1 *Cor.* 12, 3) ;

C. *Qui enim non est adversùm vos, pro vobis est* (51. Factum est, caput 103, n. 3).

39. Qui enim non est adversùm vos, pro vobis est. 40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis (A, 56, *n.* 6, *v.* 42) ; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

4. *Scandalum vitandum.*

A. 6. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei.*

41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me ; bonum est ei magis.

B. *Si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.*

A. Ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. 7. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala ; verùmtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

C. XVII. 1. *Et ait ad discipulos suos : impossibile est ut non veniant scandala ; væ autem illi per quem veniunt. 2. Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis.*

A. 8. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum ; quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.*

B. 42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam (A. 41, *n.* 3, *v.* 50) : bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem ; 43. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis ; 45. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur (*Isa.* 66, 24.)

B. 46. *Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

A. 9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te (*Ib. sup.*, *v.* 29) . bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis ;

B. 47. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 48. Omnis enim igne salietur (*Lev.* 2, 13), et omnis victima sale salietur (3). 49. Bonum est sal (A. 41, *n.* 1, *v.* 13, *c.* 92, *v.* 34) ; quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. (X. 1. *Et inde*, *c.* 89, *n.* 3.

5. *Pusilli non contemnendi.*

A. 10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. 11. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat (C. 105). 12. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves et erraverit una ex eis (C. 93, *n.* 1), nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit? 13. Et si contigerit ut inveniat eam : Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt. 14 Sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

(1) Fieri potuit ut discipuli primùm tacuerint, ut apud B, deinde etiam interrogaverint, non de se, sed in universum, ut apud A. Et sic C cogitationem, B disputationem, A interrogationem afferat ; nisi A dicat eos interrogàsse, quia id in animo habebant, vel quod Dominus eâ de re locutus non sit, nisi quia ab apostolis id erat disputatum. Quare cùm probabiliùs videatur Dominum discipulos interrogàsse cognitis eorum cogitationibus, et quæstione ortâ inter eos, A extra textum in margine reposuimus.

(2) Gr. vox, *eorum*, non legitur, sed tantùm, *quis major*, τίς μείζων.

(3) Locus obscurissimus. Sal duplici valet qualitate, urendi seu mordendi, et conservandi ; utramque tribuit Christus igni gehennæ, hoc sensu ; *omnis enim*, scilicet qui mittitur in gehennam, *igne salietur*, id est, quasi sale condietur, ut crucietur semper, et incorruptus maneat ; *et omnis victima sale salietur*, et pro *sicut*, ut Proverb. 25, v. 3, 23, et 25, hoc est, impii instar victimæ, quæ divinæ justitiæ immolatur, igne condientur, quemadmodùm juxta legem, omne sacrificium sale condiri debet.

CORREPTIO FRATERNA. CLAVES. CONDONANDUM.

CAPUT LXXI.

1. *Ordo correptionis fraternæ.*

A. XVIII. 15. (Fer. 3 post Dom. 3 Quadr.) † *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade,*

C. XVII. 3. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum, et si pœnitentiam egerit, dimitte illi (*Eccl.* 19, 13 ; *Jac.* 5, 19 ; A, *infr. n.* 3.) 4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me ; dimitte illi ; (5. *Et dixerunt*, *c.* 68, *n.* 3.)

A. Et corripe eum inter te et ipsum solum ; si te

audierit, lucratus eris fratrem tuum : 16. Si autem te non audierit ; adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum (*Deut.* 19, 15). 17. Quòd si non audierit eos ; dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus.

2. *Claves promissæ.*

18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo (*Sup.* 66, *n.* 2, D. 147, *n.* 1) ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. 19. Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. 20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

3. *Rex debitum dimittens.*

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? 22. Dicit illi Jesus : Non dico tibi, usque septies ; sed usque septuagies septies, ¶. 23. Ideò (*Dom.* 21 *post Pent.*) † assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. 24. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus vænumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. 26. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 27. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. 28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios ; et tenens suffocabat eum, dicens : Redde quod debes. 29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit (*Jac.* 2, 13) ; sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. 31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè ; et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. 32. Tunc vocavit illum dominus suus ; et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogàsti me : 33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? 34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. 35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis (*Sup.* 42, *n.* 2, *v.* 15, B ; 111, *n.* 3, *v.* 26), si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris ¶.

4. *Servi inutiles.*

C. 7. Quis autem vestrûm (1) habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe ; 8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes? 9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat? 10. Non puto. Sic et vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus.

(1) Ex C hæc adjunximus, non quòd certam, sed quòd probabilem habeant cum iis quæ ab A dicta sunt, connexionem ; eo verò loco à C referantur, quo quatuor Christi documenta congerit, nullo, ut apparet, ordine servato. Quare cùm tria priora jam supra retulerimus (1. nempe de scandalo, cap. superiori ; 2. de correptione fraternâ, in hoc ipso capite ; 3. de vi fidei, cap. 68) nihil consultiùs visum est, quàm 4 hic collocare ; præsertim cùm historia decem leprosorum, quæ immediatè sequitur, cap. 73, referatur.

RECESSUS E GALILÆA.

A et B dicunt Dominum è Galilæâ recessisse, et venisse in fines Judææ trans Jordanem ; non quod è Galilæâ proximè eò ierit, sed quia nullius ascensus in Jerusalem meminisse voluerunt, nisi quo ascendit moriturus. Ergo Dominus è Galilæâ ascendit Jerusalem ad festum Scenopegiæ, et inde post festum Encæniorum, venit in fines Judææ. Nam eumdem esse recessum è Galilæâ, de quo A, B, D, faciunt mentionem, ex eo constat quòd A et B apertè loquuntur de ultimo recessu è Galilæâ ante mortem, et de eodem etiam D, prius enim significavit Dominum in Galilæâ mansisse, quia ad necem quærebatur in Judæâ ; et post hunc ascensum ad festum Scenopegiæ, nullum ampliùs describit reditum in Galilæam, cùm tamen id antè studiosè fecerit, et satis apparet ex continuatione narrationis, Dominum semper postea versatum in Judæâ. De C verò dicemus ad cap. 103.

CAPUT LXXII.

A. XIX. 1. Et factum est cùm consummàsset Jesus sermones istos ; migravit à Galilæâ (1). (*Et venit*, *c.* 89, *n.* 3.)

D. VII. 2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia (*Lev.* 23, 34). 3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus : Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse ; si hæc facis, manifesta teipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 6. Dixit ergo eis Jesus : Tempus meum nondùm advenit : tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos : me autem odit ; quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem (1) non ascendo ad diem festum istum : quia meum tempus nondùm impletum est. 9. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæâ. 10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, (3) non manifeste, sed quasi in occulto.

(1) Non statim, sed post ea quæ infra D narrat ; cum scilicet aliis ad diem festum ascendentibus primùm quidem mansisse in Galilæâ, tum verò eâ relictâ et ipsum Jerosolymam ascendisse.

(2) Gr. οὔπω ἀναβαίνω, nondùm ascendo ; quod solvit difficultatem.

(3) Hoc ipsum est, quod ante dixit B, *c.* 69, *n.* 1 : *Et prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire.*

DECEM LEPROSI.

Quia ut tit. præced. cap. dictum est, post superiorem recessum Dominus non rediit in Galilæam, certum est istud hoc loco collocandum.

CAPUT LXXIII.

C. XVII. 11. Et factum est, (*Dom.* 13. *post Pent.*) † dùm iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, et Galilæam. 12. Et cùm ingrederetur quoddam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè; 13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus (*Lev.* 14, 2). Et factum est, dùm irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magnâ voce magnificans Deum ; 16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ; et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ? 18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit ¶. (20. *Interrogatus autem*, c. 97, *n.* 1.)

SCENOPEGIA.

CAPUT LXXIV.

1. *Prædicatio Christi in templo.*

D. VII. 11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille ? 12. Et murmur multum erat in turbâ de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non ; sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum ¶. 14. (*Fer.* 3 *post Dom.* 4 *Quadr.*) † Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. 15. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit ? 16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ, utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit ; qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem (*Exod.* 24, 3)? 20. Quid me quæritis interficere (*Sup.* 37, *n.* 2, *v.* 18) ? Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes : quis te quærit interficere ? 21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem ; non quia ex Moyse est (*Lev.* 12, 3), sed ex patribus (*Gen.* 17, 10) : et in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi : mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato ? 24. Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. (*Deut.* 1, 16, *et* 16, 18; *Lev.* 19, 15.)

2. *Varia de Christo judicia.*

25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est quem quærunt interficere ? 26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid verè cognoverunt principes, quia hic est Christus ? 27. Sed hunc scimus unde sit : Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis ; et à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere ; et nemo misit in illum manus, quia nondùm venerat hora ejus. 31. De turbâ autem multi crediderunt in eum ¶, et dicebant : Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit ?

3. *Missio ad capiendum Christum.*

32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc ; et (*Fer.* 2 *post Dom. Pass.*) † miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum ; et vado ad eum qui me misit. 34. Quæretis me, et non invenietis (*Inf.* 132, *n.* 2.) ; et ubi ego sum vos non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quò hic iturus est, quia non inveniemus eum ? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? 36. Quis est hic sermo, quem dixit : Quæretis me, et non invenietis ; et ubi sum ego, vos non potestis venire ? 37. In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus (*Lev.* 23,) et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura (*Deut.* 18, 15), flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu quem acceperuri erant credentes in eum ; (*Isa.* 44, 3, *Joel.* 2, 28; *Act.* 2, 17.) ¶ nondùm enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.

4. *Dissensio inter Judæos.*

40. Ex illâ ergo turbâ, cùm audissent hos sermones ejus, dicebant : (*Sup.*, 37, *n.* 3, *v.* 14; *c.* 46, *v.* 16.) Hic est verè propheta. 41. Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid à Galilæâ venit Christus ? 42. Nonne Scriptura dicit (*Mich.* 5, 2, 1,9,*v.*3, 6.) : Quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus ? 43. Dissensio itaque facta est in turbâ propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum ; sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad pontifices et Pharisæos ; et dixerunt eis illi : Quare non adduxistis illum ? 46. Responderunt ministri : Nunquàm sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis ? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ? 49. Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus (*sup.* 20, 1.) ad eos : Ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis. 51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat ? (*Deut.* 17, 8, *et* 19, 15) 52. Responderunt, et dixerunt ei : Numquid et tu Galilæus es ? scrutare Scripturas, et vide quia à Galilæâ propheta non surgit. 53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

MULIER ADULTERA.

CAPUT LXXV.

D. VIII. 1. (*Sab. post Dom.* 3 *Quad.*) † Jesus autem perrexit in montem Oliveti ; 2. Et diluculo iterùm venit in templum ; et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3. Adducunt autem scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio, 4. Et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio ;

5. In lege (*Lev.* 20, 10) autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis ? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsùm, digito scribebat in terrâ. 7. Cùm ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat. (*Deut.* 17, 7.) 8. Et iterùm se inclinans, scribebat in terrâ. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus ; et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant ? nemo te condemnavit ? 11. Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo, vade, et jam amplius noli peccare ¶.

ALTERA PRÆDICATIO CHRISTI IN TEMPLO.

CAPUT LXXVI.

1. *Testimonium Christi de seipso.*

D. VIII. 12. Iterùm ergo locutus est eis Jesus, dicens : (*Sab. post. Dom.* 4 *Quadr.*) † Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes ; testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Jesus, et dixit eis : Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum ; quia scio unde veni, et quò vado : vos autem nescitis unde venio, aut quò vado. 15. Vos secundùm carnem judicatis : ego non judico quemquam : 16. Et si judico ego, judicium meum verum est ; quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est (*Deut.* 17, 6, *et* 19, 15.). 18. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso ; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei : Ubi est pater tuus ? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque patrem meum : si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo, et nemo apprehendit eum, quia necdùm venerat hora ejus ¶.

2. *Comminatio contra infideles.*

21. Dixit ergo iterùm eis Jesus : (*Fer* 2 *post Dom.* 2 *Quadr.*) † Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quò ego vado, vos non potestis venire ? 23. Et dicebat eis : Vos de deorsùm estis ; ego de supernis sum : vos de mundo hoc estis ; ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

3. *Christus Dei Filius.*

25. Dicebant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus : Principium (1), qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare ; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus ; Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor : 29. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum ; quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper ¶. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis : 32. Et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus, unquàm : quomodò tu dicis : Liberi eritis ? 34. Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Rom.* 6, 14 *et seq.*; 2 *Pet.* 2, 19) : 35. Servus autem non manet in domo in æternum ; filius autem manet in æternum. 36. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. 37. Scio quia filii Abrahæ estis ; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor ; et vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

4. *Judæi ex patre diabolo.*

39. Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite : 40. Nunc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo : hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me : ego enim ex Deo processi, et veni, neque enim à meipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis ? quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis (1. *Joan.* 3, 1) ; et desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit ; quia non est veritas in eo ; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. (*Dom. Pass.*) † Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? 47. Qui (1. *Joan.* 4, 6) ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

5. *Judæi blasphemi et lapidantes.*

48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? 49. Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo ; sed honorifico patrem meum, et vos inhonorâstis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam ; est qui quærat, et judicet. 51. Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est ? et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis ? 54. Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est ; est pater

castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè; 13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. 14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus (*Lev.* 14, 2). Et factum est, dùm irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magnâ voce magnificans Deum ; 16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ; et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ? 18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi : Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit ¶. (20. *Interrogatus autem*, c. 97, *n.* 1.)

SCENOPEGIA.

CAPUT LXXIV.

1. *Prædicatio Christi in templo.*

D. VII. 11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille ? 12. Et murmur multum erat in turbâ de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non ; sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum ¶. 14. (*Fer.* 3 *post Dom.* 4 *Quadr.*) † Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat. 15. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit ? 16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ, utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit ; qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem (*Exod.* 24, 3)? 20. Quid me quæritis interficere (*Sup.* 37, *n.* 2, *v.* 18) ? Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes : quis te quærit interficere ? 21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem ; non quia ex Moyse est (*Lev.* 12, 3), sed ex patribus (*Gen.* 17, 10) : et in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi : mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato ? 24. Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. (*Deut.* 1, 16, *et* 16, 18; *Lev.* 19, 15.)

2. *Varia de Christo judicia.*

25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est quem quærunt interficere ? 26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid verè cognoverunt principes, quia hic est Christus ? 27. Sed hunc scimus unde sit : Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis ; et à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere ; et nemo misit in illum manus, quia nondùm venerat hora ejus. 31. De turbâ autem multi crediderunt in eum ¶, et dicebant : Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit ?

3. *Missio ad capiendum Christum.*

32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc ; et (*Fer.* 2 *post Dom. Pass.*) † miserunt principes et Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum ; et vado ad eum qui me misit. 34. Quæretis me, et non invenietis (*Inf.* 132, *n.* 2.) ; et ubi ego sum vos non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quò hic iturus est, quia non inveniemus eum ? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes ? 36. Quis est hic sermo, quem dixit : Quæretis me, et non invenietis ; et ubi sum ego, vos non potestis venire ? 37. In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Jesus (*Lev.* 23,) et clamabat, dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura (*Deut.* 18, 15), flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 39. Hoc autem dixit de Spiritu quem acceperuri erant credentes in eum ; (*Isa.* 44, 3, *Joel.* 2, 28; *Act.* 2, 17.) ¶ nondùm enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondùm erat glorificatus.

4. *Dissensio inter Judæos.*

40. Ex illâ ergo turbâ, cùm audissent hos sermones ejus, dicebant : (*Sup.*, 37, *n.* 3, *v.* 14; *c.* 46, *v.* 16.) Hic est verè propheta. 41. Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid à Galilæâ venit Christus ? 42. Nonne Scriptura dicit (*Mich.* 5, 2, 1,9,*v.*3, 6.) : Quia ex semine David, et de Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus ? 43. Dissensio itaque facta est in turbâ propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum ; sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad pontifices et Pharisæos ; et dixerunt eis illi : Quare non adduxistis illum ? 46. Responderunt ministri : Nunquàm sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis ? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ? 49. Sed turba hæc quæ non novit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus (*sup.* 20, 1.) ad eos : Ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis. 51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat ? (*Deut.* 17, 8, *et* 19, 15) 52. Responderunt, et dixerunt ei : Numquid et tu Galilæus es ? scrutare Scripturas, et vide quia à Galilæâ propheta non surgit. 53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

MULIER ADULTERA.

CAPUT LXXV.

D. VIII. 1. (*Sab. post Dom.* 3 *Quad.*) † Jesus autem perrexit in montem Oliveti ; 2. Et diluculo iterùm venit in templum ; et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3. Adducunt autem scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio, 4. Et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio ;

5. In lege (*Lev.* 20, 10) autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis ? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsùm, digito scribebat in terrâ. 7. Cùm ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat. (*Deut.* 17, 7.) 8. Et iterùm se inclinans, scribebat in terrâ. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus ; et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant ? nemo te condemnavit ? 11. Quæ dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo, vade, et jam amplius noli peccare ¶.

ALTERA PRÆDICATIO CHRISTI IN TEMPLO.

CAPUT LXXVI.

1. *Testimonium Christi de seipso.*

D. VIII. 12. Iterùm ergo locutus est eis Jesus, dicens : (*Sab. post. Dom.* 4 *Quadr.*) † Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de teipso testimonium perhibes ; testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Jesus, et dixit eis : Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum ; quia scio unde veni, et quò vado : vos autem nescitis unde venio, aut quò vado. 15. Vos secundùm carnem judicatis : ego non judico quemquam : 16. Et si judico ego, judicium meum verum est ; quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est (*Deut.* 17, 6, *et* 19, 15.). 18. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso ; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. 19. Dicebant ergo ei : Ubi est pater tuus ? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque patrem meum : si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo, et nemo apprehendit eum, quia necdùm venerat hora ejus ¶.

2. *Comminatio contra infideles.*

21. Dixit ergo iterùm eis Jesus : (*Fer* 2 *post Dom.* 2 *Quadr.*) † Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quò ego vado, vos non potestis venire ? 23. Et dicebat eis : Vos de deorsùm estis ; ego de supernis sum : vos de mundo hoc estis ; ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

3. *Christus Dei Filius.*

25. Dicebant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus : Principium (1), qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare ; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus ; Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor : 29. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum ; quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper ¶. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis : 32. Et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus, unquàm : quomodò tu dicis : Liberi eritis ? 34. Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Rom.* 6, 14 *et seq.*; 2 *Pet.* 2, 19) : 35. Servus autem non manet in domo in æternum ; filius autem manet in æternum. 36. Si ergo vos Filius liberaverit, verè liberi eritis. 37. Scio quia filii Abrahæ estis ; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor ; et vos, quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

4. *Judæi ex patre diabolo.*

39. Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite : 40. Nunc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo : hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me : ego enim ex Deo processi, et veni, neque enim à meipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis ? quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis (1. *Joan.* 3, 1) ; et desideria patris vestri vultis facere : ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit ; quia non est veritas in eo ; cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. (*Dom. Pass.*) † Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? 47. Qui (1. *Joan.* 4, 6) ex Deo est, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

5. *Judæi blasphemi et lapidantes.*

48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? 49. Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo ; sed honorifico patrem meum, et vos inhonorâstis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam ; est qui quærat, et judicet. 51. Amen, amen dico vobis : Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. 52. Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est ? et prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis ? 54. Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est ; est pater

meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est; 55. Et non cognovistis eum, ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax; sed scio eum, et sermonem ejus servo. 56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. 57. Dixerunt ergo Judæi, ad eum : Quinquaginta annos nondùm habes, et Abraham vidisti? 58. Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : antequàm Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. ¶.

1. Videtur Christus dicere se esse principium; sed hunc sensum græca verba difficilè admittunt, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν : ubi cùm τὴν ἀρχήν, sit quarti casûs, adverbialiter sumi videtur, subaudiendo κατά, ut idem sit quod *primùm*, vel *à principio*; quod quidam sic explicant : Primùm hoc sum quod et ego dico vobis, id est, lux mundi. Alii sic : A principio, subaudi, ego sum, quia omni tempore prior sum; quod ad Latinorum Patrum interpretationem accedit.

Cæcus natus.

CAPUT LXXVII.

1. *Per Jesum curatus.*

D. IX. 1. Et (*Fer. 4 post. Dom. 4 Quadr.*) † prætericns Jesus vidit hominem cæcum à nativitate : 2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? 3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari : 5. Quamdiù sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos ejus; 7. Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns. 8. Itaque vicini, et qui viderant eum priùs, quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant : Quia hic est. 9. Alii autem : Nequaquàm, sed similis est ei. Ille verò dicebat : Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei : Quomodò aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus lutum fecit; et unxit oculos meos et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, lavi, et video. 12. Et dixerunt ei : Ubi est ille? Ait : Nescio.

2. *Adductus ad Pharisæos.*

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. 15. Iterùm ergo interrogabant eum Pharisæi quomodò vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodò potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cæco iterùm : Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est. 18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat : 19. Et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodò ergo nunc videt? 20. Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster et quia cæcus natus est : 21. Quomodò autem nunc videat, nescimus : aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus : ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. 22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret : 23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

3. *Vocatus rursùm à Pharisæis et ejectus.*

24. Vocaverunt ergo rursùm hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo : nos scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio; unum scio, quia cæcus cùm essem, modò video. 26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? Quomodò aperuit tibi oculos? 27. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis : quid iterùm vultis audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri? 28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus : 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos : 31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. 32. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam. 34. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos? et ejecerunt eum foràs.

4. *A Christo edoctus credit.*

35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foràs; et cùm invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei? 36. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum? 37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait : Credo, Domine; et procidens adoravit eum ¶. 39. Et dixit Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni; ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant; et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus? 41. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis (1), non haberetis peccatum : nunc verò dicitis : Quia videmus : peccatum vestrum manet.

(1) Id est, si vos cæcos adverteretis, si vos cæcos diceretis, et ad medicum curreretis. August., tract. 44, in Joan.

Verus Pastor.

CAPUT LXXVIII.

1. *Pastor et fur.*

D. X. 1. (*Fer. 3 post Dom. Pentec.*) † Amen, amen dico vobis : Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius

aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. 4. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. 6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterùm Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quotquot venerunt (1) fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves. 9. Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. 10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantiùs habeant ¶.

2. *Pastor bonus, et mercenarius.*

11. (*Dom. 2. post Pascha.*) † Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. (*Isa.* 40, 11. *Ezech.* 34, 23.) 12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves; 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

3. *Christus pro ovibus sponte moritur.*

14. Ego sum pastor bonus; et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. 15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. 16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili (*Ezech.* 37, 21 *et* 22); et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor ¶. 17. Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam. 18. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso (*Isa.* 53, 7); et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. 19. Dissensio iterùm facta est inter Judæos propter sermones hos. 20. Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et insanit : quid eum auditis? 21. Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis : numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? (22. *Facta sunt*, c. 89, n. 1.)

(1) Gr. habet : *Quotquot ante me venerunt*, πρὸ ἐμοῦ.

Missio septuaginta discipulorum.

Verba C. post hæc, *nihil aliud indicare videntur, quàm missionem 72 discipulorum factam fuisse post missionem 12 apostolorum, quod satis significat* C, *dum ait*, designavit Dominus et alios. *Quare quo præcisè tempore hæc missio contigerit, certò statui non potest; hic tamen eam collocavimus, quòd* C *in eodem cap., mentionem faciat ingressus Christi in domum Marthæ et Mariæ, quæ erat in Bethaniâ propè Jerosolymam. Unde colligi potest, medio illo tempore quod intercedit inter festum Tabernaculorum, et Encæniorum, Dominum in Judæâ, commorantem misisse 72 discipulos, qui in Judæâ, et locis vicinis, in quibus hactenùs non prædicàsset, Evangelii sementem jacerent.*

CAPUT LXXIX.

1. *Electio, missio et monita.*

C. X. 1. Post hæc autem (*In festis S. Marci, et S. Lucæ*) † designavit Dominus et alios septuaginta duos (1) : et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quò erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis (A, 56, n. 2, v. 37) : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat (2), operarios in messem suam. 3. Ite : ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos (A, 56, n. 4. v. 16). 4. Nolite portare sacculum neque peram (A, B, C, 56, n. 3, C, 132, n. 5, v. 35), neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. 5. In quamcumque domum intraveritis (A, 56, n. 3, v. 12), primùm dicite : Pax huic domui : 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. 7. In eâdem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede suâ (A, *ib.*, v. 10; *Deut.* 24, 14, 1 *Tim.* 5, 18). Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis : 9. Et curate infirmos, qui in illâ sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei ¶. 10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus (A, B, C, 56, n. 3, v. 14, 41, 5. *Act.* 13, 51), dicite : 11. Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestrâ, extergimus in vos : tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. 12. Dico vobis quia Sodomis in die illo remissius erit, quàm illi civitati (A, 47 n. 4, et 56, n. 3, v. 15). 13. *Væ tibi, Corozain* (3), c. 47, n. 4.

16. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

Reditus septuaginta discipulorum.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis : Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit. 20. Verùmtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur : gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

3. *Mysteria sapientibus abscondita.*

A. XI. 25. (in fest. S. Matthiæ ap.) (4) † *in illo tempore respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. 26. Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi*

21. In ipsâ horâ exultavit Spiritu sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. Etiam Pater; quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 23. Et conversus ad discipulos suos, dixit (*Dom. 12, post Pent.*) † Beati oculi qui vident quæ vos videtis. (A, 51, n. 2 v. 16, 24.) Dico enim vobis quòd,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.

4. Jugum Christi suave.

A. 28. Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. 29. Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris (*Jer.* 6, 16). 30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (1 *Joan.* 5, 3) ¶. (XII. 1. *In illo tempore* (5), *c.* 38.

(1) Gr. ἑβδομήκοντα *septuaginta* sicut et v. 17, quod per 72, interpretatus est Latinus; quia tot fuisse discipulos constabat ex antiquâ traditione. Moris verò erat Hebræis, 70 nominare numero rotundo, etiam ubi constabat esse 72, sicut et nunc 70 interpretes, quos scimus fuisse 72.
(2) Gr. ἐκβάλλει *extrudat*.
(3) Vide annot. 2 cap. 47.
(4) Vide annot. 5 ejusd. cap.
(5) Vide tit. cap. 38.

SAMARITANUS.

Istud non videtur hic contigisse, sed coràm populo, et fortè in synagogâ; quia tamen non constat ubi, vel quando contigerit, et à solo C *narratur, ordinem ejus interrumpere noluimus, sicut nec in duobus aliis subseq. cap.*

CAPUT LXXX.

1, Amandus Deus et proximus.

C. X. 25. Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, et dicens (A, B, 117): Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? 26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodò legis? 27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tuâ; et proximum tuum sicut teipsum (*Deut.* 6, 5). 28. Dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac, et vives.

2. Parabola Samaritani.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? 30. Suscipiens autem Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto. 31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eâdem viâ; et viso illo præterivit. 32. Similiter et levita, cùm esset secùs locum, et videret eum, pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secùs eum; et videns eum, misericordiâ motus est: 34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. 35. Et alterâ die protulit duos denarios, et dedit stabulario; et ait: Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi. 36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? 37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter ¶.

MARTHA ET MARIA.

CAPUT LXXXI.

C. X. 38. Factum est autem, dùm irent, et ipse (*in Assump. B. Mariæ.*) ✝ intravit in quoddam castellum; et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam: 39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet. 41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. 42. Porrò unum est necessarium. 43 Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ ¶.

ORATIO.

Licet A *hanc orandi formam, sicut et multa quæ aliàs contigerunt, sermoni in monte conjunxerit, verisimile tamen est hîc à Domino traditam rogatu alicujus ex 72 discipulis, qui illi sermoni (si in eo etiam habita est) non interfuerit.*

CAPUT LXXXII.

1. Oratio Dominica ex Lucâ.

C. XI. 1. Et factum est cùm esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. 2. Et ait illis (A, 42, *n.* 2): Cùm oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum (1). Adveniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, si quidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

2. Perseverantia in oratione.

5. Et ait ad illos (*Fer. 2 Rogat.*) ✝ Quis vestrûm habebit amicum, et ibit ad illum mediâ nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes (V. *cap. de re c.* 98): 6. Quoniam amicus meus venit de viâ ad me, et non habeo quod ponam ante illum; 7. Et ille de intùs respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, et dare tibi. 8. Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios (2). 9. Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis (A, 45, *n.* 4; A, B, 111, *n.* 5; D, 135, *n.* 1, *et* 135, *n.* 4; *Jac.* 4, 5). 10. Omnis enim qui petit, accipit: et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. 11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi (A, 45, *n.* 4, *v.* 9)? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? 12. Aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? 13. Si ergo vos cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ¶?

14. Et erat ejiciens (5), *c.* 49, *n.* 1.

(1) In Græcis plenior est hæc oratio, quippe qui videntur ex A hîc adjecisse, quæ C omiserat, nempe *noster qui es in cœlis. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terrâ. Sed libera nos à malo.*
(2) Gr., ἀναίδειαν, *impudentiam*, hoc est, inverecundam et pervicacem flagitationem, quod benè etiam significat vox *improbitas*: Probus enim opponitur inverecundo, et labor Virgilio dicitur *improbus*; quia urget, nec cessat. *Labor omnia vincit improbus.*
(5) Subjicit C hunc dæmoniacum, fortè quia hujus occasione plurima dicta sunt ad doctrinam pertinentia, quæ maximè his in capitibus prosequitur.

VÆ IN PHARISÆOS ET LEGISPERITOS.

Hanc Pharisæi invitationem subjungit C *disputationi exortæ ex ejectione dæmonis, quæ supra, cap.* 49, *sed ita tamen ut nullus ordo significetur: non enim dicit, ut notat S. Aug.*: Et cùm hæc loqueretur, *sed tantùm*: Et cùm loqueretur: *ut solum significaret, quodam tempore, cùm Dominus populum doceret, Pharisæum rogâsse eum ad prandium. Quare quo tempore, aut loco istud contigerit, incertum est. Quæ autem dicta à Domino inter prandendum Pharisæis et Scribis commemorat* C. *Eadem habet et* A, *cap.* 25, *sui Evang., sed alio tempore et loco, ut vel Dominus hæc sæpius dixerit, vel* A, *more suo, ea conjunxerit verbis Christi, quæ et si alio tempore dicta, habebant cum his quæ tum à Domino dicebantur, affinitatem. Quod enim narrat* C, *occasionem dedisse huic Scribarum et Pharisæorum increpationi, et quod habet in fine,* cùm hæc ad illos diceret cœpisse illos graviter insistere, etc., *satis significant* C *illam suo loco retulisse. Quare hinc transtulimus omnia* VÆ *quæ apud* A *reperiuntur, ut se mutuò illustrent. Sed ordo versuum* A *necessariò immutandus fuit, ut cum* C *conveniret.*

CAPUT LXXXIII.

1. Mundandum quod intùs est. Eleemosyna.

C. XI. 37. Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut prandaret apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pharisæus autem cœpit intrà se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

A. XXIII. 25. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis et paropsidis; intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ.*

39. Et ait Dominus ad illum: Nunc, vos Pharisæi, quod de foris est calicis et catini, mundatis: quod autem intùs est vestrûm, plenum est rapinâ, et iniquitate. 40. Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam id quod de intùs est, fecit?

A. 26. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id quod de foris est, mundum. (27. *Væ vobis, infra, n. seq.*)

C. 41. Verùmtamen quod superest, date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis.

2. Væ in Pharisæos.

A. 23. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ; qui decimatis mentham* (1).

C. 42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham et rutam,

A. Et anethum et cyminum,

C. Et omne olus;

C. *Et præteritis*

A. Et reliquistis quæ graviora *judicium.*

sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem,

A. *Hæc oportuit facere, et illa non omittere.*

C. Et charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.

A. 24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. (25. *Væ vobis, supra, n.* 1).

C. 43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras, in synagogis, et salutationes in foro. (A, B, C, 119, *n.* 1.)

A. 14. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ (B, C, *ibid.*); quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium. 15. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ; quia circuitis mare, et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos (2). 16. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet. 17. Stulti et cæci! quid enim majus est, aurum an templum, quod sanctificat aurum? 18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est; quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet. 19. Cæci! quid enim majus est, donum an altare, quod sanctificat donum? 20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt; 21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso; 22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum. (23. *Væ vobis, supra*).

A. 27. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ; quia*

C. 44. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt.

A. Similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ (5): 28. Sic et vos à foris quidem paretis hominibus justi; intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

3. Væ in Legisperitos. Sanguis exquirendus.

C. 45. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis? 46. At ille ait: Et vobis legisperitis væ; quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas (A, 119, *n.* 1, *v.* 4).

A. 29. *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ,*

47. Væ vobis,

C. *Qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.*

A. Qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum; 30. Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

A. 31. *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.*

C. 48. Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.

A. 32. Et vos implete mensuram patrum vestro-

rum. 33. Serpentes genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ (C, A, 13, n. 3 et 4)?

C. 49. Propterea et sapientia Dei dixit :

C. *Mittam ad illos prophetas, et apostolos, et ex illis occident, et persequentur; 50. Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione istâ; 51. A sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hâc generatione.*	A. 34. Ideò (*In Nat. S. Steph. protom.*) † ecce ego mitto ad vos prophetas, et *apostolos*, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequimini de civitate in civitatem : 35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel (*Gen.*, 4.) justi usque ad sanguinem Zachariæ (2 *Par.* 24, 22), filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. (37. *Jerusalem, Jerus.*, c. 90, n. 2.)
A. 13. *Væ autem vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ;*	C. 52. Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ;
C. *Ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis.*	A. Quia clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. (14. *Væ vobis, supra, n.* 2.)

C. 53. Cùm autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis : 54. Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

(1) Ex C apparet priùs Christum solos increpâsse Pharisæos scribas verò, cùm per consequentiam hæc ad se trahi posse viderent, illi dixisse : *Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.* Unde aliunde adjectum videtur quod habent Græci codices in C, v. 44 : *Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ.* A tamen ubique scribas et Pharisæos conjungit, quia ut ex responso Christi apud C. patet, in utrosque quadrabat, quod in alterutros Christus dixerat. Nihilominùs intelligendum ex C priora VÆ in Pharisæos propriè dicta, posteriora in legisperitos sive scribas; quod et notavimus in articulorum titulis.

(2) Sensus est, secundùm Estium, quòd proselyti à Pharisæis facti, offensi malâ vitâ et hypocrisi magistrorum suorum, vel etiam gravi onere legis, cum adjuncto onere traditionum Pharisaicarum, resiliebant à proposito, et redibant ad paganismum et veterem idololatriam; sicque apostatæ facti, saltem in hoc Pharisæis pejores deveniebant.

(3) Penitùs sub terram defossa, qualia multa erant in regione Palæstinâ, ut quæ esset petrosa. Quare apud A alia est comparatio à monumentis sumpta, idem significans, nempe hypocrisim; ideòque utrumque in textu reliquimus.

MORS NON TIMENDA.

CAPUT LXXXIV.

C. XII. 1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : (*In fest. S. Dion. et soc.*) † : Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur (B, C, 31, n. 4. A. 56, n. 3). 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent ampliùs quid faciant (A, *ibid.*, v. 28, *et seq.*) 5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. 6. Nonne quinque passeres væneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? 7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos. 8. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei (A, *ibid.*, v. 32) ¶ : 9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei (B, C, 66, n. 5, v. 38, 26). 10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur (A, B, 49, n. 4.) 11. Cùm autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis (A, 56, n. 4, v. 19. B, C, 121, n. 3). 12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsâ horâ quid oporteat vos dicere.

SOLLICITUDO DIVITIARUM.

CAPUT LXXXV.

1. *Dives destruens horrea.*

C. XII. 13. Ait autem ei quidam de turbâ : Magister dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. 14. At ille dixit illi : Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? 15. Dixitque ad illos : Videte et cavete ab omni avaritiâ, quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit (*Eccl.* 11, 19). 17. Et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? 18. Et dixit : Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam; et illùc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea; 19. Et dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te; quæ autem parâsti cujus erunt? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

2. *Vana sollicitudo.* (*V.* eàd. de re c. 42, n. 6, A.)

22. Dixitque ad discipulos suos : Ideò dico vobis (*Ps.* 54, 23) : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum (1 *Pet.*, 5, 7. *Philip.* 4, 6). 24. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt; quibus non est cellarium, neque horreum; et Deus pascit illos : quantò magis vos pluris estis illis? 25. Quis autem vestrûm cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? 27.

Considerate lilia quomodò crescunt : non laborant, neque nent; dico autem vobis : Nec Salomon in omni gloriâ suâ vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodiè est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit : quantò magis vos pusillæ fidei? 29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli : 30. hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verùmtamen quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis. 32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam (A, B, C, 100, n. 2). Facite (A, 42, n. 4; 1 *Tim.* 6, 19) vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis; quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

BONUS ET MALUS SERVUS.

CAPUT LXXXVI.

1. *Servus vigilans et fidelis.*

C. XII. 35. (*In Com. conf. non pont.*) † Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris; 36. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur à nuptiis : ut cùm venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi, quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quòd præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secundâ vigiliâ, et si in tertiâ vigiliâ venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

A. XXIV. 42. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit (1).

A. 43. *Illud autem scitote quoniam si sciret paterfamiliâs quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 44. Ideò et vos estote parati, quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est.*	C. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs quâ horâ fur veniret (*Apoc.* 16, 15), vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati; quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet ¶. 41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? 42. Dixit autem Dominus :
45. *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore : 46. Beatus ille servus, quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem : 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*	Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? 43. Beatus ille servus quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem. 44. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

2. *Malus servus.*

48. *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit Dominus meus venire; 49. Et cœperit percutere conservos suos; manducet autem et bibat cum ebriosis; 50. Veniet Dominus servi illius in die quâ non sperat, et horâ quâ ignorat;*	45. Quòd si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit Dominus meus venire; et cœperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari *cum ebriosis* : 46. Veniet dominus servi illius in die quâ non sperat, et horâ quâ nescit;
C. *Et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.*	A. 51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium. (XXV. 1. *Tunc simile*, c. 124.)

C. 47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis; 48. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multùm datum est, multùm quæretur ab eo; et cui commendaverunt multùm, plus petent ab eo.

3. *Separatio à propinquis.*

49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur (2)? 50. Baptismo autem habeo baptizari : et quomodò coarctor usque dùm perficiatur? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram (A, 56, n. 6, v. 34)? non, dico vobis, sed separationem. 52. Erunt enim ex hoc quinque in domo unâ divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur : 53. Pater in filium, et filius in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam. (*Dicebat autem*, c. 64, n. 1).

(1) Jam dictum est in præcedentibus, moris esse A simul conjungere quæ ad doctrinam pertinent, licèt alio loco et tempore dicta. Quare quæ inserit de servo bono et malo, sermoni Christi de judicio, visum est hùc transferre; quòd habeant cum iis quæ hic C refert, omnimodam affinitatem.

(2) Gr., εἰ ἤδη ἀνήφθη, quòd Erasmus vertit, *si jam accensus est.* Sed vir doctus annotavit, εἰ, apud Hellenistas idem valere quod, *utinam*, ut Lucæ 19, 42, et Concord. 109, n. 5, εἰ ἔγνως καὶ σὺ, *utinam tu quoque novisses.* Quare sic verti posse hunc locum existimat : *Et quid volo* (cum interrogationis notâ)? *Utinam jamjam accendatur.*

PŒNITENTIA AGENDA.

CAPUT LXXXVII.

C. XIII. 1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis : Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt. 3. Non,

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dico vobis; sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos : putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. 6. (*Sabb. 4 Temp. sept.*) † Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ suâ, et venit quærens fructum in illâ, et non invenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hâc, et non invenio; succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat. 8. At ille respondens dixit illi : Domine, dimitte illam et hoc anno, usquedùm fodiam circa illam, et mittam stercora; 9. Et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum succides eam.

Mulier inclinata.

CAPUT LXXXVIII.

C. XIII. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omninò poterat sursùm respicere. 12. Quam cùm videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. 13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. 14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curàsset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt in quibus oportet operari; in his ergo venite et curamini, et non in die Sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrùm sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepio, et ducit adsquare? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati? 17. Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus, et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriosè fiebant ab eo ¶. (18. *Dicebat ergo, c. 52, n. 5*).

Encænia.

Hic ponenda sunt encænia, post quæ, ut narrat D, *abiit Dominus trans Jordanem : quod enim sequitur apud* C, *dictum Christo à Pharisæis :* Exi hinc, quia Herodes vult te occidere, *non potuit contingere in Judæâ, in quâ jus nullum erat Herodi; sed in Peræâ quæ trans Jordanem erat, et ditionis Herodis. Hæc autem ipsum locum significant* A *et* B, *cùm dicunt Dominum venisse in fines Judææ trans Jordanem. Quamvis enim significare videantur locum respectu Galilææ trans Jordanem, non tamen significant, sed respectu Judææ, ut et* D; *nam certum est ab omnibus significari locum in quo Joannes primùm baptizabat.*

CAPUT LXXXIX.

1. *Oves Christi non pereunt.*

D. X. 22. (*Fer. 4 post dom. Pass.*) † Facta sunt autem encænia in Jerosolymis; et hiems erat (1 *Mac.* 4, 56, 59). 23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, die nobis palàm. 25. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me : 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis 27. Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me; 28. Et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ. 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est (1); et nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego et pater unum sumus.

2. *Furor Judæorum in Christum.*

31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ; et quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. 34. Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestrâ, quia ego dixi, dii estis (*Ps.* 81, 6)? 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; 36. Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum? 37. (*Inf.* 155, *n.* 1.) Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi : 38. Si autem facio; et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre ¶. 39. Quærebant ergo eum apprehendere; et exivit de manibus eorum.

3. *Curatio, et fides multorum trans Jordanem.*

A. XIX. 1. *Et venit* — 40. Et abiit iterùm.

D. *Trans Jordanem,* — A. In fines Judææ trans Jordanem,

D. X. 1. *Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem :*

D. In eum locum, ubi erat Joannes baptizans primùm; et mansit illic.

A. 2. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ,* — B. Et conveniunt iterùm turbæ ad eum,

D. 41. *Et multi venerunt ad eum.* — A. Et curavit eos ibi : (3. *Et accesserunt, c.* 95, *n.* 1).

B. Et sicut consueverat, iterùm docebat illos. (2. *Et accedentes, c.* 95, *n.* 1).

D. Et dicebant : Quia Joannes quidem signum fecit nullum : 42 Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum. (XI. (1) *Erat autem, c.* 102, *n.* 1).

(1) Id est, quod dedit mihi Pater gignendo, ut essem unigenitus Filius Dei, potentius est omni re creatâ. Sed Græci, ut et Syrus et Arabs, legunt in masculino : *Pater qui dedit mihi* (supple servandas oves) *major omnibus est; et nemo potest eripere, etc., et pro, ideo;* quia Pater potentior omnibus est, ideò nemo potest oves meas eripere Patris potestati; sed nec meæ : quia, ut sequitur : *Ego et Pater unum sumus.*

Pauci salvi.

CAPUT XC.

1. *Angusta porta.*

C. XIII. 22. Et ibat per civitates et castella, do-

cens, et iter faciens in Jerusalem. 23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos : 24. Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt (A, 43, *n.* 5, *v.* 15). 25. Cùm autem intraverit paterfamiliàs et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis (A, 124, *v.* 10). 26. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis (A, 43, *n.* 7) : Nescio vos unde sitis; discedite à me, omnes operarii iniquitatis (*Ps.* 6, 9). 28. Ibi erit fletus et stridor dentium (A, 43, *v.* 11 *et* 12.); cùm videritis Abraham et Isaac et Jacob et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foràs. 29. Et venient ab Oriente et Occidente, et aquilone, et austro; et accumbent in regno Dei. 30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. (A, B, 109, *n.* 3. A, 101, *v.* 16).

2. *Christus in Jerusalem occidendus.*

31. In ipsâ die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi. Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodiè et cras, et tertiâ die consummor. 33. Verùmtamen oportet me hodiè et cras, et sequenti die ambulare : quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. A. XXIII. 37. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos,* — 34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te! quoties volui congregare filios tuos,

C. *Quemadmodùm avis nidum suum sub pennis, et noluisti?* 35. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* — A. Quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. (*Hic* 1 *prædictio evers. Jerus.; v.* 2, *c.* 109, *n.* 5 *et* 3, *c.* 121).

A. 39. *Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini* ¶. — C. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis : Benedictus qui venit in nomine Domini. (A, B, C, 109, *n.* 3).

(XXIV. 1. Et egressus, c. 121, n. 1).

(1) Quod hic C dictum à Christo adhuc in Galilæâ agente memorat adversùs Jerusalem, A refert quasi dictum post triumphalem in Jerusalem ingressum. Unde cùm verisimile non sit, id à Christo bis pronuntiatum, vel anticipavit C vel A, quod priùs à Christo dictum fuerat, inservit iis quæ referebat à Christo dicta in Pharisæos propter argumenti similitudinem : quod cùm notàs probabilius videatur, verba A hùc transtulimus.

Hydropicus. Humilitas. Pauperes. Cœna magna.

CAPUT XCI.

1. *Hydropicus sabbato curatus.*

C. XIV. 1. Et factum est (*Dom. 16 post Pent.*) † cùm intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum, sabbato, manducare panem, et ipsi observabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Jesus dixit ad legisperitos et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare? 4. At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanavit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos, dixit : Cujus vestrùm asinus aut bos in puteum cadet, et non continuò extrahet illum die sabbati? 6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

2. *Recumbendum in novissimo loco.*

7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos : 8. Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo; 9. Et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco; ut cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superiùs (*Prov.* 25, 7). Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : 11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (*Inf.* 99, A 119, *n.* 2) ¶.

3. *Convivia pauperibus paranda.*

12. Dicebat autem et ei qui se invitaverat : Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos neque vicinos divites; ne fortè te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. 13. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos (*Tob.* 4, 7, 17. *Prov.* 3, 9.); 14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

4. *Cœna magna* (edd. de re, V. *c.* 114, A).

15. Hæc cùm audisset, quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit ei (*Dom. inf. oct. Corp. Ch. quæ est 2 post Pent.*) : † Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos; 17. Et misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusàre. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam; rogo te, habe me excusatum. 19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa; rogo te, habe me excusatum. 20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideò non possum venire. 21. Et reversus servus nuntiavit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamiliàs dixit servo suo : Exi citò in plateas et vicos civitatis; et pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc hùc : 22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperàsti, et adhuc locus est. 23. Et ait Dominus servo : Exi in vias et sepes; et compelle intrare, ut impleatur domus mea. 24. Dico

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cœnam meam ¶.

Omnibus renuntiandum.

CAPUT XCII.

C. XIV. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo; et conversus dixit ad illos (*in Com. an. Mart. Pont.*): ✝ 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (A, 56, *n.* 6, *v.* 37); 27. Et (A, *ib., v.* 38. A, B, C, 66, *n.* 5) qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; 29. Ne posteaquàm posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei. 30. Dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? 31. Aut quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? 32. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus ¶. 34. Bonum est sal: si autem sal evanuerit, in quo condietur (A, 41, *n.* 1. B, 70, *n.* 4, *v.* 49)? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foràs mittetur. Qui habet aures, audiendi, audiat.

PARABOLÆ OVIS, DRACHMÆ, FILII PRODIGI.

CAPUT XCIII.

1. *Ovis recuperata.*

C. XV. 1. (*Dom.* 3, *post Pent.*) ✝ Erant autem appropinquantes ei publicani, et peccatores, ut audirent illum. 2. Et murmurabant Pharisæi et scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta-novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? (A, 70, *n.* 3.) 5. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens; 6. Et veniens domum convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat? 7. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta-novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.

2. *Drachma reperta.*

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat? 9. Et cùm invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram? 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente ¶.

3. *Filius prodigus.*

11. Ait autem (*Sab. post Dom.* 2 *Quadr.*) ✝ Homo quidam habuit duos filios: 12. Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contigit. Et divisit illis substantiam. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam; et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. 14. Et postquàm omnia consummâsset, facta est fames valida in regione illâ, et ipse cœpit egere. 15. Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius: et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant; et nemo illi dabat. 17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! 18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in cœlum, et coram te; 19. Jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis. 20. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, et misericordiâ motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum. 21. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. 22. Dixit autem pater ad servos suos: Citò proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus; 23. Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur: 24. Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. 25. Erat autem filius ejus senior in agro; et cùm veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam, et chorum; 26. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. 27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. 28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, nunquàm mandatum tuum præterivi; et nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer; 30. Sed postquàm filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt; 32. Epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est ¶.

FACIENDI AMICI DE MAMMONA.

CAPUT XCIV.

1. *Parabola villici.*

C. XVI. 1. Dicebat autem et ad discipulos suos (*Dom.* 8, *post Pent.*): ✝ Homo quidam erat dives, qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, et ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare. 3. Ait

autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem; fodere non valeo, mendicare erubesco: 4. Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. 5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? 6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam; et sede citò, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. 8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt. 9. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis; ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula ¶.

2. *In avaros.*

10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. 11. Si ergo in iniquo mammonâ fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis? 12. Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis? 13. Nemo servus potest duobus dominis servire (A, 42, *n.* 6, *v.* 24): aut enim unum odiet, et alterum diliget: aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ. 14. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant avari; et deridebant illum. 15. Et ait illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex et prophetæ usque ad Joannem (A, 47, *n.* 2): ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. 17. Facilius est (A, 41, *n.* 1, *v.* 18) autem cœlum et terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.

MATRIMONII VINCULUM.

Obiter tantum C *mentionem hic matrimonii facisse videtur; isto tamen loco contigisse disputationem de matrimonio, quam describunt* A *et* B, *et cum* C *hic conjungendam esse, satis patet ex eo, quòd post pauca, quæ solus* C *narrat, concidunt tres in eandem narrationem de parvulis, de divite, et aliis quæ sequuntur. Valdè etiam verisimile est Pharisæos quæstionem de matrimonio proposuisse, quia dictum erat à Domino;* Lex et prophetæ usque ad Joannem: *cùm enim apud eos controversa esset hæc quæstio, facile eis venire in mentem potuit, itemque cogitatio quòd Christus aliquid super eâ diceret, unde eum accusare possent.*

CAPUT XCV.

1. *Repudium illicitum.*

B. X. 2. *Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum?*

A. 4. *Qui respondens, ait eis:*

A. XIX. 3. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quàcumque ex causâ?

B. 5. At ille respondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? 4. Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere (*Deut.* 24, 1.) 5. Quibus respondens Jesus, ait:

B. *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* 6. *Ab initio autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus.* 7. *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam;* 8. *et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* 9. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

A. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio (*Gen.* 1, 27), masculum et feminam fecit eos? et dixit: 5. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ: et erunt duo in carne unâ. (*Gen.* 2, 24; 1 *Cor.* 6, 16; *Eph.* 5, 31). 6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? 8 Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit. 9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur. (A. 41, *n.* 5, *v.* 32; 1. *Cor.* 7, 10).

C. XVI. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur:*

B. 10. Et in domo iterùm discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. 11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam:

C. Et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

B. 12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. (13. *Et offerebant, c.* 100, *n.* 1).

2. *Commendatio virginitatis.*

A. 10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. 11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. 12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat. (13. *Tunc oblati sunt, c.* 100, *n.* 1).

EPULO ET LAZARUS.

CAPUT XCVI.

C. XVI. 19. (*Fer.* 5 *post Dom.* 2 *Quadr.*) ✝ Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ et bysso: et epulabatur quotidiè splendidè. 20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus; 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensam divitis, et nemo illi dabat (1): sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus. 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno (2). 23. Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, et Lazarum in sinu ejus! 24. Et ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere

mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ. 25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. 26. Et in his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde hùc transmeare. 27. Et ait : Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei : 28. Habeo enim quinque fratres : ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas; audiant illos. 30. At ille dixit : Non, Pater Abraham : sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent ¶. (XVII. 1. *Et ait ad discip., c.* 70, *n.* 4.)

(1) Verba hæc, *et nemo illi dabat*, absunt à Græco : sunt qui putent hùc translata ex parabolâ filii prodigi quæ habetur cap. 95, n. 3.

(2) Aliter Græca. *et sepultus est. In inferno autem elevans oculos suos.*

ADVENTUS JUDICII.

C *in hoc cap.* 17 *sui Evang. ante ea quæ refert de adventu judicii, quædam præmittit; primum quatuor documenta, deinde historiam decem leprosorum quam vide cap.* 75. *Quia verò quatuor illa documenta, quorum I est de scandalo; II de correptione fraternâ; III de vi fidei; IV de debitâ Deo servitute, nullam habere videntur inter se connexionem; ideò I retulimus ad cap.* 70, *n.* 4; *II ad cap.* 71, *n.* 1; *III ad cap.* 68, *n.* 5; *et IV ad cap.* 71, *n.* 4, *ubi C ad cæteros Evang. adduximus. Vide illa capita.*

CAPUT XCVII.

1. Quando venit regnum Dei.

C. XVII. 20. Interrogatus autem (*Jesus*) à Pharisæis : Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit : Non venit regnum Dei cum observatione : 21. neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. 22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. 23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini (A, B, 122, *n.* 1). 24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die suâ. 25. Primùm autem oportet illum multa pati, et reprobari à generatione hâc.

2. Repentina malorum perditio.

A. XXIV. 37. *Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.*

26. Et sicut factum est in diebus Noe (1), ita erit et in diebus Filii hominis. (*Gen.* 7, 7.)

C. 27. *Edebant, et bibebant; uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem quâ intravit Noe in arcam et venit diluvium, et perdidit omnes.*

A. 38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, et bibentes; nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam; 39. et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis.

C. 28. Similiter sicut factum est in diebus Loth. Edebant, et bibebant; emebant et vendebant; plantabant et ædificabant : 29. Quâ die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo (*Gen.* 19, 24), et omnes perdidit. 30. Secundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur. 31. In illâ horâ qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa : et qui in agro, similiter non redeat retrò. 32. Memores estote uxoris Loth. 33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam (A, 56, *n.* 6, *v.* 39; A, B, C, 66, *n.* 5, D, 110, *n.* 4, *v.* 25).

3. Unus assumptus, et alter relictus.

A. 40. *Tunc duo erunt in agro; unus assumetur, et unus relinquetur: 41. Duæ molentes in molâ; una assumetur, et una relinquetur.*

(42. *Vigilate ergo, c.* 86. *n.* 1.

34. Dico vobis : in illâ nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, et alter relinquetur : 35. Duæ erunt molentes in unum; una assumetur, et altera relinquetur : duo in agro; unus assumetur, et alter relinquetur. 36. Respondentes, dicunt illi : Ubi Domine? 37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (A, 122, *n.* 1, *v.* 28).

(1) Alio loco et tempore id narrant à Christo dictum A et C; etsi verò idem à Christo his dici potuerit, tamen probabilius est vel C per anticipationem id dixisse; vel A. quæ priùs à Christo dicta fuerant, alii sermoni inseruisse. Prius existimavit Jansenius Gand., nobis posterius verisimilius visum est; quod sine his verbis optimè cohæreat sermo A, et cum B omninò consentiat.

JUDEX ET VIDUA.

CAPUT XCVIII.

C. XVIII. 1. (*V. edd. de re, c.* 82, *n.* 2.) Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, et non deficere *(Eccl.* 18, 22; *1 Thess.* 5, 17), 2. Dicens : Judex quidam erat in quâdam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. 3. Vidua autem quædam erat in civitate illâ, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dicit intra se : Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor : 5. tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me. 6. Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit : 7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis? 8. Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. Verùmtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?

PHARISÆUS ET PUBLICANUS.

CAPUT XCIX.

C. XVIII. 9. (*Dom.* 10, *post Pent.*) † Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tanquàm justi,

et asp.ernabantur cæteros, parabolam istam : 10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisæus, et alter publicanus. 11. Pharisæus stans hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic publicanus. 12. Jejuno bis in sabbato; decimas do omnium quæ possideo. 13. Et publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (C, 91, *n.* 2. A, 119, *n.* 2) ¶.

PARVULI DIVITIARUM IMPEDIMENTUM.

CAPUT C.

1. Parvuli Christo offerendi.

B. X. 13. *Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos.*

A. XIX. 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret.

C. XVIII. 15. *Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos.*

B. Discipuli autem comminabantur offerentibus.

A. *Discipuli autem increpabant eos. 14. Jesus verò ait eis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cœlorum.*

14. Quos cùm videret Jesus, indignè tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos : talium enim est regnum Dei.

C. 16. *Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos : talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis : Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.*

15. Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

16. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

2. Dives difficilè salvandus.

A. 16. *Et ecce unus accedens, ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? 17. Qui dixit ei :*

A. 15. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde.

C. 18. *Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? 19. Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.*

B. 17. Et cùm egressus esset in viam, procurrens quidam *princeps* genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? 18. Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

B. 19. *Præcepta nôsti : Ne adulteres; ne occidas; ne fureris; ne falsum testimonium dixeris; ne fraudem feceris. Honora patrem tuum, et matrem.*

A. Quid me interrogas de bono (1)? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. 18. Dicit illi : Quæ? Jesus autem dixit :

C. 20. Mandata nôsti (*Exod.* 20, 12; *Deut.* 5. 16) :

A. *Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices : 19. Honora patrem tuum et matrem tuam.*

Non occides; non mœchaberis; non furtum facies; non falsum testimonium dices; honora patrem tuum et matrem :

20. *Dicit illi adolescens : Omnia hæc custodivi à juventute meâ :*

A. Et diliges proximum tuum sicut teipsum.

C. 21. *Qui ait : Hæc omnia custodiri à juventute meâ.*

B. 20. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi à juventute meâ.

B. 21. *Jesus autem.*

A. Quid adhuc mihi deest?

C. *ait ei :*

C. 22. Quo audito Jesus

A. 21. *Ait illi Jesus*

B. Intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei :

B. *Unum tibi deest : vade, quæcumque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (2).

C. Adhuc unum tibi deest :

A. Si vis perfectus esse, vade,

A. *vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.*

C. omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me (*sup.* 85, *n.* 2, *v.* 33).

C. 23. *His ille auditis contristatus est; quia dives erat valdè.*

A. 22. Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones

B. 22. *Qui contri-*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria "Alfonso Reyes"

atatus in verbo, abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones.

23. *Et circumspiciens Jesus,*

A. 23. *Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficilè introbit in regnum cœlorum.*

C. 24. Videns autem Jesus illum tristem factum,

C. 24. *Dixit : Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* 25. *Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in regnum Dei*

B. Ait discipulis suis : Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt ! 24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursùs respondens ; ait illis : Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire !

A. 24. *Et iterùm dico vobis : Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.*

25. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

25. *Audiîs autem his discipuli mirabantur valdè, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse?*

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri ?

C. 26. *Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri?* 27. *Ait illis :*

A. 26. *Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

27. Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim

B. *Possibilia sunt apud Deum.*

C. Quæ impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum.

3. Relinquentes omnia propter Christum.

B. 28. *Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.*

A. 27. Tunc respondens Petrus dixit ei : (*In Com. Abbatum.*) † Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis?

29. *Respondens Jesus ait : Amen dico vobis :*

C. 28. *Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.* 29. *Qui dixit eis : Amen dico vobis : nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,* 30. *Et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam.* (51) Assumpsit autem. c. 104, n. 1.)

28. Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. 29. Et

A. *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* ¶. 30. *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

B. Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, *aut uxorem,*(3) aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium ; 30. Qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus (4) ; et in seculo futuro vitam æternam. 31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi (C, 90, *n.* 1, *v.* 30. A, 101, *v.* 16). (32. *Erant autem*, c. 104, *n.* 1.)

(1) Utraque responsio in textu posita, quia nonnulli diversas putant ; ut quia juvenis et Christum bonum appellaverat, et de bono faciendo interrogaverat, duo etiam Christus responderit, isque sit ultimæ responsionis sensus. *Quid de bono vis à me edoceri, cùm unicus sit bonî fons Deus* : ideòque non satis sit bonum nobis monstrari, nisi ille mentem illuminet. Alii tamen sic explicant : *Quid me interrogas, de bono mentionem faciens, seu me bonum dicens*, ut A cum B et C consentiat : quod confirmant, quia etiam in A Græca habent, τί με λέγεις ἀγαθὸν, *quid me dicis bonum* : quod verum est, de textu græco vulgato ; nam quædam exemplaria habent, τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, *quid me interrogas de bono.*

(2) Gr. hic addit, ἄρας τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *sublatâ cruce.*

(3) Etiam hic additur in Gr. *aut uxorem.*

(4) Benè hoc addidit B ne felicitatem temporalem nobis promissam imaginemur : solatia promittuntur, non deliciæ : quod Theophilactus rectè interpretatur, dicens, futurum ut Christianis talium jacturam passis alii Christiani sint vice istarum necessitudinum ; sintque centuplo plures qui eis castum et spiritalem affectum ac solatium patris, matris, fratris, sororis impendant, et suis domibus excipiant, bonisque sustentent.

OPERARII VINEÆ.

CAPUT CI.

A. XX. 1. (*Dom. in Septuag.*) † Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conventione

autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 4. Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa sextam, et nonam horam, et fecit similiter. 6. Circa undecimam verò exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis totâ die otiosi ? 7. Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam. 8. Cùm sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. 9. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant adversùs patremfamiliâs, 12. Dicentes : Hi novissimi unâ horâ fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstûs. 13. At ille respondens uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ? 14. Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. 15. Aut non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ? 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi (C, 90. *n.* 1 *v.* 30. A, B, 100. *n.* 3.) : multi enim sunt vocati, pauci verò electi (*Inf.* 114.) ¶. (17. *Et ascendens c.* 104, *n.* 1.)

LAZARUS SUSCITATUS.

Quia hæc historia, cum secessu Christi in Ephrem de quo c. seq., n. 2, *sine dubio præcedit ramos palmarum, eam nullibi melius collocari posse visum est.*

CAPUT CII.

1. *Mors Lazari absente Christo.*

D. XI. 1. (*Fer.* 6 *post Dom.* 4 *Quadr.*) † Erat autem quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de castello Mariæ, et Marthæ sororis ejus. 2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis (C, 48, *v.* 38. A, B, D, 108, *n.* 1) ; cujus frater Lazarus infirmabatur). 3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glorià Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum. 6. Ut ergo audivit quia infirmabatur ; tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus : 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Judæam iterùm (1). 8. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterùm vadis illùc ? 9. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei ? Si quis ambulaverit in die, non offendit ; quia lucem hujus mundi videt : 10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit ; quia lux non est in eo. 11. Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut à somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit salvus erit. 13. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifestè : Lazarus mortuus est ; 15. Et gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

2. *Colloquium Christi cum Martha.*

17. Venit itaque Jesus : et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam, quasi stadiis quindecim.) 19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat. 21. (*In die depos. def.*) † Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus : 22. Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. 25. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio, et vita : (*Sup.* 59. *n.* 3 *et* 4, *v.* 40 *et* 47.) qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; 26. Et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc ? 27. Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ¶.

3. *Maria, et Christus plorantes.*

28. Et cùm hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. 29. Illa ut audivit, surgit citò, et venit ad eum : 30. Nondùm enim venerat Jesus in castellum ; sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. 31. Judæi ergo, qui erant cum eâ in domo, et consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 33. Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit spiritu (2) et turbavit seipsum (*V. alibi Jesum turbatum, c.* 110, *n.* 4, *et c.* 131, *n.* 1) : 34. Et dixit : Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni, et vide. 35. Et lacrymatus est Jesus. 36. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodò amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur. (*Sup.* 77. *n.* 1. *v.* 6.)

4. *Suscitatio Lazari.*

38. Jesus ergo rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca ; et lapis superpositus erat ei. 39. Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei ? 41. Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursùm oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me : 42. Ego autem sciebam, quia semper me audis ; sed propter populum, qui circumstat, dixi ; ut credant quia tu me misisti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

atatus in verbo, abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones.

23. *Et circumspiciens Jesus,*

A. 23. *Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficilè introbit in regnum cœlorum.*

C. 24. Videns autem Jesus illum tristem factum,

C. 24. *Dixit : Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!* 25. *Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quam divitem intrare in regnum Dei*

B. Ait discipulis suis : Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt ! 24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursùs respondens ; ait illis : Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire !

A. 24. *Et iterùm dico vobis : Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.*

25. Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

25. *Audiîs autem his discipuli mirabantur valdè, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse?*

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri ?

C. 26. *Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri?* 27. *Ait illis :*

A. 26. *Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

27. Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim

B. *Possibilia sunt apud Deum.*

C. Quæ impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum.

3. Relinquentes omnia propter Christum.

B. 28. *Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.*

A. 27. Tunc respondens Petrus dixit ei : (*In Com. Abbatum.*) † Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis?

29. *Respondens Jesus ait : Amen dico vobis :*

C. 28. *Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.* 29. *Qui dixit eis : Amen dico vobis : nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,* 30. *Et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam.* (51) Assumpsit autem. c. 104, n. 1.)

28. Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. 29. Et

A. *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* ¶. 30. *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

B. Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, *aut uxorem,*(3) aut filios, aut agros, propter me et propter Evangelium ; 30. Qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus (4) ; et in seculo futuro vitam æternam. 31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi (C, 90, *n.* 1, *v.* 30. A, 101, *v.* 16). (32. *Erant autem*, c. 104, *n.* 1.)

(1) Utraque responsio in textu posita, quia nonnulli diversas putant ; ut quia juvenis et Christum bonum appellaverat, et de bono faciendo interrogaverat, duo etiam Christus responderit, isque sit ultimæ responsionis sensus. *Quid de bono vis à me edoceri, cùm unicus sit bonî fons Deus* : ideòque non satis sit bonum nobis monstrari, nisi ille mentem illuminet. Alii tamen sic explicant : *Quid me interrogas, de bono mentionem faciens, seu me bonum dicens*, ut A cum B et C consentiat : quod confirmant, quia etiam in A Græca habent, τί με λέγεις ἀγαθὸν, *quid me dicis bonum* : quod verum est, de textu græco vulgato ; nam quædam exemplaria habent, τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, *quid me interrogas de bono.*

(2) Gr. hic addit, ἄρας τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *sublatâ cruce.*

(3) Etiam hic additur in Gr. *aut uxorem.*

(4) Benè hoc addidit B ne felicitatem temporalem nobis promissam imaginemur : solatia promittuntur, non deliciæ : quod Theophilactus rectè interpretatur, dicens, futurum ut Christianis talium jacturam passis alii Christiani sint vice istarum necessitudinum ; sintque centuplo plures qui eis castum et spiritalem affectum ac solatium patris, matris, fratris, sororis impendant, et suis domibus excipiant, bonisque sustentent.

OPERARII VINEÆ.

CAPUT CI.

A. XX. 1. (*Dom. in Septuag.*) † Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conventione

autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 4. Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. 5. Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa sextam, et nonam horam, et fecit similiter. 6. Circa undecimam verò exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis totâ die otiosi ? 7. Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam. 8. Cùm sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. 9. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. 11. Et accipientes murmurabant adversùs patremfamiliâs, 12. Dicentes : Hi novissimi unâ horâ fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstûs. 13. At ille respondens uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ? 14. Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. 15. Aut non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ? 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi (C, 90. *n.* 1 *v.* 30. A, B, 100. *n.* 3.) : multi enim sunt vocati, pauci verò electi (*Inf.* 114.) ¶. (17. *Et ascendens c.* 104, *n.* 1.)

LAZARUS SUSCITATUS.

Quia hæc historia, cum secessu Christi in Ephrem de quo c. seq., n. 2, *sine dubio præcedit ramos palmarum, eam nullibi melius collocari posse visum est.*

CAPUT CII.

1. *Mors Lazari absente Christo.*

D. XI. 1. (*Fer.* 6 *post Dom.* 4 *Quadr.*) † Erat autem quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de castello Mariæ, et Marthæ sororis ejus. 2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis (C, 48, *v.* 38. A, B, D, 108, *n.* 1) ; cujus frater Lazarus infirmabatur). 3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glorià Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum. 6. Ut ergo audivit quia infirmabatur ; tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus : 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Judæam iterùm (1). 8. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterùm vadis illùc ? 9. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei ? Si quis ambulaverit in die, non offendit ; quia lucem hujus mundi videt : 10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit ; quia lux non est in eo. 11. Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut à somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit salvus erit. 13. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifestè : Lazarus mortuus est ; 15. Et gaudeo propter vos, ut credatis quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

2. *Colloquium Christi cum Martha.*

17. Venit itaque Jesus : et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam, quasi stadiis quindecim.) 19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat. 21. (*In die depos. def.*) † Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus : 22. Sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. 25. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio, et vita : (*Sup.* 59. *n.* 3 *et* 4, *v.* 40 *et* 47.) qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet ; 26. Et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc ? 27. Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ¶.

3. *Maria, et Christus plorantes.*

28. Et cùm hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. 29. Illa ut audivit, surgit citò, et venit ad eum : 30. Nondùm enim venerat Jesus in castellum ; sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. 31. Judæi ergo, qui erant cum eâ in domo, et consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 33. Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit spiritu (2) et turbavit seipsum (*V. alibi Jesum turbatum, c.* 110, *n.* 4, *et c.* 131, *n.* 1) : 34. Et dixit : Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni, et vide. 35. Et lacrymatus est Jesus. 36. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodò amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur. (*Sup.* 77. *n.* 1. *v.* 6.)

4. *Suscitatio Lazari.*

38. Jesus ergo rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca ; et lapis superpositus erat ei. 39. Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei ? 41. Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursùm oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me : 42. Ego autem sciebam, quia semper me audis ; sed propter populum, qui circumstat, dixi ; ut credant quia tu me misisti.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

45. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit : Lazare, veni foràs. 44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire. 45. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum ¶. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus.

(1) Constat ex hoc loco, Jesum post festum Encæniorum, de quo, cap. 89, exîsse è Judæâ ; et illud, *trans Jordanem*, quod habetur illo cap., n. 3, non esse respectu Galilææ, sed Judææ intelligendum.

(2) Fremitum Christi fuisse contrà peccatum, unde mors nata est, vult August. Hic tamen quemdam fuisse lugentis et condolentis affectum, ex lacrymis Mariæ et Judæorum expressum, ipse contextus videtur indicare : unde additur, *turbavit seipsum*, metu scilicet tristitiæ et compassionis, tanquàm radice hujus fremitûs. Ubi nota Christum illis motibus non ex naturæ infirmitate, sed à seipso tanquàm illorum arbitro turbatum ; ubi enim summa potestas est, *inquit August.*, secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas.

CONCILIUM I ADVERSUS JESUM (v. 2, c. 127).

CAPUT CIII.

1. Prophetia Caiphæ.

D. XI. 47. (*Fer.* 6 *post Dom. Pass.*) † Collegerunt ergo pontifices, et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; et venient Romani et tollent nostrum locum, et gentem. 49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine (*inf.* 138, *n.* 1), cùm esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, 50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo populo, et non tota gens pereat. 51. Hoc autem à semetipso non dixit ; sed cùm esset pontifex anni illius, prophetavit quòd Jesus moriturus erat pro gente ; 52. Et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. 53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

2. Secessus Jesu in Ephrem.

54. Jesus ergo jam non in palàm ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem ; et ibi morabatur cum discipulis suis ¶. 55. Proximum autem erat pascha Judæorum : et ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Jesum ; et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices, et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. (XII. 1. *Jesus ergo, c.* 108, *n.* 1).

3. Repulsus à civitate Samaritanorum.

C. IX. 51. Factum est autem dùm complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem (1). 52. Et misit nuntios ante conspectum suum : et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi. 53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. 54. Cùm vidissent autem discipuli ejus, Jacobus et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cœlo, et consumat illos (2)? 55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritûs estis : 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. (57. *Factum est autem, c.* 30).

(1) Hue transtulimus quæ C antè narravit de Christo à civitate Samaritanorum repulso, propter hæc verba : *Cùm complerentur dies assumptionis ejus*, quæ satis apertè significant profectionem illam non longè abfuisse à morte Christi : quod initium assumptionis ejus ; assumi enim nihil aliud, quàm ad Deum recipi. Accedit etiam quod ait C. Jesum firmâsse faciem suam ut iret in Jerusalem ; quod denotat firmam animi constantiam ad certam mortem proficiscentis. Fatendum tamen ex civitate Ephrem, quò Christus ante concesserat, rectum iter non fuisse per Samariam ; sed facilè fieri potuit, ut varias ob causas à consueto itinere Christus deflecteret. Cur autem C suo loco id non retulerit, causam affert vir eruditus : Nam cùm duo, *inquit*, insignia Christi monita Lucas antè narrâsset, quorum prius ad vitandam ambitionem, alterum ad vitandam invidiam Apostolos hortabatur, commodum esse locum credidit adjiciendæ monitionis tertiæ adversùs ultionem.

(2) Gr. addit, *quemadmodùm et Elias fecit*. Quod additum videretur ex glossemate, nisi præter Syrum, et Arabem, sic legisse Tertullianum appareret, dùm Marcioni respondet, qui locum illum urgebat.

PRÆDICTIO MORTIS. FILII ZEBEDÆI.

CAPUT CIV.

1. 3. *Mortis prædictio.* (V. 1, c. 66, n. 3, et 2, c. 69, n. 1.)

A. XX. 17. *Et* (*Fer. 4 post Dom. Quadr.*) † *ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim*

C. XVIII. 31 (*Dom in Quinquag.*) † *Assumpsit autem Jesus duodecim,*

B. X. 32. Erant autem in viâ ascendentes Jerosolymam : et præcedebat illos Jesus, et stupebant ; et sequentes timebant. Et assumens iterùm duodecim

et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam ;

A. *Et ait illis* : 18. *Ecce ascendimus Jerosolymam,*

A. Discipulos secreto,

B. Cœpit illis dicere quæ essent ei eventura :

33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam,

Et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis ;

B. *Et Filius hominis tradetur*

C. *Gentibus, et illudetur, et flagellabitur ; et conspuetur ;* 33. *Et*

C. Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. 32. Tradetur enim

B. Principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus ; et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ;

postquàm flagellaverint, occident eum, et tertiâ die resurget.

A. *Et condemnabunt eum morte,* 19. *Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum ; et tertiâ die resurget.*

34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum : et tertiâ die resurget.

C. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. (35. *Factum est autem, c.* 107.)

2. Petitio filiorum Zebedæi.

B. 35. *Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes filii Zebedæi, dicentes* (1) : *Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.*

A. 20. Tunc (*In fest. S. Jac. et Joan. ante port. Lat.*) † accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo.

36. *At ille dixit eis : Quid vultis ut faciam vobis?* 37. *Et dixerunt : Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloriâ tuâ.* 38. *Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibo,*

21. Qui dixit ei : Quid vis? Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo.

22. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ;

B. Aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?

A. *Dicunt ei : Possumus.* 23. *Ait illis : Calicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis,*

59. At illi dixerunt ei : Possumus. Jesus autem ait eis : Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis ; et baptismo, quo ego baptizor, baptizamini :

40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis.

B. *Sed quibus paratum est. 41. Et audientes decem cœperunt indignari de*

A. Sed quibus paratum est à patre meo ¶.

24. Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.

A. 25. *Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis, quia principes gentium dominantur*

B. Jacobo, et Joanne.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis : Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis (C, 152, *n.* 1) ; et principes eorum *eorum ; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos.* 26. *Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister ;* 27. *Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus :* 28. *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* ¶. (29. Et egredientibus, c. 107.)

potestatem habent ipsorum.

43. Non ita est autem in vobis ; sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister (A, B, C, 70, *n.* 1 et 2).

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis (*Philip.* 2, 7).

(1) Scilicet per matrem, quam ad petendum instigaverant, ut petitio esset honestior, et impetratio facilior : unde Christus non matri, sed filiis respondit. Simile loquendi genus observavimus in historiâ Centurionis, cap. 45. Vide annot. tit

ZACHÆUS.

Cùm miraculum cæci sanati, quod ante Zachæi historiam C commemorat, idem videatur cum eo quod narrant A et B, dicendum est C per anticipationem illud retulisse, et sic quidem narrâsse, quasi ante ingressum Jericho contigerit, cùm contigerit tantùm post egressum ; quod satis esset scire ; circa Jericho id contigisse. V. tit. cap. 107.

CAPUT CV.

B. X. 46. Et veniunt Jericho. (*Et proficiscente, c.* 107.)

C. XIX. 1. Et (*in dedic. Eccl.*) † ingressus perambulabat Jericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus ; et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives : 3. Et quærebat videre Jesum, quis esset ; et non poterat præ turbâ, quia staturâ pusillus erat. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus. 5. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe, festinans descende ; quia hodiè in domo tuâ oportet me manere. 6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. 7. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem divertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus ; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. 9. Ait Jesus ad eum : Quia hodiè salus domui huic facta est ; eò quòd et ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat (A, 70, *n.* 5, v. 11) ¶.

DECEM MNÆ (V. sim. parab. de talentis, *c.* 125, A.).

CAPUT CVI.

C. XIX. 11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eò quòd esset prope Jerusalem, et quia

existimarent quòd confestim regnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo : (*In fest. S. Ludov. reg.*) † Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio. 14. Cives autem ejus oderant eum ; et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est ut rediret accepto regno : et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantùm quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi : Euge, bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. 18. Et alter venit dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. 20. Et alter venit dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario : 21. Timui enim te, quia homo austerus es ; tollis quod non posuisti, et metis quod non seminàsti. 22. Dicit ei : De ore tuo te judico, serve nequam : sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi : 23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ? 24. Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet : 25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit ; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo (A, B, C, 51, *n.* 2 et 4. A, 125, *v.* 29) ¶. 27. Verùmtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite adhuc, et interficite ante me. 28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam. (29. *Et factum est, c.* 109, *n.* 1.)

DUO CÆCI PROPE JERICHO.

A *duos cæcos commemorat ; sed quia alter altero nobilior, unius tantùm meminerunt.* B *et* C *cujus et nomen exprimit* B *idem enim miraculum à tribus narrari circumstantiæ omnes satis declarant. Nos autem hic in contexta vicum cæcum apponimus juxta* B *et* C ; *quia hi, plures quàm* A *eaque consideratione dignus circumstantias retulerunt.* V. *tit. cap.* 105.

CAPUT CVII.

C. XVIII. 35. *Factum est autem cùm appropinquaret Jericho* (1), *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.*

B. X. 46. Et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurimâ multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat juxta viam mendicans :

A. XX. 29. *Et egredientibus illis ab Jericho ; secuta est eum turba multa :* 30. *Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret.*

C. 36. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset ?

37. Dixerunt autem ei quòd Jesus Nazarenus transiret.

C. 38. *Et clamavit, dicens : Jesu fili David, miserere mei.*

A. *Et clamaverunt, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.* 31. *Turba autem increpabat eos, ut tacerent :*

C. *Ut taceret : ipse verò multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.* 40. *Stans autem Jesus jussit illum*

A. *At illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.* 32. *Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis ?* 33. *Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri.* 34. *Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum.*

B. 47 Qui cùm audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, et dicere : Jesu fili David, miserere mei.

C. 39. Et qui præibant, increpabant eum,

B. 48. Et comminabantur ei multi, ut taceret : at ille multò magis clamabat : Fili David, miserere mei. 49. Et stans Jesus præcepit illum vocari, et

C. Adduci ad se : et

B. Vocant cæcum, dicentes ei : Animæquior esto, surge, vocat te. 50. Qui projecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum. 51. Et

B. *Respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam ?* At illi dixit : *Rabboni, ut videam.* 52. *Jesus autem ait illi.*

C. *Fides tua te salvum fecit.* 43. *Et confestim vidit : et secutabatur illum,*

A. *Et confestim viderunt, et secuti sunt eum* (XXI. 1. Et cùm appropinquàssent c. 109, *n.* 1.)

C. Cùm appropinquàsset, interrogavit illum, 41. Dicens : Quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine, ut videam. 42. Et Jesus dixit illi : Respice,

B. Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit ; et sequebatur eum in viâ. (XI. 1. *Et cùm appropinq.*, *c.* 109.)

C. Magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo ¶. (XIX. 1. *Et ingressus*, c. 105.)

(1) Qui aliud miraculum à C narrari volunt, quàm ab A et B hoc unum afferunt, quod juxta C Christus appropinquaret Jericho, juxta vero. A et B egrederetur ab Jericho. Quidam sic conciliant, quòd C locum notaverit, unde primò incœperit cæcus clamare, scilicet cùm appropinquaret Jesus Jericho ; sed cùm esset dilata sanitas ejus, eumdem iterùm cum alio cæco viam obsedisse, Jesu egrediente Jericho : et tunc utrumque vocatum esse, ac sanatum. Alii, fortassè melius, respondent, ἐγγίζειν, *appropinquare*, etiam cum præpositione εἰς, non semper motum ad locum, sed sæpè distantiam tantùm significare ; sicut apud eumdem C, 19 sui Evang., v. 29, et Concord. 109, n. 1, ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, *cùm appropinquàsset ad Bethphage, et Bethaniam* : hoc est, cùm esset circa ea loca ; nam Bethaniam jam transierat. V. *tit.* c. 105.

II. UNCTIO PEDUM CHRISTI.

Unam esse in Bethaniâ cænam et unctionem à tribus Evang. narratam, et locus, et tempus, et genus unguenti, et pretium, et indignatio discipulorum, et eorum reprehensio manifestè convincunt : sed A *et* B *per recapitulationem id commemorant, ut indicarent causam proditionis Judæ, nempè quòd indignaretur sibi perisse lucrum, quod ex vendito unguento provenire potuisset.* D *verò historiam hanc suo tempori reddidit, et more suo quædam notat ab aliis prætermissa, ut nomen mulieris, scilicet Mariæ sororis Lazari.* V. cap. 48, et 56, n. 1.

CAPUT CVIII.

1. *Maria ungens Christum.*

A. XXVI. 6. *Cùm autem Jesus esset in Bethaniâ,*

B. XIV. 3. *Et cùm esset Bethaniæ*

In domo Simonis leprosi, et recumberet,

Venit mulier

A. 7. *Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi : et*

B. *Unguenti nardi spicati pretiosi :*

Effudit super caput ejus.

D. XII. 1. Jesus ergo (*Fer.* 2. *majoris heb.*) † ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi,

A. In domo Simonis leprosi :

D. Et Martha ministrabat, Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo. 3 Maria ergo

B. Habens alabastrum (*c.* 48, *v.* 58. D, 102, *n.* 1.)

D. Accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu (1), et extersit pedes ejus capillis suis ;

B. Et fracto alabastro

A. Effudit super caput ipsius recumbentis :

D. Et domus impleta est ex odore unguenti.

2. *Murmur discipulorum.*

A. 8. *Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc ?* 9. *Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus.*

B. 4. Erant autem quidam *discipuli* indignè ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est ? 5. Poterat enim unguentum istud venundari plusquàm trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.

D. 4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus (2) : 5. Quare hoc unguentum non venìit trecentis denariis, et datum est egenis ? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.

D. 7. *Dixit ergo Jesus :*

B. 6. *Jesus autem dixit : Sinite eam, quid illi molesti estis ?*

A. 10. Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri ?

D. Sinite illam, ut in d. sepulturæ meæ servet illud (3).

A. *Opus enim bonum operata est in me.*

B. Bonum opus operata est in me : semper enim pauperes habetis vobiscum ; et cùm volueritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habetis. 8. Quod habuit hæc, fecit :

A. 11. *Nam semper pauperes habetis vobiscum ; me autem non semper habetis.*

D. 8. *Pauperes enim semper habetis vobiscum ; me autem non semper habetis.*

A. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum,

A. *Ad sepeliendum me fecit.* 13. *Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.* (10. *Et Judas Iscar.* (4), *c.* 127, *n.* 2.)

B. Prævenit ungere corpus meum in sepulturam. 9. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. (10. *Et Judas Iscar.* (4), *c.* 127, *n.* 2.)

3. *Consilium de occidendo Lazaro.*

D. 9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis, quia illic est : et venerunt, non propter Jesum tantùm, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit à mortuis. ¶. 10. (*Sab. post Dom. Pas.*) † Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent : 11. Quia multi propter illum abìbant ex Judæis, et credebant in Jesum.

(1) Maria primùm pedes unxit, quod narrat D postea totum effudit unguentum super caput fracto vasculo, quod solum memorant A et B.

(2) Dici potest plures indignè tulisse, sed maximè Judam, qui altiori et acerbiori præ cæteris voce de hâc unguenti effusione infremuit : ideò in contextu verba B et D super hoc, non sine aliquâ repetitione, apponere visum est. Quanquàm fieri potuit, ut Judas solus hæc indignationem susceperit : sæpè enim quod ab uno factum est, pluraliter effert Scriptura, per synecdochem, ut cùm dicit, latrones Christum blasphemàsse.

(3) Gr. *sine illam*, ἄφες. Quod sequitur, *ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, aliter legitur in plerisque Græcis, scilicet, *in diem sepulturæ meæ servavit illud*. Alii tamen cum latino consentiunt.

(4) Vide annot. 2, cap. 127.

RAMI PALMARUM.

CAPUT CIX.

Pullus solutus.

B. XI. 1. *Et cùm appropinquarent Jerosolymæ et Bethaniæ, ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis* (1), *Et ait illis : Ite in castellum, quod*

D. XII. 12. In crastinum autem

A. XXI. 1. (*Dom. Pal. pro benedic. ram.*) † Cùm appropinquàssent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti ; tunc Jesus misit duos discipulos, 2. Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim *introeuntes* invenietis asinam alligatam, et pul-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra vos est, et statim introeuntes illùc, invenietis pullum ligatum,

C. XIX. 29. *Et factum est* (2), *cùm appropinquàsset ad Bethphage, et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,* 30 *dicens : Ite in castellum, quod contra est; in quod introeuntes invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquàm hominum sedit : solvite illum, et adducite.*

B. *Solvite illum, et adducite.*

A. 5. *Et si quis vobis aliquid dixerit,* B. 5. *Et si quis vobis dixerit : Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est : et continò illum dimittet huc* : C. *Sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat.*

C. 32. *Abierunt autem qui missi erant : et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.*

B. 5. *Et quidam de illic stantibus dicebant illis :*

C. *Quid solvitis pullum?* 34. *At illi dixerunt :*

A. Solvite, et adducite mihi :

C. 31. Et si quis vos interrogaverit, quare solvitis?

A. Dicite, quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem : 5. Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam (5), et pullum filium subjugalis. (*Isa.* 62; 11. *Zachar.* 9. 9.) 6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus :

B. 4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio : et solvunt eum.

C. 33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos :

B. Quid facitis solventes pullum? 6. Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus :

C. Quia Dominus eum necessarium habet.

B. Et dimiserunt eis.

2. *Triumphalis ingressus Christi in Jerusalem.*

B. 7. *Et duxerunt pullum ad Jesum :*

C. 35. *Et duxerunt illum ad Jesum :*

A. 7. Et adduxerunt asinam et pullum *ad Jesum.* Et

D. Turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent, quia venit Jesus Jerosolymam ; 13. Acceperunt ramos palmarum (4), et processerunt obviam ei ; et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.

A. *Imposuerunt super eos vestimenta sua* (5) : ;

C. *Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum.*

D. *Et sedit super eum ;*

B. *Et sedit super eum.*

14. Et invenit Jesus asellum,

B. Et imponunt illi vestimenta sua,

A. Et eum desuper sedere fecerunt ;

D. Sicut scriptum est : 15. Noli timere filia Sion : ecce rex tuus venit, sedens super pullum asinæ (*Zachar.* 9, 9). 16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primùm ; sed quandò glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecerunt ei.

C. 36. *Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in viâ.*

B. 8. Multi autem *eunte illo* vestimenta sua straverunt in viâ : alii autem frondes cædebant de arboribus, et sternebant in viâ.

A. 8. *Plurima autem turba stravernnt vestimenta sua in viâ : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in viâ.*

3. *Populi acclamatio.*

C. 37. Et cùm appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magnâ super omnibus (6), quas viderant, virtutibus. 38. Dicentes : Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis. (A, C, 97, *n.* 2.)

B. 9. *Et qui præibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna :* 10. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

A. 9. Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini (*Ps.* 117, 26) ¶.

A. *Hosanna in altissimis.*

B. Benedictum quod venit regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis (7).

4. *Pharisæorum invidia.*

D. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum à mortuis. 18. Propterea et obviam venit ei turba ; quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

C. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos. 40. Qui-

bus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

5. *Fletus Christi super Jerusalem* (Hæc 2 prædictio evers. Jerus. v. 1, c. 90, n. 2, et 3, c. 121.)

41. Et (*Dom.* 9 *post. Pent.*) † ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : 42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi : nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici tui vallo ; et circumdabunt te, et coangustabunt te undique : 44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt ; et non relinquent in te lapidem super lapidem : eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.

(1) Gr., hùc addit, *Bethphage.*

(2) Hoc est, cùm essent prope Bethphagen, et Bethaniam (V. annot. in fine, c. 107) nondùm enim Bethphagen pervenerant, sed jam reliquerant Bethaniam, ubi Christus pridie diversatus fuerat.

(3) Vox Hebræis et Græcis communis generis. Quare non malè latinus interpres *asinam* posuit, quia pullo mater optimè adjungitur. Multi tamen existimant prophetiam de duobus animalibus intelligendam non esse, sed oppositionem esse Hebræis familiarem, *super asinum, et pullum unius asinarum.* Unde D eamdem n. seq. prophetiam referens pulli tantùm meminit.

(4) Licet verisimile sit D per anticipationem eas ipsas acclamationes narrare, quas alii : quia tamen fieri potest ut diversæ sint ; ut patet ex eo quod dicit, turbas audito quòd Jesus Jerosolymam veniret, et antequàm pullo insideret, obviam ei prodiisse, et acclamásse ; ideò ordinem ejus non immutare satiùs visum est.

(5) Credibile est, super utrumque jacta vestimenta, sed Dominum pullo tantùm insedisse, ex B, C, D.

(6) Qui scilicet miraculis excitati è Galilæâ Christum sequebantur. Unde videntur alii à turbis, de quibus A, B, D, ideòque utrorumque acclamationes in contextu apposuimus.

(7) Gr. *regnum in nomine Domini Patris nostri David* : sed hæc verba, *in nomine Domini*, ex superiori commate videntur repetita, cùm ea Syrus non agnoscat ; agnoscit tamen Arabs, cujus seriorem esse versionem doctiores existimant.

II. EJECTIO È TEMPLO. (V. 1, c. 19.)

Hæc ejectio secundùm A *et* C *primâ die ingressûs Jerosolymam contingit : nam quæ sequuntur apud* A, *n.* 2, *v.* 13, *de pueris adhuc hosanna clamantibus, videntur omninò ad hanc diem pertinere. Itaque* B, *qui solus distinguit dies, et ad secundum diem referre videtur, usus est recapitulatione ejus, quod pridiè acciderat, ut exponit August. de Cons. Evang., l.* 2, *c.* 68. *Quare narratio* B *nonnihil immutanda fuit. Sunt tamen qui velint* A *et* C *anticipatione usos fuisse.*

CAPUT CX.

1. *Ejectio vendentium.*

B. XI. 11. *Et introivit Jerosolymam in templum :* (et circumspectis infra, n. 7.)

C. XIX. 45. *Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes,*

A. XXI. 10. Et (*Fer.* 3, *post Dom.* 4 *Quadr.*) † cùm intrásset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic?

11. Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta à Nazareth Galilææ. 12. Et intravit Jesus in templum Dei.

B. 15. Et cùm introisset in templum, cœpit ejicere vendentes et ementes in templo : et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum :

17. Et docebat, dicens eis : Nonne scriptum est, quia Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum (*Isa.* 56, 7. *Jerem.* 7, 11) :

18. Quo audito principes sacerdotum, et scribæ quærebant quomodò eum perderent : timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. (C, *cap. seq., n.* 2.)

(19. *Et cùm vesperæ, c. seq. n.* 2.)

46. *Dicens illis : Scriptum est, quia domus mea domus orationis est : vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

A. *Et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo ; et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit :* 15. *Et dicit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

2. *Curatio multorum. Indignatio Pharisæorum.*

A. 14. Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo ; et sanavit eos. 15. Videntes autem principes sacerdotum, et scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Hosanna filio David : indignati sunt, 16. Et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis : Utique : nunquàm legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfeceisti laudem? (*Ps.* 8, 3.).

3. *Gentiles ad Christum.*

D. XII. 20. Erant autem quidam gentiles (1), ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaidâ Galilææ, et rogabant eum, dicentes : Domine, volumus Jesum videre. 22. Venit Philippus, et dicit Andreæ : Andreas rursùm et Philippus dixerunt Jesu.

4. *Prædictio glorificationis Christi.*

23. Jesus autem respondit eis, dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis. 24. (*In festo S. Laurent.*) Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, 25. Ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam (A, 56, *n.* 6, *v.* 39, A, B, 66, *n.* 5, C, 97, *n.* 2). 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus ¶. 27. Nunc anima mea turbata est : et quid dicam? Pater, salvifica me ex hâc horâ (V. *alibi Jesum turbatum, c.* 102, *n.* 3, *et c.* 131, *n.* 1). Sed propterea veni in horam hanc : 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi, et iterùm clarificabo. 29. Turba ergo quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant : Angelus ei locutus est.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5. Christus per crucem exaltandus.

30. Respondit Jesus, et dixit : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. (*In fest. Exalt. S. crucis*) † Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum (2). 33. (Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.) 34. Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum (*Psal.* 109, 4, *Isa.* 40, 8) : et quomodò tu dicis : Oportet exaltari filium hominis? quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum, lumen in vobis est (3) : ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. 36. Dum lucem habetis credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus; et abiit, et abscondit se ab eis ¶.

6. Excæcatio Judæorum.

37. Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum : 38. Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est (*Isa.* 53, 1)? 39. Propterèà non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias : 40. Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum; ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos (*Isa.* 6, 10, A, B, C, 51, *n.* 2 : *Act.* 28, 27; *Rom.* 11, 8). 41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. 42. Verùmtamen et ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagogâ non ejicerentur : 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.

7. Exhortatio ad fidem.

44. Jesus autem clamavit et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me : 45. Et qui videt me, videt eum qui misit me : 46. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit; ego non judico eum : non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum (*sup.* 20, v. 17). 48. Qui spernit me, et non accipit verba mea; habet qui judicet eum : sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. 49. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. 50. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. (XIII. 1. *Ante diem*, v. 129.)

B. Et circumspectis omnibus, cùm jam vespera esset hora, exiit,

A. 17. Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, B. *In Bethaniam.*

B. Cum duodecim;

A. Ibique mansit. ¶.

(1) Gr. ἀλλήλους, quidam Græci.

(2) In Gr. πάντας, *omnes* : sed frequenter in D, neutrum pro masculino ut 1 epist. c. 3, v. 4 : *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum* : id est, omnis qui natus est.

(3) *Modicum*, id est, *modico tempore*, seu ad breve tempus, ut ex Græco patet, ἔτι μικρὸν χρόνον. unde post nomen, *modicum*, apponenda est virgula; ut sensus sit, Christum veram lucem modico tempore illis præsentem fore; nou autem, modicum illis lumen inesse.

FICUS AREFACTA. FIDES. ORATIO.

CAPUT CXI.

1. Ficus maledicta.

A. XXI. 18. *Mane autem*

B. XI. 12. Et aliâ die *manè* cùm exirent à Bethaniâ,

B. Esuriit.

A. Revertens in civitatem, esuriit.

A. 19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam : et nihil invenit in eâ, nisi folia tantùm; et ait illi :

B. 13. Cùmque vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in eâ. Et cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum. 14. Et respondens dixit ei :

B. Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.

A. Nunquàm ex te fructus nascatur in sempiternum.

B. Et audiebant discipuli ejus.

A. Et arefacta est continuò ficulnea.

2. Jesus docens in templo.

B. 15. Et veniunt Jerosolymam. (*Et cùm introisset* (1), *c. præced., n.* 1.)

C. XIX. 47. Et erat docens quotidiè in templo ¶. Principes autem sacerdotum, et scribæ, et principes plebis quærebant illum perdere (2) : 48. Et non inveniebant quid facerent illi : omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. (B, *c. præc., n.* 1.)

B. 19. Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de civitate. 20. Et cùm mane transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.

3. Vis fidei et orationis.

A. 20. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes : Quomodò continuò aruit (3)?

B. 21. Et recordatus Petrus dixit ei : Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit? 22. Et respondens Jesus ait illis : Habete fidem Dei :

A. 21. Respondens autem Jesus, ait eis :

B. 23. Amen dico vobis, quia,

A. Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solùm de ficulneâ facietis (C, A, 68, *n.* 3.); sed et

A. Si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet.

B. Quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. 24. Propterea dico vobis (A, 45, *n.* 4, C, 82, *n.* 2, D, 155, *n.* 1, et 155, *n.* 4, *Jac.* 1, 5) : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. 25. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem; ut et Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra (A, 42, *n.* 2, *v.* 12 *et* 14, C, 82, *n.* 1, v. 4). 26. Quòd si vos non dimiseritis : nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra (A, *ibid.*, *v.* 15 *et* 71, *n.* 3, *v.* 35.)

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

(1) Vide tit. cap. præced.

(2) Istud idem refert B de scribis, cap. præced., n. 1, statim post ejectionem è templo, cùm hæc verborum connexione, *Quo audito*, etc. Sed quoniam in iis constans et perpetuus fuit hic pravus animi habitus adversùs Christum, C per hæc verba, *docens quotidiè in templo*, licèt ab eo statim quoque post ejectionem relata, non ad solam illam ejectionis diem hanc sacerdotem et scribarum conjurationem pertinere innuit, sed ad aliam etiam, quâ Christus in templo docuerit.

(3) Hæc narrat A quasi eâdem horâ dicta sint quâ aruit ficulnea, cùm tamen ex B constet postridie tantùm dicta fuisse.

IN QUA POTESTATE.

CAPUT CXII.

A. XXI. 23. *Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes :*

B. XI. 27. Et veniunt rursùm Jerosolymam.

B. Et cùm ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et scribæ, et seniores; 28. Et dicunt ei : In quâ potestate hæc facis? et quis dedit tibi hanc potestatem. A. In quâ potestate hæc facis? et quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Jesus dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in quâ potestate hæc faciam.

C. XX. 1. Et factum est in unâ dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, et scribæ, cùm senioribus; 2. Et aiunt, dicentes ad illum : Dic nobis, in quâ potestate hæc facis? aut quis est, qui dedit tibi hanc potestatem

B. Ut istas facias? 29. Jesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi; et dicam vobis, in quâ potestate hæc faciam.

C. 3. Respondens autem Jesus, dixit ad illos : Interrogabo vos et ego unum verbum : respondete mihi.

A. 25. Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus?

B. Respondete mihi.

B. 30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?

C. 4. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? 5. At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia si dixerimus, de cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis illi? 6. Si autem dixerimus, ex hominibus, B. *31. At illi cogitabant secum, dicentes : Si dixerimus, de cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis ei? 32. Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum. A. Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam.* B. *Omnes enim habebant Joannem, quia verè propheta esset. 33. Et respondentes, dicunt Jesu : Nescimus. Et respondens Jesus ait illis : Neque ego dico vobis, in quâ potestate hæc faciam.* C. *7. Et responderunt se nescire unde esset. 8. Et Jesus ait illis : Neque ego dico vobis, in quâ potestate hæc facio.*

A. At illi cogitabant inter se dicentes : 26. Si dixerimus, è cœlo, dicet nobis : Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam;

C. Plebs universa lapidabit nos : certi sunt enim Joannem prophetam esse.

A. 27. Et respondentes Jesu, dixerunt : Nescimus. Ait illis et ipse : Nec ego dico vobis, in quâ potestate hæc facio.

PARABOLÆ FILIORUM ET VINEÆ.

CAPUT CXIII.

1. Duo filii, resipiscens, et inobediens.

B. XII. 1. Et cœpit illis in parabolis loqui.

A. XXI. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit : Fili, vade, hodiè operare in vineâ meâ. 29. Ille autem respondens, ait : Nolo. Posteà autem pœnitentiâ motus abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait : Eo, Domine :

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et non ivit. 31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris ! Dicunt ei : Primus. Dicit illi Jesus : Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Joannes in viâ justitiæ, et non credidistis ei : Publicani autem, et meretrices crediderunt ei : vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis posteà, ut crederetis ei.

2. *Vineæ locatio.*

C. XX. 9. Cœpit autem dicere ad plebem :

C. *Parabolam hanc. Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis.*

A. 33. Aliam parabolam audite : (*Fer. 6, post Dom. 2 Quadr.*) † Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in eâ torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis (*Isa. 5, 1, 2*).

B. *Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectus est.*

A. *Et peregrè profectus est.*

C. Et ipse peregrè fuit multis temporibus.

B. 2. *Et misit ad agricolas in tempore:* C. 10. *Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi : qui cæsum dimiserunt eum inanem.* 11. *Et addidit alterum servum mittere :*

A. 34. Cùm autem tempus fructuum appropinquàsset, misit

B. Servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

2. Qui apprehensum eum cæciderunt, et dimiserunt vacuum.

4. Et iterùm misit ad illos alium servum :

A. *Servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus :* 35. *Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt,*

C. Illi autem hunc quoque cædentes,

B. *Et illum, et contumeliis affecerunt.*

B. In capite vulneraverunt,

A. *Alium verò lapidaverunt.*

B. 5. *Et rursùm alium misit, et illum occiderunt ; et plures alios :*

C. Et afficientes contumeliâ, dimiserunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere, qui et illum vulnerantes ejecerunt.

A. 36. Iterùm misit alios servos plures prioribus : et fecerunt illis similiter,

B. Quosdam cædentes, alios verò occidentes.

C. 13. Dixit autem dominus vineæ : Quid faciam ? mittam filium meum dilectum : forsitan cùm hunc viderint verebuntur.

A. 37. *Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum.*

B. 6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur filium meum.

C. 14. *Quem cùm vidissent coloni,*

B. 7. *Coloni autem* A. *dixerunt intra se : Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.*

A. 38. Agricolæ autem videntes filium,

B. Dixerunt ad invicem : Hic est hæres : venite, occidamus eum; et nostra erit hæreditas. 8. Et apprehendentes eum, occiderunt, et ejecerunt extra vineam.

39. *Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.*

C. *Cogitaverunt intra se, dicentes : Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.* 15. *Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis Dominus vineæ?*

A. 40. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ?

B. 9. *Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos; et dabit vineam aliis.*

41. Aiunt illi (1) : Malos malè perdet; et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42. Dicit illis Jesus :

C. 16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi : Absit.

3. *Applicatio parabolæ ad Judæos.*

A. *Nunquàm legistis in Scripturis :* B. 10. *Nec scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* 11. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?*

17. Ille autem aspiciens eos, ait : Quid est ergo hoc quod scriptum est :

A. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (*Ps. 117, 22; Isa. 28, 16; Act. 4, 11; 1 Pet. 2, 6, 7.*)? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

C. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?*

43. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.

18. *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquas fringetur : super quem verò ceciderit, conteret eum.*

44. Et qui ceciderit (*Dan. 2, 34, et seq.; Zach. 12, 3; Rom. 9, 33.*) super lapidem istum, con-

fringetur : super quem autem ceciderit, comminuet illum.

19. *Et quærebant principes sacerdotum, et scribæ.*

45. Et cùm audissent principes sacerdotum, et Pharisæi, *et scribæ* parabolas ejus, cognoverunt quòd de ipsis diceret.

B. 12. *Et quærebant eum tenere :*

46. Et quærentes

A. *Eum tenere*

C. Mittere in illum manus illâ horâ,

B. *et timuerunt turbam : cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit.* (Et relicto eo, c. 115.)

A. Timuerunt turbas : quoniam sicut prophetam eum habebant ¶.

C. *Et timuerunt populum : cognoverunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc.* (20. Et observantes, c. 115.)

1. Dativus est, non pluralis. Ut autem quæ videntur in A et C contraria, concilientur, notandum est cum August. l. 2, de Cons. Evang., c. 70, parabolam istam non ad eos solos dictam, qui de potestate interrogaverant; sed et ad plebem, ut testatur C. Aiunt ergo quidam de plebe in Christum benè animati : *malos malè perdet* : quorum responsionem cum Christus confirmâsset, sacerdotes intelligentes hæc ad se dirigi, dixerunt : *Absit* : scilicet ut nos necem hæredi paremus, et consequenter malè perdamur. Quod sequitur apud A satis apertè significat, sacerdotes parabolæ contradixisse.

Invitati ad nuptias (*de edd. re V. c. 91, n. 4, C*).

CAPUT CXIV.

A. XXII. 1. Et respondens Jesus, dixit iterùm in parabolis eis, dicens : 2. (*Dom. 19, post Pent.*) † Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. 4. Iterùm misit alios servos, dicens : Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata; venite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt; et abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam : 6. Reliqui verò tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. 7. Rex autem cùm audisset, iratus est; et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. 8. Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni : 9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. 10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos : et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. 11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali : 12. Et ait illi : Amice, quomodò hùc intrâsti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium (*Sup. 45, v. 12.*). 14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi (*Sup. 101*) ¶.

Quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.

CAPUT CXV.

B. XII. 12. *Et relicto eo abierunt.*

A. XXII. 15. Tunc (*Dom. 22, post Pent.*) † abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent in sermone :

13. *Et mittunt ad eum* A. 16. *Et mittunt ei*

C. XX. 20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent,

B. Quosdam ex Pharisæis

A. Discipulos suos, cum Herodianis,

B. *Et Herodianis,*

B. Ut eum caperent in verbo,

C. *Ut caperent eum in sermone.*

C. Ut traderent illum principatui, et potestati præsidis. 21. Et

B. 14. *Qui venientes dicunt ei :*

venientes interrogaverunt eum, dicentes :

A. *Dicentes :*

A. Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum : 17. Dic ergo nobis quid tibi videtur : licet censum dare Cæsari, an non? 18. Cognità autem Jesus nequitiâ eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ? 19. Ostendite mihi numisma censûs (1). At illi obtulerunt ei denarium. 20. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc, et superscriptio? 21. Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo (*Rom. 13, 7*) ¶. 22. Et audientes

C. *Magister, scimus quia rectè dicis, et doces; et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces :* 22. *Licet nobis tributum dare Cæsari, an non?* 23. *Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos : Quid me tentatis?* 24. *Ostendite mihi denarium ; cujus habet imaginem et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei : Cæsaris.* 25. *Et ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.* 26. *Et*

B. *Magister, scimus quia verax es, et non curas, quenquam ; nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces : licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?* 15. *Qui sciens versu-*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiam illorum, ait illis : Quid me tentatis? afferte mihi denarium, ut videam. 16. *At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cujus est imago hæc, et inscriptio? Dicunt ei : Cæsaris.* 17. *Respondens autem Jesus, dixit illis ; Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.*

A. *mirati sunt.*

(1) B et C denarii nomen in verbis Christi posuerunt, non quòd numismatis speciem Dominus expresserit ; sed quòd denarius fuerit ille numnus quem Dominus postulaverat sibi exhiberi. Denarius autem numnus erat argenteus, cujus valor quinque circiter assium nostratium erat. Neque is modus tributi, quasi unicum tantùm denarium unusquisque solveret, sed monetæ genus, in quâ tributum exigi solebat.

SADDUCÆI CONFUTATI.

CAPUT CXVI.

1. *Uxor septem fratrum.*

C. XX. 27. *Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum,* 28. *Dicentes :*

A. XII. 25. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem : et interrogaverunt eum, 24. dicentes (*Act.* 23, 6, 8) :

B. XII. 18. *Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, et interrogabant eum, dicentes :*

A. *Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo.*

C. Magister, Moyses scripsit nobis : Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo (*Deut.* 25, 5).

B. 19. *Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non relinquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo.* 20. *Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine.* 21. *Et secundus*

A. Et relicto eo abierunt.

C. Non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe : et mirati in responso ejus tacuerunt ;

A. 25. Erant autem apud nos septem fratres : et primus uxore ductâ defunctus est ; et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

B. 26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodò dixerit illi Deus, inquiens (*Exod.* 3, 6) : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ?

C. 29. *Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.* 30. *Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio.* A. *Et tertius usque ad septimum.* B. *Et tertius similiter.* 22. *Et acceperunt eam similiter septem, et non reliquerunt semen : novissima omnium defuncta est et mulier.*

C. 31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem ; et non reliquerunt semen, et mortui sunt.

A. 27. *Novissimè autem omnium et mulier defuncta est.* 28. *In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.*

C. 32. Novissimè omnium mortua est et mulier.

C. 33. *In resurrectione ergo cujus eorum erit uxor? [siquidem septem habuerunt eam uxorem.*

B. 23. In resurrectione ergo cùm resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.

2. *Quales sancti post resurrectionem.*

34. *Et ait illis Jesus* : A. 29. *Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* 30. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.*

B. 24. Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideò erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?

C. Filii hujus seculi nubunt, et traduntur ad nuptias : 35. Illi verò qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores : 36. Neque enim ultra mori poterunt :

B. Accepit eam, et mortuus est ; et nec iste reliquit semen.

36. Similiter secundus

C. 34. Et respondens Jesus dixit illis : Filii hujus seculi nubunt, et traduntur ad nuptias : 35. Illi verò qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores : 36. Neque enim ultra mori poterunt :

æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis.

3. *Probatio resurrectionis.*

C. 37. *Quia verò resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob.*

B. 26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodò dixerit illi Deus, inquiens (*Exod.* 3, 6) : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ?

A. 31. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo, dicente vobis :* 32. *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ?*

ib. 27. *Non est Deus mortuorum, sed vivorum.*

A. *Non est Deus mortuorum, sed viventium.*

C. 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei.

B. Vos ergo multùm erratis.

C. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, benè dixisti.

A. 33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrinâ ejus.

MAGNUM MANDATUM

CAPUT CXVII.

A. XXII. 34. (*Dom.* 17 *post Pent.*) † Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum.

A. 35. *Et interrogavit eum unus*

B. XII. 28. Et accessit unus (C, 80, *n.* 1.).

B. *De scribis,*

A. Ex eis legisdoctor,

B. Qui audierat illos conquirentes : et videns quoniam benè illis responderit, interrogavit eum,

Quod esset primum omnium mandatum?

A. Tentans eum (1) : 36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?

A. 37. *Ait illi Jesus :*

B. 29. Jesus autem respondit ei : Quia primum omnium mandatum est : Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. (*Deut.* 6, 4.)

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ.

30. Et : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ.

B. *Hoc est primum mandatum.*

A. 38. Hoc est maximum, et primum mandatum. 39. Secundum

31. *Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tanquàm teipsum.*

autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum (*Levit.* 19, 18).

B. Majus horum aliud mandatum non est

A. 40. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.

B. 32. Et ait illi scriba : Benè, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum : 33. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex totâ animâ, et ex totâ fortitudine : et diligere proximum tanquàm seipsum, majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. 34. Jesus autem videns quòd sapienter respondisset, dixit illi : Non es longè à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

C. XX. 40. *Et amplius non audebant eum quidquam interrogare* (2).

(1) Sed qui postea deposito tentandi animo responsionem Christi magnificè comprobavit.

(2) Quamvis istud in C proximè subjiciatur responsioni ad quæstionem Sadducæorum ; de omnibus tamen in universum, et non de solis Sadducæis verisimiliter dicitur, sicut et in B hic, et in A infra, cap. seq.

CHRISTUS CUJUS FILIUS.

CAPUT CXVIII.

A XXII. 41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, 42. Dicens : Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est ? Dicunt ei : David.

A. 43. *Ait illis :*

B. XII. 35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo (1) :

C. XX. 41. *Dixit autem ad illos : Quomodò dicunt Christum filium esse David?* 42. *Et ipse David dicit*

A. Quomodò ergo David in Spiritu *sancto* vocat eum Dominum, dicens

B. *Quomodò dicunt scribæ, Christum filium esse David?* 36. *Ipse enim David dicit in Spiritu sancto.*

C. In libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis (*Ps.* 109, 1) ;

A. 44. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

45. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ?

B. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*

37. *Ipse ergo Da-*

A. 45. Si ergo David vocat eum

vid dicit eum Dominum; et unde est filius ejus? C. 44. *David ergo Dominum illum vocat; et quomodò filius ejus est?* Dominum, quomodò filius ejus est? 46. Et nemo poterat ei respondere verbum; neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum amplius interrogare ¶.

B. Et multa turba eum libenter audivit.

(1) A sic rem narrat, tanquàm Christus ad scribas, aut Pharisæos sermonem direxerit. B verò et C, tanquàm ad plebem. Res eadem est. Quis verborum proprietatem tenuerit, incertum.

AUDIENDI, NON IMITANDI SCRIBÆ.

CAPUT CXIX.

1. *Vitia scribarum.*

B. XII. 38. *Et dicebat* C. XX. 45. *Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis*;

A. XXIII. 1. Tunc (*Fer. 3 post Dom. 2. Quadr.*) ✝ Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos, 2. Dicens.

B. Eis in doctrinâ suâ:

A. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi. 3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite: secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. 4. Alligante enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum (C, 83, *n.* 3, v. 46, act. 15, 10); digito autem suo nolunt ea movere: 5. Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.

C. 46. *Attendite à scribis, qui volunt ambulare in stolis,*

B. Cavete à scribis, qui volunt in stolis ambulare:

B. *Et salutari in foro,* 39. *Et in primis cathedris sedere in Synagogis, et primos discubitus in cœnis.*

A. Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias (*Deut.* 6, 8; *Num.* 15, 38.)

C. *Et amant salutationes in foro: et primas cathedras in Synagogis, et primos discubitus in conviviis*: 47. *Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem.*

B. 40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis (A, 83, *n.* 2):

B. *Hi accipient prolixius judicium.*

A. 6. Amant (C, 83, *n.* 2, v. 43) autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.

C. Hi accipient damnationem majorem.

2. *Unus magister.*

A. 8. Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis, 9. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est (*Mat.* 4, 6.) 10. Nec vocemini magistri; quia magister vester unus, Christus (*Jac.* 3, 1.) 11. Qui major est vestrûm, erit minister vester. 12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur (C, 91, *n.* 2, *et* 99) ¶. (13. *Væ autem vobis* (1), C, 83, *n.* 3.)

(1) Subjungit A multæ væ in Pharisæos, sed per recapitulationem, ut nobis videtur. V. tit. cap. 83.

DUO MINUTA VIDUÆ.

CAPUT CXX.

B. XII. 41. Et sedens Jesus, contra gazophylacium, aspiciebat quomodò turba jactaret æs in gazophylacium; et multi divites jactabant multa. 42. Cùm venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans (1). 43. Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. 44. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc verò de penuriâ suâ omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

C. XXI. 1. *Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium divites.* 2. *Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo*: 3. *Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.* 4. *Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei; hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.*

(1) Duobus modis id intelligi potest. 1° Ut duo illa minuta unum confecerint quadrantem, quod secutus est Syrus, qui vertit, *quæ sunt octavæ*. 2° Ut unum quodque fuerit quadrans, quod probabilius est; quia ex Plutarcho in Cicerone, quadrans minimum erat in nummorum genere, eratque quarta pars assis, assis verò valor, sex circiter denariorum Gallicorum.

III PRÆDICTIO EVERSIONIS JERUSALEM (*V.* 1, *c.* 90, *n.* 2 *et* 2, *c.* 109, *n.* 5.).

CAPUT CXXI.

1. *Prædictio eversionis templi.*

B. XIII. 1. *Et cùm egrederetur de templo,* A. XXIV. 1. Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

C. XXI. 5. Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus, et donis ornatum esset,

B. Ait illi unus ex discipulis suis: Magister, A. 2. *Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia?* C. *Dixit:*

B. *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non*

aspice, quales lapides, et quales structuræ! 2. Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes?

A. Amen dico vobis:

C. 6. Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

destruatur.

A. *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*

2. *Præmuntia cladis Jerusalem.*

B. 3. *Et cùm sederet in monte Oliverum contra templum, Interrogabant eum,*

A. 3. Sedente autem eo super montem Oliveti *contra templum*, accesserunt ad eum discipuli secretò.

C. 7. Interrogaverunt autem illum.

B. Separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas,

A. *Dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt?*

C. Dicentes: Præceptor,

C. *Quando hæc erunt, et quod signum cùm fieri incipient?* 8. *Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum:*

B. 4. Dicnobis quando ista fient? et quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?

A. Et quod signum adventûs tui, et consummationis seculi?

B. 5. *Et respondens Jesus, cœpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat:* 6. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum; et multos seducent.*

4. Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat (2. *Thess.* 2, 3):

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; et multos seducent:

7. *Cùm audieritis autem,*

A. 6. *Audituri enim estis prælia, et opiniones prœliorum:*

C. Et tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos.

C. *Nolite terreri: oportet*

B. *Ne timueritis: oportet enim hæc fieri; sed nondùm finis.*

9. (*In Com. plur. mart.*) ✝ Cùm autem audieritis prælia, et seditiones,

B. Bella, et opiniones bellorum;

A. *Hæc fieri: sed nondùm est finis.*

A. Videte ne turbemini: oportet enim

C. Primùm hæc fieri, sed nondùm statim finis.

7. *Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca.*

10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, et regnum adversùs regnum.

B. 8. *Exurget enim gens contra*

11. Et terræmotus magni erunt

gentem, et regnum super regnum; et et erunt terræmotus per loca, et fames. Initium dolorum hæc.

per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt.

A. 8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

3. *Fiducia in persecutionibus* (v. cùd. dere, c. 56, n. 4. A).

C. 12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in Synagogas, et custodias.

B. 9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in Synagogis vapulabitis et ante C. *Trahentes ad reges et præsides propter nomen meum*: 13. *Continget autem vobis in testimonium.*

præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis (10. *Et in omnes, infra.*).

C. 14. Ponite ergo in cordibus vestris,

B. Cùm duxerint vos tradentes (*c.* 84, *v.* 11),

B. *Nolite præcogitare quid loquamini:*

C. Non præmeditari quemadmodùm respondeatis:

B. Sed quod datum vobis fuerit in illâ horâ, id loquimini.

C. 15. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri:

B. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. 12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.

A. 9. *Tunc tradent.*

C. 16. Trademini autem

A. Vos in tribulationem

C. A parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis:

C. *Et morte afficient ex vobis*: 17. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.* B. 13. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum.*

A. Et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

C. 18. Et capillus de capite vestro non peribit.

A. 10. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. 11. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos: 12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

B. *Qui autem statimerit in finem, hic salvus erit* (14. Cum autem infra).

C. 19. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras ¶.

10. *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium.* 11. *Et* (cùm duxerint, supra.)

A. 14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio (1):

4. *Obsessio, et eversio Jerusalem.*

B. 14. *Cùm autem videritis abo-*

C. 20. Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem,

...ominationem desolationis stantem, qui legit intelligat: Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant in montes:
A. 16. *Tunc qui in Judæâ sunt fugiant ad montes: 17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suâ: 18 Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.*
19. *Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus.*
B. 17. *Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus.* 18. *Orate verò ut hieme non fiant,*
A. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet.*
A. 22. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.*

tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.

A. 15. (*Dom. 24, et ult. post Pent.*) † Cùm ergo videritis (2) abominationem desolationis (*Dan.* 9, 27.) quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem B. Ubi non debet.

A. In loco sancto: qui legit intelligat.

C. 21. Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes (3): et qui in medio ejus, discedant: et qui in regionibus, non intrent in eam:

B. 15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo suâ: 16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

C. 22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. 23. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

A. 20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato (4).

B. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales (5), quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.

C. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii; et captivi ducentur in omnes gentes: et Jerusalem calcabitur à gentibus: donec impleantur tempora nationum.

B. 20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos quos elegit, breviavit dies (6).

(1) Seculi secundùm Hieronymum, Jerosolymæ secundùm Hilar. et Chrysost., nam Paulus, Rom. 1. 8, et 10, 18, et ad Coloss. 1, 6, et 23, testatur, suo jam tempore, ideòque ante eversam Jerusalem, Evangelium in toto mundo prædicatum fuisse; nimirùm quia in maximâ orbis noti parte, id factum fuerat, quamvis perfectiùs in fine mundi complendum.

(2) Per abominationem desolationis sunt qui intelligant signa Romanorum militaria, (in quibus imagines Cæsarum in divos relatorum, quas milites adorabant) quæ Titus conspicua in suis castris posuit, quasi templum templo Jerosolymitano contrarium: eaque ipsa mox victor intulit templi ruinis; ubi etiam milites signis sacrificaverunt, ut Josephus loquitur. Sunt verò alii, qui intelligant scelestissimam illam profanationem totius templi per Zelotas, quæ facta est paulò post circumdatam ab exercitu Cestii, et liberatam Jerusalem, duravitque usque ad eversionem ejus per Titum, tres circiter annos cum dimidio: quæ profanatio dicitur abominatio desolationis, quia subsecutæ, et à Daniele prædictæ desolationis vera causa fuit, ut patet ex Josepho.

(3) *His verbis, et seq.*, inquit August. epist. 80, *intelligendum est, festinationem fugæ fuisse præceptam: quare huic Christi monito parentes Christiani ex Jerusalem, totâque regione migrârunt in urbem Tellam, quæ parebat regi Agrippæ, amico Romanorum.*

(4) *Id est*, inquit August., Quæst. evang., l. 1, quæst. 37, *ne impedimento aliquo detineamini; quia et hieme, imbribus vel frigore, et sabbato, in quo longiùs proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere: licet enim in vitæ periculo lex illa cessaret, plerisque tamen Judæorum ea exceptio non probabatur; et pauci fuêre inter Christianos à Judaismo conversos, qui se ab obligatione sabbati liberos esse intelligerent ante excidium Jerosolymitanum.* Idem Aug., ibidem, moraliter exponit, ne in tristitiâ, aut lætitiâ rerum temporalium, quis inveniatur in die illâ.

(5) Ex C patet id de Judæorum vastatione intelligendum, ut notat August., epist. 80. *Nam*, ut ibidem ait, *Josephus talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut vix credibilia videantur: intus enim latrocinia, fames, pestis; extra ferrum, et flamma.*

(6) Id est, nullus Judæorum evasisset mortem temporalem: *sed propter electos*, qui scilicet vel tum vivebant, vel ex Judæis usque ad finem mundi nascituri erant, citius divina providentia bello et calamitatibus illis finem imponet.

ULTIMUS ADVENTUS CHRISTI.

Transit Christus ad 2 et 3 quæstionem de regno Messiæ, et de fine seculi.

CAPUT CXXII.

1. *Pseudochristi, et Pseudoprophetæ.*

B. XIII. 21. *Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. 22. Exurgent enim pseudochristi, et speudoprophetæ; et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.*
A. 25. *Ecce prædixi vobis.*

A. XXIV. 23. Tunc si quis vobis dixerit (*c.* 97, *n.* 1): Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

B. 23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

A. 26. Si ergo dixerint vobis (C, *ibid.*): Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem: ita erit et adventus Filii hominis. 28. Ubicumque fuerit corpus (1), illic congregabuntur et aquilæ (*c.* 97, *n.* 3).

2. *Signa in sole et lunâ.*

C. XXI. 25. Et (*Dom.* 1 *Adv.*) † erunt signa in sole, et lunâ, et stellis, et in terris pressura gentium,

B. 24. *Sed in illis diebus, post tribulationem illam sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum; 25. Et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes quæ in*

præ confusione sonitûs maris, et fluctuum; 26. Arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi.

A. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum (2), sol obscurabitur (*Isa.* 13, 10, *Ezech.* 32, 7, *Joel.* 2, 31, *et* 3, 15), et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlo-

cœlis sunt, movebuntur.
C. *Nam virtutes cœlorum movebuntur. 27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, et majestate.*
B. 26. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ, et gloriâ. 27. Et tunc mittet angelos suos et congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ usque ad summum cœli.*

rum, commovebuntur. 30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ, et gloriâ, et majestate (*Apoc.* 1. 7). 31. Et mittet angelos suos cum tubâ, et voce magnâ (1. *Cor.* 15, 52; 14 *Thess.* 4, 16): et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

3. *Fidelium lætitia instante judicio.*

C. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. 29. Et dixit illis:

C. *Similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores: 30. Cùm producant jam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas* (3): 31. *Ita et vos cùm videritis hæc,* B. 28. *A ficu autem discite parabolam: Cùm jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas: 29. Sic et vos cùm videritis hæc fieri, scitote quòd in proximo sit in ostiis. 30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant: 31. Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.* A. *Scitote quia propè est in januis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt*¶. 36. *De die autem illâ, et horâ nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* (37. Sicut autem, c. 79, n. 2.)

A. 32. Ab arbore autem fici discite parabolam: Cùm jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia propè est æstas: 33. Ita et vos cùm videritis hæc omnia.

C. Fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant (4). 33. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

B. 32. De die autem illo, vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater (5).

(1) Gr., τὸ πτῶμα, *cadaver.*

(2) August., epist. 80, per solem intelligit Christum; per lunam Ecclesiam; qui tunc persecutionis acerbitate ita sint obscurandi, ut hominibus non appareant: per stellas cadentes, eos qui cùm gratiâ fulgere viderentur, persequentibus cedent, et cadent: per virtutes cœlorum, quosdam firmissimos, qui turbabuntur.

(3) Gr., ὅταν προβάλλωσιν *cùm jam protrudunt*, subaudi folia, vel gemmas, inchoamenta fructuum.

(4) Id est, Judæorum, quia pleraque ex prædictis in eâ natione complenda erant.

(5) Gregor., l. 8, epist. 42: *In naturâ quidem humanitatis novit diem et horam, non ex naturâ humanitatis novit: ideò scientiam, quam ex naturâ humanâ non habuit, in quâ cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis habere denegavit.*

VIGILANDUM. (V. eâd. de re. c. 86, n. 1, C. A.)

CAPUT CXXIII.

B. XIII. 33. Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit (A. C. *seq.*, *v.* 13).

C. XXI. 34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa (*Rom.* 13, 13). 35. Tanquàm laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis (37. *Erat autem c.* 126).

B. 34. Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. 35. Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domûs veniat; serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane: 36. Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate (XIV. 1. *Erat autem*, *c.* 127, *n.* 1).

DECEM VIRGINES.

CAPUT CXXIV.

A. XXV. 1. Tunc (*in Com. Virg.*) † simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes: 3. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: 4. Prudentes verò acce-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ominationem desolationis stantem, qui legit intelligat: Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant in montes: A. 16. *Tunc qui in Judæâ sunt fugiant ad montes: 17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suâ: 18 Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* 19. *Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus.* B. 17. *Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus.* 18. *Orate verò ut hieme non fiant,* A. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet.* A. 22. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.*

tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.

A. 15. (*Dom.* 24, *et ult. post Pent.*) † Cùm ergo videritis (2) abominationem desolationis (*Dan.* 9, 27.) quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem B. Ubi non debet.

A. In loco sancto: qui legit intelligat.

C. 21. Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes (3): et qui in medio ejus, discedant: et qui in regionibus, non intrent in eam:

B. 15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo suâ: 16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

C. 22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. 23. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

A. 20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato (4).

B. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales (5), quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.

C. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii; et captivi ducentur in omnes gentes: et Jerusalem calcabitur à gentibus: donec impleantur tempora nationum.

B. 20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos quos elegit, breviavit dies (6).

(1) Seculi secundùm Hieronymum, Jerosolymæ secundùm Hilar. et Chrysost., nam Paulus, Rom. 1. 8, et 10, 18, et ad Coloss. 1, 6, et 23, testatur, suo jam tempore, ideòque ante eversam Jerusalem, Evangelium in toto mundo prædicatum fuisse; nimirùm quia in maximâ orbis noti parte, id factum fuerat, quamvis perfectiùs in fine mundi complendum.

(2) Per abominationem desolationis sunt qui intelligant signa Romanorum militaria, (in quibus imagines Cæsarum in divos relatorum, quas milites adorabant) quæ Titus conspicua in suis castris posuit, quasi templum templo Jerosolymitano contrarium: eaque ipsa mox victor intulit templi ruinis; ubi etiam milites signis sacrificaverunt, ut Josephus loquitur. Sunt verò alii, qui intelligant scelestissimam illam profanationem totius templi per Zelotas, quæ facta est paulò post circumdatam ab exercitu Cestii, et liberatam Jerusalem, duravitque usque ad eversionem ejus per Titum, tres circiter annos cum dimidio: quæ profanatio dicitur abominatio desolationis, quia subsecutæ, et à Daniele prædictæ desolationis vera causa fuit, ut patet ex Josepho.

(3) *His verbis, et seq.*, inquit August. epist. 80, *intelligendum est, festinationem fugæ fuisse præceptam: quare huic Christi monito parentes Christiani ex Jerusalem, totâque regione migrârunt in urbem Tellam, quæ parebat regi Agrippæ, amico Romanorum.*

(4) *Id est*, inquit August., Quæst. evang., l. 1, quæst. 37, *ne impedimento aliquo detineamini; quia et hieme, imbribus vel frigore, et sabbato, in quo longiùs proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere: licet enim in vitæ periculo lex illa cessaret, plerisque tamen Judæorum ea exceptio non probabatur; et pauci fuêre inter Christianos à Judaismo conversos, qui se ab obligatione sabbati liberos esse intelligerent ante excidium Jerosolymitanum.* Idem Aug., ibidem, moraliter exponit, ne in tristitiâ, aut lætitiâ rerum temporalium, quis inveniatur in die illâ.

(5) Ex C patet id de Judæorum vastatione intelligendum, ut notat August., epist. 80. *Nam*, ut ibidem ait, *Josephus talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut vix credibilia videantur: intus enim latrocinia, fames, pestis; extra ferrum, et flamma.*

(6) Id est, nullus Judæorum evasisset mortem temporalem: *sed propter electos*, qui scilicet vel tum vivebant, vel ex Judæis usque ad finem mundi nascituri erant, citius divina providentia bello et calamitatibus illis finem imponet.

ULTIMUS ADVENTUS CHRISTI.

Transit Christus ad 2 et 3 quæstionem de regno Messiæ, et de fine seculi.

CAPUT CXXII.

1. *Pseudochristi, et Pseudoprophetæ.*

B. XIII. 21. *Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. 22. Exurgent enim pseudochristi, et speudoprophetæ; et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.* A. 25. *Ecce prædixi vobis.*

A. XXIV. 23. Tunc si quis vobis dixerit (*c.* 97, *n.* 1): Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. 24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

B. 23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

A. 26. Si ergo dixerint vobis (C, *ibid.*): Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem: ita erit et adventus Filii hominis. 28. Ubicumque fuerit corpus (1), illic congregabuntur et aquilæ (*c.* 97, *n.* 3).

2. *Signa in sole et lunâ.*

C. XXI. 25. Et (*Dom.* 1 *Adv.*) † erunt signa in sole, et lunâ, et stellis, et in terris pressura gentium,

B. 24. *Sed in illis diebus, post tribulationem illam sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum; 25. Et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes quæ in cœlis sunt, movebuntur.* C. *Nam virtutes cœlorum movebuntur. 27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, et majestate.* B. 26. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ, et gloriâ. 27. Et tunc mittet angelos suos et congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ usque ad summum cœli.*

præ confusione sonitûs maris, et fluctuum; 26. Arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi.

A. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum (2), sol obscurabitur (*Isa.* 13, 10, *Ezech.* 32, 7, *Joel.* 2, 31, *et* 3, 15), et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlo-

rum, commovebuntur. 30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ, et gloriâ, et majestate (*Apoc.* 1. 7). 31. Et mittet angelos suos cum tubâ, et voce magnâ (1. *Cor.* 15, 52; 1 *Thess.* 4, 16): et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

3. *Fidelium lætitia instante judicio.*

C. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. 29. Et dixit illis:

C. *Similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores: 30. Cùm producunt jam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas* (3): 31. *Ita et vos cùm videritis hæc,* B. 28. *A ficu autem discite parabolam: Cùm jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas: 29. Sic et vos cùm videritis hæc fieri, scitote quòd in proximo sit in ostiis. 30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant: 31. Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.* A. *Scitote quia propè est in januis. 34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non præteribunt*¶. 36. *De die autem illâ, et horâ nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.* (37. Sicut autem, c. 79, n. 2.)

A. 32. Ab arbore autem fici discite parabolam: Cùm jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia propè est æstas: 33. Ita et vos cùm videritis hæc omnia.

C. Fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant (4). 33. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

B. 32. De die autem illo, vel horâ nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater (5).

(1) Gr., τὸ πτῶμα, *cadaver*.

(2) August., epist. 80, per solem intelligit Christum; per lunam Ecclesiam; qui tunc persecutionis acerbitate ita sint obscurandi, ut hominibus non appareant: per stellas cadentes, eos qui cùm gratiâ fulgere viderentur, persequentibus cedent, et cadent: per virtutes cœlorum, quosdam firmissimos, qui turbabuntur.

(3) Gr., ὅταν προβάλλωσι *cùm jam protrudunt*, subaudi folia, vel gemmas, inchoamenta fructuum.

(4) Id est, Judæorum, quia pleraque ex prædictis in eâ natione complenda erant.

(5) Gregor., l. 8, epist 42: *In naturâ quidem humanitatis novit diem et horam, non ex naturâ humanitatis novit: ideò scientiam, quam ex naturâ humanâ non habuit, in quâ cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis habere denegavit.*

VIGILANDUM. (V. eàd. de re. c. 86, n. 1, C. A.)

CAPUT CXXIII.

B. XIII. 33. Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit (A. C. *seq.*, *v.* 13).

C. XXI. 34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa (*Rom.* 13, 13). 35. Tanquàm laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis (37. *Erat autem c.* 126).

B. 34. Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. 35. Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domûs veniat; serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane: 36. Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate (XIV. 1. *Erat autem*, *c.* 127, *n.* 1).

DECEM VIRGINES.

CAPUT CXXIV.

A. XXV. 1. Tunc (*in Com. Virg.*) † simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes: 3. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: 4. Prudentes verò acce-

perunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes, et dormierunt. 6. Medià autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis et vobis, ite potiùs ad vendentes, et emite vobis. 10. Dùm autem irent emere, venit sponsus; et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua (C, 90, *n.* 1, *v.* 25). 11. Novissimè verò veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. 13. Vigilate itaque (C, A, 86, *n.* 1, B, *c. præc.*, *v.* 33), quia nescitis diem, neque horam ¶.

TALENTA. (V. sim. parab. de decem minis c. 106, C.) *Est hæc parabola ei quæ narratur à C. de decem minis supra, cap. 106, valdè similis, et eumdem scopum habens; alio tamen tempore, et loco, et occasione dicta, et in quibusdam circumstantiis narrationis diversa.*

CAPUT CXXV.

A. XXV. 14. Sicut enim (*in Com. Conf. Pont.*) † homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua: 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum; unicuique secundùm propriam virtutem; et profectus est statim. 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. 17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui ¶. 24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminàsti, et congregas ubi non sparsisti: 25. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terrâ; ecce habes quod tuum est. 26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi: 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usurâ. 28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta: 29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo (A, B, C, 51, *n.* 2, *et* 4, C. 106, *v.* 26). 30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores (1); illic erit fletus et stridor dentium.

(1) Quasi dicas *extimas*, seu extremas, id est, profundissimas, tanquàm à regni cœlestis luce remotissimas.

JUDICIUM.

CAPUT CXXVI.

A. XXV. 31. (*Fer.* 2 *post Dom.* 1 *Quadr.*) † Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ (*sup.* 53, *n.* 4): 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem; sicut pastor segregat oves ab hædis: 33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. 34. Tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me (*Isa.* 58, 7; *Ezech.* 18, 7); 36. Nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitàstis me; in carcere eram, et venistis ad me (*Eccl.* 7, 39). 37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te? sitientem, et dedimus tibi potum? 38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te? aut nudum, et cooperuimus te? 39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? 40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41. Tunc dicet et his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus (*Ps.* 6, 9, *sup.* 45, *n.* 7, *v.* 23, *c.* 9, *n.* 1, *v.* 27); 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; 43. Hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitàstis me. 44. Tunc respondebunt ei et ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere; et non ministravimus tibi? 45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam (D. 57, *n.* 2, *v.* 29) ¶.

C. XXI. 37. Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo, audire eum (1).

(1) Gr., ὀρθρίζε, hoc est, *diluculò conveniebat*, ut vertit Tertullianus.

II. CONCILIUM ADVERSUS JESUM (v. 1, c. 103).

Istud contigit feriæ quartæ, quæ olim ob hanc causam jejunio deputabatur, sicut feria sexta ob passum in eâ Dominum, ut testatur Augustinus, ep. 86.

CAPUT CXXVII.

1. *Conspiratio Sacerdotum.*

B. XIV. 1. (Passio pro fer. 3 maj. hebd.). † Erat autem dies festus Azymorum, qui

C. XXII. 1. (*Passio pro fer.* 4 *hebd.*) † Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui

rat autem Pascha et Azyma post biduum.

dicitur Pascha.

A. XXVI. 1. Et factum est: cùm consummàsset Jesus sermones hos omnes (*Passio pro Dom. Palm.*), † dixit discipulis suis: 2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

B. *Et quærebant summi sacerdotes, et scribæ quomodo eum dolo tenerent et occiderent.*

C. 2. Et quærebant principes sacerdotum, et scribæ quomodò Jesum interficerent.

A. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi in atrium principis sacerdotum (1), qui dicebatur Caiphas: 4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent:

C. Timebant verò plebem.

B. 2. *Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* (5. Et cùm esset, c. 108, *n.* 1.)

A. 5. Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. (6. *Cùm autem Jesus* (2), c. 108, *n.* 1.)

2. *Pactum Judæ.*

A. 14. *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum:*

C. 3. Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim.

B. 10. *Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.* 11. *Qui*

4. Et abiit; et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodùm illum traderet eis.

A. 15. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi

C. 5. *Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare.*

B. Audientes, gavisi sunt; et promiserunt ei pecuniam se daturos; et A. Constituerunt ei triginta argenteos (3).

B. *Quærebat quomodo illum opportunè traderet.*

A. 16. *Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.*

C. 6. Et spopondit. Et *exinde* quærebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis.

(1) Gr. addit, *et Scribæ*, quod ex B, et C, videtur deesse in A.

(2) Subjungunt hic A et B cœnam in Bethaniâ, sed per recapitulationem, ut dictum est in tit. c. 108, quia hæc causa fuit Judæ tradendi Dominum.

(3) Supple *siclos*, quanti caput servi æstimatur Exod. 21, 32, qui summam conficiunt triginta circiter librarum Galliarum. Neque obstat quòd tantillo pretio ager emi non potuisse videatur: per agrum enim figuli non improbabiliter intelligit vir eruditus eum, cujus uber omne ad figlia opera exhaustum fuerit, ita ut nullus inde fructus sperari posset.

QUARTUM PASCHA.

CŒNA PASCHALIS. (V. 1, c. 19, 2, c. 37, 5, c. 58.)

Certum est id contigisse vespera feriæ quintæ: an verò eodem die quo Judæi, Christus Pascha celebrârit, difficilis quæstio. Ex A, B et C, eodem die celebrâsse videtur; sed D *contrarium significat, dùm cap.* 15, 1, *sui Evang., et Concord.* 129 *describuntur lotionem pedum, quæ à cœnâ facta fuit, id accidisse* ante diem festum Paschæ, *hoc est, pridie Paschæ, testatur: et cap.* 18, 28, *Conc.* 141, *dicit de Judæis non introiisse in Prætorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha, id est, agnum paschalem: et cap.* 19, 14, *Conc.* 142, *memorans tempus in quo Christus fuit condemnatus sic scribit:* Erat autem parasceve Paschæ, *hoc est, dies præparatorius ad solemnitatem Paschæ sequenti die celebrandam. Denique ex* B, *cap.* 15, 46, *Conc.* 144, *Joseph mercatur sindonem, et Jesum sepelit: et apud* C. 25, 54, *Conc. ibid., mulieres parant aromata, quæ in ipsâ Paschæ solemnitate non licuissent. Accedit quod ex antiquâ traditione dies Pentecostes, qui erat quinquagesimus ab alterâ die post Pascha, hoc anno incidit in diem dominicum; quod certè fieri non potuit, nisi Pascha incideret in sabbatum. Celebris est sententia Ruperti, et Pauli Burgensis, ex Judæorum traditione, cùm Pascha incideret in feriam sextam in diem sequentem translatum fuisse, ne duo festa simul concurrerent, in quibus cum mortuos sepelire vetitum esset, periculum erat ne esserveta cadavera putiscerent, præsertim in regionibus calidissimis, in quibus multi Judæorum habitabant. Itaque Christum feriâ quintâ Paschalem agnum edisse, quâ ex lege Dei edendus erat: Judæos verò die sequenti ex Patrum traditione, De priori intelligendos* A, B, C, *dùm loquuntur de primâ die Azymorum, hoc est, eâ die quæ ex lege debebat esse prima Azymorum, seu in cujus vespera debebat occidi agnus Paschalis. De posteriori verò intelligendum* D. *dùm de parasceve Paschæ loquitur, hoc est, Paschæ ex Judæorum traditione in sabbatum translatæ.*

CAPUT CXXVIII.

C. XXII. 7. *Venit autem dies Azymorum.*

A. XXVI. 17. Primâ autem die Azymorum,

B. XIV. 12. *Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli,*

C. in quâ necesse erat occidi Pascha (1).

A. Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes:

C. 8. *Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha ut manducemus.* 9. *At illi dixerunt: Ubi vis paremus?* 10. *Et dixit ad eos.*

B. Quò vis eamus, et paremus tibi ut manduces pascha? 13. Et mittit duos ex discipulis suis *Petrum et Joannem*, et dicit eis:

A. *Ubi vis paremus tibi comedere pascha?* 18. *At Jesus dixit: Ite in civitatem ad*

C. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat,

UNIVERSIDAD NACIONAL AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quemdam, et dicite ei: Magister dicit:

B. *Ite in civitatem; et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum:* 14. *Et quòcumque introierit, dicite domino domûs, quia magister dicit: Ubi pascha cum discipulis meis manducem?*

C. *Ubi pascha cum discipulis meis manducem?* 12. *Et ipse ostendet vobis cœnaculum, magnum stratum, et ibi parate.* 13. *Euntes autem invenerunt sicut dixit illis; et paraverunt pascha.*

A. 19. *Et fecerunt discipuli,*
Et paraverunt pascha. 20. *Vespere autem facto,*
Discumbebat cum duodecim discipulis suis. (21. Et edentibus, c. 151, n. 1.)

11. Et dicetis patrifamiliàs domûs: Dicit tibi magister:

A. Tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis:

C. Ubi est refectio mea?

C. Ubi est diversorium?

B. 15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum; et illic parate nobis. 16. Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem: et invenerunt sicut dixerat illis; et paraverunt pascha.

A. Sicut constituit illis Jesus.

B. 17. Vespere autem facto, venit cum duodecim. (18. *Et discumbentibus* (2), *c.* 151, *n.* 1.)

C. 14. Et cùm factà esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. 15. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequàm patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17. Et accepto calice gratias egit, et dixit (3): Accipite, et dividite inter vos: 18. Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat (A, B, 130).

(1) Juxta præceptum Dei per Moysen: nam ex traditione differebatur in sabbatum, ut dictum est in tit. c.

(2) Quare interrumpendæ narrationes B. et A. Vide tit., c. 151.

(3) Licèt hoc intelligat August. de calice sacro, verisimilius tamen est pertinere ad finem cœnæ Paschalis: idem C. habet postea, v. 20: *Similiter et calicem, postquàm cœnavit*, etc.

LOTIO PEDUM.

Lotio pedum facta est post cœnam agni ante institutionem Eucharistiæ: duplex enim cœna apud Judæos in Paschate; 1° ritualis, quâ agnus cum azymis, et lactucis agrestibus, ex legis præcepto comedebatur; quod cum ad cœnam justam hominibus nunquàm paucioribus decem, sæpè etiam viginti, non sufficeret, semebatur cœna communis et ordinaria. Itaque Christus post primam cœnam lavit pedes discipulorum, et in fine alterius cœnæ Eucharistiam instituit.

CAPUT CXXIX.

D. XIII. 1. (*Fer. 5 in Cœna Dom.*) ✝ Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et cœnâ factâ, cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ; 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia à Deo exivit, et ad Deum vadit; 4. Surgit à cœnâ, et ponit vestimenta sua; et cùm accepisset linteum, præcinxit se: 5. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum: et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? 7. Respondit Jesus, et dixit ei: Quod ego facio tu nescis modò, scies autem posteà. 8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed et manus, et caput. 10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: et vos mundi estis, sed non omnes (*infra*. 134, *c.* 5): 11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterèa dixit: Non estis mundi omnes. 12. Postquàm ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterùm, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me, Magister, et Domine; et benè dicitis: sum etenim. 14. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita et vos faciatis ¶.

EUCHARISTIA.

CAPUT CXXX.

C. XXII. 19. *Et accepto pane*

A. XXVI. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem (1 *Cor.*, 11, 24), et

C. Gratias egit,

A. Benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite:

B. XIV. 22. *Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: et benedicens fregit, et dedit eis, et ait:*

C. *Et fregit, et dedit eis, dicens:*

B. *Sumite; hoc est corpus meum.*

A. *Hoc est corpus meum.*

C. *Et calicem,*

B. 23. *Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo*

C. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. 20. Similiter

A. 27. Et accipiens calicem,

C. Postquàm cœnavit,

A. Gratias egit; et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effun-

omnes. 24. *Et ait illis* (1): *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.*

C. *Dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

B. 25. *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei* (26. Et hymno dicto, c. seq. in fine).

detur in remissionem peccatorum.

29. Dico autem vobis (2): non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno patris mei (C. 128.) (30. *Et hymno dicto, c. seq. in fine*).

(1) Scilicet antequàm biberent, ut patet ex Paulo, 1 Cor. 11, 25, qui hanc Eucharistiæ institutionem, quam et à Domino accepisse ait, fusiùs et exactiùs prosequitur.

(2) Apparet ex C. 22, 17, Conecord. 128, hæc dicta fuisse ante panis et vini consecrationem, et occasione tantum calicis consecrati A et B id dictum hic subtexuisse; nihil tamen eo loco turbare, aut invertere satius visum est.

NOTATIO ET EGRESSUS PRODITORIS.

Licèt A *et* B *notatum à Domino proditorem narrent ante Eucharistiæ institutionem, vix tamen dubium ex* C *et* D *post tantùm contigisse.* C *enim connexionem satis innuit hoc nomine*, Verumtamen, *infra. Et* D, *cùm dixit supra, v.* 12, *Dominum iterùm recubuisse, omissâ Eucharistiæ institutione prout satis ab aliis explicatâ, subdit infra, v.* 18 *et* 30, *notationem et egressum proditoris. Unde interrumpenda fuit narratio* A *et* B, *quam alioquì cum narratione* C *convenire, et tres circa idem versari, ex contextu satis apparet.*

CAPUT CXXXI.

1. *Prædictio proditionis.*

D. XIII. 16. Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo; neque apostolus major est eo qui misit illum (C. 45, *n.* 2, *v.* 40; A, 56, *n.* 4, *v.* 24; B, 134, *n.* 5, *v.* 20). 17. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea. 18. Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura (*Ps.* 40, 10): Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. 19. Amodò dico vobis, priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit (A, 56, *n.* 6, *v.* 40); qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cùm hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu (*V. alibi Jesum turbatum, c.* 102, *n.* 5 *et c.* 110, *n.* 4.); et protestatus est:

A. XXVI. 21. *Et edentibus illis, dixit.*

B. XIV. 18. Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait:

D. *Et dixit:*

B. *Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me,*

A. *Amen dico vobis, quia unus vestrùm Me traditurus est.*

C. XXII. 21. Verùmtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensâ;

D. Amen, amen dico vobis quia unus ex vobis,

B. Qui manducat mecum,

D. Tradet me. 22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

B. 19. *At illi cœperunt contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego?* 20. *Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino:* 21. *Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si non esset natus homo ille.* (22. Et manducantibus, c. 130.)

A. 22. Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? 23. At ipse respondens, ait: *Unus ex duodecim qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo (*Ps.* 40, 10); væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti (1). (26. *Cœnantibus autem, c.* 130.)

C. 22. *Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verùmtamen væ homini illi per quem tradetur.*

2. *Notatio proditoris.*

C. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

D. 23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est de quo dicit? 25. Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est? 26. Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 27. Et post buccellam introivit in eum Satanas.

3. *Egressus Judæ.*

Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citiùs. 28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant quia loculos habebat Judas, quòd dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret. 30. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò; erat autem nox. 31. Cùm ergo exisset, dixit

Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis; et Deus clarificatus est in eo. 32. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso; et continuò clarificabit eum.

A. 30. *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.* B. 26. Et hymno dicto (2), exierunt in montem Olivarum.

(1) Id est, tu es ille. Hic ergo expressit traditorem, sed ita ut reliqui non adverterint; quia fortè submissè loquebatur, ut ait August. de Cons. evang. l. 3, c. 1. Et ideò non est hic propriè notatio proditoris, sed infra.

(2) Omninò verisimile est hic dictum hymnum, et surrexisse exituros, mansisse tamen aliquandiu in cœnaculo, et fortè etiam, ut fit, consedisse: *exierunt* ergo, id est, *surrecturi exituri.*

Contentio, prædictio negationis.

C satis significat hanc contentionem ante prædictionem negationis contigisse; ideò hic ponendam judicavimus.

CAPUT CXXXII.

1. 2. *Contentio Apostolorum de primatu* (V. 1, c. 70, n. 1).

C. XXII. 24. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. 25. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum (A, B, 104, *n.* 2); et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: 26. Vos autem non sic (A, B, C, 70, *n.* 1, 2); sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator. 27. Nam quis major est qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrùm sum, sicut qui ministrat: 28. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. 29. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum; 30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

2. *Oratio pro fide Petri. Dilectio.*

31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; 32. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

D. XIII. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum: quæretis me (*supra* 74, *n.* 3), et sicut dixi Judæis, quò ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modò: 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem (*inf.*, 134, *n.* 2; 1 *Thess.* 4, 9; 1 *Joan.* 4, 7); sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

3. *Præsumptio Petri.*

36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit Jesus: Quò ego vado, non potes me modò sequi; sequeris autem postea. 37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò?

B. XIV. 27. *Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte istâ; quia scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves.* 28. *Sed postquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* 29. *Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.*

A. XXVI. 31. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte (D, 135, *n.* 4, *v.* 32; A, B, 137, *n.* 7). Scriptum est enim (*Zach.* 13, 7): Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. 32. Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor:

D. Animam meam pro te ponam.

4. *Prædictio negationis.*

A. 34. *Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis.* 38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

C. 33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.

C. 34. *At illi dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nôsse me.* B. 50. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodiè, in nocte hâc, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

A. 35. *Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.* (36. Tunc venit, c. 137, *n.* 1.) 31. At ille ampliùs loquebatur: Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes *discipuli* dicebant. (32. *Et veniunt*, c. 137, *n.* 1.)

5. *Duo gladii.*

C. Et dixit eis: 35. Quando misi vos sine sacculo, et perâ, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis (A, B, C, 56, *n.* 3, C, 79, *n.* 1 *v.* 4)? 36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum (1) tollat; similiter et peram; et qui non habet (2), vendat tunicam suam, et emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est (*Isa.* 53, 12; B, 143). Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. 38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est (3). (39. *Et egressus*, c. 137, *n.* 1.)

(1) Non præcipit sumere sacculum, aut peram, aut uti gladio; sed prophetarum more, qui res insigniores non verbis tantùm, sed conspicuis rebus designare solebant, solummodò describit temporis jamjam instantis, et persecutionis acerbitatem; in quâ si humanâ providentiâ nitendum esset, meritò sacculo, et perâ, et gladiis cum jactura vestium comparatis ad vitæ tuendæ præsidium uti deberent.

(2) Alii supplent gladium, alii sacculum sive crumenam, ut sensus sit: Qui non habet pecuniam ad emendum gladium, vendat potiùs vestem, quàm eo careat.

(3) Videlicet verborum de hâc re; vel satis est hâc significatione; nam ad pugnam vel duodecim gladii nihil facerent.

Sermo post cœnam.

CAPUT CXXXIII.

1. *Consolatio Apostolorum*, etc.

D. XIV. 1. (*In fest. SS. Philip. et Jac. Ap.*) † Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt; si quo minùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterùm veniо, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. 4. Et quò ego vado, scitis, et viam scitis. 5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis, et quomodò possumus viam scire? 6. Dixit ei Jesus: Ego sum via, et veritas, et vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodò cognoscetis eum, et vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. 9. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodò tu dicis: Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis (1) quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor; Pater autem in me manens ipse facit opera. 11. Non creditis (2) quia ego in Patre, et Pater in me est (*sup.* 89, *n.* 2)? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem (3) in nomine meo (A, 45, *n.* 4; C, 82, *n.* 2; A, B, 141, *n.* 3; D, 135, *n.* 4), hoc faciam ¶: ut glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

2. *Dilectio, et observatio mandatorum.*

15. (*In vig. Pent.*) † Si diligitis me, mandata mea servate. 16. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclетum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos. 19. Adhuc modicum, et mundus me jam non videt; vos autem videtis me; quia ego vivo, et vos vivetis. 20. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, et servata ea, ille est qui diligit me; qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum ¶. 22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo? 23. Respondit Jesus, et dixit ei (*Dom. Pent.*): † Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. 24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed ejus qui misit me, Patris.

3. 1. *Promissio Paracleti* (v. 2, c. 135, n. 2).

25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. 26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis; pacem meam do vobis; non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis quia ego dixi vobis (*sup. n.* 1, *v.* 3): Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. 29. Et nunc dixi vobis priusquàm fiat; ut cùm factum fuerit, credatis. 30. Jam non multa loquar vobiscum; venit enim princeps mundi hujus; et in me non habet quidquam: 31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio ¶. Surgite (4), eamus hinc.

(1) Gr., *non credis.*
(2) Gr., *credite mihi.*
(3) Gr., non habet, *Patrem*; nec, *me*, vers. seq.
(4) Multi volunt hic Dominum nondùm egressum, sed totum sermonem tria capita sequentia continentem eodem loco perfecisse; ex eo quòd post hæc tria capita D dicat: *Hæc cùm dixisset Jesus, egressus est trans torrentem Cedron.* Verisimiliùs tamen videtur sequentia dicta esse in viâ ad hortum, præsertim cùm serò esset, et longiuscula via, ut hæc facilè dici potuerint; citata enim verba benè intelligi possunt de accessu Domini ad torrentem, et quòd illum trajecisset.

Continuatio sermonis.

CAPUT CXXXIV.

1. *Christus vitis, nos palmites.*

D. XV. 1. (*In com. un. mart. temp. Pasch.*) † Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est; 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. 3. Jam vos mundi estis (*sup.* 129, *v.* 10) propter sermonem, quem locutus sum vobis. 4. Manete in me, et ego in vobis; sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. (*Com. plur. mart. temp. Pasch.*) † Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere; 6. Si quis in me non manserit, mittetur foràs sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. 7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis ¶. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

2. *Perseverandum in charitate.*

Manete in dilectione meâ. 10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ; sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur ¶. 12. Hoc est præceptum meum (*sup.* 132,

n. 2; 1 *Thess.* 4, 9; 1 *Joan.* 4, 7), ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 13. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. 14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. 15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis *(sup.* 135, *n.* 1, *et loc. ibi cit.)*.

3. *Mundus fidelium hostis.*

17. *(In fest. SS. Sim. et Judæ Apost.)* † Hæc mando vobis, ut diligatis invicem *(sup. n.* 2, *et n.* 132, *n.* 2, *et locis ibi cit.)*. 18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo *(C,* 45, *n.* 2, *v.* 40; A, 56, *n.* 4, *v.* 24 D, 151, *n.* 1, *v.* 16). Si me persecuti sunt, et vos persequentur *(A,* 56, *n.* 4; A, B, C, 121, *n.* 5); si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. 21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. 22. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit, et Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. 25. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis *(Ps.* 34, 19; *et* 68, 5) ¶. 26. *(Dom. inf. oct. Asc.)* † Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre *(C,* 149, *n.* 2, *v.* 19), Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me : 27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

ALTERA CONTINUATIO SERMONIS.

CAPUT CXXXV.

1. *Prædictio persecutionum.*

D. XVI. 1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos; sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis ¶. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

(2. 2. *Promissio Paracleti.* V. 1, c. 1 55, n. 3.)

Et nunc *(Dom. 4 post Pascha)* † vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cùm venerit ille, arguet (1) mundum de peccato, et de justitiâ, et de judicio; 9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; 10. De justitiâ verò, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me; 11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modò. 13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. 14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis ¶. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

3. *Promissio gaudii æterni.*

16. *(Dom. 5 post Pascha.)* † Modicum, et jam non videbitis me; et iterùm modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me, et iterùm modicum, et videbitis me; et, quia vado ad Patrem? 18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur. 19. Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicum, et non videbitis me; et iterùm modicum, et videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora ejus : cùm autem peperierit puerum jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterùm autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet à vobis ¶. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam.

4. *Promissio beneficentiæ Patris.*

(Dom. 5 post Pascha.) † Amen, amen dico vobis : Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, (A, 43, *n.* 4; C, 82, *n.* 2; A, B, 111, *n.* 3; D, 135, n. 1.) 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. 25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis; venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis; et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego à Deo exivi. 28. Exivi à Patre, et veni in mundum; iterùm relinquo mundum, et vado ad Patrem. 29. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palàm loqueris, et proverbium nullum dicis. 30. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget; in hoc credimus, quia à Deo existi ¶. 31. Respondit eis Jesus : Modò creditis? 32. Ecce venit hora (A, B, 152, *n.* 3, et 157, *n.* 7), et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis; et non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.

(1) Locus obscurissimus, quem sic Chrysostomus interpretatur : Spiritus sanctus *arguet* seu perspicuè convincet mundum, tam Judæos quàm gentes, *de peccato* infidelitatis, quòd non credunt in Christum : et *de justitiâ* ipsius Christi, id est, convincet Christum esse justum et innocentem, imò omnis justitiæ in hominibus auctorem; quod maximè demonstrabitur ex resurrectione et ascensione ad Patrem : *de judicio* autem convincet mundum, ut scilicet se judicio ac damnationi obnoxium esse intelligat, quia princeps hujus mundi diabolus, cui tanquàm principi mundus peccati merito subjectus, jam judicatus est, seu damnatus; per quod ostenditur etiam mundum cum suo principe damnandum esse, qui eum adhuc superbum et impium imitari voluerit.

ORATIO CHRISTI POST CŒNAM

CAPUT CXXXVI.

1. *Oratio pro suâ glorificatione.*

D. XVII. 1. Hæc locutus est Jesus : et *(in vig. Asc.)* † sublevatis oculis in cœlum, dixit : Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te : 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis *(A,* 149, *n.* 2, *v.* 18.), ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. 3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificavi super terram; opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam; 5. Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te.

2. *Oratio pro salute Apostolorum.*

6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, et mihi eos dedisti; et sermonem tuum servaverunt. 7. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt : 8. Quia verba quæ dedisti mihi dedi eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt verè quia à te exivi, et crediderunt quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt; 10. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt; et clarificatus sum in eis. 11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt; et ego ad te venio ¶. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. 12. Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi *(inf.* 157, *n.* 3, *v.* 9); et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur *(Psal.* 108, 8). 13. Nunc autem ad te venio; et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo sicut et ego non sum de mundo. 15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. 16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

3. *Oratio pro salute omnium electorum.*

20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; 21. Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. 23. Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater juste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi; et hi cognoverunt quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam; ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

HORTUS.

CAPUT CXXXVII.

1. *Mœror Christi.*

D. XVIII. 1. Hæc cùm dixisset Jesus (*Passio fer.* 6 *in Parasceu.*), † egressus est (1) cum discipulis suis trans torrentem Cedron (2).

C. XXII. 39. Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum; secuti sunt autem illum et discipuli.

B. XIV. 32. *Et venerunt in prædium, cui nomen Gethsemani;*

A. XXVI. 36. Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani,

C. 40. *Et cùm pervenisset ad locum, dixit illis :*

D. Ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus. (2. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illùc cum discipulis suis.)

B. *Et ait discipulis suis; Sedete hic, donec orem.*

A. Et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illùc, et orem :

C. Orate, ne intretis in tentationem.

A. 37. *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit,*

B. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum; et cœpit pavere, et tædere,

B. 34. *Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate.*

A. Contristari, et mœstus esse. 38. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum.

2. *Christus orans. Angelus. Agonia.*

C. 41. *Et ipse*

39. Et progressus pusillum,

B. 35. *Et cùm processisset paulùm*

C. Avulsus est ab eis quantùm jactus est lapidis; et positis genibus (3) orabat, 42. Dicens : Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verùmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agoniâ,

A. *Procidit,*

B. Procidit super terram,

A. In faciem suam ;

C. *Prolixiùs orabat.* B. Et *prolixiùs* orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora ;

A. *Orans, et dicens : Pater mi,* 36. Et dixit : Abba pater,

A. Si possibile est, transeat à me calix iste : *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* B. Omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.

C. 44. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

5. *Apostoli dormientes.*

B. 37. *Et venit, et invenit eos dormientes.* 45. Et cùm surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitiâ.

A. 40. *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes ;* 46. Et ait illis : Quid dormitis ? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

Et dicit Petro : B. Et ait Petro : Simon, dormis?

B. *Non potuisti unâ horâ vigilare?* A. Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?

38. *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem ; spiritus quidem promptus est, caro verò infirma.* 41. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem ; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

A. 42. *Iterùm secundò abiit, et oravit, dicens :* B. 39. Et iterùm abiens oravit, eumdem sermonem dicens :

A. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

B. 40. *Et reversus denuò invenit eos dormientes ; erant enim oculi eorum gravati :* 43. Et venit iterùm, et invenit eos dormientes ; erant enim oculi eorum gravati :

B. Et ignorabant quid responderent ei.

A. 44. Et relictis illis, iterùm abiit, et oravit tertiò eumdem sermonem dicens.

41. *Et venit tertiò,* 45. Tunc venit *tertiò* ad discipulos suos,

A. *Et dicit illis : Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* B. Et ait illis : Dormite jam (4), et requiescite : sufficit (5) ; venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus ; ecce qui me tradet, propè est.

4. *Accessus et osculum Judæ.*

D. 3. *Judas ergo* Judas *Iscariotes* unus de duodecim,

B. 43. *Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim,* D. Cùm accepisset cohortem, et à pontificibus et Phariseis ministros, venit illùc cum laternis, et facibus, et armis ;

C. 47. *Adhuc eo loquente, ecce turba ; et qui vocabatur Judas, unus de duodecim,* A. *Venit,*

B. *Et cum eo turba multa cum gladiis et lignis,* A. Et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi

A. *A principibus sacerdotum, et senioribus populi.* B. A summis sacerdotibus, et Scribis, et senioribus.

48. *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* 44. Dederat autem traditor ejus signum eis dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est ; tenete eum, et ducite cautè.

45. Et cùm venisset,

C. Antecedebat eos.

C. *Et appropinquavit Jesu,* A. 49. Et confestim accedens ad Jesum,

B. *Statim accedens ad eum, ait : Ave, Rabbi ; et osculatus est eum.* C. Ut oscularetur eum,

A. Dixit : Ave, Rabbi : et osculatus est eum.

C. 48. *Jesus autem dixit illi :* 50. Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti ?

C. Juda, osculo Filium hominis tradis !

5. *Judæi cadentes in terram.*

D. 4. Jesus itaque sciens (6) omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis? 5. Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsùm, et ceciderunt in terram. 7. Iterùm ergo interrogavit eos : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. 8. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum ; si ergo me quæritis, sinite hos abire. 9. Ut impleretur sermo quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam (*sup.* 136, *n.* 2, *v.* 12).

6. *Auricula abscissa.*

B. 46. *At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum.* A. Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum (7), et tenuerunt eum.

C. 49. Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio?

A. 51. *Et ecce* D. 10. Simon ergo Petrus.

D. *Habens gladium eduxit eum ;* A. Unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit

et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam ejus. gladium suum ; et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus

D. Dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

C. 50. *Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram.* B. 47. *Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam.* C. 51. Respondens autem Jesus, ait : Sinite (8) usque huc. Et cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.

A. 52. *Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum ;* D. 11. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam : A. Omnes enim qui acceperint gladium (*Gen.* 9, 6 ; *Apoc.* 13, 10), gladio peribunt (9).

D. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?

A. 53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones angelorum? 54. Quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? (*Isa.* 53, 10.)

7. *Exprobratio Christi in Judæos.*

C. 52. *Dixit autem Jesus* 55. In illâ horâ dixit Jesus

B. 48. *Et respondens Jesus, ait illis : Tanquàm ad latronem existis cum gladiis et lignis* C. Ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus

A. *Turbis : Tanquàm ad latronem existis cum gladiis et fustibus*

B. *Comprehendere me.* A. Comprehendere me.

C. 53. *Cùm quotidiè vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me ?* Quotidiè apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis ?

B. 49. *Quotidiè erat apud vos in templo docens, et non me tenuistis ?* C. Sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.

Sed ut impleantur Scripturæ. A. 56. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum (*Thr.* 4, 20).

A. *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* B. 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt (A, B, 32, *n.* 3 ; D. 135, *n.* 4, *v.* 52).

51. Adolescens (10) autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo ; et tenuerunt eum (11).

52. At ille, rejectâ sindone, nudus profugit ab eis.

(1) Vide annot. 4, cap. 133, pro loco hujus egressûs.

(2) Gr., τῶν ἐλαίων, ut et in Græcâ versione 2 Reg. 15, 23, et 3 Reg. 15, 13, ita ut sit nomen appellativum, *torrens Cedrorum ;* nec obstat quòd cedri Hebræis dicantur *Arazim ;* multa enim sunt cedrorum genera, et inter ea unum, unde nomen Græcum fluxit קִידרוֹן, *Cidron*, quod extare Gen. 6, in Chaldaicâ versione annotavit vir eruditus.

(3) Probabile est Christum primùm quidem genua flexisse, quod notat C, postea verò cùm intenderet vim precationis, quod idem C significat his verbis, *prolixiùs orabat*, toto corpore in terram procubuisse, quod notant A et B, dùm aiunt cum *procidisse super terram, et in faciem suam.*

(4) His verbis non somnum indulsisse Christum, sed Apostolorum somnolentiam exprobrâsse constat, quasi diceret : Periculum præsens vos jam satis excitabit, quos crebra monitio non excitaverat.

(5) Gr., ἀπέχει, quod Syrus et Arabs vertunt, *adest finis.*

(6) Secuti sumus sententiam sancti Aug., l. 3 de Cons. Evang., c. 5, qui existimat Judam post osculum Christo datum recessisse versùs turbam, et tunc contigisse illa quæ D narrat de turbis prostratis ; si enim ante osculum ista contigissent, non opus fuisset osculi signo, cùm bis dixisset ipse Jesus, *ego sum.*

(7) Hoc dictum ab A et B, vel per anticipationem, vel ita ut nondùm quidem Christum ligârint, aut immotum tenuerint, sed solùm quòd in eum incurrerint, et eum circumdederint.

(8) G., ἔασε, q. d. : Hucusque sufferendo me defendisse.

(9) Id est, digni sunt qui pereant ; non enim eventus, sed meritum homicidæ significatur, juxta legem, Gen. 9, 6 : *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Sunt qui non ad Petrum, sed ad Judæos referant, quasi diceret Christus : Noli Deo præripere ultionem ; crudeles enim isti et sanguinarii etiam te quiescente gravissimas Deo daturi sunt pœnas suo sanguine.

(10) Non Joannes aut Jacobus Minor, ut quidam arbitrati sunt, sed quidam è villâ proximâ Gethsemani, qui tumultu excitatus, è lecto prosiluerit ; id autem notatum à B, ut ostenderet nonnisi ope divinâ salvos fugisse Apostolos, cùm Judæis constitutum fuerit, non Jesum tantùm prehendere, sed et ejus discipulos.

(11) Gr., additur οἱ νεανίσκοι, quâ voce non simpliciter *adolescentuli* denotantur, sed *milites*, ita sæpè à Græcis dicti.

Examen et judicium Caiphæ.

Ductus est Jesus ad Annam primùm, sed ostentationis tantùm causâ, nec ibi quidquam actum ; quod enim postea refert D *gestum à pontifice, non ad Annam, sed ad Caipham referenda sunt ; quod satis ipse significavit, dùm de Caiphâ nominatim ait :* Qui erat pontifex anni illius.

CAPUT CXXXVIII.

1. *Jesus ductus ad Annam et ad Caipham.*

D. XVIII. 12. Cohors ergo et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum ; 13. Et adduxerunt eum ad Annam primùm ; erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius (*sup.* 105, *num.* 1, *vers.* 49). 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis : Quia expedit unum hominem mori pro populo (*ibid.*, v. 50).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

A. XXVI. 57. *At illi tenentes Jesum, duxerunt*

B. XIV. 53. Et adduxerunt Jesum

B. *Ad summum sacerdotem; et*

A. Ad Caipham principem sacerdotum, ubi

C. XXII. 54. *Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum.*

B. Convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores.

A. *Scribæ et seniores convenerant.*

2. *Ingressus Petri in domum Caiphæ.*

D. 15. *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus,*

A. 58. Petrus autem sequebatur eum à longè.

B. 54. *Petrus autem à longè secutus est eum,*

D. Et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici (1); et introivit cum Jesu in atrium pontificis.

C. *Petrus verò sequebatur à longè.*

16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum. (17.) *Dicit ergo, c. seq., n. 1.*)

A. *Usque in atrium principis sacerdotum.*

B. Usque introò in atrium summi sacerdotis.

C. 55. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. (56. (2) *Quem cum, 3. sec., n. 1.*)

Et ingressus introò, sedebat cum ministris,

B. Et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se;

A. Ut videret finem.

3. *Alapa.*

D. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrinâ ejus. 20. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagogâ et in templo, quò omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici; 23. Respondit ei Jesus : Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis? 24. Et misit (3) eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. (25. *Erat autem, c. seq., n. 2.*)

4. *Falsi testes.*

B. 55. *Summi verò sacerdotes, et omne concilium, quærebant adversùs Jesum testimonium, ut eum morti traderent; nec inveniebant.*

A. 59. Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent :

60. Et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent.

B. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversùs eum, et convenientia testimonia non erant.

B. 57. *Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversùs eum, dicentes :*

A. Novissimè autem venerunt duo falsi testes,

61. Et dixerunt :

A. *Hic dixit :*

B. 58. Quoniam nos audivimus eum dicentem :

A. Possum destruere templum Dei (D. 19, *n.* 2; A, B, 145, *n.* 6), et post triduum reædificare illud.

B. Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo. 59. Et non erat conveniens (4) testimonium illorum.

A. 62. *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversùm te testificantur?* 63. *Jesus autem tacebat.*

60. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens : Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, et nihil respondit.

5. *Interrogatur, et à concilio damnatur.*

C. 66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis (5), et principes Sacerdotum, et Scribæ; et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis. 67. Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi : 68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. 70. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei?

A. *Et princeps sacerdotum, ait illi :*

B. Rursùm summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus Filius Dei benedicti?

A. Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei?

B. 62. *Jesus autem dixit illi :*

64. Dicit illi Jesus : Tu dixisti,

C. *Qui ait :*

B. Ego sum :

C. Vos dicitis, quia ego sum.

B. *Et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.*

A. Verùmtamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei (*sup.* 66, *n.* 5, *s.* 37; *Rom.* 14, 10; 1 *Thess.* 4, 15), et venientem in nubibus cœli.

63. *Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait : Quid adhuc desideramus testes?* 64. *Audistis blasphemiam; quid vobis videtur?*

65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam :

C. 74. *At illi dixerunt :*

66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis :

C. Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus (XXIII. 1. *Et surgens, c. 140, n. 1*).

B. Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

6. *Conspuitur et cæditur.*

B. 65. *Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus,*

A. 67. Tunc exspuerunt in faciem ejus (*Isa.* 50, 6);

C. 63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes : 64. Et velaverunt eum,

Et colaphis eum cædere,

A. Et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt :

C. *Et percutiebant faciem ejus;*

A. 68. *Dicentes :*

C. Et interrogabant eum, dicentes :

B. *Et dicere ei :*

C. *Prophetiza, quis est, qui te percussit?*

A. Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit?

B. *Prophetiza; et ministri alapis eum cædebant.*

C. 65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum (66. *Et ut factus est, sup. n. 5*).

(1) Verisimilius est hunc discipulum fuisse civem Jerosolymitanum, ideòque pontifici notum, fortassè in cujus domo Christus cenaverat, quam vel Joannem, vel alium quempiam è duodecim.

(2) Quare hic interrumpendæ narrationes D et C, vide tit. cap. seq.

(3) *Misit* pro *miserat*, ut A 14, 5, et conc. 22 : *Tenuit Joannem, et alligavit*, pro *tenuerat et alligaverat*; et ipse D, c. seq., *n.* 5, v. 26, *cujus abscidit Petrus auriculam*, pro *absciderat*; sic Gen. 12, 1 : *Dixit Dominus ad Abram*, pro *dixerat*, ut apparet ex cap. præced. v. 31, et ex Act. 7, 5. Id autem ex eo oritur, quòd Hebræi non habent discrimina præteriti temporis.

(4) Hoc est, *ad mortem sufficiens*, etsi fuisset verum.

(5) Unicum Caiphæ et sacerdotum examen et judicium fuisse, non duplex, satis apparet, si conferantur cum C quæ A et B narrant; unicum enim discrimen est quòd C à toto concilio interrogatum refert Jesum, an esset Christus? A verò et B id tantùm à Caiphâ factum aiunt; quod leve est, cùm alii post Caipham idem à Christo postulâsse potuerint, vel C concilio tribuisse, quod ab ejus capite factum fuerat, usitatissimo tropo. Quare quod ait C : *Et ut factus est dies*, sic intelligendum est : *Cùm dies adventaret* : quod verò ait *Mane facto consilium inisse principes sacerdotum*, etc., *adversùs Jesum*, non de examine et judicio accipiendum est, sed de judicii executione; quomodo nempe Jesum jam morti adjudicatum, *morti traderent*.

NEGATIONES PETRI.

A *et* B *omnes negationes simul narrant post judicium et illusiones*; C *ante utrumque*; D verò *primum ante examen, reliquas post. Idèo, cùm non potuerit omnium ordo servari, interrumpendæ fuerunt narrationes* C *et* D, *et quamvis negationes Petri eodem tempore contigerint in atrio quo examen et judicium Christi in concilio, tamen tituli de confusionis gratiâ utrumque separatim exponere, ut fecerunt* A *et* B, *satius visum est.*

CAPUT CXXXIX.

1. *Prima negatio.*

D. XVIII. 17. *Dicit ergo Petro.*

B. XIV. 66. Et cùm esset Petrus in atrio deorsùm, venit

A. XXVI. 69. *Petrus verò sedebat foris in atrio; et accessit ad eum una ancilla,*

D. Ancilla ostiaria,

B. Una ex ancillis summi sacerdotis; 67. Et cùm vidisset Petrum

C. XXII. 56. *Quem cùm vidisset ancilla quædam*

C. Sedentem ad lumen, et

Eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat.

B. Calefacientem se, aspiciens illum, ait :

A. *Dicens :*

B. *Et tu cum Jesu Nazareno eras.*

D. Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?

68. *At ille negavit, dicens :*

A. Et tu cum Jesu Galilæo eras. 70. At ille negavit coram omnibus, dicens :

D. *Dicit ille :*

C. 57. *At ille negavit eum, dicens:*

D. Non sum.

C. Mulier, non novi illum.

A. *Nescio quid dicis.*

B. Neque scio, neque novi quid dicas.

D. 18. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se; erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se (19. *Pontifex ergo, c. præced. n.* 3).

B. Et exiit foras ante atrium (1), et gallus cantavit.

2. *Secunda negatio.*

B. 69. *Rursùs autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis erat.*

A. 71. Exeunte autem illo januam (1), vidit eum alia ancilla; et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno.

C. 58. Et post pusillum alius videns eum, dixit : Et tu de illis es?

D. 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es?

A. 72. *Et iterùm negavit.*

B. 70. At ille iterùm negavit.

D. *Negavit ille,*

C. *Petrus verò ait : O homo, non sum.* 59. *Et*

A. Cum juramento : Quia non novi hominem.

D. Et dixit : non sum.

3. *Tertia negatio.*

B. Et post pusillum,

D. 26. *Dicit ei.*

C. Intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam.

D. Unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam,

C. Affirmabat dicens : Verè et hic cum illo erat; nam et Galilæus est.

D. Nonne ego te vidi in horto cum illo?

A. 73. *Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Verè et tu ex illis es; nam*

B. Rursùs qui astabant, dicebant Petro : Verè ex illis es; nam et Galilæus es :

A. Et loquela tua manifestum te facit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

C. 60. *Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis.*

D. 27. Iterùm ergo negavit Petrus : et

B. 71. *Ille autem cœpit*

A. 74. Tunc cœpit detestari (2).

A. *Et jurare, quia non noviset hominem.*

B. Anathematizare, et jurare : quia nescio hominem istum, quem dicitis.

B. 72. *Et statim*

C. *Cantavit gallus.*

C. Et continuò adhuc illo loquente.

A. *Et continuò gallus cantavit.*

B. Gallus iterùm cantavit.

D. *Statim gallus cantavit.*

C. *Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquàm gallus cantet, ter me negabis.*

C. 61. Et conversus Dominus respexit Petrum (3).

B. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus : Priusquàm gallus cantet bis, ter me negabis.

A. 75. *Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foràs, flevit amarè.*

C. 62. Et egressus foràs Petrus, flevit amarè. (63. *Et viri, c.* 138, *n.* 6).

B. *Et cœpit flere.*

(1) Gr. εἰς προαύλιον, hoc est, *in vestibulum atrii.* Similiter et quod habet A : *Exeunte illo januam*, Gr. εἰς πυλῶνα, *in vestibulum* ; non enim domo exiit, sed tantùm ex atrio, quò etiam statim reversus est. Cùm enim ex B constet Petrum ex atrio exiisse, ex D verò quòd ad ignem stans secundò negaverit, dicendum est, exeunte Petro ancillam dixisse circumstantibus, sic ut Petrus audire posset : *Et hic erat cum Jesu* ; cùm autem Petrus reversus esset, vel ne fugisse videretur, vel ut se purgaret, vel frigoris impatiens, vel scire studiosus quid de Christo ageretur, alium quemdam, ut C notat ; imò alios plures, ut D objecisse ei stanti et se calefacienti, idem quod ancilla dixerat.

(2) Gr., ἀναθεματίζειν, hoc est, *sibimet malè precari*, non verò Jesum *detestari*. Ubi adverte Petrum primò mentitum, secundò mendacio adjecisse perjurium, tertiò præter mendacium et perjurium diris se obligâsse.

(3) Cùm tunc Christus intùs et sursùm fuerit, Petrus verò foris et deorsùm, et præterea Christus ligatus, ita ut ei non vacaret è loco superiori deorsùm respicere, dicendum cum August. de Grat. Christi, c. 45, *respexisse Petrum non corporalibus oculis, sed in mente et voluntate, quia latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit et produxit affectum.*

JESUS PILATO TRADITUS.

MORS JUDÆ.

Quòd initio hujus cap. non fiat mentio de novo concilio et judicio adversùs Jesum, ut quidam volunt, vide annot. 5, *cap.* 138.

CAPUT CXL.

1. *Christus ad Pilatum ductus.*

B. XV. 1. *Et confestim manè concilium facientes summi sacerdotes,*

A. XXVII. 1. Mane autem facto, concilium inierunt omnes principes sacerdotum,

A. *Et seniores populi,*

B. Cum senioribus, et scribis, et universo concilio.

A. Adversùs Jesum, ut eum morti traderent.

C. XXIII. 1. Et surgens omnis multitudo eorum.

A. 2. *Et vinctum*

B. Vincientes Jesum,

D. XVIII. 28. *Adducunt ergo Jesum,*

A. Adduxerunt eum

C. *Duxerunt illum ad Pilatum.*

D. A Caipha in prætorium ;

B. *Duxerunt, et tradiderunt Pilato.*

A. Et tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

D. Erat autem manè. Et ipsi non introierunt in prætorium (*Act.* 10, 28, *et* 11, 3), ut non contaminarentur (1), sed ut manducarent pascha.

2. *Mors Judæ.*

A. 3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, 4. Dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris. 5. Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit (*Act.* 1, 18). 6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam (2) ; quia pretium sanguinis est. 7. Concilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli (3), in sepulturam peregrinorum. 8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama (*Act.* 1, 19), hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam (4), dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati (*Zach.* 11, 12), quem appretiaverunt à filiis Israel : 10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

(1) Hoc est, ne ingressu domûs hominis gentilis *contaminarentur*, et contaminati non possent edere agnum paschalem de quo vide tit. cap. 128. Nusquàm tamen lege vetitum Judæis ingredi gentilium domum, ut hoc videatur fuisse traditionis Pharisaicæ.

(2) Hoc est, in gazophylacium, seu thesaurum sacrum qui Hebraice *corban* dicebatur.

(3) De hoc agro, et de argenteis, vide annot. 3, c. 127.

(4) Cùm hæc verba apud Jeremiam non reperiantur, sed apud Zachariam, sunt qui putent nomen *Jeremiæ* irrepsisse in textum, incuria vel temeritate librariorum, 1° quòd A non soleat nomina prophetarum exprimere ; 2° quòd nonnulli codices Latini eo caruerint, tempore Augustini et Lyrani ; 3° quòd syriacus textus non habeat nomen *Jeremiæ*. Alii verò dictum hoc primitùs âiunt ab Jeremiâ, sed scripto minimè consignatum, qualia apud Judæos multa vatum veterum oracula, ut quod de Enoch refert Judas, Epist. v. 14, repetitum verò à Zachariâ, qui amat imitari locutiones Jeremiæ, ut Judæi dicere soleant, spiritum Jeremiæ fuisse in Zachariâ ; atque ideò Jeremiam eumdem esse et Zachariam.

JESUS APUD PILATUM ACCUSATUS.

CAPUT CXLI.

1. *Christus accusatus.*

D. XVIII. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foràs, et dixit : Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc ? 30. Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam (1). 32. Ut sermo Jesu impleretur (A, B, C, 104, *n.* 1, *v.* 34, *in* B.), quem dixit, significans quâ morte esset moriturus.

C. XXIII. 2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.

2. *A Pilato interrogatus.*

D. 33. Introivit ergo iterùm in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum.

B. XV. 2. *Et interrogavit eum Pilatus : Tu es rex Judæorum ?*

A. XXVII. 11. Jesus autem stetit ante præsidem ; et interrogavit eum præses *Pilatus*, dicens : Tu es rex Judæorum ?

D. *Et dixit ei : Tu es rex Judæorum ?*

D. 34. Respondit Jesus : A. Temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me ? 35. Respondit Pilatus :

C. 3. *Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum ?*

Numquid ego Judæus sum ? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi ; quid fecisti ? 36. Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo ; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis ; nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus :

A. *Dicit illi Jesus : Tu dicis.*

Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati ; omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? Et cùm hoc dixisset, iterùm exivit ad Judæos.

B. *At ille respondens, ait illi : Tu dicis.*

C. *At ille respondens, ait : Tu dicis.*

C. 4. *Ait autem Pilatus.*

C. Ad principes sacerdotum et turbas.

Nihil invenio causæ in hoc homine.

D. Et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. (39. *Est autem, c. seq., n.* 1).

B. 3. *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.*

A. 12. Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum, et senioribus *in multis*, nihil respondit.

A. 13. *Tunc dicit illi Pilatus :*

B. 4. Pilatus autem rursùm interrogavit eum dicens :

A. Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia ?

B. Non respondes quidquam ? Vide in quantis te accusant. 5. Jesus autem amplius

A. 14. *Et non respondit*

nihil respondit

B. *Ita ut miraretur Pilatus.*

A. Et ad ullum verbum ; ita ut miraretur præses vehementer.

3. *Ad Herodem missus.*

C. 5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæâ usque hùc. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. 7. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valdè ; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ, constanter accusantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo (2), et illusit indutum veste albâ (3), et remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsâ die : nam antea inimici erant ad invicem.

(1) Quia gladii potestas Judæis adempta erat per Romanos. Nec refert quòd alii à Judæis aliquando sunt interfecti, ut Stephanus ; id enim factum est motu populari.

(2) Gr. σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ, *cum exercitibus suis ;* sed Hellenistæ στρατεῖα et στράτευμα usurpant pro quovis comitatu. Unde rectè Syrus, *cum ministris suis.*

(3) Gr. ἐσθῆτα λαμπρὰν, *vestem splendidiorem* ; Syrus vertit, *coccineam*, quæ adhibita videtur fuisse illudendi Jesu causâ tanquàm fatui, non facinorosi, et in quo regni affectatio ridenda potiùs esset, quàm timenda.

BARABBAS. FLAGELLATIO. CONDEMNATIO.

CAPUT CXLII.

1. *Pilatus Christum liberare vult.*

C. XXIII. 13. Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, 14. Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse

A. XXVII. 15. *Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum*

autem habebat *præses* dimittere eis per diem festum, unum (18. *Exclamavit, infr., n.* 2).

A. Vinctum, quem voluissent. 16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

B. XV. 6. *Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quem-*

D. Erat autem Barabbas latro (XIX. 1. *Tunc ergo, infr., n.* 4).

C. 60. *Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis.*

D. 27. Iterùm ergo negavit Petrus : et

B. 71. *Ille autem cœpit*

A. 74. Tunc cœpit detestari (2).

A. *Et jurare, quia non noviset hominem.*

B. Anathematizare, et jurare : quia nescio hominem istum, quem dicitis.

B. 72. *Et statim*

C. *Cantavit gallus.*

C. Et continuò adhuc illo loquente.

A. *Et continuò gallus cantavit.*

B. Gallus iterùm cantavit.

D. *Statim gallus cantavit.*

C. *Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquàm gallus cantet, ter me negabis.*

C. 61. Et conversus Dominus respexit Petrum (3).

B. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus : Priusquàm gallus cantet bis, ter me negabis.

A. 75. *Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foràs, flevit amarè.*

C. 62. Et egressus foràs Petrus, flevit amarè. (63. *Et viri, c.* 138, *n.* 6).

B. *Et cœpit flere.*

(1) Gr. εἰς προαύλιον, hoc est, *in vestibulum atrii.* Similiter et quod habet A : *Exeunte illo januam*, Gr. εἰς πυλῶνα, *in vestibulum* ; non enim domo exiit, sed tantùm ex atrio, quò etiam statim reversus est. Cùm enim ex B constet Petrum ex atrio exiisse, ex D verò quòd ad ignem stans secundò negaverit, dicendum est, exeunte Petro ancillam dixisse circumstantibus, sic ut Petrus audire posset : *Et hic erat cum Jesu* ; cùm autem Petrus reversus esset, vel ne fugisse videretur, vel ut se purgaret, vel frigoris impatiens, vel scire studiosus quid de Christo ageretur, alium quemdam, ut C notat ; imò alios plures, ut D objecisse ei stanti et se calefacienti, idem quod ancilla dixerat.

(2) Gr., ἀναθεματίζειν, hoc est, *sibimet malè precari*, non verò Jesum *detestari*. Ubi adverte Petrum primò mentitum, secundò mendacio adjecisse perjurium, tertiò præter mendacium et perjurium diris se obligâsse.

(3) Cùm tunc Christus intùs et sursùm fuerit, Petrus verò foris et deorsùm, et præterea Christus ligatus, ita ut ei non vacaret è loco superiori deorsùm respicere, dicendum cum August. de Grat. Christi, c. 45, *respexisse Petrum non corporalibus oculis, sed in mente et voluntate, quia latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ suâ visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas movit et produxit affectum.*

JESUS PILATO TRADITUS.

MORS JUDÆ.

Quòd initio hujus cap. non fiat mentio de novo concilio et judicio adversùs Jesum, ut quidam volunt, vide annot. 5, *cap.* 138.

CAPUT CXL.

1. *Christus ad Pilatum ductus.*

B. XV. 1. *Et confestim manè concilium facientes summi sacerdotes,*

A. XXVII. 1. Mane autem facto, concilium inierunt omnes principes sacerdotum,

A. *Et seniores populi,*

B. Cum senioribus, et scribis, et universo concilio.

A. Adversùs Jesum, ut eum morti traderent.

C. XXIII. 1. Et surgens omnis multitudo eorum.

A. 2. *Et vinctum*

B. Vincientes Jesum,

D. XVIII. 28. *Adducunt ergo Jesum,*

A. Adduxerunt eum

C. *Duxerunt illum ad Pilatum.*

D. A Caipha in prætorium ;

B. *Duxerunt, et tradiderunt Pilato.*

A. Et tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

D. Erat autem manè. Et ipsi non introierunt in prætorium (*Act.* 10, 28, *et* 11, 3), ut non contaminarentur (1), sed ut manducarent pascha.

2. *Mors Judæ.*

A. 3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, 4. Dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris. 5. Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit (*Act.* 1, 18). 6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam (2) ; quia pretium sanguinis est. 7. Concilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli (3), in sepulturam peregrinorum. 8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama (*Act.* 1, 19), hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam (4), dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati (*Zach.* 11, 12), quem appretiaverunt à filiis Israel : 10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

(1) Hoc est, ne ingressu domûs hominis gentilis *contaminarentur*, et contaminati non possent edere agnum paschalem de quo vide tit. cap. 128. Nusquàm tamen lege vetitum Judæis ingredi gentilium domum, ut hoc videatur fuisse traditionis Pharisaicæ.

(2) Hoc est, in gazophylacium, seu thesaurum sacrum qui Hebraice *corban* dicebatur.

(3) De hoc agro, et de argenteis, vide annot. 3, c. 127.

(4) Cùm hæc verba apud Jeremiam non reperiantur, sed apud Zachariam, sunt qui putent nomen *Jeremiæ* irrepsisse in textum, incuria vel temeritate librariorum, 1° quòd A non soleat nomina prophetarum exprimere ; 2° quòd nonnulli codices Latini eo caruerint, tempore Augustini et Lyrani ; 3° quòd syriacus textus non habeat nomen *Jeremiæ*. Alii verò dictum hoc primitùs âiunt ab Jeremiâ, sed scripto minimè consignatum, qualia apud Judæos multa vatum veterum oracula, ut quod de Enoch refert Judas, Epist. v. 14, repetitum verò à Zachariâ, qui amat imitari locutiones Jeremiæ, ut Judæi dicere soleant, spiritum Jeremiæ fuisse in Zachariâ ; atque ideò Jeremiam eumdem esse et Zachariam.

JESUS APUD PILATUM ACCUSATUS.

CAPUT CXLI.

1. *Christus accusatus.*

D. XVIII. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foràs, et dixit : Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc ? 30. Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam (1). 32. Ut sermo Jesu impleretur (A, B, C, 104, *n.* 1, *v.* 34, *in* B.), quem dixit, significans quâ morte esset moriturus.

C. XXIII. 2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.

2. *A Pilato interrogatus.*

D. 33. Introivit ergo iterùm in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum.

B. XV. 2. *Et interrogavit eum Pilatus : Tu es rex Judæorum ?*

A. XXVII. 11. Jesus autem stetit ante præsidem ; et interrogavit eum præses *Pilatus*, dicens : Tu es rex Judæorum ?

D. *Et dixit ei : Tu es rex Judæorum ?*

D. 34. Respondit Jesus : A. Temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me ? 35. Respondit Pilatus :

C. 3. *Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum ?*

Numquid ego Judæus sum ? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi ; quid fecisti ? 36. Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo ; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis ; nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus :

A. *Dicit illi Jesus : Tu dicis.*

Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati ; omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? Et cùm hoc dixisset, iterùm exivit ad Judæos.

B. *At ille respondens, ait illi : Tu dicis.*

C. *At ille respondens, ait : Tu dicis.*

C. 4. *Ait autem Pilatus.*

C. Ad principes sacerdotum et turbas.

Nihil invenio causæ in hoc homine.

D. Et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. (39. *Est autem, c. seq., n.* 1).

B. 3. *Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.*

A. 12. Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum, et senioribus *in multis*, nihil respondit.

A. 13. *Tunc dicit illi Pilatus :*

B. 4. Pilatus autem rursùm interrogavit eum dicens :

A. Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia ?

B. Non respondes quidquam ? Vide in quantis te accusant. 5. Jesus autem amplius

A. 14. *Et non respondit*

nihil respondit

B. *Ita ut miraretur Pilatus.*

A. Et ad ullum verbum ; ita ut miraretur præses vehementer.

3. *Ad Herodem missus.*

C. 5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæâ usque hùc. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. 7. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valdè ; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum et Scribæ, constanter accusantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo (2), et illusit indutum veste albâ (3), et remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsâ die : nam antea inimici erant ad invicem.

(1) Quia gladii potestas Judæis adempta erat per Romanos. Nec refert quòd alii à Judæis aliquando sunt interfecti, ut Stephanus ; id enim factum est motu populari.

(2) Gr. σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ, *cum exercitibus suis ;* sed Hellenistæ στρατεῖα et στράτευμα usurpant pro quovis comitatu. Unde rectè Syrus, *cum ministris suis.*

(3) Gr. ἐσθῆτα λαμπρὰν, *vestem splendidiorem* ; Syrus vertit, *coccineam*, quæ adhibita videtur fuisse illudendi Jesu causâ tanquàm fatui, non facinorosi, et in quo regni affectatio ridenda potiùs esset, quàm timenda.

BARABBAS. FLAGELLATIO. CONDEMNATIO.

CAPUT CXLII.

1. *Pilatus Christum liberare vult.*

C. XXIII. 13. Pilatus autem, convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, 14. Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. 15. Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse

A. XXVII. 15. *Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum*

autem habebat *præses* dimittere eis per diem festum, unum (18. *Exclamavit, infr., n.* 2).

A. Vinctum, quem voluissent. 16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

B. XV. 6. *Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quem-*

D. Erat autem Barabbas latro (XIX. 1. *Tunc ergo, infr., n.* 4).

cumque petissent.

7. *Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium*

C. 19. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, et homicidium, missus in carcerem. (20. *Iterùm autem, infr., n.* 3.)

B. 8. Et cùm ascendisset turba (1), cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

B. 9. *Pilatus autem respondit eis, et dixit :*

A. 17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus :

D. XVIII. 39. *Est autem consuetudo vobis, ut unum vultis dimittam vobis regem Judæorum?*

dimittam vobis in Paschâ ; vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?

A. Quem vultis dimittam vobis ; Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus?

A. 18. *Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.*

B. 10. Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

2. *Barabbas Christo præfertur.*

A. 19. Sedente autem illo pro tribunali (2), misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi ; multa enim passa sum hodiè per visum propter eum.

20. Principes autem sacerdotum, et seniores

B. 11. *Pontifices autem*

B. Concitaverunt turbam,

A. *Persuaserunt populis,*

B. *Ut magis Barabbam dimitteret eis.*

A. Ut peteret Barabbam, Jesum verò perderent. 21. Respondens autem præses, ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti?

D. 40. *Clamaverunt ergo rursùm omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam.* (Erat autem, *sup.*, n. 1.)

C. 18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc (*Act.* 3, 14), et dimitte nobis Barabbam. (19. *Qui erat sup. n.* 1.)

A. *At illi dixerunt : Barabbam.*

3. *Clamores Judæorum adversùs Jesum.*

B. 12. *Pilatus autem iterùm respondens ait illis :*

C. 20. Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum :

A. 22. *Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu?*

B. Quid ergo vultis faciam regi Judæorum (3).

C. 21. *At illi succlamabant,*

A. Qui dicitur Christus?

B. 13. At illi iterùm clamaverunt,

A. 23. *Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit?*

C. Dicentes : Crucifige, crucifige eum. 22. Ille autem tertiò dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo ; corripiam ergo illum, et dimittam. 23. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur ; et invalescebant voces eorum (5).

B. *Crucifige eum.*

14. *Pilatus verò dicebat illis : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant : Crucifige eum.* (15. Pilatus autem (4) infra n. 7.)

A. *At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur.* (24. Videns autem, infr., n. 7.)

4. *Flagellatio. Coronatio. Illusio.*

D. XIX. 1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.

A. 27. *Tunc milites*

B. 16. Milites autem

D. 2. *Et milites*

A. Præsidis, suspicientes Jesum in prætorium,

B. Duxerunt eum in atrium prætorii, et

B. *Convocant totam cohortem ;*

A. Congregaverunt (*Ps.* 21, 17) ad eum universam cohortem : 28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei : 29. Et

D. *Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus ; et veste purpureâ circumdederunt eum.*

plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dexterâ ejus.

B. 17. *Et induunt eum purpurâ, et imponunt ei plectentes spineam coronam.*

D. 3. Et veniebant ad eum :

A. Et genu flexo ante eum, illudebant ei.

D. *Et dicebant : Ave, rex Judæorum.*

B. 18. Et cœperunt salutare eum,

A. Dicentes : Ave, rex Judæorum.

B. *Ave, rex Judæorum.*

D. Et dabant ei alapas ;

A. 30. *Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.* (31. Et postquàm c. seq. n. 1.)

B. 19. Et percutiebant caput ejus arundine ; et conspuebant eum ; et ponentes genua, adorabant eum. (20. *Et postquàm, c. seq., n.* 1.)

5. *Ecce homo.*

D. 4. Exivit ergo iterùm Pilatus foràs, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foràs, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.) Et dicit eis : Ecce homo. 6. Cùm ergo vidissent eum

pontifices et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. 8. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit,

6. *Secunda Pilati interrogatio* (V. primam interrog., c. 141, n. 2).

9. Et ingressus est prætorium iterùm ; et dixit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi (6), majus peccatum habet. 12. Et exindè quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris ; omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.

7. *Christus traditur crucifigendus.*

13. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foràs Jesum ; et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. 14. Erat autem parasceve Paschæ, horâ quasi sextâ (7) ; et dicit Judæis : Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem.

A. 24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum à sanguine justi hujus ; vos videritis. 25. Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

C. 24. *Et Pilatus*

B. 15. Pilatus autem volens populo satisfacere.

C. Adjudicavit fieri petitionem eorum. 25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, *Barabbam*, quem petebant ; Jesum verò

A. 26. *Tunc dimisit illis Barabbam ; Jesum autem*

B. *Dimisit illis Barabbam ; et tradidit Jesum flagellis cæsum ut crucifigeretur.* (16. Milites autem, *sup.* n. 1.)

D. 16. *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.*

C. *Tradidit voluntati eorum.*

A. Flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. (27. *Tunc milites, sup., n.* 4.)

(1) Gr. ἀναβοήσας, *cùm acclamàsset* turba, cœpit rogare à Pilato, quod illis præstare solitus erat, scilicet solutionem unius vincti.

(2) Non in ultimâ cognitione de quâ D infra post flagellationem, sed in priori ; aliquoties enim Pilatus sedit pro tribunali.

(3) Gr. habet, *ei quem dicitis regem Judæorum.*

(4) Non dubium quin hùc B et A anticipent judicium Pilati, quod satis liquet post flagellationem tantùm et coronationem contigisse ; unde contextum eorum hùc invertere, sicut et C et D nonnunquàm, coacti sumus.

(5) Gr. addit, *et summorum sacerdotum.*

(6) Hoc est, *quisquis me tradidit*, Judas, sacerdotes, populus ; *majus peccatum habet* quàm tu, qui in causâ sum, ut tu quasi ex auctoritate in me sævias.

(7) Ut id concilietur cum eo quod ait B, *horâ tertiâ* crucifixum fuisse Jesum, dicendum est Christum ante horam sextam fuisse crucifixum ; post sextam cœpisse tenebras, ut notat A, mortuum autem paulò post nonam. Sed quia sacrificia et preces fieri solebant horâ tertiâ, sextâ, nonâ, et hæc ipsa tempora festis maximè diebus tubæ sono significabantur, inde factum est ut hæ horæ tanquàm notiores vulgo celebrarentur, neque mediarum ratio haberetur. Quare quod ait B, c. seq., n. 5 : *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, id est, jam audita erat tuba horæ tertiæ ; quod dici solebat donec caneret tuba horæ sextæ. D vero ait hùc, horam fuisse quasi *sextam*, antequàm Pilatus Christum Judæis tradidisset, id est, magna pars temporis inter tertiam et sextam jam transierat, licet plusquàm horâ vulgari abesset odhuc hora sexta.

CRUCIFIXIO ET MORS.

Hoc cap. contextus A, B, C, sæpius in versus est, tum quia diverso sæpè ordine eadem narrent, tum quia sequenda potiùs visa est narratio D tanquàm aptiorem hujus sanctæ historiæ connexionem et dilucidationem continens.

CAPUT CXLIII.

1. *Crucis bajulatio.*

D. XIX. 16. Susceperunt autem Jesum.

A. XXVII. 31. *Et postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus,*

B. XV. 20. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt illum purpurâ, et induerunt eum vestimentis suis ; et educunt illum, ut crucifigerent eum.

D. *Et eduxerunt.*

A. *Et duxerunt eum, ut crucifigerent.*

D. 17. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha.

32. *Exeuntes autem*

C. XXIII. 26. Et cùm duceret eum,

B. 21. *Et angariaverunt*

A. Invenerunt

C. *Apprehendentes Simonem quemdam Cyrenæum,*

B. Prætereuntem quempiam.

B. *Simonem Cyrenæum,*

A. Hominem Cyrenæum, nomine Simonem,

C. *Venientem de villâ :*

B. Venientem de villâ patrem Alexandri et Rufi ;

B. *Ut tolleret crucem ejus.*

A. Hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus ;

C. Et imposuerunt illi crucem portare post Jesum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. *Mulieres plangentes.*

27. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. 28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me ; sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. 30. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos ; (*Isa.* 2, 19 ; *Osee* 10, 8 ; *Apoc.* 6, 16) et collibus : Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?

3. *Patio prima. Crucifixio. Pater, dimitte.*

32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

A. 33. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.*

B. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum, Calvariæ locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum,

34. *Et dederunt ei vinum bibere.*

C. 33. *Et postquàm venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum ;*

A. Cum felle mixtum : et cùm gustâsset, noluit bibere, (35. *Postquàm autem, inf.* n. 5.)

B. Et non accepit. (24. *Et crucifigentes, inf.* n. 5.)

A. 38. *Tunc crucifixi sunt cum eo.*

25. Erat autem hora tertia (1) ; et crucifixerunt eum, (26. *Et erat titulus inf., n.* 4.)

D. 18. *Ubi crucifixerunt eum ;*

B. 27. *Et cum eo crucifigunt duos*

D. Et cum eo alios duos, B. Latrones ; unum à dextris, et alium à sinistris ejus ;

D. *hinc et hinc,*

C. *Et latrones, unum à dextris, et alterum à sinistris.*

A. *Duo latrones, unus à dextris, et unus à sinistris.*

D. Medium autem Jesum.

(39. Prætereuntes, infr., n. 6.)

B. 28. Et impleta est Scriptura, quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est (*Isa.* 53, 12 ; C, 152, *n.* 5, v. 37). (29. *Et prætereuntes. inf. n.* 6).

C. 34. Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis ; non enim sciunt quid faciunt. (*Dividentes, inf., n.* 5.)

4. *Titulus crucis.*

D. 19. Scripsit autem et titulum Pilatus ; et posuit super crucem.

B. 26. *Et erat.* Erat autem

B. Titulus causæ ejus :

D. *Scriptum :* A. 37. Et imposuerunt super

B. *Inscriptus :* caput ejus causam ipsius scriptam :

Rex Judæorum

(27. Et cum eo, sup., n. 3).

A. *Hic est Jesus, rex Judæorum.* (38. Tunc crucifix., sup., n. 3.) C. 38. *Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Græcis, et Latinis et Hebraicis : Hic est rex Judæorum.* (39 Unus autem, inf., n. 7.)

D. Jesus Nazarenus, rex Judæorum. 20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt : quia propè civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè et Latinè. 21. Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum : Noli scribere : Rex Judæorum ; sed quia ipse dixit Rex sum Judæorum.

22. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.

5. *Sors super vestem.*

23. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) et tunicam,

B. 24. *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus,*

C. *Dividentes verò vestimenta ejus, miserunt sortes.*

A. 35. *Postquàm autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.*

B. Mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. (25. *Erat autem, sup., n.* 3.)

D. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illâ, cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens (*Ps.* 21, 19) : Partiti sunt vestimenta mea sibi ; et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

A. 36. Et sedentes servabant eum. (37. *Et imposuerunt, sup., n.* 4.)

6. *Irrisiones et blasphemiæ.*

B. 29. *Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah ! qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas ;* 30. *Salvum fac temetipsum, descendens de cruce.*

30. Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, 40. Et dicentes : Vah ! qui destruis templum Dei (D, 19, *n.* 2; A, B, 158, *n.* 4), et in triduo illud reædificas, salva temetipsum ; si Filius Dei es, descende de cruce.

C. 35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum :

C. *principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit,*

A. 41. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus, dicebant :

B. 31. *Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere ! 32. Christus rex Israel*

42. Alios salvos fecit ; seipsum non potest salvum facere ! si rex Israel est (*Sap.* 2, 18), descendat nunc de cruce, et credimus ei :

C. Se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus :

B. Descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus :

A. 43. confidit in Deo (*Ps.* 21, 9) ; liberet nunc, si vult, eum ; dixit enim : Quia Filius Dei sum.

C. 36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei ; 37. Et dicentes : Si tu rex Judæorum, salvum te fac. (38. *Erat autem, sup. n.* 4.)

7. *Latrones.*

A. 44. *Id ipsum autem et latrones (2) qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.*

C. 39. Unus autem de his qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos.

B. *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.*

40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatione es ? 41. Et nos quidem justè ; nam digna factis recipimus ; hic verò nihil mali gessit. 42. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : hodiè mecum eris in paradiso (3).

8. *Jesus ad matrem.*

D. 25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. 26. Cùm vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in suâ.

9. *Tenebræ. Eli, Eli.*

A. 45 *A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super universam terram, usque ad horam nonam.*

C. 44. Erat autem ferè hora sexta ; et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam ; 45. Et obscuratus est sol. (*Et velum, inf., n.* 11.)

B. 33. *Et factâ horâ sextâ (4) tenebræ factæ sunt super totam terram usque in horam nonam,* 34. *Et*

A. 46. Et circà horam nonam

horâ nonâ exclamavit Jesus voce magnâ, dicens : Eloi, Eloi, lamma sabacthani ; quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? 35. *Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat.*

clamavit Jesus voce magnâ, dicens : Eli, Eli (*Psal.* 21, 1), lamma sabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? 47. Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant : Eliam vocat iste (5).

10. *Acetum. Mors.*

D. 28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura (*Ps.* 68, 22), dixit : Sitio.

B. 36. *Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei,*

29. Vas ergo erat positum aceto plenum.

A. 48. Et continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini (6), et dabat ei bibere,

D. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.

A. 49. *Cæteri* (7) *verò dicebant : Sinite, videamus an veniat Elias liberans eum.* 50. *Jesus autem*

B. dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

D. 30. Cùm ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Et A. iterùm clamans voce magnâ,

C. 46. *Et clamans voce magnâ Jesus,* B. 37. *Jesus autem emissâ voce magnâ expiravit.*

C. ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (*Ps.* 30). Et hæc dicens,

A. *Emisit spiritum*

D. Inclinato capite, tradidit spiritum.

C. *Expiravit* (47. Videns autem, infr., n. 11).

11. *Prodigia. Centurio. Mulieres.*

B. 38. *Et velum templi scissum est in duo, à summo usque deorsum.*

A. 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes (2 *Par.* 3, 14), à summo usque deorsùm ; et terra mota est ; et petræ scissæ sunt ;

C. *Et velum templi scissum est medium.* (46. Et clamans, sup. num. 10.)

52. Et monumenta aperta sunt ; et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

55. Et exeuntes de monumentis post resurrectio-

nem ejus (8), venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

C. 47. *Videns autem centurio*
A. 54. *Centurio autem*
B. Quia sic clamans expirásset;
B. *Alt :* C. Glorificavit Deum, dicens : Verè hic homo justus erat.

B. Verè hic homo Filius Dei erat.

A. Et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, et his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes : Verè Filius Dei erat iste.

C. 48. Et omnis turba eorum qui simul adorant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

B. 40. *Erant autem et mulierc de longè aspicientes:*
A. 55. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Jesum à Galilæâ, ministrantes ei :* 56. *Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et*

49. Stabant autem omnes noti ejus à longè, et mulieres quæ secutæ erant à Galilæâ, hæc videntes :

B. Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria (9) Jacobi Minoris et Joseph mater, et Salome

A. Mater filiorum Zebedæi.

B. 41. Et cùm esset in Galilæâ, sequebantur eum, et ministrabant ei; et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam (42. Et).

(1) Vide annot. 7 cap. preced.

(2) Quod A et B narrant latrones improperásse Christo, decendum cum Augustino per tropum pluraliter dici, *quod* unus tantùm fecit. Quod pluribus exemplis probat S. doctor, l. 3 de Cons. evang., c. 6, Scripturis esse familiare. Sic C supra, n. 6, v. 56, et D, infra, n. 10, aiunt milites obtulisse Christo acetum, quod tamen ex A et B, n. 10, ab uno militum factum esse constat.

(3) Hoc est, in loco voluptatis et amœnitatis, ubi sunt animæ justorum post hanc vitam.

(4) Gr., ὡσεὶ, id est, *circiter, plus minùs*. Unde non discordat cum B. Vide annot. 7 cap. præced.

(5) Id dictum verisimile est à Judæis Hellenistis, qui cùm Hebraica verba non intelligerent, Eliæ nomen sibi notum audire arbitrati sunt.

(6) A et B ὑσσώπῳ καλάμου, D verò ὑσσώπου περιθέντες. Unde omninò videtur idem esse calamum sive arundinem, quod hyssopon, id est, bacillum ex hyssopo, quam credibile est in Judæâ arborescere non minus quàm sinapi, malvam, et origanum. Sed hyssopi septem genera esse tradunt Hebræi : unde non de quâvis hyssopo, sed de ejus minimâ specie, nempe parietariâ, intelligendum quod dicitur 3 Reg. 4, 33, Salomonem disputásse de omnibus plantis à cedro Libani usque ad *hyssopum* quæ egreditur de pariete. Ita vir eruditus.

(7) Id est, alii eum illo qui acetum porrigebat, ita ut plures simul dixerint.

(8) Unde etiam tunc tantùm cum Christo resurrexerunt; Christus enim primitiæ dormientium, ita ut monumenta quidem aperta sint Christo moriente (ut clarius appareret *per mortem suam destruxisse eum qui habebat mortis imperium*, ut dicitur Hebr. 2, 14), ad vitam verò mortui non redierint, nisi Christo resurgente.

(9) Eadem quæ vocatur in D Maria Cleophæ, quod nomen patris ejus quidam esse volunt; ita ut fuerit filia Cleophæ, uxor Alphæi, et mater Jacobi Minoris, S. Judæ Apost. (qui se ipse nominat fratrem Jacobi) et Joseph, sive Josæ, hæc, et habent Græca; idem enim nomen est pronuntiatione diversâ.

Latus. Sepultura.

CAPUT CXLIV.

1. *Lateris transfixio*

D. XIX. 31. Judæi ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. 32. Venerunt ergo milites; et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo; 33. Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura : 34. Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit; et continuò exivit sanguis et aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit; ut et vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo (*Exod.* 12, 46; *Num.* 9, 12). 37. Et iterùm alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt (*Zach.* 12, 10).

2. *Joseph ab Arimathæâ.*

38. Post hæc autem,

A. XXVII. 57. *Cùm autem serò factum esset.*
C. XXIII. 50 *Et ecce vir*
B. 43. *Venit Joseph ab Arimathæâ, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei ;*
A. *ab Arimathæâ, nomine Joseph,*
D. *Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæâ,*
A. *Qui et ipse discipulus erat Jesu.* 58. *Hic accessit ad Pilatum,*
C. *Ad Pilatum*
Et petiit corpus Jesu,
A. *Et petiit corpus Jesu.*
D. *Ut tolleret corpus Jesu.*
Et permisit Pilatus.

B. XV. 42. Cùm jam serò esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum),

A. Venit quidam homo dives,

C. Nomine Joseph, qui erat nobilis decurio (1), vir bonus et justus :

51. Hic non consenserat consilio et actibus eorum; ab Arimathæâ (2) civitate Judææ; qui expectabat et ipse regnum Dei.

52. Hic accessit

B. Et audacter introivit ad Pilatum; et

D. Eò quòd esset discipulus Jesu (occultus autem propter metum Judæorum)

B. Petiit corpus Jesu.

44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset; et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

45. Et cùm cognovisset à centurione, donavit corpus Joseph.

A. *Tunc Pilatus jussit reddi corpus.*

D. Venit ergo, et tulit corpus Jesu.

3. *Sepultura.*

D. 39. Venit autem et Nicodemus (*sup.*, 20, *v.* 1, *et* 74, *n.* 4, *v.* 50), qui venerat ad Jesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum.

A. 59. *Et accepto corpore Joseph involvit illud in sindone mundâ;* 60. *Et* C. 55. *Et depositum involvit sindone,*

B. 46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum, involvit sindone *mundâ.*

D. 40. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.

Et posuit eum in monumento exciso, in quo nondùm quisquam positus fuerat ¶.

41. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum in quo nondùm quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum,

B. *Et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petrâ; et advolvit lapidem ad ostium monumenti.*

A. *Joseph* (3) posuit illud in monumento suo novo, quod excíderat in petrâ. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.

D. *Posuerunt Jesum* ¶.

C. 54. Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat (4).

A. 61. *Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria,* B. 47. *Maria autem Magdalene, et Maria Joseph,*

55. Subsecutæ autem mulieres (5), quæ cum eo venerant de Galilæâ,

A. Sedentes contra sepulcrum,

C. *Viderunt monumentum,*

B. Aspiciebant ubi poneretur ¶,

C. Et quemadmodùm positum erat corpus ejus.

56. Et revertentes paraverunt aromata et unguenta; et sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

4. *Custodia sepulcri.*

A. 62. Alterâ autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, 63. Dicentes : Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies (6) resurgam. 64. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium : ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit à mortuis; et erit novissimus error pejor priore. 65. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. 66. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus ¶.

(1) Gr. βουλευτὴς, id est, senator, scilicet urbis Jerusalem, non verò de magno synedrio, qui vocabantur ἄρχοντες, *principes*, ut Nicodemus, D. 3, 1, et Concord. 20.

(2) Oriundus, sed qui Jerosolymis habitaret.

(3) Hic nomen istud additum; quis, cùm D, multa habeat notatu dignissima, et à pluribus dicat eorpus Jesu acceptum et positum in monumento, quod tamen A, B, C, soli Joseph adscribant, non potuit aliter eos contextus conciliare, præsertim cùm necesse fuerit ea verba exprimere, quæ habet A de Joseph : *Posuit illud in monumento suo novo.*

(4) Id est, *propè erat* dies sabbati, quæ apud Judæos à vesperâ incipiebat, et sequenti vesperâ finiebatur. Quare sunt qui per verbum, *illucescebat, ἐπέφωσκε*, intelligant stellarum ortum, vesperæ indicem, quò etiam referunt quod Tertull., l. de Jejuniis, de Judæis dicit : *Stellæ auctoritatem demorantia suspirant.*

(5) Duas ex iis præcipuas hic nominant A et B, quas e superiori salis expressas in margine, hic reponimus, ne si nominatæ essent in contextu, ea quæ dicuntur et de aliis mulieribus, ad eas solas meritò restringo rentur.

(6) Hoc est, *intra tres dies*; sic enim Hebræi loqui solent, ut dicant, post tres, post octo, post quadraginta dies fieri, quod fit tertio, octavo, quadragesimo. Sic Deuteron. 31, 10 : *Post septem annos anno remissionis*, cum tamen annus remissionis septimo quoque anno contingeret.

Resurrectio.

Intricatissimam resurrectionis historiam sic explicari posse existimamus. Cùm mulieres ad monumentum pervenissent, vidissentque lapidem (quem angelus revolverat) à monumento sublatum; nec invenissent corpus Jesu, Magdalena cucurrit ad Apostolos, adductisque secum Petro et Joanne (qui non invento corpore Christi domum se receperunt), ad monumentum reversa est; ubi reliquæ mulieres, quæ ibi remanserant, mente consternatæ duos angelos vident, qui et Magdalenæ ploranti et in monumentum prospiciendi apparenti, cùm ob eâ lacrymarum causam petissent, illa respondit : Tulerunt Dominum meum, etc. *Quibus dictis retrorsum conversa, et à monumento paululum secedens, cùm videret Jesum hortulani specie, mox cum agnovisset, et cùm eo collocuta, festinavit nuntiare Apostolis se Dominum vidisse. Interim verò mulieres, quæ ad sepulcrum remanserant, ab iisdem angelis accipiunt Christum resurrexisse; et mox à monumento recedentes Christum obviam habuêre : quæ cùm Apostolis nuntiássent, nullam ab iis fidem meruerunt. Vel hic ordo servandus est, vel omninò sejungendum quod* D *narrat de Magdalenâ, ab iis quæ reliqui narrant mulieribus conjungisse; inter quas tamen Magdalenam nominant. Non enim credibile est resurrectionem Christi ab angelis Magdalenæ indicatam, ut reliquis mulieribus factum est; quandonam enim id contigisset? non post Christi allocutionem, cùm statim ad Apostolos ferit nuntiatura se Dominum vidisse : non etiam ante eum Christum, quem hortulanum putabat, alloquens, ploret, ex ejus corpus à monumento sublatum quæratur; quod non fecisset, si didicisset ab angelis Christum resurrexisse, cum præsertim A notet mulieres quæ id ab angelo audierant, gaudio magno repletas fuisse, C verò recordatas verborum Christi, quibus prædixerat se tertiâ die resurrecturum. Reliquæ difficultates in annotationibus explicabuntur.*

CAPUT CXLV.

1. *Profectio mulierum ad sepulcrum.*

B. XVI. 1. Et *cum transisset sabbatum,*
D. XX. 1. (*Sabb. in Albis*) † *Una*

A. XXVIII. 1. (*Sabb. sancto*) † Vespere autem sabbati (1), quæ lucescit in primâ sabbati,

autem sabbati, Maria Magdalene venit mane,

C. XXIX. 1 *Unâ autem sabbati valdè diluculo venerunt ad monumentum,*

B. (*Dom. Resurr.*) Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt (2) aromata, ut venientes ungerent Jesum.

2. Et valdè mane,

A. *Venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum.*

D. Cùm adhuc tenebræ essent,

D. *Ad monumentum.*

B. Unâ sabbatorum, veniunt ad monumentum orto jam sole (3).

C. Portantes quæ paraverant aromata.

A. 2. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo; et accedens revolvit lapidem (4), et sedebat super eum. 3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. 4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

B. 3. Et dicebant (*mulieres*) ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? 4. Et re-

C. 2. *Et invenerunt lapidem revolutum à monumento. 3. Et ingressæ*

spicientes viderunt revolutum lapidem; erat quippe magnus valdè:

D. *Et vidit lapidem sublatum à monumento.*

5. Et introeuntes in monumentum,

C. Non invenerunt corpus Domini Jesu. (*Et factum est inf., n. 3.*)

D. 2. Cucurrit (5) ergo (*Maria Magdalene*), et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus; et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.

2. *Cursus Petri et Joannis.*

C. 12. *Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina sola posita;*

3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, et venit primus ad monumentum. 5. Et cùm se inclinâsset vidit posita linteamina, non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, 7. Et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit (6). 9. Nondùm enim sciebant Scripturam quia oportebat eum à mortuis resurgere ¶. 10. Abierunt ergo iterùm discipuli ad semetipsos:

C. Et abiit (*Petrus*) secum mirans quod factum fuerat. (13. *Et ecce duo, c. seq. n. 1.*)

3. *Prima apparitio Christi Magdalenæ.*

B. *Viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, et obstupuerunt.* (6. *Qui dicit, inf., n. 4.*)

C. 4. Et factum est, dùm mente consternatæ essent (*mulieres*) de isto, ecce duo viri steterunt secùs illas in veste fulgenti.

D. 11. (*Fer. 5, Resurr.*) † Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dùm ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum; 12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes (7), unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. 13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. 14. Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsum (8).

B. 9. Surgens (9) autem (*Jesus*) manè, primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ ejecerat septem dæmonia;

D. Et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. 15. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. 16. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur magister.) 17. Dicit ei Jesus: Noli me tangere (10); nondùm enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum: Deum meum et Deum vestrum.

B. 10. *Illa vadens nuntiavit his,*

18. Venit maria Magdalene annuntians discipulis,

B. Qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus:

D. Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi ¶. (19. *Cùm ergo, c. 147, n. 1.*)

B. 11. Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab eâ, non crediderunt. (12. *Post hæc autem, c. seq. n. 1.*)

4. *Resurrectio mulieribus indicata.*

C. 5. Cùm timerent autem (*mulieres*) et declinarent vultum in terram, dixerunt (*angeli*) ad illas (11):

A. *Respondens autem angelus, dixit mulieribus:*

B. 6. *Qui dicit illis:*

A. Nolite timere, vos;

A. *Scio enim quòd Jesum qui crucifixus est, quæritis.*

B. Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum.

C. Quid quæritis viventem cum mortuis?

C. 6. *Non est hic, sed surrexit.*

A. 6. Non est hic; surrexit enim, sicut dixit.

B. *Surrexit, non est hic,*

C. Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæâ esset, 7. Dicens: Quia oportet Filium hominis tradi (A, B, C, 66, *n.* 3, *et* 69, *n.* 1, et 104, *n.* 1) in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertiâ resurgere.

Ecce locus ubi posuerunt eum. 7. Sed ite,

A. Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus. 7. Et citò euntes

A. *Dicite discipulis ejus,*

B. Dicite discipulis ejus, et Petro,

B. *Quia præcedit vos in Galilæam:*

A. Quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam;

A. *Ibi eum videbitis.*

B. Ibi eum videbitis, sicut dixit vobis ¶.

A. Ecce prædixi vobis ¶.

C. 8. Et recordatæ sunt verborum ejus.

B. 8. *At illæ exeuntes fugerunt de monumento:*

A. 8. Et exierunt citò de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus (12).

B. Invaserat enim eas tremor et pavor: et nemini (13) quidquam dixerunt; timebant enim. (9. *Surgens autem, sup., n. 3.*)

5. *Secunda apparitio Christi mulieribus.*

A. 9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete; illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. 10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam; ibi me videbunt.

C. 9. Et regressæ à monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus. 10. Erat autem Maria Magdelene (14), et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. 11. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum, verba ista; et non crediderunt illis. (12. *Petrus autem, sup. n. 2.*)

6. *Consilium Judæorum de occultandâ resurrectione.*

A. 11. Quæ cùm abiissent (15), ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. 12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, 13. Dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus. 14. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. 15. At illi acceptâ pecuniâ fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. (16. *Undecim autem, c. 149, n. 1.*)

(1) Gr. ὀψὲ δὲ σαββάτων τῇ (supple ἡμέρᾳ) ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. Non dubium quin in fine istius commatis vox σαββάτων non diem ipsum *sabbati*, sed totam hebdomadem significet. Nihil igitur simplicius quàm ut ὀψὲ σαββάτων significet, *post exactam hebdomadem*, cum ὀψὲ apud Græcos usurpetur non modò pro eo quod serò fit, sed etiam pro eo quod temporis ordine est posterius; ut ὀψὲ τῶν Τρωικῶν, *post res Trojanas*; ita ut sensus sit: *Post hebdomadem* (supple in quâ Christus passus erat), *illucescente die, quæ est prima hebdomadis*, etc.

(2) Id est, *emerant*, vel *empta habebant*, ut patet ex C, superiori cap.

(3) Gr., ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, vel, secundùm alia exemplaria, ἀνατέλλοντος, *oriente sole*, mulieres profectæ sunt; *cùm adhùc tenebræ essent*, ut habet D, *valdè diluculo*, ut C, *valdè manè*, ut ipse B; sed interim dùm parant aromata, dùm progrediuntur, facilè aliquid jam solis apparere potuit, cùm ad sepulcrum pervenerunt.

(4) Gr. ἀπὸ τῆς θύρας, revolvit lapidem *ab ostio*, et sedebat super eum. Unde falluntur qui hunc angelum sedisse aiunt non super lapidem qui specum claudebat, sed super alium qui Christi loculo impositus fuerat. Sed non videtur is angelus conspicuus ibi mansisse usque ad adventum mulierum, cùm Magdalena, secundùm D, nullum ibi angelum viderit, sed tantùm lapidem revolutum antequàm curreret ad Apostolos; reliquæ verò mulieres, secundùm C, non invento corpore Jesu, aliquanto tempore mente consternatæ circa sepulcrum manserunt, antequàm duo angeli illis apparuissent; quod factum non putamus nisi post reditum Magdalenæ, et recessum Petri et Joannis.

(5) Sequimur Augustinum qui Magdalenam ad Apostolos ivisse putat, antequàm angeli vel ipsi, vel aliis mulieribus apparuissent; licèt C contrarium significare videatur, et Cleophas apud eumdem C. Sed D, qui posteriùs scripsit, videtur pressiùs secutus fuisse temporis ordinem.

(6) Non Christum resurrexisse, sed corpus ejus sublatum fuisse, ut Magdalena nuntiaverat. Patet autem ex eo quòd pro ratione subjungit D: *Nondùm enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.*

(7) Eosdem de quibus C, et quorum unum tantùm nominant A et B, quia et mulieribus propior, et pro duobus verba fecit. Nec refert quòd D sedisse, C verò *stetisse* eos dicat; nam vox ἐφίστασθαι propriè supervenire significat, et de cœlestibus visis à C usurpari solet, ut sui Evang. 2, 9, Conc. 8, n. 2, et Act. 12, 7, et 23, 11.

(8) Paululùm recedens à monumento, et hinc inde prospiciens, num alicubi reperiret corpus Jesu, quod sublatum credebat.

(9) Gr. ἀναστάς, id est, *qui surrexerat*, non enim statim ac surrexit, illi apparuit. His verbis breviter indicat B quod latiùs D narrat.

(10) Locus difficilis, quem sic Chrysostomus explicat: *Noli me tangere*, solitâ illâ tuâ corporalis amplexûs familiaritate; jam enim excellentioris sum conditionis quàm olim; *nondùm enim* quidem *ascendi ad Patrem meum*, sed brevi sum ascensurus; quod te fratribus meis renuntiare volo. Alii verò sic exponunt: Parce me amplexari, tum enim locus erit perfectè frui amicitiâ meâ, non terreno contractu, sed spirituali et cœlesti, cùm ad Patrem ascendero: non enim simpliciter id prohibitum à Christo, sed alicujus mysterii gratiâ. Hinc intelligitur quòd paulò post Christus non prohibuerit alias mulieres pedes ipsius amplecti.

(11) Diximus post prima angelorum ad Magdalenam verba, paululùm illam recessisse à monumento, et Christum se illi conspiciendum dedisse. Interim ergo contigit quod A, B, C, dictum aiunt mulieribus ab angelis; quod tamen in hâc Concordiâ referri non potuit, nisi post absolutam narrationem D de Magdelenâ.

(12) Gr. habet, ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ ἰδοὺ, etc., id est: *Ut autem profectæ sunt nuntiare discipulis ejus, et ecce*, etc., ubi quod καὶ abundat, Hebraismus est, ut et apud eumdem A, c. 9, v. 10.

(13) Nemini obvio, dixerunt enim Apostolis.

(14) C simul comprehendit quidquid à mulieribus Apostolis nuntiatum fuit, etsi non semel; non enim Magdalena nuntiavit quæ aliis mulieribus dicta sunt ab angelis de resurrectione Christi; sed primò quidem corpus Christi fuisse sublatum, deinde verò se Dominum vidisse. De priori autem nuntio potissimùm intelligendus C, quia statim subjungit Petrum ad monumentum cucurrisse, quod factum diximus antequàm Magdalena et aliæ mulieres vel angelos vel Christum vidissent, quem etiam à mulieribus visum fuisse tacuit C.

(15) Sive quòd interim quidam saltem de illis militibus circa sepulcrum hæserint latitantes, et à longè spectantes; sive quòd statim diffugerint, sed aliquandiù, dùm hæc geruntur, incerti remanserint quid consilii caperent.

TERTIA ET QUARTA APPARITIO.

Præcessit apparitio facta Petro, apparitionem in Em-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

manûs; sed ita insertæ sunt narrationi C, *ut non potuerint suo ordine collocari, ut videre est ex contextu.*

CAPUT CXLVI.

1. *Quarta apparitio in Emmaüs.*

CXXIV. 15. *Et ecce* (fer. 2 Resur.) † *duo ex illis ibant.*

B. XVI. 12. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus.

C. Ipsâ die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta (1) ab Jerusalem, nomine Emmaüs.

B. Ostensus est in aliâ effigie (2).

B. *Euntibus in villam.* C. 14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. 15. Et factum est, dùm fabularentur, et secum quærerent; et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. 16. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? 18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas (3), dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illâ his diebus? 19. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo. 20. Et quomodò eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. 21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel; et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodiè quòd hæc facta sunt. 22. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, 23. Et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. 24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum; et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt. 25. Et ipse dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ! 26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? 27. Et incipiens à Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. 28. Et appropinquaverunt castello quò ibant et ipse se finxit (4) longiùs ire. 29. Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. 30. Et factum est, dùm recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum; et ipse evanuit ex oculis eorum. 32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dùm loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas?

2. *Tertia apparitio Petro.*

33. Et surgentes eâdem horâ regressi sunt in Jerusalem; et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant. 34. Dicentes : Quòd surrexit Dominus verè, et apparuit Simoni (1 *Cor.* 15, 5) ¶. 35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in viâ; et quomodo B. 13. *Et illi* modò cognoverunt eum in fra- *cuntes nuntiare-* ctione panis. *runt cæteris;*

B. Nec illis crediderunt (5).

(1) Hoc est, *septem milliarium cum dimidio;* quod est iter horarum circiter duarum cum mediâ.

(2) Id est, *quæ ipsis alia videbatur*, ut ex C patet; atque etiam habitu externo esse dissimulans.

(3) Vel maritus, vel, ut alii volunt, pater ejus Mariæ qui dicitur *Cleophæ.*

(4) Id est, *composuit se, et præ se tulit, tanquàm longius iturus;* quod et facere constituerat nisi instanter manere rogaretur; sic et centurioni verè dixit in A, 8, 7, et Conc. 45 : *Ego veniam, et curabo eum*, nempe si centurio vellet.

(5) Nimirùm aliqui ex eis, ut notat August., *l.* 3 *de Cons. evang.*, c. 25, cùm C satis significet plerosque credidisse.

Quinta et sexta apparitio.

CAPUT CXLVII.

1. *Quinta apparitio undecim.*

C. XXIV. 36. Dùm autem hæc loquuntur,

D. XX. 19. (*Dom. in Albis.*) † cùm [ergo] serò esset die illo, unâ sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum,

B. XVI. 14. Novissimè (1) (*in die Asc.*) † recumbentibus illis undecim (2)*.*

C. (fer. 5 Resur.) D. Venit Jesus, et stetit in me- † *Stetit Jesus in* dio *eorum*, et dixit eis (1 *Cor.* *medio eorum, et* 15, 5) : *dixit eis :*

B. *Apparuit :*

D. *Pax vobis.* C. Pax vobis; ego sum, nolite timere.

B. Et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. (15. *Et dixit eis*, c. 149, *n.* 2.)

C. 37. Conturbati verò et conterriti, existimabant se spiritum videre. 38. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? 39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, D. 20. *Et cùm* sicut me videtis habere. 40. Et *hoc dixisset, os-* cùm hoc dixisset, ostendit eis ma- *tendit eis manus*, nus et pedes.

D. Et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, vise Domino.

C. 41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur? 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. 43. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. (44. *Et dixit ad eos* (3), c. 149, *n.* 3.)

D. 21. Dixit ergo eis iterùm : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. 22. Hæc cùm dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : 23. Quorum remiseritis peccata (A, 66, *n.* 2, *et* 71, *n.* 2), remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.

2. *Sexta eisdem cum Thomâ.*

24. (*In fest. S. Thomæ Apost.*) † Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. 25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus figuram clavorum,

et mittam manum meam in latus ejus, non credam. 26. Et post dies octo, iterùm erant discipuli ejus intùs, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus et Deus meus. 29. Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt ¶. 30. Multa quidem et alia signa fecit Jesus (*inf.* 150, *n.* 25) in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. 31. Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus ¶.

(1) Gr. ὕστερον, *tandem*, seu *postea*; non enim hic absolutè ultima apparitio, sed ultima earum quæ in die resurrectionis contigerunt; et eadem cum eâ quam narrant hic C et D.

(2) Quo tum numero apostolica societas nominabatur, quamvis abesset Thomas. Imò 1 *Cor.* 15, 5, dicitur Christus apparuisse τοῖς δώδεκα, *duodecim*, etsi Judâ jam mortuo, necdum electo Matthiâ.

(3) Non tunc præcisè, sed toto illo tempore quo cum eis conversatus est per quadraginta dies.

Septima apparitio ad mare.

CAPUT CXLVIII.

1. *Secunda piscatio miraculosa.* (Vide 1, c. 26, n. 2.)

D. XXI. 1. Postea (*fer.* 4 *Resurr.*) † manifestavit se iterùm Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic : 2. Erant simul Simon Petrus et Thomas qui dicitur Dydimus, et Nathanael, qui erat à Canâ Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim; et illâ nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto, stetit Jesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. 5. Dixit ergo eis Jesus : Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non. 6. Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo; et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est tunicâ (1) succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. 8. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longè erant à terrâ, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. 10. Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes quia Dominus est. 13. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis; et piscem similiter. 14. Hoc jam tertiò (2) manifestatus est Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis ¶.

2. *Commendatio ovium Petro.*

15. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis (3), diligis me plus his? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te; dicit ei : Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterùm : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertiò : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò : Amas me? et dixit ei : Domine, tu omnia nôsti; tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.

3. *Prædictio martyrii Petri.*

18. Amen, amen dico tibi : cùm esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cùm autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quò tu non vis. 19. Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deum. Et cùm hoc dixisset, dicit ei : (*In festo S. Joan. Apost. et Evang.*) † Sequere me. 20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœnâ super pectus ejus, (*sup.* 131, *n.* 2), et dixit : Domine, quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem quid? 22. Dicit ei Jesus : Sic (4) eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, non moritur; sed, sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus ¶. (25. *Sunt autem*, c. 150, *in fine.*)

(1) Gr., τὸν ἐπενδύτην, quæ vox propriè *superiorem tunicam* significat; unde dicitur *nudus* fuisse, quia superiori veste exutus erat. Quo pacto intelligendum quod dicitur 2 Reg. 6, 20, saltasse Davidem nudum ante arcam. Vide et 1 Reg. 19, 24, et Isa. 20, 3, et Act. 19, 16.

(2) Hoc referendum ad diem numerum, ut notat August. Primò enim diversis apparuit ipsâ die resurrectionis; secundò post dies octo; et tunc tertiò.

(3) Gr. Ἰωᾶ, supple *filii*; quod idem est ac *Barjona*, ut Petrus vocatur in A, 16, 17, et Conc. 66, num. 2.

(4) Gr., ἐὰν, *si*, sicut at versu seq. Quod et in multis reperitur Latinorum codicibus; sicque legendum esse Janscenius Gandav. et Estius affirmant. Quod autem sequitur, *donec veniam*, id est, *donec eum accersiero*; nihil enim frequentius etiam in sermone vulgari quàm tempus mortis accersitionem vocare. Quibus verbis Christus obscurè significat, Joannem non periturum morte violentâ, ut Petrum, sed tali quâ sine hominum vi solveretur, ubi Christus tempus idoneum judicasset. Alii, *donec veniam*, de adventu Christi ad judicium adversus Judæos exercendum interpretantur; quia Jerosolymorum eversioni supervixit Joannes.

Octava, nona et decima apparitio.

Apparitio quam A *describit factam in monte Galilææ, necessario distinguenda est ab illâ de quâ loquitur* C, 1 *Act.*, *quæque immediatè præcessit Ascensionem; cùm hæc ultima non in Galilæâ, sed Jerosolymis facta sit. Ad hanc verò ultimam retulimus, quæ* A, B, C, *narrant à Christo dicta; etsi verisimilius sit summam esse sermonum, quos per quadraginta dies in variis appa-*

ritionibus Jesu cum discipulis suis habuit. Quò verò plenior esset apparitionum Christi et Ascensionis historia, visum est quædam hìc addere ex cap. 1 Act. Apost., et ex 1 Cor. 15 Littera E Acta Apost., F 1 Cor. denotat.

CAPUT CXLIX.

1. Octava apparitio in Galilæâ.

A. XXVIII. 16. (*Fer. 6 Resur.*) ✝ Undecim autem discipuli (1) abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.

F. XV. 6. Et visus est plusquàm quingentis fratribus simul.

A. 17. Et videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt (2).

2. Nona Jacobo ; decima in Jerusalem.

F. 7. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus.

B. XVI. 15. *Et dixit eis : Euntes* A. 18. Et accedens Jesus locutus est eis dicens : (*In Fest. SS. Trin.*) ✝ Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ (D. 136, *n.* 1, *v.* 18). 19. Euntes ergo

B. In mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ :

A. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti ; 20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.

B. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui verò non crediderit condemnabitur. 17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient (*Act.* 16, 18) ; linguis loquentur novis (*ib.* 2, 4, *et* 10, 46) : 18. Serpentes tollent ; et si mortiferum quid biberent, non eis nocebit (*ib.* 28, 5) ; super ægros manus imponent, et bene habebunt (*ib.* 28, 8).

A. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi ¶.

3. Tertia promissio Spiritûs sancti (V. 1, *c.* 155, *n.* 3 et 2, *c.* 155, *n.* 2).

E. I. 4. Et convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum ; 5. Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

C. XXIV. 44. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum ; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas : 46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est (*Psal.* 18, 6), et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die ¶ ; 47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. 48. Vos autem testes estis horum (*Act.* 1, 8). 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos ; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 50. Eduxit autem eos foràs in Bethaniam.

E. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ? 7. Dixit autem eis : Non est vestrûm nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate : 8. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.

(1) Præteritis aliis apparitionibus quæ discipulis factæ sunt, hanc solam memorat A, quæ facta est in monte Galilææ, utpote omnium celeberrimam, et quæ toties prædicta fuerat. Quare confluentibus illùc multis, qui in Christum crediderant, tum contigisse credibile est quod ait Paulus, *Christum visum fuisse plusquàm quingentis fratribus simul.*

(2) Pro *dubitaverunt*, nempe ante id tempus.

ASCENSIO.

CAPUT CL.

E. 9. *Et cùm hæc dixisset,* B. XVI. 19. Et Dominus quidem Jesus postquàm locutus est eis,

B. *Assumptus est* E. Videntibus illis elevatus est B. In cœlum :

C. XXIV. 50. Et elevatis manibus suis benedixit eis ; 51. Et factum est, dùm benediceret illis, recessit ab eis ;

C. *Et ferebatur in cœlum.* E. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

B. Et sedet à dextris Dei.

E. 10. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, 11. Et Qui dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

E. 12. *Tunc reversi sunt Jerosolymam,* C. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno,

E. A monte qui vocatur Oliveti, qui ex juxta Jerusalem, sabbati habens iter.

C. 53. Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

B. 20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis ¶.

D. XXI. 25. Sunt autem et alia multa (*sup.* 147, *n.* 2, *v.* 30), quæ fecit Jesus ; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

MONITUM.

Quemadmodùm, in nostro *Scripturæ sacræ* volumine secundo, omnia veteris Testamenti loca recensuimus quæ in novo Dominus noster Jesus Christus et Apostoli usurpare opportunum habuerunt, ità eò loci omnia ejusdem Christi effata ad amussim exscribere juvat, prout ab Evangelistis et Apostolis referuntur.

Ad hunc modum uno contextu legentur, ac sine ullâ interruptione, admixtione aut prætermissione, omnia prorsùs verba quæ pro maximâ Dei laude, amplissimâ hominum instructione, necnon pro summo totius orbis usque ad seculorum consummationem spirituali bono, increata Sapientia ore divino proferre utile duxit, quæque Spiritûs sancti instinctu in sacris Litteris exarari atque servari digna visa sunt. Hinc ergo nutriendæ fidei præclara occasio nascetur, ac pietatis gratissimique animi sensus maximè movebuntur, cùm unico intuitu compertum omnibus erit, quibus nos informare documentis Dominus noster dignatus sit, quas etiam res firmiùs explanare, quas summatim tantùm attingere vel omninò prætermittere satiùs judicaverit ; quæ lacrymarum ipsius aut lætitiæ causæ, quæ laudum aut objurgationum præcipua materies ; quid etiam nobis præsertim agendum aut omittendum, quid sectandum aut fugiendum, quid tandem inter conversandum mentibus nostris semper et ubique præstò inprimis esse debeat.

VERBA A CHRISTO PROLATA.

EX S. MATTHÆO.

CAPUT III.

15. Sine modò : sic enim decet nos implere omnem justitiam.

CAPUT IV.

4. Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

7. Rursùm scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.

10. Vade, Satana : Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

17. Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.

19. Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

CAPUT V.

3. Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

4. Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.

5. Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.

6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.

9. Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

11. Beati estis cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me :

12. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur ? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.

15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere.

18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ritionibus Jesu cum discipulis suis habuit. Quò verò plenior esset apparitionum Christi et Ascensionis historia, visum est quædam hìc addere ex cap. 1 Act. Apost., et ex 1 Cor. 15 Littera E Acta Apost., F 1 Cor. denotat.

CAPUT CXLIX.

1. Octava apparitio in Galilæâ.

A. XXVIII. 16. (*Fer. 6 Resur.*) ✝ Undecim autem discipuli (1) abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.

F. XV. 6. Et visus est plusquàm quingentis fratribus simul.

A. 17. Et videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt (2).

2. Nona Jacobo ; decima in Jerusalem.

F. 7. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus.

B. XVI. 15. *Et dixit eis : Euntes* A. 18. Et accedens Jesus locutus est eis dicens : (*In Fest. SS. Trin.*) ✝ Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ (D. 136, *n.* 1, *v.* 18). 19. Euntes ergo

B. In mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ :

A. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti ; 20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.

B. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui verò non crediderit condemnabitur. 17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient (*Act.* 16, 18) ; linguis loquentur novis (*ib.* 2, 4, *et* 10, 46) : 18. Serpentes tollent ; et si mortiferum quid biberent, non eis nocebit (*ib.* 28, 5) ; super ægros manus imponent, et bene habebunt (*ib.* 28, 8).

A. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi ¶.

3. Tertia promissio Spiritûs sancti (V. 1, *c.* 155, *n.* 3 et 2, *c.* 155, *n.* 2).

E. I. 4. Et convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum ; 5. Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

C. XXIV. 44. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum ; quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et Psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas : 46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est (*Psal.* 18, 6), et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die ¶ ; 47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. 48. Vos autem testes estis horum (*Act.* 1, 8). 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos ; vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 50. Eduxit autem eos foràs in Bethaniam.

E. 6. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel ? 7. Dixit autem eis : Non est vestrûm nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate : 8. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.

(1) Præteritis aliis apparitionibus quæ discipulis factæ sunt, hanc solam memorat A, quæ facta est in monte Galilææ, utpote omnium celeberrimam, et quæ toties prædicta fuerat. Quare confluentibus illùc multis, qui in Christum crediderant, tum contigisse credibile est quod ait Paulus, *Christum visum fuisse plusquàm quingentis fratribus simul.*

(2) Pro *dubitaverunt*, nempe ante id tempus.

ASCENSIO.

CAPUT CL.

E. 9. *Et cùm hæc dixisset,* B. XVI. 19. Et Dominus quidem Jesus postquàm locutus est eis,

B. *Assumptus est* E. Videntibus illis elevatus est B. In cœlum :

C. XXIV. 50. Et elevatis manibus suis benedixit eis ; 51. Et factum est, dùm benediceret illis, recessit ab eis ;

C. *Et ferebatur in cœlum.* E. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

B. Et sedet à dextris Dei.

E. 10. Cùmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, 11. Et Qui dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum ? hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

E. 12. *Tunc reversi sunt Jerosolymam,* C. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno,

E. A monte qui vocatur Oliveti, qui ex juxta Jerusalem, sabbati habens iter.

C. 53. Et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

B. 20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis ¶.

D. XXI. 25. Sunt autem et alia multa (*sup.* 147, *n.* 2, *v.* 30), quæ fecit Jesus ; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

MONITUM.

Quemadmodùm, in nostro *Scripturæ sacræ* volumine secundo, omnia veteris Testamenti loca recensuimus quæ in novo Dominus noster Jesus Christus et Apostoli usurpare opportunum habuerunt, ità eò loci omnia ejusdem Christi effata ad amussim exscribere juvat, prout ab Evangelistis et Apostolis referuntur.

Ad hunc modum uno contextu legentur, ac sine ullâ interruptione, admixtione aut prætermissione, omnia prorsùs verba quæ pro maximâ Dei laude, amplissimâ hominum instructione, necnon pro summo totius orbis usque ad seculorum consummationem spirituali bono, increata Sapientia ore divino proferre utile duxit, quæque Spiritûs sancti instinctu in sacris Litteris exarari atque servari digna visa sunt. Hinc ergo nutriendæ fidei præclara occasio nascetur, ac pietatis gratissimique animi sensus maximè movebuntur, cùm unico intuitu compertum omnibus erit, quibus nos informare documentis Dominus noster dignatus sit, quas etiam res firmiùs explanare, quas summatim tantùm attingere vel omninò prætermittere satiùs judicaverit ; quæ lacrymarum ipsius aut lætitiæ causæ, quæ laudum aut objurgationum præcipua materies ; quid etiam nobis præsertim agendum aut omittendum, quid sectandum aut fugiendum, quid tandem inter conversandum mentibus nostris semper et ubique præstò inprimis esse debeat.

VERBA A CHRISTO PROLATA.

EX S. MATTHÆO.

CAPUT III.

15. Sine modò : sic enim decet nos implere omnem justitiam.

CAPUT IV.

4. Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

7. Rursùm scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.

10. Vade, Satana : Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

17. Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.

19. Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

CAPUT V.

3. Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

4. Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.

5. Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.

6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt.

9. Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

11. Beati estis cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me :

12. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanuerit, in quo salietur ? ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.

15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere.

18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te:

24. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.

25. Esto consentiens adversario tuo citò dùm es in viâ cum eo: ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro: et in carcerem mittaris.

26. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem.

27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis.

28. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

29. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

30. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum morum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

31. Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii.

32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari: et qui dimissam duxerit, adulterat.

33. Iterùm audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua.

34. Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei est:

35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis.

36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

37. Sit autem sermo vester: Est, est; non, non; quod autem his abundantius est, à malo est.

38. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente.

39. Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.

40. Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.

41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.

42. Qui petit à te, da ei: et volenti mutuari à te, ne avertaris.

43. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.

44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; orate pro persequentibus et calumniantibus vos:

45. Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et Publicani hoc faciunt?

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne et Ethnici hoc faciunt?

48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

CAPUT VI.

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.

2. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:

4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis receperunt mercedem suam.

6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum, in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

7. Orantes autem nolite multùm loqui, sicut Ethnici; putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ.

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.

15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava:

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ: ubi ærugo et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?

24. Nemo potest duobus dominis servire; aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.

25. Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca; et corpus plus quàm vestimentum?

26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

27. Quis autem vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni glorià suâ coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fœnum agri quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos, modicæ fidei?

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.

34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia sua.

CAPUT VII.

1. Nolite judicare, ut non judicemini.

2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in quâ mensurâ mensi fueritis remetietur vobis.

3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodò dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo; et ecce trabs est in oculo tuo?

5. Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

7. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.

8. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.

9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se!

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex, et prophetæ.

13. Intrate per angustam portam; quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.

14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt, qui inveniunt eam!

15. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

22. Multi dicent mihi in illâ die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?

23. Et tunc confitebor illis: Quia nunquàm novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem.

24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram,

25. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram.

26. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam,

27. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.

CAPUT VIII.

1. Volo; mundare.

4. Vide, nemini dixeris; sed vade, ostende te sa-

cerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

7. Ego veniam, et curabo eum.

10. Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

11. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum :

12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus, et stridor dentium :

13. Vade, et sicut credidisti, fiat tibi.

20. Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

22. Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

26. Quid timidi estis, modicæ fidei?

32. Ite.

CAPUT IX.

2. Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

4. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : Surge, et ambula?

6. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

9. Sequere me.

12. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

13. Euntes autem discite quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.

15. Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiù cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus; et tunc jejunabunt.

16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, et pejor scissura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.

22. Confide, filia, fides tua te salvam fecit.

24. Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit.

28. Creditis quia hoc possum facere vobis?

29. Secundùm fidem vestram fiat vobis.

30. Videte ne quis sciat.

37. Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

CAPUT X.

5. In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

6. Sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domûs Israel.

7. Euntes autem prædicate dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum.

8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.

9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris :

10. Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam; dignus enim est operarius cibo suo.

11. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus sit; et ibi manete donec exeatis.

12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui.

13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foràs de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

15. Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos.

18. Et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.

19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.

20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

23. Cùm autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam: Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis.

24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

25. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus; et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus!

26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

28. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potiùs timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

29. Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro;

30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

31. Nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est

34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium.

35. Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, et filiam adversùs matrem suam, et nurum adversùs socrum suam.

36. Et inimici hominis, domestici ejus.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

38. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.

39. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit.

41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

CAPUT XI.

4. Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis.

5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.

6. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

7. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum! Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quàm prophetam.

10. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11. Amen dico vobis : Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ; qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.

12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

13. Omnes enim prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt :

14. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

16. Cui autem similem existimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui, clamantes coæquantibus,

17. Dicunt : Cecinimus vobis, et non saltâstis; lamentavimus, et non planxistis.

18. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet.

19. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.

21. Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida : quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.

22. Verùmtamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quàm vobis.

23. Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes; quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.

24. Verùmtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii quàm tibi.

25. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

26. Ita, Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.

27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

28. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.

29. Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.

30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

CAPUT XII.

3. Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant :

4. Quomodò intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?

6. Dico autem vobis, quia templo major est hic.

7. Si autem sciretis, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquàm condemnâssetis innocentes.

8. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.

11. Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam?

12. Quantò magis melior est homo ove! Itaque licet sabbatis benefacere.

13. Extende manum tuam.

25. Omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.

26. Et si Satanas Satanam ejicit, adversùs se divisus est; quomodò ergo stabit regnum ejus?

27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.

28. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

29. Aut quomodò potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet.

30. Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit.

31. Ideò dico vobis: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritûs autem blasphemia non remittetur.

32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum, si quidem ex fructu arbor agnoscitur.

34. Progenies viperarum, quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali? Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

35. Bonus homo de bono thesauro profert bona; et malus homo de malo thesauro profert mala.

36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

39. Generatio mala et adultera signum quærit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus.

41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ, et condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas hic.

42. Regina Austri surget in judicio cum generatione istâ, et condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quàm Salomon hic.

45. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.

44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam.

45. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi; et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ.

48. Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?

49. Ecce mater mea, et fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

CAPUT XIII.

3. Ecce exiit qui seminat, seminare.

4. Et dùm seminat, quædam ceciderunt secùs viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam; et continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6. Sole autem orto æstuaverunt; et quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in spinas; et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam; et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

11. Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum.

12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.

13. Ideò in parabolis loquor eis; quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non videbitis.

15. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt; ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.

16. Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt.

17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.

18. Vos ergo audite parabolam seminantis.

19. Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus; hic est qui secùs viam seminatus est.

20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuò cum gaudio accipit illud:

21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis, factâ autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.

22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum, suffocat verbum, et sine fructu efficitur.

23. Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.

24. Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.

26. Cùm autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.

27. Accedentes autem servi patrisfamiliâs dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminâsti in agro

tuo? Unde ergo habet zizania?

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis, imus, et colligimus ea?

29. Et ait: Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.

30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

31. Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo seminavit in agro suo:

32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus; cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.

33. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

37. Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38. Ager autem, est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus: Messis verò, consummatio sæculi est; messores autem, angeli sunt.

40. Sicut ergò colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.

41. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem;

42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium.

43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

44. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro; quem qui invenit homo, abscondit et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

45. Iterùm simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

47. Iterùm simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.

48. Quam, cùm impleta esset, educentes et secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum.

50. Et mittent eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium.

51. Intellexistis hæc omnia?

52. Ideò omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

57. Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, et in domo suâ.

CAPUT XIV.

16. Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

18. Afferte mihi illos hùc.

27. Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.

29. Veni.

31. Modicæ fidei, quare dubitâsti?

CAPUT XV.

3. Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit:

4. Honora patrem et matrem; et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit:

6. Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam; et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

7. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens:

8. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me.

9. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.

10. Audite et intelligite.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

13. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

14. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

16. Adhuc et vos sine intellectu estis?

17. Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?

18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt et ea coinquinant hominem.

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

24. Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.

26. Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

28. O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.

32. Misereor turbæ, quia triduò jam perseverant mecum, et non habent quod manducent; et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in viâ.

34. Quot habetis panes?

CAPUT XVI.

2. Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum.

3. Et manè: Hodiè tempestas; rutilat enim triste cœlum.

4. Faciem ergo cœli dijudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

6. Intuemini, et cavete à fermento Pharisæorum et Sadducæorum.

8. Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis?

9. Nondùm intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis?

10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis?

11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete à fermento Pharisæorum et Sadducæorum?

15. Quem dicunt homines esse Filium hominis?

14. Vos autem quem me esse dicitis?

17. Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

19. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

23. Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?

27. Filius enim hominis venturus est in glorià Patris sui cum angelis suis; et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

28. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

CAPUT XVII.

7. Surgite, et nolite timere.

9. Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

11. Elias quidem venturus est, et restituet omnia.

12. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis.

16. O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usquequò patiar vos? Afferte hùc illum ad me.

19. Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illùc; et transibit, et nihil impossibile erit vobis.

20. Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium.

21. Filius hominis tradendus est in manus hominum :

22. Et occident eum, et tertiâ die resurget.

24. Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?

25. Ergo liberi sunt filii.

26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum; et eum piscem qui primus ascenderit, tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens, da eis pro me, et te.

CAPUT XVIII.

3. Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.

7. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala : verùmtamen væ homini illi per quem scandalum venit.

8. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te; bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

11. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.

12. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit?

13. Et si contigerit ut inveniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt.

14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

17. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.

19. Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.

20. Ubi enim sunt duo vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

22. Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

23. Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit; sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè : et venerunt et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogàsti me.

33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

CAPUT XIX.

4. Non legistis : quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit :

5. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ.

6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

8. Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.

9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur.

10. Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11. Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est.

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

14. Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.

17. Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18. Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices;

19. Honora patrem tuum, et matrem tuam; et : Diliges proximum tuum sicut teipsum.

21. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.

23. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum.

24. Et iterùm dico vobis : Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.

25. Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.

28. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

29. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.

30. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

CAPUT XX.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamiliàs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.

4. Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quòd justum fuerit dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa sextam et nonam horam; et fecit similiter.

6. Circa undecimam verò exiit et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis totâ die otiosi?

7. Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam.

8. Cùm serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.

9. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi; acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversùs patremfamiliàs.

12. Dicentes : Hi novissimi unâ horâ fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et æstûs.

13. At ille respondens uni eorum dixit : Amice, non facio tibi injuriam; nonne ex denario convenisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, et vade; volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi; multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

18. Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte.

19. Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertiâ die resurget.

21. Quid vis?

22. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

23. Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dextram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

25. Scitis quia principes gentium dominantur eorum; et qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister:

27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis.

32. Quid vultis ut faciam vobis?

CAPUT XXI.

2. Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum eâ; solvite et adducite mihi:

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet; et confestim *dimittet* eos.

13. Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum.

16. Utique. Nunquàm legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?

19. Nunquàm ex te fructus nascatur in sempiternum.

21. Amen dico vobis, si habueritis fidem et non hæsitaveritis, non solùm de ficulneâ facietis; sed et si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare, fiet.

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

24. Interrogabo vos et ego unum sermonem; quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in quâ potestate hæc facio.

25. Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus?

27. Nec ego dico vobis in quâ potestate hæc facio.

28. Quid autem vobis videtur: Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodiè, operare in vineâ meâ.

29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentiâ motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo, Domine, et non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes in viâ justitiæ, et non credidistis ei; publicani autem et meretrices crediderunt ei; vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut credaretis ei.

33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamiliàs qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in eâ torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectus est.

34. Cùm autem tempus fructuum appropinquâsset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.

36. Iterùm misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

37. Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.

40. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

42. Nunquàm legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

43. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.

CAPUT XXII.

2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

4. Iterùm misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt; et abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam;

6. Reliqui verò tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cùm audisset, iratus est: et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt malos et bonos; et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,

12. Et ait illi: Amice, quomodò huc intrâsti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, et stridor dentium.

14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

18. Quid me tentatis, hypocritæ?

19. Ostendite mihi numisma censûs.

20. Cujus est imago hæc, et superscriptio?

21. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo.

29. Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

30. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.

31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis:

32. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ.

38. Hoc est maximum et primum mandatum.

39. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

40. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.

42. Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?

43. Quomodò ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

44. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodò filius ejus est?

CAPUT XXIII.

2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.

3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, et non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere:

5. Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis,

7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

9. Et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.

10. Nec vocemini magistri; quia Magister vester unus est, Christus.

11. Qui major est vestrûm, erit minister vester.

12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur.

13. Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ; quia claudis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

14. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.

15. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum; et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

16. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti et cæci; quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est; quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet.

19. Cæci; quid enim majus est, donum an altare, quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super illud sunt.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso.

22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum.

23. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis; intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ.

26. Pharisæe cæce, munda prius quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.

27. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ.

28. Sic et vos à foris quidem paretis hominibus justi; intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

29. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.

30. Et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

33. Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ?

34. Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis,

et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem;

35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!

38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

CAPUT XXIV.

2. Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

4. Videte ne quis vos seducat.

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus; et multos seducent.

6. Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum. Videte ne turbemini; oportet enim hæc fieri, sed nondùm est finis.

7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ, et fames, et terræ motus per loca.

8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

9. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

10. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

11. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.

12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.

15. Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto; qui legit, intelligat:

16. Tunc qui in Judæâ sunt; fugiant ad montes:

17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suâ:

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modò, neque fiet.

22. Et nisi brevisti fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.

24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ; et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.

28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur;

30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ; et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ et majestate.

31. Et mittet angelos suos cum tubâ et voce magnâ; et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas:

33. Ita et vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in januis.

34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

35. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

36. De die autem illâ et horâ nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.

37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam,

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis.

40. Tunc duo erunt in agro; unus assumetur, et unus relinquetur.

41. Duæ molentes in molâ; una assumetur, et una relinquetur.

42. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit.

43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

44. Ideò et vos estote parati; quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est.

45. Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

46. Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.

47. Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo? Moram facit dominus meus venire:

49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, et bibat cum ebriosis:

50. Veniet dominus servi illius, in die quâ non sperat, et horâ quâ ignorat:

51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, et stridor dentium.

CAPUT XXV.

1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.

2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes:

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.

4. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.

6. Mediâ autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviàm ei.

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.

8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur.

9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis et vobis, ite potiùs ad vendentes, et emite vobis.

10. Dùm autem irent emere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.

11. Novissimè verò veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.

13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

14. Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, et profectus est statim.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

17. Similiter, et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.

19. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

21. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

23. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminàsti, et congregas ubi non sparsisti:

25. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terrâ; ecce habes quod tuum est.

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi:

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usurâ.

28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta;

29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus, et stridor dentium.

31. Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis:

33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

34. Tunc dicet rex his qui à dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me:

36. Nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitâstis me; in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitientem, et dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?

40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet et his qui à sinistris erunt: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.

42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, sitivi, et non dedistis mihi potum:

43. Hospes eram, et non collegistis me: nudus, et

non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei, et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

CAPUT XXVI.

2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

10. Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

11. Nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis.

12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, et quod hæc fecit, in memoriam ejus.

18. Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

21. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditorus est.

23. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Tu dixisti.

26. Accipite, et comedite: hoc est corpus meum.

27. Bibite ex hoc omnes.

28. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29. Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

31. Omnes vos scandalum patiemini in me, in istâ nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

32. Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

34. Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis.

36. Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

38. Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum.

39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verùmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

40. Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?

41. Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

45. Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

50. Amice, ad quid venisti?

52. Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum?

54. Quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

55. Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidiè apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.

56. Hoc autem totum factum est ut adimplerentur Scripturæ prophetarum.

64. Tu dixisti; verùmtamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cœli.

CAPUT XXVII.

11. Tu dicis.

46. Eli, Eli, lamma sabacthani?

CAPUT XXVIII.

9. Avete.

10. Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

18. Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.

19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;

20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

EX S. MARCO.

CAPUT PRIMUM.

15. Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, et credite Evangelio.

17. Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

25. Obmutesce, et exi de homine.

38. Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem: ad hoc enim veni.

41. Volo: Mundare.

44. Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tuâ, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

CAPUT II.

5. Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

8. Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9. Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula?

10. Ut autem scialis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata,

11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

14. Sequere me.

17. Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores.

19. Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiù sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20. Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum à veteri, et major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mitti debet.

25. Nunquàm legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse et qui cum eo erant?

26. Quomodò introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant?

27. Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

CAPUT III.

4. Licet sabbatis benè facere, an malè? animam salvam facere, an perdere?

5. Extende manum tuam.

23. Quomodò potest Satanas Satanam ejicere?

24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum istud stare.

25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26. Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet.

27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ quibus blasphemaverint:

29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

33. Quæ est mater mea, et fratres mei?

34. Ecce mater mea et fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

CAPUT IV.

3. Audite: ecce exiit seminans ad seminandum.

4. Et dùm seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt illud.

5. Aliud verò cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ:

6. Et quando exortus est sol, exæstuavit; et eò quòd non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas, et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam; et dabat fructum ascendentem, et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

11. Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt:

12. Ut videntes videant, et non videant; et audientes audiant, et non intelligant; ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata.

13. Nescitis parabolam hanc? et quomodò omnes parabolas cognoscetis?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Ili autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cùm audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.

16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur; qui cùm audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud:

17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt; deinde ortâ tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alii sunt qui in spinis seminantur; hi sunt qui verbum audiunt.

19. Et ærumnæ seculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

21. Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?

22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palàm veniat.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

24. Videte quid audiatis. In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis.

25. Qui enim habet, dabitur illi, et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

26. Sic est regnum Dei, quemadmodùm si homo jaciat sementem in terram.

27. Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dùm nescit ille.

non cooperuistis me; infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei, et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

CAPUT XXVI.

2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

10. Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

11. Nam semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habetis.

12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, et quod hæc fecit, in memoriam ejus.

18. Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

21. Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditorus est.

23. Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Tu dixisti.

26. Accipite, et comedite: hoc est corpus meum.

27. Bibite ex hoc omnes.

28. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29. Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

31. Omnes vos scandalum patiemini in me, in istâ nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

32. Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

34. Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis.

36. Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

38. Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum.

39. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verùmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

40. Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?

41. Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

45. Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

50. Amice, ad quid venisti?

52. Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelorum?

54. Quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

55. Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidiè apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.

56. Hoc autem totum factum est ut adimplerentur Scripturæ prophetarum.

64. Tu dixisti; verùmtamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei et venientem in nubibus cœli.

CAPUT XXVII.

11. Tu dicis.

46. Eli, Eli, lamma sabacthani?

CAPUT XXVIII.

9. Avete.

10. Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

18. Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.

19. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;

20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

EX S. MARCO.

CAPUT PRIMUM.

15. Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, et credite Evangelio.

17. Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

25. Obmutesce, et exi de homine.

38. Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem: ad hoc enim veni.

41. Volo: Mundare.

44. Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tuâ, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

CAPUT II.

5. Fili, dimittuntur tibi peccata tua.

8. Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

9. Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula?

10. Ut autem scialis, quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata,

11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

14. Sequere me.

17. Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores.

19. Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiù sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20. Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum à veteri, et major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mitti debet.

25. Nunquàm legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse et qui cum eo erant?

26. Quomodò introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant?

27. Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

CAPUT III.

4. Licet sabbatis benè facere, an malè? animam salvam facere, an perdere?

5. Extende manum tuam.

23. Quomodò potest Satanas Satanam ejicere?

24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum istud stare.

25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.

26. Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet.

27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi priùs fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ quibus blasphemaverint:

29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

33. Quæ est mater mea, et fratres mei?

34. Ecce mater mea et fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

CAPUT IV.

3. Audite: ecce exiit seminans ad seminandum.

4. Et dùm seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt illud.

5. Aliud verò cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ:

6. Et quando exortus est sol, exæstuavit; et eò quòd non habebat radicem, exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas, et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit.

8. Et aliud cecidit in terram bonam; et dabat fructum ascendentem, et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

11. Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt:

12. Ut videntes videant, et non videant; et audientes audiant, et non intelligant; ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata.

13. Nescitis parabolam hanc? et quomodò omnes parabolas cognoscetis?

14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Ili autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cùm audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.

16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur; qui cùm audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud:

17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt; deinde ortâ tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

18. Et alii sunt qui in spinis seminantur; hi sunt qui verbum audiunt.

19. Et ærumnæ seculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

21. Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?

22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palàm veniat.

23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

24. Videte quid audiatis. In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis.

25. Qui enim habet, dabitur illi, et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

26. Sic est regnum Dei, quemadmodùm si homo jaciat sementem in terram.

27. Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dùm nescit ille.

28. Ultrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ.

29. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

31. Sicut granum sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terrâ minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terrâ,

32. Et cùm seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbrâ ejus aves cœli habitare.

33. Transeamus contra.

39. Tace, obmutesce.

40. Quid timidi estis? necdùm habetis fidem?

CAPUT V.

8. Exi, spiritus immunde, ab homine.

9. Quod tibi nomen est.

19. Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.

30. Quis tetigit vestimenta mea?

34. Filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana à plagâ tuâ.

36. Noli timere; tantummodo crede.

41. Talitha cumi: Puella (tibi dico) surge.

CAPUT VI.

4. Quia non est propheta sine honore nisi in patriâ suâ, et in domo suâ, et in cognatione suâ.

10. Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde:

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis.

31. Venite seorsùm in desertum locum, et requiescite pusillùm.

37. Date illis vos manducare.

38. Quot panes habetis? ite, et videte.

50. Confidite, ego sum, nolite timere.

CAPUT VII.

6. Benè prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas et præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, et calicum, et alia similia his facitis multa.

9. Benè irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum et matrem tuam. Et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:

12. Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri,

13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis; et similia hujusmodi multa facitis.

14. Audite me omnes, et intelligite.

15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

18. Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare;

19. Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas?

20. Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

21. Ab intùs enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

23. Omnia hæc mala ab intùs procedunt, et communicant hominem.

27. Sinè priùs saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

29. Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filiâ tuâ.

34. Ephpheta.

CAPUT VIII.

2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent:

3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in viâ; quidam enim ex eis de longè venerunt.

5. Quot panes habetis?

12. Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

15. Videte et cavete à fermento Pharisæorum, et fermento Herodis.

17. Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondùm cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? Nec recordamini,

19. Quando quinque panes fregi in quinquè millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis?

20. Quando et septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum sustulistis?

21. Quomodò nondùm intelligitis?

26. Vade in domum tuam: et si in vicum introieris, nemini dixeris.

27. Quem me dicunt esse homines?

29. Vos verò quem me esse dicitis?

31. Oportet filium hominis pati multa, et reprobari à senioribus, et à summis sacerdotibus, et Scribis, et occidi: et post tres dies resurgere.

33. Vade retrò me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

34. Si quis vult me sequi, deneget semetipsum: et tollat crucem suam, et sequatur me.

35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro animâ suâ?

38. Qui enim me confusus fuerit, et verba mea, in generatione istâ adulterâ et peccatrice: et Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloriâ Patris sui cum angelis sanctis.

39. Amen dico vobis, quia sunt quidam de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

CAPUT IX.

11. Elias, cùm venerit primò, restituet omnia: et quo modo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur.

12. Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt), sicut scriptum est de eo.

15. Quid inter vos conquiritis?

18. O generatio incredula, quamdiù apud vos ero? quamdiù vos patiar? afferte illum ad me.

20. Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit?

22. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

24. Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo: et ampliùs ne introeas in eum.

28. Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio.

30. Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum: et occisus tertiâ die resurget.

32. Quid in viâ tractabatis?

34. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister.

36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

38. Nolite prohibere eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit citò malè loqui de me.

39. Qui enim non est adversùm vos, pro vobis est.

40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.

42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:

43. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum:

bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis.

45. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.

46. Quòd si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

47. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.

49. Bonum est sal: quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

CAPUT X.

3. Quid vobis præcepit Moyses?

5. Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.

6. Ab initio autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus.

7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam,

8. Et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

11. Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.

12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.

14. Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.

15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

18. Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.

19. Præcepta nôsti: Ne adulteres, ne occidas, ne furaris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris. Honora patrem tuum et matrem.

21. Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me.

23. Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt!

24. Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!

25. Facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

27. Apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.

29. Amen dico vobis: Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, et propter Evangelium,

30. Qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in seculo futuro vitam æternam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ;

34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum : et tertiâ die resurget.

36. Quid vultis ut faciam vobis?

38. Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem, quem ego bibo ; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?

39. Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis ; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini ;

40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

42. Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis : et principes eorum potestatem habent ipsorum.

43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major erit vester minister :

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

51. Quid tibi vis faciam?

52. Vade, fides tua te salvum fecit.

CAPUT XI.

2. Ite in castellum, quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum, et adducite.

3. Et si quis vobis dixerit : Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est ; et continuò illum dimittet huc.

14. Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.

17. Nonne scriptum est : Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus : Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

22. Habete fidem Dei.

23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis : et evenient vobis.

25. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem : ut et Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.

26. Quòd si vos non dimiseritis : nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.

29. Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi : et dicam vobis in quâ potestate hæc faciam.

30. Baptismus Joannis, de cœlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi.

33. Neque ego dico vobis in quâ potestate hæc faciam.

CAPUT XII.

1. Vineam postnavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectus est.

2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

5. Quiapprehensum eum cæciderunt, et dimiserunt vacuum.

4. Et iterùm misit ad illos alium servum : et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt.

5. Et rursùm alium misit, et illum occiderunt : et plures alios : quosdam cædentes, alios verò occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium charissimum : et illum misit ad eos novissimum dicens : Quia reverebuntur filium meum.

7. Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est hæres : venite, occidamus eum : et nostra erit hæreditas.

8. Et apprehendentes eum, occiderunt : et ejecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos : et dabit vineam aliis.

10. Nec Scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli :

11. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

15. Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.

16. Cujus est imago hæc, et inscriptio?

17. Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo.

24. Nonne ideò erratis non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?

25. Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cœlis.

26. De mortuis autem quòd resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodò dixerit illi Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob?

27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multùm erratis.

29. Quia primum omnium mandatum est : Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est :

30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ. Hoc est primum mandatum.

31. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tanquàm teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.

34. Non es longè à regno Dei.

35. Quomodò dicunt Scribæ Christum filium esse David?

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus?

38. Cavete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro.

39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis :

40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius judicium.

43. Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.

44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt : hæc verò de penuriâ suâ omnia quæ habuit misit totum victum suum.

CAPUT XIII.

2. Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

5. Videte ne quis vos seducat :

6. Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum : et multos seducent.

7. Cùm audieritis autem bella, et opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri : sed nondùm finis.

8. Exurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca, et fames. Initium dolorum hæc.

9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10. Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium.

11. Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini ; sed quod datum vobis fuerit in illâ horâ, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

14. Cùm autem videritis abominationem desolationis, stantem ubi non debet : qui legit, intelligat : tunc qui in Judæâ sunt, fugiant in montes :

15. Et qui super tectum, nec descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo suâ :

16. Et qui in agro erit, non revertatur retrò tollere vestimentum suum.

17. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

18. Orate verò ut hieme non fiant.

19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.

20. Et nisi brevìsset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro : sed propter electos, quos elegit, brevivit dies.

21. Et tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.

22. Exurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

23. Vos ergo videte : ecce prædixi vobis omnia.

24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum.

25. Et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes, quæ in cœlis sunt movebuntur.

26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ et glorià.

27. Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ, usque ad summum cœli,

28. A ficu autem discite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas :

29. Sic et vos cùm videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

31. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

32. De die autem illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.

33. Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit.

34. Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet.

35. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domûs veniat : serò an medià nocte, an galli cantu, an mane),

36. Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes.

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

CAPUT XIV.

6. Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiscum ; et cùm volueritis, potestis illis benefacere : me autem non semper habetis.

8. Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam.

9. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

13. Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum :

14. Et quocumque introierit, dicite domino domûs, quia magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?

15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum : et illic parate nobis.

18. Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

20. Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

21. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum

est de eo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

22. Sumite, hoc est corpus meum.

24. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei.

27. Omnes scandalizabimini in me in nocte istâ, quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves.

28. Sed postquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

30. Amen dico tibi, quia tu hodiè in nocte hâc, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

32. Sedete hic donec orem.

34. Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate.

36. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.

37. Simon, dormis? non potuisti unâ horâ vigilare?

38. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma.

41. Dormite jam, et requiescite. Sufficit : venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, propè est.

48. Tanquàm ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me.

49. Quotidiè eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ.

62. Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.

72. Priusquàm gallus cantet bis, ter me negabis.

CAPUT XV.

2. Tu dicis.

34. Eloi, Eloi, lamma sabacthani? Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

CAPUT XVI.

15. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis.

18. Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et benè habebunt.

EX S. LUCA.

CAPUT II.

49. Quid est quòd me quærebatis : nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

CAPUT IV.

4. Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.

8. Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

12. Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.

21. Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

23. Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hîc in patriâ tuâ.

24. Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.

25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex; cùm facta esset fames magna in omni terrâ :

26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo prophetâ : et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

33. Obmutesce, et exi ab eo.

43. Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideò missus sum

CAPUT V.

4. Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

10. Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens.

13. Volo : Mundare.

14. Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tuâ, sicut præcepit Moyses; in testimonium illis.

20. Homo, remittuntur tibi peccata tua.

22. Quid cogitatis in cordibus vestris?

23. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata; an dicere : Surge, et ambula?

24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

27. Sequere me.

31. Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.

32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

34. Numquid potestis filios sponsi, dùm cum illis est sponsus, facere jejunare?

35. Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt illis diebus.

36. Quia nemo commissuram à novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura à novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effunditur, et utres peribunt.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est.

CAPUT VI.

3. Nec hoc legistis quod fecit David, cùm esurisset ipse, et qui cum illo erant :

4. Quomodò intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant : quos non licet manducare nisi tantùm sacerdotibus?

5. Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

8. Surge, et sta in medium.

9. Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè; animam salvam facere, an perdere?

10. Extende manum tuam.

20. Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.

21. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.

22. Beati eritis, cùm vos oderint homines, et cùm separaverint vos, et exprobraverint; et ejecerint nomen vestrum tanquàm malum propter Filium hominis.

23. Gaudete in illâ die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundùm hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

24. Verùmtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.

25. Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis et flebitis.

26. Væ cùm benedixerint vobis homines : secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.

29. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.

32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt.

33. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt.

34. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

35. Verùmtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini.

38. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodò potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo : ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo : et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos : neque arbor mala, faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus : neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine, et non facitis quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos; ostendam vobis cui similis sit :

48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram : inundatione autem factâ, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento : in quam illusus est fluvius, et continuò cecidit : et facta est ruina domûs illius magna.

CAPUT VII.

9. Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

22. Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis. Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur :

23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus

est de eo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

22. Sumite, hoc est corpus meum.

24. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei.

27. Omnes scandalizabimini in me in nocte istâ, quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves.

28. Sed postquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

30. Amen dico tibi, quia tu hodiè in nocte hâc, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

32. Sedete hic donec orem.

34. Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate.

36. Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu.

37. Simon, dormis? non potuisti unâ horâ vigilare?

38. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro verò infirma.

41. Dormite jam, et requiescite. Sufficit : venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, propè est.

48. Tanquàm ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me.

49. Quotidiè eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ.

62. Ego sum; et videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli.

72. Priusquàm gallus cantet bis, ter me negabis.

CAPUT XV.

2. Tu dicis.

34. Eloi, Eloi, lamma sabacthani? Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

CAPUT XVI.

15. Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui verò non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis.

18. Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et benè habebunt.

EX S. LUCA.

CAPUT II.

49. Quid est quòd me quærebatis : nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

CAPUT IV.

4. Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.

8. Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

12. Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.

21. Quia hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris.

23. Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hîc in patriâ tuâ.

24. Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patriâ suâ.

25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, et mensibus sex; cùm facta esset fames magna in omni terrâ :

26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam.

27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo prophetâ : et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

33. Obmutesce, et exi ab eo.

43. Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideò missus sum

CAPUT V.

4. Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

10. Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens.

13. Volo : Mundare.

14. Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tuâ, sicut præcepit Moyses; in testimonium illis.

20. Homo, remittuntur tibi peccata tua.

22. Quid cogitatis in cordibus vestris?

23. Quid est facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata; an dicere : Surge, et ambula?

24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata : Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

27. Sequere me.

31. Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.

32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

34. Numquid potestis filios sponsi, dùm cum illis est sponsus, facere jejunare?

35. Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt illis diebus.

36. Quia nemo commissuram à novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura à novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effunditur, et utres peribunt.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est.

CAPUT VI.

3. Nec hoc legistis quod fecit David, cùm esurisset ipse, et qui cum illo erant :

4. Quomodò intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his qui cum ipso erant : quos non licet manducare nisi tantùm sacerdotibus?

5. Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

8. Surge, et sta in medium.

9. Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè; animam salvam facere, an perdere?

10. Extende manum tuam.

20. Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.

21. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.

22. Beati eritis, cùm vos oderint homines, et cùm separaverint vos, et exprobraverint; et ejecerint nomen vestrum tanquàm malum propter Filium hominis.

23. Gaudete in illâ die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundùm hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

24. Verùmtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.

25. Væ vobis, qui saturati estis; quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis et flebitis.

26. Væ cùm benedixerint vobis homines : secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos.

29. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.

32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt.

33. Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt.

34. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

35. Verùmtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes; et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos.

36. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini.

38. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.

39. Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodò potes dicere fratri tuo : Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo : ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo : et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos : neque arbor mala, faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus : neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine, et non facitis quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos; ostendam vobis cui similis sit :

48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram : inundatione autem factâ, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit et non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento : in quam illusus est fluvius, et continuò cecidit : et facta est ruina domûs illius magna.

CAPUT VII.

9. Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

22. Euntes renuntiate Joanni quæ audistis, et vidistis. Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur :

23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

24. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus

vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosâ sunt et deliciis, in domibus regum sunt.

26. Sed quid existis videre? prophetam? utique dico vobis, et plus quàm prophetam:

27. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

28. Dico enim vobis: Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptistâ nemo est. Qui autem minor est in regno Dei, major est illo.

31. Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt?

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, et non saltâstis: lamentavimus, et non plorâstis.

33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis: Dæmonium habet.

34. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicitis: Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum, et peccatorum.

35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

40. Simon, habeo tibi aliquid dicere.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta.

42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

43. Rectè judicâsti.

44. Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti; hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti; hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.

48. Remittuntur tibi peccata.

49. Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

CAPUT VIII.

5. Exiit qui seminat, seminare semen suum: et dùm seminat, aliud cecidit secùs viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit supra petram; et natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam; et ortum fecit fructum centuplum. Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Vobis datum est nôsse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis; ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.

12. Qui autem secùs viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

13. Nam qui supra petram, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, et à sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, et non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientiâ.

16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtùs lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

17. Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscetur, et in palam veniat.

18. Videte ergo quomodò audiatis. Qui enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere auferetur ab illo. Mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt.

22. Transfretemus trans stagnum.

25. Ubi est fides vestra?

30. Quod tibi nomen est

39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus.

45. Quis est qui me tetigit?

46. Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse.

48. Filia, fides tua salvam te fecit; vade in pace.

49. Noli timere, crede tantùm, et salva erit.

52. Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.

54. Puella, surge.

CAPUT IX.

3. Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illâ, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

13. Vos date illis manducare.

14. Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

20. Quem me dicunt esse turbæ?

21. Vos autem quem me esse dicitis?

22. Quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari à senioribus, et principibus sacerdotum, et Scribis, et occidi, et tertiâ die resurgere.

23. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum; et tollat crucem suam quotidiè, et sequatur me.

24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam.

25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?

26. Nam qui me erubuerit, et meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate suâ, et Patris, et sanctorum angelorum.

27. Dico autem vobis verè; sunt aliqui hìc stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

41. O generatio infidelis et perversa, usquequò ero apud vos, et patiar vos? Adduc hùc filium tuum.

44. Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

48. Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.

50. Nolite prohibere; qui enim non est adversùm vos pro vobis est.

55. Nescitis cujus spiritûs estis.

56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.

58. Vulpes fóveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

59. Sequere me.

60. Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum Dei.

62. Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retrò, aptus est regno Dei.

CAPUT X.

2. Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

3. Ite; ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui:

6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.

7. In eâdem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis;

9. Et curate infirmos, qui in illâ sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite:

11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestrâ, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis, quia Sodomis in die illâ remissius erit, quàm illi civitati.

13. Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent.

14. Verùmtamen Tyro et Sidoni remissius erit in judicio, quàm vobis.

15. Et tu, Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergeris.

16. Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

18. Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.

20. Verùmtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

21. Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelâsti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante me.

22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

23. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.

26. In lege quid scriptum est? quomodò legis?

28. Rectè respondisti; hoc fac, et vives.

30. Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum; et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eâdem viâ; et viso illo, præterivit.

32. Similiter et Levita, cùm esset secùs locum, et videret eum, pertransiit:

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secùs eum; et videns eum, misericordiâ motus est,

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum; et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.

35. Et alterâ die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: Curam illius habe; et quodcumque supererogaveris, ego, cùm rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. Vade, et tu fac similiter.

41. Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.

42. Porrò unum est necessarium.

43. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

CAPUT XI.

2. Cùm oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum; advenist regnum tuum.

3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè.

4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

5. Quis vestrùm habebit amicum, et ibit ad illum

mediâ nocte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6. Quoniam amicus meus venit de viâ ad me, et non habeo quod ponam ante illum:

7. Et ille deintùs respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, et dare tibi.

8. Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, et si non dabit illi surgens eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.

9. Et ego dico vobis: Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.

10. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

12. Aut si petierit ovum; numquid porriget illi scorpionem?

13. Si ergo vos cùm sitis mali, nóstis bona data dare filiis vestris; quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?

17. Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

18. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodò stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia; filii vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt

20. Porrò si in digito Dei ejicio dæmonia; profectò pervenit in vos regnum Dei.

21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, dispergit.

24. Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: et non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cùm venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornatam.

26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

28. Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

29. Generatio hæc, generatio nequam est: signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis: ita erit et Filius hominis generationi isti.

31. Regina Austri surget in judicio cum viris generationis hujus, et condemnabit illos; quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; et ecce plus quàm Salomon hic.

32. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hâc, et condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, et ecce plus quàm Jonas hic.

33. Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

34. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.

36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

39. Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini, mundatis; quod autem intùs est vestrùm, plenum est rapinâ et iniquitate.

40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintùs est, fecit?

41. Verùmtamen quod superest, date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis.

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium et charitatem Dei; hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.

43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.

44. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt.

46. Et vobis legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum; patres autem vestri occiderunt illos.

48. Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.

49. Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident, et persequentur:

50. Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione istâ,

51. A sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hâc generatione.

52. Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis.

CAPUT XII.

1. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

2. Nihil autem opertum est quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur.

3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent ampliùs quid faciant.

5. Ostendam autem vobis quem timeatis; timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete.

6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo?

7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis vos.

8. Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei;

9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei;

10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

11. Cùm autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis.

12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsâ horâ, quid oporteat vos dicere.

14. Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?

15. Videte, et cavete ab omni avaritiâ, quia non in abundantiâ cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.

16. Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit:

17. Et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, et majora faciam: et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea.

19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parâsti, cujus erunt?

21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

22. Ideò dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini.

23. Anima plus est quàm esca; et corpus plus quàm vestimentum.

24. Considerate corvos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, et Deus pascit illos. Quantò magis vos pluris estis illis?

25. Quis autem vestrùm cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?

27. Considerate lilia quomodò crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni glorià suâ vestiebatur sicut unum ex istis.

28. Si autem fœnum, quod hodiè est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos, pusillæ fidei?

29. Et vos nolite quærere quod manducetis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli:

30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt, Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31. Verùmtamen quærite primùm regnum Dei, et justitiam ejus; et hæc omnia adjicientur vobis.

32. Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis saeculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis; quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris:

36. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis: ut, cùm venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi, quos cùm venerit dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quòd præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secundâ vigiliâ, et si in tertiâ vigiliâ venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamiliàs quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

42. Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

43. Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

45. Quòd si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire; et coperit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari;

46. Veniet dominus servi illius, in die quâ non sperat, et horâ quâ nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis;

48. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.

49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?

50. Baptismo autem habeo baptizari; et quomodò coarctor usque dùm perficiatur?

51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem :

52. Erunt enim ex hoc quinque in domo unâ divisi; tres in duos, et duo in tres dividentur :

53. Pater in filium, et filius in patrem suum; mater in filiam, et filia in matrem; socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.

54. Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit; et ita fit.

55. Et cùm austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit; et ita fit.

56. Hypocritæ, faciem cœli et terræ nôstis probare; hoc autem tempus quomodò non probatis?

57. Quid autem et à vobis ipsis non judicatis quod justum est?

58. Cùm autem vadis cum adversario tuo ad principem, in viâ da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

CAPUT XIII.

2. Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3. Non, dico vobis; sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris Siloe, et occidit eos; putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?

5. Non, dico vobis; sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6. Arborem sibi habebat quidam plantatam in vineâ suâ, et venit quærens fructum in illâ, et non invenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hâc, et non invenio; succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?

8. At ille respondens, dixit illi : Domine, dimitte illam, et hoc anno, usquedùm fodiam circa illam, et mittam stercora :

9. Et siquidem fecerit fructum; sin autem, in futurum, succides eam.

10. Erat autem docens in synagogâ eorum sabbatis.

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omninò poterat sursùm respicere.

12. Quam cùm videret Jesus vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ.

13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans, quia sabbato curâsset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite et curamini, et non in die sabbati.

15. Respondens autem ad illum Dominus, dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrùm sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepio, et ducit adaquare?

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem et octo annis non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?

17. Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus; et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriosè fiebant ab eo.

18. Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud?

19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam : et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.

20. Et iterùm dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei?

21. Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in Jerusalem.

23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos :

24. Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.

25. Cùm autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis;

26. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.

27. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis; discedite à me, omnes operarii iniquitatis.

28. Ibi erit fletus et stridor dentium; cùm videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regnum Dei vos autem expelli foras.

29. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei.

30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi.

31. In ipsâ die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodiè et cras et tertiâ die consummor.

33. Verùmtamen oportet me hodiè et cras et sequenti die ambulare; quia non capit prophetam perire extra Jerusalem.

34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm avis nidum suum sub pennis, et noluisti?

35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT XIV.

3. Si licet sabbato curare?

5. Cujus vestrùm asinus aut bos in puteum cadet, et non continuò extrahet illum die sabbati?

8. Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo:

9. Et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da

huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco; ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus :

11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.

12. Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites : ne fortè te ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio.

13. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos.

14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

16. Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos.

17. Et misit servum suum horâ cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum.

19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque et eo probare illa : rogo te, habe me excusatum.

20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideò non possum venire.

21. Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : Exi citò in plateas et vicos civitatis; et pauperes ac debiles et cæcos, et claudos introduc hùc.

22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperâsti, et adhuc locus est.

23. Et ait Dominus servo : Exi in vias, et sepes; et compelle intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

27. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me non potest meus esse discipulus.

28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus, qui necessarii sunt si habeat ad perficiendum?

29. Ne, posteaquàm posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei.

30. Dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.

31. Aut quis rex iturus committere bellum adversùs alium regem, non sedens priùs cogitat, si possit, cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur?

35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur : Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPUT XV.

4. Quis ex vobis homo qui habet centum oves; et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?

5. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens;

6. Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.

7. Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quærit diligenter, donec inveniat?

9. Et cùm invenerit, convocat amicas, et vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

11. Homo quidam habuit duos filios;

12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam.

13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè.

14. Et postquàm omnia consummâsset, facta est fames valida in regione illâ, et ipse cœpit egere.

15. Et abiit, et adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant; et nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

18. Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te;

19. Jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, et misericordiâ motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius : Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit autem pater ad servos suos : Citò proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS

23. Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur :

24. Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari.

25. Erat autem filius ejus senior in agro; et cùm veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum :

26. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent.

27. Isque dixit illi : Frater tuus venit; et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. Indignatus est autem, et nolebat introire : Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et nunquàm mandatum tuum præterivi, et nunquàm dedisti mihi hædum ut cum amicis meis epularer :

30. Sed postquàm filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.

32. Epulari autem et gaudere oportebat quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.

CAPUT XVI.

1. Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum quasi dissipásset bona ipsius.

2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem : fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit : Centum cados olei. Dixitque illi : Accipe cautionem tuam, et sede citò, scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit : Tu verò quantum debes? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta.

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione suâ sunt.

9. Et ego vobis dico : facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis; ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammonâ fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?

13. Nemo servus potest duobus dominis servire; aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet; non potestis Deo servire et mammonæ.

15. Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra : quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

16. Lex et prophetæ, usque ad Joannem; ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.

17. Facilius est autem cœlum et terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere

18. Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur; et qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ et byssо; et epulabatur quotidiè splendidè.

20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus; qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. Cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensâ divitis, et nemo illi dabat; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, et Lazarum in sinu ejus.

24. Et ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hâc flammâ.

25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.

26. Et in his omnibus, inter nos et vos chaos magnum firmatum est; ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde hùc transmeare.

27. Et ait : Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei.

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen et prophetas, audiant illos.

30. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis icrit ad eos, pœnitentiam agent.

31. Ait autem illi : Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis, resurrexerit, credent.

CAPUT XVII.

1. Impossibile est ut non veniant scandala; væ autem illi, per quem veniunt.

2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis.

3. Attendite vobis : Si peccavit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi.

6. Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dice-

tis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare; et obediet vobis.

7. Quis autem vestrûm habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe :

8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes?

9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

10. Non puto. Sic et vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.

11. Ite, ostendite vos sacerdotibus.

17. Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

20. Non venit regnum Dei cum observatione :

21. Neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

22. Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.

23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini.

24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget; ita erit Filius hominis in die suâ.

25. Primùm autem oportet illum multa pati et reprobari à generatione hâc.

26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis.

27. Edebant, et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, quâ intravit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes.

28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : Edebant et bibebant; emebant et vendebant; plantabant et ædificabant;

29. Quâ die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem et sulphur de cœlo, et omnes perdidit;

30. Secundùm hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur.

31. In illâ horâ, qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa; et qui in agro, similiter, non redeat retrò.

32. Memores estote uxoris Lot.

33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam; et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34. Dico vobis : in illâ nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et alter relinquetur :

35. Duæ erunt molentes in unum, una assumetur et altera relinquetur : duo in agro; unus assumetur, et alter relinquetur.

37. Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.

CAPUT XVIII.

1. Oportet semper orare et non deficere.

2. Judex quidam erat in quâdam civitate qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur;

3. Vidua autem quædam erat in civitate illâ, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se : Et si Deum non timeo, nec hominem revereor;

5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me.

6. Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit.

7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis?

8. Dico vobis quia citò faciet vindictam illorum, verùmtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?

10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent; unus Pharisæus, et alter publicanus.

11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus.

12. Jejuno bis in sabbato; decimas do omnium quæ possideo.

13. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exaltat humiliabitur; et qui se humiliat exaltabitur.

16. Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos; talium est enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis : Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

19. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nósti : Non occides; non mœchaberis; non furtum facies : non falsum testimonium dices : honora patrem tuum et matrem.

22. Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.

24. Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

25. Facilius est enim camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

27. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

29. Amen dico vobis, nemo est qui relinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,

30. Et non recipiat multò plura in hoc tempore, et in seculo venturo vitam æternam.

31. Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur.

33. Et postquàm flagellaverint, occident eum, et tertiâ die resurget.

41. Quid tibi vis faciam?

42. Respice, fides tua te salvum fecit.

CAPUT XIX.

5. Zachæe, festinans descende, quia hodiè in domo tuâ oportet me manere.

9. Quia hodiè salus domui huic facta est, eò quòd et ipse filius sit Abrahæ.

10. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

12. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini dùm venio.

14. Cives autem ejus oderant eum; et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.

15. Et factum est ut rediret accepto regno; et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantùm quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit.

17. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates.

20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario;

21. Timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, et metis quod non seminâsti.

22. Dicit ei: De ore tuo te judico, serve nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi:

23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?

24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam: et date illi qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit; ab eo autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

27. Verùmtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite hùc, et interficite ante me.

30. Ite in castellum, quod contra est; in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquàm hominum sedit: solvite illum, et adducite.

31. Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat.

40. Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

43. Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te; et coangustabunt te undique:

44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem; eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.

46. Scriptum est: Quia domus mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

CAPUT XX.

3. Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete mihi:

4. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus?

8. Neque ego dico vobis in quâ potestate hæc facio.

9. Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis; et ipse peregrè fuit multis temporibus.

10. Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.

11. Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, et afficientes contumeliâ, dimiserunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere; qui et illum vulnerantes ejecerunt.

13. Dixit autem dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum; forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur.

14. Quem cùm vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est hæres, occidamus illum, ut nostra fiat hæreditas.

15. Et ejectum illum extrà vineam occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis.

17. Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

18. Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur; super quem autem ceciderit, comminuet illum.

23. Quid me tentatis?

24. Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem et inscriptionem?

25. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo.

34. Filii hujus seculi nubunt, et traduntur ad nuptias.

35. Illi verò, qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores:

36. Neque enim ultra mori poterunt; æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectionis.

37. Quia verò resurgant mortui, et Moyses ostendit secùs rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob.

38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum; omnes enim vivunt ei.

41. Quomodò dicunt Christum, filium esse David?

42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

44. David ergo Dominum illum vocat; et quomodò filius ejus est?

46. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis.

47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

CAPUT XXI.

3. Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.

4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei; hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

6. Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

8. Videte ne seducamini; multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum; et tempus appropinquavit; nolite ergo ire post eos.

9. Cùm autem audieritis prælia, et seditiones, nolite terreri; oportet primùm hæc fieri, sed nondùm statim finis.

10. Surget gens contra gentem, et regnum adversùs regnum.

11. Et terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt.

12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides, propter nomen meum;

13. Continget autem vobis in testimonium:

14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodùm respondeatis.

15. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

16. Trademini autem à parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis:

17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum.

18. Et capillus de capite vestro non peribit.

19. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.

20. Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus:

21. Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes; et qui in medio ejus, discedant: et qui in regionibus, non intrent in eam.

22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.

23. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic.

24. Et cadent in ore gladii: et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur à gentibus; donec impleantur tempora nationum.

25. Et erunt signa in sole, et lunâ, et stellis; et in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris et fluctuum:

26. Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur:

27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ et majestate.

28. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra; quoniam appropinquat redemptio vestra.

29. Videte ficulneam, et omnes arbores;

30. Cùm producunt jam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas.

31. Ita et vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei.

32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

33. Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.

34. Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa;

35. Tanquàm laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

CAPUT XXII.

8. Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.

10. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans; sequimini eum in domum, in quam intrat.

11. Et dicetis patrifamiliâs domûs: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem?

12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate.

15. Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequàm patiar.

16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

17. Accipite, et dividite inter vos,

18. Dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem.

20. Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. Verùmtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ.

22. Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit, verùmtamen væ homini illi per quem tradetur.

25. Reges gentium dominantur eorum; et qui po-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

testatem habent super eos, benefici vocantur.

26. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator.

27. Nam quis major est, qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrùm sum sicut qui ministrat.

28. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:

29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,

30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

31. Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.

32. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

34. Dico tibi, Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nòsse me.

35. Quando misi vos sine sacculo, et perà, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36. Sed nunc, qui habet sacculum, tollat; similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.

38. Satis est.

40. Orate ne intretis in tentationem.

42. Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verùmtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

46. Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

48. Juda, osculo Filium hominis tradis?

51. Sinite usque hùc.

52. Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus?

53. Cùm quotidiè vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.

67. Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.

70. Vos dicitis quia ego sum.

CAPUT XXIII.

5. Tu dicis.

28. Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.

31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

34. Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.

43. Amen dico tibi: Hodiè mecum eris in paradiso.

46. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

CAPUT XXIV.

7. Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertiâ resurgere.

17. Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

19. Quæ?

25. O stulti, et tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!

26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?

37. Pax vobis: Ego sum, nolite timere.

38. Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

41. Habetis hic aliquid, quod manducetur?

44. Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.

46. Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die:

47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolymâ.

48. Vos autem testes estis horum.

49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

EX S. JOANNE.

CAPUT PRIMUM.

38. Quid quæritis?

39. Venite et videte.

42. Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

43. Sequere me.

47. Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.

48. Priusquàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te.

50. Quia dixi tibi. Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.

51. Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum aper-

tum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

CAPUT II.

4. Quid mihi, et tibi est mulier? nondùm venit hora mea.

7. Implete hydrias aquâ.

8. Haurite nunc, et ferte architriclino.

16. Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

CAPUT III.

3. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.

5. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò.

8. Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

10. Tu es Magister in Israel, et hæc ignoras?

11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.

12. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodò, si dixero vobis cœlestia, credetis?

13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.

14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis:

15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigènitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.

19. Hoc est autem judicium; quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera.

20. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus:

21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

CAPUT IV.

7. Da mihi bibere.

10. Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

13. Omnis qui bibit ex aquâ hâc, sitiet iterùm: qui autem biberit ex aquâ hâc, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

16. Vade, voca virum tuum, et veni hùc.

17. Benè dixisti; quia non habeo virum:

18. Quinque enim viros habuisti: et nunc quem habes, non est tuus vir; hoc verè dixisti.

21. Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.

23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.

24. Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

25. Ego sum qui loquor tecum.

32. Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

34. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat et qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborâstis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

48. Nisi signa et prodigia videritis, non credideritis.

50. Vade, filius tuus vivit.

CAPUT V.

6. Vis sanus fieri?

8. Surge, tolle grabatum tuum et ambula.

14. Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

17. Pater meus usque modò operatur, et ego operor.

19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.

20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit; et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat;

22. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio,

23. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

testatem habent super eos, benefici vocantur.

26. Vos autem non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator.

27. Nam quis major est, qui recumbit an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrùm sum sicut qui ministrat.

28. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:

29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum,

30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.

31. Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.

32. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

34. Dico tibi, Petre, non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges nòsse me.

35. Quando misi vos sine sacculo, et perà, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36. Sed nunc, qui habet sacculum, tollat; similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent.

38. Satis est.

40. Orate ne intretis in tentationem.

42. Pater, si vis, transfer calicem istum à me; verùmtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

46. Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

48. Juda, osculo Filium hominis tradis?

51. Sinite usque hùc.

52. Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus?

53. Cùm quotidiè vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me; sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.

67. Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.

70. Vos dicitis quia ego sum.

CAPUT XXIII.

5. Tu dicis.

28. Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.

31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

34. Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.

43. Amen dico tibi: Hodiè mecum eris in paradiso.

46. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

CAPUT XXIV.

7. Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertiâ resurgere.

17. Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

19. Quæ?

25. O stulti, et tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ!

26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?

37. Pax vobis: Ego sum, nolite timere.

38. Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

41. Habetis hic aliquid, quod manducetur?

44. Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.

46. Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die:

47. Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolymâ.

48. Vos autem testes estis horum.

49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.

EX S. JOANNE.

CAPUT PRIMUM.

38. Quid quæritis?

39. Venite et videte.

42. Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

43. Sequere me.

47. Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.

48. Priusquàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te.

50. Quia dixi tibi. Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.

51. Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum aper-

tum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

CAPUT II.

4. Quid mihi, et tibi est mulier? nondùm venit hora mea.

7. Implete hydrias aquâ.

8. Haurite nunc, et ferte architriclino.

16. Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

19. Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

CAPUT III.

3. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.

5. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò.

8. Spiritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

10. Tu es Magister in Israel, et hæc ignoras?

11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.

12. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodò, si dixero vobis cœlestia, credetis?

13. Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.

14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis:

15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigènitum daret; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei.

19. Hoc est autem judicium; quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim eorum mala opera.

20. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus:

21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

CAPUT IV.

7. Da mihi bibere.

10. Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

13. Omnis qui bibit ex aquâ hâc, sitiet iterùm: qui autem biberit ex aquâ hâc, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

16. Vade, voca virum tuum, et veni hùc.

17. Benè dixisti; quia non habeo virum:

18. Quinque enim viros habuisti: et nunc quem habes, non est tuus vir; hoc verè dixisti.

21. Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.

23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.

24. Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

25. Ego sum qui loquor tecum.

32. Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

34. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat et qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborâstis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

48. Nisi signa et prodigia videritis, non credideritis.

50. Vade, filius tuus vivit.

CAPUT V.

6. Vis sanus fieri?

8. Surge, tolle grabatum tuum et ambula.

14. Ecce sanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

17. Pater meus usque modò operatur, et ego operor.

19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.

20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit; et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius, quos vult, vivificat;

22. Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio,

23. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem; qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen, dico vobis, quia qui verbum meum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit à morte in vitam.

25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.

27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei;

29. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.

30. Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, judico; et judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.

31. Si ergo testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

32. Alius est, qui testimonium perhibet de me: et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33. Vos misistis ad Joannem; et testimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed hæc dico ut vos salvi sitis.

35. Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.

36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me;

37. Et qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me; neque vocem ejus unquàm audistis, neque speciem ejus vidistis.

38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me;

40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis.

41. Claritatem ab hominibus non accipio.

42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44. Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?

45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit.

47. Si autem illius litteris non creditis; quomodò verbis meis credetis?

CAPUT VI.

5. Unde ememus panes ut manducent hi

10. Facite homines discumbere.

12. Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.

20. Ego sum, nolite timere.

26. Amen, amen dico vobis; quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus et saturati estis.

27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

32. Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.

33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.

35. Ego sum panis vitæ: qui venit ad me non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquàm.

36. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis.

37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras:

38. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

45. Nolite murmurare in invicem.

44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me.

46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.

48. Ego sum panis vitæ.

49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.

50. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.

52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.

54. Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum

sanguinem, habet vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die:

56. Caro enim mea verè est cibus; et sanguis meus verè est potus.

57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

59. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

62. Hoc vos scandalizat?

63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs?

64. Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.

65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.

66. Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo

68. Numquid et vos vultis abire?

71. Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est?

CAPUT VII.

6. Tempus meum nondùm advenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum; quia meum tempus nondùm impletum est.

16. Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.

17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrinâ, utrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.

18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.

19. Nonne Moyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem?

20. Quid me quæritis interficere?

21. Unum opus feci, et omnes miramini.

22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem (non quia ex Moyse est, sed ex patribus): et in sabbato circumciditis hominem.

23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?

24. Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.

28. Et me scitis, et undè sim scitis; et à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.

33. Adhuc modicum tempus vobiscum sum; et vado ad eum, qui me misit.

34. Quæretis me, et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire.

37. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.

38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.

CAPUT VIII.

7. Qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat.

10. Mulier, ubi sunt, qui te accusabant; nemo te condemnavit?

11 Nec ego te condemnabo; vade, et jam amplius noli peccare.

12. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

14. Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, et quò vado: vos autem nescitis unde venio, aut quò vado.

15. Vos secundùm carnem judicatis: ego non judico quemquam:

16. Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater.

17. Et in lege vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19. Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.

21. Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire.

23. Vos de deorsùm estis; ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris; si enim non crediderîtis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Principium, qui et loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare; sed qui me misit, verax est: et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

28. Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor:

29 Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.

31. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis;

32. Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

34. Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

35. Servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum.

36. Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.

37. Scio quia filii Abrahæ estis; sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum loquor; et vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

39. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo; hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris vestri.

42. Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, et veni; neque enim à meipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. Vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; quia non est veritas in eo, cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.

45. ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

49. Ego dæmonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorâstis me.

50. Ego autem non quæro gloriam meam; est qui quærat, et judicet.

51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.

54. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est; est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est.

55. Et non cognovistis eum; ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo.

56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est.

58. Amen, amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego sum.

CAPUT IX.

3. Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

5. Quamdiù sum in mundo, lux sum mundi.

7. Vade, lava in natatoriâ Siloe.

35. Tu credis in Filium Dei?

37. Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.

39. In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.

41. Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

CAPUT X.

1. Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.

2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.

3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim et educit eas.

4. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.

5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum.

7. Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.

8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves.

9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantiùs habeant.

11. Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves:

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum Pastor bonus; et cognosco meas, et cognoscunt me meæ.

15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis;

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient; et fiet unum ovile, et unus pastor.

17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterùm sumam eam.

18. Nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à meipso, et potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterùm sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo.

25. Loquor vobis, et non creditis; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.

26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

27. Oves meæ vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me:

28. Et ego vitam æternam do eis; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu meâ.

29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei.

30. Ego et Pater unum sumus.

32. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

34. Nonne scriptum est in lege vestrâ: quia ego dixi, dii estis?

35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura.

36. Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas; quia dixi: Filius Dei sum?

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

CAPUT XI.

4. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glorià Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

7. Eamus in Judæam iterùm.

9. Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt;

10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Lazarus amicus noster dormit; sed vado ut à somno excitem eum.

14. Lazarus mortuus est;

15. Et gaudeo propter vos ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

23. Resurget frater tuus.

25. Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:

26. Et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

34. Ubi posuistis eum?

39. Tollite lapidem.

40. Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me.

42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti.

43. Lazare, veni foras.

44. Solvite eum, et sinite abire.

CAPUT XII.

7. Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

8. Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis.

23. Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

25. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hâc horâ. Sed propterea veni in horam hanc.

28. Pater, clarifica nomen tuum.

30. Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

31. Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

32. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum.

35. Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

36. Dùm lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.

44. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

45. Et qui videt me, videt eum qui misit me.

46. Ego lux in mundum veni; ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit: ego non judico eum: non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.

48. Qui spernit me, et non accipit verba mea: habet qui judicet eum; sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.

49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar.

50. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor.

CAPUT XIII.

7. Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.

8. Si non lavero te, non habebis partem mecum.

10. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

12. Scitis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magister, et Domine; et benè dicitis; sum etenim.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister; et vos debetis alter alterius lavare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita et vos faciatis.

16. Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo; neque apostolus major est eo qui misit illum.

17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

18. Non de omnibus vobis dico; ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.

19. Amodò dico vobis, priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit credatis quia ego sum.

20. Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

21. Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

26. Ille est, cui ego intinctum panem porrexero.

27. Quod facis fac citiùs.

31. Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.

32. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipsò: et continuò clarificabit eum.

33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, et sicut dixi Judæis: Quò ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modò.

34. Mandatum novum do vobis: Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36. Quò ego vado, non potes me modò sequi; sequeris autem postea.

38. Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

CAPUT XIV.

1. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.

2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominùs, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.

3. Et si abiero, et præparavero vobis locum; iterùm venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.

4. Et quò ego vado scitis, et viam scitis.

6. Ego sum via, et veritas, et vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.

7. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodò cognoscetis eum, et vidistis eum.

9. Tanto tempore vobiscum sum; et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodò tu dicis: Ostende nobis Patrem?

10. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera.

11. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?

12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.

13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam; ut glorificetur Pater in Filio.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15. Si diligitis me, mandata mea servate.

16. Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;

17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.

18. Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos.

19. Adhuc modicum; et mundus me jam non videt. Vos autem videbitis me: quia ego vivo, et vos vivetis.

20. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

21. Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.

23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus; sed ejus qui misit me, Patris.

25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens;

26. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeritis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est.

29. Et nunc dixi vobis priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis.

30. Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam.

31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio; surgite, eamus hinc.

CAPUT XV.

1. Ego sum vitis vera; et Pater meus agricola est.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

3. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

4. Manete in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.

5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.

6. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.

8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.

9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione meâ.

10. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione.

11. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum sit in vobis, et gaudium vestrum impleatur.

12. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.

13. Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me.

22. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

23. Qui me odit, et Patrem meum odit.

24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.

25 Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

26. Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

CAPUT XVI.

1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

2. Absque synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.

4. Sed hæc locutus sum vobis; ut cùm venerit hora eorum reminiscamini quia ego dixi vobis.

5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis?

6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitiâ, et de judicio.

9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me;

10. De justitiâ verò, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me;

11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.

13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

14. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi quia de meo accipiet; et annuntiabit vobis.

16. Modicum, et jam non videbitis me; et iterùm modicum, et videbitis me; quia vado ad Patrem.

19. De hoc quæritis inter vos, quia dixi: Modicum et non videbitis me, et iterùm modicum, et videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora ejus; cùm autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterùm autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis;

27. Ipse enim Pater amat vos quia vos me amastis, et credidistis quia ego à Deo exivi.

28. Exivi à Patre, et veni in mundum; iterùm relinquo mundum, et vado ad Patrem.

31. Modò creditis?

32. Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis; et non sum solus, quia Pater mecum est.

33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.

CAPUT XVII.

1. Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.

2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

3 Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.

4. Ego te clarificavi super terram; opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.

5. Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquàm mundus esset, apud te.

6. Manifestavi nomen tuum hominibus quos de-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

disti mihi de mundo; tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.

7. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt.

8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt et cognoverunt verè quia à te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt;

10. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt; et clarificatus sum in eis.

11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio; Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos.

12. Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.

13. Nunc autem ad te venio, et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.

16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.

19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me.

21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.

23. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

25. Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi: et hi cognoverunt quia tu me misisti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

CAPUT XVIII.

4. Quem quæritis?

5. Ego sum.

7. Quem quæritis?

8. Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.

9. Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

11. Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

20. Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagogâ, et in templo, quò omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil.

21. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

23. Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?

34. A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

36. Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.

37. Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate audit vocem meam.

CAPUT XIX.

11. Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

26. Mulier, ecce filius tuus.

27. Ecce mater tua.

28. Sitio.

29. Consummatum est.

CAPUT XX.

15. Mulier, quid ploras? quem quæris?

16. Maria.

17. Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum.

19. Pax vobis.

21. Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

22. Accipite Spiritum sanctum;

23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.

26. Pax vobis.

27. Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis.

29. Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt.

CAPUT XXI.

5. Pueri, numquid pulmentarium habetis

6. Mittite in dextram navigii rete; et invenietis.

10. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.

12. Venite, prandete.

15. Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos.

16. Simon Joannis, diligis me? Pasce agnos meos.

17. Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas.

18. Amen, amen dico tibi, cùm esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quò tu non vis.

19. Sequere me.

22. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

5. Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

7. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate:

8. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ; et usque ad ultimum terræ.

CAPUT IX.

4. Saule, Saule, quid me persequeris?

5. Ego sum Jesus, quem tu persequeris: Durum est tibi contra stimulum calcitrare.

7. Surge, et ingredere civitatem et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

10. Anania.

11. Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem; ecce enim orat.

15. Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.

16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

CAPUT XX.

35. Beatius est magis dare, quàm accipere.

CAPUT XXI.

15. Ego sum Jesus, quem tu persequeris.

16. Sed exurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi,

17. Eripiens te de populo, et gentibus, in quas nunc ego mitto te,

18. Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me.

EX EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

CAPUT XI.

24. Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

25. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

MONITUM.

Hucusque sacrorum Librorum partem haud exiguam non infeliciter nec imperfectè, plurimorum sanè judicio, interpretatam lectoribus nostris exhibuimus. Attamen nihil tam completum aut succi ac medullæ plenius naquàm dedisse arbitramur, quàm quod in quatuor Evangelia præstandum nunc aggredimur. Multos scilicet inter auctores qui in Ecclesiâ catholicâ venerabiliores hosce Libros commentariis suis illustrârunt, octo cæteros maximè præeminent ac omnium ore primo loco celebrantur. Quos quidem præclarissimos interpretes unà connexos ex integro producendi ratio à nobis quæsita et inventa est, quin ideò voluminum nostrorum tenor magis excresceret, quàm si de more subjicerentur plurimæ variorum scriptorum annotationes; haneque novam laboris præsentis ordinationem, instigante totius boni Auctore nobis suggillatam non sine pergrati animi sensu existimamus. Cùm verò quatuor ex octo supra dictis auctoribus brevissimas solummodò lucubrationes ediderint, ac

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

disti mihi de mundo; tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.

7. Nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt.

8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt et cognoverunt verè quia à te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt;

10. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt; et clarificatus sum in eis.

11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio; Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi; ut sint unum, sicut et nos.

12. Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.

13. Nunc autem ad te venio, et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.

16. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18. Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.

19. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui crediturí sunt per verbum eorum in me.

21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.

23. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

25. Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi: et hi cognoverunt quia tu me misisti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

CAPUT XVIII.

4. Quem quæritis?

5. Ego sum.

7. Quem quæritis?

8. Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.

9. Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

11. Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

20. Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagogâ, et in templo, quò omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil.

21. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

23. Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cædis?

34. A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

36. Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.

37. Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate audit vocem meam.

CAPUT XIX.

11. Non haberes potestatem adversùs me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

26. Mulier, ecce filius tuus.

27. Ecce mater tua.

28. Sitio.

29. Consummatum est.

CAPUT XX.

15. Mulier, quid ploras? quem quæris?

16. Maria.

17. Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum.

19. Pax vobis.

21. Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

22. Accipite Spiritum sanctum;

23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.

26. Pax vobis.

27. Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis.

29. Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt.

CAPUT XXI.

5. Pueri, numquid pulmentarium habetis

6. Mittite in dextram navigii rete; et invenietis.

10. Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.

12. Venite, prandete.

15. Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos.

16. Simon Joannis, diligis me? Pasce agnos meos.

17. Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas.

18. Amen, amen dico tibi, cùm esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quò tu non vis.

19. Sequere me.

22. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

CAPUT PRIMUM.

5. Quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

7. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate:

8. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ; et usque ad ultimum terræ.

CAPUT IX.

4. Saule, Saule, quid me persequeris?

5. Ego sum Jesus, quem tu persequeris: Durum est tibi contra stimulum calcitrare.

7. Surge, et ingredere civitatem et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.

10. Anania.

11. Surge, et vade in vicum qui vocatur Rectus, et quære in domo Judæ Saulum nomine Tarsensem; ecce enim orat.

15. Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.

16. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

CAPUT XX.

35. Beatius est magis dare, quàm accipere.

CAPUT XXI.

15. Ego sum Jesus, quem tu persequeris.

16. Sed exurge, et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi,

17. Eripiens te de populo, et gentibus, in quas nunc ego mitto te,

18. Aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me.

EX EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

CAPUT XI.

24. Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

25. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

MONITUM.

Hucusque sacrorum Librorum partem haud exiguam non infeliciter nec imperfectè, plurimorum sanè judicio, interpretatam lectoribus nostris exhibuimus. Attamen nihil tam completum aut succi ac medullæ plenius naquàm dedisse arbitramur, quàm quod in quatuor Evangelia præstandum nunc aggredimur. Multos scilicet inter auctores qui in Ecclesiâ catholicâ venerabiliores hosce Libros commentariis suis illustrârunt, octo cæteros maximè præeminent ac omnium ore primo loco celebrantur. Quos quidem præclarissimos interpretes unà connexos ex integro producendi ratio à nobis quæsita et inventa est, quin ideò voluminum nostrorum tenor magis excresceret, quàm si de more subjicerentur plurimæ variorum scriptorum annotationes; haneque novam laboris præsentis ordinationem, instigante totius boni Auctore nobis suggillatam non sine pergrati animi sensu existimamus. Cùm verò quatuor ex octo supra dictis auctoribus brevissimas solummodò lucubrationes ediderint, ac

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cæteris per modum complementi à nobis adjiciantur, illos ad calcem paginarum, nullo inter lineas relicto intervallo recudimus, adeò ut tenui tantùm et vix sensibili spatio contineantur.

In unumquodque igitur Evangeliorum duo ex celeberrimis interpretibus simul exhibebuntur : nempe in S. Matthæum Maldonatus et Du Hamel ; in S. Marcum Cajetanus et Erasmus ; in S. Lucam Lucas Brugensis et Jansenius Yprensis ; in S. Joannem Natalis Alexander et Sacy.

Quæ nomina ! qui viri ! quantaque nobis obtigit felicitas qui eos in unum conjungere potuimus ! quantus verò dolor emersisset, si unum ex his prætermittere necessitas adfuisset ! quantum quoque detrimentum passi fuissent lectores, tum circa comparandam evangelicæ doctrinæ intelligentiam, tum circa mentes pietate religioneque imbuendas ! Atverò nulli ex sacris Bibliis libri, si ad rerum pondus et sanctitatem respicitur, privilegium hujuscemodi ac curas omninò speciales magis merebantur. Nos ergo felices, qui tales viros eò loci adducere valemus ! Eò verò major mentis nostræ oblectatio, quòd cùm à quatuor Evangelistis eadem facta diversis et aliquandò iisdem verbis enarrentur, ita ut res eòdem sæpiùs redeant, hinc fit ut duo commentaria in unumquodque præbendo, octo reipsà præbeamus.

Omni itaque sub aspectu inspicientur singuli Evangeliorum versus, omnis omninò sensus illustrabitur, nec ullum erit punctum quo litteralis vel supernaturalis significatio non manifestetur, adeò ut omnes simul opes in iis contentæ patefient, ac uno quasi amplexu possidebuntur. Et hoc erit ampla et magnifica series, quâ recensebuntur præstantissimi omnium judicio interpretes. Hinc quantum imperfectionis et maciei vitium ex parte nostrâ apparuisset, si unum tantùm ex quatuor edidissemus, nemo est qui non videat. Merito ergo ac superabundanti gaudio exultamus, qui tantarum divitiarum amissionem cavere, Deo juvante, potuimus.

DU HAMEL VITA.

Du Hamel (Joannes Baptista), ex patre causidico Viriæ in Normanniâ natus est anno 1624. Anno ætatis decimo nono, apud Oratorii Patres ingressus est, nec nisi decem postea annis ab eis recessit, ut vici Gallicè dicti *Neuilly* ad Matronam, curiam parochialem occuparet ; illud autem munus anno 1665 abdicavit, ut ecclesiæ Bajocensis cancellarius constitueretur, ac rebus physicis pro innatâ animi indole totus incumberet. Eum anno 1666 Colbertus elegit, ut Academiæ Scientiarum secretarii officio fungeretur. Duobus verò abhinc annis eum Aquisgranum secum abduxit Colbertus de Croissi, qui de constituendâ pace legatus in hanc urbem missus fuerat ; hanc quoque Du Hamel in Angliam comes secutus est : quod quidem iter philosophi more peregit : quippe qui præcipuum in id studium impendit, ut viros doctissimos inviseret, ac præsertim celeberrimum Boylium, quo juvante, inquit Fontenellius, omnia usu experientiâque comparata physicæ rei mysteria ipsi reserata sunt. Ex Angliâ Amstelodamum sese contulit, eamdem secum ferens scientiæ acquirendæ cupidinem, ita ut ex duplici itinere non mediocres retulerit doctrinæ divitias quibus libros à se exaratos locupletavit. In Galliam redux, continuis sese laboribus dedidit, ad annum scilicet 1706, quo diem supremum obiit inclytus senex, annos duos et octoginta natus. Toto vitæ tempore maximæ vir existimationis apud præstantissimos Ecclesiæ præsules exstitit ; attamen nonnisi exigua semper Beneficia habuit, nec ullum ipsi unquàm obtigit, quod in gratiam alterius à se sponte suâ non alienaverit.

Multa inter doctissimi scriptoris opera, præcipuè commendantur, 1° *Astronomia physica*, cum tractatu de *Meteoris et Fossilibus*, 1660, in-4° ; — 2° *de corporum Affectionibus* ; — 3° *de Mente humanâ* ; — 4° *de Corpore animato* ; — 5° *de Consensu veteris et novæ philosophiæ*, Rothomagi, 1675, in 4° ; — 6° *Historia Academiæ Scientiarum* ; — 7° *Opera philosophica et astronomica*, Nurembergi, 1681, 4 vol. in-4° ; — 8° *Philosophia vetus et nova, ad usum scholæ accommodata*, 1700, 6 vol. in-12 ; — 9° *Theologia speculatrix et practica*, 7 vol. in-8° ; — 10° *Theologiæ clericorum seminarii accommodatæ Summarium*, 5 vol. : — 11° *Institutiones Bibleæ, seu Scripturæ sacræ Prolegomena, una cum selectis annotationibus in Pentateuchum* ; quod quidem opus alterius majoris præludium fuit, nempe *magnorum Bibliorum*, quæ Parisiis sub formâ in-fol. anno 1705 vulgata sunt. Ex his porrò Bibliis *Annotationes in S. Matthæum* ex integro deprompsimus, quas Joannis Maldonati Commentariis instar supplementi subnexas infra lectores invenient.

JOANNIS MALDONATI [1]
IN EVANGELISTAS
Præfatio.

Quæ de Evangelistis communiter quæri posse video, antequàm ad eorum explanationem aggrediar, breviter exponam. Ea autem omnia ad sex capita referuntur : Quid Evangelii et Evangelistæ nomen declaret ; quantam Evangelistæ, et unde auctoritatem habeant ; quot, et quam ob rem non plures quatuor, non pauciores sint ; quo quisque tempore scripserit ; quâ linguâ ; quo consilio.

CAPUT PRIMUM.

Evangelii variæ significationes.

Εὐαγγέλιον faustum jucundumque nuntium significare : et εὐαγγελίζεσθαι, aut, quod frequentiùs usurpatur, εὐαγγελίζεσθαι ejusmodi afferre nuntium ; adeò jam vulgò notum est, ut non tam dicendum fuerit, quàm non prætermittendum. Illud minùs vulgare ; hæc duo verba, etsi apud profanos etiam auctores aliquandò reperiuntur ; propriè tamen esse ecclesiastica. Auctoribus enim septuaginta Interpretibus Ecclesiâ, quasi civitate, donata sunt. Nam alii quidem Græci etiam in faustissimis nuntiis, communi potiùs nuntiandi verbo ἀγγέλλειν, quàm proprio εὐαγγελίζεσθαι, uti solent. Hebræi verò summâ religione in rebus lætis verbi בשר proprietatem servant, in aliis verbis communibus utuntur השמיע הגיד, et si quæ sunt alia. Eorum verborum discrimen intelligitur, 2 Reg. c. 4, 10, et c. 18, 19, 25, 26, 31, et 4 Reg. 7, 9. Duo sunt loci, ubi verbum בשר dici videtur de rebus tristibus ; alter, 4 Regum 4, 17, ubi qui captam à Philistæis aream Domini, cæsum ac fugatum populum Israel, mortuos duos filios Heli patri nuntiabat, vocatur מבשר evangelista. Alter, 2 Reg. 1, 20, ubi David Saulis et Jonathan mortem lugens ait : *Ne ista evangelizetis in plateis Ascalon.* Sed in his etiam locis verbi proprietas servata est. In priore quidem, non quia bonus erat nuntius, ut nonnulli interpretantur, malos sacerdotes occisos esse. Nam etsi id utile erat, tamen patri, cui id nuntiabatur, jucundum non erat : certè non erat bonus nuntius, concisum esse populum, captam esse aream ; quo audito, Heli exanimatus concidit, et fractâ cervice interiit ; sed quia auctor ejus libri usus est verbo non accommodatè ad rem et veritatem ; sed ad opinionem et expectationem hominum, qui, cùm aream Domini in castris esse scirent, certam victoriæ nuntium opperiebantur. Nisi irridam esse malis, quæ haud scio, an in tantâ calamitate populi Dei narrandâ, fuerit opportuna. Calamitosum enim hominem insuper rideri, duplex calamitas est. Posteriore verò loco etsi mors Saulis et Jonathæ Davidi dolorem, tamen Philistæis lætitiam afferebat. Quorum respectu dicit : *Ne evange-*

(1) Joannis Maldonati vitam videre est vol. 19 *Scripturæ sacræ*, ad commentarium in Ezechielem.

JOANNIS BAPTISTÆ DU HAMEL
IN QUATUOR EVANGELIA
Præfatio.

I. Quæ prophetæ futura prædixerunt, hæc quatuor evangelistæ Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes facta commemorant : cum eo discrimine, quod ab Augustino, l. 1, de Consensu evangelistarum, c. 4, fuit observatum. Tres namque evangelistas in his rebus maximè diversatos, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit, Joannem porrò ipsam maximè divinitatem Domini, quâ Patri est æqualis, intendisse : ita ut hos videas quodammodò in terrâ cum Christo Domino conversari, illum autem transcendisse nebulam, quâ tegitur omnis terra, et pervenisse ad liquidum cœlum.

II. Quatuor evangelia, nec plura, nec pauciora semper agnovit et venerata est Ecclesia. Quem enim ab initio tenuit tramitem, ait illustr. Huetius, in Demonstratione evangelicâ, huic constanter insistere perseverat : quæ autem supposuerunt hæretici, delevit dies. Quod verò quatuor evangeliorum libri (atque eadem ratione de reliquis novi Testamenti et apostolorum scriptis) sint genuini eâdem ratione demonstratur, quâ probatum fuit in prolegomenis libros veteris Testamenti esse genuinos, atque eorum esse auctorum, à quibus scriptos esse credit Ecclesia. Nam æquales eorum, atque iis proximi per consequentes ætates scriptores sancti, ut Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, Justinus Martyr, Athenagoras, Irenæus et alii apostolorum vicini temporibus Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis, ut et Acta Apostolorum, Epistolas Pauli, Petri, Jacobi, Joannis et Judæ, ac demùm Apocalypsim citant, ut scripta canonica, atque ex iis varia promunt testimonia. De quibusdam Epistolis à nonnullis olim fuit dubitatum : sed de quatuor Evangeliis nulla unquàm in Ecclesiâ fuit dubitatio.

Quidam hæretici nonnullos novi Testamenti libros repudiârunt, alii novos commenti sunt, ut Petri Evangelium, vel Acta ; alii Andreæ, Philippo, Bartholomæo Evangelia falsò tribuerunt. Sed quæ ratio genuinos libros asserit, quæque ex suffragiis ætatis proximæ et continuatâ serie sequentium repetitur, eadem,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

lisetis hoc in civitatibus Philistinorum, ut statim exponit : *Ne exultent filiæ incircumcisorum*. Itaque in his etiam locis et Hebræus verbo בשר, et Sept. verbo εὐαγγελίζεσθαι proprié sunt usi. Dùm ergo conantur Septuaginta æmulatione quàdam linguæ, Hebraici verbi vim exprimere, verbum εὐαγγελίζεσθαι sic usu triverunt, ut jam non tam Græcorum quàm Ecclesiæ esse videatur. Nam ab Hebræis Septuaginta per imitationem; à Septuaginta apostoli, ab apostolis Ecclesia omnis non Græca modò, sed Latina etiam accepit, quæ evangelizare, sicut baptizare, ita dicit, ut qui nimis religiosè ab iis abstinent, parùm religiosi habeantur, meritò que putentur Ciceronianum potiùs spiritum, quàm Ecclesiasticum habere. Significat etiam εὐαγγέλιον donum, quod bonum afferenti nuntium dari solet. Notum est carmen Græci poetæ (Homeri Odyss. ξ). Sicut apud Hebræos בשורה, 2 Reg. 18, 20, 22, quanquam Septuaginta duobus illis locis non εὐαγγέλιον, sed altero εὐαγγελισμόν, altero εὐαγγελίαν reddiderunt. Itemque sacrificium, quod bono accepto nuntio in gratiarum actionem offerebatur, ut à multis notatum, nescio an ab aliquo ignoratum est. Eâdem prorsùs ratione, quâ divinum nostrum sacrificium εὐχαριστία Græci primùm Christiani, deinde etiam Latini vocaverunt. Sed hæ duæ posteriores significationes à nostro instituto alienæ sunt. Nobis enim Christianis nomen εὐαγγέλιον, Evangelii, nihil aliud quàm bonum optatumque nuntium significat; nec eum quidem omnem; sed illum quo nullus melior, nullus optabilior, neque hominibus afferri, neque à Deo mitti potuit, filium Dei procurandæ salutis nostræ causâ hominem factum, nosque morte suâ, id est, gloriosissimâ victoriâ è crudelissimi hostis manibus, certâque et nunquàm moriturâ morte eripuisse; plusque honoris in Ecclesiâ, ubi quodammodò peregrinatur, quàm in Græciâ patriâ suâ hoc nomen consecutum est. Id enim aliarum significationum, quas secum attulerat, oblitum, καθ' ἑξοχὴν solùm declarat, quod est præstantissimum. Nec aliud jam quàm Christum, salutem hominum, cœlum, vitamque beatam loquitur. Itaque rectè veteres theologi, Ambrosius, aut potiùs Remigius, in c. 1, ad Rom., et in c. 1, ad Galat., et Eusebius, lib. 1 de Præp. Evang., c. 1, Evangelium definire solent bonum nuntium, quo peccatores ad indulgentiam vocantur. Si addas per Christum, non solùm perfecta, sed etiam magis explicata erit definitio. Sed ne hoc quidem sensu dicuntur hæc, de quibus dicere aggredimur. Animadverto enim nomen Evangelii in novo Testamento quatuor modis accipi solere. Primò pro re ipsâ lætâ, quæ nuntiatur, ut Matth. 4, 23; et Matth. 9, 35; et Marc. 1, 14. Secundò pro doctrinâ Christi, Matth. 24, 14; et Matth. 26, 12; Marc. 1, 15; et 8, 35; et 10, 29. Tertiò pro prædicatione, quæ significatio apud D. Paulum est frequentissima. Rom. 1, 1; et 16, 25; et 1 Cor. 4, 15; et 9, 24; et Gal. 2, 2. Quartò pro historiâ, quâ Evangelium, id est, Christi ad nos adventus et vita narratur, Marc. 1, 1, ac nescio an alibi usquàm in hâc significatione reperiatur. Nam quod ait D. Paulus de Lucâ loquens, 2 Cor. 8, 18 : *Cujus laus est in Evangelio*; licèt multi, et in iis gravis auctor Hieron. de Viris illust. in Lucâ, de Evangelio à Lucâ scripto interpretentur; et alii putent, quoties D. Paulus Evangelium suum nominat, quod sæpè facit, de Lucæ Evangelio intelligendum; interpretatio non constat; et est probabilius D. Paulum, laborem in prædicando Lucæ magnum, diuturnum, et cum multis conjunctum periculis, quàm scribendi nec ita magnum, et perbrevem, periculique expertem commendare. Hoc igitur sensu hæc quatuor, de quibus agimus, Evangelia vocantur; ut definire Evangelium liceat, historiam, Christi ad nos adventum, actaque continentem, Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, tanquàm dictatam ab Spiritu sancto, approbatam. Nec enim omnis de Christo historia, etiam vera, est Evangelium, nisi illi Ecclesiæ auctoritas accedat, ut secundo præfationis capite dicemus.

Evangelistæ autem, et si ab Evangelio nomen habent, tamen, quantùm nunc quidem meminisse queo, nusquàm dicuntur in Scripturis sacris, qui Evangelicam historiam scribunt; sed qui prædicant Evangelium. Isai. 41, 29, quanquàm eum locum Septuaginta Græcè non vertunt, et Act. 21, 8; Ephes. 4, 11, 2, Tim. 4, 5, usus tamen ecclesiasticus obtinuit, ut qui in sacris Litteris evangelistæ vocantur, ii vulgò nunquàm; et qui in sacris Litteris nunquàm, ii vulgò semper evangelistæ vocentur. Nec ideò contemnendus matris nostræ sermo est, sed imitandus. Nam et in civitate ii optimè loqui censentur, qui eo sermone utuntur, quem à matre vel à nutrice, modò non rusticâ, sed urbanâ benèque institutâ, didicerunt; quod illis clarissimis Romanorum oratoribus contigisse legimus. Et ut in civitate verbis uti non civilibus olet barbariem; ita in Ecclesiâ verbis uti non ecclesiasticis olet hæresim. Evangelista igitur nobis sit, qui Evangelicam Spiritu sancto dictante scripsit historiam, et ab Ecclesiâ Catholicâ, ut ejusmodi, probatus est.

Quòd si eruditorum omnium judicio stultum planè esset de Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aut Titi Livii operibus dubitare, quæ sunt ab ipsis Auctorum temporibus per consequentes ætates doctis omnibus probata, multò major erit illorum amentia, qui negant quatuor Evangeliorum, et alios novi Testamenti libros esse genuinos, et ab iis scriptos quorum nomina præ se ferant. Non enim unius aut alterius auctoris testimonio, sed totius penè orbis consensu recepti sunt, idque intra 40 aut 50 annos, viventibus adhuc apostolis, stante Judæorum republicâ, Hierosolymâ nondùm excisâ, cùm auctores eorum agnosci facilè possent, nec quisquam de iis dubitaret, atque in omnibus extarent ecclesiis horum librorum exemplaria.

III. Si quidem libri sacrosancti ac divini ab omnibus Christianis semper habiti sunt, adeò ut summa religio his fuerit quidquam iis addere, aut detrahere. Ex quo id factum est ut hæc apostolorum monumenta licèt intra breve temporis spatium in varias sint translata linguas, atque inter Christianos complures sectæ et hæreses exortæ fuerint, integra tamen et incorrupta permanserint, atque inter tot diversarum nationum

cipio erat verbum, et verbum erat apud Deum et Deus erat verbum. Testis est Epiphanius, hæresi 51. Neque verò illos ipsos, quos recipiebant, totos integrosque; sed mutilatos, et, ut Irenæus loquitur, circumcisos recipiebant. Nempe similes alienigenis illis mulieribus divinos putabant evangelistas, quas captas in bello aliter, quàm tonso capillo, resectisque unguibus lex antiqua duci prohibebat. Dispiciebant enim diligenter, ecquid esset, quod suæ adversari hæresi videretur; idque non erat Evangelium, et delentes, quasi correcturi, corrumpebant. Itaque coargui à Catholicis non poterant, nisi ex iis locis, quos aut oblivione, aut inconsiderantiâ aut confidentiâ non delevissent. Ridet Tertullianus, lib. 5 contra Marc., Marcionis spongiam, quòd non satis diligenter omnia, ex quibus Marcion revinci poterat, induxisset. Alii ne impii, sed religiosi viderentur, evangelistas ab hæreticis corruptos fuisse querebantur; et ne omninò mentirentur, per religiosam speciem emendendi ipsi corrumpebant; fictaque librorum corruptio, materia illis erat veræ corruptionis. *Humanæ temeritatis* (inquit Tertullianus, lib. contra Marcionem, 4), *non divinæ auctoritatis est hæresis, quæ sic semper emendat Evangelia, cùm vitiat.* In quo impudentiæ genere cùm omnes hæretici versati sunt, tùm maximè Manichæi excelluerunt. Itaque vix poterat Augustinus, epistolâ 19, contra illos disputans stare, et in ullo scripturæ loco pedem figere, quin locus ipse subtractus à Manichæis pedem falleret. Antiquum hæreticorum artificium. Nam et illis primis Apostolorum temporibus, ut ait Ignatius, 1 epistolâ ad Philad., nonnulli erant, qui adeò suspecta haberent omnia, ut negarent se Evangelia, nisi in Ecclesiæ archivis invenirent, credituros. Manichæi aliâ non minore impietate negabant hæc, quæ habemus, Evangelia ab eis auctoribus scripta, quorum nomina præ se ferunt; sed ab aliis longè posterioribus scripta dicebant, qui nec vidissent ea quæ narrarent, nec ab iis, qui viderant, accepissent. Sic apud August., lib. contra Faustum 33, c. 3. Faustus ipse Manichæorum princeps loquitur, et tamen habebant Manichæi suum purum et incorruptum Evangelium, quod Manichæo

exemplaria, nulla penè facta sit dissensio, nisi fortè ex eorum qui hos libros exscripsêre incuriâ, aut insciliâ, idque in rebus levioris momenti, ut fieri solet, quædam lectionis varietas irrepserit. Nam aliter fieri nequit citra novum et continuatum miraculum.

Quòd autem quatuor Evangeliorum, et alii novi Testamenti libri ad nos usque incorrupti pervenerint, iisdem rationibus evincitur, quibus usi sumus in prolegomenis, seu in biblicis institutionibus, quæ ad libros novi fœderis longè potiori jure adhiberi possunt.

Primùm enim autographa sacrorum librorum in ecclesiis præsertim apostolicis, aut in iis ad quas missa fuerant apostolorum scripta, diligenter sunt conservata, et exemplaria ubique exscripta. Si quæ majoris momenti in extypis ab archetypis diversa fuissent, hæc omnibus ecclesiis statim innotuissent, et rejecta, viventibus præsertim apostolis. Ac post eorum obitum viri apostolici, Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, et alii his vicini temporibus, ut Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus eadem proferunt loca quæ nunc legimus.

An fortè inter exscriptores ubique terrarum dispersos id convenire potuit, ut sacros libros iisdem erroribus et mendis, quasi ex condicto inquinarent? Nec video quâ ratione tam sibi æquabilis et uniusmodi facta fuerit illa sacri textûs depravatio. An viventibus apostolis, aut brevi post eorum obitum temporis spatio? An repentè et simul id factum fuit? An paulatim et temporum lapsu? Nihil horum dici potest, quòd in magna non incurrat incommoda. Quis ille fuit tot falsitatum auctor? Quibus in temporibus evenit? Et quidem omnes ecclesiæ Ebionitas qui Matthæi, Marcionitas qui Lucæ Evangelium et Pauli Epistolas corruperant, statim ut falsarios damnârunt.

IV. Accedit illud vel maximum, quod in prolegomenis veteris Testamenti et alibi fusiùs fuit expositum, his libris omnes inesse veritatis, et sinceritatis characteres. Stylus ipse simplex est et modestus, ab omni fuco alienus; nulla quippe in iis est mundanæ eloquentiæ affectatio; non vanis immorantur conjecturis, facta referunt nudè et apertè; nec demùm veritas ipsa, si homines alloqui vellet, aliam scribendi rationem adhiberet.

Spiritus sanctus tradidisset. Mos nimirum omnium hæreticorum scripturas non admittere, sed facere; Evangelium non recipere, sed dare. Nam et hodiè, nisi Calvino placuisset, quatuor Evangelia non haberemus. Potuit enim eâdem temeritate, quâ alios ab Ecclesiâ probatos libros rejicit, ista rejicere. Habent ergo quatuor evangelistæ tantam auctoritatem, quantam habet Spiritus sanctus, cujus in scribendo tantùm tuerunt amanuenses. Nec enim litteræ nostræ auctoritatem habent, quia à servo scriptæ; sed quia à nobis dictatæ sunt.

Offendi solent hæretici, et quasi audità impietate cohorrescere, cùm dicimus evangelistas et cæteros scriptores sacros ab Ecclesiâ auctoritatem habere, quasi Deo Ecclesiam anteponamus. Nec enim intelligunt homines valdè, ut sibi videntur, acuti, nos ita dicere Ecclesiam Scripturis auctoritatem dare; quòd à Deo datam declaret; et eas ab ipso dictatas esse confirmet. Cur eos non reprehendunt, qui vulgò dicunt litteras regias à Nomophylace, qui sigillum adhibuit, auctoritatem habere, quasi Domino servum præponant? et Dei sigillum Ecclesia profectò, non Calvinus habet, illum ipsum spiritum, qui non Calvino, sed Ecclesiæ promissus ac datus est, ut cum illâ maneret in æternum; quique suam manum scripturamque haud paulò sanè meliùs quàm Calvinus recognoscit. Hic est qui quatuor Evangelia primùm dictavit; deinde nobis ea à se dictata fuisse per Ecclesiam declaravit; nosque idem docet Spiritum istum Calvini, quo tas Scripturas probat, illas improbat, hæreticum esse. Cùm ergo omnes scriptores sacri tantam habeant auctoritatem, quantam possunt habere maximam, tamen quatuor evangelistæ, si maximâ major esse potest, majorem habent maximâ. Nemo enim Christianus est, quin ductu quodam religionis, cùm omnibus sacris auctoribus quantùm potest tribuat, quatuor evangelistis plus quàm aliis tribuere videatur, et quia ii ipsa dicta factaque Christi commemorant, ut cùm eos legimus Christum ipsum intueri audireque videamur, ut D. Basilius, homil. in Evangel. Joann.: *In principio erat verbum*, admonuit, et quia Evangelia finis sunt veterum Scripturarum, novarum fons, omnium, ut Origenes, tomo 1 in Joan. vocat, primitiæ, et quia eadem à quatuor testibus dicta, quæ testium multitudo etsi fidei non est necessaria, humanæ fragilitati est utilis.

Sed audio quosdam incredulos, qui auctores horum librorum, quicumque ii sint, non res gestas, sed fictas ad libidinem et commentitias scripsisse, non seriò egisse pertendunt.

Quâ tandem ratione id probare possunt, Evangelistas non historiam, sed dicta narrasse miracula? Cùm ubique seriò et asseverantèr, ut testes oculati ea referant, quæ ipsi viderint, aut ab iis qui viderant, acceperunt, quæque publica fuerant, et coram magnâ populorum multitudine facta. Quin et loca ipsa, personas, circumstantias omnes sic designant, ut omnibus palam sit, hoc iis fuisse propositum, ut viam salutis docerent, non ut oblectarent legentium animos.

V. Quæ narrant Christi et apostolorum miracula, hæc primùm in Judæâ, tum toto terrarum orbe intra paucorum annorum spatium sunt perpetrata et promulgata. Quòd si mores eorum, instituta, et vitæ rationem quam à Christo Domino acceperant, intento animo intueamur, de horum testimoniis nullus esse potest dubitandi locus. Relictis omnibus secuti sunt Christum, qui eò venerat, ut testimonium perhiberet veritati; eam violare in iis maximè quæ ad religionem pertinent, nefas esse et scelus horrendum, persuasi omnia potiùs perferenda esse tormenta, quàm id sceleris in se admittere.

Hoc ipsum à Christo Domino didicerant, nihil aliud in hoc mundo iis expectandum præter calamitates, persecutiones, contumelias, supplicia, mortem denique, spem omnem suam et fidelium in futurâ et beatâ vitâ esse collocandam.

Quamobrem qui Evangelia, vel alios novi Testamenti libros, aut Epistolas scripsêre, nec falli, nec fallere potuerunt, atque iidem sunt, quibus hi libri tribuuntur. Hoc unum illis fuit propositum, ut quæ revera sunt gesta, aut dicta, hominibus persuaderent. Quæ esset magistri sui doctrina, apprimè noverant; in factis tam publicis, tam manifestis decipi non potuerunt. Hujus generis fuit Christi resurrectio, aut Spiritûs sancti in discipulos effusio; nec ulla suberat causa cur in tam manifestis et recentis memoriæ rebus, in luce publicâ positis toti orbi imponere conarentur. Quod enim ex iis commentis sperare poterant emolumentum? An fortè tot homines id consilii capere, aut exequi potuerunt, et terrarum orbem eâ fide implere? An ex his, ut placet incredulis, laudem et nominis gloriam è commentis quæsierunt? A quibus tandem hanc gloriolam aucuparentur? Non ab aliis certè quàm ab his qui Christi doctrinam et præcepta in honore habebant. Sed nulla res magis eorum existimationem apud Christianos deterere potuisset, quàm

c. 2, quòd quatuor sint orbis terrarum plagæ, per quas deferendum esset Evangelium. Habet enim Deus in Ecclesiâ suâ administrandâ rationem hujus numeri, ut accommodatè ad hominum consuetudinem, et rerum naturam agat atque loquatur. Sic videmus Christum, Matth. 24, 31, dicere tum cùm finiendum erit Evangelium, et ejus, ut ipse vocat, messis colligenda, missurum se angelos (ut opinor quatuor) in quatuor ventos terræ, ut ubi seminatum est, ibi metatur, et quadripartito æqualiter agro par metentium atque seminantium numerus sit. Sic in Apocalypsi, c. 7, 1, quatuor angelos quatuor ventos cohibere. Sic apud Ezechielem 1, et Joannem, Apocal. 4, 6, illustrem illum currum, cui divina insidet majestas, à quatuor animalibus trahi. Et Evangelium currus Dei est, in quo divina majestas maximè lucet. *Virtus enim Dei est*, ut loquitur D. Paulus, *in salutem omni credenti*, à quatuor igitur animalibus trahendum erat. Itaque cùm multis in veteri testamento figuris quatuor evangelistas significatos fuisse veteres auctores dixerint, quatuor Paradisi fluminibus, quatuor annulis quibus arca Domini gestabatur, ut Hieronymus in prol. in Marcum scribit, quatuor illis animalibus Ezechielis; reliquæ figuræ et eleganter adaptatæ mihi videntur, et esse probabiles, hæc non probabilis modò, sed certa etiam ac necessaria, in hoc ipsum à Spiritu sancto instituta, ut quatuor futuros evangelistas præmonstraret. Nec enim dubium est quin quatuor animalia idem in Ezechiele, et in Apocalypsi significent; in Apocalypsi autem, cùm viginti quatuor seniores, qui thronum circumstant, vigiæ quatuor illas columnas Ecclesiæ, duodecim patriarchas, totidemque apostolos significare manifestum sit; quis dubitet quatuor, quæ thronum gestant, animalia quatuor Evangelistas declarare? Itaque nec sine causâ, nec sine divino, ut arbitror, afflatu factum est, ut, cùm veteres theologi alii alias quatuor evangelistarum figuras invenerint, in hâc cuncti, Iren., lib. 3, c. 11; Hieron., in prol. in Matth., Anast., q. 65; Eucherius, q. 1, in nov. Test., consensi ansi essent in Judæâ primùm, tum apud gentiles ficta jactare miracula: cùm falsi revinci facilè potuissent vel ab ipsis Judæis, qui summis in Christianam religionem odiis ardebant.

VI. Verùm ut ad institutum nostrum redeamus, quatuor Evangelia semper agnovit et excepit Ecclesia, quamvis ex prologo Lucæ evangelistæ constet complures id suscepisse, ut quæ ad vitam Christi Domini, et doctrinam spectant, mandarent litteris. Sed præter quatuor evangelistas non judicavit Ecclesia alios à Deo sic inspiratos fuisse, ut eorum scriptis fidem adhiberet, aut canonicam iis auctoritatem tribuere oporteret. Hinc Irenæus, l. 3, c. 2, quatuor tantùm esse Evangelia docet, nec plura, nec pauciora, eaque esse velut quatuor Ecclesiæ columnas: idem tradit Clemens Alexandrinus, l. 3 Stromatum. Hoc ipsum passim tradit Origenes, ut homil. 1 in Lucam; atque ea est constans omnium veterum sententia.

VII. Cur autem non plures aut pauciores Spiritu sancto afflatos, qui Evangelia scripserint, agnoverit Ecclesia, vix ulla afferri alia causa potest præter Dei voluntatem. Unus quidem cuncta scribere potuisset, quæ à pluribus referuntur evangelistis: sed in quatuor illis qui diversis scripsêre temporibus, summa consensio majus est quoddam veritatis argumentum, quàm si unus tantummodò eadem Domini facta et dicta retulisset. Quin etiam si quæ sit in miraculis Christi proferendis inter evangelistas varietas, si quædam ab uno narrantur, quæ ab aliis omittuntur; si inter eos nonnulla in locis, temporibus, et aliis circumstantiis specie dissidentia videantur, bonam et sinceram eorum fidem hæc omninò confirmant: adeò ut vel ex hoc ipso palam fiat non ex conventione, aut ex collusione quâdam eos scripsisse: ubique eadem fides, et idem candor se prodit. Sic apostolorum contentiones, æmulationes, lapsus, uti et patientiam, fidem, constantiam æquè commemorant. Quamobrem si quid ab uno omissum fuit, quod ab aliis traditum est, si quæ sit in narrationis ordine diversitas, si eamdem Christi Domini sententiam non iisdem verbis referant, nihil propterea de eorum auctoritate et veracitate decedit: sed bonam eorum fidem et veracitatem magis adstruit. Non enim pugnant scriptores, si fortè unus proferat, quod ab alio omittitur, neque ordinis in narrandis factis diversitas veritati ipsi præjudicat: cùm idem est sensus, sibi constat sententia, licèt non iisdem prorsùs verbis efferatur.

VIII. Primùm enim illud cum Augustino statuendum est sæpè ab uno evangelistâ prætermitti, quod ab alio memoratur. Sic Matthæus, cap. 1, hæc habet;

rint. Rarò autem solent sine spiritu Dei humana consentire ingenia.

Cur autem illis quatuor animalibus homini, bovi, leoni, et aquilæ potiùs, quàm aliis Deus insideat, et in commentariis in Ezechielem aliquot causas attulimus (1); et hìc illam unam attingere satis est, quam iidem illi theologi veteres attulerunt, quòd hæ animalium formæ ad exprimendos quatuor evangelistarum mores aptissimæ viderentur. Nam Joannes primo statim impetu usque ad Christi divinitatem volans similis est aquilæ. Lucas ab officio sacerdotis exorsus similis bovi animali sacrificiis apto. Marcus à voce clamantis in deserto initium sumens rugientem in montibus leonem refert. Matthæus ab humanâ Christi generatione incipiens se ipse unà cum Christo quodammodò hominem facit. Ita ferè omnes auctores quatuor animalium figuras ad quatuor evangelistas accommodârunt. Nonnulli paulò aliter. Nam omnium antiquissimus Irenæus Joannem leonem, Marcum aquilam facit, quòd Joannes fortiter et efficaciter aggrediatur. *In principio erat verbum*, et *omnia per ipsum facta sunt*; et Marcus Spiritu prophetico sublatus sic ordiatur: *Vox clamantis in deserto*. Sed hæc varietas fidem figuræ non detrahit. Sedulius, poeta christianus, quatuor evangelistarum numero universitatem temporum significari putat. Nam duodecim apostolos duodecim anni menses, quatuor evangelistas, quatuor anni tempora, per quæ sol Evangelii decurrat, designare sit.

CAPUT IV.

Quo tempore Evangelistæ scripserint.

De tempore autem quo suum quisque scripserit Evangelium, in eo omnes prorsùs auctores convenire video; eo ordine temporis scripsisse eos quo ordine inter se collocati sunt. Nam, ut in publicis consessibus fieri solet, sua cuique ætas locum dedit. Itaque dubium non est quin primus Matthæus, secundus

(1) Vid. vol. 19 Cura. compl. Scripturæ sacræ.

Marcus, tertius Lucas, postremus Joannes scripserit. Scio nostro tempore hæreticum, Bezam, quemdam affirmâsse Lucam primum omnium scripsisse, idque ex ejus præfatione probare voluisse. Sed si hæreticis crederemus, nihil in ipsâ etiam religione certum, stabileque haberemus. Quo autem quisque præcisè tempore, et quo loco scripserit, incertum. Matthæum plerique tradunt anno tertio Caligulæ, id est, octo post Christi ascensionem annis, Romæ Petro et Paulo (ut bonâ cum veniâ dicamus hæreticorum) Evangelium prædicantibus, in Judæâ suis potissimùm populâribus scripsisse. Sic ferè Irenæus, lib. 3, c. 1, etsi tempus Caligulæ non notat, sic Athanasius in Synop.; sic Eusebius, lib. 3 Hist. eccles., c. 8, et in Chron.; sic Chrysostomus, sic Augustinus, lib. 1, de Consens. evan., c. 2, et Theophylactus, in proœmio Comment. in Matth., quasi ex majorum traditione docuerunt. Etsi ex illis nonnulli dicunt Petrum etiam tum Antiochiæ fuisse, ut Eusebius, et Athanas. Theophylactus affirmat Marcum decem post annis, Lucam quindecim, Joannem triginta duobus suum Evangelium edidisse. Vindicet auctor suam fidem. Joannem Evangelium in Pathmo insulâ scripsisse, Theophylactus in ejus Prologo; Nicephorus, lib. 2, c. 42; Prochorus in Vitâ Joannis, c. 56; Dorotheus, Simeon, Metaphrastes, Ephesi scripsisse post reditum ab exilio, Irenæus, lib. 3, c. 1; Eusebius, lib. 3, c. 8. Augustinus, aut quisquis auctor est prologi ejus in Joann.; Hieronym., Isidorus, Gregorius Turon., in lib. de Glorià martyrum, c. 3; Isidorus, in lib. de Sanctis novi Testam.; Beda, Euthymius, Theophylactus item et Nicephorus scripsisse ante excidium Hierosolym., anno post ascensionem Christi trigesimo secundo, aut tertio; idemque necesse est senserint auctores illi, qui in Pathmo insulâ scripsisse putaverunt. Hieronymus, et alii post excidium, annis post ascensionem 68, et Beda 65.

CAPUT V.

Quâ linguâ Evangelistæ scripserunt.

Constantissima autem apud omnes veteres auctores fuit opinio cæteros quidem Græcè, quæ tunc linguæ, ut paulò ante Cicero dixerat, orat. pro Archiâ; *latissimè per omnes ferè gentes audiebatur*; Matthæum verò Hebraïco scripsisse sermone. Quod et illi scriptores, quos paulò ante nominavi, et præterea Origenes et Papias vetustissimus auctor, apud Eusebium, lib. 3 Hist., c. 39, et Epiphanius, hæresi 30, et Chrysostomus, homil. 1 in Matthæum, et Hieronymus, lib. de Viris illust., et in prologo in Matthæum, et quicumtexantur, quæque si minùs temporibus, saltem insigni aliquâ circumstantiâ sunt conjuncta, in eamdem orationem includantur.

Jam si evangelistas inter se conferamus, Matthæus Christi miracula paucis complectitur, sed veteres prophetias à Christo Domino impletas fuisse passim insinuat. Verborum ordinem sæpè commutat, quædam subtilè addit, aut detrahit eodem sensu reservato. Sic verba Isaiæ, 7, 14: *Vocabis nomen ejus, Emmanuel*; Matthæus, c. 1, 23: *Vocabunt*: eadem est ratio, cap. 2, 6: *Et tu Bethleem*, etc., qui locus et cap. 5 Michææ desumptus est. Scribæ enim et sacerdotes explicare maluerunt quod sensit propheta, quàm sensum ejus subobscurum ad verbum reddere. Interdùm etiam duplicis prophetiæ sententias connectit, ut cap. 21, 45: *Dicite Filiæ Sion: Ecce rex tuus venit*, etc. Prior est Isaiæ, c. 62, posterior Zachariæ, 9. Sic aliquando adjicit quæ præsentem locum illustrare possunt, ut cap. 19, 5: *Erunt duo in carne unâ*; vox *duo* ab Hebræo textu abest.

Lucas omnium minimè temporum ordinem videtur servare. Sic cap. 11, sermonem Domini cap. 6 inceptum prosequitur; Scripturam citat magis juxta Sept. interpretationem, quàm juxta textum Hebræum.

Joannes hebraïsmis præter cæteros utitur: nam omnes penè ejus sententiæ orationè directâ sine ullâ circuitione concluduntur, ac licet à se invicem pendeant, nullo tamen nexu plerùmque inter se colligantur, nisi simplici conjunctione *et*, aut aliâ consimili, ut cap. 17, v. 8, et sequentibus: quæ omnes sententiæ connecti possent per relativa Hebræis minùs usitata; unde hæ particulæ copulativæ plerùmque eam vim habent, ut causam significent, et argumentum inferant; cùmque sæpè desint, major interdùm in sententiis est obscuritas. Antitheses illustrationis et confirmationis causâ usurpat, ut cap. 1 de Luce et Tenebris: appositiones quoque plerùmque acìscit, quas Latini per voculas *nempè, scilicet*, etc., annectunt; ut cap. 1, 12: *His qui credunt*, nempè his qui credunt. Item cap. 5, 15; *nisi qui descendit de cœlo*, nimirùm, Filius hominis. Antecedens nonnunquàm pro relativo ponit, quod in Hebraico sermone est usitatum.

que de hâc quæstione mentionem fecerunt, tradunt. Quis autem ex Hebraico in Græcum sermonem verterit, pauci dicunt, et qui dicunt inter se non consonant. Nam Athanasius Jacobum fratrem Domini, Theophylactus Joannem transtulisse scribit. Augustinus incertum putat, cujus ego sententiam credo esse certissimam. Hieronymus Hebraicè se vidisse testatur, hodièque inter Judæos reperitur, prodiitque ante non multos annos typis excusum, quod an illud idem sit, quod Hieronymus viderat, constare non potest; mihi valdè suspectum est, quod per Judaicas primùm manus, deindè per hæreticas acceptum est, utrasque minimè sanè fideles. Negare autem Matthæum Hebraicè Evangelium edidisse, quod quidam non indocti nostro tempore fecerunt, nescio an aliquam temeritatis notam mereatur. Ego quidem certè non negavero. Plus enim apud me perpetua antiquitatis opinio, et omnium veterum scriptorum auctoritas, quàm istorum, quamvis subtiles, rationes valent. Nam quod dicunt non potuisse Matthæum Hebraicè scribere, cùm nomina Hebraïca sæpè interpretetur, ut *Emmanuel, id est, nobiscum Deus; Eli, Eli lamma sabacthani, id est, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* non tanti est ut confirmatam tot seculorum antiquitate sententiam deserere debeamus. Minus etiam illud:

X. Hæc et alia hujus generis vir pereruditus in suis regulis ad intelligentiam novi Testamenti conscriptis fusiùs persequitur, quæ leviter attigisse satis fuerit. Idem non minùs utiles de docendi modo, quo usus est Christus Dominus præmisit observationes, quæ apud auctorem legi possunt, easque suis locis non omittemus, uti et quæ de parabolis ab eo sunt prudenter annotata. His in docendo sæpè utebatur Christus Dominus: est quippe simplicissimum docendi genus, rudibus maximè accommodatum, et ab omni ostentatione alienum. Philosophi contortis magnâ arte syllogismis tenebras offundunt; rhetores vim quamdam animis afferunt; Pharisæi apud Judæos retrusa quædam, et à populi captu semota congerebant. At divina sapientia hoc simplex docendi genus selegit, ut gloria omnis renovati per Evangelium mundi divinæ esset, non humanæ virtutis opus.

Illud inprimis intuendum quò spectet parabola; neque id anxiè nimis inquirendum, quid singula significent verba. In iis enim quædam sunt necessaria, ac velut propriæ cujusque parabolæ partes, quædam adjecitia, et ad ornatum comparata, ut constet sibi narrationis ordo. Solo vomere, ut ait August. l. 16, de Civit. Dei, cap. 2, terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, cætera aratri membra sunt necessaria. Complures parabolæ non solùm benè vivendi documenta, sed etiam permagni momenti prophetias continent: ut parabola de grano sinapi magnos Evangelii progressus prænotabat; altera de villicis infidis Christi mortem, Judæorum ingens flagitium, ac pœnas quas daturi erant, apertissimè designabat. Quod autem Christus Dominus abruptâ interdùm disserendi ratione uti videatur, id ab eo factum est, quòd, cùm intima audientium cogitata penetraret, quæque ad finem sibi propositum spectarent, intueretur, eorum qui audiebant utilitati sermonem suum accommodare voluerit. Verùm ista et alia hujus generis plurima circa parabolas, prophetias, veteris Testamenti figuras, et earum usum suis quæque locis commodiùs exponuntur: nunc institutum nostrum prosequamur.

XI. Hactenùs de quatuor evangeliis universim præfati sumus, nunc de singulis dicturi ab eo quod omnium primum scriptum fuit à Matthæo ordiamur. Illud patrio sermone, seu Hebraico, qualis tum erat in Judæâ usitatus, scriptum fuisse communis est omnium ferè veterum, et recentiorum sententia. Paucis post Christi Ascensionem annis, antequàm apostoli in varias regiones discederent, ex aliorum apostolorum consensu, et Judæorum qui ad Christi fidem recens conversi fuerant, precibus adductus hoc scripsit Evangelium. In Græcam linguam statìm translatum fuit, atque una tantummodò versio facta est totius Ecclesiæ consensu recepta et probata, eaque vim habuit textûs originalis, et archetypi. Quod enim Hieronymus textum Hebraicum Cæsareæ Palæstinæ in bibliothecâ S. Pamphyli martyris asservatum docet, illud erat Evangelium, quo Nazarei utebantur, et in quo multa extabant à nostro textu, et genuino aliena. Unde cùm Hieronymus Latinam versionem emendavit, non ad Hebraicum, vel Syriacum, sed ad Græcum textum eam exegit, atque ut ipse loquitur, *Græcæ fidei reddidit*. Cajetanus tamen, Erasmus et alii perpauci in eâ sunt opinione ut putent Matthæi Evangelium Græcè exaratum fuisse, quòd in eo quædam voces latinæ occurrant, quæ potiùs à scriptore Græco, quàm ab Hebræo erant usurpatæ, quòd Græcorum cum Latinis majus esset, quàm cum Hebræis commercium, et inter eas linguas major esset cognatio. Sic vocis *Petri* ad *Petrum* allusio inter Græcum et Latinum sermonem inest tantummodò. Addunt voces Hebraïcas, aut Syriacas ab auctore ipso Græcè exponi solitas, quòd fieri vix potuit ab eo qui Syriacè scripserit. Sed ista non aliud evincunt quàm interpretem Græcum voces Syriacas exposuisse, easque fecisse Græcas, aut Latinas. Sic 70 Interpretes propria quædam nomina veteris Testamenti Græcè solent interpretari, idque in vulgatâ editione Latinâ non est infrequens, etiam in appellativis nominibus, ut Latinè explicentur.

Cur potiùs hæc duo nomina Hebraica, quàm alia omnia interpretabatur, si omnia scripta erant Hebraicè? Et quâ linguâ interpretabatur? Hebraicâ? non opus erat: aliâ? non poterat, cùm aliâ non scriberet linguâ. Isto enim modo probare possent, nec vetus Testamentum Hebraicè, neque Græcè novum scriptum esse. Nam et in veteri aliquando Hebraica Græcè, sæpè verò Latinè; et in novo Latinè Græca interpretata legimus, 1 Reg. c. 7, 12: *Et vocavit nomen ejus Ebenazer*. Septuaginta verterunt addentes nominis proprii interpretationem; et Genes. 31, 48: *Appellatum est nomen ejus* גלעד, Latinus addidit, *id est, tumulus testis*. Et Genes. 35, 18: *Et vocavit nomen ejus, Benoni*, Latinus addit, *id est, filius doloris mei*, et rursùm: *Pater verò vocavit eum Benjamin*, addit Latinus, *id est, filius dexteræ meæ*. Exodi 16, 15, 31: *Vocavit nomen ejus Manhu*. Latinus adjecit: *Quod significat: Quid est hoc*. Et in Apocalypsi cap. 9, 11: *Nomen illâ Hebraicè Abaddon, et Græcè nomen habet, Apollyon*. Addit Latinus interpres: *Et Latinè habens nomen Exterminans*. Si Moses Hebraicè scribebat, quomodò Hebraica; si Joannes Græcè, quomodò Græca nomina Latinè interpretabatur? Istæ igitur interpretationes non auctoris, sed interpretis sunt. Adde quod non est absurdum Hebraica verba He-

braicè scribentem aliis Hebraicis verbis interpretari Id enim cùm aliquod compositum verbum est aut minùs usitatum, etiam vernaculà loquentes linguà facere solemus.

Quale erat nomen עמנואל quod etiam Hebraicè non solùm exponi potest, sed etiam opus est. עמנו אל aut עמנו יי, et, *Eli, Eli lamma sabacthani*, quod cùm Syriacum sit, Hebraicè verti poterat. Quanquàm in eo Evangelio, quod nunc exstat Hebraicè, non additur eorum nominum interpretatio; nec hoc dico quod factum; sed quod fieri potuisse credam. Probabilius enim esse arbitror hujusmodi etymologias, et explicationes nominum interpretem adhibuisse. Nec id quidquam de scripturæ auctoritate minuit.

CAPUT VI.

Cur Evangelistæ scripserunt.

Quo autem consilio, et quibus causis Evangelistæ ad scribendum adducti fuerint, partim ipsi indicant, partim nos ex veterum auctorum lectione cognoscere, partim conjecturâ consequi possumus. Lucas c. 1, 1, significat se ad scribendum impulsum, quòd videret conatos esse multos Evangelium scribere, qui parùm fideliter id præstitissent. Quod postremum etsi apertè non dicit, velle tamen videtur intelligi. Cùm enim dicit se à principio assecutum diligenter omnia ad scribendum accedere; obscurè indicat eos de quibus loquebatur, nondùm satis veritatem assecutos aggressos scribere. Sed vir nimirùm sanctus majoris esse modestiæ judicavit diligentiam, fidemque suam ad scribendam historiam necessariam profiteri, quàm alienam negligentiam, infidelitatemque reprehendere. Illo etiam verbo quo utitur initio *conati sunt:* significat eos quos tacitè subaccusat, conatos quidem fuisse; sed quod conati essent, minimè perfecisse, ut veteres auctores Origenes, homiliâ 1 in Luc.; Ambrosius, in Lucæ c. 1, et Augustinus, lib. 4 de Consen. evang., c. 8, adnotaverunt. Eamdem etiam causam cæteros evangelistas, ut scriberent impulisse, quamvis non dicant, ex Lucâ, qui dicit, intelligendum est. Aliam causam Joannes affert, quàm etsi alii non afferunt, tamen quia eadem omnium erat mens, cor unum et anima una, eadem sanctitas, credendum est omnibus fuisse communem. *Hæc*, inquit Joan. 20, 31, *scripta sunt ut credatis, quia Jesus Christus est filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Tertia causa videtur fuisse ut auditores, quibus Evangelium prædicaverant, scripto haberent, quæ vivâ voce loquentes apostolos audiverant, ne aut obliviscerentur, aut secùs interpretarentur quàm dicta fuerant. Nam hanc etiam causam reddit Lucas, c. 1, 4: *Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Quod expressiùs Græcè dixit: *Eorum quæ vivâ voce audivisti.* Quarta, ut quod præsentibus prædicaverant, absentibus quoque per Scripturam prædicarent. Hoc enim modo, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*, ut D. Paulus interpretatur, Rom. 10, 18, cùm eorum vox brevissimo terræ spatio terminaretur. Quinta, ut non solùm iis hominibus qui tunc erant, sed iis etiam omnibus qui futuri aliquando erant; ipsi non solùm vivi, sed etiam mortui Evangelium annuntiarent. Ut quemadmodùm mortuis prædicatum erat (dabit enim nobis hanc veniam hæreticus interpres) ita etiam per mortuos prædicaretur. Adeò ejus cognitio erat necessaria, ut omnibus in locis, omnibus temporibus, omnibus hominibus, et per omne hominum genus esset annuntiandum. Hæ communes sunt causæ; potuerunt tamen singuli alias præterea habere privatas. Nam Joannem omnes veteres auctores tradunt hæreticorum causâ compulsum scribere. Cùm enim Ebionæi, Cerinthiani, Et Nicolaitæ divinitatem Christi jam negarent, videretque cæteros evangelistas minùs in eâ confirmandâ operæ posuisse, ad eam potissimùm probandam Evangelium scribendum sibi esse judicàsse. Ita Hieron., lib. de Vir. illust. in Joanne; Epiph., hæres., 51, August., in proœm. in Joan. Quod quidem consilium præterquàm quòd prisci scriptores docent, non solùm ex initio, sed ex toto etiam opere manifestum apparet. Ubique enim Christi divinitatem sequitur. Et alios evangelistas suas etiam proprias scribendi causas habuisse existimat, et exponit Epiphanius, hæresi 51, et Eusebius, lib. 3 eccles. Hist., c. 24.

thæum. Nec verisimile est textum primigenium intra paucos annos sic periisse, ut nulla extiterit ejusmodi memoria primis Ecclesiæ seculis.

His et aliis conjecturis respondet vir perdoctus Matthæi Evangelium vetustissimis Ecclesiæ scriptoribus, ut Papiæ, Irenæo et aliis non fuisse incognitum; brevi post tempore Christianos è Judæis conversos Græcè magis quàm Syriacè, aut Chaldaicè locutos, et cum Græcis ad fidem conversis potiùs quàm cum aliis in pristinâ perfidiâ obfirmatis familiariter vixisse: adeò ut jam textus Syriacus ferè iis esset inutilis, atque is tantummodò fuerit penès Nazaræos, qui eum variis in locis depravârunt. Nec dubium est quin versio Græca brevi post tempore, atque, ut credibile est, Matthæi ipsius ætate facta fuerit, quam Marcus, ut par est credere, jam viderat: nam iisdem sæpè utitur Græcis vocibus. Itaque illud est vero proximum, Evangelium à Matthæo in gratiam Judæorum, qui Hierosolymæ, et in Palæstinâ degebant, linguâ in eâ regione magis usitatâ scripsisse Evangelium, quod usque ad excidium Hierosolymæ conservârunt, et secum Pellam usque ante urbis obsidionem asportàsse. Plerique ex iis Judaicarum observationum tenaces sectam Nazaræorum conflârunt, quæ postea in sectam Ebionitarum degeneravit. Multas Nazaræi historias Evangelio adjecerunt, quas ex traditione acceperant. Itaque forsan ii habebant originalem textum, et integrum, ut videtur Epiphanio, sed variis additionibus conspersum: id Ebionitæ multò magis corruperant, pleraque detrahentes.

Clemens Alexandrinus, l. 2 Stromatum, citat Evangelium juxta Hebræos. Illud Hieronymus non modò legerat, sed etiam verterat in Græcam linguam, idque à Nazaræis Berocæ civitatis Syriæ acceperat. Complura additamenta ex eo desumpta in suis commentariis in Matthæum commemorat, veteris Testamenti loca juxta Hebraicum textum citata, non ex 70 versione profert: cujusmodi est illud, *Nazaræus vocabitur*; item illud, *ex Ægypto vocavi filium meum*, Oseæ 11. Ad hoc Evangelium recurrit, ut exponat vocem ἐπιούσιον, Matth., cap. 6, ubi notat vocem illam in Evangelio Nazaræorum *panem crastinum*, seu *quotidianum* exprimere, ut in vulgatâ veteri legebatur, et Lucæ cap. 11 adhuc legitur. Sic Matth. 23, ubi habemus: *Zachariam filium Barachiæ*, ibi legebatur, *filium Joiadæ*.

XI. Quod autem primus omnium scripserit Evangelium Matthæus, idque Hebraicâ linguâ, seu Syriacâ, quæ tum erat in Judæâ usitata, id testatur Irenæus, lib. 3, cap. 1; Eusebius, lib. 3, cap. 39, citat Papiam in eamdem sententiam; uti et Origenem, lib. 6, cap. 25. *Primum, scilicet Evangelium scriptum esse à Matthæo, prius quidem publicano, postea verò Apostolo Jesu Christi, qui illud Hebræo sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis, publicavit.* Idem testantur veteres penè omnes: patrio sermone eum scripsisse aiunt, qui usitatus fuit in Judæâ, et in usum Hebræorum scripsit, ut, eo absente, Evangelium quod prædicaverat, legerent. Lingua autem Syriaca erat Chaldaicæ dialectus, quæ in Syriâ erat in usu. Hæc in Judæâ quibusdam Hebraicis vocibus erat permista, quales ab evangelistis referuntur, ut *Haceldama*, ager sanguinis, *Golgotha*, et aliæ quædam.

Ex quatuor evangelistis duo sunt apostoli Matthæus et Joannes, duo itidem apostolorum discipuli Marcus et Lucas, ille Petri, hic Pauli discipulus, et peregrinationis ejus comes; idque non sine providentiâ peculiari factum est, ut liqueret omnibus nihil esse discriminis inter ea quæ apostoli mandârunt litteris, et illa quæ vivâ voce docuerunt.

XII. *Evangelii* vox, ut omnibus notum est, bonum nuntium significat: quo quidem modo sumitur apud Isaiam, cap. 52: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem.* Quem locum citat Apostolus, Roman. 10, ut insignem prophetiam, quâ prædicatio doctrinæ et vitæ Jesu Christi prænuntiatur. Sic Paulus Timotheum adhortatur, ut opus faciat *Evangelistæ*, seu verbum Dei annuntiet. Quo quidem modò Philippus Diaconus in Actis Apostolorum *Evangelista* nominatur. Sed postea vox illa Evangelii ad historiam vitæ et doctrinæ Jesu Christi restricta est, et solis quatuor vitæ et prædicationis Christi Domini scriptoribus *Evangelistæ* nomen tributum.

Utrùm tituli ipsi Evangeliorum à sacris auctoribus fuerint his libris præfixi, non ausim affirmare. Nam si sua nomina libris inscripsère Prophetæ, aut Apostoli, hi textui ipsi eadem inseruerunt. Nihilominùs tamen certum est hos titulos, qui Evangelistarum nomina præ se ferunt, jam à primis Ecclesiæ temporibus inscriptos fuisse, atque ex veterum omnium testimoniis auctores ipsi demonstrantur. Vox illa, *Secundùm Matthæum*, Græcè κατὰ, non aliud significat nisi hoc Evangelium à Matthæo fuisse conscriptum. Hoc utique Matthæo et aliis evangelistis fuit propositum, ut fidelibus notum facerent Christum ipsum, atque ejus vitam, acta, et verba mandarent litteris, quæ Evangelii nomine expresserunt.

XIII. Matthæi vocatio ab eodem evangelistâ refertur cap. 9; à Marco, c. 2; à Luca, cap. 15; eodem prorsùs modo et cum iisdem circumstantiis. Sed Marcus et Lucas eumdem *Levi* appellant. Unde quidam è veteribus negârunt publicanum, cujus fit mentio apud Marcum et Lucam, esse *Matthæum*, sed *Levi*, quem alium à Matthæo esse putant. Hanc opinionem tuetur Grotius, quòd Matthæus ipse nunquàm se Levi nomine appellet, nec duo alii evangelistæ, cùm hanc referunt historiam, eum hoc nomine designent, atque apostolorum catalogo non *Levi*, sed *Matthæus* adscribatur.

Secùs tamen veteres penè omnes sentiunt, nempe ex ipso historiæ contextu, et omnibus circumstantiis eumdem esse publicanum à Domino vocatum, et Matthæum qui in telonio sedebat, et statim secutus est vocantem Jesum. Idem igitur est Matthæus qui domi suæ excepit Dominum, quique ante vocationem suam Levi dicebatur.

IN S. MATTHÆUM
COMMENTARIA.

CAPUT PRIMUM.

1. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.

3. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram.

4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.

5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem.

6. David autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Uriæ.

7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa.

8. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.

9. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

CHAPITRE PREMIER.

1. Livre de la génération de Jésus-Christ, fils de David, fils d'Abraham.

2. Abraham engendra Isaac. Isaac engendra Jacob. Jacob engendra Juda et ses frères.

3. Juda engendra de Thamar, Pharès et Zara. Pharès engendra Esron. Esron engendra Aram.

4. Aram engendra Aminadab. Aminadab engendra Naasson. Naasson engendra Salmon.

5. Salmon engendra Booz de Rahab. Booz engendra Obed de Ruth. Obed engendra Jessé, et Jessé engendra le roi David.

6. Le roi David engendra Salomon de celle d'Urie.

7. Salomon engendra Roboam. Roboam engendra Abias. Abias engendra Asa.

8. Asa engendra Josaphat. Josaphat engendra Joram. Joram engendra Ozias.

9. Ozias engendra Joatham. Joatham engendra Achaz. Achaz engendra Ezéchias.

braicè scribentem aliis Hebraicis verbis interpretari Id enim cùm aliquod compositum verbum est aut minùs usitatum, etiam vernaculâ loquentes linguâ facere solemus.

Quale erat nomen עמנואל quod etiam Hebraicè non solùm exponi potest, sed etiam opus est. עמנו אל aut עמנו יי, et, *Eli*, *Eli lamma sabacthani*, quod cùm Syriacum sit, Hebraicè verti poterat. Quanquàm in eo Evangelio, quod nunc exstat Hebraicè, non additur eorum nominum interpretatio; nec hoc dico quod factum; sed quod fieri potuisse credam. Probabilius enim esse arbitror hujusmodi etymologias, et explicationes nominum interpretem adhibuisse. Nec id quidquam de scripturæ auctoritate minuit.

CAPUT VI.

Cur Evangelistæ scripserunt.

Quo autem consilio, et quibus causis Evangelistæ ad scribendum adducti fuerint, partim ipsi indicant, partim nos ex veterum auctorum lectione cognoscere, partim conjecturâ consequi possumus. Lucas c. 1, 1, significat se ad scribendum impulsum, quòd videret conatos esse multos Evangelium scribere, qui parùm fideliter id præstitissent. Quod postremum etsi apertè non dicit, velle tamen videtur intelligi. Cùm enim dicit se à principio assecutum diligenter omnia ad scribendum accedere; obscurè indicat eos de quibus loquebatur, nondùm satis veritatem assecutos aggressos scribere. Sed vir nimirùm sanctus majoris esse modestiæ judicavit diligentiam, fidemque suam ad scribendam historiam necessariam profiteri, quàm alienam negligentiam, infidelitatemque reprehendere. Illo etiam verbo quo utitur initio *conati sunt:* significat eos quos tacitè subaccusat, conatos quidem fuisse; sed quod conati essent, minimè perfecisse, ut veteres auctores Origenes, homiliâ 1 in Luc.; Ambrosius, in Lucæ c. 1, et Augustinus, lib. 4 de Consen. evang., c. 8, adnotaverunt. Eamdem etiam causam cæteros evangelistas, ut scriberent impulisse, quamvis non dicant, ex Lucâ, qui dicit, intelligendum est. Aliam causam Joannes affert, quàm etsi alii non afferunt, tamen quia eadem omnium erat mens, cor unum et anima una, eadem sanctitas, credendum est omnibus fuisse communem. *Hæc*, inquit Joan. 20, 31, *scripta sunt ut credatis, quia Jesus Christus est filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Tertia causa videtur fuisse ut auditores, quibus Evangelium prædicaverant, scripto haberent, quæ vivâ voce loquentes apostolos audiverant, ne aut obliviscerentur, aut secùs interpretarentur quàm dicta fuerant. Nam hanc etiam causam reddit Lucas, c. 1, 4: *Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Quod expressiùs Græcè dixit: *Eorum quæ vivâ voce audivisti.* Quarta, ut quod præsentibus prædicaverant, absentibus quoque per Scripturam prædicarent. Hoc enim modo, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*, ut D. Paulus interpretatur, Rom. 10, 18, cùm eorum vox brevissimo terræ spatio terminaretur. Quinta, ut non solùm iis hominibus qui tunc erant, sed iis etiam omnibus qui futuri aliquando erant; ipsi non solùm vivi, sed etiam mortui Evangelium annuntiarent. Ut quemadmodùm mortuis prædicatum erat (dabit enim nobis hanc veniam hæreticus interpres) ita etiam per mortuos prædicaretur. Adeò ejus cognitio erat necessaria, ut omnibus in locis, omnibus temporibus, omnibus hominibus, et per omne hominum genus esset annuntiandum. Hæ communes sunt causæ; potuerunt tamen singuli alias præterea habere privatas. Nam Joannem omnes veteres auctores tradunt hæreticorum causâ compulsum scribere. Cùm enim Ebionæi, Cerinthiani, Et Nicolaitæ divinitatem Christi jam negarent, videretque cæteros evangelistas minùs in eâ confirmandâ operæ posuisse, ad eam potissimùm probandam Evangelium scribendum sibi esse judicâsse. Ita Hieron., lib. de Vir. illust. in Joanne; Epiph., hæres., 51, August., in proœm. in Joan. Quod quidem consilium præterquàm quòd prisci scriptores docent, non solùm ex initio, sed ex toto etiam opere manifestum apparet. Ubique enim Christi divinitatem sequitur. Et alios evangelistas suas etiam proprias scribendi causas habuisse existimat, et exponit Epiphanius, hæresi 51, et Eusebius, lib. 3 eccles. Hist., c. 24.

thæum. Nec verisimile est textum primigenium intra paucos annos sic periisse, ut nulla extiterit ejusmodi memoria primis Ecclesiæ seculis.

His et aliis conjecturis respondet vir perdoctus Matthæi Evangelium vetustissimis Ecclesiæ scriptoribus, ut Papiæ, Irenæo et aliis non fuisse incognitum; brevi post tempore Christianos è Judæis conversos Græcè magis quàm Syriacè, aut Chaldaicè locutos, et cum Græcis ad fidem conversis potiùs quàm cum aliis in pristinâ perfidiâ obfirmatis familiariter vixisse: adeò ut jam textus Syriacus ferè iis esset inutilis, atque is tantummodò fuerit penès Nazaræos, qui eum variis in locis depravârunt. Nec dubium est quin versio Græca brevi post tempore, atque, ut credibile est, Matthæi ipsius ætate facta fuerit, quam Marcus, ut par est credere, jam viderat: nam iisdem sæpè utitur Græcis vocibus. Itaque illud est vero proximum, Evangelium à Matthæo in gratiam Judæorum, qui Hierosolymæ, et in Palæstinâ degebant, linguâ in eâ regione magis usitatâ scripsisse Evangelium, quod usque ad excidium Hierosolymæ conservârunt, et secum Pellam usque ante urbis obsidionem asportâsse. Plerique ex iis Judaicarum observationum tenaces sectam Nazaræorum conflârunt, quæ postea in sectam Ebionitarum degeneravit. Multas Nazaræi historias Evangelio adjecerunt, quas ex traditione acceperant. Itaque forsan ii habebant originalem textum, et integrum, ut videtur Epiphanio, sed variis additionibus conspersum: id Ebionitæ multò magis corruperant, pleraque detrahentes.

Clemens Alexandrinus, l. 2 Stromatum, citat Evangelium juxta Hebræos. Illud Hieronymus non modò legerat, sed etiam verterat in Græcam linguam, idque à Nazaræis Berœæ civitatis Syriæ acceperat. Complura additamenta ex eo desumpta in suis commentariis in Matthæum commemorat, veteris Testamenti loca juxta Hebraicum textum citata, non ex 70 versione profert: cujusmodi est illud, *Nazaræus vocabitur;* item illud, *ex Ægypto vocavi filium meum*, Oseæ 11. Ad hoc Evangelium recurrit, ut exponat vocem ἐπιούσιον, Matth., cap. 6, ubi notat vocem illam in Evangelio Nazaræorum *panem crastinum*, seu *quotidianum* exprimere, ut in vulgatâ veteri legebatur, et Lucæ cap. 11 adhuc legitur. Sic Matth. 23, ubi habemus: *Zachariam filium Barachiæ*, ibi legebatur, *filium Joiadæ.*

XI. Quod autem primus omnium scripserit Evangelium Matthæus, idque Hebraicâ linguâ, seu Syriacâ, quæ tum erat in Judæâ usitata, id testatur Irenæus, lib. 3, cap. 1; Eusebius, lib. 3, cap. 39, citat Papiam in eamdem sententiam; uti et Origenem, lib. 6, cap. 25. *Primum, scilicet Evangelium scriptum esse à Matthæo, prius quidem publicano, postea verò Apostolo Jesu Christi, qui illud Hebræo sermone conscriptum, Judæis ad fidem conversis, publicavit.* Idem testantur veteres penè omnes: patrio sermone eum scripsisse aiunt, qui usitatus fuit in Judæâ, et in usum Hebræorum scripsit, ut, eo absente, Evangelium quod prædicaverat, legerent. Lingua autem Syriaca erat Chaldaicæ dialectus, quæ in Syriâ erat in usu. Hæc in Judæâ quibusdam Hebraicis vocibus erat permista, quales ab evangelistis referuntur, ut *Haceldama*, ager sanguinis, *Golgotha*, et aliæ quædam.

Ex quatuor evangelistis duo sunt apostoli Matthæus et Joannes, duo itidem apostolorum discipuli Marcus et Lucas, ille Petri, hic Pauli discipulus, et peregrinationis ejus comes; idque non sine providentiâ peculiari factum est, ut liqueret omnibus nihil esse discriminis inter ea quæ apostoli mandârunt litteris, et illa quæ vivâ voce docuerunt.

XII. *Evangelii* vox, ut omnibus notum est, bonum nuntium significat: quo quidem modo sumitur apud Isaiam, cap. 52: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem.* Quem locum citat Apostolus, Roman. 10, ut insignem prophetiam, quâ prædicatio doctrinæ et vitæ Jesu Christi prænuntiatur. Sic Paulus Timotheum adhortatur, ut opus faciat *Evangelistæ*, seu verbum Dei annuntiet. Quo quidem modò Philippus Diaconus in Actis Apostolorum *Evangelista* nominatur. Sed postea vox illa Evangelii ad historiam vitæ et doctrinæ Jesu Christi restricta est, et solis quatuor vitæ et prædicationis Christi Domini scriptoribus *Evangelistæ* nomen tributum.

Utrùm tituli ipsi Evangeliorum à sacris auctoribus fuerint his libris præfixi, non ausim affirmare. Nam si sua nomina libris inscripsère Prophetæ, aut Apostoli, hi textui ipsi eadem inseruerunt. Nihilominùs tamen certum est hos titulos, qui Evangelistarum nomina præ se ferunt, jam à primis Ecclesiæ temporibus inscriptos fuisse, atque ex veterum omnium testimoniis auctores ipsi demonstrantur. Vox illa, *Secundùm Matthæum*, Græcè κατά, non aliud significat nisi hoc Evangelium à Matthæo fuisse conscriptum. Hoc utique Matthæo et aliis evangelistis fuit propositum, ut fidelibus notum facerent Christum ipsum, atque ejus vitam, acta, et verba mandarent litteris, quæ Evangelii nomine expresserunt.

XIII. Matthæi vocatio ab eodem evangelistâ refertur cap. 9; à Marco, c. 2; à Luca, cap. 15; eodem prorsùs modo et cum iisdem circumstantiis. Sed Marcus et Lucas eumdem *Levi* appellant. Unde quidam è veteribus negârunt publicanum, cujus fit mentio apud Marcum et Lucam, esse *Matthæum*, sed *Levi*, quem alium à Matthæo esse putant. Hanc opinionem tuetur Grotius, quòd Matthæus ipse nunquàm se Levi nomine appellet, nec duo alii evangelistæ, cùm hanc referunt historiam, eum hoc nomine designent, atque apostolorum catalogo non *Levi*, sed *Matthæus* adscribatur.

Secùs tamen veteres penè omnes sentiunt, nempe ex ipso historiæ contextu, et omnibus circumstantiis eumdem esse publicanum à Domino vocatum, et Matthæum qui in telonio sedebat, et statim secutus est vocantem Jesum. Idem igitur est Matthæus qui domi suæ excepit Dominum, quique ante vocationem suam Levi dicebatur.

IN S. MATTHÆUM COMMENTARIA.

CAPUT PRIMUM.

1. Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham.

2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.

3. Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram.

4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.

5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem.

6. David autem rex genuit Salomonem ex eâ quæ fuit Uriæ.

7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa.

8. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.

9. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

CHAPITRE PREMIER.

1. Livre de la génération de Jésus-Christ, fils de David, fils d'Abraham.

2. Abraham engendra Isaac. Isaac engendra Jacob. Jacob engendra Juda et ses frères.

3. Juda engendra de Thamar, Pharès et Zara. Pharès engendra Esron. Esron engendra Aram.

4. Aram engendra Aminadab. Aminadab engendra Naasson. Naasson engendra Salmon.

5. Salmon engendra Booz de Rahab. Booz engendra Obed de Ruth. Obed engendra Jessé, et Jessé engendra le roi David.

6. Le roi David engendra Salomon de celle d'Urie.

7. Salomon engendra Roboam. Roboam engendra Abias. Abias engendra Asa.

8. Asa engendra Josaphat. Josaphat engendra Joram. Joram engendra Ozias.

9. Ozias engendra Joatham. Joatham engendra Achaz. Achaz engendra Ezéchias.

10. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam.

11. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis.

12. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim; et à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim : et à transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

18. Christi autem generatio sic erat : Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

19. Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

20. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eâ natum est de Spiritu sancto est :

21. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem :

23. Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.

24. Exsurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam.

25. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum.

10. Ezéchias engendra Manassé. Manassé engendra Amon. Amon engendra Josias.

11. Josias engendra Jéchonias et ses frères, vers le temps de la transmigration de Babylone.

12. Et depuis la transmigration de Babylone, Jéchonias engendra Salathiel. Salathiel engendra Zorobabel.

13. Zorobabel engendra Abiud. Abiud engendra Eliacim. Eliacim engendra Azor.

14. Azor engendra Sadoc. Sadoc engendra Achim. Achim engendra Eliud.

15. Eliud engendra Eléazar. Eléazar engendra Mathan. Mathan engendra Jacob.

16. Et Jacob engendra Joseph, l'époux de Marie, de laquelle est né Jésus, qui est appelé Christ.

17. Ainsi toutes ces générations font depuis Abraham jusqu'à David, quatorze générations; depuis David jusqu'à la transmigration de Babylone, quatorze générations; et depuis la transmigration de Babylone jusqu'au Christ, quatorze générations.

18. Or, la génération du Christ était celle-ci : Marie sa mère, après avoir été fiancée à Joseph, se trouva grosse avant qu'ils eussent été ensemble, ayant du Saint-Esprit.

19. Or Joseph, son mari, étant juste et ne voulant pas la diffamer, résolut de la renvoyer sans éclat.

20. Mais comme il réfléchissait à ces choses, voilà qu'un ange du Seigneur lui apparut en songe, et lui dit : Joseph, fils de David, ne craignez point de prendre Marie votre épouse, car ce qui est né en elle est du Saint-Esprit.

21. Elle enfantera un fils; et vous appellerez son nom Jésus, car il sauvera son peuple de ses péchés.

22. Or tout ceci s'est fait afin que fût accompli ce que le Seigneur avait annoncé par le prophète, disant :

23. Voici que la Vierge concevra; et elle enfantera un fils, à qui on donnera le nom d'Emmanuel (ce qui signifie Dieu avec nous).

24. Joseph s'étant donc levé fit ce que l'ange du Seigneur lui avait ordonné, et prit sa femme.

25. Et il ne l'avait point connue quand elle enfanta son fils premier-né, et il appela son nom Jésus.

COMMENTARIA.

Evangelium secundum Matthæum. Hic idem titulus mutato tantùm evangelistæ nomine omnibus præfigitur Evangeliis. Sunt qui ab ipsis evangelistis appositum putent, ut libro auctoritatem conciliarent. Et quidem Tertullianus, lib. 4 contra Marcion., Marcionem reprehendit, quòd Lucæ Evangelio, quod solum recipiebat, titulum non apponeret : *Marcion*, inquit, *Evangelio scilicet suo nullum adscribit auctorem. Quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere. Et possem hic jam gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam præferat; nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, et professione debitâ auctoris.* Ex quo perspicuum est semper hunc titulum omnis Evangelia habuisse. Additivo autem fuisse ab evangelistis apud nullum veterem auctorem invenio, quia Tertullianus superiore loco indicat apponi solitum ab Ecclesiâ, cùm Marcionem reprehendit, quòd non apponat; et non est sacrorum scriptorum consuetudo, ut ante initium librorum titulos ponant, sed ut vel omittant, vel prima libri verba titulum faciant, ut : *Visio Isaiæ prophetæ; Apocalypsis Jesu Christi*; et titulos illos omnes qui extra libros sunt : *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Libri Regum, Psalmi David*, et quicumque sunt similes; omnes confitentur non à librorum auctoribus positos, sed à scriptoribus additos. Quod idem credibile est in quatuor Evangeliorum libris accidisse. Certè si Marcus præposuisset hunc titulum : *Evangelium secundum Marcum*, non adjecisset statim aliud : *Initium*

Evangelii *Jesu Christi*. Nam hic etiam titulus est. Ipsa quoque titulorum similitudo indicat non ab evangelistis, sed ab Ecclesiâ appositos fuisse. Nam si ipsi adhibuissent, non iisdem omninò verbis usi fuissent : *Evangelium secundùm N*, quemadmodùm in aliis etiam cùm idem narrant, non iisdem utuntur verbis. Indica: etiam Græcorum et Latinorum titulorum dissimilitudo. Nam Græcè hic titulus est : Εὐαγγέλιον κατὰ N. Latini verò in plerisque codicibus : *Sacrosanctum Jesu Christi Evangelium secundùm N*, quòd Græcum titulum Græca, Latinum Latina adjecerit Ecclesia. Nec propterea libri minùs habent auctoritatis, quàm si titulos ipsi evangelistæ posuissent. Nam ne ipsis quidem affirmantibus se hos scripsisse libros crederemus, nisi nos Ecclesiæ commoveret auctoritas. Adjuncti autem tituli sunt non solùm ad adhibendam libris auctoritatem ex auctorum nominibus; sed etiam, ad discernenda ipsa inter se Evangelia. Hoc enim est κατὰ Ματθαῖον, *secundùm Matthæum*, id est, prout scriptum est à Matthæo. Quare significatur et alios scripsisse, et non eodem modo. Itaque illud κατὰ non diversam doctrinam atque sententiam, ut cùm Græci philosophi dicunt : Κατ' Ἀριστοτέλην, et κατὰ Πλάτωνα, sed diversos tantùm auctores, et modum scribendi diversum declarat.

Vers. 1. — Liber generationis. Quidam putant non esse hunc totius libri titulum; sed initium solius genealogiæ Christi, quæ sequitur. Βιβλος enim librum interpretantur narrationem, ut Hebraicè ספר Gen. 5, 1. תולדות אדם זה ספר *hic est liber generationum Adam*, id est, hæc est narratio genealogiæ ductæ ab Adam, sicut dicitur ספר : *Liber Justorum, liber Dei*, in quo justorum nomina notantur, factaque recensentur, Exodi 32, 33; Josue 10, 13; 2 Reg. 1, 18. Alii existimant titulum esse libri, sed sumptum ex eo quod initio narratur, id est, ex Christi genealogiâ, sicut librum Genesis, id est, generationis omnium rerum appellamus, cùm solo primo capite agatur de rerum generatione. Hæc interpretatio plures ac meliores auctores habet, in quibus Augustinum, lib. 2 contra Faust., c. 6. Alii et titulum esse dicunt, et non unam tantùm partem, sed totum libri argumentum declarare. Esse enim Hebraismum, quo nomen תולדה, Græcè γενεσις significat non solùm generationem, sed totum etiam vitæ cursum, et ut Hebræi dicunt מקרים, quidquid homini accidit in vitâ, quemadmodùm Gen. 6, 9, Noe dicitur *perfectus in omnibus generationibus suis*, id est, omnibus partibus vitæ suæ; ut perinde sit : *Liber generationis Jesu Christi*, ac si diceret liber de vitâ Christi. Quæ interpretatio ideò mihi magis placet, quòd et hebraismo consentanea est, et plenior. Faustus verò Manichæus, qui hoc Evangelium esse negabat, quòd non Evangelium, sed *Liber generationis* inscriberetur, non solùm impius, sed etiam imperitus erat; non intelligens totam Christi vitam generationem appellari. Cur autem generationis, non generationum dixerit, à nonnullis quæritur, quorum alii respondent causam esse quòd cùm duas Christus generationes divinam et humanam habeat, de solâ humanâ ageret evangelista. Nam de divinâ sciebat dictum esse Isai. 53, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed hoc subtile est. Melius Hieronymus, quòd quamvis multas evangelista generationes numerare vellet, unam tamen quæreret Christi. Adde quòd nomen γενεσεως singulari numero sæpè sumitur pro plurali γενεσεων septuaginta interpretum more. Nam Genes. 5, 1, ubi Hebræus dixit *Liber generationum*, Septuaginta verterunt βιβλος γενεσεως, eodem prorsùs modo quo Matthæus hic dicit; et quod Matthæus hic dicit βιβλος γενεσεως, Hebræus quisquis fuit, dixit : *Liber generationum*.

Jesu Christi. Etsi nomen et cognomen proprium hoc sit Christi, tamen videri potest initio positum vim habere nominis appellativi, quo excitetur auditorum animi. Nam cùm Jesus *servatorem*, et Christus *unctum*, id est, Messiam illum significet, quem tanto Judæi expectabant desiderio, videtur eorum animos erigere, et attentionem benevolentiamque conciliare, dicens se illius tam optati servatoris, tamque expectati Messiæ texere historiam, ut apparet ex conclusione, vers. 16, et c. 2, 4, et 16, 16, 20, et 27, 17, 22, et Lucæ 3, 15, et 4, 41, et 22, 67, et 23, 2, 35, 39.

Filii David filii Abraham. Tres hic quæstiones sunt. Prima, cur hos potissimùm duos ex tam longâ parentum Christi serie Evangelista nominaverit? Secunda, cur Davidem Abrahamo, juniorem seniori anteposuerit? Tertia, ad quem referatur secundus genitivus *Filii*, ad Christum, an ad Davidem?

Ad primam omnes auctores respondent causam fuisse, quòd his potissimùm duobus promissio nascituri ex ipsis Christi facta esset Abrahamo, Genes. 12, 15, et 22, 18 : *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Quod D. Paulus de Christo intelligendum esse docet, Gal. 3, 17; Davidi verò, 2 Reg. 7, 12, 1 Paral. 17, 11; Psal. 88, 4, et Psal. 131, 11 : *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Nam conditio quæ sequitur : *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea, quæ docebo eos*, non pertinet ad Christum, quasi Christus regnaturus non sed Josephi stirpem exposuit, cùm Joseph ut pater Jesu haberetur, neque id moris esset apud Judæos, ut mulieris genus describeretur, sed virorum tantummodò : unde vel nulla, vel Josephi tantùm generis facienda erat descriptio, non enim aliam aut Judæi, aut Gentes recepissent. Itaque illud apud fideles constat, Mariam ut filiam unicam nupsisse viro non solùm ejusdem tribûs, sed etiam ejusdem familiæ, idque ex lege Dei, c. 36 Numer. Joseph et Mariæ consobrini fuerunt, qui eumdem habuerunt avum Mathan nimirùm. Unde in eâdem stirpe ambo conveniunt.

Vers. 1. — Genealogia Christi Domini secundùm carnem, seu Catalogus progenitorum Christi. Filii David, Filii Abraham. Hos duos præ cæteris commemorat, quòd utrique promissio specialis facta fuerit, fore ut Christus ex iis nasceretur, Abrahæ quidem ut gentis totius, David ut familiæ suæ capiti. Ac primo quidem loco Davidem nominat, quòd Dei promissio non ad gentem tantummodò Judaicam, sed ad privatam Davidis familiam pertineret. Hæc genealogia incipit ab Abraham et desinit in Joseph virum Mariæ. Uterque evangelista Matthæus et Lucas non Mariæ,

esset, si filii David Dei mandata non servarent; sed sensus est : Si custodierint testimonia ejus, fore ut soli regnent, ut eventus interpretatur. Nam quia non servaverunt, regnum scissum est, 3 Reg. 12, 20, et in majore parte, id est, decem tribubus Jeroboam regnare cœpit. Quò minùs autem totum regnum à familiâ Davidis alienaretur, nasciturus impedivit Christus, *ne auferretur sceptrum de tribu Juda, et dux de femore ejus, donec veniret qui mittendus erat*, Gen. 49, 10; et radix Jesse penitùs exscinderetur, de quâ flos ille pullulaturus erat, qui meritò Nazaræus vocaretur, Isai. 11, 1; et virga illa, quæ ex Sion mittenda erat, ut dominaretur in medio inimicorum suorum, Psal. 109, 2; 3 Reg. 11, 36, et 15, 4; 2 Cor. 1, 20; et ne parva illa lucerna Davidis extingueretur, ex quâ justitiæ solem accendi oportebat. Verè omnes promissiones in Christo sunt Amen, inversusque est ordo naturæ, et non radix ramum, sed ramus radicem portavit. Nominati igitur sunt initio David et Abraham, quibus Judæi sciebant factas de Messiâ promissiones, quas volebat Matthæus docere in Christo completas esse; hoc enim erat Evangelium, id est, bonum nuntium, quod illis afferebat. Sic Iren., lib. 3, c. 18, et Ambros. lib. 3, Com. in Luc., c. 3, et Chrysost., hom. 2 in Matth., et Hieron. in hunc locum.

Ad secundam verò quæstionem, non eamdem omnes rationem afferunt. Nam alii causam fuisse dixerunt, quòd cùm evangelista Christum nominâsset, velletque ad primum fontem Abrahamum ascendere, Davidem tanquàm fontem alterum, unde Christus aqua viva manâsset, ascendendo necessariò nominavit. Quam opinionem Chrysost., hom. 2 in Matth., recitat ac refellit, quòd istâ ratione eodem modo Matthæus atque Lucas Christi generationem ascendendo narrâsset, cùm constet contrariam eum rationem tenere voluisse. Sed nescio quàm meritò; nam Lucas à Christo usque ad Deum ascendit; non ut rursùs descenderet, sed ut ibi staret. Matthæus à Christo ad Davidem, et à Davide ad Abrahamum, non numeratis gradibus, sed duobus veluti saltibus ascendit, ut inde rursùs ad Christum non saltando, sed gradiendo descenderet. Contrà quàm Moses, qui cum è cœlo in terram, quasi saltu uno descendisset dicens : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, rursùm à terrâ in cœlum pedetentim per singularum rerum generationem ascendit : *Terra autem erat inanis et vacua*, etc. Hieronymus ideò factum esse dicit, ne si priùs Abrahamum quàm Davidem nominaret, ei rursùs nominandus esset Abrahamus, ut ab eo generationis series duceretur, et iterùm à Davide ad Abrahamum, et ab Abrahamo rursùm ad Davidem redire cogeretur : *Filii Abraham, Filii David. Abraham autem genuit*, etc. Hæc ratio multis placuit, nec mihi quidem displicet. Sic enim Hebræos loqui solere scio, ut cùm res multas numerant, eam, unde volunt incipere, ultimo loco ponant, ut Genes. 1, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram, terra autem*. Sed alia ab aliis auctoribus melior affertur, inprimisque à Chrysostomo, Theophylacto et Euthymio, quòd etiamsi utrique promissio facta esset, promissio tamen Davidis, et recentior, et specialior, et honorificentior esset, ideòque Judæis gratior, magisque omnium ore celebrata. Promissa enim erat Abrahamo filiorum multitudo, quam consecuti jam Judæi contemnere videbantur; Davidi verò perpetuum regnum in quod volvendâ die rex ille regum succederet, et Dominus dominantium, qui salvum faceret populum suum; gentes autem regeret in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli confringeret; quod in eorum animis tenaciter hærebat. Itaque omnes etiam vulgò sciebant Messiam filium Davidis esse oportere, Matth. 22, 42. Interrogati à Christo Pharisæi : *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est?* incunctanter respondent, *David*. Turba ipsa popularis visis admirabilibus Christi factis dicebat : *Numquid hic est filius David*. Matth. 12, 23. Et eo Jerosolymitanam urbem ineunte acclamavit : *Hosanna filio David*. Populares etiam homines erant, qui dicebant : *Nonne scriptura dicit quia de semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?* Illud etiam animadverto, omnes qui à Christo beneficia petebant, solitos eum priùs Davidis filium appellare, ut significarent eum illum esse Messiam, qui populum suum beneficiis esset cumulaturus. Hùc illæ spectabant voces : *Miserere mei, fili David*, Matth. 9, 27, et 15, 22, et 20, 30, 31; et Marc. 10, 47, 48; et Luc. 18, 38, 39. Hæc eadem causa est, cur quoties Deus promittit se non penitùs populum suum deleturum, non propter Davidem, sed propter Abrahamum, qui radix erat populi, cui perpetuum germen promissum erat, id se facturum dicat, ut Isai. 51, 2. Cùm autem regnum se non extincturum dicit, non propter Abrahamum, sed propter Davidem facturum testatur 3 Reg. 11, 12, 13, 32, 34, et 15, 4, et 4 Reg. 8, 19, 34, et 20, 6. Vocaverat ergo evangelista Jesum Christum, subjecit statim, *filium David*, ut ostenderet se non de quovis Christo, sed illo unico tam expectato agere, qui et filius et successor in perpetuum regnum Davidis futurus erat.

Ad tertiam quæstionem plerique respondent, secundum genitivum, *filii*, ad Christum referri, quemadmodum si Matthæus diceret : *Liber generationis Jesu Christi, qui fuit filius David et Abraham*. Et quidem ita Hieronymus intellexit, ut ex ejus ad superiorem quæstionem responsione colligitur. Sed quominùs assentiar, Hebræorum obstat consuetudo, quam dubium non est Matthæum hoc loco imitari voluisse. Solent enim illi in recensendis genealogiis ultimum genitivum *filii* ad proximum referre. Cujus rei docti exemplis non egent. Alii legant exempla, 1 Reg. 1, 1, et 1 Paral. 4, 37, et 5, 8, 14, et 6, 34, usque ad versum 30. At quorsùm Davidem Abrahami filium esse diceret, cùm non Davidis, sed Christi generatio quæreretur? Respondeo, factum id esse necessariò, quia cùm à Davide ad Abrahamum vellet ascendere, non potuit non dicere Davidem Abrahami fuisse filium, ne extra viam ascendere videretur.

VERS. 2. — ABRAHAM AUTEM GENUIT ISAAC. Nec Ismaelis filii item Abraham, nec Esaü filii Isaac factam

esse mentionem idcircò nonnulli arbitrantur, quòd pravis fuerint moribus; quos meritò Chrysostomus, homil. 3 in Matthæum, reprehendit, cùm in eâdem genealogiâ etiam adulterarum et meretricum mentionem fieri videamus. Prætermissi igitur sunt, ut idem Chrysost. et Theophylact. ait, quia Christus ab illis non descendit. Cur igitur statim inter filios Jacob, non solùm Judas, à quo Christus genus duxit, sed omnes etiam ejus fratres, et inter filios Judæ non solus Phares, sed etiam Zaram nominati sunt? Summâ utrumque ratione factum est : nam fratres Judæ ideò nominandi fuerunt, quia patriarchæ suæ quisque fuerunt tribus, et quasi duodecim populi Judaici et regni Christi columnæ. Itaque in Apocalypsi throno ejus adstant. Nominantur ergo non tanquàm Christi parentes, sed tanquàm regni ejus et reipublicæ conditores. Ideòque non nominatim, ut Judas, sed generaliter et quasi Judæ comites nominantur, ut Chrysost., hom. in Matth., adnotavit. Zaram autem ideò cum Phares numeratum fuisse putat Ambrosius, ut fœcunditatis Judaici populi mysterium significaretur, quia Phares et Zaram uno partu editi sunt. Gen. 38, 27. At istâ ratione etiam Esau cum Jacob fuerat connumerandus. Chrysostom., Euthym. et Theophylactus propter mysterium duorum populorum Judaici atque gentilis, aut sub duplici lege Mosaicâ et evangelicâ viventis factum putant. Sed eadem ratio in Jacob et Esau locum habuisset, eò etiam magis quòd hoc mysterium fuisse Scriptura declarat, Gen. 25, 22, 23. Illud autem non declarat. Veram igitur arbitror fuisse causam, quòd in partu Thamar prior Zaram extra uterum manum protulit, quâ retractâ Phares prior exiit. Contendere enim jam tum in utero gemelli infantes videbantur, uter primogenitus et Christi parens futurus esset, ut dubium fuisse videatur uter primogenitus habendus esset. Itaque voluit evangelista honorem illis quodammodò partiri, ita Phares in Christi genealogiâ numerans, ut Zaram non penitùs excluderet; sed suum illi quod habuisse videbatur jus, quo uno poterat modo, declarando reservaret. Magna enim laus fuit; quin parens esset Christi tam parùm abfuisse. Accidit in Jacob et Esau simile quiddam. Nam et Jacob in utero matris plantam Esau exeuntis tenuit, quasi prior nasci conaretur; sed non vicit, sicut Phares; nec aut naturæ jure, aut viribus suis; sed matris industriâ, Dei gratiâ, fratris culpâ, primogenituram obtinuit. Accedit alia ratio cur potiùs Zaram quàm Esau fuerit nominandus, quòd Esau non solùm, quod ad Christi genealogiam jus habebat temerè vendiderit; sed etiam se à corpore Christi, quod erat Ecclesia, magis temerè sejunxerit, et alium populum à populo Dei, quasi aliam Ecclesiam, hæreticorum more constituerit.

DE THAMAR, ex Thamar. Observavit Hieronymus in totâ Christi genealogiâ, exceptâ sanctissimâ ejus matre, quæ necessariò fuerat nominanda, nullam sanctarum assumi mulierum; sed eas solùm, quas Scriptura reprehendit, nominari, Thamar quæ se Judæ habitu meretricis exposuit; Rahab, quam Scriptura ipsa meretricem appellat; Ruth, quæ ante legitimas nuptias Booz ambivit amplexum; Bersabee, quæ cum Davide adulterium admisit. Cujus rei causam Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Euthymius fuisse putant : ut appareret voluisse Christum, qui propter peccata veniebat, de peccatoribus nasci. Quod quomodò conveniat cum eo, quod paulò infra, vers. 8, idem Hieronymus, et alii omnes auctores docent, non video; ideò evangelistam tres reges, Ochoziam, Joam, et Amasiam silentio præteriisse, quòd impietatem Jezabel secuti essent. Quare aliam ego rationem fuisse arbitror, quòd cæteræ mulieres et Judææ, et legitimæ uxores fuerint, ideòque opus non fuerit eas nominari; quia nemo dubitare poterat filios, quos evangelista recensebat, ex illis fuisse procreatos. De Rahab autem dubitari poterat, quia fuerat meretrix, et alienigena, de Bersabee, quia adultera; de Ruth, quia Moabitis; de Thamar, quia extrà legitimum conjugium conceperat. Prætermisit igitur evangelista quod ordinarium erat, quodque per se intelligi poterat; quod autem singulare ac dubium erat, exposuit, quod aliis quoque locis ab eo factum animadvertimus, ut infra, vers. 25.

VERS. 5. — SALMON AUTEM GENUIT BOOZ DE RAHAB. An hæc fuerit Rahab illa Jerichontina, quæ Hebræorum excepit exploratores, Josue. 2, 1, 2, an alia nominis ejusdem, auctor Operis imperfecti, qui falsò Chrysostomus dicitur, non audet affirmare, et Theophylactus dubitat. Alii omnes, quos legerim, illam eamdem fuisse affirmant; nec ego ullo modo dubito. Nec enim nominata fuisset, nisi quia alienigena, quia meretrix, quia de populo Dei benè merita. An autem fuerit meretrix; veterum auctorum nemo, quod sciam, dubitavit, quia constanter omnes meretricem et appellant, et reverà fuisse docent. Nonnulli tamen Hebræi, ut R. Silon., Jos. 2 non meretricem, sed hospitam fuisse dicunt, quâ cauponariam faceret, ideòque ad eam exploratores divertisse. Id enim nomen זונה etiam significare. Itaque Chaldæum vertisse פונדקיתא quod hospitam declarat. Quam sententiam Lyranus doctus sanè et laboriosus interpres pio, ut arbitror, studio secutus est, utinamque nostri temporis novatores eodem animo secuti essent. Nos, quid de eâ re sentiremus, copiosiùs eo loco diximus (1). Nunc hoc tantùm, me nullo prorsùs modo dubitare, quin verè fuerit meretrix, et quia nomen זונה id semper significat, nunquàm verò hospitam. Non enim citatur, nisi hic locus, et alter Joel. 3, 3, ubi pro hospitâ accipi videatur. Doctissimi verò inter Hebræos existimant, resque ipsa declarat, etiam duobus illis locis meretricem significare. Et quia Septuaginta nusquam nisi πόρνην meretricem vocant, et quia ita D. Paulus,

(1) Vid., si libet, Maldonati commentaria ad hunc Josue locum.

VERS. 5. — Mulieres quædam ex occasione positæ sunt in genealogiâ Christi, quia de iis peculiare quiddam in scripturis memoratur.

[illegible library stamp]

Heb. 11, 31, et Jacobus, c. 2, 25, etiam appellant, et quia Chaldæus paraphrastes, cujus isti auctores versionem sequuntur, *non* reddit hospitam, sed meretricem; nam apud illum פונקיתא, quemadmodùm adnotavit R. David, meretricem significat, ut Jud. 11, 1, et 16; 1, et 5, Reg. 3, 16, et quia, ut sæpè jam diximus, una ex causis, cur hìc fuerit appellata, fuit quòd fuisset meretrix. At quis credat exploratores ad publicum scortum potiùs quàm ad hospitam divertisse. Respondet Kimhi hospitas meretrices esse solere. Certè meretrices recipiebant hospitio. Sed alia hìnc nascitur quæstio, quomodò Salmon unus, ut creditur, è principibus populi sui Rahab et alienigenam et meretricem duxit; utrumque lege prohibitum, Exod. 34, 16; Deut. 7, 3; 3 Reg. 11, 2; Deut. 23, 17. Rectè ab aliis responsum est fuisse quidem meretricem, sed esse desiisse. Alienigenas autem non fuisse lege prohibitum uxores ducere, quòd alienigenæ essent; sed quòd idololatræ, hæc enim legis ratio redditur. Exod. 34, 16: *Ne postquàm ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in Deos suos.* Quâ sublatâ causâ alienigenas uxores ducere licebat. Nam et Davidem virum sanctum Maacham filiam Regis Gessur sine ullâ Scripturæ reprehensione duxisse legimus, 2 Reg. 3, 3, quia etsi Scriptura non dicit, tamen non gentilem adhuc; sed factam priùs religione Hebræam duxisse credendum est. Multò verò magis credendum Rahab relicto priùs falsæ religionis errore à Salmone ductam fuisse, cùm id Scriptura non obscurè significet. Hæc enim est confessio conversæ Rahab, Jos. 2, 11: *Dominus Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursùm, et in terrâ deorsùm.* Est autem verò simillimum, mulierem quamvis priùs meretricem, benè tamen meritam de populo Dei principis viri conjugio honoratam fuisse. Quodque de Rahab Jerechontinâ diximus, id etiam de Ruth Moabitide, et ipsâ alienigenâ intelligendum est, quam etiam Scriptura piam fuisse docet. Sic enim respondet socrui: *Populus tuus, populus meus; et Deus tuus, Deus meus.* Ruth. 1, 16.

Obed autem genuit Jesse. Hic est pater Davidis. Ita quo meritò est à quibusdam dubitatum, quomodò inter Salmonem et Davidem non nisi tres viri Booz, Obed, et Jesse numerentur, cùm constet trecentos sexaginta

Vers. 7. — Vetus est infidelium calumnia duos evangelistas Matthæum et Lucam inter se non convenire, cùm Matthæus ad Salomonem, Lucas ad Nathan Christi genus referant. Communis est responsio à Matthæo naturalem generationem, à Lucâ verò legalem proferri, atque hìnc nominum et personarum diversitatem manere. Unde Joseph ex Matthæo filius erat Jacob, ex Lucâ filius Heli. Hanc conciliandi utramque evangelistam rationem Julius Africanus ex lege Deuteron., c. 25, deprompsit, quæ his verbis concepta est. *Quando habitaverint fratres simul*, in eâdem regione, in eâdem familiâ, *et unus absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui.* Hìnc duo possunt esse ejusdem filii patres, unus à quo genitus est, alter legalis, cujus nomen et bona possidet. Exemplum habemus de Obed in libro Ruth. Sic Joseph fuit filius Jacob, et sub eâ ratione genus ejus ad Davidem per Salomonem refertur, ut filius Heli per Nathan ad Davidem perducitur. Mathan et Mathat ex eâdem sex annos intercessisse. Templum enim cœptum est ædificari quadringentesimo octogesimo anno postquàm populus excesserat ex Ægypto, quarto verò anno regni Salomonis, 3 Reg. 6, 1. Deme quatuor annos quos jam Salomon post Davidis mortem regnaverat, 3 Reg. 2, 10, et septuaginta quos David vixerat, 2 Reg. 5, 4, et quadraginta annos quos populus antequàm caperet Jericho in deserto versatus fuerat (nam statim ut Jordanem trajecit, Jerichontem cœpit, Jos. 6. 1), invenies reliquos trecentos sexaginta sex annos. Lyranus, ut hunc nodum solveret, tres Booz ejusdem nominis alium continenter post alium fuisse dixit; meritò ab aliis reprehensus, non solùm quia ex Scripturâ non probat, verùm etiàm quia contrarium Scripturâ probatur. Nam Ruth. 4, 18, genealogia à Phares usque ad Davidem texitur, at unus tantùm Booz, sicut hoc loco, numeratur. Idem fit 1 Paral. 11, 12, præterquàm quòd si tres fuissent nomine Booz, non jam quatuordecim in hâc tessaradecade, sed sexdecim fuissent generationes. Itaque meliùs alii respondent, non esse incredibile quatuor homines, ejus præsertim temporis, quo humana vita, sive naturâ sive temperantiâ longiùs tendebatur, trecentorum sexaginta sex annorum numerum æquasse. Nam si Salmonem numeres, quem verosimile est, cùm Rahab uxorem duxit, fuisse adolescentem, invenies singulos infra centum vixisse annos, cùm illo eodem tempore centum viginti, immensis licèt laboribus exercitus, Moses vixerit, Deut. 34, 7.

Vers. 6.—Jesse autem genuit. Humilis conditionis fuisse Jesse constat. Nam Saul opprobrii causâ Davidem filium Jesse solebat appellare, 1 Reg. 20, 27, 30, 31; et 22, 7, 8, 9, 13; et 25, 10. Electus tamen est ut esset radix regni Christi. Exiturus enim erat flos de radice Jesse, Isai. 11, 1.

David regem. David, cùm multi alii reges numerentur, solus rex cognominatur, quia primus, et quia perpetui regni promissio illi facta est, 2 Regum 7, 12; et 1 Par. 17, 11; et Psal. 88, 4; et 131, 11. Nam etsi Saul ante regnaverat, tamen nec ad Christi genus pertinebat; neque divinâ voluntate; sed intemperanti populi studio electus est; ut non regni Dei, sed Judæorum rex fuisse videatur; quasi ad tempus à Deo

uxore filios genuerunt, Mathan quidem Jacob, Mathat autem Heli: Jacob ex uxore Heli sine liberis defuncti genuit Joseph naturâ quidem suum, sed secundùm legem Heli filium. *Quidam tamen*, ait Mariana *in hunc locum*, arbitrantur Matthæum *genealogiam Christi per Joseph* deduxisse, *Lucam per Mariam, atque Heli fuisse Joachimum patrem Virginis, Josephi socerum, quare* vocatur *ejus pater*. Quâ de re nolo hoc loco disputare; indicâsse satis fuerit hanc, qualiscumque sit, solutionem. Quòd si tamen communior et penè recepta sententia Julii Africani magis arrideat, non intercedam: nam eâ veterum traditione nititur et promissionibus quæ factæ sunt Davidi 2 Reg. 7; Psalmis 88, et 131, ex quibus colligitur regnum Salomonis fore perpetuum, semen ejus in æternum mansurum. Quod in Christo completum est commutato temporali in spiritale regnum. Unde Africanus apud Eusebium hanc traditionem à cognatis Domini acceptam esse testatur: *Supradictam generis seriem sex Ephemeridum libro quàm poterant, fidelissimè descripserunt.*

concessus, dùm David adolesceret, quem Dominus sciebat secundùm cor suum futurum fuisse; et ut Judæi sibimet ipsi, non ipsis Deus regis jugum imposuisse videretur.

Ex ea quæ fuit Uriæ. Mirum statim legenti videtur cur Bethsabee evangelista suo nomine non appellaverit; sed circumlocutione descripserit. Quod quidam ideò factum fuisse dicunt, quòd Bethsabee notior ex marito, quàm ex nomine suo esset. Quod non ita est; nam Urias in Scripturâ rarò, Bethsabee sæpè nominatur. Præterquàm quòd non poterat regis uxor privato militi non esse celebrior. Alii quòd conscia fuerit homicidii mariti sui, ut Remigius. Quod neque credibile est, et eâ potiùs de causâ fuisset nominata. Alii refricare voluisse putant evangelistam memoriam adulterii David, sicut supra meretrices nominavit. Veram causam fuisse existimo, quòd voluerit evangelista rem, ut erat, fideliter narrare, Salomonem susceptum ex Bethsabee; quæ quamvis uxor ante fuisset Uriæ, tamen non erat tùm. Sed legitima Davidis uxor, cùm ex eâ Salomon procreatus est. Ne quis Salomonem ex adulterio natum putaret. Itaque ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου clariùs quidam vertendum existimârunt *ex* et *quæ fuerat* (uxor) *Uriæ*. Quanquàm quod noster dixit interpres, idem significat. Nam si dixisset; *ex eâ quæ erat Uriæ*, indicâsset, eam uxorem fuisse Uriæ tum cùm ex eâ Salomon conceptus est. Cùm verò dixerit: *ex eâ quæ fuit*, satis estendit fuisse quidem ante; sed non fuisse tunc cùm Salomonem concepit. Itaque non video cur fuerit à quibusdam vetus interpres reprehendendus. Etsi, ut ante dixi, non difficor clarius esse, *fuerat*.

Vers. 8. — Joram autem genuit Oziam. Joram non Oziam, sed Ochoziam; Ochoziam autem, Joam; Joam Amasiam; Amasiam demùm Oziam genuisse eum, qui hoc loco à Joram genitus fuisse dicitur, ex historiâ Regum manifestum est, 4 Reg. 8, 24, et 11, 2, et 12. 21, et 14, 21, et 1 Par. 3, 11, et 2 Par. 26, 1. Ozias autem alio nomine Azarias vocabatur, 4 Reg. 14, 21, et 1 Par. 3, 12; 2 Par. 26, 1. Itaque duæ hìnc difficiles quæstiones existunt: una, cur evangelista tres reges Ochoziam, Joam, Amasiam in rectâ genealogiæ lineâ prætermiserit? altera quomodò dicat Joram Oziam genuisse, cùm Ozias non à Joram; sed ab Amasiâ genitus fuerit? Ad priorem quæstionem aliqui respondent, ideò hos tres reges prætermisisse, quia propositum erat Evangelistæ tribus tessaradecadibus totam Christi genealogiam comprehendere. Quod si eos numerâsset, in hâc secundâ tessaradecade, non quatuordecim, sed septemdecim fuissent generationes. Hos autem potiùs quàm alios prætermisisse, quòd peccatores fuerint, quippe qui semini Achab regium Judæ sanguinem miscuissent. Hæc primùm Hilarii et

Vers. 8. — Quæritur cur tres omittantur reges Ochosias, Joas, et Amasias. Resp. ab Eliâ prophetâ prædictum fuisse Achab, fore ut stirpes ejus deficeret. Unde et evangelista ad quartam usque generationem reges Juda ex Achab impiissimo rege Israel per femineum genus propagatos reticuit, ob maledictionem à Deo per Eliam domui Achab prædictam; vel etiam quia evangelistæ propositum erat tres tantùm tessaradecadas, seu triplicem generationum seriem ab Abraham ad Joseph usque recenseri: Quæ autem à Davide usque ad captivitatem Babylonicam numerantur, cùm sint 17, tribus his refectis, ad 14 redigantur. Nam postea alias quoque generationes omittit: cùm autem ratio illius numeri occulta sit, non est cur eam curiosiùs scrutemur.

Hieronymi, deinde multorum sententia est. Quæ utinam mihi ita probari posset, ut opus non esset meliorem quærere. Sed vix mihi persuadere possum, evangelistam tantùm numeri mysterio (si quod est tamen mysterium) tribuisse; ut ob eam causam tres reges præterire debuisset. Nam isto quidem modo non tribus solùm tessaradecadibus, sed tribus etiam decadibus, ac minore etiam numero comprehendere totam genealogiam potuisset, nec enim peccatores defuissent, quos meritò prætermisisse videretur. Præterquàm quod nec isti tam mali fuerunt, ut præteriri, nec alii tam boni ut recenseri mererentur. Nam Joas et Amasias inter bonos reges in Scripturâ numerantur, qui rectum fecerint coram Domino, 4 Reg. 12, 2, et 14, 3, et Salomon multò pejora fecit, et idololatriam non solùm, ut isti, non delevit, sed primus invexit, 3 Reg. 11, 6, 7, et 4 Reg. 23, 13. Quòd autem isti, cum domo Achab conjugia copulaverint, malè fecerunt; pejùs tamen fecisse Salomonem fatendum est, qui non ex familiâ Achab, qui etsi malus, tamen ejusdem erat populi, et peccati pœnitentiam egit, 3 Regum 21, 29; sed ex alienigenis idololatris non unam ut isti, sed multas uxores duxerit, quarum est impietatem imitatus, 3 Reg. 11, 2. Neque verum est istos tres reges ex domo Achab uxores duxisse. Nam Ochozias duxit uxorem ex Bersabee, ex quâ genuit Joam, 4 Reg. 12, 1; Joas autem uxorem habuit Jerosolymitanam, 4 Reg. 14, 2. Amasias similiter ex Jerusalem uxorem habuisse dicitur, 4 Reg. 15, 2. Itaque si ob affinitatem conjunctam cum domo Achab aliquis à genealogiâ excludendus erat; Josaphat potiùs erat excludendus, qui primus omnium Achab affinitate dicitur fuisse conjunctus, 2 Par. 18, 1, et ejus filius Joram, qui filiam Achab uxorem accepit, 4 Reg. 8, 18. Malim ergo idcircò exclusos dicere quòd nati essent ex semine Achab. Nam Joram ex filiâ Achab Ochoziam; Ochozias deinde Joam; Joas verò Oziam genuit. Itaque non propter sua, nec propter patrum suorum, sed propter Achab peccata ex catalogo parentùm Christi deleti sunt. Et, ut dicam meliùs, non tam propter impietatem Achab, quàm propter promissionem Dei, qui per Eliam prophetam comminatus illi fuerat se omnem ejus posteritatem penitùs deleturum, 3 Reg. 21, 21, quod usque ad quartam generationem intelligendum erat, quæ in Amasiâ terminata est. Nam uxor Joram filia Achab prima erat generatio; Ochozias, secunda; Joas, tertia; Amasias, quarta. Quemadmodùm è contrario Jehu, quamvis malo etiam regi, quia tamen jussu Domini Achab posteritatem delevit, Deus posteritatem promisit, quæ usque ad quartam pro eo generationem regnaret, 4 Reg. 10, 30, et 15, 12. Non

ergo sunt tres isti reges numerati, quia etsi vixerunt atque regnârunt, tamen capite minuti erant; et divinâ sententiâ condemnati, quodam modo civiliter mortui. Sic ego interpretor, hâc contentus interpretatione, dùm meliorem invenio. Unum tantùm in eâ nodum video quem nemo, quòd sciam, hoc loco attigit, nedùm solvit; quòd Ochozias non dicatur in Scripturâ filius filiæ Achab; sed Athaliæ filiæ Amri regis Israel, 4 Reg. 8, 26, et 11, 1, et 2 Par. 22, 2, 10. Quod si ita est, neque Ochozias, neque qui post eum consecuti sunt, Joas, et Amasias et Achab genitis duxerunt; itaque non propterea fuerant de catalogo regum expungendi. Respondeo me existimare Athaliam matrem Ochoziæ, quamvis filiam Amri Scriptura vocet, non fuisse ejus propriè filiam; sed Achab: vocari autem filiam Amri, id est, neptem, Hebræorum non ignorată consuetudine. Nam Achab filius erat Amri, 3 Reg. 16, 29. Ut autem ita sentiam, his rationibus adducor. Primùm, quòd Scriptura disertis verbis dicat Joram accepisse in uxorem filiam Achab, 4 Reg. 8, 18, nec legamus illum aliam uxorem habuisse, ex quâ Ochoziam suscipere potuerit. Deinde, quòd Jehu dùm Domini mandato extinguit posteros Achab, inter eos Ochoziam regem Judæ etiam occiderit, 4 Reg. 9, 27, minimè profecto occisurus, nisi nepos fuisset Achab, cùm nullas cum illo gereret inimicitias. Noluit autem fortassè Scriptura Athaliam filiam Achab, sed Amri potiùs appellare propter execratam memoriam Achab; et ne sibi contradicere videretur, cùm diceret omnem ejus posteritatem fuisse delctam. Delcti enim erant omnes qui erant in Samariâ. Athalia autem, quæ erat in Jerusalem, per Jehu deleri non potuit. Quæ tamen ipsa sententian Dei non effugit; nam paulò post, cùm Joas ejus filius regnum iniisset, occisa est, 4 Reg. 11, 16. Ut ut sit, meæ certè sententiæ Hebræos, diligentes harum rerum investigatores, suffragatores habeo R. David, et R. Levi B. Gerson, 4 Reg. 8, 26. Unus adhuc hoc loco scrupulus relinquus est; Quomodò dicatur Joram Oziam genuisse; cùm non ipse, sed Amasias eum genuerit? Respondeo verbum gignendi hoc in loco non esse propriè et physicè; sed vulgariter accipiendum. Vulgò autem ita loquimur, Adam genuit omnes homines, quamvis non ignoremus non ipsum per sese; sed per filios et posteros suos genuisse.

Vers. 11. — Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus. Major est obscuritas hujus loci, ut mihi quidem videtur, quàm multis videri solet. Fidem adversarii nostri faciunt. Nec enim sine causâ Porphyrius olim Christianis hunc locum, tanquàm inextricabilem, objiciebat, ut Hieronymus scribit Dan. 1. Josias rex Ile fuit qui, 4 Reg., c. 22 et 23, et 2 Par., c. 34 et 35, tantoperè laudatur, ut dicatur fecisse quod placitum erat coram Domino, ambulâsseque in omnibus viis Davidis patris sui, non declinâsse, neque ad dexteram, neque ad sinistram, 4 Reg. 22, et 2 Par. 34, 2, qui templum Domini restauravit, 2 Par. 35, 20, legitimum Dei cultum restituit; idololatriam abolevit, librum legis negligentiâ superiorum regum perditum per Helciam pontificem invenit, 4 Reg. 22, 8, et 2 Par. 34, 14. Ob cujus mortem tradunt Hebræi lamentationes à Jeremiâ fuisse compositas, ut eo loco diximus. Hinc ergo quatuor fuerunt filii, 1 Par. 3, 15; Johanan, qui et Joachaz appellabatur, 4 Reg. 23, 30, 31; Joacim, Sedecias, qui ante Mathanias dicebatur, 4 Reg. 24, 17; Sellum. Unde nascitur prima quæstio, quomodò dicatur hoc loco Jechoniam genuisse, cùm nemo fuerit inter ejus filios, qui Jechonias appellaretur. Multi, iique graves auctores, Ambros., lib. 3 Com. in Lucam; Epiphan., lib. 1 de Hæres. in sectâ Epicureorum; August., lib. 2 de Cons. evang., c. 4; Euthym., hoc loco existimârunt Joacim filium Josiæ secundum alio nomine vocatum fuisse Jechoniam; eamque sententiam omnes, quos me legisse memini nostri temporis interpretes et catholici, et hæretici secuti sunt; quibus facilè assentior, si probâssent. At in canonicis Scripturis non legimus Joacim Josiæ filium vocatum unquàm fuisse Jechoniam. Vocabatur quidem ante Eliacim, 4 Reg. 23, 34. Sed Nechao rex Ægypti occiso priùs Josiâ ejus patre, deinde vincto Joachaz fratre primogenito, et in Ægyptum ducto, Eliacim regem Judæ constituit, nomenque illi mutavit Joacim. Hic filium habuit ejusdem nominis Joachin, nisi quòd nomen patris scribebatur per ק et ם, יהויקים, Joacim, nomen filii per כ et ן, יהויכין, 4 Reg. 24, 6. Atque hic vocatus est alio nomine Jechonias, 1 Par. 3, 16; Jerem. 22, 24, 28, et 24, 1, et 27, 20, et 28, 4, et 29, 2, et 31, 1, sed fratres nullos habuit. Nam propterea Nabuchodonosor rex Babylonis, cùm eum Babylonem transtulisset, constituit regem Judææ patruum ejus Mathaniam, vocans alio nomine Sedeciam, 4 Reg. 24, 17, aliquem potiùs ejus fratrem constituturus, si quem habuisset. Quæ duæ res non solùm persuadent; sed etiam impellunt ut credam legendum esse hoc loco; *Josias autem genuit Joacim et fratres ejus.* Nam cùm plerique confiteantur corruptum esse locum, unamque, ut post dicemus, generationem desiderari, prudentiæ simul et religionis esse arbitror nomina ad corrigendum locum non fingere, sed ea ex sacris litteris accipere. Fateor, lib. 3 Esdræ, c. 1, 34, Joacim Josiæ filium etiam Jechoniam appellari. Nam et eo loco Euthymius usus est; ex quo constat eum librum illum Græcè, quo nos caremus, habuisse; nisi fortassè homo Græcus Latina legit, sicut nos aliquan do Latini leginus Græca. Sed nec liber ecclesiasticus habet auctoritatem, et in omnibus codicibus vitiosè scribitur Jechonias pro Jeconias. Nam si dilatandum nomen fuit, sicut ex Joachin factus est Jechonias, ita ex Joacim Jechonias, aut potiùs Jeconias faciendus erat. Et ut hoc vitium nominis irrepsit; ita illud potuit Salathiel, qui Zorobabelem genuit. In quibusdam manuscriptis Græcis inter Josiam et Jechoniam interpositum est nomen Joachim: sed hanc lectionem insaper habuit Hieronymus, ea quippe contraria est optimis exemplaribus et antiquis versionibus.

tuit irrepere, ut pro Joacim Jechonias scriberetur. Omnia igitur rectè convenient, si legamus; *Josias autem genuit Joacim et fratres ejus.* Quod ex secundæ quæstionis explicatione, quæ hinc oboritur, magis manifestum erit. Meritò igitur omnes auctores miratur, qui factum sit, ut cùm evangelista, vers. 17, dicat se ter quatuordecim, id est quadraginta duas ab Abraham usque ad Christum generationes recensuisse, non nisi quadraginta una reperiantur.

Itaque secunda quæstio est, an aliqua desit generatio. Sunt qui nullam deesse putant; quòd non omnes eodem modo probant. Alii enim existimant Davidem bis repetendum, ut sit finis primæ tessaradecadis, et principium tertiæ; itemque Josiam finem secundæ, initium tertiæ; quod si fiat, et Christus non numeretur, nulla deerit generatio. Evangelistam enim non 42 personas, sed 42 generationes numerâsse. Alii Christum numerant, sed Jechoniam bis numerandum dicunt, patrem qui finis est secundæ, et filium qui principium est tertiæ tessaradecadis, ut August., lib. 2 de Consensu evang., c. 4. Idemque Hieronymus videtur significare Dan. 1. Alii ipsam captivitatem pro unâ personâ numerandam esse putaverunt, ut refert Theophylactus, itaque nullam deesse. Itaque magis mihi Epiphanii, Ambrosii, Euthymii, et aliorum auctorum ingenuitas placet, qui unam deesse generationem liberè confitentur. Sed quia in primâ tessaradecade, quæ ab Abrahamo usque ad Davidem texitur, certum est non deesse, et jacturam ejus, quæ decst generationis in angulo, quo secunda tertiaque connectuntur, factam esse constat.

Tertia quæstio est utrinam, secundæ desit, an tertiæ. Nam si secundam tessaradecadem à Salomone usque ad Jechoniam illum numeremus, qui hoc loco pater fuisse dicitur Salathielis, tertiæ tessaradecadi una decrit generatio; si verò Jechoniam patrem Salathielis in tertiâ tessaradecade numeremus, deerit secundæ. Plerique igitur interpretes in tertiâ tessaradecade generationem illam unam deesse putant. Quod eò videtur probabilius, quòd manifestum sit evangelistam tribus tessaradecadibus, triplicem populi statum, sub judicibus, sub regibus, sub ducibus comprehendere; Jechonias autem pater Salathielis sub regibus et rex ipse fuit; ad secundam ergo, non ad tertiam tessaradecadem pertinet. Aliâ verò ex parte, si Jechonias in secundâ tessaradecade ponatur, non jam quatuordecim, sed quindecim in eâ (si Joacim et fratres ejus numeremus) generationes erunt, et Jechoniam patrem Salathielis in tertiâ numerandum putat. Quare alii non in tertiâ, sed in secundâ tessaradecade generationem illam unam desiderant. Nam cùm Jechonias rex fuit, tamen post Joacim patrem, aut potiùs post Josiam avum ejus tres reges Joacim, Jechonias, et Sedecias ita regnârunt, ut non reges, sed captivi et servi regis Babylonis esse viderentur. Et non est necesse ut omnes, qui in primâ tessaradecade, sub judicibus; et omnes qui in secundâ sub regibus; et qui in tertiâ numerantur, sub ducibus fuerint. Nam tempore Abrahæ, Isaac, Jacob et Judæ judices nondum erant; et ad primam tessaradecadem inprimis pertinent. Placet mihi media sententia, nec in secundâ, nec in tertiâ; sed in utriusque confinio deesse. Nam si à Salomone usque ad Jeconiam, aut potiùs Joacim et fratres ejus numeras quatuordecim; etsi à Jechoniâ patre Salathielis usque ad Christum alias quatuordecim generationes invenies, sed inter utramque tessaradecadem desunt hæc verba: *Joacim autem genuit Jechoniam*, quæ ideò ad neutram tessaradecadem pertinent, quia jam Joacim (aut Jeconias) in secundâ numeratus fuerat; et Jechonias statim in tertiâ numeratur.

Hinc quarta oritur quæstio, quâ ratione desit ista generatio; an de industriâ ab evangelistâ prætermissa, an similitudine nominis insinuata, an mysterio, an vitio scribentium præterita? Quot enim quæstionis membra feci, tot opiniones invenio. Nam aliqui scienter putant Joacim ab evangelistâ prætermissum; quòd non à populo, sed à Nechao rege Ægypti regnum accepisset, 4 Reg. 23, 34, et 2 Par. 36, 4. Ita Pseudochrysostomus, hom. 1, in Matth. Alii ideò fuisse prætermissum, quòd cùm Jechonias et pater et filius vocaretur, his erat à lectore idem nomen repetendum. Itaque etsi non apparent, tamen duo homines pater et filius sub uno latent nomine Jechoniæ. Sic Augustinus, lib. 2 de Cons. evang., c. 4, addit commodè id quasi in angulo secundæ et tertiæ tessaradecadis factum esse; cùm enim alicujus ædificii lapides numeramus, cùm ad angulum pervenimus cum lapidem, qui angulum facit, bis solemus numerare. Hoc nonnullis placuit, et mihi tanti auctoris nomine commendatum non displicuit. Tertiam interpretationem idem August. affert, mysterium in eâ re fuisse, ut Jechonias bis numeraretur; significari enim per Jechoniam factam esse quasi in angulo quamdam volutam ad extraneas gentes deflexionem. Epiphan. in sectâ Epicureorum, quem recentiores interpretes ferè sequuntur, scripturum vitio et ignorantiæ factum affirmat, ut post hæc verba: *Jechoniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis*, hæc intercidcrint; *Jeconias autem genuit Jechoniam.* Cùm enim Jechoniæ nomen quater repeteretur, scriptores ignorantes patrem et filium vocari Jechoniam, putantesque redundare, præterniserunt. Epiphanio in hoc assentior, ut existimem scriptorum vitio aliqua verba intercidisse, quibus significetur, Joacim filium Josiæ genuisse Jechoniam. In eo non assentior, quòd non existimo deesse hæc: *Jeconias autem genuit Jechoniam*; sed hæc: *Joacim autem genuit Jechoniam.* Nam, ut supra probavimus, Joacim filius Josiæ nunquàm in Scripturis canonicis vocatur Jechonias. Itaque totum locum sic restituendum puto: *Josias autem genuit Joacim, et fratres ejus in transmigratione Babylonis* (quemadmodum Stapulensis affirmat se in antiquo quodam Græco codice legisse, *Joacim autem genuit Jechoniam*).

Et fratres ejus. Fratres ejus nominat, quia etsi non ex illis propagatus est Christus, tamen omnes ferè Christi regnum tenuerunt. Nam Joachas, quem et Johanam paulò ante vocatum fuisse diximus, tres

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA TÉCNICA SUPERIOR DE INGENIERÍA (ICAI) DEPARTAMENTO DE MATEMÁTICA APLICADA

regnavit menses, 4 Reg. 23, 30, 31, et 2 Par. 36, 1, 2. Et Mathanias, cui et Sedeciæ nomen fuit, regnavit undecim, 4 Reg. 24, 17, 18, et 2 Par. 36, 11. Sellus non regnavit Sellum, quia antequàm regnare posset, regnum defuit, 4 Reg. 23, 7, et Jer. 52, 11. Adde quòd et Sellum regnásse indicat Jerem., c. 22, 11, ut in commentariis ejus loci adnotavimus.

In transmigratione Babylonis. Instante transmigratione Babylonicâ. Nam cùm Josias genuit Joacim et fratres ejus, nondùm populus Dei Babylonem migraverat. Transmigratio enim facta est tertio mense regni Jechoniæ filii Joacim, 4 Reg. 24, 12, et 2 Par. 36, 10. Itaque inter natalem diem Joacim et transmigrationem triginta sex anni et tres menses interfuerunt. Nam viginti quinque annorum erat Joacim cùm regnare cœpisset, et undecim annos regnavit, 4 Reg. 23, 36, et 2 Par. 36, 5. Sed totum hoc spatium vocatur tempus transmigrationis; sive quia comparatione regni breve est, sive quia regnum Juda nondùm concideral; nutabat tamen: atque hoc proprié, ut arbitror, est sub transmigratione, id est, paulò ante. Itaque qui hoc loco vertunt: *In exilio Babylonico*, ut ferè omnes hæretici faciunt, non solùm tanquàm novitatis amatores; sed tanquam mali et am interpretes reprehendendi mihi videntur. Exilium enim tempus illud significat, quo quis exulat. Itaque in exilio Babylonico Joacim genitum esse, est genitum esse dùm Judæi exularent, cùm evangelista non tempus exilii, sed ante exilium voluerit designare; quod multò profectò melius nomine transmigrationis intelligitur, quod solum, ut ita dicam, transmigrandi actum significat; et apud bonos Latinitatis auctores, Livium et Tranquillum reperitur. Illud etiam etsi leve est, non tamen præterniittendum non dixisse evangelistam *in captivitate*, sed *in transmigratione*. Quia cùm his duæ tribus, ex quibus regnum Juda constabat, in exilium Babylonicum translatæ fuerint, primùm sub Jechoniâ, 4 Reg. 24, 12, et 2 Par. 36, 10. Deinde sub Sedeciâ, 4 Reg. 25, 8, et Jerem. 39, 7, et 52, 4. Prior propriè dicitur Hebraicè גלה, Græcè μετοικεσία, Latinè transmigratio; non שבה non αἰχμαλωσία, non captivitas; secundo verò dicitur שבה, αἰχμαλωσία, captivitas; quia in priore Jechonias cùm toto populo sponte se dedidit suasu Jeremiæ prophetæ, et Babylonem abiit, 4 Reg. 24, 12. In posteriore verò, in quâ regnum penitùs deletum est, non sponte dediti Judæi, sed vi capti Babylonem ducti sunt, 4 Reg. 25, 8, et Jerem. 39, 7, quemadmodùm Jerem. 29, 1, et Ezech. 1, 1, adnotavimus. Quanquàm hoc discrimen non semper observatur. Nam Esdræ, 2, 1, utrumque conjungitur, ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας τῆς μετοικεσίας, quia tamen evangelista servare videtur voluisse, non debuit hæreticus interpres deportationem vertere (Beza in Matth. an. 1559).

Vers. 12. — Et post transmigrationem Babylonis. Tempore exilii in ipsâ captivitate, factâ jam populi transmigratione.

Jechonias genuit Salathiel. 1 Par. 3, 17, 18, Jechoniæ octo filii numerantur, quorum natu secundus dicitur Salathiel. Aliis quoque multis locis Salathiel Jechoniæ filius appellatur. Agg. 1, 1, 2, 14, et 2, 3, 24, et lib. 1 Esdræ, 3, 2, 12, 1. Scrupulum tamen injicit, quod legimus apud Jerem., c. 22, 30: *Hæc dicit Dominus: Scribe virum istum sterilem* (loquitur autem de Jechoniâ) *virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Judâ.* Sed jam eo loco respondimus, non vocari Jechoniam sterilem, propterea quòd nullos liberos habuerit, cùm ex eodem Jeremiæ capite, vers. 28, filios habuisse constet; sed quia nemo ex eis regnavit, quod attinet ad regni successionem, perinde fuit ac si fuisset sterilis. Alius restat scrupulus, quomodò potuerit Jechonias in ipsâ captivitate filios procreare, cùm in carcere vinctus fuerit. Respondeo Evilmerodach filium Nabuchodonosoris mortuo patre eduxisse è carcere Jechoniam, et regio habitu habuisse, 4 Reg. 25, 27, 28, et Jerem. 52, 31, trigesimo septimo anno transmigrationis, quo tempore liberos genuit, qui ideò in terram quam ignorabant, projecti fuisse dicuntur, Jerem. 22, 28, quia in eâ captivi nati sunt. Nam tempore transmigrationis, etsi Jechonias uxorem habebat, 4 Reg. 24, 15, tamen credibile est nondùm filios habuisse. Alioqui Nabuchodonosor non Mathaniam ejus patruum, sed aliquem potiùs ex ejus filiis regem pro ipso constituisset, 4 Reg. 24, 17, et 2 Par. 36, 10. Hâc etiam ratione fieri potuit, ut ejus nepos Zorobabel filius Salathielis usque ad templi restaurationem vixerit, et redieus ab exilio princeps fuerit, 1 Esdræ, 3, 2, et 5, 2, et lib. 2, 12, 1. Ita omnis benè constat historia.

Vers. 16. — Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ. In hunc locum totam de Christi genealogiâ disputationem, et quæ de concordiâ duorum evangelistarum Matthæi et Lucæ dici solent, reservavimus. Cujus summa nos difficultas, si paulò longiores fuerimus, excusabit. Hoc enim consilio solemus res faciles aut præterire, aut leviter attingere, ut liceat nobis in difficilibus esse longiores. Premebant olim hoc loco Christianos non tantùm Judæi, verùm etiam gentiles, qui aliquam sacrarum litterarum cognitionem delibasset templi extructionem excitârunt, patris verò Phadaiæ obscuri hominis non meminerint; tametsi quodammodò expressus fuit in tertiâ tessaradecade, cùm 14 generationes numerantur. Unde non abhorret à verisimili eam generationem temporum lapsu excidisse, nec Porphyrius id unquàm objecit, unam generationem à Matthæo omissam fuisse, nisi fortè Zorobabel alius est ab eo cujus fit mentio, l. 1 Paralip. 3, 19.

Vers. 16. — Qui vocatur Christus; qui est Christus. Idem enim in Scripturâ est *vocari* et *esse*.

Vers. 13. — Lib. 1 Paralip. ponitur Ananias qui ut videtur Abiud est: idem est cum Abiud, aut fortè Abiud alius est ex filiis Zorobabel, cujus posteritas eo loco Paralip. reticetur. Nam ab Abiud usque ad Joseph nulla in sacris litteris eorum fit mentio. Sed erant in nostâ quâque familiâ aliæ genealogiæ, ex quibus hi sumpti sunt ab evangelistâ. Deest in hâc tertiâ tessaradecade una generatio, quam expleret Phadaias, quæ vel excidit, vel de industriâ ille omissus fuit à Matthæo, quòd apud Esdram, l. 1, c. 3, et l. 2, c. 7, à duobus prophetis fuerit prætermissus, qui Zorobabel

verant, Celsus apud Origenem, lib. 2; Julianus Augustus, apud Cyrillum Alex., lib. adversùs illum, 8. Prima quæstio quæ sese statim lectori offert, est illa quæ ab illis Ecclesiæ hostibus objiciebatur. Si Christus non fuit filius Joseph (ut reverà non fuit), quid attinet ad illum Josephi genealogia jam inde ab Abrahamo et Davide deducta? non enim Joseph, sed Christi genealogia quærebatur. Omnes veteres theologi uno ore respondent Joseph et Mariam Christi matrem ejusdem fuisse tribûs atque familiæ; itaque dùm evangelistæ Matthæus et Lucas Joseph genealogiam recensent, Mariæ quoque ac proinde Christi recensent. Ita Iren.; lib. 3, c. 18; Tertul., libro contra Judæos; Athanas., in epist. ad Epictetum adversùs hæreticos; Ambros., lib. 2 de Pœnit., c. 8, et lib. 3 Comment. in Lucam, August. in Quæst. in lib. Jud., q. 47, et in quæst. ex novo Test., q. 86, et lib. 23, contra Faustum, c. 3 et 4; Hieron. hoc loco; Gregor. Nys. in oratione de sanctâ Christi Nativitate; Juvencus poeta; Eucherius in quæst. in novum Test.; Damas., 4 lib. de fide, c. 13. Id adversarii Judæi, Julianus, Celsus, Porphyrius, Faustus negabant, rationemque afferebant, quòd Mariam Dei matrem ex tribu Levi fuisse constet. Erat enim cognata Elisabeth uxoris Zachariæ, Lucæ 1, 36, quæ erat ex filiabus Aaron, Luc. 1, 5; non ergo erat ex tribu Juda, multòque minùs ex familiâ Davidis, ex quâ erat Joseph. Nostri contrà certissimis testimoniis B. Mariam Christi matrem ex familiâ Davidis, exque tribu Juda esse demonstrabant. Ipse enim evangelista Matthæus, qui, c. 1, 18, 20, docet Mariam non ex Joseph, sed ex Spiritu sancto Christum concepisse; vers. 25, Joseph eam non cognovisse; vers. 1, vocat eum filium Davidis: *Liber generationis Jesu Christi, filii David*; non poterat autem filius esse Davidis, nisi per matrem, cùm patrem hominem non haberet; erat ergo mater ex domo David. Præterea Lucas, c. 1, vers. 35, dicit Christum ex virgine Mariâ sine viro ex Spiritu sancto conceptum, et c. 3, 23, putatum fuisse, id est, non fuisse filium Joseph; versu verò 32, ejusdem 1 cap. dicit idem angelus: *Et dabit illi Dominus sedem David patris sui.* Et vers. 69, Zacharias canit: *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.* Et c. 2, 4, scribit Joseph et Mariam ascendisse ex Galilæâ in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, ut ibi describerentur, quòd essent ex familiâ David. In cæteris verò libris novi Testamenti passim non à turbâ populari, sed ab apostolis dicitur filius esse Davidis, Rom. 1, 3, 2; Tim. 2, 8; Apoc. 22, 16. Quo ergo modo Maria cognata erat Elisabethæ ex filiabus Aaron? rectè respondet Augustin., q. 47 in lib. Jud., aliquem ex tribu Juda et familiâ Davidis aliquam ex tribu Levi uxorem duxisse, unde B. Virgo Maria originem traxerit. Nam ne illi quidem ipsi, qui B. Virginem non ex tribu David, sed ex tribu Levi fuisse dicunt; negare possunt illam nupsisse Joseph, quem ex tribu David fuisse non negant. Quo autem modo fieri potuerit, ut inter diversas tribus conjugia miscerentur, paulò post dicam. Hactenùs constet Evangelistas, dùm Joseph genealogiam narrant, etiam Mariæ genealogiam recensere.

Itaque restat secunda quæstio, cur non potiùs ad Mariam, quàm ad Joseph genealogiam deduxerint; cum id fuisset nihilò difficilius, et ad genus Christ intelligendum multò clarius. Qui respondent evangelistas multorum opinioni servire voluisse, qui, ut ait Lucas, c. 3, 2, Christum filium Joseph esse arbitrabantur, et injuriam evangelistæ faciunt, et non vident non debuisse eum istâ ratione de Spiritu sancto, non ex Joseph conceptum dicere, vers. 18, 20, 25. Veteres ergo illi ejus rei duas rationes reddiderunt. Alteram, quòd non fuerit Hebræorum consuetudo genealogias per mulieres ducere. Quod ut est certum, ita ad solvendam quæstionem non satis est. Poterat enim genealogia usque ad Mariam per viros de more duci; Maria verò sola, quia præter consuetudinem ex Spiritu sancto conceperat, præter consuetudinem numerari. Itaque hanc rationem, quæ sola non sufficiebat, alterâ ratione corroborabant, legem fuisse, Num. 36, 6, 7, ut ex suâ quisque tribu uxorem duceret, ne hæreditates ab unâ tribu in aliam averterentur; quam legem à Joseph, cùm vir esset justus, fuisse servatam. Sic Hieron., Ambros., August., Eucherius, Damasc. iis locis, quos supra designavimus. Judæi tamen, et qui hoc tempore, quo maximè incredulitas regnat, ingenii magnitudinem incredulitate metiuntur, in hâc ratione non acquiescunt. Eam enim legem ne à justissimis quidem hominibus servatam fuisse. Nam parentes Mariæ sanctissimæ Christi matris justi erant, tamen cùm ipsi essent ex tribu Juda, cum tribu Levi connubia junxerunt, et Jud. 21, 1, undecim tribus jurant se tribui Benjamin filias suas nuptui non daturas propter insigne facinus, quasi et tunc inter se, et antea illi publicè aliæ aliis darent. Justus etiam erat David, tamen cùm ipse ex tribu esset Juda, et Saûl ex tribu Benjamin, 1 Reg. 9, 1, Michol filiam ejus duxit, 1 Reg. 18, 27. Justus Joiada sacerdos ex tribu Levi, filiam tamen Joram regis ex tribu Juda in matrimonium accepit, 2 Par. 22, 11. Adde quòd ea lex non intelligebatur, nisi de mulieribus, quæ cùm fratres non haberent, in hæreditatem succedebant, ut Ambros. etiam interpretatur, lib. 3 in Luc., tunc enim non licebat illis alterius tribûs viro nubere, ne paterna hæreditas in aliam tribum traduceretur. Hæc enim ratio redditur legis. Quare non satis est legem allegare, et Joseph ac Mariæ parentes probare justos, sed necessarium præterea est docere Mariam Virginem hæredem fuisse, ut non potuerit extra tribum suam nubere. Quod ex sacris quidem litteris non constat; si constaret, tamen non satis esset, ut ea in quâ versamur, quæstio solveretur. Quid enim? sit B. M. ex eâdem tribu; an propterea sequitur ex eâdem esse familiâ? quod tamen video multos interpretes non animadvertere. Itaque respondeo legem illam ejusque interpretationem veram esse, idcòque conjugia illa quæ proferuntur ab adversariis, inter diversas tribus fuisse copulata, quòd in illis ratio legis locum non haberet, sed adeò notum vulgo fuisse Joseph et Mariam

non ex eàdem modò tribu, sed ex eàdem prorsùs esse familià, ut evangelistæ non dixerint. Illud etiam addo, existimare me B. Virginem Joseph, tanquàm maximè omnium propinquo, non solùm sponté, verùm etiam necessitate legis traditam fuisse. Credo enim legem illam, Num. 36, 6, 7, non solùm de eàdem tribu, sed etiam de eàdem familià intelligi debere; ut, cùm mulier aliqua paternæ hæreditatis sola hæres esset, non posset nisi ejusdem familiæ viro, et quidem propinquissimo nubere. Adducor autem ratione legis; quæ propterea prohibebat extra propriam tribum nubere, ne hæreditates, quæ Dei arbitrio inter eas tribus æqualiter fuerant distributæ, Jos. 19, perturbarentur. At eadem ratio in singulis familiis locum habebat, quæ in eàdem quoque tribu æquales terræ portiones acceperant. Hoc enim est quod tam sæpè dicitur Jos. 19, per cognationes suas. Certè Hilar., can. in Matt. 1, Mariam ex lege Joseph nupsisse affirmat, et Eucher. 9, 2, in Matth., et Theophyl. et Euthym. in Comm., legem non de eàdem tantùm familià interpretantur. Sed quid opus est conjecturis aut testibus, cùm Scriptura ipsa utrumque doceat? Sic enim est Hebraicè: *Omnis filia hæres hæreditatis ex tribubus filiorum Israel, uni ex familià tribûs patris sui erit in uxorem, ut possideant filii Israel unusquisque hæreditatem patrum suorum.* Nullos enim eam fratres habuisse, non ex traditione tantùm, sed ex sacris etiam litteris manifestum est, quæ ejus, si quos habuisset, fratres non tacuissent. Hæc igitur omnia fecerunt, ut evangelistæ contenti fuerint Joseph genealogiam demonstrâsse, quam certum ac notum erat eamdem esse Mariæ. Atque in hàc re Matthæus Lucasque consentiunt. Veniamus nunc ad ea in quibus videatur dissentire. Quæ multa sanè sunt. Primum, quòd Matthæus Joseph filium Jacob, Lucas Heli fuisse dicat. Secundum, quòd à Joseph usque ad Zorobabel Lucas diversos prorsùs Christi parentes numerat, atque Matthæus. Tertium, quòd Matthæus à Joseph usque ad Zorobabel non numerat, nisi novem; Lucas verò duodeviginti. Quartum, quòd Matthæus dicat Salathielem filium fuisse Jechoniæ; Lucas Neri. Quintum, quòd à Salathiele usque ad David alios rursùs Lucas, quàm Matthæus recenseat; et Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan ad Davidem perveniat. Sextum, quòd Matthæus consistat in Abraham; Lucas ad Adam et ad Deum usque perveniat. Septimum, quòd Matthæus à parentibus ad filios descendendo; Lucas à filiis ad parentes ascendendo progrediatur. Quod ad primum discrimen attinet, Augustinus, lib. 2 Quæst. Evangel., q. 5, et lib. 2 de Consensu evang., c. 2 et 3, tribus modis responderi putat posse; primò, Heli apud Lucam patrem dici Joseph, non quòd pater, sed quòd socer esset, paterque B. Virginis, quem qui Joachim alio nomine vocari soleat; Jacob autem, quòd verè pater esset. Quæ responsio nec Augustino displicet; et nonnullis aliis valdè placuit, ut auctori libelli de ortu B. Virginis falsò inscripti Hieronymo, et recentioribus valdè multis. Mihi quoque placeret, nisi viderem evangelistas verum Josephi genus describere voluisse. Illam subtilitatem probare non queo, quà vir quidam ætatis nostræ sanè perquàm eruditus scribit, cùm Lucas dicit de Christo: *Filius, ut putabatur, Joseph, qui fuit Heli*, relativum, *qui*, non ad Joseph, sed ad Christum referendum: ut sit sensus: Qui Christus fuit filius, id est, nepos Heli. Quod si verum esset, nullus quæstioni locus relinqueretur; sed quis non videt esse coactum? Secunda igitur Augustini responsio est: Joseph unius quidem naturà, alterius autem adoptione filium fuisse, quemadmodùm Ephraim et Manasses cùm naturà filii essent Joseph illius patriarchæ, adoptione tamen filii fuerunt Jacob, ideòque suam quisque tribum, sicut cæteri ejus filii, effecerunt, Gen. 48, 56. Probabile hoc est, proque vero teneri potest, si aliud repertum non esset probabilius. Tertia est, Joseph filium fuisse alterius naturalem, alterius legalem; Jacob enim et Heli fuisse fratres, quorum alter ductà uxore sine liberis decessisset; alter, ut lex jubebat, Deut. 25, 5, ex ductà viduà Josephum susceperit; qui propterea nunc illius, qui verè ipsum genuit; nunc illius, ex cujus uxore genitus est, filius appelletur. Hæc interpretatio ab ipsis, ut ait Africanus, Christi, cognati accepta, et ab eodem Africano in epistolà ad Aristidem expositâ summo ab omni antiquitate consensu probata est, à Justino, Quæst. ad Orthodox. 66; ab Eusebio, lib. 1 Hist. Ecclesiast., c. 7; ab Hieronymo in Comment. in hunc locum; ab Ambrosio, lib. 3 in Lucam; ab Eucherio, q. 3 in Matthæum; à Damasceno, lib. 4 de Fide, c. 15; à Bedà in Lucam, c. 10; à Theophylacto in Lucam, c. 3, quo magis mirum est uni non fuisse probatam Augustino, lib. 2 Quæst. evang., q. 5. Quanquàm is ipse eam quoque sub finem vitæ doctior probaverit, lib. 2 Retract., c. 7, nequoque de eà postea dubitaverit donec Evangelium nostri invenerunt, qui omnia, quæ in Evangelio essent, quasi altioris ingenii homines in dubium revocarent. Eorum enim quidam hanc totius antiquitatis opinionem somnium, delirium, monstrum appellat. Legem enim illam non nisi de fratribus eodem patre natis, simulque habitantibus intelligendam; Jacob autem et Heli diversos constat patres habuisse; Jacob enim patrem habuit Mathan, Matthæi. 1, 15; Heli verò Nathat, Luc. 3, 24. Non solere legales filios legalium parentum, sed naturalium filios appellari; debuisse, qui eà lege ex fratre natus esset, demortui fratris nomen gerere. At nos Scripturæ credimus, quæ et verbis, et exemplis docet legales filios legalium parentum nomine censeri. Quid enim Deuteronomii lege clarius? *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratri suo, et primogenitum ex eà filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.* Quid illo manifestius exemplo, Gen. 38, 9? *Quam autem sciens non nasci sibi filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.* Quid quòd ipsi quoque Saducæi septem, id est, quotquot essent fratres eamdem uxorem ducere debere intelligebant, quoad primogenito liberos pro-

crearent? Matth. 22, 22. Quid quòd Booz non frater, sed cognatus, dives et senex, nec simul habitans, tamen ut legem servet, Ruth mulierem alienigenam, et penè mendicam uxorem ducit, Ruth 4, 10, et qui inde natus est filius non Booz, non Ruth, sed Noemi matri defuncti natus esse dicitur? Ex quo uno exemplo intelligimus, neque necessarium fuisse, ut fratres eodem patre nati essent, nec ut omninò propriéque fratres essent; sed fratrum nomen ad cognatos omnes extendi, qui ad defuncti hæreditatem jus aliquod haberent, quam adire nisi ejus uxore ductà, non poterant. Ruth. 4, 5. Intelligimus etiam non fuisse necessarium, ut simul, id est, in eàdem domo, aut eodem etiam oppido habitarent; primus enim maritus Ruth longè à patrià uxorem duxerat, ac mortuus erat: sed ut hæreditates ad eamdem familiam pertinerent; non debuisse natum filium legalis patris nomen gerere, quod Augustinum aliquando fefellit; nec enim filius Ruth Chelion ut legalis, nec Booz ut naturalis pater; sed Obed ut neuter appellatus est: sed jubetur frater primogenitum filium demortui fratris nomine nuncupare, id est, non suum, sed fratris sui censere filium: quod tandem animadvertit Augustinus in lib. Quæstionum in Deuter., q. 46, et lib. 2 Retract., c. 7 Quisquis ergo tot tantorumque auctorum non contentus sententià aliam quærit, videat ne pejorem inveniat. Nos quidem in eà penitùs conquiescimus. Quæri autem solet uternam Jacob an Heli Josephi fuerit naturalis pater. Nonnulli Heli naturalem, Jacob legalem patrem fuisse dicunt, ut inter veteres Ambrosius, et alii quorum Augustinus meminit, in Quæst. nov. Test., q. 56, inter posteriores multi; sed majorem partem hæretici, qui à vià regià libenter deflectunt. Omnes alii iis locis, quos paulò ante demonstravimus, Jacobum naturalem, Heli legalem patrem fuisse putant. Nathan enim, qui apud Matthæum pater Jacob, et Matthat, qui apud Lucam pater Heli fuisse dicitur, eamdem uxorem habuisse, quam uno mortuo viduam, aut ab eo adhuc vivente repudiatam alter duxerit: ex quà Nathan Jacob, Matthat Heli susceperit. Itaque Jacob et Heli fratres eàdem matre (quam Hestam vocatam tradunt), non eodem patre natos fuisse; Heli ductà uxore sine liberis mortuum, Jacob ex lege ex viduà Josephum genuisse. Quam ego sententiam, et quia plures, et quia meliores auctores habet, et quia firmioribus rationibus nititur, longè probabiliorem duco. Manifestum enim est voluisse Matthæum, factà statim in exordio mentione Davidis, continuationem regii generis usque ad Christum demonstrare. Quod multò melius probabitur, si Jacob naturalis, quàm si legalis pater sit. Deinde quia, ut Africanus et Augustinus adnotaverunt, Matthæus de industrià gignendi verbo usus; Lucas de industrià videtur abstinuisse. Quod etsi necessarium non est argumentum, probabile tamen est; quia Matthæus prior scripsit, neget licèt hæreticus interpres; et credibile est, qui prior scripserit, naturalem patrem, qui verò posterior legalem naturali jam nominato nominare voluisse.

Secundi autem inter duos Evangelistas discriminis tres rationes afferri solent. Nam alii propterea Lucam à Joseph usque ad Zorobabel diversos quàm Matthæum Christi parentes nominâsse videri putant, quòd binomii fuerint; et unum Matthæus nomen; Lucas alterum expresserit; quod et Philonis auctoritate confirmant. Ego, ut non negaverim multos fuisse binomios, ita omnes fuisse ægrè, repugnanteque judicio concesserim: quod tamen concedat necesse est, quisquis evangelistas vult istà ratione conciliare, cùm non pauci aliquot, omnes diversi nominentur. Alii respondent ideò diversos à diversis evangelistis recenseri, quòd Matthæus regale Christi genus, Lucas sacerdotale narret. Sic existimat Augustinus, lib. 83 Quæst., q. 61; et lib. 1 de Consens. Evangelistarum, c. 2; et Ambros., lib. 3 in Lucam, et Julianus Pomerius, libro adversùs Judæos 3, multique hodie; quorum mihi sententia ideò non probatur, quia non constat Christum ex tribu Levi sacerdotalis aliquid generis habuisse; quin viri nonnulli insigniter docti atque Catholici id nostro tempore præcisè negaverunt; quòd D. etiam Paulus toto septimo capite epistolæ ad Hebræos, negare videatur. Quod autem dicitur, Luc. 1, 36, B. Virginem cognatam fuisse Elisabethæ, quæ erat ex genere Aaron vers. 5, facilè probabiliterque interpretantur patrem aut avum aliquem Elisabethæ sacerdotem ex tribu Levi uxorem aliquando duxisse ex tribu Juda et familià David, ex quo conjugio nata fuerit Elisabetha cognata B. Virgini eà ex parte, quà ex familià David; non eà quà ex tribu Levi genus ducebat, et quidem Ambrosius non alià ratione Elisabetham Mariæ cognatam fuisse interpretatur, lib. 3 in Lucam, quàm quòd ex tribu Juda utraque esset. Deinde quia ex omnibus iis, quos Lucas parentes enumerat, neminem sacerdotem fuisse legimus. Quod si sacerdotale genus recensebat, sacerdotes in primis debuit nominare. Alii ergo propterea diversos parentes numerari putant, quod unus Evangelista naturalem, alter legalem Christi originem enarret. Quorum etsi genere una videtur esse sententia, specie tamen et explicatione est tripartita. Nam ex illis alii dicunt, Matthæum naturalem, Lucam legalem originem exponere; quòd ille eam per Salomonem naturalem Davidis filium; hic per Nathan adoptivum ducat. Quam opinionem unde Lyranus hauserit non intelligo. Nam Scriptura Nathan non legalem, sed maximè naturalem filium Davidis facit, 2 Reg. 5, 14; et 1 Par. 3, 5. Nec monerem Nathan illum, cujus Lucas mentionem facit, non illum fuisse prophetam, à quo David ob patratum adulterium et homicidium correptus est, 2 Reg. 12, 2, nisi scirem ita locutum aliquando Augustinum, l. 83 Quæst., q. 59, et l. 2 de Consens. evang., c. 4, ut eumdem hominem fuisse colligere ex eo quis possit: quod tamen alio loco idem admonuit, sempe, l. 1 Retract., c. 26, et l. 2, c. 16. Alii contra Lucam naturales, Matthæum legales patres numerare putant, ideòque pauciores apud Matthæum esse, quàm apud Lucam; quòd legales pauciores semper, quàm naturales esse soleant. Legales autem parentes, quos Matthæus commemorat, dici volunt, quòd successio

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Salomonis in Ochoziâ rege defecerit, 4 Reg. 9, 27. Joas enim, qui post eum regnavit, 4 Regum 11, 12, et 2 Par. 25, 11, quamvis filius dicatur Ochoziæ, non fuisse tamen ejus filium, verùm quia ex genere David per Nathan originem trahebat, et Ochoziam proximo attingebat gradu, ejus vocari filium; in Hebræorum commentariis memoriæ proditum esse Davidem, quasi testamento, constituisse, ut si quando Salomonis soboles extingueretur; ad posteros Nathan regnum devolveretur. Ita hæreticorum sentit magister absurdamque sententiam absurdioribus probat argumentis; probabile esse, Athaliam, mulierem dominandi cupidam, ideò regnum Judæ occupâsse, ne in ordinem redacta in alienam domum translatum videret; quod si Joas filius fuisset Ochoziæ, id est, nepos Athaliæ, libenter eam eo prætextu usuram fuisse, ut regnum nepotis nomine gubernaret. *Æquis*, inquit, *mediocri judicio præditus credat naturalem regis filium potuisse à sacerdote Joiada abscondi, ut non magis sollicitè eum avia quæreret?* Hæc, ut dixi, sententia, non solùm quia minimè bonos habet auctores; verùm multò magis quia sacris Litteris repugnat, absurda mihi semper visa est. Si enim Joas semel tantùm filius regis appellaretur, possemus interpretari filium regis appellari, quòd ex regio Davidis genere originem duceret; ac jus haberet ad regnum; nunc autem cùm tam sæpè non regis, sed ipsius Ochoziæ filius appelletur, 4 Reg. 11, 2, et 13, 1, et 14, 13; et 2 Par. 22, 11, quis non credat filium fuisse Ochoziæ, nisi Calvinus? Quid quod 1 Par. 3, 11, ubi posteri Davidis per Salomonem recensentur, Joram genuisse dicitur Ochoziam, ex quo ortus est Joas? Quod ergo dicit : *Athaliam dominationis cupidam propterea hæredes regni extinxisse, ne in ordinem redacta regnum in alienam domum translatum videret*, falsum omninò est. Tantæ enim ambitionis et crudelitatis eam fuisse Scriptura significat, ut proprios Ochoziæ filios, id est, nepotes suos trucidaverit; non ne in ordinem redigeretur, sed ut regnaret. Nec enim nepotis nomine contenta fuit ambitiosa mulier Jezabelis filia regnum administrare; sed suo ipsa nomine regnare voluit. *At quis credat regis filium à sacerdote Joiadâ occultari potuisse?* Respondeo, quis credat hæredem regni, cùm Athalia omne semen regium delere vellet, occultari potuisse? Nam Scriptura certè Joam ejusdem generis et gradûs facit cum cæteris, qui occisi sunt, 4 Reg. 11, 2; et 2 Par. 22, 10 : *Tollens autem Josaba filia regis Joram uxor Ochoziæ Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, et nutricem ejus de triclinio, et abscondit eum à facie Athaliæ, ne interficeretur.* Fingamus eos, qui occisi sunt, non Ochoziæ filios, sed tamen hæredes regni; quomodò eos Athalia occidit, Joas verò, qui eodem erat gradu, non occidit, nisi quia aut falso rumore nuntio cum aliis occisum putavit; aut quia quamtumvis magnâ quærens diligen tiâ invenire non potuit? Quis credat infantem Mosem crudelissimi Pharaonis edictum matris occultatione effugere potuisse? At Moses privatus erat. Quis credat Christum regni hæredem, et futurum Magorum præ-

dictione regem Herode retinendi regni causâ omnes infantes trucidante latere potuisse? At id divinâ factum est providentiâ. Quasi verò Davidis regnum sine divinâ providentiâ, ac non potiùs Dei fide et veluti tutelâ conservatum sit, 3 Reg. 11, 12, et 15, 32, 34, et 15, 4, et 4 Reg. 8, 19, et 18, 34, et 20, 6. Sed isti, ut opinor, profanis scriptoribus Remum et Romulum primos Romani imperii conditores, et Cyrum Persarum atque Medorum futurum regem latuisse usque ad multam ætatem affirmantibus credunt Scripturæ verò filium regis latuisse dicenti non credunt. Reliqua igitur est tertia sententia, quæ mihi maximè probatur; Matthæum naturales, Lucam legales patres recensere, non quòd omnes, quos Lucas commemorat, legales sint. Id enim absurdum profectò mihi videtur; sed quòd Matthæus Jacob, qui naturalis; Lucas Heli, qui legalis Josephi pater erat, majores numeret.

Tertium inter evangelistas discrimen variè etiam à diversis auctoribus explicatur. Illi quos paulò ante refutavimus facilè respondent, ideò pauciores à Matthæo, plures à Lucâ progenitores Christi numerari, quòd Lucas naturales, Matthæus legales numeret, qui pauciores quàm naturales esse soleant. Sed hæc solutio, quamvis facilis sit, quia falso nititur fundamento stare non potest. Multò melius Ambros., lib. 3 Com. in Lucam, et Augustin., lib. 1 Quæst. in Gen., q. 121, credibile esse eos, quos Matthæus, quàm eos, quos Lucas enumerat, longioris fuisse vitæ. Prætereà quòd Matth. tres reges vers. 8, consilio prætermisit.

Quartum discrimen à paucis admodùm interpretibus attingitur. Eorum verò, qui attingunt, ut Lyrani, communis interpretandi ratio est, Salathielem Jechoniæ naturâ; Neri verò adoptione fuisse filium. Malim credere Jechoniam, quamvis Scriptura non declaret, filium Neri, qui ex Davide per Nathan genus ducebat, uxorem habuisse, ex quâ Salathielem procreaverit, qui Jechoniæ proprié filius, quia ab eo genitus, Neri verò minùs proprié, quia filiæ ejus erat, filius appellatur; quemadmodùm vers. 8, Athaliam docnimus filiam Amri, quia neptis ejus erat, appellari. Lucas ergo cùm Matthæum vidisset Christi originem à Davide per Salomonem ductam diligenter explicâsse, voluit ejusdem originem per Nathan ipse deducere, ut probaret modis omnibus filium esse Davidis, utrumque regni ejus successorem. Cùm autem venisset ad Salathiel, qui materno tantùm genere ex Nathan ortum trahebat, noluit ejus matrem propter Scripturarum consuetudinem, de quâ paulò supra diximus, sed ejus avum patris loco numerare. Ad quintum discrimen eodem modo quo ad secundum. Ad sextum verò eodem quo ad tertium responderi debet. Cur autem Matthæus consistat in Abraham, Lucas autem usque ad Adamum Deumque progrediatur, quod erat septimum, aliqu respondent voluisse Lucam ostendere Christum non alium habuisse patrem, nisi Deum, ideòque ad Deum usque pervenisse, Matthæum verò rationem habuisse promissionum quæ Davidi et Abrahamo factæ fuerant, ut diximus vers. 1. Ambros., lib. 1 in Lucam,

et Theophylact. in hunc locum. Aliæ præterea tres mihi occurrunt causæ : prima, voluisse Lucam in scribendâ historiâ diligentiam simul et fidem suam probare. Nam et diligentia fuit singularis Christi originem ab ipsâ mundi origine deducere; et ea ipsa diligentia fidem auget historiæ. Secunda, respexisse primam promissionem de venturo Christo factam. *Ipse conteret caput tuum*, Gen. 3, 15; voluisseque ad Adamum pervenire, qui primam causam adventûs Christi peccando præbuerat; quique antithesi quàdam Christo respondebat : *Primus enim homo de terrâ terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis*, 1 Cor. 15, 47; et ut ait Epiphanius, hæres. 51, ut ostenderet quem Christus nascendo perditum quærebat. Nescio an modum etiam generationis utriusque respexerit, ut non malis placet auctoribus. Adam enim ex virgine formatus terrâ, Christus ex virgine Mariâ, solum uterque Deum patrem habuit. Tertia, voluisse Christi adventum non ad causas naturales, sed ad æternam Dei prædestinationem revocare; hoc est : *Qui fuit Dei*. Prædestinatus enim ab omni æternitate erat Filius Dei, Rom. 1, 4, et ab origine mundi agnus occidebatur, Apocal. 13, 8. In octavo discrimine non existimo magnoperé esse laborandum, ut alias quæramus causas, cùm sciamus consuetudinem esse Hebræorum, ut in recensendis hujusmodi genealogiis ab eo incipiant, quod postremum in ore fuit. Exempla sunt multa, sed unum caput quintum lib. 1 Par. utriusque generis exemplum suppeditabit. Matthæus ergo cùm Abraham ob eas causas, quas vers. 1 exposuimus, ultimo loco nominâsset, ab eo usque ad Christum processit. Lucas verò cùm dixisset : *Ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta*, ab eo exorsus : *Filius, ut putabatur, Joseph, qui fuit Heli*, etc., usque ad Deum ascendendo progressus est.

Vers. 17.— Omnes itaque generationes. Duo sunt hoc loco explicanda, ut mens evangelistæ intelligatur. Alterum, cur diviserit omnes generationes in tres tessaradecades; alterum, cur id admonuerit, cùm quivis lector facilè posset animadvertere numerando. Divisionis una ab omnibus; deinde aliæ ab aliis causæ afferuntur. Ab omnibus illa, quòd voluerit Matthæus triplicem populi statum, sub judicibus, sub regibus sub ducibus, et sacerdotibus designare, simplex et minimè quæsita ratio, eòque probabilior, quòd tam diversa in eam incurrerint ingenia. Sed aliæ contemnendæ non sunt, quas diversas diversi auctores repererunt. Augustinus mysterium esse putat, quo totum vitæ nostræ tempus quadragenario numero significatur. Nam si Christus non numeretur, et Jechonias (quem bis eumdem numerari putat) semel tantùm numeretur, quadraginta personæ reperientur. Vero aliquantò similius Origenes, hom. 27 in Numer., et Hieronymus in Epistolâ ad Fabiolam has quadraginta duas generationes quadraginta duabus mansionibus, quibus filii Israel ex Ægypto usque ad terram promissionis pervenerunt, respondere. Totidem enim generationibus, quasi gradibus filii Abraham usque ad Christum promissum salutis portum pervenerunt. Proximè autem ad similitudinem veritatis mihi videtur Chrysostomus accedere, homil. in Matthæum 4, evangelistam significare voluisse Deum, antequàm Filium suum mitteret, omnes tentâsse vias, ut populum suum per homines gubernaret, et in officio contineret; per judices, per reges, per duces et sacerdotes; cùmque nihil profecisset, misisse Filium suum Convenit evangelica parabola Matth. 21, 33, et Luc. 20, 9, ubi dominus ille vineæ triplices ad repetendum fructum misit servos, qui cùm nihil effecissent, misit ad extremum filium suum. Non amo in sacris Litteris philosophari; colligo tamen si quid ex philosophiâ spontè cadat. Medici quartum decimum diem criticum vocant, et omnium in morbis periculosissimum esse dicunt. Videtur igitur Deus congruenter naturæ decimo quarto quoque seculo populi sui statum mutare voluisse, ut unâ republicâ quodammodò mortuâ, alia nasceretur melior. Cur autem evangelista generationum summam expresserit, duas potissimùm causas fuisse arbitror : alteram, ut intelligeremus aliquid in eâ re subesse mysterii, nec inconsiderantes præteriremus; alteram, ne quis existimaret se errore aut oblivione tres illos reges vers. 8 prætermisisse. Voluit quoque fortasse cavere ne quis posset generationis Christi seriem aut minuendo, aut augendo numero corrumpere.

Vers. 18.— Christi autem generatio sic erat. In multis Græcis codicibus est Ἰησοῦ Χριστοῦ, Jesu Christi. Sed neque noster interpres legit nomen *Jesu*, neque Græci auctores Chrysostomus et Theophylactus, quamvis Euthymius legat. Lectionem autem nostri interpretis magis probo; et quia antiquior est, et quia, ut quidam ante me notavit, proximè præcesserat : *A transmigratione Babylonis, usque ad Christum generationes quatuordecim*; et est verosimile evangelistam nomen Christi in proximo repetivisse. *Christi autem generatio*. Quidam verò nativitatem, quàm generationem reddere maluerunt, quòd generationis nomen non ad partum, sed ad conceptum pertinere videatur, quibus ego minimè assentior. Manifestum enim est voluisse evangelistam eamdem rem, quam noster interpres generationem vocat, tribus nominibus ab eâdem origine paululùm deflexis appellare γένεσιν, v. 1, γένναν, v. 17, et γέννησιν hoc loco. Itaque cùm isti ipsi verterint vers. 1 : *Liber generationis Jesu Christi*, et vers. 17 : *Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim*, etc., similiter hoc loco vertere debebant : *Christi autem generatio sic erat*. Præterquàm

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

citur, cùm sit Christo desponsata : *Desponsi cum uni viro virginem castam*, 2. Cor. 11. In veteri Testamento sponsæ nomen sic usurpatur, ut Deuter. 22 : *Si puellam virginem desponderit vir.* Item Oseæ 4 : *Fornicabuntur filiæ vestræ, et sponsæ vestræ adulterabunt.* Evangelistæ autem sponsæ nomen, et uxoris Mariæ, ut viri nomen Josepho tribuunt. Antequam convenis-

Vers. 18 et 19. — Quæ ibi dicuntur referri possunt vel ad genealogiam Christi jam positam, vel ad ejus nativitatem, de quâ mox dicturus est. Græcè, *Christi nativitas hæc erat sic.* Cum esset desponsata; sponsi et sponsæ voces in Scripturâ iis tantummodò qui juncti sunt matrimonio, tribuuntur, idque maximè cùm matrimonium ratum est. Sic Ecclesia *Sponsa Christi* di-

quòd hoc loco non solùm de partu, sed multò magis etiam de conceptu agitur, de quo potiùs quàm de partu poterat dubitari. Οὕτως ἦν præteritum imperfectum pro perfecto ex linguæ proprietate, quod et Latinè accidit aliquando; *ad hunc modum se habuit.* Quod Remigius existimavit posse hæc verba ad præcedentia pertinere, quasi sensus sit: Hactenùs autem de Christi generatione, prorsùs alienum puto. Cur autem hoc addiderit evangelista, conjectura est facilis: quia generationem Christi cum aliorum generationibus commemoraverat; ne quis existimaret eodem modo, atque alios, genitum fuisse, modum, quo genitus est, singularem explicavit: *Sic erat*, id est, non sicut aliorum generationes, *sed cùm esset desponsata mater ejus.* Eòdem pertinet quòd matrem ejus vocat, significans patrem non habuisse, eâdem prorsùs cautione, quâ dixerat vers. 16: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

CUM ESSET DESPONSATA, μνηστευθείσης γάρ. Noster interpres non legit γὰρ causalem particulam, nec ego legendam arbitror, quòd sensum non juvet et impediat. Nonnulli hærentes in proprietate verbi μνηστευθείσης, existimant B. Virginem cùm Christum concepit, nondùm fuisse nuptam, sed desponsam. Eodem enim modò differre apud Græcos μνηστεύεσθαι et γαμεῖν, quo apud Latinos desponderi et nubere. Itaque nondùm illam Josephum domum duxisse, atque hoc esse, quod paulò post, vers. 20, dicitur: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, quasi nondùm accepisset, id est, duxisset; in quâ sententiâ magnos etiam auctores, Origenem, hom. 1 in diversos Evangelistas, Hilarium hoc loco, Basilium in Hom. de humanâ Christi Generatione, et Epiphanium, hær. 78, fuisse video. Sed pluribus auctoribus, Chrysostomo, hom. 4 in Matthæum, auctori Operis Imperfecti, hom. 1, Ambrosio, lib. 2 in Lucam, Theophylacto in Commentariis, et omnibus ferè theologis subscribo, verè jam tum fuisse nuptam. Præcipua enim causa cur Spiritus sanctus voluerit Christum ex nuptâ nasci, hæc ab omnibus fuisse creditur, ut virginis honori consuleretur; atqui non est consultum, si desponsa tantùm, nondùm nupta concepit, et vers. 19, Joseph vocatur ἀνὴρ αὐτῆς, *vir ejus*, non νυμφίος, sponsus; et vers. 20, vocatur γυνὴ, uxor Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Nam quod hæreticus interpres exponit εἰς τὸ εἶναι γυναῖκά σου ut sit uxor tua, aut quæ desponsa tibi est pro uxore, coactum est. Nam si Hebraismum, ut ille putat, imitari voluisset, dixisset: μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν τὴν Μαριὰμ εἰς γυναῖκά σου, aut potiùs σοι. *Ne timeas accipere Mariam in conjugem tibi*; et exemplum quod profert Marc. 12, 23, illi adversatur maximè, οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα, *septem enim habuerunt eam uxorem.*

Non enim significat eam futuram fuisse; sed fuisse reverà uxorem. Quod autem dicit eam esse vim verbi μνηστευθείσης non ignoramus; sed scimus etiam non semper observari. Nam Lucas, c. 2, 5, eamdem Mariam jam domum ductam à Josepho vocat μεμνηστευμένην, vocat ergo Matthæus Mariam μνηστευθεῖσαν, sponsam, non quòd ducta non esset; sed quòd non magis à viro cognita, quàm sponsæ, quæ nondùm nuptæ sunt, ut rectissimè Chrysostomus adnotavit. Nolo tamen ejusdem Chrysostomi et Bernardi in hom. in illa verba Lucæ 1, 26: *Missus est*, uti suffragiis, qui consuetudinem Hebræorum fuisse dicunt, ut generi etiam ante nuptias in sponsarum domibus habitarent. Nam generos Loth, quorum utuntur exemplo, Scriptura docet in domo Loth non habitâsse, Genes. 19, 14. Teneamus ergo quòd aut omnes, aut optimi theologi tenent, verum fuisse jam tum, cùm Christus conceptus fuit, inter Josephum et Mariam matrimonium; quod adversùs Julianum Pelagianum, qui concubitu matrimonium definiebat, probat August., lib. 5, c. 9, et lib. 1 de Nuptiis et Concupiscentiâ, c. 11. Cur autem ex nuptâ Christus nasci voluerit, præter alias, quas facilè per se quisque excogitare potest, quinque causas veteres theologi tradiderunt. Ignatius in epistolâ ad Philadelph.; Origenes, homil. 1 in diversos evangelistas; Hilarius, can. 1 in Matth.; Chrysostomus, hom. 4; Basilius in hom. de humanâ Christi Generatione; Ambrosius, lib. 2 in Lucam, et in lib. de Institut. Virg., c. 6; Theophylactus hoc loco; Bernardus, hom. in illa verba: *Missus est Angelus.* Prima est, ne Maria, si innupta peperisset, stupri rea putaretur: maluit enim Christus filius Joseph, quàm impudicæ fœminæ videri. Et, ut scitè ait Ambrosius, *maluit aliquos de suâ generatione, quàm de matris pudore dubitare, nec putavit ortûs sui fidem matris injuriis astruendam.* Secunda, ne ipse spurius videretur, ideòque tanquàm verus Messias non reciperetur à Judæis. Nam si, cùm ex legitimo matrimonio procreatum putarent, tamen ideò contempserunt, quòd fabri filium esse crederent, Matth. 13, 55, et Marc. 6, 3, quid facturi erant, si spurium dicere potuissent? Tertia, ut Joseph et Mariæ, et infanti adjumento esset atque custodiæ. Itaque cùm aliquid agendum est, non ad Mariam, sed ad Joseph Dei mandata mittuntur, Matth. 2, 13: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi*; et vers. 19: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel.* Cùmque puer perditur, quæritur à Joseph, Luc. 2, 48. Quarta, ut Joseph testis esset virginitatis Mariæ. Nemo enim in ejus asserendâ castitate tam dignus esse poterat fide, quàm qui custos

RENT, antequàm congressu conjugali *convenirent*, *inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Nonnulli has voces *antequam convenirent*, sic interpretantur, antequàm Maria domum duceretur, atque in easdem ædes convenirent. Ut ut sit, voce illâ, *antequàm*, quæ in dubium revocari poterat, humanam excludit operationem, more in Scripturis usitato, non quòd postea convenerint: non enim eâ de re agebatur. INVENTA EST, forsan post reditum Mariæ è domo Elizabeth. — ET NOLLET EAM TRADUCERE, perspecta quippe illi erat Mariæ virtus. Quò autem honori suo, et saluti conjugis consuleret. VOLUIT EAM OCCULTÈ DIMITTERE, in aliam fortè regionem commeando. Silentium Mariæ magnum fuit virtutis ejus documentum, quæ mysterium Josepho non indicavit, nec purgare se festinavit.

illius erat, qui maximè et scire debuit, et potuit; quemque credibilius erat naturali maritorum zelotypiâ impudicitiæ crimen ubi non esset suspicaturum, quàm ubi esset defensurum fuisse. Quia Bernardi verba imitari non possum, recitabo. *Sicut*, inquit, *Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis, ita et Joseph Mariam sibi desponsando, ejusque conversationem tempore custodiæ studiosiùs comprobando factus est pudicitiæ fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia, et dubitatio Thomæ et desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illâ veritatem in suspicionem adducere. Sed valdè prudenter et piè factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et de filii resurrectione citiùs quidem ego (qui infirmus sum) crediderim Thomæ dubitanti et palpanti, quàm Cephæ audienti et credenti: et de matris continentiâ faciliùs sponso ejus custodienti et experienti, quàm ipsi quoque virgini de solâ suâ conscientiâ se defendenti.* Additur ferè ab omnibus quinta, ut hâc ratione mysterium nati Christi diabolo celaretur, ne infanti strueret insidias; quam malo liberè fateri me non intelligere quàm temerè reprehendere. Non, inquam, intelligo, quo modo diabolus Mariæ virginitatem, si modò animadvertit, potuerit ignorare, cùm integrum et incorruptum corpus, quamvis nuptæ videre posset.

ANTEQUAM CONVENIRENT. Hoc loco Hilarii interpretatio est, *antequàm transiret in conjugis nomen*; quasi convenire significet simul habitare: quam interpretationem, non quia vera; sed ut opinor, quia nova videbatur, nonnulli novitatum sectatores hæretici secuti sunt; nescio an secuturi, si Hilarii fuisse cognovissent. Sed jam ante probavimus, jam tùm verum fuisse conjugem; et ex consequentibus manifestum est convenire hoc loco significare rem matrimonii, ut Hieronymus loquitur, exercere, esseque ut Græci vocant ὑποκορισμόν, quo res inhonesta honesto declaratur verbo. Voluit enim evangelista rationem reddere, cur voluerit Joseph occultè Mariam dimittere, quia inventa est in utero habens, antequàm convenirent, id est, cùm eam non cognovisset, ut loquitur vers. 25. Nemini non statim occurrit objectio: ergo postea convenerunt. Hoc enim potissimùm argumento nonnulli quondam hæretici, ut Antidicomarianitæ apud Epiphan., hær. 78; Jovinianus apud Augustinum, in lib. de Hæresib.; Helvidius, apud Hieronymum, in libro adversùs Helvidium, adducti sunt, ut post Christi partum Mariam à Joseph cognitam fuisse crederent, ex eoque conjugio natos fuisse eos qui in Scripturis Domini fratres appellantur, Matth. 12, 46, 47, et 13, 55; Marc. 15, 31, 55; Lucæ 8, 19, 20. A quorum impietate nonnulli ex nostris hæreticis non procul abfuerunt. Sed hunc errorem et Scripturis et exemplis ita Hieronym. fregit ut si quis refutare velit, actum agat; et nos non disputationes nunc scribimus, sed commentarios. Summa rei est, non quoties dicitur aliquid non ante factum esse, significare factum esse postea. Cùm enim dicimus hæreticos non acturos pœnitentiam, priusquàm moriantur (ut Hieronymi utar exemplo), non significamus eos pœnitentiam post mortem acturos; sed tacemus quod est certum, dicimus quod est dubium. Certum est post mortem neminem posse agere pœnitentiam, quia *in inferno quis confitebitur tibi?* ps. 6, 6; sed dubium est an ante mortem acturus sit. Certum quoque erat post Christi partum Joseph Mariam non cognovisse, cùm non alium quàm Christum filium habuisset. Certè de eo non erat quæstio. An autem Christus ex Joseph, an ex Spiritu sancto conceptus esset, et dubitari poterat, et necessariò erat explicandum. Hoc ergo explicavit evangelista, quod dubium, quodque necessarium erat; illud prætermisit, quod neque quærebatur, neque dictu erat necessarium. Quo autem modo fratres Christi quidam sint appellati dicemus Matth. 12, 46.

INVENTA EST. Origenes, hom. 1 in diversos Evangelistas, et Hieronymus in Commentariis multa ex illo mutuatus, à Joseph inventam esse dicunt, qui penè licentiâ maritali futuræ uxoris omnia noverat, quod nisi me tantorum auctorum reverentia retineret, minùs reverenter dictum dicerem satis habeo illis non assentiri; nam εὑρέθη Græcè non significat quærendo, scrutandoque, sed potiùs non quærendo, non cogitando, præter opinionem exspectationemque aliquid invenire, ut Chrysost. idoneus Græci sermonis testis adnotavit. Non ergo Joseph vestigando, sed non quærendo; nec tactu, sed visu, eoque purissimo, minimèque curioso Mariam prægnantem invenit. Nec significatur ab eo potiùs, quàm ab alio inventam fuisse; sed vis verbi εὑρέθη est eam subitò et inopinatò ita tumido apparuisse utero, ut quivis, qui modò oculos adjiceret posset videre eam fuisse gravidam.

IN UTERO HABENS, prægnans, gravida, uterum gerens. Illa enim Græca, hæc Latina est phrasis.

DE SPIRITU SANCTO. Sunt qui hæc verba cum superioribus ita jungant, ut hæc sit sententia, Joseph non solùm prægnantem Mariam deprehendisse; sed etiam eam de Spiritu sancto concepisse; ut Basilius in hom. de humanâ Christi generatione, ut Theophylactus in Commentariis, idemque videntur Origenes, hom. 1 in diversos evangelistas, et Bernardus, hom. in illa verba: *Missus est*, imò etiam Hieronymus in hunc locum existimare. Auctor autem Operis imperfecti non incerto cognovisse, sed dubitâsse ait an divinitùs concepisset. Sed ex consequentibus manifestum est, eum ignorâsse unde virgo sacra concepisset, propterea enim voluit dimittere vers. 19, propterea ab angelo docetur vers. 20: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.* Atque ita omnes alii auctores interpretantur.

DE SPIRITU SANCTO non quòd Spiritus sanctus pater fuerit Christi, quemadmodùm ait Hieronymus nonnullos olim existimâsse; sed quòd Spiritûs sancti virtute factum sit, ut sine viro virgo conciperet. Nec enim Spiritus sanctus ad modum viri cum Mariâ concubuit, ut quemdam nostro tempore dicere non puduit; sed quod virile semen facturum erat, ipse

sine semine multò perfectiùs fecit; sicut Adamum olim Deus fecerat; nisi quod Adamum ex limo terræ, qui quasi terræ semen est; Christum ex sanguine Mariæ. Neque de Spiritu sancto conceptus dicitur Christus, quòd solus Spiritus, non etiam Pater, et ipse qui gignebatur filius, ejus generationem effecerint. Vera enim illa regula est ab omnibus antiquis theologis tradita, et ab scholasticis retenta, omnia opera Trinitatis extra ipsam omnibus personis esse communia. Sed dicitur Christos ex Spiritu sancto conceptus per illam usitatam in sacris Litteris attributionem quâ quod tribus personis commune est, propter officium, aut proprietatem viri tribuitur: ut quod potentiæ est et gubernationis, Patri; quod sapientiæ, Filio; quod benignitatis, beneficii, liberalitatis, fœcunditatis, Spiritui sancto. Duabus ergo de causis Christi conceptio Spiritui sancto tribuitur, et quia summum fuit erga homines beneficium, omniumque beneficiorum caput; et quia fœcunditatis ac vivificationis opus fuit. Est enim Spiritus quasi divinum quoddam semen, quo omnia fœcundantur, quemadmodùm illud Genes. 1, 2, interpretati sunt multi: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, et quasi anima quâ animantur et vivificantur omnia. *Spiritus enim est, qui vivificat*; et: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ*. Quod Plato aliique philosophi, et hos secuti poetæ, tanquàm in tenebris allucinantes, Deum animam mundi esse dixerunt. Per quam elegans est inter Christum et Christianos, id est, inter caput et membra comparatio, quam omnes ferè auctores veteres, Ambrosius, Augustinus, Leo, observaverunt. Christus ex Mariâ virgine natus est; Christiani ex virgine Ecclesiâ nascuntur. Ecclesia virgo et mater sine maculâ et rugâ, ut Maria, Ephes. 5, 27, fons baptismi uterus; aqua semen Ecclesiæ, quæ producit animam viventem, Spiritus sanctus supplet semen viri. Itaque, ut Christus ex semine virginis et Spiritu sancto natus est, sic Christianus, id est, membrum Christi, oportet ex aquâ et Spiritu sancto renascatur. Joannis, 3, 5: *De Spiritu sancto*, ex Spiritu sancto. Animadverto nostrum interpretem particulâ, *de*, cùm possit dicere, *ex*, mirificè delectari, ut supra, vers. 5, 5, 16, et infra, vers. 20, etc., 19, 11. Nec ignoramus clarius fuisse, *ex*, quòd, *de*, materiam videatur significare, sed explicanda fuit versio, non evertenda.

Vers. 19. — Joseph autem vir ejus. Vir ejus appellatur, non quia corpore, sed quia vero illi conjunctus erat matrimonio.

Cum esset justus; et Græca et Latina verba duplicem intellectum admittunt; vel quamvis esset justus, vel quia erat justus. Hæreticus interpres (Beza) adversativè accipiendum putat quasi sensus sit, quamvis Joseph vir esset justus, tamen sinistrâ adversùs beatam Virginem suspicione non carnisse. Clariùs, si ausus esset, dixisset, Joseph meritò de sanctissimæ Virginis castitate dubitâsse. At quis non videt non adversativè, sed causaliter Græcum participium accipiendum? Causa enim redditur eorum, quæ sequuntur. Utrius autem causa reddatur, cùm duo sequantur, alterum, quòd noluerit eam traducere; alterum, quòd voluerit occultè dimittere, de eo poterat meritò dubitari. Aliqui ergo existimârunt, secundi membri causam reddi, ut Chrysostomus, hom. in Matth. 4. Propterea enim voluisse dimittere, quòd justus esset, nolletque quam adulteram suspicabatur retinere. Fuerunt enim Chrysost., Hieronymus et nonnulli alii graves auctores in eâ sententiâ, ut putaverint non licere viro adulteram uxorem retinere. Idque ne fieret, fuit aliquando ecclesiasticis decretis constitutum. Alii causam prioris membri reddi dicunt ut Hieronymus, Ambrosius, lib. 2 in Lucam, Theophylactus; quod ego multò probabilius esse arbitror. Videntur enim hæc verba: *Et nollet eam traducere* apposita esse ἐξηγητικῶς, expositionis loco; quasi dicat quia erat vir justus, ideòque nolebat eam traducere, cœpit aliam dimittendi rationem honorabiliorem cogitare. Et illa Chrysostomi sententia non solùm à theologis; sed à totâ etiam Ecclesiâ deserta est. Lex enim adulteram dimittere permittebat, non jubebat; Christo etiam interprete, Matth. 19, 8, Marci 10, 5. Dicet aliquis: Si lex permittebat, licebat ergo adulteram accusare; quare et Joseph, quàmlibet justus, salvâ justitiâ id facere potuit. Respondeo Joseph vocari justum, non quòd justitiâ unâ ex quatuor virtutibus moralibus præditus esset, sed quòd omni virtutum genere cumulatus, ut Chrysostomus adnotavit. Ejusmodi autem quisquis est, D. Paulum imitatus dicit 1 Cor. 10, 22: *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt*. Itaque potuit quidem traducere; sed non debuit; quia majoris fuit charitatis occultè dimittere. Quia ergo vir erat justus, id est, magnâ præditus charitate, in quâ, ut ait August., omnis christiana justitia consistit, noluit facere quod justitia una privata virtus permittebat; sed quod charitas omnium virtutum regina postulabat.

Traducere, publico exemplo puniendam curare, ignominiosè accusare, ad verbum, exemplare, ut alicubi Augustinus, epistolâ 59, vertit. Quanquàm idem aliàs vertere solet, divulgare, ut epistolâ 54 et serm. 16, de Verbis Domini. Id autem Joseph fecisset si in judicium vocâsset, et omnium oculis, tanquàm adulterii ream, proposuisset. Usus est eodem verbo D. Paulus ad Hebræos, 6, 6: *Iterùm crucifigentes Filium Dei*, et publicæ ignominiæ exponentes, ubi noster interpres vertit, *ostentui habentes*. Quod Hispani significantissimo verbo dicerent: *Sacandolo otra vez a la verguenza*, quâ phrasi non solà Christi crucifixio, sed tota ejus passio probris plena significatur. Simili prorsùs significatione idem verbum septuaginta interpretes usurpârunt. Num. 25, 4 et Esther. 14, 8.

Voluit occulte dimittere eam. Quare? Nonnulli existimârunt ideò dimittere voluisse, quòd videret eam de Spiritu sancto concepisse, seque ejus consortio indignum judicaret. Eodem prorsùs modo, quo Petrus dixit Christo: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum*, Luc. 5, 8; et centurio ille: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, Matth. 8, 8. Sic Origenes, hom. 1 in diversos Evangelistas, et Bernardus, homiliâ in illa verba: *Missus est angelus*; et, si benè intelligo, Hieronymus in Commentariis interpretantur. Quæ interpretatio, etsi loco non convenit, eorum tamen auctorum pietati maximè convenit. Alii prorsùs contrariam sequuntur opinionem, ideò dimittere voluisse, quòd adulteratam suspicaretur, ut Chrysost., hoc loco, et in homiliâ de sanctâ Susannâ, et Augustinus, epistolâ 54, et serm. 16, de Verbis Domini, et serm. 18 de Tempore, si tamen illius est; Theophylactus, et Euthymius in commentariis. Quorum sententiam sequentia verba confirmant: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est*, quasi Joseph non de Spiritu sancto, sed de adulterio natum putaret, ideòque timeret accipere, ne probare adulterium videretur; aut quia factam, ut putabat, sibi ferre nolebat injuriam. Sententia Pseudochrysostomi media inter has duas nec à veritate, nec à pietate discedit, non judicâsse Joseph ex adulterio virginem concepisse, sed unde aut quomodò conceperit, dubitâsse, et quia non ex se concepisse certò sciebat, dimittere voluisse. Quæ autem fuerit illa ratio, quam cogitabat, occultè eam dimittendi incertum est; et quod Abulensis dicit cogitâsse illi occultè dare libellum repudii, mihi non videtur convenire. Nam quamvis occultè dedisset, omnis scriptura naturâ suâ publica est. Præterquàm quòd non poterat divortium infamiaque latere; si, cum in eâdem domo cœpissent habitare, fuissent privato judicio separati, eo præsertim tempore, quo Mariæ uterus apparebat. Itaque credibilius quod alii dicunt, esse arbitror, voluntarium in aliam regionem secessum cogitâsse, ut per speciem peregrinationis ita dimitteret, ut non vitio aliquo repudiâsse; sed necessitate deseruisse videretur. Hoc mihi videtur non solùm adverbio *occultè*; sed ipso etiam verbo ἀπολῦσαι significari, quod Gallicè diceretur, *s'en défaire*; eodem omninò sensu quo ille dixit amicitias non disrumpendas esse, sed dissuendas; Cicero, de Amic.

Hæc eo cogitante. Quomodò eam occultè dimitteret, antequàm aut consilium inveniret, aut inventum exequeretur? Videtur enim evangelista significare voluisse Deum exspectâsse opportunum temporis articulum, ut angelum mitteret. Si enim ante misisset, quàm Joseph gravidam Mariam animadvertisset; fortassè Joseph angelo, sicut Zacharias non credidisset. Hanc enim Chrysostomus, et auctor Imperfecti rationem reddunt, si postquàm ab eâ discessisset, nimis serò misisset. Mittit ergo Deus ad ægrotum medicum, nec antequàm incipiat, nec postquàm mortuus desinat ægrotare. Aliam iidem auctores rationem

reddunt, quòd Joseph minùs idoneus virginitatis Mariæ fuisset testis, si, antequàm de illâ dimittendâ cogitaret, ab angelo fuisset admonitus. Quis enim marito non credat de sponsæ integritate testanti? et illi marito, qui eò usque processerit, ut suspicatus sit adulterium, et de divortio cogitaverit? Divina est providentia; quæ ægrotare unum permittit hominem, ut multis ex ejus morbo medicinam faciat. Ea fuit quæ Petrum et Thomam permisit circa fidem cadere, ne nos caderemus. Ea expectavit donec Joseph de Mariæ virginitate dubitaret, ne ipsi dubitaremus, ut vers. 19, ex verbis Bernardi recitavimus. Cur ergo ad Mariam, antequàm concipiat, angelus mittitur? Luc. 1, 26, Causa, ut opinor, fuit, quòd à Mariâ, ut esset sponsa Spiritûs sancti, ex eoque conciperet, consensus requirendus fuit. Deinde, quòd non deceret ignorare Virginem, quem in utero gereret, et unde concepisset. Prius enim, ut Augustinus, lib. de sanctâ Virgine, et Leo, sermone de Natali Domini, dixerunt, Christum fide, quàm carne concepit, quam non admonita habere non poterat. Illud etiam à quibusdam quæri solet, cur Mariæ vigilanti, Joseph dormienti missus sit angelus. Cur Mariæ vigilanti, ex iis quæ paulò ante diximus, apparet; erat enim ab eâ fides, consensusque requirendus. Cur autem Josepho dormienti, difficilius est dictu. Probabiliter tamen mihi videtur Chrysostomus, hom. 4, respondere, quòd Joseph vir justus et fidelis fuerit, quem satis erat dormientem admonere. Deinde, quòd jam uterum viderat et, unde impletus fuisset, dubitabat; itaque paulò momento inclinari poterat, ut ab Spiritu sancto impletum crederet. Nam facilius, quæ facta sunt, divinitùs et præter naturæ leges fieri potuisse; quàm quæ faciendæ, fieri posse credimus. Mirum etiam videri potest; cur sanctissima Virgo, quid sibi angelus de Christo concipiendo nuntâsset; sponso suo non dixerit, ut et se infamiæ periculo, et illum sinistrâ suspicione liberaret. Vero similiter etiam ad hoc idem Chrysostomus respondit, Josephum maritum de sponsæ castitate sollicitum, virgini quamvis sanctæ pro se loquenti non fuisse crediturum. Et verò quis maritus nisi à Deo monitus credidisset?

Vers. 20. — Noli timere, ne timeas, ne dubites accipere, acceptam retinere, ut probavimus vers. 18.

Quod enim in ea natum est, conceptum, genitum.

De Spiritu sancto est; non, ut suspicaris, ex adulterio. Vide vers. 19. Omnia eò pertinent, ut tristem Joseph, et incertum consilii consoletur; et ut persuadeat non doloris, sed lætitiæ eum materiam habere; quòd ex ejus sponsâ Messias ille tamdiù expectatus virgine nasciturus sit; propterea vocat filium David, non solùm quia honorificus erat titulus, sed

Vers. 20. — Noli timere accipere; nam de illâ dimittendâ cogitabat. Mariam conjugem tuam. Hæ voces in sponsalia de futuro ex usitato hominum sermone non conveniunt. Quare verum inter eos matrimonium, idque ratum, non consummatum intercessit. Neque id contrarium fuit continentiæ votæ: alioquin et ipsa sponsalia eidem voto opposita quoque fuissent. Itaque Maria cum Joseph vero connubio juncta erat ex divinæ sapientiæ consilio, ut filii et matris honori consultum foret. Quid enim Judæi adversùs Christum non dixissent, si sponsalia tantùm, non verum fuisset matrimonium? Eam controversiam eruditè pertractat auctor Analyseos Gallicæ, dissert. 2, ac subinde monet hanc quæstionem eo homonymiâ, seu ex *æquivocatione*, ut loqui solemus, earum vocum sponsi et sponsæ, quæ interim pro iis qui in futurum

etiam ut significet eum, qui ex virgine ejusdem familiæ conceptus erat, illum esse Messiam, qui filius David futurus erat. Vide vers. 1. Propterea dicit: *De Spiritu sancto est*, ut revocet illi in memoriam Isaiæ testimonium, c. 7, 14, quod paulò post sequitur: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*, ut credat, et gaudeat id in suâ sponsâ fuisse perfectum.

Vers. 21. — Pariet autem filium. *Autem* videtur poni pro *enim*, ut Matth. 25, 5, et aliàs sæpè. Videtur enim afferri hoc ab angelo tanquàm certum signum et argumentum ad faciendam ejus quod dixerat fidem. Eodem modo quo dixerat Isaias: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel.* Perinde ac si diceret: Sponsa enim tua non est adultera, sed virgo illa integerrima, de quâ Isaias dixit: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Pariet enim filium, non filiam; quod cùm videbis, non dubitabis quin ex Spiritu sancto conceperit. Cùm enim videris, quæ futura prædixi vera esse, credes quæ dixi præterita vera fuisse.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Eòdem hoc pertinet, tribuit enim illi hunc honorem, ut infanti non ex se, sed ex Spiritu sancto nato, tanquàm proprio filio, nomen imponat. Adnotârunt quidam, non matres, sed patres solitos fuisse filiis nomen imponere. Quod etsi credibile est usitatum fuisse, constat tamen non fuisse perpetuum. Nam et Rachel vocavit filium suum *Benoni*, Gen. 35, 18, et Labes non pater, sed mater nomen dedit, quod maximo eum cum dolore peperisset, 1 Par. 4, 9, et quemadmodùm hoc loco Josepho, ita Luc. 1, 32, Mariæ dicitur.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Hoc est certum voluisse angelum Josephum officio patris honorare, simulque probare quod dixerat, de cœlo conceptum, cui de cœlo nomen imponeretur. Observamus enim divinitùs conceptis nomina quoque, antequàm nascantur, divinitùs dari; Isaac, Gen. 17, 19; Joanni, Luc. 1, 13, et ex nomine ipso doceri qualis sit qui conceptus est infans, ille nimirùm Missus qui populum suum à peccatis liberaturus erat. Hoc enim est Jesus, יהושע, servator. De quo nomine ut multa omittam quæ à quibusdam observata sunt, certum est illud nomen, *Jesus*, à Græcis Latinos, ab Hebræis Græcos accepisse. Nam ubicumque ferè est in veteri Testamento יהושע, nomen proprium, Septuaginta verterunt, Ἰησοῦς, Hebraicum vocabulum ad Græcam, ut potuerunt, aut ut sciverunt, formam reducentes; 1 tamen Par. c. 7, 27, vertunt Ἰησουέ. Significat autem id nomen salutem aut servatorem. Quo etsi multos appellatos fuisse legimus, ut Jesum filium Nave, Josue 1, 1, et filium Josedech sacerdotem, Agg. 1, 1, 12, 14, illis tamen casu, Christo consilio, eoque non humano; sed divino hoc datum est nomen; et illi non erant, quod hoc nomine significabatur, verè servatores; Christus plus est quàm hoc nomine significatur. Itaque aliis nomen erat quodammodò commune, et certè vulgare; Christo proprium, et, ut propheta prædixerat, novum et singulare; quia eo modo quo de Christo dicitur, nemini præterea convenit, quia non est in aliquo alio salus. Quod autem recentiores Judæi non יהושע sed ישו vocare soleant, partim ex sono vulgarium linguarum, quem illi solùm audiunt; partim irrisione et malignitate faciunt, significantes Christum non esse יהושע servatorem, sed Jesu, quod illis nihil nisi vulgarem aliquem hominem significare videatur. Sed benè est, quòd non tam facilè possunt suam Christo divinitatem detrahere; quàm facilè ejus nomini syllabas detrahunt. Hoc ergo proprium Christi nomen est, quo et ejus divina simul humanaque natura, et præstantissimum redemptoris officium declaratur. Hoc *datum illi est nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur terrestrium, et cœlestium et infernorum*, Philip. 2, 10. Itaque rectè à quibusdam adnotatum est, evangelistas, cùm Servatorem nostrum proprio nomine appellare volunt, non Christum, sed Jesum appellare, ut hoc loco, et c. 2, 2, et Luc. 1, 31, et 2, 23, et 4, 1. Christus enim nomen est officii, Jesus naturæ atque personæ. Dubitavit autem aliquis, quomodò angelus Jesum vocari jubeat, cùm Isaias dixerit vocandum Emmanuelem. Id nobis Judæi, ut probent illam in Christum prophetiam non convenire, solent objicere. Sed satis copiosè pro nobis jamdiù veteres auctores responderunt: Justinus, q. ad orthodoxos 151; Tertullianus, adversùs Judæos, et lib. 3 contra Marcionem; Lactantius, lib. 4, de verâ Sap., c. 12; Chrysostomus, lib. de Incarn., c. 2, prophetam, non qui vocandus Christus, sed qui futurus; evangelistam, qui vocandus et qui futurus esset, declarare voluisse. Noluit enim dicere propheta, fore ut proprium Christi nomen esset Emmanuel, sed ut res eo nomine significata illi conveniret, ideòque meritò Emmanuelem vocari posse. Quemadmodùm idem Isaias, c. 1, 26, prædixerat de Jerusalem: *Posthàc vocaberis civitas justi urbis fidelis*; non quòd eo unquàm nomine vocanda esset, sed quòd talis futura, ut ita meritò vocari posset. Eàdem ratione dixit, c. 60, 14: *Vocabunt te civitatem Domini Sion sancti Israel*, cùm nunquàm tamen eo nomine vocata sit. Similia exempla sunt Jer. 3, 17. Et Zachar. 8, 3; et de Christo ipso idem Isaias dixit, c. 9, 6, fore ut vocaretur nomen ejus: *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*; non quòd tot nomina, sed quòd tot res habiturus esset. Et Jeremias, c. 23, 6: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Verè enim Christus dominus justus noster fuit. Verè quoque *Emmanuel*, quod est, nobiscum Deus. Ita evangelistam locum Isaiæ intellexisse ex eo manifestum est, quòd cùm dixisset: *Vocabis nomen ejus Jesum*, quasi ut probaret ita vocari debuisse, Isaiæ locum induxit: *Et vocabitur nomen*

ejus Emmanuel. Idem ergo est Jesus et Emmanuel, non sono, ut ait Tertullianus, sed sensu. Esse enim Deum nobiscum, quod Emmanuelis, est Deum servatorem esse nostrum, quod nomine Jesu significatur.

Vers. 22. — Hoc autem totum. Chrysostomus, hom. 5, Theophil. et Euthym. in Commentariis, hæc verba adhuc loquentis angeli esse putant, sed non dubium est, quin sint evangelistæ volentis iis quæ narraverat ex prophetæ testimonio fidem adhiberi.

Totum, quòd virgo conceperit, quòd Jesus infans nondùm natus appelletur. Auctor imperfecti.

Vers. 23. — Ecce virgo. Hujus versûs explicatio ex Commentariis in cap. Isai. 7, peti potest. Transferam inde in hunc locum, quæ necessaria esse videbuntur. Judæi autem quinque potissimùm argumentis hunc nobis locum è manibus eripere conantur. Primum est, quòd apud Isaiam non בתולה, quæ propriè virgo est; sed העלמה legatur, quod non virginem, sed puellam; non conditionem, sed ætatem significat; cui argumento nemo potest meliùs quàm Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim, et lib. 1 contra Jovinianum, et in Commentariis in 7 cap. Isaiæ, respondere *alma* apud Hebræos non solùm virginem, sed plus etiam quàm virginem, id est, puellam, absconditam et diligenter custoditam significare, quæ ne virorum quidem oculis pateat, quæque non solùm corpore; sed etiam aspectu casta sit. Idque nominis originem indicare; dictam enim esse עלמה à עלם quod est, abscondere, quasi inclusam et reconditam virginem; nec in Scripturis uspiam, nisi pro virgine poni, ut Genes. 24, 16 Rebecca virgo pulcherrima et incognita viro, vers. 43, vocatur *alma*; itemque Maria soror Mosis, Exodi 2, 8, linguâ quoque Punicâ, quæ ex Hebraicâ originem habet, virginem *alma* vocari. Itaque בתולה solam virginitatem, עלמה et ætatem et virginitatem simul conjunctam significare. Atque hunc esse prophetæ sensum, ut ita dicam, [illegible], virginem adhuc teneram, et ne virorum quidem oculos expertam concepturam esse. Addunt quidam nomini *alma* eò loci adjunctam esse *he* emphaticam apud Hebræos particulam, qualis apud Græcos est articulus ἡ, quod et Chrysostomus ad eum locum adnotavit, quasi virgo non vulgaris; sed præstantissima et maximè virgo significetur. Unum nobis Judæi locum objiciunt. Proverb. 30, 19, *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitùs ignoro. Via aquilæ in cœlo, via colubri super petram, via navis in medio mari, et via viri in adolescentulâ*, בעלמה, ubi non tantùm Hebræi, verùm etiam Christiani nonnulli, idque nostro jam tempore, contendunt, nomen *alma* pro muliere corruptâ positum esse. Id enim loci circumstantiam postulare. Ego verò ex eo maximè loco probari posse existimo, nomen *alma* nunquàm nisi virginem significare. Nam ut alias, quas alienas judico, interpretationes omittam, manifestum est Salomonem dicere voluisse difficilius esse cognoscere, an femina quæ quòd recondita semper fuerit, non modò virgo putatur, virgo sit, quàm cognoscere an aquila per aëra, coluber super petram, navis per mare transierit. Hoc enim est, et quartum penitùs ignoro. Hoc autem ut significaret per ἐπίτασιν usus est nomine *alma*, quod et ætatem, et conditionem perfectissimæ virginitatis declarat. Secundum argumentum est, non esse sensum, fore ut virgo, manens virgo, sed ut quæ ante virgo erat, postea viro nupta ex eo conciperet. Hoc non modò, ut falsum, sed etiam ut absurdum atque ridiculum veteres auctores rejecerunt: nullum hoc esse miraculum, nullum signum; prophetam autem signum, idque inauditum et maximè admirabile præbere voluisse, vers. 10: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Et vers. 14: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet.* Sic Justinus contra Tryph.; Tertul. adversùs Judæos, et lib. adversùs Marcionem 33; Basilius, in homiliâ de humanâ Christi generatione; Epiphanius, adversùs Ebionitas; Cyrillus Alex. et Chrysostomus, in 7 cap. Isaiæ responderant. Tertium erat quòd Isaias dicat vocandum esse nomen nascituri filii Emmanuelem, quod nomen Christus non habuerit; quomodò antiqui auctores responderint, diximus vers. 21. Quartum ergo erat, ex loci circumstantiis apparere, dictum hoc esse de uxore regis Achaz, et de filio Ezechiâ, quem erat paritura. Quod multò magis Epiphanius et Hieronymus meritò rident. Edita enim est hæc prophetia regnante jam Achaz; ad eum enim, tanquàm Regem, dirigebatur. Fingamus primo anno regni ejus editam fuisse, jam Ezechiam novem, ut minimùm, annos natum fuisse constat. Regnavit enim Achaz sexdecim annos, 4 Regum 16, 2, et 2 Par. 28, 1, quo mortuo statim regnavit ejus filius Ezechias, 4 Reg. 16, 20; erat autem viginti quinque jam annorum, cùm regnare cœpit, 4 Reg. 18, 2, et 2 Par. 29, 1. Nihilò plus coloris habet, quod alii dicebant id esse de uxore Isaiæ intelligendum. Nam neque virgo erat, neque filium ullum peperisse constat, qui Emmanuel aut fuerit, aut vocatus sit. Quintum recentiores Judæi nobis objiciunt, quod et prisci scriptores vix attigerunt, et majorem habet speciem difficultatis, non potuisse dari signum Achaz, quod videre ipse non posset, quippe quod non nisi octingentis post annis esset eventurum. Quomodò respondendum sit, Chrysostomus in Commentariis ad eum locum videtur indicare, signum non dari Achaz, sed domui David, quæ non solùm usque ad Christum permansura, sed ipsum quoque Christum paritura erat. Principio quidem propheta regi Achaz petendi quodcumque vellet, signi conditionem obtulerat, ex quo intelligeret Deum sibi contra regem Assyriorum affuturum, vers. 11: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo.* Quod quia contemnens petere noluit; commutatâ oratione propheta aliud

matrimonium sibi invicem fidem dederunt, interim pro iis qui reipsâ matrimonio juncti sunt, accipiuntur. Quod enim in ea natum est, id est, conceptum, de Spiritu sancto est: non ex fide violatâ, non ex vi extrariâ, sed ex virtute Spiritûs sancti in momento formatum est Christi corpus, natum quodammodò et omnibus suis partibus absolutum.

Vers. 21 et 23. — Ipse salvum, etc., quod solius Dei est. In utero, Hoc Isaiæ testimonio evincit evangelista Jesum esse Messiam et Dei Filium, qui locus expositus fuit, cap. 7 Isaiæ. Græcè, *illa virgo*: quo quidem articulo singularem et certam, imò et Beatissimam Virginem designari valdè est probabile, uti à viro docto fuit annotatum. Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, phrasi Hebraicâ nomen pro re sumitur: erat verus Emmanuel Deus et homo.

majus signum quàm quod petere non auderet, majoris liberationis argumentum Deum non jam Achaz, sed domui Davidis daturum prædicit, vers. 13, 14 : *Audite, domus David, numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propterea ecce Dominus ipse dabit vobis signum*, q. d., quia vos petere negligitis, ipse ultrò dabit, non jam quale regi obtuli, fore ut Deus populum suum à rege Assyriorum liberet; sed longè majus, fore ut liberet à peccatis et diaboli tyrannide. Itaque à majore probat minus.

Et vocabunt. Quod quidam mirantur apud Isaiam esse *vocabis*; et evangelistam dixisse *κληθήσονται* vocabunt, nullam admirationis habet causam, quia, ut ait Hieronymus, sæpè evangelistæ sententiam, non verba citare solent; sed et nihil hoc loco, quomodò Evangelista diceret *κληθήσεται*, ut Septuaginta verterunt; an *κληθήσει*, ut Chaldæus, an *κεκλήσεται*, referebat.

Quod est interpretatum Emmanuel nobiscum Deus. Quo autem modo Deus nobiscum esse per hoc nomen significetur, quæri solere video. Quorumdam non probo sententiam, qui spiritualiter tantùm interpretantur Deum esse nobiscum, id est, nobis reconciliatum, Col. 1, 20. Quòd ante iniquitates nostræ nos ab illo disjungerent, Isaiæ 59, 2, Meliùs Chrysostomus, et alii nonnulli Patres, ipsam filii Dei incarnationem declarari putant. Est enim Deus nobiscum, non solùm quia auxilium præstat, et peccata remittit, quomodò etiam cum antiquis illis Judæis erat; sed quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, Joan. 1, 14; *quia in terris visus est, et cum hominibus conversatus*, Baruch. 3, 38; quia *communicavit carni et sanguini*, Hebræorum, 2, 14. Quod autem ex hoc loco quidam colligunt Matthæum Hebraïce non scripsisse refellimus in præfatione, cap. 5.

Vers. 25. — Et non cognoscebat eam. Hilarius cognoscere, interpretatur, pro uxore habere, nam ante, inquit, sponsa erat; postea in nomen transivit uxoris, non quòd marito conjuncta fuerit, sed quòd pepererit, ut faciunt uxores. Epiphanius verò adversùs Ebionæos priùs dicit non cognovisse, post partum verò cognovisse non ejus quidem corpus, sed animum, virtutem, sanctitatem. At jam monitus ab Angelo, non poterat ejus ignorare virtutem, quam sciret de Spiritu sancto concepisse; et nemo non videt Hebraïcam esse phrasim, quâ honestè usus matrimonii significatur, ut Genesis 4 et 19, 8; Numeror. 31, 35 et 3 Reg. 1, 4. Illud verò quod quidam adnotârunt hoc verbum non dici, nisi cùm primùm virgo defloratur, falsum esse constat Gen. 4, 25 et 38, 26, et 1 Reg. 1, 19. Arripiebant hîc Jovinianus, Helvidius, Ebionistæ, et ut sit auctor Imperfecti, Eunomiani ansam de beatæ Mariæ post partum virginitate malè sentiendi, vide vers. 18; tantùm admonendum est, quem-admodùm has particulas *antequàm* et *priusquàm*; ita has *donec et usque*, et si quæ sunt aliæ similes, non semper affirmationem post tempus, quod notatur, si negatio præcessit; nec semper negationem, cùm præcessit affirmatio significare, ut Hieronymus adversùs Helvidium, et Chrysostomus hoc loco multis exemplis demonstrârunt. Matthæi 28, 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; non inicat postea cum illis non futurum, sed multò magis futurum, 2 Reg. 6, 26: *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*; non significat eam post mortem peperisse. Psal. 109 : *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* non significat postea non sessurum. Matth. 5, 19 : *Donec transeat cœlum, et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege*, non indicat fore ut postea præteream. Ergo in his omnibus locutionibus, id dicitur quod est dubium, id tacetur quod est certum.

Filium suum primogenitum. Hoc aliud erat hæreticorum argumentum, qui de Mariæ virginitate malè sentiebant, quòd Christum evangelista Mariæ primogenitum appellet, quasi post eum alios genuerit; ubi enim secundò genitus nullus est; ibi nec primogenitum esse possè. Epiphanius videtur vim argumenti declinâsse. Negat enim hæres. 78 Christum Mariæ primogenitum appellatum. Nec enim evangelistam dixisse, donec peperit filium primogenitum suum; sed filium suum primogenitum, ut significaret filium esse Mariæ, primogenitum autem Dei. *Ipse namque est primogenitus omnis creaturæ*, Colos. 1, 15, *et primogenitus ex mortuis*, vers. 18, et Rom. 8, 29, *primogenitus in multis fratribus*. Meliùs et fortiùs Hieronymus adversùs Helvidium, primogenitum Mariæ Christum dici, non quòd post eum alius; sed quòd ante eum nemo genitus sit. Hunc enim Scripturarum esse usum, ut unigeniti etiam primogeniti dicantur; quia qui unigenitus est, necessariò ante omnes alios, id est, nemo ante eum genitus est; quod est esse primogenitum, Exod. 4, 22. Deus vocat populum Israel primogenitum suum, cùm alium non haberet. Et c. 12, 29, dicitur percussisse omnia primogenita terræ Ægypti; inter quos non dubium, quin aliqui unigeniti fuerint, et c. 13, 2, et 22, 29, jubet omnem primogenitum sibi sanctificari; consuetudo autem legis interpres etiam unigenitos docet intelligendos; alioqui expectandum erat, donec alii posteriùs geniti nascerentur. D. etiam Paulus, Hebræor. 1, 6, primogenitum Dei, pro unigenito Christum appellavit. Cur ergo evangelista addidit epithetum, *primogenitum*? ideò, ut opinor, ut significaret Mariam non solùm concepisse virginem, sed etiam peperisse. Nam de conceptu dixerat, vers. 18 : *Antequàm convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu sancto*. De partu nunc dicit: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primo-*

Vers. 25. — Vox, donec, id tantùm indicat, quod antea factum non fuit, non quòd eam postea cognoverit: id unum designat, non eam cognovisse : et illæ particulæ, *antequàm*, *donec*, indefinitum relinquunt quid postea factum sit. Sola virginis fides, cùm Spiritûs sancti operatione, quasi unitâ, ut ait Angelus Gabriel apud Lucam, in hoc mysterio enituit. Filium suum primogenitum, non quòd alios habuerit fratres, sed quia nullum ante. Sic omnis unigenitus est primogenitus; Numer. 18, 15, primogenitus est ante quem nullus.

genitum; id est, cùm eam non cognovisset, peperit filium suum; qui ideò solus maximè propriè primogenitus dicitur, quia cùm primogenitus diceretur qui vulvam aperiebat, Exod. 13, 2 et 34, 19, solus ille aperuit, qui solus clausam invenit, ut Tertullianus docuerat. Aperuisse autem interpretor, non verè aperiendo, sed quemadmodùm si aperuisset, verè nascendo.

CAPUT II.

1. Cùm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Jerosolymam,

2. Dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per prophetam :

6. Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes, clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis :

8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

9. Qui cùm audissent regem, abierunt : et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dùm veniens, staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valdè.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

12. Et, responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

13. Qui cùm recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dùm dicam tibi : futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

14. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.

15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valdè : et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infra, secundùm tempus quòd exquisierat à Magis.

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem :

18. Vox in Ramâ audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

CHAPITRE II.

1. Jésus étant donc né dans Bethléhem de Juda, aux jours du roi d'Hérode, voici que les mages vinrent d'Orient à Jérosalem,

2. Disant : Où est celui qui vient de naître roi des Juifs? car nous avons vu son étoile en Orient, et nous sommes venus l'adorer.

3. Or, le roi Hérode apprenant ceci, il en fut troublé, et toute la ville de Jérusalem avec lui.

4. Et, assemblant tous les princes des prêtres et les scribes du peuple, il s'enquit d'eux où devait naître le Christ.

5. Ils lui dirent : Dans Bethléhem de Juda. Car il avait été écrit ainsi par le prophète :

6. Et vous, Bethléhem, terre de Juda, vous n'êtes pas la moindre entre les princes de Juda; car de vous sortira le chef qui doit régir mon peuple d'Israël.

7. Alors Hérode, ayant mandé les mages en secret, s'enquit d'eux soigneusement du temps auquel l'étoile leur était apparue.

8. Et, les envoyant à Bethléhem, il leur dit : Allez, informez-vous exactement de cet enfant : et lorsque vous l'aurez trouvé, faites-le-moi savoir, afin que j'aille aussi moi-même l'adorer.

9. Ayant entendu ces paroles du roi, ils partirent : et voilà que l'étoile qu'ils avaient vue en Orient allait devant eux, jusqu'à ce qu'elle vint et s'arrêta à l'endroit où était l'enfant.

10. Lorsqu'ils virent l'étoile, ils eurent une joie extrême.

11. Et, en entrant dans la maison, ils trouvèrent l'enfant avec Marie sa mère; et se prosternant ils l'adorèrent : puis, ayant ouvert leurs trésors, ils lui offrirent des présents, de l'or, de l'encens et de la myrrhe.

12. Et, ayant été divinement avertis en songe de ne point retourner vers Hérode, ils s'en revinrent dans leur pays par un autre chemin.

13. Lorsqu'ils furent partis, voici qu'un ange de Seigneur apparut en songe à Joseph, disant : Levez-vous; prenez l'enfant et sa mère, et fuyez en Égypte, et n'en partez point jusqu'à ce que je vous le dise : car il arrivera qu'Hérode cherchera l'enfant pour le faire périr.

14. Joseph s'étant levé prit l'enfant et sa mère, durant la nuit, et se retira en Égypte.

15. Et il y demeura jusqu'à la mort d'Hérode, afin que fût accompli ce que le Seigneur avait annoncé par le prophète, disant : J'ai rappelé mon fils de l'Égypte.

16. Alors Hérode, voyant qu'il avait été joué par les mages, entra dans une extrême colère; et il envoya tuer tous les enfants qui étaient dans Bethléhem et dans tout le pays d'alentour, de deux ans et au-dessous, selon le temps dont il s'était soigneusement enquis des Mages.

17. Alors s'accomplit ce qui avait été annoncé par le prophète Jérémie, disant :

18. Une voix a été entendue dans Rama, des pleurs et de grands gémissements; Rachel pleurant ses enfants, et elle n'a pas voulu recevoir de consolation, parce qu'ils ne sont plus.

majus signum quàm quod petere non auderet, majoris liberationis argumentum Deum non jam Achaz, sed domui Davidis daturum prædicit, vers. 13, 14 : *Audite, domus David, numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propterea ecce Dominus ipse dabit vobis signum*, q. d., quia vos petere negligitis, ipse ultrò dabit, non jam quale regi obtuli, fore ut Deus populum suum à rege Assyriorum liberet; sed longè majus, fore ut liberet à peccatis et diaboli tyrannide. Itaque à majore probat minus.

Et vocabunt. Quod quidam mirantur apud Isaiam esse *vocabis*; et evangelistam dixisse *κληθήσονται* vocabunt, nullam admirationis habet causam, quia, ut ait Hieronymus, sæpè evangelistæ sententiam, non verba citare solent; sed et nihil hoc loco, quomodò Evangelista diceret *κληθήσεται*, ut Septuaginta verterunt; an *κληθήσει*, ut Chaldæus, an *κεκλήσεται*, referebat.

Quod est interpretatum Emmanuel nobiscum Deus. Quo autem modo Deus nobiscum esse per hoc nomen significetur, quæri solere video. Quorumdam non probo sententiam, qui spiritualiter tantùm interpretantur Deum esse nobiscum, id est, nobis reconciliatum, Col. 1, 20. Quòd ante iniquitates nostræ nos ab illo disjungerent, Isaiæ 59, 2, Meliùs Chrysostomus, et alii nonnulli Patres, ipsam filii Dei incarnationem declarari putant. Est enim Deus nobiscum, non solùm quia auxilium præstat, et peccata remittit, quomodò etiam cum antiquis illis Judæis erat; sed quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, Joan. 1, 14; *quia in terris visus est, et cum hominibus conversatus*, Baruch. 3, 38; quia *communicavit carni et sanguini*, Hebræorum, 2, 14. Quod autem ex hoc loco quidam colligunt Matthæum Hebraïce non scripsisse refellimus in præfatione, cap. 5.

Vers. 25. — Et non cognoscebat eam. Hilarius cognoscere, interpretatur, pro uxore habere, nam ante, inquit, sponsa erat; postea in nomen transivit uxoris, non quòd marito conjuncta fuerit, sed quòd pepererit, ut faciunt uxores. Epiphanius verò adversùs Ebionæos priùs dicit non cognovisse, post partum verò cognovisse non ejus quidem corpus, sed animum, virtutem, sanctitatem. At jam monitus ab Angelo, non poterat ejus ignorare virtutem, quam sciret de Spiritu sancto concepisse; et nemo non videt Hebraïcam esse phrasim, quâ honestè usus matrimonii significatur, ut Genesis 4 et 19, 8; Numeror. 31, 35 et 3 Reg. 1, 4. Illud verò quod quidam adnotârunt hoc verbum non dici, nisi cùm primùm virgo defloratur, falsum esse constat Gen. 4, 25 et 38, 26, et 1 Reg. 1, 19. Arripiebant hîc Jovinianus, Helvidius, Ebionistæ, et ut sit auctor Imperfecti, Eunomiani ansam de beatæ Mariæ post partum virginitate malè sentiendi, vide vers. 18; tantùm admonendum est, quem-admodùm has particulas *antequàm* et *priusquàm*; ita has *donec et usque*, et si quæ sunt aliæ similes, non semper affirmationem post tempus, quod notatur, si negatio præcessit; nec semper negationem, cùm præcessit affirmatio significare, ut Hieronymus adversùs Helvidium, et Chrysostomus hoc loco multis exemplis demonstrârunt. Matthæi 28, 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; non inicat postea cum illis non futurum, sed multò magis futurum, 2 Reg. 6, 26: *Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*; non significat eam post mortem peperisse. Psal. 109 : *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* non significat postea non sessurum. Matth. 5, 19 : *Donec transeat cœlum, et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege*, non indicat fore ut postea præteream. Ergo in his omnibus locutionibus, id dicitur quod est dubium, id tacetur quod est certum.

Filium suum primogenitum. Hoc aliud erat hæreticorum argumentum, qui de Mariæ virginitate malè sentiebant, quòd Christum evangelista Mariæ primogenitum appellet, quasi post eum alios genuerit; ubi enim secundò genitus nullus est; ibi nec primogenitum esse possè. Epiphanius videtur vim argumenti declinâsse. Negat enim hæres. 78 Christum Mariæ primogenitum appellatum. Nec enim evangelistam dixisse, donec peperit filium primogenitum suum; sed filium suum primogenitum, ut significaret filium esse Mariæ, primogenitum autem Dei. *Ipse namque est primogenitus omnis creaturæ*, Colos. 1, 15, *et primogenitus ex mortuis*, vers. 18, et Rom. 8, 29, *primogenitus in multis fratribus*. Meliùs et fortiùs Hieronymus adversùs Helvidium, primogenitum Mariæ Christum dici, non quòd post eum alius; sed quòd ante eum nemo genitus sit. Hunc enim Scripturarum esse usum, ut unigeniti etiam primogeniti dicantur; quia qui unigenitus est, necessariò ante omnes alios, id est, nemo ante eum genitus est; quod est esse primogenitum, Exod. 4, 22. Deus vocat populum Israel primogenitum suum, cùm alium non haberet. Et c. 12, 29, dicitur percussisse omnia primogenita terræ Ægypti; inter quos non dubium, quin aliqui unigeniti fuerint, et c. 13, 2, et 22, 29, jubet omnem primogenitum sibi sanctificari; consuetudo autem legis interpres etiam unigenitos docet intelligendos; alioqui expectandum erat, donec alii posteriùs geniti nascerentur. D. etiam Paulus, Hebræor. 1, 6, primogenitum Dei, pro unigenito Christum appellavit. Cur ergo evangelista addidit epithetum, *primogenitum*? ideò, ut opinor, ut significaret Mariam non solùm concepisse virginem, sed etiam peperisse. Nam de conceptu dixerat, vers. 18 : *Antequàm convenirent, inventa est habens in utero de Spiritu sancto*. De partu nunc dicit: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primo-*

Vers. 25. — Vox, donec, id tantùm indicat, quod antea factum non fuit, non quòd eam postea cognoverit: id unum designat, non eam cognovisse : et illæ particulæ, *antequàm*, *donec*, indefinitum relinquunt quid postea factum sit. Sola virginis fides, cùm Spiritûs sancti operatione, quasi unitâ, ut ait Angelus Gabriel apud Lucam, in hoc mysterio enituit. Filium suum primogenitum, non quòd alios habuerit fratres, sed quia nullum ante. Sic omnis unigenitus est primogenitus; Numer. 18, 15, primogenitus est ante quem nullus.

genitum; id est, cùm eam non cognovisset, peperit filium suum; qui ideò solus maximè propriè primogenitus dicitur, quia cùm primogenitus diceretur qui vulvam aperiebat, Exod. 13, 2 et 34, 19, solus ille aperuit, qui solus clausam invenit, ut Tertullianus docuerat. Aperuisse autem interpretor, non verè aperiendo, sed quemadmodùm si aperuisset, verè nascendo.

CAPUT II.

1. Cùm ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda, in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Jerosolymam,

2. Dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per prophetam :

6. Et tu, Bethlehem, terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes, clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis :

8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

9. Qui cùm audissent regem, abierunt : et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dùm veniens, staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valdè.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et, apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

12. Et, responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

13. Qui cùm recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dùm dicam tibi : futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

14. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.

15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valdè : et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, à bimatu et infra, secundùm tempus quòd exquisierat à Magis.

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem :

18. Vox in Ramâ audita est, ploratus et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

CHAPITRE II.

1. Jésus étant donc né dans Bethléhem de Juda, aux jours du roi d'Hérode, voici que les mages vinrent d'Orient à Jérosalem,

2. Disant : Où est celui qui vient de naître roi des Juifs? car nous avons vu son étoile en Orient, et nous sommes venus l'adorer.

3. Or, le roi Hérode apprenant ceci, il en fut troublé, et toute la ville de Jérusalem avec lui.

4. Et, assemblant tous les princes des prêtres et les scribes du peuple, il s'enquit d'eux où devait naître le Christ.

5. Ils lui dirent : Dans Bethléhem de Juda. Car il avait été écrit ainsi par le prophète :

6. Et vous, Bethléhem, terre de Juda, vous n'êtes pas la moindre entre les princes de Juda; car de vous sortira le chef qui doit régir mon peuple d'Israël.

7. Alors Hérode, ayant mandé les mages en secret, s'enquit d'eux soigneusement du temps auquel l'étoile leur était apparue.

8. Et, les envoyant à Bethléhem, il leur dit : Allez, informez-vous exactement de cet enfant : et lorsque vous l'aurez trouvé, faites-le-moi savoir, afin que j'aille aussi moi-même l'adorer.

9. Ayant entendu ces paroles du roi, ils partirent : et voilà que l'étoile qu'ils avaient vue en Orient allait devant eux, jusqu'à ce qu'elle vint et s'arrêta à l'endroit où était l'enfant.

10. Lorsqu'ils virent l'étoile, ils eurent une joie extrême.

11. Et, en entrant dans la maison, ils trouvèrent l'enfant avec Marie sa mère; et se prosternant ils l'adorèrent : puis, ayant ouvert leurs trésors, ils lui offrirent des présents, de l'or, de l'encens et de la myrrhe.

12. Et, ayant été divinement avertis en songe de ne point retourner vers Hérode, ils s'en revinrent dans leur pays par un autre chemin.

13. Lorsqu'ils furent partis, voici qu'un ange de Seigneur apparut en songe à Joseph, disant : Levez-vous; prenez l'enfant et sa mère, et fuyez en Égypte, et n'en partez point jusqu'à ce que je vous le dise : car il arrivera qu'Hérode cherchera l'enfant pour le faire périr.

14. Joseph s'étant levé prit l'enfant et sa mère, durant la nuit, et se retira en Égypte.

15. Et il y demeura jusqu'à la mort d'Hérode, afin que fût accompli ce que le Seigneur avait annoncé par le prophète, disant : J'ai rappelé mon fils de l'Égypte.

16. Alors Hérode, voyant qu'il avait été joué par les mages, entra dans une extrême colère; et il envoya tuer tous les enfants qui étaient dans Bethléhem et dans tout le pays d'alentour, de deux ans et au-dessous, selon le temps dont il s'était soigneusement enquis des Mages.

17. Alors s'accomplit ce qui avait été annoncé par le prophète Jérémie, disant :

18. Une voix a été entendue dans Rama, des pleurs et de grands gémissements; Rachel pleurant ses enfants, et elle n'a pas voulu recevoir de consolation, parce qu'ils ne sont plus.

19. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto,

20. Dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

21. Qui consurgens, accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel.

22. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Judæâ pro Herode patre suo, timuit illò ire : et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

23. Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.

19. Or, après la mort d'Hérode, voici qu'un ange du Seigneur apparut en songe à Joseph en Égypte,

20. Disant : Levez-vous, et prenez l'enfant et sa mère, et allez dans la terre d'Israel; car ceux qui cherchaient l'âme de l'enfant sont morts.

21. Joseph s'étant levé, prit l'enfant et sa mère, et s'en vint dans la terre d'Israel.

22. Mais apprenant qu'Archélaüs régnait en Judée à la place d'Hérode son père, il craignit d'y aller; et ayant été divinement averti en songe, il se retira dans la Galilée.

23. Et y venant, il habita dans une ville appelée Nazareth, afin que fût accompli ce qui avait été dit par les prophètes : Il sera appelé Nazaréen.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Cum ergo. Rectè vertit noster interpres, ergo, quia magis convenit huic loco, ut continuativa sententia, ut grammatici vocant, quàm ut adversativa sit.

In Bethlehem. Servans evangelista leges historiæ locum, tempus, eventaque describit. Locum, *in Bethlehem*, tempus, *in diebus Herodis*; eventa : *Ecce Magi ab Oriente venerunt*. Cur autem natus sit in Bethlehem, ratio est facilis; primùm quòd Michæas propheta prædixisset, c. 5, 2, et oportebat eum etiam ex natali solo probare se eum esse ducem, de quo propheta loqueretur. Deinde, quia eodem loco natus erat David, 1 Reg. 17, 1, et 17, 12. Cujus ipse successor et restaurator regni veniebat; oportebatque inde de radice Jesse florem ascendere, ubi erat radix. Itaque vix dùm natus, ex loco natalis sui adversarios suos principes sacerdotum, et scribas populi convincit; si non ut se Christum esse credant, ut quodam modo profiteantur vers. 5. Itaque, cùm Joseph et Maria non in Bethlehem, sed in Nazareth habitarent, occasione imperati ab Augusto census veniunt in Bethlehem, Luc. 2, 4, quasi non aliâ de causâ totus describeretur orbis, quàm ut ne totius orbis dominus extra patriam suam nasceretur; coegit Deus imperatoris edictum propheticæ veritati servire.

Juda. Plerique codices habent *Judææ* atque ita videtur Chrysostomus, et Euthymius legisse; multique ita legendum censent, consensione, ut opinor, plurium codicum adducti. Ego Hieronymo potiùs assentior, qui et hoc loco, et in commentariis in cap. Michææ 5, *Judææ* pro *Juda* vitiosè legi contendit. Judæam enim totam terram duodecim tribuum, Juda verò solam sortem tribûs Judæ appellari. Cùm autem constet duas fuisse Bethlehem; alteram in tribu Judâ, ubi David et Christus natus est; alteram in tribu Zabulon, Josue 19, 15, et Jud. 12, 8, manifestum esse voluisse evangelistam, eam quæ in tribu Judâ, ab eâ quæ in tribu erat Zabulon explicatione tribûs separare. Atqui minimè separâsset, si dixisset, *in Bethlehem Judææ*, cùm in Judæâ, sed non in Judâ utraque esset. Neque quod quidam à Hieronymo dissentientes respondent, mihi probatur etiam terram tribûs Juda et Benjamin (simul enim habitabant) Judæam appellari, ut infra, vers. 22. Nam etsi id verum est, tamen ita appellari cœpta non est, nisi postquam à Romanis factum est regnum, quà Latinâ formâ à Judæis *Judæam* vocaverunt, itaque nunquàm, nisi cùm de regno agitur, ita vocatur. Nobis autem non Romanorum, sed Scripturarum sequendus est usus, quæ cùm hanc Bethlehem ab illâ distinguunt nunquàm Bethlehem Judææ, semper Judæ vocare solent, Jud. 19, 1, Mich. 5, 1.

In diebus. Hebraismus בימי. Hebræi ferè semper dicunt, *in diebus* pro tempore, præsertim in historiâ, 4 Reg. 23, 29, et 24, 1. Herodis non illius tetrarchæ Galilææ, Lucæ 1, 5, qui Antipas cognomento vocabatur, qui Joannem Baptistam interemit, Christum irrisit, nec illius qui Jacobum occidit, Petrum vinxit; sed patris illius et avi hujus qui Herodes primus, Magnus, Ascalonita, Antipatri dictus est, cui primo populus Romanus regis Judææ titulum dedit. Josephus, lib. 14 Ant., c. 18; Hegesippus, lib. 1, c. 30; Euseb., lib. 1, c. 6. Cœptum jam erat tum annos per Cæsares numerare, quod et Lucas fecit, c. 3, 1, et

Vers. 1. — Mortuus est Herodes anno correctionis Julianæ 42, ab urbe conditâ 750, mense novembri : unde et Christus natus est anno 749. Annus verò æræ vulgaris consulatu Caii Cæsaris, et Æmilii Pauli incidit in annum 46 correctionis, et 754 urbis conditæ : adeò ut nativitas Christi antevertat æram communem 4 annis et 7 diebus. Atque hic error in computandâ ærâ Christianorum circa annum 525, Justino imperante irrepsit, cùm Dionysius Exiguus annos computare cœpit ab incarnatione Christi, quòd huic anno numeri aurei, seu cycli lunaris annum primum illigare voluerit. Nunc verò à primo die januarii anni 46 Juliani post nativitatem Christi jam ab aliquot seculis æra Christiana incipit. Inter eruditos nostræ ætatis illud ferè convenit Christum natum esse anno 33 Herodis ab expugnatâ Hierosolymâ, et à capto Antigono, à primo consulatu Augusti 39, qui erat duodecimus ejus consulatûs, quâ de re alibi fusiùs. Ecce Magi : sic vocari solebant in Oriente, qui singularem profitebantur *sapientiam, et prudentiam, quæ de terrâ est*, Baruch 3. Atque in Arabiâ tam frequentes erant Magi, ut juxta Ptolomæum, l. 6 Geogr., c. 8, nomen dederint sinui in parte Orientali Arabiæ sito. Utrùm reges ii fuerint, an reguli tantummodò et potentes, ut Job 2, amici ejus reges vocitantur, dubitari solet. Nec fuisse Magos propriè dictos, qui artem magicam exercerent, certum est. Porrò, inquit Erasmus, quòd Magi nominentur, nemo maleficas artes quas vulgò magicas dicimus, somniet. Si quidem quos Græci *Sophos*, aut philosophos, Chaldæi Magos vocant, ut testatur D. Hieronymus in Danielem. Aliis videntur fuisse siderum observatores. Hinc Munsterus : hi Ma-

Act. 11, 28, sed Matthæus, quia de regno Herodis agebat, cujus verum successorem natum dixerat, ejus potiùs quàm Cæsaris mentionem fecit.

Regis, ut distinguat à tetrarchâ, de quo. c. 14, 1. Videtur autem evangelista indicare voluisse tempus fuisse maturum, ut Christus nasceretur. Cùm enim prædictum esset *non auferendum sceptrum de tribu Judâ, donec veniret qui mittendus erat*, Genes. 49, 10, dùm dicit Herodem hominem alienigenam regnâsse, indicat sceptrum de tribu Judâ defuisse, exactumque fuisse tempus, quo ex prophetiâ Jacob Christus venturus erat, Gen. 49, 10, ut Chrysostomus et Theophylactus adnotavit

Ecce. Hæc particula duplicem hoc loco vim habet. Significat enim statim nato Christo venisse Magos, ut paulò post exponemus; et inopinatò venisse, quod civitatis tumultuatione declaratur, vers. 3.

Magi ab Oriente venerunt. Quatuor de Magis quæstiones esse possunt : Qui fuerint? quot? unde venerint? quo tempore profecti? Nam de stellâ qualis fuerit, et quomodò ex eâ Christum natum cognoverint, postea dicemus. Prima quæstio ex alterâ pendere mihi videtur; num Hebraicè an Græcè Matthæus scripserit. Nam si Hebraicè, significatio nominis מכשפים sequenda erit; si Græcè, nominis μάγοι. Hebraicè autem scripsisse diximus in præfationis capite 5. Videndum ergo qui sint qui Hebraicè vocantur מכשפים quod hoc loco legimus. מכשפים igitur vocant Hebræi, quos Latini præstigiatores, ut apud Plautum legimus, id est, qui incantationibus, aut aliâ aliquâ arte rerum species immutant, ut aliæ sint, aliæ videantur, ut ait R. Abraham. Quales illos Pharaonis fuisse legimus, qui diabolicâ arte divinam Mosis artem in transformandis rebus imitabantur, Exodi 7, 12, 22, et 8, 7. At istos nec noster interpres, nec Septuaginta Magos solent vertere; sed ille ubique *maleficos*; hi φαρμακοὺς, aut φαρμακεῖς, ut Exodi 7, 11, et 22, 18; Deut. 18, 10, et 2 Par. 33, 6; Jerem. 27, 9; Daniel. 2, 2, Malach. 3, 5. Magos verò et noster interpres, et Septuaginta eos vocare solent quos Hebræi אשפים, id est, qui inspectione siderum, futura prædicunt, sagacitate naturæ somnia interpretantur, ut Dan. 1, 20, et 2, 2, 10, 27, et 4, 4, et 5, 7, 11, 15. Vertit etiam *Magos* vetus interpres, quos Hebræi vocant אוב, pythones, Septuaginta verò solent reddere ἐγγαστριμύθους, ut Levit. 19, 31, et 20, 6, et 1 Reg. 28, 3, 9. Hos autem de quibus Matthæus loquitur, credibile vix est fuisse præstigiatores, nomen apud omnes gentes infame; cùm eos evangelista Magos honoris causâ nominare videatur. Unde me suspicio aliqua subit, aut totum evangelium, quod Hebraicè nunc habemus, aut hoc certè verbum non à Matthæo, sed à Munstero scriptum esse, qui Scripturæ consuetudine parùm animadversâ, quos Magos vocare oportebat præstigiatores appellaverit. Itaque, quia Hebraica fides fefellit nos, Græcam sequamur μάγοι. Magos ergo tribus modis appellatos invenio. Nam et qui nefariis magiæ non naturalis, sed diabolicæ artibus utebantur, magi dicti sunt, Lev. 19, 31, et 20, 6, et Act. 8, 9 et 13, 6; et apud Herodotum lib. 3, et Strabonem, 15, non artis aut conditionis, sed nationis nomen est; inter quinque enim gentes, quæ Mediam incolebant, magos connumerat; quod idem facit Epiphanius in Epitome fidei Catholicæ, nisi quòd aliam illis originem, et regionem aliam assignat. Scribit enim filios fuisse Abrahami ex Cethurâ concubinâ, qui cùm ejecti à patre essent, in Magodiam Arabiæ regionem venerint, ibique sedes fixerint; unde et nomen, ut videtur, putat accepisse. Magis verò usitata hujus nominis significatio est, ut Magi apud Persas patrio sermone sapientes appellentur, ut apud Græcos philosophi, apud Italos Hetruriæ aruspices atque pontifices, apud Indos Brachmanes, aut Gymnosophistæ; apud Babylonios Chaldæi, apud Ægyptios Hierophantæ; apud Gallos Druidæ vocabantur, ut Cicero, lib. 1 de Divinat., et Strabo, lib. 16, tradiderunt, et noster Tertullianus, lib. adversùs Marcionem 1, quo sensu et verosimile est et creditum à plerisque Magos hoc loco nominari; et quia ab Oriente venerunt, ubi celebre Magorum nomen erat; et quia stellâ sunt ducti, quasi homines, qui omnem vitæ cursum stellarum observatione gubernarent, in quâ omnis tunc Magorum sapientia versabatur, et quia evangelista honoris causâ videtur Magos appellâsse.

Illud minùs est certum an fuerint reges. Ridet Ecclesiam catholicam hæreticus interpres (Beza, in Annot.), quòd reges fuisse credat; quasi locum Psalmi 71, 10, male de illis interpretetur, reges Tharsis et insulæ munera offerent; et ex meridie et occidente orientem fecerit. Rideat ergo Tertullianum in lib. contra Judæos, et lib. contra Marcionem tertio; rideat Cyprianum in sermone de Baptismo Christi; ri-

gi nostri fuerunt præcipuè siderum contemplatores, quorum Dominus misertus novam condidit stellam, quæ ipsos ad Christum perduceret. Non fuisse propriè reges, hinc conjici potest, quòd evangelista id ipsum non tacuisset. Ac longè probabilius videtur ex Arabiâ Magos venisse, quàm è Perside quæ 500 fermè leucis distat Hierosolymâ. Deinde prophetia Balaam, Numer. 24 : *Orietur stella ex Jacob*, quæ suo loco fuit exposita, iis erat notior quàm Persis, aut Chaldæis. Hanc verò Magorum adorationem paucis post nativitatem diebus factam esse Matthæus his verbis innuere videtur : *Cùm natus esset Jesus*, etc. Huic sententiæ favent Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone; Tertul. contra Judæos, c. 9, qui hæc verba Psal. 71, his aptat : *Reges Arabum et Saba munera offerent*. In textu Hebræo sic legitur : *Reges Tharsis et insularum munus reddent, reges Saba et Saba donum offerent*. Id observat Abbas Pezronius in Evangelicâ Historiâ Gallicè editâ primum Saba per *Schin*, alterum per *Samech* scriptum esse : adeò ut duo populi diversi his vocibus designentur, ambo in Arabiâ, qui Genes. 10, 7, indicantur. Saba per Samech filius erat Chus, alter Saba natus est è Regma, et nepos erat Nemrod, seu ex fratre filius. Pomponius Mela, l. 2, c. 8, loquens de Arabiâ Felice, majorem, inquit, Sabæi tenent partem ostio proximam. Quin et Ezechiel, c. 27, loquens de Tyriis testatur Saba et Regma eò inferre aurum, gemmas, et aromata. Gerræi, et Sabæi una permisti auro, thure, et mirrhâ optimâ abundabant, uti et vicinæ insulæ. Atque hi reguli insularum reges terræ et maris adumbrârunt, qui Christum postea coluère, fide, spe et charitate.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS ®

deat Chrysostomum, hom. 6 in Matth.; rideat Hilarium, lib. 4 de Trin.; rideat Basil., hom. de Hum. Christ. Gener.; rideat Idacium ad Varim, rideat Hieronymum aut Hieronymo æqualem ætate auctorem, Ps. 21; rideat Augustinum, aut vetustum certè, quisquis est, auctorem lib. de Mirabilibus sacræ Scripturæ; rideat Isidorum, Bedam, et Strabum, ut alios non nominem, quos liberiore fortassè impudentiâ ridebit. Hi enim omnes reges fuisse credunt, et illo psalmi loco fidem faciunt. Non quòd credant reges fuisse Tharsis; sed quòd reges Tharsis pro quibusvis Gentilium regibus, quasi exempli loco à Davide positos putent, ut Tertullianus exemplis etiam Scripturarum docet, eodemque sensu Ecclesia in festo Epiphaniæ illam psalmi locum usurpat. Solet enim sæpè, quæ de unâ personâ dicta sunt ad aliam propter similitudinem non ignoranter, sed prudenter accommodare. Nec enim ignorat quod scriptum est, Luc. 10, 12: *Maria optimam partem elegit*, non de Mariâ Christi matre, sed de Mariâ Lazari sorore dictum esse; tamen ad Christi matrem in ejus festo prudenter accommodat, quia et ipsa Maria est, et verè optimam partem elegit. Præterquàm quòd Ecclesia Magos fuisse reges non certâ et catholicâ fide, sed probabili opinione credit. Licuit enim christiano poetæ patrum nostrorum memoriâ salvâ religione dicere: *Nec reges, ut opinor, erant*. Licuit multis nostro tempore catholicis et eruditis theologis idem scribere, suamque opinionem, non ut ille risu, sed magnis argumentis confirmare; non fuisse evangelistam silentio nomen regum, si reges fuissent, præteriturum; cùm id ad honorem adorandi Christi magnoperè pertineret; majore apparatu excipiendos ab Herode reges à rege. Ista nos non ignoramus, et malumus tamen credere fuisse reges; non illos quidem Persarum nobilissimos, sed tamen principes qui regum aut regulorum nomen mererentur, sicut ille Joan. 4, 46, 49, et sicut amici Job, qui ad consolandum eum venerant, Tob. 2, 15, reges appellantur, et ut Marcus, c. 6, 14. Herodem magni Herodis filium regem appellavit, cùm non rex, sed tetrarcha esset Galilææ, Matth. 14, 1, et Luc. 3, 1. Certè poeta Juvencus primores gentis suæ, et proceres appellat. Conjecturæ sunt, quòd ab Oriente usque veniant; unde privati profectò philosophi tam longo suscepto itinere non venissent; quòd regem natum adoraturi; quod facere soli principes solent; quòd thesauros habuerint, vers. 11; quòd ab Herode simul ut venerunt comprehensi non sint, et in crucem acti; quòd ipse Herodes dicat se quoque adorandi causâ, cùm ubi sit intellexerit, iturum esse. Simulatè; quis neget? tamen veritatem certè simulabat, quasi omnes reges deberent, Magorum exemplo, novum regem adorare; quòd privati homines nunquàm ausi fuissent coram tyranno profiteri, legitimum Judæorum regem natum esse. At cur evangelista reges non appellavit? Cur auctor libri Job amicos ejus reges non appellat; Tobiæ verò libri auctor appellat? Si alius evangelista illam eamdem scripsisset historiam quam Joannes, c. 4, 46, scripsit, illum fortassè, quem Joannes regulum vocat, alio nomine vocavisset. Neque ratio quærenti omninò deerit, cur Matthæus Magos potiùs quàm reges, cùm utrumque essent, appellaverit. Voluit enim tacitè rationem reddere, cur ex stellâ Christum natum esse cognovissent. Hoc enim Magorum non regum fuit.

De numero minùs constat. Hic etiam ridet nos hæreticorum interpres, quòd tres fuisse credamus, inde in errorem ducti, quòd tria fuerint munera, quasi singuli singula, non cuncti cuncta communiter obtulerint. Ipse quatuordecim fuisse nescio apud quem auctorem legerit, certè non nisi apud Catholicos legit, unde potuit facilè cognoscere nos non certò fuisse tres, sed probabiliter credere. Auctor operis Imperfecti ex apocryphâ quâdam scripturâ, quam suo tempore nomine Seth extitisse dicit, duodecim fuisse tradit. Strabus plures tantùm fuisse ex modo loquendi evangelistæ colligit. Communis non solùm vulgi, sed veterum etiam auctorum opinio est fuisse tres, Augustini, serm. 29 et 33 de Tempore, Leonis, serm. 1, 4, 5, 6, 7, 8, de Epiphaniâ, Ruperti in commentariis; eaque multò est cæteris probabilior. Illud enim certum est plures fuisse, cùm evangelista numero semper multitudinis Magos appellet, et probabile est plures fuisse duobus, quia non duali, ut vocant, sed plurali usus est numero. Fuisse autem tres, etsi non certâ, tamen probabili conjecturâ ex donorum numerocolligitur. Credibilius enim est diversa quàm eadem omnes munera dedisse, quòd id magis sit usitatum, et gratius accipientibus, honorificentius dantibus esse solcat. Certè hæc opinio aliquâ; aliæ nullâ ratione probari possunt.

Unde autem venerint, quæ tertia erat quæstio etsi magnâ ex parte evangelista declaravit, relictus tamen est diversis opinionibus locus. Multi enim veteres auctores ex Arabiâ venisse putant. Justinus in Tryphone, Tertullianus adversùs Judæos, et lib. 3 contra Marcionem; Cyprianus in serm. de Stellâ et Magis, Epiphanius in Epitome. Nec tamen ex occidente, ut hæreticos putat, orientem fecerunt. Est enim Arabia ad Palæstinam inter orientem et meridiem; et solent regiones mediæ nunc orientales, nunc meridionales appellari, sicut regina Saba, regina Austri, id est, meridionalis, dicta est, Matth. 12, 42, et Luc. 11, 31. Moti sunt non immeritò hi auctores prophetiâ Davidis, Psal. 71, 10: *Reges Arabum et Saba dona adducent*. Ipsa quoque munera patriam produnt. Nam Arabiam totam auro et Sabæorum regionem thure odoribusque abundare adeò certum est, ut his ipsis rebus eæ regiones apud poetas celebrentur. Alii Chaldæos fuisse dicunt, quod aliquando Chrysostomo placuit. Scribit enim, quod mirum est, à Septentrione venisse. Idemque Strabus auctor Glossæ quam vocant Ordinariæ; et nonnulli nostro tempore viri sanè eruditi senserunt, quorum potissimum est argumentum, quòd neque ex Perside, neque ex Arabiâ tredecim dierum spatio venire potuissent. Horum ego minimè assentior opinioni. Nam etsi Chaldæam mediam inter septentriones et orientem esse scio, tamen consuetudo Scripturæ

est ut septentrionalis appelletur. Notæ sunt illæ prophetarum voces, Chaldæam significantes; *Ab aquilone pandetur omne malum*, Jer. 1, 14, et 4, 6, et 25, 9. Communis mihi placet opinio ex Perside venisse; et quia plures habet auctores, Chrysostomum, hom. 7, Auct. Operis Imperfecti, hom. 2; Cyrillum Alex., lib. 4 in Isaiam, Juvencum poetam, Theophylactum, et omnes ferè posteriores; et quia nomen ipsum Magorum Persicum est; et quia evangelista dicit ab Oriente venisse, et quia Persicos præ se mores ferunt. Reges enim adorare, et non sine munere adire Persica lex erat, ut omnes ejus gentis scriptores tradunt. Quo autem modo tredecim diebus venire potuerint, paulò post explicabimus.

Quarta superest quæstio, quandonam venerint, et quando profecti sint; duas enim has partes quæstio habet. Epiphanius duobus post natum Christum annis venisse affirmat, et omni ope contendit, hær. 30 et 31, propter illa verba, vers. 16: *Occidit omnes pueros à bimatu et infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*. Idemque ante eum Eusebium Cæsariensem sensisse ex ejus apparet Chronico. Multò verior est Ecclesiæ sententia decimo tertio die post natum Christum venisse; quod veteres etiam auctores tradiderunt, Augustinus, serm. 1, 2 et 3, de Epiphaniâ, Leo octo sermonibus. Certè illud constat non multis post diebus advenisse. Hoc enim Evangelista significat, cùm dicit: *Cùm natus esset Jesus, ecce Magi venerunt*. Nam et connexio verborum, et particula illa, *ecce*, indicat post Christi natalem statim Magorum adventum secutum fuisse, ut Gen. 29, 9: *Adhuc loquebantur, et ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui*, et Genes. 24, 15: *Necdùm intra se verba compleverat et ecce Rebecca egrediebatur*; et quia certum est, Joseph et Mariam non mansisse in Bethlehem supra quadraginta dies purificationis, qui ex lege præscripti erant; Levit. 12, 2. Statim enim venerunt in Jerusalem ut sisterent eum Domino, Lucæ 2, 22, et statim reverterunt in Galilæam, vers. 39. Magi autem Christum in Bethlehem invenerunt, Matth. 2, 9, ergo ante quadragesimum à natali diem Magi venerunt. Quod enim Epiphanius ait, Joseph et Mariam, singulis annis eo die ex Ægypto in Bethlehem venire consuevisse; cumque post duos annos rediissent, Magos eos invenisse: mirum videri potest tam erudito viro in mentem venire potuisse: quis enim credat Joseph et contra naturalem charitatem, et contra mandatum Dei, Matth. 2, 13, infantem in illum ipsum locum, ubi à tyranno quæri sciebat, reducturum fuisse? cùm etiam mortuo tyranno, et à Deo admonitus ut reverteretur, ausus non fuerit in Judæam redire; sed in Galilæam diverterit, vers. 22. Aliquod etiam est argumentum, quòd Joseph et Maria adeò incommodè in Bethlehem habiti fuerint, ut credibile non sit diù jacente in præsepi Christo eos manere voluisse. Quando ergo ex patriâ profecti sunt? Quidam duobus ante natalem Christi annis profectos putant iisdem impulsi verbis, vers. 16, *à bimatu et infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*. Ad quam sententiam auctor Operis Imperfecti, hom. 2, et Augustinus, serm. 7, de Epiphaniâ, accedere videntur. Mihi verò incredibile videtur, magos duos integros annos in itinere posuisse, etiam si totum terrarum orbem pedibus peragrâssent. Nam nostrâ ætate Magellanius duobus annis multis superatis impedimentis, in multis diù locis commoratus unâ navi totum circum orbem terræ navigavit. Aiunt quidam stellam quidem ante duos annos Magis apparuisse; non tamen statim profectos fuisse eos; priùs disputandum fuisse diù quid stella portenderet, re verò explorată, adornandam profectionem. Hoc etiam postea, cùm de stellâ agemus, refutabimus. Fingamus tamen ita esse, nimis adhuc longum erit tempus. Mihi Augustini sententia valdè placet, serm. 32, de Tempore, eos non nisi nato jam Christo ex patriâ discessisse. Hanc enim vim habet: *Vidimus stellam ejus in Oriente*, id est, quæ natum significabat. Cùm autem decimo tertio post die credantur adorâsse; reliquum est non ultra octo aut novem dies in itinere posuisse. Nec enim eodem die, quo stellam viderunt, discessisse credendum est, et Jerosolymis, dùm Herodes eos interrogat et Scribas et sacerdotes consulit, duos ut minimùm mansisse dies valdè est verosimile. Quo magis mirum est eos tantillo tempore ex Perside usque venire potuisse. Duæ tamen res admirationem tollent; altera quòd credibile sit eos non ex ultimis, sed ex proximis Persarum finibus venisse, qui ab Jerusalem vix ultra duodecim leucas distare reperiuntur. Altera, quòd verosimile sit camelis usos esse, qui quamvis onerati quadraginta quotidiè leucas conficere dicuntur. Nam quod Remigius vult divinâ id factum virtute, ut fieri potuisse credendum est, ita factum fuisse non est necessarium, nisi probetur.

Jerosolymam. Mirum cur Jerosolymam venerint, cùm in Bethlehem ab stellâ ducerentur. Sunt, qui putent stellam propè Jerosolymam disparuisse, ut Magi natum regem in urbe regiâ nuntiarent, ne Judæi ignorare possent quod Gentilium testimonio didicissent. In quâ sententiâ Ambrosius est, lib. 2 in Lucam, c. 2, et August., serm. 30, 31, et 33, de Tempore, et Chrysostomus, hom. 7 in Matth; Basil., in hom. de hum. Christi Gen.; Theophylact., Bern. in Sentent. Quod eò est probabilius, quòd Jerosolymitani stellam non viderint, nec enim evangelista videtur prætermissurus fuisse. Quòd si non disparuisset, omnes ubique eam vidissent. Id etiam indicat evangelista, vers. 9: *Qui cum audissent regem, abierunt, et ecce stella quam viderant in Oriente de antecebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer*. Quasi dùm fuissent Jerosolymæ, non vidissent, et simul atque inde discessissent, iterùm videre cœpissent. Bernardus existimat priùs Magos Jerosolymam venire voluisse, ut de nato interrogarent rege, idcòque stellam sese occultâsse; ut qui humanum quærerehant consilium, divinum amitterent ducem. Mihi non tam eorum curiositate, quàm divino consilio factum videtur, ut Jerosolymam venerint; partim ut Judæi inexcusabiles essent, ut Hieronymus ait: partim ut priùs à gentibus, quàm à Judæis Christus rex natus annuntiaretur; ne Judæorum

de suo rege testimonium suspectum haberetur, ut Basilius, hom. de hom. à Christi Generatione. Humana etiam postulabat ratio, ut qui natum quærebant regem, in regiam urbem venirent.

Vers. 2. — Qui natus est. Notanda Magorum asseveratio; non enim dubitantes interrogant an natus sit; sed certi, tanquàm à Deo docti, natum esse asseverant. Videntur etiam ita loqui, quasi omnes natum esse sciant. Et verò quis credaret Judæorum natum regem Persas scire, ignorare Judæos? Credibile etiam est eos de novo rege interrogâsse; de quo cum nihil cognoscere potuerint, Jerusolymam venerint; quasi in urbe regiâ scituri, quod in aliis scire non potuissent.

Rex Judæorum. Duobus modis hæc verba jungi possunt vel Rex Judæorum qui natus est, vel qui natus est Rex Judæorum; uterque sensus probabilis, secundus tamen mihi videtur probabilior, quia ἐμφατικώτερος. Nec enim ignorare Magi poterant Herodem legitimum et naturalem non esse regem; sed factitium, et à populo Romano datum. Facilitio ergo regi naturalem opponunt.

Vidimus enim stellam ejus, indicem natalis ejus. Quinque de hâc stellâ quæri possunt: qualis fuerit? quando primùm visa? ubi? quomodo ex eâ Magi cognoverint natum esse Christum? cur per eam potius quàm aliâ ratione docti fuerint? Veram fuisse stellam unam de numero caterarum, quæ ad præstandum Magis obsequium descenderit, Gregorius Nyssenus existimat in homiliâ de Christi Incarnatione. Alii ferè omnes non veram stellam; sed stellæ similitudinem fuisse putant, Chrysost., hom. in Matth. 6; Basilius, hom. de humanâ Christi Generatione; Ambrosius, lib. 2. in Lucam, c. 2; Augustinus, serm. 50 de Tempore; Fulgentius in homiliâ de Epiphaniâ; Auctor librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ, qui nomine Augustini circumferuntur, lib. 3, c. 4. Quod multis probant argumentis: quòd nunquàm antea visa, quòd nunquàm post, quòd non fuerit in cœlo, alioqui viam monstrare non potuisset, quòd ab Oriente in Occidentem contra naturalem cursum venerit, quòd non solùm noctu, sed etiam interdiù luxerit, quòd sese aliquando occultaverit, ut diximus vers. 1, quod steterit supra domum ubi erat puer. Quæ omnia probabilia, non necessaria argumenta sunt. Nam qui fecerat aliquando, ut sol staret, aliquando ut retrorsùm reverteretur; facere potuit ut vera stella statione naturali relictâ istùc præter naturam suam officia præstaret, sed quia miracula Deus sine necessitate facere non solet, nec à nobis, nisi probentur, pro miraculis habenda sunt; credibilius est veram non fuisse stellam, cùm stellæ similitudo esse potuerit, et ad docendos ducendosque Magos satis esset, stellam apparentem Evangelista propter similitudinem, non propter veritatem appellavit, sicut nos cometam stellam vocamus. Quid autem fuerit, magna inter scriptores dissensio est. Nonnulli Spiritum sanctum fuisse putant, qui, post baptismum specie columbæ; ita nunc specie stellæ ad demonstrandum Christum descenderit. Ita auctor ille librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 3, c. 4. Alii fuisse angelum, qui stellæ speciem induerit. Nam et angelos stellas appellari, Apocal. 1, 20; hanc opinionem auctor ille, quem paulò ante nominavimus, probabilem, Theophylactus veram existimat. Plerique alii cometam fuisse dicunt. Ego aut cometam, aut angelum dixerim.

Quando autem sit visa, non convenit. Quidam duobus annis, antequàm Christus nasceretur visam dixerunt propter illa verba vers. 16: *A bimatu et infra, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis*, ut refert Euthymius. Et quidem auctor Operis Imperf., homil. 2, ita sentit, et Nicephorus, lib. 1, 13. Idemque aliquando sensit Augustinus, ut apparet ex serm. 56 de Tempore: quanquam sententiam postea correxit. Alii uno ante anno, ut idem refert Euthymius. Alii aliquanto ante, ut Chrysost., Euthymius et Theophylactus. Alii eo ipso die quo natus est Christus, ut Augustinus, serm. 4 de Epiphaniâ; quod ego probabilissimum puto. Hanc enim vim in illis verbis animadverto, *Vidimus stellam ejus in Oriente*, id est, quæ eum natum significabat: et in illis: *Ubi est qui natus est?* quasi ex stellâ non nasciturum Christum; sed jam natum certò cognovissent. Cur ergo Herodes à bimatu, et infra pueros occidit, secundùm tempus quod exquisierat à Magis? vers. 16 dicemus.

Ubi viderint, non constat. Hæc enim verba ambigua sunt: *Vidimus stellam ejus in Oriente*. Sensus enim duplex esse potest; aut eos cùm in Oriente essent, stellam in Occidente vidisse, aut vidisse stellam quæ apparuerit in Oriente, ut 2 Reg. 11, 2: *Viditque mulierem ex adverso se lavantem super solarium suum*. Dubium enim est, an viderit mulierem, quæ super solarium suum lavabat, an ipse ex solario suo eam viderit. Nonnulli ergo non in Oriente, sed in Occidente stellam apparuisse putant, quod auctor lib. de Mirab. sacræ Scripturæ, lib. 3, c. 4, affirmat. Strabus in medio reliquit. Sed non videtur mihi dubitandum quin in ipso illis Oriente primùm apparuerit, et viæ dux fuerit. Cùm enim dicunt: *Vidimus stellam ejus in Oriente*; non tam unde, quàm quâratione moti venerint, dicere volunt; quòd stellam nimirùm ejus viderint. Sensus ergo est eam in Oriente appariisse; quia non agebatur, ubi ipsi esscnt, sed ubi eam vidissent. Deinde si in Occidente, id est, in Judæâ apparuisset, utique visa fuisset à Judæis; quod Evangelista non tacuisset. Præterea quamvis Evangelista non dicat stellam per totam viam Magos antecessisse, tamen quia dicit vers. 9 antecessisse eos, postquàm exierunt ex Jerusalem, usque dùm veniens staret supra ubi erat puer; credendum est idem eam ante officium ab Oriente usque in Occidentem præstitisse.

Quo autem modo Magi, visâ stellâ, Christum natum esse cognoverint, difficile dictu est. Auctor Operis Imperfecti historiam apocryphum recitat in stellâ similitudinem pueri fuisse, qui Magos allocutus Christum natum docuerit, et ut eum adoraturi profecisccrentur, imperavit. Alii naturali astrorum scientiâ eos conjecisse, quod videntur Priscillianistæ existimâsse sæpè de hâc re ab Augustino, Chrysostomo, Leone, et Gregorio reprehensi. Enimverò certum est naturali scientiâ non solùm Deum, sed ne hominem quidem ullum natum esse cognosci posse. Reliquum ergo est, ut revelatione cognoverint. Quo autem modo, aut quando ea facta sit, de eo dubitatur. Hieron., in caput Isaiæ 19, per dæmones factam putat. Idemque scripsisse lib. 1 contra Celsum videtur Origenes: qui sicut alia, sic etiam hoc adjurati Magos docuerint, quid stella significaret. Nec improbabile omninò est voluisse Deum filii sui ortum per dæmones declarari, cùm videamus eos Christum negantibus Judæis confiteri, Matth. 8, 29, et consentaneum videbatur, ut pastores, qui cœlum perpetuò contuebantur, per angelos à cœlo; Magi, qui ab inferno scientiam hauriebant, ab inferno per dæmones docerentur. Alii per angelos factam malunt, ut August., serm. de Epiph. Alii intrinsecùs à Deo hoc mysterium eorum animis inspirando, ut Leo, serm. 1 de Epiph., quod et Augustinus videtur approbare, serm. 34 de Tempore. Constantissima verò omnium ferè veterum auctorum opinio est Magos ex prophetiâ Balaam jam diù cognovisse Christo nascente stellam oriturum, Num. 24, 17. *Orietur stella ex Jacob*. Magos enim aut posteros fuisse Balaam, aut ex ejus posteris qui vicini fuerint, eam Prophetiam traditionemque accepisse; Origenes, hom. 13, in Num.; Ambros., lib. 2 in Lucam, c. 2; Chrysost., hom. 1 in varios Evangelistas; Epiphanius in Epitome; Basilius, hom. de humanâ Christi Generat.; Auctor Imperfecti, hom. 2; Hieronym., hoc loco. Quod ego et propter tot tantorumque testium auctoritatem, et propter verisimilitudinem valdè probabile judico. Videnturque Magi, cùm dicunt: *Vidimus stellam ejus in Oriente*; ita loqui quasi de re, quæ Judæis nota esset, existimantes Judæos eam prophetiam, quam ipsi Gentiles scirent, ignorare non posse. Non enim dicunt: *Vidimus stellam quamdam in Occidente*; sed *vidimus stellam ejus*, quia de illâ loquebantur, quam omnes sciebant nascente Christo apparituram; quemadmodùm si quis nunc diceret: Antichristus venit, et ut Andreas Petro fratri suo dixit: *Invenimus Messiam*, Joan. 1, 45. Auget probabilitatem, quòd Herodes crediderit per eam stellam natum significari Christum, quasi id vulgo notum esset. Nec enim rogat principes sacerdotum, an Christo nascente stella apparitura sit, sed ubi Christus sit nasciturus. Quod autem quidam objiciunt in illâ prophetiâ Balaam stellam Christum ipsum appellari, cùm ex Jacob dicatur oritura; non nego. Sed novum non est, ut unum verbum præsertim in prophetiis, et Christum et Christi figuram significet, ut infra, vers. 15: *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Illud certum esse arbitror, Magos præter stellam, aliquam, sive per hanc prophetiam, sive aliundè, divinam revelationem habuisse, asseverantur enim, et tanquàm à Deo docti loquuntur: *Ubi est qui natus est rex Judæorum?*

Postrema quæstio erat: Cur Deus Magos per stellam docuerit? non est difficilis conjectura; et Gregorius docuit voluisse Deum accommodatè ad eorum scientiam eos erudire; ut qui in stellarum observatione versabantur, ex stellis Christum cognoscerent. Omnibus in rebus et quærere et invenire possumus Deum.

Et venimus adorare eum. Qui hoc loco non aliam quàm urbanitatis adorationem intelligunt, animis mihi videntur urbani. Cur enim tot alios Judæorum natos reges nemo peregrè adoraturus venit, ut Athanasius in lib. de Incarnatione argumentatur? Quomodò in stabulo, et in præsepi jacentem adorant; si nihil nisi hominem cogitant? Quomodò Herodes se quoque adoraturum dicit? Frustra profectò Deus tam inusitato eos miraculo docuisset, ut solum hominem, non etiam Deum adorarent.

Vers. 4. — Et congregans omnes principes. Unum tantùm fuisse principem sacerdotum ex multis locis perspicuum est Matth. 26, 59, 61, usque: ad vers. 65; Marci 1, 44, et 2, 26; Lucæ 22, 50, 54; Act. 4, 6, et 5, 17, 21, 27, et 7, 1, et 9, 1, et 22, 5, et 23, 2, et 24, 1. Itaque meritò quæritur, quo sensu, quasi multi fuerint, principes sacerdotum appellentur. Quo non hoc tantùm loco, sed multis etiam aliis fieri assentia est ante diem purificationis Magos Jesum adorâsse, cùm ex veteri Ecclesiæ traditione dies sextus januarii huic manifestationi sit consecratus, neque ii è Perside, sed ex Arabiâ, quæ est ad ortum hiberni Palestinæ habitâ ratione, advenerint. Quanquam fateor non satis firmum hinc duci argumentum, eos ante diem purificationis venisse, quòd diem Epiphaniæ sexto januarii Ecclesia Latina ante 1500 annos concelebret. Nam in Oriente festum nativitatis Domini, et manifestationum, et mysteria pene omnia quæ ad Christi infantiam pertinent, Baptisma quoque ejus eodem die celebrabant, teste Cassiano, collat. 10.

Nunc etiam die 25 decembris Epiphaniam cum Nativitate conjungunt. Ecclesia quidem Latina ab initio saltem quinti seculi Epiphaniam diei sexto januarii affixit, eui et Baptisma Christi, et miraculum in Cana Galilææ factum adjunxit. Sic Innocentes die 28 decembris occisi non sunt, tametsi is dies eorum martyrio consecratur. Probabilius itaque videtur paucis ante purificationem diebus Magos advenisse.

Vers. 4. — Et congregans omnes principes sacerdotum; viginti quatuor familiarum sacerdotalium principes qui primi erant inter sacerdotes

madvertimus, ut Matth. 16, 21, et 20, 18 et 21, 15, 23, 45. Sunt qui dicant principes sacerdotum appellari omnes, qui summi aliquando fuissent sacerdotes; erant enim annui et venales, Joan. 11, 49, et 18, 13, ex quo Pompeius urbem expugnaverat, et vestem sacerdotalem in suam, populique Romani potestatem redegerat, ut Josephus scribit, lib. 18 Ant. c. 6, et Eusebius, lib. 1 Hist. eccles., c. 6. Ita Chrysost. et Euthym., infra, c. 26, 5, et Theophylact. interpretantur Marcum 14, quorum opinio inde refellitur, quòd antequàm annui essent summi sacerdotes, cùm ea dignitas non ante finem vitæ finiretur, plures tamen principes sacerdotum dictos legimus, 2 Par. 36, 14. Unus ergo erat, et multi. Unus summus, qui absolutè princeps sacerdotum, aut pontifex vocabatur. Multi qui erant capita familiarum sacerdotalium, ut apparet, 1 Par. 15, vers. 6, usque ad 12, et c. 24, 6. Vocat ergo Herodes sacerdotes, quia eorum erat officium de lege respondere, Mal. 2, 7, non omnes, quia infinitus fuisset numerus; sed principes, qui et pauciores et doctiores erant; et quia erant ex numero Sanhedrim ordinariorum judicum; et quasi consiliarii, ut intelligitur 1 Par. 25, 4; Matth. 26, 3; Marci 14, 18; Act. 4, 26, et multis aliis locis, ubi sine principibus sacerdotum nullum concilium cogitur.

Et scribas populi. Scribæ propriè erant publici notarii quorum officium erat non solùm publica instrumenta conficere, sed etiam sacras Scripturas incorruptas servare, earumque sensum interpretari, ut constat 4 Reg. 22, 8, 9, 10 et 1 Esdræ, 7, 10, 11, et Matth. 7, 29, et 17, 10, et 23, 2, et 1 Cor. 1, 20. Itaque iidem γραμματεῖς, id est, legis periti vocabantur; Luc. 7, 30, et 11, 46. Non item νομοδιδάσκαλοι legislatores, ut quidàm putant. Horum enim major erat dignitas. Quemadmodùm apud Græcos grammatici primùm dicti sunt, qui litteras nôverant, id est, legere et scribere; deinde qui auctores corrigebant, et interpretabantur; qui in omnibus quæstionibus, quæ de historiis, fabulis, auctorum sensu incidebant, judices erant. Theophylactus: ideò ab Herode etiam vocantur, et quia pars magna concilii erant, Marci 14, 53, et 15, 1; Lucæ 22, 66.

Ubi Christus nasceretur. Hebraismus, id est, ubi nasciturus esset.

Vers. 6. — Et tu Bethleem. Hunc locum dissensio quæ primâ specie magna videtur esse inter Evangelistam atque prophetam, difficilem facit. Quatuor autem rebus videntur dissidere. Quòd evangelista dicat, *et tu, Bethlehem, terra Juda*; Propheta verò, *et tu, Bethlehem Ephratha*; quòd evangelista: *Nequaquàm minima es*; propheta, *minima es ut sis*; quòd evangelista, *ex te exiet dux*; propheta, *ducem non nominat*. Quòd evangelista dicat; *qui regat*, aut, *qui pascat*; propheta *qui dominetur*. Denique evangelista, ut Hieronymus ait, neque cum prophetâ, neque cum Septuaginta ullo modo videtur convenire. Quidam nimis facilè respondent evangelistas memoriâ sæpè lapsos testimonia Scripturarum non aliis tantùm verbis, sed alio etiam, contrarioque sensu recitare, cujus sententiæ magnum auctorem in epistolâ ad Pammachium Hieronymum citant. Evangelistas contrario sensu Scripturas citare dictu impium judico; neque id usquàm Hieronymus dixit. Nam quod ait in epistolâ ad Pammachium de hoc ipso loco agens sensum esse contrarium, non significat totius loci evangelistæ sensum totius loci prophetæ sensui; sed unius verbi evangelistæ sensum unius verbi prophetæ sensui, si per se consideretur, contrarium esse. Nam, *minima es, et non minima es*, per se considerata contraria profectò sunt; ut autem ab evangelistâ et prophetâ dicuntur, non contraria, sed idem sunt, ut paulò post exponemus. Memoriæ autem lapsum, qui evangelistis tribuunt, quorum ore Spiritus sanctus loquebatur, etsi rem quasi humanum sit, extenuant, videant an in evangelistis excuset, quod in se si quis excusaret, rideri se putarent. Ego id aut impium etiam esse, aut propè ab impietate abesse arbitror. Cautior Hieronymus, qui sacerdotes potiùs et scribas, quàm evangelistam accusare maluit. Putat enim in commentariis in cap. 3 Michææ, evangelistam non quid propheta dixerit, sed quid sacerdotes et scribæ responderint narrare voluisse, ut Scripturarum in illis ignorantiam notaret. Sed neque credibile est sacerdotes, quantùmvis indoctos, prophetæ verba infideliter recitâsse; præsertim cùm verosimile sit in re tam seriâ librum ipsum in medium protulisse; et evangelista potiùs laudandi, quam reprehendendi causâ videtur eorum responsum recitâsse; ut ex adversariorum etiam sententiâ probaret Christum in Bethlehem fuisse nasciturum. Alii interrogativè locum prophetæ legendum putant; ut idem sit: *An minima es?* apud prophetam; *et nequaquàm minima es* apud evangelistam; quod non esset credibile si probaretur. Alii עֵיר apud prophetam neutro genere positum dicunt, ut sit sensus: Parùm est, ut sis in millibus Juda, id est, maxima es ut sis inter principes Juda, quod evangelista dixit: *Nequaquàm minima es*. Hæc interpretatio cùm mihi ipsi, sicut et illa superior, antequàm apud ullum auctorem legerem, venisset in mentem, vix inventa displicuit; quòd Hebræi non soleant eo sensu dicere, צָעִיר, sed, טָעַם, ut Genes. 30, 15; Isai. 7, 15. Credo ego hujus rei explicationem ex aliâ quæstione pendere, an hæc verba sint sacerdotum

et scribarum an evangelistæ. Nonnulli enim interpretes evangelistæ esse putant, qui haud scio quomodò explicare quæstionem possent; sed eos connexio contextusque verborum videtur redarguere. Sunt ergo sacerdotum verba ab evangelistâ fideliter recitata. Quare sic existimo evangelistam non verba prophetæ; sed sacerdotum scribarumque interpretationem recitare voluisse; quæ ejusmodi fuit: *Et tu, Bethlehem Ephratha*, id est, terra Judæ. Hæc enim Bethlehem olim Ephratha vocata fuerat. Genes. 35, 16, 19, et 48, 7. Quia ergo alia erat Bethlehem in tribu Zabulon, Josue 19, 15, et Jud. 12, 8, quæ Ephratha non cognominabatur, addidit Propheta hoc epithetum, ut hanc Bethlehem, ab illâ distingueret; sacerdotes verò epithetum prophetæ, alio clariore epitheto explicare voluerunt; *Et tu, Bethlehem Ephratha*, id est, quæ es terra Juda, non Zabulon; ut docerent sensum prophetæ esse, non in eâ Bethlehem, quæ erat in tribu Zabulon; sed in eâ quæ in tribu erat Judæ Christum nasciturum. Id enim Herodes magnoperè putabat suâ interesse, ut sciret. Quod autem sequitur: *Minima es ut sis*, sic exposuerunt, quasi propheta ironicè locutus fuisset: Minima quidem videris, si murorum tuorum spectetur ambitus; at nequaquàm minima es: *Ex te enim exiet dux*, etc. *In millibus*, אַלְפֵי, interpretati sunt, in ducibus, id est, inter duces, aut proventu ducum. Nomen enim אלפים utrumque significat et duces, et mille, quia duces mille plerùmque hominibus præerant, inde χιλίαρχοι à Græcis appellati. Fuisse autem populum in chiliadas distributum, et nemo nescit; et Exodi 18, 25, et 1 Par. 23, 4, manifestum est. Quod idem in vetere Græcorum republicâ factum fuisse apud Aristotelem, et Platonem legimus. Dubium autem non est quin propheta non solùm ad ortum futurum Christi prospexerit, sed etiam ad præteritum Davidis alluserit; significans parvum oppidum unum jam præstantissimum ducem Davidem protulisse; alterum verò longè præstantiorem Christum prolaturum; et quia de Christi ducis ortu agebatur, appositè sacerdotes interpretati sunt, *in ducibus Juda*. Quòd autem pro מֹשֵׁל dominetur, interpretati sunt *pascet*, regendi modum declarare voluerunt; futurum significantes ut Christus non in virgâ ferreâ, ut gentes; sed in pedo benigni pastoris, cujus oves essent propriæ, populum suum regeret; simulque, ut opinor, ad Davidem Christi figuram alludunt, qui à pascendis ovibus ad pascendum populum Dei traducus est. *Nam de gregibus ovium assumpsit eum, de post fetantes accepit eum pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam*, Psal. 77, 70, 77, sicut Petrus et Andreas allusione ad præteritum officium piscatores hominum facti dicuntur, Matth. 4, 19. Meliùs tamen mihi noster interpres vertisse videtur, *reget*, quàm alii nonnulli vertunt, *pascet*; quia non vocaverant Christum *pastorem*, sicut reges Homerus vocare solet; sed *ducem*, cum quo meliùs regendi quàm pascendi cohæret verbum. Chrysostomus, et auctor Operis Imperfecti sacerdotes reprehendunt, quod non integrum Prophetæ testimonium produxerint. Sequebatur enim: *Et egressus ejus à diebus æternitatis*, quod illi tacuerunt. Sed non tam malignitate quàm prudentiâ mihi videntur tacuisse, quod ad quæstionem ab Herode propositam: *Ubi Christus nasciturus esset*, nihil attinebat.

Vers. 7. — Clam vocatis magis. Clam vocat, quia Christo insidias parat.

Tempus stellæ, tempus quo apparuerat stella, id est, quo illis tempore primùm cœpisset apparere.

Vers. 10. — Videntes autem stellam. Qui hinc colligunt stellam non fuisse Magis totius ducem viæ, quòd quasi novo nunc ejus officio lætentur; non videntur animadvertere, eâdem ratione probari posse, ne visam quidem illis antea fuisse; quòd ita nunc, quasi ante non vidissent, eâ visâ lætentur. Quod absurdum profectò est. Jam enim dixerant: *Vidimus stellam ejus in Oriente*, vers. 2. Non id ergo, sed illud potiùs colligitur, eam ad tempus, cùm Magi Jerosolymis essent, disparuisse, ut vers. 1, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Augustinum, Bernardum, Theophylactum diximus docuisse. Neque mihi videntur horum verborum sensum penitùs intelligere. Nec enim significat, ut ego quidem arbitror, evangelista, Magos aspectu stellæ, quæ paulò ante evanuisse videbatur, lætos fuisse. Id enim si dicere voluisset, non hoc locò, sed ante dixisset: *Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, et gavisi sunt gaudio magno valdè*; sed significat eos gavisos fuisse videntes stellam (sicut proximè dixerat) stantem supra ubi erat puer. Lætantur enim, non quòd stellam viderint; quam sæpè jam viderant; sed quòd Christum, quem quærebant, invenerint.

Gaudio magno valde, id est, maximo. Notus et frequens Hebraismus, Jer. 24, 3: *Ficus bonas bonas valdè*, id est, optimas; *et ficus malas malas valdè*, id est, pessimas.

Vers. 11. — Et intrantes domum. Quia domum, non stabulum intrâsse dicuntur Magi, nata quæstio est an adhuc in præsepi jacentem Christum invenerint. Epiphanius, hæresi 51, hinc argumentatur Magos duobus post Christum natum annis venisse; quòd non in stabulo ubi natus fuerat, sed in domo eum dicantur invenisse; idemque Theophylactus affirmat. Alii ferè omnes in præsepi à Magis inventum et adoratum fuisse tradunt. Justinus in Tryph., Chrysostom., hom. in Matth. 7, auctor Imperf., hom. 2, August., serm. 1 et 2, de Epiphaniâ. Imò verò Euthymius dubitat, utri priùs Magi an pastores adoraverint, pariterque utrumque putat esse probabile. Quanquàm ego de eo non existimo dubitandum, cùm eâdem nocte, quâ Christus natus est, pastores constet adorâsse, Luc. 2, 11, 16. Magos autem, etsi tertio decimo venerunt die, non jam in præsepi, sed honestiore loco Christum invenisse mihi probabile videtur. Quòd enim in præsepi repositus fuerit, partim mysterio, partim necessitate factum est, quia confluentibus undique in Be-

Vers. 11. — Adoraverunt eum; ergo Christus ubicumque sit, est adorandus, et in Eucharistiâ maximè sub speciebus panis et vini.

Vers. 6. — Et tu Bethleem, etc. Sic locus ille Michææ, 5, 2, profertur à scribis, ut pro Ephratâ posuerint *terra Juda*, et pro *minima es*, *nequaquàm minima es*. Scribæ et Pharisæi explicare maluerunt quod sentit propheta, quàm sensum ejus subobscurum reddere. In Hebræo, et in Septuaginta deest negatio: sic habet propheta: *Et tu, Bethleem Ephrata*, quæ alio nomine vocaris Ephrata, cùm esset altera Bethleem in tribu Zabulon: *Parvulus es*, Matth. 2, *nequaquàm minima es*. Sunt qui ob eam rationem hunc locum à Judæis corruptum velint, alii leguat per interroga-

tionem, *numquid parvula es?* Isidorus, lib. 1 contra Judæos, c. 11. Sic tamen commodè potest explicari, licèt sis exigua civium numero, ex te tamen dux magnus orietur, nec dignitate parva es. In millibus Juda, in oppidis Juda; Matth. 2: *In principibus Juda*, vox Hebræa utroque modo verti potest. Idem est Bethleem esse in principibus, et in millibus exiguam comparatè ad urbes majores, non minimam dignitate, exiguum licèt oppidum, insignem tamen dabis principem. Tribus Judas in exitus 1000 hominum distincta erat.

thlehem descriptionis causâ, qui ex familiâ Davidis genus ducebant, non erat in diversorio, Luc. 2, 7. Mysterio jam erat satisfactum. Necessitatem cessisse credendum est; et Mariam aut Joseph omni diligentiâ commodiorem locum quæsivisse suadet ipsorum pietas. Auctores verò illi superiores concionando fortassè, magis quàm interpretando in præsepi adoratum dixerunt, quòd id et mysterium, et admirationem, et Magorum fidem augere videretur: sed quia illa superior ferè communis est Patrum sententia, non facilè est rejicienda.

Cum Maria matre ejus. Quòd Josephi mentio non fiat, aut casu, quòd fortè domi tunc non esset: aut mysterio factum est, ut Joseph à Magis non inveniretur, ne fortè Christi patrem putarent. Nam pastores puerum cum Joseph et Mariâ dicuntur invenisse, Luc. 2, 16.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Quibus Orientales abundant, quanquàm nolim mysterium excludere, quod omnes hìc veteres auctores tanto consensu cognoverunt, ut regi aurum, Deo thus, homini myrrha data sint. Minùs enim mysterii esse videbatur, quòd mulier illa unguento Christum perfudisset, quod nihilominùs erat apud Orientales usitatum; tamen Christus ad significandam suam sepulturam, de quâ nihil fortassè mulier cogitabat, factum dixit, Matth. 26, 12. Hujus autem mysterii etsi non Christum, quia nihil eum de magis locutum legimus; tamen omnes veteres auctores interpretes habemus, Irenæum, lib. 3, c. 10; Cyprian., serm. de Stellâ et Magis; Origen., lib. 1, contra Celsum; Basil., hom. de humanâ Christi Generatione; Gregorium Nyssen., hom. de Christi Nativitate; Chrysost., hom. 1, in varios Evangelistas; Ambros., lib. 1, de Fide, c. 2; August., serm. 1, de Epiphan., et serm. 37; Hieronym., in Comment.; Juvencum et Sedulium, quorum nota sunt carmina. Solis in sententiis Bernardus cùm totus aliàs mysticus esse soleat et hoc ipsum mysterio tribuat, serm. 2 et 3, de Epiph., nullum hìc mysterium agnoscit; sed aurum paupertati, myrrham consolidandis infantilibus membris, thus loci fœtori mitigando datum putat. An autem singuli singula, an cuncti communiter cuncta obtulerint dona, quod Strabus incertum relinquit, diximus vers. 3. Aliam hìc nonnulli quæstionem movent, quam, ut curiosam, præteriissem, nisi aliquam ad explicandum alium Scripturæ locum lucem afferre posse judicâssem: Quâ in re tantum thesaurum Joseph et Maria consumpserint? Nec enim verosimile est reges qui ex Oriente usque venisse, et thesauros aperuisse dicuntur, parum quiddam obtulisse auri; et videmus tamen Mariam Purificationis die agnum, ut præscriptum in lege erat, emere non potuisse, ideòque par turturum, aut duos pullos columbinos obtulisse; Lucæ 2, 24. Respondeo non constare ex eo loco, utrùm Maria agnum, an par turturum vel duos pullos columbarum obtulerit; tamen quia probabiliter inde colligitur; et ita omnes sentiunt; placet mihi, quod à quibusdam dictum est thesaurum illum Deo fuisse ab illis consecratum. Nam quod alii dicunt ad peregrinationem Ægypti servatum fuisse, ideò minùs credo, quòd et avaritiam redoleat; et quando puer præstatus in templo est, nihildùm de eâ peregrinatione Josephus cogitaverat, quo tempore thesaurum consumptum jam fuisse probavimus.

Vers. 13. — Surge et accipe; ἐγερθεὶς παράλαβε, expergefactus accipe, id est, expergiscere statim, et accipe, ut effectus interpretatur.

Vers. 14. — Qui consurgens; ὁ δὲ ἐγερθείς. Ille verò expergefactus, id est, cùm statim post visum evigilâsset, accepit puerum, et de nocte fugit. Credibile est propè fuisse carnifices, qui puerum quærebant, quando intempestâ nocte fugere jubetur. Fugerunt autem non ex Bethlehem, nec ex Jerusalem; sed ex Nazareth, quæ erat in Galilæâ, ut perspicuum est ex Lucâ, c. 2, 39. Cur autem in Ægyptum, prompta est causa, ut essent extra Herodis imperium. Aliam evangelista reddit, ut impleretur quod dictum fuerat per prophetam Oseæ, 11, 1: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quanquàm ibi non tam causa quàm eventus significatur. Erat Ægyptus in rebus adversis Judæorum confugium. Nam fame olim impulsi in Ægyptum confugerunt, Gen. 46, 6, et bello longè post à Chaldæis vexati, qui ex calamitate reliqui erant, eodem sese contulerunt, 4 Reg. 25, 26. Videtur Ægyptus schola esse filiorum Dei, qui adolescere non possunt, nisi vexentur.

Et erat ibi usque ad obitum Herodis. Quamdiù Christus manserit in Ægypto, aut quo loco, quidve ibi egerit, nec expressit evangelista, nec aliundè certò constare posse arbitror. Qui septem annos fuisse dicunt, auctorem secuti eum, qui Scholasticam, ut vocant, scripsit historiam, non probant. Neque qui tres, ut Nicephorus, lib. 1, c. 14. Omnium ferè sententia est duos fuisse annos; quod Epiphanius, hær. 51, videtur approbare. Res fortassè non ita magni refert, sed si volumus, quod in eâ est probabilissimum, pervestigare, tria nobis principia sequenda sunt; quæ ex evangelistâ facilè probantur. Unum est, hanc fugam eodem anno contigisse, quo Christus à Magis adoratus est; et quidem non multò post adorationem. Hoc enim verba illa significant: *Tunc Herodes videns quòd illusus esset à Magis*, et hæc, vers. 13: *Qui cùm recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph*, quæ quamvis, ut diximus, non significent statim; tamen certè significant non multò post Magorum abitum et Joseph, ut fugeret, admonitum; et Herodem pueros occidere cœpisse. Alterum est, eodem anno, quo Herodes mortuus est, Christum ab Ægypto revertisse. Hoc enim illa indicant verba, vers. 19, 20: *Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum et*

Vers. 12 et 13. — Responso accepto; divinitùs admoniti. Ex Ægypto. Ex Oseæ, c. 11, v. 1, sed juxta alios ex c. 23, v. 22 Numer. sumitur hic locus. Quem locum etsi ad litteram de reditu Israelitarum ex Ægypto interpretari licet, optimè tamen de Christi reditu intelligitur, saltem per allegoriam, cùm sit verus Dei Filius.

matrem ejus, et vade in terram Israel. Tertium est, Magos paucis post natalem Christi diebus advenisse, ut vers. 1, à nobis probatum est. Quibus tribus principiis, etsi alia duo ex profanis addamus historiis, quot annos Herodes regnaverit, et quoto regni ejus anno Christus natus sit, facilè spatium temporis, quo moratus fuerit in Ægypto, reperiemus. Ex his ergo duobus postremis principiis alterum est certum, Herodem triginta septem regnâsse annos, Josepho, lib. 1, de Bello Jud., c. 21, et Eusebio in Chronico certissimis testibus. De altero duobus annis inter se auctores dissentiunt. Nam alii anno quadragesimo primo imperatoris Augusti Christum natum scribunt, ut Irenæus, lib. 3, c. 25, et Tertullian. adversùs Judæos; alii quadragesimo secundo, ut Eusebius, lib. 1 Hist. Eccles., c. 5, et in Chronico, et Epiphanius, hær. 51. Rursùs autem quis annus Augusti in quem Herodis annum inciderit, altero dissident anno. Nam alii quadragesimum primum Augusti, trigesimum primum Herodis, ut Eusebius; alii tricesimum secundum, ut Epiphanius, fuisse dicunt. Si ergo Irenæi et Tertulliani sententiam in eo sequamur, ut dicamus Christum quadragesimo primo Augusti anno natum fuisse; Eusebii verò in eo, ut eum annum tricesimum primum Herodis fuisse credamus, necesse erit Christum in Ægypto sex integros mansisse annos, aut etiam septem, si illum ipsum quo fugit, id est, tricesimum primum Herodis numeremus. Quæ est illa prima, et ut apparet, vetus opinio; si verò Irenæum, et Tertullianum in Augusti, Epiphanium in Herodis sequamur annis, restabunt anni quinque, aut si primum numeremus, sex, quos fuerit Christus in Ægypto: totidemque secundùm Eusebii computationem erunt anni, si eum solum et in Augusti et in Herodis annis sequamur. Sin autem Eusebio in annis Augusti, Epiphanio in annis Herodis credimus, Christus fuit in Ægypto, ut plurimùm quinque, si primum numeremus; ut minimùm quatuor, si primum non numeremus, annos. Itaque hoc tantùm certum est, neque plures septem, neque pauciores quatuor in Ægypto annos commorari potuisse. Quare opinio illa vulgaris, per duos; et altera illa Nicephori per tres in Ægypto fuisse annos, nihil habet prorsùs probabilitatis; nisi dicamus Magos duobus annis natum Christum adorâsse, quod vers. 1 refutavimus. In quâ autem urbe Ægypti manserit, quidve ibi egerit, monendum lectorem judico, ut non solùm in inquirendo minimè curiosus, sed etiam in credendo, si quid invenerit, cautus sit. Multa enim de Christi in Ægypto miraculis obscuris vulgò auctoribus circumferri video, quæ haud scio, an ex Alcorano Mahumeti, manaverint, ubi eadem inter fabulas lego; et non decet Christianos à Mahumeto spurrissimo, et mendacissimo auctore Christi discere miracula. Evangelistam habemus Joannem, qui Christum affirmat primum in Canâ Galilææ, conversâ in vinum aquâ, miraculum edidisse, c. 2, 11. Quod etsi scio ad ea, quæ post reditum ab Ægypto fecit, posse restringi; tamen cùm nihil sit, quod restringi cogat, multò est probabilius universè intelligendum esse, quod universè dictum est. Nec volo, cùm hæc dico, bonis auctoribus fidem abrogare; qui Christo in Ægyptum ingrediente idola corruisse tradunt, ut Hieronymus in c. 19 refert, nec rejicit; quodque tam multi dixerunt, ut meritò traditio videri possit, Palladius in Lausiacâ Histor. Credatur sanè Sozomeno, lib. 5, c. 20, veterem famam referenti, Christo infanti Hermopolim Ægypti urbem ingredienti præcelsam arborem acclinatam; Mahumeto tamen, et nescio cui de infantiâ Salvatoris libro toties ab Hieronymo aliisque Patribus repudiato, ne credatur.

Vers. 15. — Ut adimpleretur. *Ut*, hoc loco non videtur mihi causam, sed eventum significare; quod Chrysostomus et Damascenus multis locis fieri observaverunt, ut infra, c. 3, 16; Joan. 9, 39, 1 Cor. 11, 19. Nec enim propterea fugit in Ægyptum, ut prophetia adimpleretur; sed cùm vitandi Herodis causâ eò fugisset, factum est ut prophetia propriè impleri videretur. Quæ phrasis, quia frequentissimè occurrit, explicanda semel est. מלא πληρῶσαι implere prophetiam est fieri, quod per prophetam prædictum est, phrasi propriâ quidem Scripturarum, sed minimè, ut quidam putant, barbarâ. Nam et Cicero implere, quod professus sis, dicit; et promissa complere, et compleri rem, ad exitumque perduci. Quæ omnia eodem sensu, quo in sacris Litteris prophetias impleri, manifestum est dici. Dicitur autem prophetia, quantùm equidem observare potui, quatuor modis impleri. Primùm, cùm id ipsum fit, de quo propriè et literali, ut dicitur sensu intelligebatur, sicut, c. 1, 22, Matthæus dixit impletam in Mariâ Isaiæ prophetiam fuisse: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Secundò, cùm fit non id de quo propriè intelligebatur prophetia; sed id quod per illud significabatur, ut 2, Reg. 7, 14: *Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium*; quod propriè de Salomone dictum esse perspicuum est. D. tamen Paulus de Christo, cujus Salomon figura erat, interpretatur Hebræor. 1, 6, quasi in eo impletum esset, et quod, Exod. 12, 46, dictum est: *Os non comminuetis ex eo*, certum est intelligi de agno; tamen Joannes, c. 19, 36, in Christo, qui per agnum significabatur, impletum dicit. Tertiò, cùm nec id fit de quo propriè intelligitur prophetia, nec id quod per illud significatur; sed quod illi simile est, et omninò ejusmodi, ut prophetia non minùs aptè de eo, quàm de quo dicta est, dici potuisse videatur. Nam *Populus hic labiis me honorat*, de Judæis qui tempore Isaiæ erant, Deus dixerat Isai. 29, 13. Christus autem in iis, qui suo erant tempore, impletum significat Matth. 15, 7, 8. Simile est exemplum Matth. 13, 14, et Act. 28, 26. Quartò cùm id ipsum, quod per prophetiam, aut Scripturam dictum erat, quamvis jam factum fuerit, tamen magis ac magis fit. Tunc enim Scriptura impleri dicitur, id est, quod per eam dictum erat, cumulatissimè fieri. Observamus enim in Scripturis sæpè fieri dici non solùm, quod fieri incipit, sed quod magis ac magis fit; sicut Joan. 2, 11, dicuntur discipuli Christi viso miraculo aquæ in vinum conversæ credidisse, quia magis ac

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

magis crediderunt; nam jam certè ante crediderant. Quemadmodùm locum difficillimum Jacob. 2, 25, sumus Deo volente explicaturi. Illa ergo Osee, cap. 11, 1, prophetia *ex Ægypto vocavi filium meum*, propriè de populo Israel, quem Deus filium primogenitum suum appellare solet, Exod. 4, 22, intelligebatur, ut ex verbis prophetæ manifestum est: *Quia puer Israel, et dilexi eum, et ex Ægypto vocavi filium meum.* Dicitur autem nunc impleta secundo ac tertio modo. Nam et populus ille in Ægypto exulans Christi ibidem exulaturi figura dici potest, sicut nunc corpus mysticum Ecclesiæ corporis naturalis Christi figura est; et Christus populo in eo est similis, quòd uterque Dei filius appellatur. Significat autem evangelista illam prophetiam propriè ac perfectè in populo, qui propriè filius non erat, impleri non potuisse; in Christo autem, qui propriè et naturaliter filius erat, perfectissimè impletam esse; quemadmodùm si quis diceret illa verba, 2 Reg. 7, 14: *Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium*, propriè de Salomone, qui propriè non erat filius, dicta non esse; de Christo autem proprio et naturali filio, propriè dicta esse. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; Septuaginta verterunt, τὰ τέκνα αὐτοῦ, filios ejus, aut quia pro בני filium meum legerunt בניו filios ejus unius adjectione litteræ; aut quia sensum magis consentaneum esse judicaverunt, si ita legerent, sicut reverà fuisset, nisi constaret evangelistam legisse בני filium meum. Itaque imperitè Julianus hunc Christianis locum objiciebat, quasi evangelista malâ fide prophetæ testimonium retulisset, non animadvertens evangelistam non Græcam Septuaginta versionem, sed Hebraica prophetæ verba secutum fuisse, Hieronymus in Osee 11.

VERS. 16. — TUNC HERODES. *Tunc*, hoc loco non existimo punctum temporis significare, quasi statim, ut Magi discesserunt, infantes occiderit. Nam inter Magorum discessum, et puerorum cædem aliquantùm intercessisse temporis necesse est; et quia vicesimo septimo post adorationem die Christus est in templo Jerosolymæ repræsentatus, Lucæ 2, 22, et quia post aliquandiù mansit in Nazareth, Lucæ 2, 39, et quia credibile est Herodem, quamvis cruentum et crudelem tyrannum, priùs tentâsse, an Christum invenire posset, ut solum occideret, quàm omnes infantes trucidaret: quod se sine magno totius populi in se odio facere non posse non ignorabat; cùm ex Josepho intelligamus eum omnibus modis gratiam populi venari solitum, ne tanquàm peregrinus de regno deturbaretur. Quæsito igitur priùs Christo, nec invento, ne unus evaderet, omnes invadit, quod sine aliquanto tempore fieri non potuit.

ET MITTENS, Hebraismus בשלח; solent Hebræi uti verbo שלח et Græci ἀποστέλλειν absolutè non expressâ, sed intellectâ personâ patiente; quod Latini aut nunquàm, aut raró admodùm faciunt. Eà phrasi usus est hoc loco evangelista, *mittens*, sub., carnifices, ut infra c. 14, 10: *Misitque, et decollavit Joannem in carcere*, sicut Hispani simili phrasi dicunt: *Embio acortar la cabeça*, et c. 27, 19: *Misit ad eum uxor ejus dicens, nihil tibi et justo illi;* Psal. 56, 4: *Misit de cœlo et liberavit me*, sub *angelos*, et Psal. 104, 19: *Misit rex, et solvit eum princeps populorum, et dimisit eum.* Similia sunt exempla Marci 3, 31, et 6, 17.

A BIMATU ET INFRA. Locus propter obscuritatem historiæ, et propter opinionum varietatem difficilis. Quidam dixerunt duobus post Christi natalem annis venisse Magos, ideòque Herodem bimos infantes occidisse. Alii uno anno aut circiter altero post, Magos venisse. Qui omnes, si veræ de stellâ et Magorum adventu eorum essent opiniones, facillimè sese expedirent ex hoc loco; sed eas vers. 1 et 2, refutavimus. Alii non statim Herodem post Magorum discessum, sed duobus annis post, infantes occidisse; eo enim tempore vocatum fuisse Romam, ut de morte filiorum causam diceret. Sed ii etiam et contextu verborum evangelistæ, quæ non tam longum patiuntur spatium, et historiâ refelluntur. Apparet enim ex Chronico Eusebii eum ante quinque annos filios suos occidisse. Nobis verò, qui neque stellam ante natalem Christi apparuisse, nec Magos multis post diebus venisse credimus, non licet istis fugere diverticulis. Valdè mihi Strabi et Euthymii placet interpretatio, quam et nonnullis nostro tempore viris doctis placuisse gaudeo, Herodem ad illud tempus, quod exquisierat à Magis, duos præterea adjecisse annos. Itaque illa verba: *Secundùm tempus, quod exquisierat à Magis*, non significant occisos esse omnes pueros, qui nati essent duobus annis postquàm stella Magis apparuisset; sed eos, qui nati essent duobus antequàm appareret annis. Dices cur duobus annis ante, non duobus post? Respondeo primùm quia non erant duo anni post; sed pauci admodùm dies, ut vers. 1 ac 2, probatum est. Deinde quia Magi, ut vers. 2, diximus, non nasciturum; sed jam natum esse Christum affirmaverant; at quanto ante tempore natus esset, neque affirmaverant, neque fortassè sciebant. Stella enim jam natum, non quando natus esset, significabat. Voluit ergo Herodes cautionis et securitatis causa omnes, qui duobus annis antequàm stella apparuisset, nati essent, occidere; sicut non solùm eos qui in Bethlehem ubi Christum sacerdotes nasciturum dixerant, sed etiam omnes, qui in omnibus finibus ejus nati essent, occidit, et non solùm loco, sed etiam tempore plus quàm necesse erat, crudelitatem extendit, et ne fortè erraret, errorem auxit.

VERS. 17. — TUNC ADIMPLETUM EST. Eodem modo hæc prophetia tunc impleta fuisse dicitur, quo illa Osee vers. 15:

VERS. 18. — VOX IN RAMA AUDITA EST. Hic locus in commentariis in Jeremiam copiosiùs tractatur, summam hùc transferemus. Hebræi de abductione duarum tribuum Judæ et Benjamin interpretantur, 4 Reg. 24, 10, et 25, 4. Nec dubium est ex circumstantiis Jeremiæ, quin de illis intelligatur, et per Rachelem tota regio duarum tribuum significetur duplici metonymiâ, altera quâ per personam locus, altera quâ per unam urbem tota regio intelligitur. Rachelem in Bethlehem fuisse sepultam, Genes. 35, 19, scriptum est. Unde factum, ut per Rachelem Bethlehem intelligatur. Cur autem non simpliciter dixerit, Bethlehem plorans filios suos; sed Rachelem, quæ jam mortua erat, maluerit appellare, cùm mortui plorare non soleant, causam esse arbitror quòd Rachel femina fuerit, feminarum autem est in ejusmodi plorare calamitatibus. Nescio etiam an propheta ad ejus partum alluserit. Maximo enim cum dolore Benjamin peperisse dicitur, Genes. 35, 18, et solent matres eos filios amissos magis flere, quos majore cum dolore pepererunt. Illud etiam, quod admirabile videri potest, Rachelem jam mortuam plorantem induci, non solùm elegans, sed magni quoque affectûs et significationis plenum est. Indicat enim, nisi me conjectura fallit, eâ re propheta tantam futuram calamitatem, ut ne una quidem mulier superstes sit, quæ plorare possit, et necesse sit ad plorandum ipsos quoque mortuos excitare. Videmus in tragœdiis simile quiddam fieri, cùm mortuorum manes, aut eversarum urbium umbræ lamentantes inducuntur. At cur per fletum Rachelis Judaici regni casus significatur, cùm Rachel non Judæ, sed Benjamin, Gen. 35, 18, mater fuerit. Quia regni caput erat Jerusalem dicta priùs Jebus, quæ in tribu erat Benjamin, Josue 18, 28; 1 Paralip. 11, 4. Quod ergo tunc propheta de captivitate dixit, Matthæus ad cædem infantum accommodavit indicans illam prophetiam, quamvis de infantibus dicta non fuerit, multò tamen aptiùs de illis, quàm de captivis Judæis dici potuisse. Et quia illi viri, hi infantes; illi meriti, hi immerentes innocentesque; illi capti, hi crudeliter trucidati sunt; illi Judæi, hi propriè Bethlehemitæ erant, ut meritò Rachel, id est, Bethlehem magis hos quàm illos plorare debeat. Ploratus autem vehemens et gravis significatur, et accumulatione verborum *lamentatio et ploratus*, *et ejulatio*. Quanquàm noster interpres duo tantùm legit, meliùs ut opinor, quia apud prophetam duo tantùm sunt נהי בכי nisi dicamus evangelistam hoc loco Septuaginta interpretes secutum esse, qui duo Hebraica nomina his tribus, quæ recitavimus, Græcis reddiderunt; et epitheti additione *multus*, id est, magnus, quod Hebraicè est *amari*. Sensus tamen est idem. Nam et Latinè dicimus amarè, id est, multùm flere; et loco, ubi flebilis clamor auditus sit, *in Rama*, in cujus explicatione nominis, putant aliqui nomen appellationis esse, non proprium, quod Hebraicè excelsum significat, quasi dicat vocem usque; ad cœlos pervenisse, et ut Juvencus Christianus poeta dixit:

Horrendis graviter cœlum pulsâsse querelis.

Ipse quoque apud Jeremiam Hieronymus ita vertit. Sed multis mihi rationibus persuadeo nomen esse proprium, primùm quòd potiùs propheta Hebraicè dixisset ברום aut במרום quàm ברמה, ut Isaias in simili sententiâ dixit, c. 58, 4, et David, Psal. 92, 4. Deinde quia et Chaldæus paraphrastes, et Septuaginta interpretes nomen proprium fecerunt. Postremò quia quisquis Evangelium Matthæi ex Hebræo in Græcum sermonem vertit; itemque Latinus noster interpres, si nomen proprium esse non existimâssent, non ipsum Hebraicum nomen integrum reliquissent; sed uterque suâ linguâ resolvisset: ille ἐν τῷ ὑψίστῳ aut ἐν τοῖς ὑψίστοις, hic, *in excelsis*, ut Marci 11, 10. Nemo negat Rama nomen esse urbis, sed quia nec est in tribu Judâ, nec propè Bethlehem; sed in tribu Benjamin, et juxta Gabaon, Josue 18, 25, et Jud. 4, 5, et 19, 13, non putârunt interpretes de eâ loqui posse prophetam. Ego verò propterea existimo prophetam eam urbem nominâsse, quòd non in tribu Judâ, sed in tribu esset Benjamin, voluit enim significare luctum utrique tribui communem futurum fuisse, quia utraque tribus in captivitatem ducenda erat, ideòque unam urbem Bethlehem ex Judâ; alteram ex Benjamin Rama nominavit. Quod autem objicitur Rama à Bethlehem longè distare, ut fingamus ita esse, tamen cœlum longiùs certè distabat, et tamen omnes interpretantur ploratum Rachelis ad cœlum usque pervenisse. Præterquàm quòd Rama non ita longè à Bethlehem distare potuit; cùm constet Bethlehem à Jerusalem non longè distare, et Rama adeò vicina Jerosolymæ fuerit, ut vir ille Levita asinis et uxore impeditus potuerit, à Jerosolymâ occidente penè sole profectus, Rama ante noctem pervenire, Jud. 19, 10, 3. Imò non aliâ opus est conjecturâ, quàm quòd idem ille adeò impeditus et benè pransus inclinato jam ad vesperum die profectus ex Bethlehem Rama potuerit pervenire, ut ex eodem loco constat, vers. 1, 9, 13. Cur ergo propheta Rama potiùs quàm aliam urbem nominavit? quia, ut ex eodem loco perspicuum est, Rama in confinio tribûs Benjamin et Judæ erat, et voluit propheta significare planctum Judæ adeò futurum magnum, ut usque ad tribum Benjamin exaudiretur. Nescio etiam an propheta sitûs et nominis ejus urbis rationem habuerit. Credibile tamen est eam in excelso fuisse loco, unde et nomen fortassis acceperat.

VERS. 16. — SECUNDUM TEMPUS; ex ipso tempore quo visa est stella, Herodes constituit occidere infantes à bimatu et infra, ne fortè is quem timebat, ante hoc tempus à Magis indicatum illius sævitiam eluderet: non autem post tempus visæ stellæ editos jussi occidi: id enim erat prorsùs inutile.

VERS. 18. — VOX IN RAMA AUDITA EST; Jerem. 31. Rama urbs erat in excelso loco posita in finibus Benjamin. Rachel mater Benjamin sepulta fuit in viâ quæ ducit Bethlehem paucis milliaribus ab urbe Ramâ. Per hanc urbem in tribu Benjamin sitam ductus est populus in captivitatem Babylonicam, tumque eam urbem ululatus captivorum implevit. Unde hæc prophetia ex parte impleta est tempore Nabuchodonosoris, sed ultimum habuit complementum in ipso infanticidio. Macrob. l. 2 Saturnal., cap. 4: *Cùm audisset*, inquit, *Augustus inter pueros quos in Syriâ Herodes ex Judæorum intra bimatum jussit occidi, filium quoque ejus occisum*, ait: *Melius est Herodis porcum esse quàm filium.* Non quòd Antipater Herodis filius unà cum innocentibus occisus fuerit: sed Augustus illius necem simul accepit cum infanticidio, ac jam alios ejus liberos neci datos noverat. Josephus hujus nefarii sceleris nullam facit mentionem, quòd fortè id parvi duxerit, infantes illius urbis occisos fuisse; vel quòd Nicolaus Damascenus qui Herodi erat ab intimis, eam necem silentio prætermiserit.

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
DIRECCION GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Quia non sunt. Hic etiam evangelista, aut ejus Græcus interpres non Hebraica prophetæ verba, sed Septuaginta versionem secutus est. Propheta enim dixerat כי אינו, *quia non est*, id est, quia nemo eorum remanserat, omnibus aut occisis, aut in captivitatem ductis. Septuaginta verò, quia plurali numero filios suos propheta dixerat, obscuritatem fugientes plurali etiam numero verterunt ὅτι οὐκ εἰσί, quod multis aliis locis eos fecisse animadvertimus. Est autem Hebraismus, quo significatur eos qui antea fuerint, penitùs sic subitò mortuos, ut evanuisse derepentè videantur, ut Genes. 5, 24, de Enoch dictum est, *et non fuit*, id est, non apparuit ultra, *quia transtulit eum Dominus*, et Psal. 36, 36 : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi* (aut potiùs transivit) *et ecce non erat*; significatur ergo hoc loco Judæos Babylonem, infantes in sinum Abrahæ translatos esse. Incredibili enim consensu omnes veteres auctores hos infantes verè martyres faciunt. Nam etsi nec baptizati, nec spontè liberâque voluntate pro Christo mortui sunt; suo tamen fuisse sanguine baptizatos et quod in infantium baptismate aliena fides facit, hoc in his perversam tyranni voluntatem pro Christo eos occidentis effecisse, quantùmque ipsi obfuit; tantùm illis Herodis crudelitatem profuisse, Iren. lib. 3, c. 8; Justinus, q. 13 ad Orthod. Cyprian., lib. 4, epist. 6; Origen., hom. in Matth.; Hilarius in Comment.; Chrysost., hom. 2, in varios Evangelist.; Eusebius, Emissen., August., lib. 3 de Expositione symb., c. 4, et lib. 13 de Civitate, c. 7. Prudentius in hymno de Epiphania, Fulgentius, de Epiph., et lib. 1 de Fide ad Petrum, c. 3 et 39; Leo, serm. 1 de Epiphaniâ, Bernardus in serm. de Innocentibus, et hom. in Cantica 66.

Vers. 19. — Defuncto autem Herode. Quo morbo extinctus fuerit, scribit Josephus, lib. 17 Ant., c. 8, et lib. 1 de Bello Jud., c. 21, et Hegesippus, lib. 1, c. 45, et Eusebius, lib. 1 Hist. eccles., 1, 8, qui et illud addit ob nefariam cædem infantûm tam infami genere morbi fuisse confectum.

Vers. 20. — Surge et accipe. Vide vers. 13.

Defuncti sunt enim. Syllepsis est, quâ de uno loquens utitur numero plurium. Unus Herodes mortuus erat, sed multi carnifices ejus jussu quærebant animam pueri. Animam ab Hebræis pro vitâ poni, notius est quam ut quisquam possit ignorare.

Vers. 22. — Audiens autem quod Archelaus regnaret. Novem Herodes uxores habuit. Ex duabus, altera consobrina, altera fratris filia, nullos suscepit filios. Ex aliis novem filios procreavit, Alexandrum, Aristobulum, Antipatrum, Herodem, Antipam, qui et ipse postea Herodis cognomentum accepit, Archelaum, Herodem alterum, Philippum, Phasellum, filias tres, Roxanem, Salomem, et Olympiadem, Josephus, lib. 17, Ant., c. 1, et lib. 18, c. 7, et lib. 1 de Bello Judaico, c. 18. Ex filiis duos primos strangulaverat, lib. 16 Ant., c. 17, et lib. 1 de Bello Judaico, c. 17. Tertium Antipatrum quinque ante mortem suam diebus occidit, lib. 17 Ant., c. 9. Alii mortui erant. Tres patri Herodi superstites fuerunt : Archelaus, Antipas et Philippus. Duo autem testamenta Herodes fecerat. In priore Antipam regni hæredem scripserat : in posteriore mutatâ subitò voluntate Archelaum Judææ regem; Antipam Galilææ et Peræææ tetrarcham; Philippum tetrarcham Trachonitidis, Gaulanitidis, Batanææ, et Paneadis regionis. Eâ tamen conditione, ut nec Archelaus regis nomen assumeret, nec quidquam quod testamento mandâsset nisi approbante Cæsare ratum esset, Joseph., lib. 17 Ant., c. 10, et lib. 1 de Bello Jud., c. 21. Quamvis autem Cæsar Archelao regis nomen dare noluerit, sed Ethnarcham cum Judææ, Idumææ et Samariæ fecerit, lib. 17 Ant., c. 13, tamen quia regiâ utebatur potestate, et milites eum statim post mortem patris regem conclamârunt, lib. 17 Ant., c. 10, rex vulgò dicebatur, quam appellationem hoc loco Evangelista usurpavit. Mirum autem videri potest, cur Joseph tanquam rem novam existimaverit, quòd audierit Archelaum regnare, ideòque timuerit in Judæam venire; cùm auditâ Herodis morte facilè credere debuisset aliquem ejus in regnum filium successisse. Respondeo esse credibile Joseph existimâsse, aut neminem fuisse successurum, cùm regnum nullo ab Herode jure fuisset occupatum, aut Antipam successurum quem priore testamento regem pater designaverat; quemque mitioris esse sciebat ingenii. Nam hæc una potest esse causa, cur in Galilæam, ubi ille dominabatur, ab angelo divertere jubetur. Etsi altera est certior, quòd cùm de rege Judæorum Christo ageretur, plus ab Archelao rege, quam ab Antipâ Tetrarchâ timendum erat. Hæreticus interpres (Calvinus, in Harmoniâ) Philippum placidissimi hominem ingenii Galilææ tetrarcham imperito errore facit. Sed cui licet facere ministros, cur tetrarchas facere non liceat?

Vers. 23. — Ut adimpleretur. Hoc testimonium nusquàm in sacris Litteris iisdem verbis reperitur. Quæ res occasionem interpretibus varias quærendi interpretationes præbuit. Chrysostomus, hom. 9; Theophylactus et Euthymius nullum ex iis, qui nunc exstent, sed aliquem ex iis qui perierint prophetam citari dicunt, qualis fuit Nathan et Esdræ prophetia, et aliorum, quorum scripta, et Chrysostomus et Athanasius in Synopsi, et ipsa periisse docent. At difficile creditu est prophetias, quæ non exstarent, Evangelistam sine

Vers. 20. — Defuncti sunt enim. Numerus pluralis pro singulari, quæ est enallage numeri.

Vers. 23. — Nazaræus vocabitur. Vox in Scripturis usitata Deo consecratum et à seculo secretum significat : utrumque Christo optimè convenit. Quod dictum est per prophetas, per unum è prophetis formâ loquendi usitatâ, Joan. 6, 45 : *Est scriptum in prophetis, erunt omnes docibiles Dei*, Isaiæ 54. Sic Act. 13, 40 : *Dictum est in prophetis, videte contemptores*, Habacuc, 1, 5 : *Nazarenus vocabitur*, ad Isaiæ cap. 11, alludit, *et flos de radice ejus ascendet*, Hebraicè *Nezer*. Christus *flos ille* fuit qui virtutum et doctrinæ suæ odore totum implevit orbem. In Syriacâ versione *dictum est per prophetam*; quamvis Scriptura sæpè numerum pluralem pro singulari usurpet. Vox etiam *Nazaræus* de Christo ab ipsâ urbe *Nazareth* ducitur. Antiqui *Nazaræi* à verbo *Nazar*, hoc est, separare, dicti sunt.

ullâ, ut videtur, necessitate citâsse, quamvis à Judâ prophetiam Enoch, quæ non exstet, aliâ prorsùs occasione citari videamus. Alii putant Evangelistam proferre testimonium ex prophetiis quæ exstarent quidem tunc, sed in canone ecclesiastico non essent, ut auctor Operis Imperfecti. Alii citari prophetas, id est, Prophetarum interpretes, qui ex canonicis prophetiis, licèt expressum non esset; hunc tamen sensum elicerent fore ut Christus Nazaræus appellaretur; tria prophetarum fuisse genera, alios quibus semper Spiritus sanctus adesset, quales majores fuerint; alios quibus non semper quidem, sed sæpè tamen adesset, quales minores; alios qui prophetæ dicerentur, non quòd futura prædicerent, sed quòd, quæ à prophetis dicta essent, Spiritu Dei interpretarentur, qui in vetere Testamento filii prophetarum, 3 Reg. 20, 35, et 4 Reg. 2, 3, 5, 7, 15, et 4, 38, et 5, 22, et 6, 1, et 9, 1, in novo prophetæ etiam appellentur, 1 Cor. 12, 28, et 14, 29, 32, 37. Quæ in hâc sententiâ de triplici prophetarum genere dicuntur, nunc in quæstionem adhibere non vocat. Illud tamen dico mihi hos interpretes non probare evangelistam de hujusmodi tertianis prophetis loqui, quorum testimonium nemo unquàm produxerit apostolorum. Alii librum Judicum, c. 13, 7, citari putant, ubi dicitur : *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantiâ suâ*, quod quamvis de Samsone dictum sit, tamen in Christo, cujus Samson figura erat, evangelista impletum esse dicat, sicut cæteras prophetias, vers. 13 et 14, ideòque non dixisse, *per prophetam*, sed, *per prophetas*, quòd liber ille non ab uno, sed à multis sibi aliis post alios succedentibus prophetis scriptus sit. Repugnat huic interpretationi, quòd Christus non sit dictus Nazaræus, ut Samson, sed Natzaræus aut Natsaræus, ut et ex crucis titulo, et ex veterum Hebræorum commentariis apparet. Alii ad Isaiam referunt, c. 11, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*. Hebr. *natsar, germen, surculus*, unde nomen Natsaræus dictum sit. Quam sententiam Hieronymus, et auctor Operis Imperfecti probabilem putant. Alii nullum ex uno, sed unum ex omnibus prophetis testimonium afferri; omnes enim prophetas Christum sanctum, imò Sanctum sanctorum appellare Daniel, 9, 24, quod nomen *Nazaræus*, id est, separatus, Deoque consecratus, significat. In quâ tandem sententiâ Hieronymus conquiescit. Ego, si quid tamen meum valet judicium, sic existimo voluisse evangelistam odium hujus nominis in honorem convertere, et unde Christus ridebatur, inde probare verum illum esse Messiam. Vocabatur Christus à Judæis per contemptum Nazaræus, sicut olim omnes Christianos à gentilibus eodem contemptu vocatos fuisse constat; sicut et hodiè *Natsaræi* ab Hebræis, appellantur, idque multos impediebat, quominùs eum Messiam esse crederent : *Numquid à Nazareth potest aliquid boni esse?* Joan. 1, 46. *Et numquid à Galilæâ venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David?* Joan. 7, 41, 42, et rursùm : *Numquid et tu Galilæus es? scrutare Scripturas, et vide quia à Galilæâ propheta non surgit*, ibidem, vers. 52, ergo voluit docere evangelista id impedimento esse non debere, quominùs Christus Messias crederetur. Nam etsi Scriptura non ex Nazareth Galilææ, sed ex Bethlehem Judææ venturum testatur, Christum tamen non vocari Nazaræum, quòd in Nazareth natus esset, sed quòd in eâ habitaverit, natum enim fuisse, ut antea dixerat, in Bethlehem Juda : quin potiùs nomen Nazaræi argumento esse eum esse Messiam, cùm eum Isaias propheta *natsar*, id est, Nazaræum appellaverit. Tres contra hanc interpretationem objectiones occurrunt. Primò, quòd alio sensu Christus apud prophetam *netsar* germen, aut flos; alio à Judæis *Natsari*, Nazaræus ab urbe Nazareth vocatus sit. Respondeo id evangelistam non ignorâsse, sed contentum fuisse docere illud ipsum nomen quod Christo à Judæis per contemptum tribui solebat, à prophetâ illi honoris causâ tributum fuisse; et eorum in ipsos calumniam retorquere. Secunda est, quòd Nazareth non per *tsade*, sed per *zain*, id est, non per *s*, sed per *z*, litteram scribit. *Natsar* autem, id est, Nazaræus, apud Isaiam per *s* scriptum sit. Respondeo Græcos *s* in *z* facilè mutare. Deinde nomen hujus urbis in vetere Testamento scriptum non reperiri, ut inde judicare liceat, quibus Hebraicis litteris scribi debeat. Postremò ex titulo crucis, et ex Hebræorum scriptis manifestum esse hanc urbem ab Hebræis Natsareth vocatam fuisse, cùm inde Christum Natzaræum appellârint; Græcos verò et Latinos asperitatem litteræ fugientes Nazareth et Nazarenum appellâsse. Tertia est, quòd evangelista non dicat dictum esse per prophetam, sed *per prophetas*, quasi fixum, ut ait Hieronymus, de Scripturis testimonium non proferens. Respondeo non esse novum ut, cùm unius tantùm prophetæ testimonium producitur, per prophetas scriptum dicatur. Cujus rei exempla sunt apud hunc ipsum evangelistam, c. 26, 56, e Joan. 6, 45, et Act. 13, 40, et 15, 15. Similemque syllepsim paulò ante observavimus, vers. 20, ubi defuncti esse dicuntur, qui quærebant animam pueri, cùm solus Herodes defunctus significetur.

CAPUT III.

1. In diebus autem illis, venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ.

2. Et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

3. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de

CHAPITRE III.

1. Or, en ce temps là, Jean-Baptiste vint prêcher au désert de Judée.

2. En disant : Faites pénitence, car le royaume des cieux est proche.

3. Car c'est lui dont le prophète Isaïe a parlé, disant : Voix de celui qui crie dans le désert : Préparez la voie du Seigneur; rendez droit ses sentiers.

4. Or, Jean avait un vêtement de poil de chameau,

QUIA NON SUNT. Hic etiam evangelista, aut ejus Græcus interpres non Hebraica prophetæ verba, sed Septuaginta versionem secutus est. Propheta enim dixerat כי איננו, *quia non est*, id est, quia nemo eorum remanserat, omnibus aut occisis, aut in captivitatem ductis. Septuaginta verò, quia plurali numero filios suos propheta dixerat, obscuritatem fugientes plurali etiam numero verterunt ὅτι οὐκ εἰσί, quod multis aliis locis eos fecisse animadvertimus. Est autem Hebraismus, quo significatur eos qui antea fuerint, penitùs se subitò mortuos, ut evanuisse derepentè videantur, ut Genes. 5, 24, de Enoch dictum est, *et non fuit*, id est, non apparuit ultra, *quia transtulit eum Dominus*, et Psal. 36, 36 : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi* (aut potiùs transivit) *et ecce non erat*; significatur ergo hoc loco Judæos Babylonem, infantes in sinum Abrahæ translatos esse. Incredibili enim consensu omnes veteres auctores hos infantes verè martyres faciunt. Nam etsi nec baptizati, nec sponté liberâque voluntate pro Christo mortui sunt; suo tamen fuisse sanguine baptizatos et quod in infantium baptismate aliena fides facit, hoc in his perversam tyranni voluntatem pro Christo eos occidentis effecisse, quantumque ipsi obfuit; tantùm illis Herodis crudelitatem profuisse, Iren. lib. 5, c. 8; Justinus, q. 13 ad Orthod. Cyprian., lib. 4, epist. 6; Origen., hom. in Matth.; Hilarius in Comment.; Chrysost., hom. 2, in varios Evangelist.; Eusebius, Emissen., August., lib. 3 de Expositione symb., c. 4, et lib. 13 de Civitate, c. 7. Prudentius in hymno de Epiphania, Fulgentius, de Epiph., et lib. 1 de Fide ad Petrum, c. 3 et 39; Leo, serm. 1 de Epiphaniâ, Bernardus in serm. de Innocentibus, et hom. in Cantica 66.

VERS. 19. — DEFUNCTO AUTEM HERODE. Quo morbo extinctus fuerit, scribit Josephus, lib. 17 Ant., c. 8, et lib. 1 de Bello Jud., c. 21, et Hegesippus, lib. 1, c. 45, et Eusebius, lib. 1 Hist. eccles., 1, 8, qui et illud addit ob nefariam cædem infantûm tam infami genere morbi fuisse confectum.

VERS. 20. — SURGE ET ACCIPE. Vide vers. 13.

DEFUNCTI SUNT ENIM. Syllepsis est, quâ de uno loquens utitur numero plurium. Unus Herodes mortuus erat, sed multi carnifices ejus jussu quærebant animam pueri. Animam ab Hebræis pro vitâ poni, notius est quam ut quisquam possit ignorare.

VERS. 22. — AUDIENS AUTEM QUOD ARCHELAUS REGNARET. Novem Herodes uxores habuit. Ex duabus, altera consobrina, altera fratris filia, nullos suscepit filios. Ex aliis novem filios procreavit, Alexandrum, Aristobulum, Antipatrum, Herodem, Antipam, qui et ipse postea Herodis cognomentum accepit, Archelaum, Herodem alterum, Philippum, Phasellum, filias tres, Roxanem, Salomem, et Olympiadem, Josephus, lib. 17, Ant., c. 1, et lib. 18, c. 7, et lib. 1 de Bello Judaico, c. 18. Ex filiis duos primos strangulaverat, lib. 16 Ant., c. 17, et lib. 1 de Bello Judaico, c. 17. Tertium Antipatrum quinque ante mortem suam diebus occidit, lib. 17 Ant., c. 9. Alii mortui erant. Tres patri Herodi superstites fuerunt : Archelaus, Antipas et Philippus. Duo autem testamenta Herodes fecerat. In priore Antipam regni hæredem scripserat : in posteriore mutatâ subitò voluntate Archelaum Judææ regem; Antipam Galilææ et Perææ tetrarcham; Philippum tetrarcham Trachonitidis, Gaulanitidis, Batanææ, et Paneadis regionis. Eâ tamen conditione, ut nec Archelaus regis nomen assumeret, nec quidquam quod testamento mandâsset nisi approbante Cæsare ratum esset, Joseph., lib. 17 Ant., c. 10, et lib. 1 de Bello Jud., c. 21. Quamvis autem Cæsar Archelao regis nomen dare noluerit, sed Ethnarcham cum Judææ, Idumææ et Samariæ fecerit, lib. 17 Ant., c. 13, tamen quia regiâ utebatur potestate, et milites eum statim post mortem patris regem conclamârunt, lib. 17 Ant., c. 10, rex vulgò dicebatur, quam appellationem hoc loco Evangelista usurpavit. Mirum autem videri potest, cur Joseph tanquàm rem novam existimaverit, quòd audierit Archelaum regnare, ideòque timuerit in Judæam venire; cùm auditâ Herodis morte facilè credere debuisset aliquem ejus in regnum filium successisse. Respondeo esse credibile Joseph existimâsse, aut neminem fuisse successurum, cùm regnum nullo ab Herode jure fuisset occupatum, aut Antipam successurum quem priore testamento regem pater designaverat; quemque mitioris esse sciebat ingenii. Nam hæc una potest esse causa, cur in Galilæam, ubi ille dominabatur, ab angelo divertere jubetur. Etsi altera est certior, quòd cùm de rege Judæorum Christo ageretur, plus ab Archelao rege, quàm ab Antipâ Tetrarchâ timendum erat. Hæreticus interpres (Calvinus, in Harmoniâ) Philippum placidissimi hominem ingenii Galilææ tetrarcham imperito errore facit. Sed cui licet facere ministros, cur tetrarchas facere non liceat?

VERS. 23. — UT ADIMPLERETUR. Hoc testimonium nusquàm in sacris Litteris iisdem verbis reperitur. Quæ res occasionem interpretibus varias quærendi interpretationes præbuit. Chrysostomus, hom. 9; Theophylactus et Euthymius nullum ex iis, qui nunc exstent, sed aliquem ex iis qui perierint prophetam citari dicunt, qualis fuit Nathan et Esdræ prophetia, et aliorum, quorum scripta, et Chrysostomus et Athanasius in Synopsi, et reipsâ periisse docent. At difficile creditu est prophetias, quæ non exstarent, Evangelistam sine

VERS. 20. — DEFUNCTI SUNT ENIM. Numerus pluralis pro singulari, quæ est enallage numeri.

VERS. 23. — NAZARÆUS VOCABITUR. Vox in Scripturis usitata Deo consecratum et à seculo secretum significat : utrumque Christo optimè convenit. QUOD DICTUM EST PER PROPHETAS, per unum è prophetis formâ loquendi usitatâ, Joan. 6, 45 : *Est scriptum in prophetis, erunt omnes docibiles Dei*, Isaiæ 54. Sic Act. 15, 40 : *Dictum est in prophetis*, videte contemptores, Habacuc, 1, 5 : *Nazarenus vocabitur*, ad Isaiæ cap. 11, alludit, *et flos de radice ejus ascendet*, Hebraicè *Nezer*. Christus *flos ille* fuit qui virtutum et doctrinæ suæ odore totum implevit orbem. In Syriacâ versione *dictum est per prophetam*; quamvis Scriptura sæpè numerum pluralem pro singulari usurpet. Vox etiam *Nazaræus* de Christo ab ipsâ urbe *Nazareth* ducitur. Antiqui *Nazaræi* à verbo *Nazar*, hoc est, separare, dicti sunt.

ullâ, ut videtur, necessitate citâsse, quamvis à Judâ prophetiam Enoch, quæ non exstet, aliâ prorsùs occasione citari videamus. Alii putant Evangelistam proferre testimonium ex prophetiis quæ exstarent quidem tunc, sed in canone ecclesiastico non essent, ut auctor Operis Imperfecti. Alii citari prophetas, id est, Prophetarum interpretes, qui ex canonicis prophetiis, licèt expressum non esset; hunc tamen sensum elicerent fore ut Christus Nazaræus appellaretur; tria prophetarum fuisse genera, alios quibus semper Spiritus sanctus adesset, quales majores fuerint; alios quibus non semper quidem, sed sæpè tamen adesset, quales minores; alios qui prophetæ dicerentur, non quòd futura prædicerent, sed quòd, quæ à prophetis dicta essent, Spiritu Dei interpretarentur, qui in vetere Testamento filii prophetarum, 3 Reg. 20, 35, et 4 Reg. 2, 3, 5, 7, 15, et 4, 38, et 5, 22, et 6, 1, et 9, 1, in novo prophetæ etiam appellentur, 1 Cor. 12, 28, et 14, 29, 32, 37. Quæ in hâc sententiâ de triplici prophetarum genere dicuntur, nunc in quæstionem adhibere non vocat. Illud tamen dico mihi hos interpretes non probare evangelistam de hujusmodi tertianis prophetis loqui, quorum testimonium nemo unquàm produxerit apostolorum. Alii librum Judicum, c. 13, 7, citari putant, ubi dicitur : *Erit enim puer Nazaræus Dei ab infantiâ suâ*, quod quamvis de Samsone dictum sit, tamen in Christo, cujus Samson figura erat, evangelista impletum esse dicat, sicut cæteras prophetias, vers. 13 et 14, ideòque non dixisse, *per prophetam*, sed, *per prophetas*, quòd liber ille non ab uno, sed à multis sibi aliis post alios succedentibus prophetis scriptus sit. Repugnat huic interpretationi, quòd Christus non sit dictus Nazaræus, ut Samson, sed Natzaræus aut Natsaræus, ut et ex crucis titulo, et ex veterum Hebræorum commentariis apparet. Alii ad Isaiam referunt, c. 11, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet*. Hebr. *natsar*, *germen*, *surculus*, unde nomen Natsaræus dictum sit. Quam sententiam Hieronymus, et auctor Operis Imperfecti probabilem putant. Alii nullum ex uno, sed unum ex omnibus prophetis testimonium afferri; omnes enim prophetas Christum sanctum, imò Sanctum sanctorum appellare Daniel, 9, 24, quod nomen *Nazaræus*, id est, separatus, Deoque consecratus, significat. In quâ tandem sententiâ Hieronymus conquiescit. Ego, si quid tamen meum valet judicium, sic existimo voluisse evangelistam odium hujus nominis in honorem convertere, et unde Christus ridebatur, inde probare verum illum esse Messiam. Vocabatur Christus à Judæis per contemptum Nazaræus, sicut olim omnes Christianos à gentilibus eodem contemptu vocatos fuisse constat; sicut et hodiè *Natsaræi* ab Hebræis, appellantur, idque multos impediebat, quominùs eum Messiam esse crederent : *Numquid à Nazareth potest aliquid boni esse?* Joan. 1, 46. *Et numquid à Galilæâ venit Christus? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David?* Joan. 7, 41, 42, et rursùm : *Numquid et tu Galilæus es? scrutare Scripturas, et vide quia à Galilæâ propheta non surgit*, ibidem, vers. 52, ergo voluit docere evangelista id impedimento esse non debere, quominùs Christus Messias crederetur. Nam etsi Scriptura non ex Nazareth Galilææ, sed ex Bethlehem Judææ venturum testatur, Christum tamen non vocari Nazaræum, quòd in Nazareth natus esset, sed quòd in eâ habitaverit, natum enim fuisse, ut antea dixerat, in Bethlehem Juda : quin potiùs nomen Nazaræi argumento esse eum esse Messiam, cùm eum Isaias propheta *natsar*, id est, Nazaræum appellaverit. Tres contra hanc interpretationem objectiones occurrunt. Primò, quòd alio sensu Christus apud prophetam *netsar* germen, aut flos; alio à Judæis *Natsari*, Nazaræus ab urbe Nazareth vocatus sit. Respondeo id evangelistam non ignorâsse, sed contentum fuisse docere illud ipsum nomen quod Christo à Judæis per contemptum tribui solebat, à prophetâ illi honoris causâ tributum fuisse; et eorum in ipsos calumniam retorquere. Secunda est, quòd Nazareth non per *tsade*, sed per *zain*, id est, non per *s*, sed per *z*, litteram scribit. *Natsar* autem, id est, Nazaræus, apud Isaiam per *s* scriptum sit. Respondeo Græcos *s* in *z* facilè mutare. Deinde nomen hujus urbis in vetere Testamento scriptum non reperiri, ut inde judicare liceat, quibus Hebraicis litteris scribi debeat. Postremò ex titulo crucis, et ex Hebræorum scriptis manifestum esse hanc urbem ab Hebræis Natsareth vocatam fuisse, cùm inde Christum Natzaræum appellârint; Græcos verò et Latinos asperitatem litteræ fugientes Nazareth et Nazarenum appellâsse. Tertia est, quòd evangelista non dicat dictum esse per prophetam, sed *per prophetas*, quasi fixum, ut ait Hieronymus, de Scripturis testimonium non proferens. Respondeo non esse novum ut, cùm unius tantùm prophetæ testimonium producitur, per prophetas scriptum dicatur. Cujus rei exempla sunt apud hunc ipsum evangelistam, c. 26, 56, et Joan. 6, 45, et Act. 13, 40, et 15, 15. Similemque syllepsim paulò ante observavimus, vers. 20, ubi defuncti esse dicuntur, qui quærebant animam pueri, cùm solus Herodes defunctus significetur.

CAPUT III.

1. In diebus autem illis, venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ.

2. Et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

3. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam, dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de

CHAPITRE III.

1. Or, en ce temps là, Jean-Baptiste vint prêcher au désert de Judée.

2. En disant : Faites pénitence, car le royaume des cieux est proche.

3. Car c'est lui dont le prophète Isaïe a parlé, disant : Voix de celui qui crie dans le désert : Préparez la voie du Seigneur; rendez droit ses sentiers.

4. Or, Jean avait un vêtement de poil de chameau,

pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ, et mel sylvestre.

5. Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem :

6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.

7. Videns autem multos pharisæorum et sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à venturâ irâ?

8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

9. Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham : dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est : omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.

11. Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.

12. Cujus ventilabrum in manu suâ, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum : paleas autem comburet igni inexstinguibili.

13. Tunc venit Jesus à Galilæâ in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.

14. Joannes autem prohibebat eum, dicens : Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me?

15. Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modò : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.

16. Baptizatus autem Jesus ; confestim ascendit de aquâ. Et ecce aperti sunt ei cœli : et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.

17. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

et une ceinture de cuir autour de ses reins; et sa nourriture était des sauterelles et du miel sauvage.

5. Alors Jérusalem sortait vers lui, et toute la Judée et tout le pays des environs du Jourdain;

6. Et ils étaient baptisés par lui dans le Jourdain, en confessant leurs péchés.

7. Mais voyant plusieurs des pharisiens et des saddocéens qui venaient à son baptême, il leur dit : Race de vipères, qui vous a avertis de fuir la colère à venir?

8. Faites donc de dignes fruits de pénitence.

9. Et n'allez pas dire en vous-mêmes : Nous avons Abraham pour père; car je vous dis que Dieu peut susciter de ces pierres mêmes des enfants à Abraham.

10. Car déjà la cognée est mise à la racine des arbres : tout arbre donc qui ne produit point de bon fruit, sera coupé et jeté au feu.

11. Pour moi, je vous baptise dans l'eau, pour vous porter à la pénitence : mais celui qui doit venir après moi, est plus puissant que moi, et je ne suis pas digne de porter ses souliers; c'est lui qui vous baptisera dans l'Esprit saint et dans le feu.

12. Il tient son van à la main, et il nettoiera entièrement son aire; il amassera son froment dans le grenier : mais il brûlera la paille dans un feu inextinguible.

13. Alors Jésus vint de Galilée au Jourdain vers Jean, pour être baptisé par lui.

14. Mais Jean s'y opposait, disant : C'est moi qui dois être baptisé par vous; et vous venez à moi!

15. Jésus lui répondit : Laissez faire maintenant, car c'est ainsi qu'il faut que nous accomplissions toute justice. Alors Jean se rendit.

16. Jésus ayant été baptisé, sortit aussitôt de l'eau. Et voilà que les cieux lui furent ouverts, et il vit l'Esprit de Dieu descendant en forme de colombe et venant sur lui.

17. Et voilà une voix du ciel, disant : Celui-ci est mon Fils bien-aimé, en qui j'ai mis toute mon affection.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — IN DIEBUS AUTEM ILLIS VENIT. Totos viginti tres et amplius annos, quibus Christus in Nazareth creditur habitasse, Matthæus, Marcus et Joannes, prætermittunt, quia totum illud tempus silentio ferè transegit exspectans, dùm triginta annorum, quæ doctoris ætas erat, accederet. Solus Lucas de ejus pueritiâ pauca quædam attigit, c. 2, 40, 42.

IN DIEBUS. Manifestum est triginta post aut circiter annorum tempus significari, ut colligitur ex Lucâ, c. 3, 1, qui hoc anno quinto decimo Tiberii Cæsaris factum scribit. Certum autem est Christum quadragesimo primo, aut quadragesimo secundo Augusti anno natum fuisse, ut vers. 15, c. 1, docuimus, et consiat ex omnibus historiis Augustum sex et quinquaginta annos imperâsse. Itaque meritò aliquis quærat cur Matth. dicat *in diebus illis*. Dies apud Hebræos accipi pro anno perspicuum est, Gen. 24, 55; Exodi 13, 10; Levit. 25, 29; Jud. 19, 2; 1 Reg. 1, 3; Amos 4, 4. Itemque pro tempore quamlibet etiam longo, Jud. 18, 1; Ezech. 38, 17. Itaque idem valet hoc loco : *In diebus illis*, ac si diceret, post aliquot annos, aut aliquanto post tempore, quod Chrysostomus, hom. 10, et Strabus videntur indicare, aut, ut ait Theophylactus, aliud seculum significatur, quàm in quo hæc scribebat evangelista, vel, quod mihi magis placet, significatur tempus quo adhuc in Nazareth Christus habitabat. Sic enim meliùs evangelistæ verba cohærent. Dixerat namque, c. 2, 25 : *Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth*, et addit, *in diebus illis*, id est, eo ibi habitante.

VENIT. Cur non antè venit? quia nondùm trigiuta natus erat annos, antequàm ætatem nemini sacerdotis, doctoris, aut prophetæ officium fungi licebat; ut et Hebræi tradunt, et ex 1 Par., c. 23, 3, colligitur. Hæc enim eadem ratio fuit cur Christus ipse ante tricesimum ætatis annum docere non cœperit. Neque verò significat evangelista tunc primùm Joannem in desertum venisse, sed tunc primùm in desertum sese ostendisse, pœnitentiamque cœpisse prædicare, ut paulò post docebimus.

Vers. 1. — IN DIEBUS ILLIS. Euthymius notat, persæpè hunc loquendi modum continuatam temporum seriem non designare.

JOANNES BAPTISTA. Risi, cùm in hæreticorum legerem commentariis Joannem ideò Baptistam cognominatum, quòd per ejus ministerium Sacramentum Baptismi Deus instituisset, quasi alius quàm Christus, aut per alium quàm per seipsum sacramenta nobis instituerit. Verùm istum et impium et absurdissimum errorem, vers. 11 refutabimus. Sciamus nunc Baptistæ cognomentum, vel quòd primus baptizare cœperit, vel quòd Christum baptizaverit illi datum esse. Apparet autem eum honoris causâ ita vocatum : omnibus enim persuasum erat, eum, qui baptizaret, virum esse sanctissimum. Ideò illi inferunt *quid ergo baptizas, si tu non es Christus, nec Elias, neque propheta?* Joan. 1, 25.

PRÆDICANS IN DESERTO. Multò verò magis ridicula est eorumdem in hunc locum hæreticorum interpretatio Joannem non loco prorsùs solo desertoque habitâsse, sed in civitatibus quæ erant in deserto juxta Jordanem, quod non ideò desertum appellabatur, quòd nullo modo, sed quòd minùs frequenter habitaretur : quemadmodùm si hodiè Hercyniam sylvam aut Vogesos montes desertum appellemus, et ut Helvetiam olim terram non incultam nonnulli scriptores Helvetiorum eremum vocavêre, sicut Joab *in deserto* mortuus esse dicitur, cum domi suæ mortuus sit, 3 Reg. 2, 34. Et ut Idumæa *desertum* vocatur, 4 Reg. 3, 8, et Psal. 62, 1, et ut Josue 14, 61, tribui Judæ sex civitates cum suis villis in *deserto* assignatæ fuisse dicuntur. Sic beata Virgo concepto Christo in montana ad domum Zachariæ abiisse dicitur, Luc. 1, 39. Denique si istis credimus interpretibus, Joannis desertum paterna domus fuit, quæ in montanâ erat civitate. Valdè scilicet de Joannis honore solliciti id unum vel repugnantibus Scripturis agunt, ne Baptista monachus fuisse videatur; et tamen fuerunt iidem isti aliquando monachi. Sed ne violatæ religionis rei esse videantur, nolunt fuisse Joannem, quod ipsi esse noluerunt. Falsas eorum et absurdas de hâc re sententias vir nostro tempore eruditus, et non eâdem modò fide, sed iisdem etiam vitæ rationibus mihi conjunctus justo opere docte copioseque refutavit. Nos commentarios scribimus, quibus satis erit ostendere istos Evangelicos interpretes neque hunc locum, neque eos, unde hic pendet, intelligere. Fontem primum petamus. Manifestum est Evangelistam alludere ad locum Isaiæ. c. 40, 3, quem et paulò post vers. 3, producit : *Vox clamantis in deserto*. Itaque necesse est ut nomen deserti eodem modo hic et apud Isaiam accipiatur. At apud Isaiam quisquis dicit desertum locum minùs frequenter habitatum significare, prophetæ sensum penitùs ignorat. Agebat enim de reditu filiorum Israel ex Babylonicâ captivitate, in quam præcedente capite ducendos prædixerat; alludensque ad exitum ex Ægypto, unde eos Deus per inviam solitudinem infinitis difficultatibus superatis eduxit, et in Palæstinam intulit, viam illis per Jordanem, per desertum, per mare faciens; significat Deum eodem modo, quo eos ex Ægypto in terram Israel induxit, ex Babylone reducturum, nihil Deo, quominùs id faciat impedimento esse posse. Eum enim populo suo per inaccessas solitudines, per montes, per rupes planissimam straturum viam, et ut de Annibale Alpes transituro poeta quidam dixit : *Est cœlo qui pandat iter*. Hic litteralis sensus est. Mysticus ille, quo populus sub diaboli tyrannide constitutus populo sub rege Babylonis captivo comparatur, Christus cum Cyro, qui populum ad libertatem invitat, 2 Par. 36, 22, 23, et 1 Esdræ 1, 1, 2; Isai. 44, 28, et 45; Joannes cum præconibus Cyri, qui Judæos ad reditum in patriam invitant, et omnia necessaria ad superandas omnes viæ difficultates pollicentur. Hoc est, *parare viam Domino et rectas facere semitas ejus*. Hoc est, *erunt prava in directa et aspera in vias planas*, ut et planâ et rectâ viâ Deus cum populo suo transeat. Desertum autem, in quo Joannes fuisse dicitur, deserto de quo Isaias loquitur, respondet. Isaias autem non de Helvetiâ aut de Hercyniâ loquitur sylvâ; sed de asperâ et inaccessâ penitùs solitudine, quò magis miraculum, et Dei erga populum suum beneficium eluceat. In simili igitur solitudine, non in paternis ædibus Joannes habitabat. Quod Lucas, c. 1, 80, declarat : *Puer*, inquit, *crescebat, et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suæ ad Israel*. Indicat enim ideò in desertis locis ab omni hominum convictu remotum habitâsse, ut unà cum ætate spiritu cresceret, qui in hominum frequentiâ rarò augetur, sæpè minuitur, etc. 3, 1, 2, 3, *verbum Domini ad eum, in deserto, factum fuisse* dicit, indeque prædicandæ pœnitentiæ et baptizandi causâ in omnem circa Jordanem regionem venisse. Atqui isti civiles interpretes illam ipsam circa Jordanem regionem desertum, ubi Joannes habitaverit, fuisse dicunt. Non enim cæci vident Evangelistam disertis verbis dicere eum ex deserto, id est, ex intimâ solitudine in hanc regionem prodiisse. Quod si nihil ullus Evangelista significâsset; ipse victus atque vestitus istos, si quid judicii habuissent, docere potuit, in quo deserto Joannes habitâsset. Quid enim? an sacerdotis filius, isque unicus, à parentibus tot expetitus votis, in paternâ, id est, nobili et locupletè domo non alio vestitu, quàm pilis camelorum, non alio cibo, quàm locustis, et melle sylvestri usus fuisset? Ipsa epitheta vestis et cibi locum habitationis indicant. Cur enim camelorum potiùs quàm ovium pellibus, nisi quia in loco, ubi cameli, non oves erant, id est, longè ab urbibus habitabat? Cur locustis, nisi quia in locis maximè desertis maximè versantur? Cur cùm dixisset mel, addidit sylvestre, nisi quia domi non erat, ubi domestico melle uti posset; sed in solitudine, ubi non alium haberet cibum, quàm mel, quod apes in rupibus et truncis arborum confecissent, quale illud erat, quod inter petrarum fissuras Jonathas invenit, 1 Reg. 14, 27! Neque rationem isti intelligunt, cur in deserto Joannes habitaverit, ideòque nec quale desertum fuerit, possunt intelligere. Data lex Mosi fuerat in deserto, et quidem in monte prorsùs inaccesso totos dies quadra-

ginta jejunanti. Mori quodammodò in deserto eamdem oportebat, et novam dari. Veniebat Joannes in spiritu et virtute Eliæ, Matth. 11, 4; Lucæ 1, 17, oportebat exemplo Eliæ in deserto versari, 3 Reg. 19, 4. Veniebat, ut tantam præ se sanctitatem ferret, ut Messias videri posset, quò faciliùs crederetur neganti se, affirmanti Christum esse messiam, oportebat ab oculis hominum remotum vivere, oportebat et cibo, et potu, et vestitu, et habitationis loco, qualis esset, ostendere (nam et ille philosophus eos, qui in solitudine viverent, supra homines posuit) oportebat monachum esse. Nam et quidam istorum inde monachorum institutum natum scribit, quòd volerint homines externis rebus opinionem de se sanctitatis excitare. Successit eventus. Inde enim factum est ut integræ civitates, simul atque sese cœpit ostendere, ad eum tanquam ad montanum aliquem Deum visendum effunderentur. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Matth. 11, 7; Luc. 7, 24. Hic etiam arundo desertum ostendit. Cur enim arundinem cum deserto conjunxit, nisi quia in desertis locis, non domi nasci solet? Hinc factum ut Christus, aut certè Elias putaretur, Joannis 1, 21. Hinc, ut illud Christi mereretur testimonium · *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ*, Matth. 11, 11. Oportebat, antequàm ad docendos populos accederet, ipse sese in solitudine, veluti in monasterio, doceret. Notum enim est antiquum apud Augustinum proverbium. Qui non fuit bonus monachus, non erit bonus clericus. Nam et Christus ipse, ut Hieronymus observavit, antequàm doceat, sese in deserto modo quodam exercet, Matth. 4, 1, et multò ergo melius veteres illi, quàm novi isti interpretes Scripturam intellexerunt. Omnes enim docent Joannem totam à primâ pueritiâ usque ad tricesimum annum ætatem in remotâ solitudine transegisse, Orig., Hom. 11 et 15 in Lucam; Euseb., lib. 9 de Demonstrat., c. 5; Chrysost., homil. 10 et 39 in Matth., et hom. 15 in Joan., et in hom. de Nativitate Joannis Bap.; Cyrill., lib. 2 Thesaur., c. 4; Hieron. contra Lucifer., et in epistolâ ad Rusticum Monachum; Prudentius in hymno jejunantium.

In deserto Judææ. Multa deserta in Scripturis legimus. Desertum Ziph, 1 Reg. 23, 15, quod erat inter Occidentem et Meridiem longè à Jerusalem; desertum Maon illi vicinum, 1 Reg. 23, 24; desertum Engaddi, 1 Regum 24, 2; desertum Pharan, 1 Reg. 25, 1; desertum Idumææ ad Meridiem, 4 Reg. 3, 8. Cùm autem absolutè desertum nominatur, desertum Judææ intelligitur, ut Matth. 4, 1, et 11, 7, et 15, 33; Marc. 1, 3, 4, 12, 13; Luc. 1, 80, et 3, 2, nisi ex circumstantiis aliud intelligatur, ut Joan. 3, 14. Addidit tamen Matth. epitheton Judææ, ut ab aliis discerneret. Erat autem hoc inter Orientem et Septentrionem citra Jordanem secundùm fluvium. In extremâ parte erat Ænnon et Salim, ubi Joannes baptizare solitus dicitur, Joan. 3, 23.

Vers. 2. — Non solam fidem prædicat, sed legationem suam à prædicatione pœnitentiæ auspicatur. Cùm apud infideles agitur, tum à fide ipsâ incipiendum, ut apostoli in Actis præstiterunt: sed apud Judæos, qui verum Deum colebant, à pœnitentiâ exordium sumitur. Christus nondum erat manifestatus, ac fides in Christum paulatim erat declaranda.

Vers. 3. — Locus ex c. 40 Isaiæ desumitur, ubi

Vers. 2. — Pœnitentiam agite, hoc est, *parate vias Domini, rectas facite semitas ejus.* Reliquite errores, et sequimini veritatem; discedite à malo, et facite bonum.

Appropinquavit enim regnum cœlorum. Quidam hoc loco regnum cœlorum gratiam, fidem, renovationemque spiritûs interpretantur, quòd inter nos ipsos esse dicitur, Luc. 17, 21. Quod etsi non reprehendo, illud tamen magis probo ut cœlum ipsum significetur, ut Matth. 25, 31, et Luc. 15, 28, 29, et 25, 42. Est enim, ut mihi quidem videtur, tacita quædam allusio et antithesis ad exitum filiorum Israel ex Ægypto, et reditum ex Babylonicâ captivitate in terram Chanaan, quæ illis promissa fuerat, quamque non dubium est cœli figuram fuisse. Perinde ergo est, ac si dicat, parate vos per pœnitentiam, id est, nolite Pharaoni, et Regi Babylonis, hoc est, diabolo servire, nolite libertati servitutem, regno captivitatem anteponere, quod quosdam olim ignavos et degeneres Judæos fecisse legimus, 1 Esdræ 1, 5. Appropinquavit enim jam tempus, quo in cœlum, qui volent, ingrediantur. Simili orationis Josue ad populum usus est, cùm in terram Chanaan post longam peregrinationem ingressurus esset. *Sanctificamini*, inquit, *eras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, Josue 3, 5. Appropinquare autem regnum cœlorum dicitur, quia cùm ante clausum fuisset, paulò post per mortem Christi erat aperiendum. Credimus enim, licet hæretici negent, neminem ante mortem Christi in cœlum ingressum: quod non veteres solùm auctores; sed D. etiam Paulus tam perspicuè docet, Hebr. 9, 8, et 11, 39, 40, ut mirer istos aut tam esse cæcos, ut non videant; aut tam obtusos, ut non intelligant, aut tam impudentes, ut videntes, intelligentesque negare audeant. Quia Christus ipse docet. Cùm enim dicit: *Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei*, Matth., 26, 29, et Lucæ. 22, 18, quid aliud significat, quàm regnum Dei sua morte resurrectioneque patefactum? Latro melius quàm isti Evangelici homines intellexit, *Memento*, inquit, *mei, cùm veneris in regnum tuum*, Luc. 23, 42, quasi nondùm utique venisset, neque ante eum quisquam ingredi posse. Nempe crux Christi arca fuit testamenti, quâ Jordanis undæ divisæ sunt, et ad promissam terram aditus patefactus, Jos. 3, 16. Nam et nos per Jordanem, id est, per baptismum in cœlum ingredimur. Cur autem *regnum cœlorum* potius quàm patriam aut cœlestem Jerusalem, ut D. Paulus, appellaverit, facilis ratio: voluit enim ad Judæorum de futuro Christi regno expectationem alludere, volensque eam superare, addit *cœlorum*, quasi dicat, vos terrenum expectatis regnum; ego cœleste appropinquare confirmo.

Vers. 3. — Hic est. Euthymius hæc verba Joannis esse putat. Esse autem evangelistæ volentis Isaiæ prophetiam more suo ad Joannem accommodare constat ex Marc. 1, 1, et ex Lucâ, 3, 4: *Vox clamantis*, hodæos, qui verum Deum colebant, à pœnitentiâ exordium sumitur. Christus nondum erat manifestatus, ac fides in Christum paulatim erat declaranda.

minis, hæc vox clamans, hebraismo. Nam קול קורא etiam Hebraicè ambiguum est. Intelligitur, audietur. Non solùm Matthæus, Marcus et Lucas, hoc Isaiæ testimonium ad Joannem accommodârunt; sed ipse quoque Joannes testatur vocem esse clamantis in deserto, Joan. 1, 23. Quem locum supra, vers. 1, explicavimus. Nunc non explicandus, sed ad rem propositam applicandus est. Quod apud Isaiam dicitur de viâ in deserto parandâ; hic dicitur de Judæorum animis, qui cùm inculti et lapidei essent, jubentur eos pœnitentiâ colere, et emollire, humilitate explanare, fide dirigere, ut Christus per eos transeat, et secum in cœleste regnum ducat.

Vers. 4. — Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Miro studio tres evangelistæ Matthæus, Marcus, et Lucas Joannis personam exprimunt, partim opinor, ut viri sanctitatem commendent, partim ut rationem taciè reddant, cur tantam de se Judæorum opinionem concitaverit, ut ad eum visendum omnes undique confluerent, vers. 5.

De pilis camelorum. Hæreticis, hominibus scilicet elegantibus, omnia in Joanne fœtent, locus, vestitus, victus. Ideòque omnia in illo permutant, ut olim in Joseph Pharaonem fecisse traditur, ut dignus sit, qui in ipsorum conspectu appareat. Ex ejus solitudine urbes fabricantur: ex pilis camelorum pretiosam illi vestem contexunt; locustas in marinos cancros convertunt; reperti enim inter illos sunt, qui vestem ex pilis camelorum scutulatam, undulatamque vestem interpretarentur; quâ reges olim usos legimus. Divino factum consilio, ut omnes cognoscerent, quantùm isti, qui sibi videntur sapere, haberent cerebri. Qui paulò inter eos prudentiores sunt, vestem ex crudis camelorum pellibus confectam fuisse dicunt, minimè tamen singularem, quali monachi et eremitæ uti soleant; sed vulgarem et usitatam, eum enim fuisse pauperum ejus regionis communem habitum. Qui sapientissimi, singularem fuisse vestem negare non audent, rideri quippe nolunt, docent tamen Joannem eâ veste, non ullâ religione, sed solâ necessitate usum fuisse. Omnes istorum interpretationes minimè obscuris evangelistarum verbis consensuque refelluntur. Cur enim omnes Joannis habitum describunt, nisi quia singularis, quia nunquàm visus, nunquàm auditus erat? Cur nisi, ut viri sanctitatem commendarent? Cur populi ad eum confluunt, nisi ut et virum et sanctum audiant, et monstrosum habitum videant, suo nimirùm concursu istorum stultitiam refutantes? Cur signatè dicunt Evangelistæ vestem ex pilis camelorum, zonam autem pelliceam fuisse, nisi quia vestis pellicea non erat? Erat quidem zona singularis, sed minùs singularis, minùsque aspera et horrida, quàm vestis; nam etsi ex crudâ et pilosâ pelle fuisse credendum est; tamen notum erat Eliam similem aliquando gestâsse, 4 Reg. 1, 8, et consuetudini congruebat, ut paulò melior esset zona quàm vestis. Omnes enim homines pretiosiore zonâ quàm veste uti solent. Zona igitur cùm ex crudâ pilosâque pelle fuerit; qualem fuisse vestem credendum est, nisi horribilem, aculeatamque cilicium? Quem habitum semper pœnitentiæ fuisse scimus. Gen. 37, 34; 2 Reg. 21, 10; 3 Reg. 21, 27; 4 Reg. 6, 30; 1 Par. 21, 16; Judith. 4, 9; Psal. 34, 13; Jer. 4, 8, et 6, 26; et 48, 37; et 49, 3, postea in Ecclesiam tanquam arma, ut ait Hieronymus, pœnitentiæ assumptum. Isti quid sit non intelligunt. Sponsionem enim fecerim neminem unquàm neque Lutheranum, neque Calvinianum, ex quo à Domino illuminati sunt, cilicio usum fuisse. Multi certè et graves auctores vestem Joannis cilicium interpretantur, Eusebius, homilià 4 de Joanne Baptistâ, et Anselmus in hunc locum; ratioque ipsa persuadet. Convenielat enim ut qui pœnitentiam prædicabat, pro veste pœnitentiæ habita uteretur.

Esca autem ejus erat locustæ. Græcè ἀκρίδες, quæ locustæ Latinè propriè dicuntur, ecuus notum insecti, humiliter plerumque et saltando volitans, unde et Gallicè nomen habet. Nonnulli, ut dixi, hæreticorum marinos cancros interpretantur, quos captos cum aliis piscibus piscatores ad Jordanis ripam ejicerent, quòd, quia lege immundi erant Levit. 11, vendere non possent, Joannes verò colligeret, cisque, quamvis repugnante lege, uteretur, ut Evangelicam jam tum libertatem doceret, quæ nullum ciborum discrimen admitteret. Quis enim dubitat Joannem Baptistam Lutheranum aut Calvinianum fuisse? Miror equidem tam ingeniosos homines non phasianos potiùs ex locustis arcs, quàm marinos fecisse cancros; cùm eadem utrumque facilitate, eâdemque impudentiæ arte fieri potuisset. Et verò nomen Græcum ἀκρίδες non magis cancros, quàm perdices aut phasianos significare potest, et illis vescens Joannes, neque legem violâsset, et minus eremita esse videretur, quod isti solum volunt. Illud etiam mirer homines impudentes qui tantoperè quadragesimam nostram exhorrescant, non timuisse, ne pro unâ quadragesimâ duas, alteram ex Christi jejunio, alteram ex Joannis cancros faceremus. At non omnes Catholici locustas in

tus primum Christi adventum annuntiabat, ut Elias secundum præmuntiabit. Esca autem ejus erat locustæ, Levit. 11, 22; inter volucres mundas locustæ recensentur. Bochartus in descriptione terræ sanctæ ait in Palæstinâ herbas esse eo nomine ad Jordanem, illis vesci monachos. Commentor sententia est fuisse veras locustas, quibus sale conditis usitatis in regionibus vesci pauperes testatur Plinius, lib. 6, c. 30, et lib. 7, c. 3. Mel silvestre est mel ab apibus agrestibus arborum truncis, aut rupibus repositum. Non magis illæ verbis quàm durioris vitæ genere et exemplo suo ad pœnitentiam horiabatur.

sectum animal interpretantur, fateor; sed quia non malo, ut isti scripserunt animo, ut Joannis sanctitatem extenuarent; sed quòd cibum nobis inusitatum et horrendum esse sciret, digni sunt excusatione. Nec enim ignoro quosdam jam olim auctores herbas, nescio quales, interpretatos Euthymio et Theophylacto referentibus; alios pyra sylvestria; alios arborum frondiumque summas partes, quæ ἀπὸ τοῦ ἄκρας εἶναι, quod extremæ sint ἀκρίδες appellentur, ut Nicephoro placuit, lib. 1, c. 14. Sed hi ipsi, si legissent locustas animalia insecta apud Orientales vilissima quidem, sed tamen esui fuisse, quod Plinius, lib. 11, c. 29, et Plutarchus in Symp. scribunt, et ex Aristophane poetâ colligitur; de illis hunc locum exposuissent. Certè si in cibo non fuissent, non eas Moses, Levit. 11, 22, inter munda animalia, quibus vesci licebat, nomerâsset. Nos quia non vidimus, abhorremus, æquè profectò, si non vidissemus, ab esu limacum, furcorum et formicarum abhorreremus. Et tamen alicubi vix alium in hospitio cibum, quàm limaces, invenias. Et fucis qui vescerentur, sæpè ego vidi et apud Indos formicas in deliciis esse, et Plinius scribit, et ex nostrorum, qui illic sunt, litteris intelligimus. Atque ita hunc locum omnes ferè veteres auctores sunt interpretati, Origenes, homil. 11 in Lucam; Hilar., can. 2; Ambr., lib. 2 in Luc., c. 3; Chrysost., hom. 2 in Marc.; Auctor imperfecti, hom. 3; August., lib. 10 Confess., c. 31.

Mel silvestre. In regionibus calidioribus tanta apum copia esse solet, ut cum alvearibus capi non possint, in sylvas avolent, et aut in arborum truncis, aut in rupium fissuris mellificent. Vidi ego in Bæticâ homines pauperes, qui hoc ex sylvis colligendo, vendendoque melle quæstum factitarent. Id in Palæstinâ multum fuisse credendum est, et quia calida et fertilis erat regio, et quia Deus sæpè vocat terram lacte et melle manantem, Exod. 3, 8, 17; et 13, 5; et 33, 3; et Levit. 20, 24; Num. 13, 28; et 14, 8; et Deut. 6, 3; et 11, 9; et 26, 9, 15; et 27, 3; et 31, 20; Josue 5, 6; et quia ex facto Jonathæ, 1 Reg. 14, 27, manifestum est mel è rupibus reverâ fluxisse. Quod autem quidam boni etiam auctores tradiderunt mel fuisse amarum, et ori insuave, expertus non credo, sapit quidem plerùmque naturam florum, quibus apes pascuntur, et arborum, in quarum truncis confectum est, semper tamen est mel, id est, dulce. Minùs etiam probabile est, quòd Suidas, et alii nonnulli auctores putaverunt hoc non mel, sed nescio quem rorem fuisse, quo Joannes, sicut olim in deserto populus, alitus sit.

Vers. 6. — Et baptizabantur ab eo in Jordane. Absurdissima hoc loco est hæreticorum interpretatio, baptizabantur, id est, docebantur; prædicabat enim (inquiunt) baptismum pœnitentiæ, Marc. 1, 4, Luc. 3, 3. Baptizare enim illis est docere verbum Dei, penè oblitus sum addere, parum putum. Sic isti boni doctores septem sacramenta in duo, duo in verbum, verbum in fidem, fidem in hæresim, hæresim in atheismum, id est, in nihil resolvunt. Fallor, nisi propterea in Jordane, et in Ænon, ubi aquæ multæ erant, Joannes baptizabat, quia loqui sine aquâ non poterat. Et propterea D. Paulus dicit, 1 Corinth. 1, 17, se non esse missum ad baptizandum, sed ad evangelizandum, quia baptizare et evangelizare idem est, et tamen istos asinos mundos hodiè audit, et admiratur. Alii aquâ quidem baptizâsse concedunt, et quidem ita, ut verum baptismi sacramentum instituerit, nullâ re à Christi baptismo distinctum. Recte Tertullianus dixit semper Christum inter duos latrones, id est, inter duos hæreticos crucifigi. Nesciunt hæretici tenere medium. Sed hunc posteriorem errorem, vers. 11, refutabimus.

Confitentes peccata sua. Hic non refutandi, sed deridendi hæretici sunt, qui longissimis hoc loco commentariis Ecclesiasticam confessionem invehantur, quasi ex hoc à nobis potissimùm loco probetur. Fortes sine adversario viri; et Andabatarum more irrito in tenebris ictu vires fatigantes. Quis enim unquàm Catholicus tam fuit indoctus, ut ex hoc loco confessionis probaret sacramentum? Illud affirmamus eos, qui ad baptismum Joannis veniebant, non generaliter solùm, ut isti putant, sese peccatores esse confessos fuisse. Quis enim se peccatorem non confiteretur? sed specie etiam sua quemque peccata ut venium et remedium peterent, declarâsse. Hoc enim est confiteri peccata sua. Quod evangelistæ, non tanquàm rem usitatam, quæ ab omnibus fieret se peccatores esse dicentibus, sed tanquàm novam, singularem et admirabilem narrant. Verè namque novum, et admirabile fuit, ut homines arrogantes non solùm sese peccatores; sed tales etiam aut tales peccatores esse confiterentur. Quod si vellemus istorum in interpretandis Scripturis licentiam imitari; multo profectò meliùs ex hoc loco confessionem nos, quàm illi sacramentum Baptismi probaremus. Nam si Joannis et Christi Baptismus idem est, necesse est ut qui Christi Baptismum accipiunt, confessionem etiam adjungant. Sanè quidem, inquiunt illi; sed ante Baptismum, quemadmodùm in vetere Ecclesiâ factum accipimus. Nam qui à Joanne baptizabantur, non post, sed ante baptismum confitebantur. Nos quidem id credimus, sed vos boni viri non probatis, et si vellemus captare verba, contrarium ex verborum contextu probaremus. Nam et hoc loco, et apud Marc., c. 1, 5, prius est: *Baptizabantur*, deinde: *Confitentes peccata sua*. Nec est: ἐξηρολογεῖσθαι, confitentes, cùm ante confessi essent; sed ἐξομολογούμενοι, confitentes, quasi post Baptismum confiterentur. Sed malumus fideles et simplices; quàm subtiles et contentiosi videri interpretes.

Vers. 6 — Baptisma Joannis velut medio erat loco inter baptismata Judæorum, seu legales ablutiones omninò steriles, et baptisma Christi, quod solum justitiam confert. Ad hoc baptisma Joannes præparabat Judæos, e. pœnitentiæ prædicatione disponebat, ut *remissionem* peccatorum acciperent à Christo. Confitentes peccata sua. Falsa est calumnia Protestantium Catholicos doctores ex hoc loco probare confessionem sacramentalem: non enim sacramenta novæ legis instituta sunt vivo Joanne. Sed hinc colligitur quamdam peccatorum confessionem tum in usu fuisse, eamque singillatim factam. Hoc enim propriè est confiteri peccata sua, non universim peccatorem se esse profiteri. Neque id erat Joannis munus, ut novæ legis sacramenta institueret, sed ut viam ad illa muniret; ac baptismus Joannis erat externa quædam pœnitentiæ professio; cùmque consilium vitæ in melius mutandæ à Joanne peterent, actus vitæ præteritæ exponebant.

Vers. 7. — Videns autem multos pharisæorum et sadducæorum, duo hominum genera, qui plurimùm apud Judæos gratiâ et auctoritate valebant. Quibuscum perpetuum Christo bellum fuisse animadvertimus, simulque cum scribis, infra, c. 5, 20; et 16, 11; et 22, 25; et 23, 13. De his nihil in veteri Testamento legimus. Genus enim erat non officii et potestatis, quales sacerdotes et scribæ; sed hæresis non multò ante Christi tempora introductæ, ut ex Josepho illo antiquo, et ex illo altero Ben-Gorionis colligitur; quales hodiè sunt ministri et supervigilantii, et similia nomina nuper inventa eorum, qui nullâ vocati auctoritate docendi, regendique populi officium usurpârunt. Utrosque inter alias Judæorum sectas Josephus describit, lib. 13 Ant., c. 9, et 23; et lib. 17, c. 1; et 18, c. 2; et lib. 1 de Bello Judaico, c. 7; et Epiphanius, lib. 1 Panar. Pharisæos quidam quasi expositos oculis hominum, id est, conspicuos et illustres dictos putant, quòd phylacteria sua dilatarent, Matth. 23, 5, et amarent salutationes in foro, ibidem vers. 7, et Luc. 20, 46. Nam פרש exponere, explicare, expandere significat. Alii quasi פרושים את תורה exponentes legem, quod ex Josepho colligunt, qui eos Scripturarum interpretatione nobiles fuisse tradit. Meliùsque possent ex altero Josepho Ben-Gor. colligere, lib. 4, c. 6, sed hos Grammatica refellit, non enim vocantur ab Hebræis פרושים expositores; sed פרושים expositi, aut separati. Itaque Hebræis potiùs credo, qui, ut ait Baal Harue, homines docent Pharisæos dictos esse, quasi à cæteris hominibus ob insignem eruditionem et sanctitatem separatos. Hoc enim significat etiam פרש sicut Nazaræi olim à נזר quod est, separare, dicti fuerant. Et à Latinis, qui aliquâ re insignes et nobiles sunt, viri egregii, eximii, et singulares appellantur. Sadducæos à צדק justitiâ, quasi homines justos, Epiphanius, hæres. 14, et Hieronym., in Comment. in c. 23 Matthæi, dictos putant. Pharisæi quasi Catholici à Judæis habebantur. Itaque publicè docendi munus et auctoritatem habebant Christi etiam testimonio confirmatam. *Super cathedram Moisi sederunt Scribæ et Pharisæi*, Matth. 23, 2. Observo semper Scribas Pharisæis anteponi, fortasse quòd antiquiores et divinæ institutionis essent. Nam Pharisæi humano instituto introducti fuerant. Sadducæos, tanquàm hæreticos Judæi habebant, ut Act. 23, 6, manifestum est, eosque Josephus Lutheranis et Calvinistis similimos facit, superbos, seditiosos, principum gratiam captantes, incredulos. Nam neque resurrectionem, neque animorum immortalitatem, neque spiritum credebant. Neque aliud quidpiam, quod non sensu, aut ratione manifestâ comprehenderent. Marc. 12, 18; Act. 5, 17, et 23, 8. In eo etiam similes, quòd nullas admitterent non scriptas traditiones; et ex sacris ipsis libris, quos vellent, approbarent; quos vellent rejicerent. Itaque solum Mosis Pentateuchum, tanquàm à Deo dictatum, recipiebant; cæteros homines fuisse, errareque potuisse. Quæ causa fuisse creditur, cur eos Christus, de resurrectione disputans, non aliis testimoniis quàm Pentateuchi, cùm alia clariora essent, coarguerit, Matth. 22, 31, 32. Qualescumque tamen et Pharisæi et Sadducæi fuerint, mirum videri potest tam asperis à Joanne exceptos verbis, ut progenies viperarum appellaverit. Ratio, quæ à nonnullis affertur, quòd voluerit Joannes eorum mores populo audiente graviter reprehendere, ut Christum potiùs quàm illos mhimè bonos magistros sequeretur; mihi non placet. Alio enim tempore id erat agendum, non tum, cùm ut ab eo baptizarentur confitentes peccata sua supplices veniebant. Meliùs Origenes, tom. 6 in Joannem; Chrysostom., hom. 11; Auctor Imperf., hom. 3, et Theophylact. in Commentariis respondent cognovisse Joannem eos non sincero, sed ficto simulatoque animo venisse. Quod et eorum moribus valdè congruit, qui etiam à Joanne reprehensi simulatè ubique, et tentandi causâ Christum interrogant, ut infra, c. 16, 1; et 19, 3; et 22, 15, 18, 35; Marc. 7, 5; et 10, 2; et Luc. 20, 20, 21, 25; et Joan. 8, 6, et ex hoc loco facilè quoque colligitur. Addit enim: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*, quasi dicat, ostendite rebus ipsis vos non simulatè, sed simpliciter huc accedere. Cur ergo accedebant, si simulatè? Respondet Origenes, tomo 6 in Joannem, ne impii et veluti hæretici à populo haberentur, cujus magna de Joanne erat opinio. Id confirmatur ex c. 21, 26. Ubi propterea non audent dicere baptismum Joannis ex hominibus esse, *quia timebant turbam. Omnes enim sicut prophetam habebant Joannem*. Eodem prorsùs metu, quo nonnulli hodiè, maximè hæretici Catholicam frequentant Ecclesiam, ne, quod sunt, esse videantur.

Progenies viperarum. Ambros., lib. 2, in Lucam, c. 3, non tam reprehensionem quàm laudem hanc esse putat; quasi laudet quòd cùm viperarum filii sint, parentes tamen suos non imitentur; sed ad pœnitentiam veniant. Sed et ex verbis et ex modo dicendi, et ex simili phrasi, quâ Christus, c. 23, 33, non laudando, sed reprehendendo usus est, perspici potest non laudem, sed reprehensionem esse, eamque gravissimam. Est autem Hebraismus *filii viperarum*, id est, viperæ, quia enim filii parentibus plerùmque similes sunt, ut viperas appellet, filios viperarum vocat: *Et vos*, inquit Christus, *implete mensuram patrum vestrorum*, Matth. 23, 32. Alienum esse arbitror multa hoc loco de viperâ philosophari, cùm sensus appareat. Viperam omnium bestiarum venenosissimam esse certum est, Act. 28, 4, 6. Nam cùm Paulus

Vers. 7. — Progenies viperarum, malorum parentum pejores filii, pleni iniquitatis veneno.

extremo digito à viperâ morsus, non statim inflatus concidisset, pro Deo ab incolis habitus est. Summam ergo Pharisæorum, Sadducæorumque malitiam nocentissimo animali comparat, eam præsertim, quæ in calumniandis, et quasi mordendis sanctis viris consistit; quæ Pharisæis et Sadducæis tam propria, quàm viperæ venenum erat, quemadmodùm Hieronymus, in 50 cap. Isaiæ, et Gregorius, hom. 20 in Evangel., interpretantur. Quanquàm Ambrosius, et alii ad prudentiam referunt. Nunc hæretici sunt viperæ.

Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Quis docuit vos hùc venire, ut remedium ad fugiendam futuram iram quæreretis, cùm viperæ potiùs, quàm homines sitis, quasi dicat: Id non ex vobis, sed ex divinâ gratiâ providentiâque profectum est, ut Chrysost. et Ambrosius interpretantur, vel, quis demonstravit vobis fugere à futurâ irâ; nisi conscientia ipsa vestra, quæ vos intùs damnat, et cogit remedium quærere; quis enim docere vos potuit, qui omnes docetis, à nemine docemini? sicut Adamo Deus dixit: *Quis indicavit tibi quod esses nudus?* Gen. 3, 11. Aliqui Latini codices legunt: *Quis demonstrabit?* quæ lectio, si Græcorum codicum auctoritate confirmari posset, valdè mihi quidem placeret. Quia et sensus esset melior, quasi diceret: Militibus quidem, et publicanis et turbis salutis à me remedium simpliciter petentibus, ostendi, Luc. 3, 11, 12, 14; vobis autem hypocritis, qui simulato animo petitis, quis demonstrare poterit? Nemo. Nec enim qui morbum celat, curari à medico potest? et quia Christus, c. 23, 33, eâdem usus sententiâ, per futurum loquitur: *Quo modo fugietis?* Et quamvis nihil existimem temerè corrigendum, tamen ὑπέδειξε pro ἀνέδειξε facilè legi, aut scribi potuit. *A ventura ira?* Bernardus, serm. 10 in Psal., et serm. in c. Matth. 19, per iram pœnitentiam videtur intelligere, quasi sensus sit: Quis docuit vos pœnitentiam refugere. Alii excidium Jerosolymitanum intelligunt. Sed non dubito quin æternam damnationem futuram iram appellet. Et quia saluti et regno cœlorum, quod appropinquare dixerat, opponitur, et quia quod hic Matthæus venturam iram vocat, Christus, c. 23, 33, judicium gehennæ appellat.

Vers. 8. — Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Græca constructio; id est, ostendite vos non simulatè venire. Fructus pœnitentiæ dignos appellat omnia externa signa, ex quibus vera animi pœnitentia cognosci potest, quales sunt lacrymæ, præteritorum peccatorum detestatio, bona opera præcedentibus contraria.

Vers. 9. — Et ne velitis dicere intra vos. Facilius est hoc loco sensum interpretari, quàm verba. Nam sensum quidem hunc esse constat; Nolite contenti et securi esse quòd filii sitis Abraham, quasi id satis vobis ad salutem futurum sit. Operibus vobis opus est. Et, si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

Vers. 8. — Facite fructum, etc., ergo sola fides non sufficit, sed bonis operibus est solanda.

Vers. 9. — Abraham, in dativo casu: potest Deus Joan. 8, 59. Verba autem Græca sunt obscura, μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, *ne existimaveritis dicere*, aut *ne visi fueritis dicere in vobis ipsis*. Quod insitatum dicendi genus est, et de medio, ut opinor, sumptum; sicut et illud Lucæ 3, 8, *ne cœperitis dicere*; quod idem valet, ac si diceret, *desinite dicere*; sicut Gallice, *ne vous mettez point à dire*, et, *laissez de dire*: et Hispanicè, *dexaos de dezir*. Credendum est autem, idem hoc loco Matthæum alio verbo dicere voluisse: Ne videamini dicere, id est, ne ostendatis vos dicere, filii Abrahæ sumus. Ne ostendatis vos contentos esse quòd vos filios Abrahæ dicere possitis. Ne sitis contenti nomine, sed digna nomine opera factaque adhibete. *Si filii Abrahæ estis opera Abrahæ facite.* Hanc vim habent tria illa verba magno, ut mihi videtur, delectu ab evangelistâ usurpata, δοκεῖν videri, λέγειν dicere; utrumque enim verbum opponitur veritati, et in ostentationem ipsis, id est, non rebus et factis, sed opinione et verbis docentes vos filios esse Abrahæ. Eodem sensu D. Paulus videtur verbum ἔχειν usurpasse, ad Hebr. 4, 1.

Potens est Deus de lapidibus. Veros significat lapides, ex quibus non minùs potest Deus filios Abrahæ suscitare, quàm potuit Adam ex terrâ, Evam ex latere Adam, Genes. 2, 22, filium Abrahæ Isaac ex mortuâ jam vulvâ Saræ, Gen. 15, 4, 5, et Rom. 4, 19. Eò enim evangelista videtur alludere. Simul tamen spectat ad vocationem gentium, ex quibus Deus, quasi ex rudibus et impolitis lapidibus filios Abrahæ, id est, fideles facturus erat, ut Hieronymus et omnes veteres auctores interpretantur. Nihil magis distat à vitâ et ratione quàm lapis. Nihil difficilius quàm ex lapidibus homines, aut simile quidpiam facere. Usus ergo est in exemplum re omnium difficillimâ, ut doceret, nihil Deo esse difficile, ut c. 4, 3: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant;* et Luc. 19, 40: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt;* et Deut. 32, 13: *Ut sugeret mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo.* Quod autem Remigius refert dixisse quosdam Joannem hæc dicentem eos demontrâsse lapides, quos olim Hebræi Jordanem trajicientes in sempiternum monimentum erexerunt, Josue 4, 7, non est creditu necessarium, et nimis sententiam restringit. Illud malim observari, *suscitare filios*, Hebraicam esse locutionem, quæ plus quàm gignere significat, nempe gignere, unde videntur gigni non posse. Sic frater vivus fratri mortuo semen suscitare dicebatur, quòd mortuus quodam modo gignere videretur, Genes. 38, 8; Deut. 25, 5, 7; Ruth. 4, 10.

Vers. 10. — Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Quinque hoc loco sunt verba translata, ideòque difficilia. Securis, radix, arbor, excindi, in ignem mitti. Arborem hominem significare manifestum est, ut infra, c. 12, 33, *aut facite arborem bonam, et fructus ejus bonos, aut arborem malam, et fructus ejus malos*, et Luc. 13, 6, quid cætera significent, non ita est facile. Nam securim quidam verbum Dei, et virtualios suscitare Abrahæ filios, gentes nimirùm, et promissionem ei factam implere.

Vers. 10. — Jam enim securis, etc. Instat ultio di-

lem Evangelii, radicem unius cujusque fidem interpretantur, ut Iren. lib. 5, c. 17, et Hieronym. in comment. Alii securim mortem, radicem vitam, ut Athan., q. 43, et alii, quorum Euthymius meminit. Alii securim Christum, ut Greg., hom. 20 in Evangelia. Mihi facilis videtur esse sensus. Securim vocat divinum judicium, quod omnia ad vivum resecat, ut ex circumstantiis apparet: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Securis ergo vocatur terribilis et præcisa illa sententia: *Ite, maledicti, in ignem æternum*, c. 25, 41. Arbor hoc loco est Judæus; de illis enim loquitur; radix est Abraham, ex quâ omnes Judæi, tanquàm diversæ arbores, erant propagati. Probat enim Joannes non debere eos contentos esse, quòd filii essent Abrahæ, neque in radice suâ confidere, quæ paulò post excindenda sit. Confidant in Christo et bonis operibus, quæ excindi non possent. Hæc aptè ad hunc locum hærent. Atque ad hunc fermè modum Hilarius, Chrysostomus, et Theophylactus intelligunt. Illud tamen videtur esse difficile, quomodò Abraham excindendus esse significetur. Respondeo Joannem non dicere ipsum radicem excindendam esse, sed arborem, quæ non fecerit fructum bonum. Cur ergo securis ad radicem ponitur? non ut ipsâ radice, sed ut ab radice, hoc est, radicitùs arbores præcidantur, quo sensu ipsa etiam radix quodam modo præscinditur. Dicuntur autem Judæi ab Abrahamo, quasi à radice suâ, præscindi, quando divinâ sententiâ declarantur non esse veri filii Abrahæ, quòd non ejus fidem, operaque fuerint imitati. *Non enim, qui semen sunt Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est, non qui filii carnis; ii filii Dei, sed qui filii sunt promissionis*, Rom. 9, 7, 8, et Gal. 4, 28. Cur igitur nunc securis ad radicem posita dicitur, quasi ante non esset? Nam et ante, qui fidem et opera Abrahæ non imitabantur, non minùs quàm nunc excindebantur. Testes sunt Dathan et Abiron, Numer. 16, 31, testes tot millia in deserto prostrata, Num. 26, 65; 1 Cor. 10, 5. Respondeo propterea nunc excindi, non ante, quoniam ante aliquid juvabat Judæos esse filios Abrahæ secundùm carnem, quia propterea lex illis data est, quæ aliis gentibus non est data, et poterant facilius per legem, quàm sine lege salvi esse, ut docet D. Paulus, Rom. 3, 1, 2: *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcisionis? Multùm per omnem modum. Primùm, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Post Christi autem adventum nihil prorsùs juvat, quia Evangelium non magis illis, quàm cæteris gentibus prædicatur. *Lex et prophetæ usque ad Joannem Baptistam*; post Joannem autem Baptistam *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, c. 11, 12. Itaque si Abrahamum non imitentur, exciduntur à radice, et in ignem mittantur, id est, non magis filii Abrahæ, quàm gentes judicantur. Gentes autem excindi non dicuntur, quia nunquàm in radice fuerunt; id est, nunquàm filii Abrahæ secundùm carnem.

Vers. 11. — Ego quidem baptizo vos in aqua. Ego, qui homo tantùm sum, aquâ vos tantùm baptizo, et corpora solùm lavo.

In pœnitentiam. Ut pœnitentiam agatis, per eamque præparati eum recipiatis, qui post me venturus est. Monet enim vos baptismus meus, ut quemadmodùm aqua corpus abluit, ita vos curetis animos vestros à peccatorum maculis abluere.

Qui autem post me venturus est, qui post me venit; significat enim jam natum esse, propèque adventare, id est, Christus.

Fortior me est, potentior, majorisque virtutis est, ita prorsùs, ut dignus ego non sim ejus calceamenta portare, id est, vel vilissimâ in re illi servire. Eamdem sententiam alii evangelistæ Marc., c. 1, 7; Luc., c. 3, 16, et Joan., c. 1, 26, 27, diversâ phrasi expresserunt; nec enim ipsa Joannis verba, sed sensum recitare voluerunt. Sensus autem idem est, quia utrâque phrasi abjectissimum declaratur ministerium, quemadmodùm si Gallicè quis diceret, non sum dignus portare tibi librum, alius verò, non sum dignus ingredi in scholam tuam, uterque diversâ phrasi idem significaret, se non esse dignum, qui discipulus ejus sit. Ea phrasis quâ Matthæus utitur, portare calceamenta, aut sandalia, aut solea, sumpta est ex Hebræorum consuetudine, qui sacratiorem locum ingressuri calceos ponebant, quod nunc Turcæ et Africani faciunt, ut Exodi 3, 5, et Josue 5, 15, perspicuum est. Qui ergo illustriores erant, puerum habebant, qui calceos, cùm posuissent, portaret, quemadmodùm nunc apud nos post viros paulò nobiliores vilissimus puer crepidas portat. Ad eam consuetudinem Matthæus allusit. Alii verò evangelistæ ad formam calceatûs; nam in calidioribus regionibus calcei soleis tantùm infernè constabant, superne ligabantur vinculis, quæ à Græcis ἱμάντες, à Latinis crepidæ dicebantur. Itaque solvendæ erant, antequàm extrahi possent. Ex parte igitur totum significatur, id est, ex vinculorum solutione tota excalceatio; sicut Galli dicunt: Non sum dignus illum excalceare. Itaque quod Cosmas Græcus auctor scribit, quemadmodùm in Græcâ Catenâ citatum invenio, corrigiam illam, quam Joannes se solvere non posse dicit, conjunctionem humanæ divinæque in Christo naturæ esse, quam nemo solvere, nec vinâ. Iterùm bona commendat opera, ut necessaria, non solùm in testimonium, professionem fidei.

Vers. 11. — Calceamenta portare. Alii evangelistæ corrigiam calceamenti solvere, in eamdem sententiam. *Potuit sic dicere, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare: ut unus evangelistarum hinc aliud, alii verò aliud, omnes tamen verum narraverint*, inquit, Aug., lib. 2, de Cons., c. 12, idque eo in libro sæpiùs inculcat, quòd *non tam verborum, quàm rerum quærenda, vel amplectenda est scriptis.* Hinc Maldonatus in c. 21 Joannis: *Per sanctos scriptores ita accommodè locutus est Spiritus sanctus, ac si ipsi suo modo, concepta, voce, loquerentur et scriberent.* Baptismus mersionem significat. Baptizabit. Quod nunc confero baptisma, externum est tantummodò, idque ad aliud præparat. Longè præstantius, quod purgabit animam, et jus illi in cœlestem hæreditatem dabit. Joannes baptismo suo et prædicatione excitabat ad pœnitentiam, non peccata auferebat.

enodare, nemo explicare possit; generationem enim ejus quem posse enarrare? magis mysticum quàm litterale est. Hic ergo tantò me fortior ac major, quia non homo tantùm, sed etiam Deus est, baptizabit vos Spiritu sancto et igne, id est, non solùm corpora, ut ego aquâ; verùm animos etiam vestros effuso Spiritu sancto purgabit, divinoque inflammabit igne. Hic hujus loci verus et simplex sensus est, quemadmodùm, ut postea dicemus, omnes auctores veteres explicârunt. Neque longiore opus fuisset commentario, nisi novi hæretici, sicut alia multa, ita etiam hunc locum perversissimâ interpretatione depravâssent, Joannes, inquiunt, baptismi sacramentum instituit, à Christi baptismo nullâ re diversum, nisi quòd aliâ dabatur manu, uterque ex aquâ, uterque ex Deo, uterque in pœnitentiam, uterque in remissionem peccatorum, uterque in nomine Christi, uterque eamdem fidei confessionem requirebat, uterque eâdem doctrinâ tradebatur, neque à Joanne Christus alium baptismum, quàm suum recipere voluisset. Utinam possemus tam breves esse, quàm cupimus, sed cùm de fide agitur genus quoddam perfidiæ est, aut hæreticis parcere, aut nimis esse brevem. Si certè essemus fore ut brevi tempore scholas Theologicas in lucem ederemus, ad eas lectorem mitteremus, ubi jamdiù satis, ut arbitror copiosè, hunc errorem refutavimus. Qui eumdem Joannis et Christi baptismum fuisse putant, neque quid hoc loco Joannes dicat, neque cur dicat ullo modo videntur intelligere. Quorsùm enim de baptismo Christi mentionem inferret, nisi ut ex diversâ baptismi conditione diversam personæ suæ, et Christi conditionem probaret? Persuasum habebant Judæi fore ut Christus, cùm veniret, baptizaret, Joan. 1, 25, videbant baptizare Joannem, incipiebant dubitare an esset Christus. Propterea mittunt ad eum sacerdotes et Levitas, ut interrogent: *Tu quis es?* et de baptismo cum eo disputent, Joan. 1, 19, 25: *Existimante autem populo* (inquit Lucas) *et cogitantibus omnibus in corde suo de Joanne, ne fortè ipse esset Christus, respondit Joannes dicens omnibus: Ego quidem aquâ baptizo; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus; ille vos baptizabit Spiritu sancto et igne*, c. 3, 15, 16. Probat utique ex effectu baptismi se non esse Christum; quod ipse solâ aquâ, Christus Spiritu sancto, ipse corpora, Christus animos lavet. Non loquitur, inquiunt hæretici, de Christi in aquâ Baptismo, sed de effusione Spiritûs sancti die Pentecostes. Esto de illâ loquatur, negari tamen, nisi imprudenter, non potest de Christi quoque in aquâ baptismo loqui, de quo Christus ipse dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3, 5. Nam quod istorum quidam negant eo loco agi de baptismo, tam est absurdum, ut refutari non debeat. Baptismus Christi ex aquâ et Spiritu sancto, sicut homo ex corpore et animo constat. Joannis baptismus ex solâ aquâ constat, neque enim, ut ipse testatur, confert Spiritum sanctum; non igitur idem est. Præterea cùm Joannes dicit: *Ille vos baptizabit Spiritu sancto et igni*, manifestum est ex Joannis c. 3, 5, intelligendum esse, *non tantùm aquâ*, q. d.: Ille vos baptizabit, non tantùm aquâ, sed etiam Spiritu et igne; ergo è contrario cùm dicit: *Ego baptizo vos aquâ*, eadem particula, *tantùm*, intelligenda est. Quod si ita est, baptismum suum Christi baptismo longè inferiorem facit. Hanc etiam vim habet illud epitheton ἰσχυρότερός μου, *fortior ac potentior me*; cur enim potentiorem potiùs quàm meliorem, sanctiorem, majorem appellavit; nisi quia probare volebat se non posse per baptismum suum facere quod ille facturus erat. Præterea Joannes dicit se baptizare in pœnitentiam, Marci 1, 4; Luc. 3, 3; Actor. 19, 4, ideòque baptismus pœnitentiæ vocatus est, quod de Christi baptismo nusquàm legimus. Quia nimirùm baptismus Joannis non jam actâ, sed ut ageretur; baptismus Christi non ut ageretur, sed jam actâ pœnitentiâ conferebatur. Joannes non dicitur prædicare pœnitentiam et baptismum, sed baptismum et pœnitentiam, aut, quod idem est, baptismum pœnitentiæ, quia baptismus præcedebat, pœnitentia sequebatur; de Christi autem baptismo Petrus non dicit, baptizetur unusquisque vestrùm, et pœnitentiam agat; sed: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrùm*, Act. 2, 38, quia baptismus sequebatur, pœnitentia præcedebat. Non idem igitur erat. Quod autem clarius potest testimonium esse, quàm quòd ii qui Joannis baptismum acceperant, jubentur iterùm à Paulo baptizari, Act. 19, 5. Negant nonnulli ex istis bonis interpretibus Ephesios quos Paulus denuò baptizari jubet, Joannis baptismum accepisse. At illi affirmant. Utris magis credemus? Interrogati enim à Paulo: *In quo ergo baptizati estis?* respondent: *In Joannis baptismate.* Interpretantur homines accti baptizatos fuisse baptismo Joannis, id est, doctrinâ Joannis imbutos; baptizari enim est illîs docere. Primùm quidem ab illis exigimus, ut aliquo exemplo doceant baptismum accipi pro doctrinâ; nec enim illis, tantis scilicet sectatoribus verbi Dei, nisi verbo Dei novam istam grammaticam probantibus, volumus credere; quod hactenùs non fecerunt. Petiissent à nobis, unum illis locum obtulissemus, quem si animadvertissent, magnâ nobis confidentiâ jamdiù objecissent. Interrogat Christus principes sacerdotum, Matth. 21, 25, 26: *Baptismus Joannis unde erat, ex cœlo an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes: Si dixerimus è cœlo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi?* De baptismo interrogati, quasi baptismus, et quidem ille Joannis de quo disputamus, et doctrina idem essent; de doctrinâ respondent. At homines cauti non quid Christus interrogaret, sed quorsùm intenderet, considerârunt. Sciebant enim doctrinam non quidem eamdem, sed conjunctam cum baptismo esse oportuisse. Nam cùm intelligerent neminem, nisi à Deo missum baptizare potuisse, esseque baptismum divinum doctrinæ testimonium, videbant se baptismum probare non posse, doctrinam repudiare. Baptismum in sacris Litteris pro igne, pro morte, pro afflictione positum legimus pro doctrinâ non legimus. Si Ambrosium legissent, magnum se auctorem sententiæ suæ habere

existimarent. Sic enim lib. 1 de Spiritu sancto, c. 3, loquitur: *Ergo isti* (Ephesii) *quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritûs sancti baptizati fuerant; non potuerant accipere baptismatis sacramentum. Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi; nec iteratum est in his baptisma, sed novatum.* At Ambrosius non negat illos fuisse baptismo Joannis baptizatos, sed baptismi sacramentum accepisse, quod iterari non potest. Unde potiùs sequitur Joannis baptismum, quem accepisse illos confitetur, cùm sacramentum non fuerit, à Christi baptismo, quod sacramentum erat, fuisse diversum, ut paulò post ex eodem Ambrosio demonstrabimus. Alii baptizatos baptismo Joannis concedunt; iterùm verò baptizatos negant. Quos non minùs quàm alteros Lucæ verba redarguunt. *His*, inquit, Act. 19, 5, *auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu.* Jam dixerant se Joannis baptismate baptizatos. His autem auditis non in nomine Joannis, sed in nomine Jesu, id est, non Joannis sed Christi baptismum recipiunt. Quid clarius dici potuit? quid verò est: *His auditis?* cùm audissent ex Paulo alium esse Joannis, alium Christi baptismum, nec baptismo Joannis homines christianos, sed pœnitentes, et catechumenos fieri: *Joannes*, inquit, vers. 4, *baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Jesu.* Interpretatur hæreticus baptizatos in nomine Jesu, id est, Christi doctrinâ instructos fuisse. Sed jam probavimus baptismum nunquàm accipi pro doctrinâ, et ex ipsorum opinione, atque ex hoc ipso loco manifestum est. Si enim baptizari fuit doceri, non potuerunt Joannis baptismum sine baptismo Christi recipere, quia, ut isti dicunt, baptismus Joannis et Christi ideò idem erat, quia eadem in utroque doctrina tradebatur. Deinde si idem fuisset doceri, ac baptizari, non dixisset Lucas: *His auditis baptizati sunt.* Audire enim fuit doceri, et si doceri fuit baptizari, perinde est ac si dixisset, *baptizati baptizati sunt*, ridicula prorsùs ταυτολογία. Deinde si doceri fuit baptizari, ergo cùm illi Ephesii secundò baptizati dicuntur, à Paulo sunt baptizati. Nam ab illo docti sunt, ut Lucas manifestè indicat non fuisse à Paulo baptizatos. *His auditis baptizati sunt, et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Si à Paulo baptizati fuissent, non dixisset: *Baptizati sunt, et cùm imposuisset illis manus Paulus*; sed cùm illos Paulus baptizâsset, et manus eis imposuisset. Denique cùm eodem loco bis baptizati fuisse dicantur, primùm Joannis baptismate, dein in nomine Jesu, cujus est judicii idem verbum in eodem loco positum diversâ significatione interpretari? Error suâ ipse arguitur novitate. Nam antequàm novi isti evangelistæ venirent, nemini in mentem venerat dicere Joannis et Christi eumdem fuisse baptismum; contra verò non interrogati, non ullâ coacti disputatione omnes, quotquot fuêre veteres auctores negaverunt, Justinus, q. ad Orthod. 37; Tertullian., in lib. de Bapt.; Origen., lib. 5 in epist. ad Romanos, c. 6, et tomo 6, in Joann.; Optatus, lib. 5 adversùs Parmenianum; Chrysost., hom. 10 in Matth., et hom. 1 in Marc.; auctor Imperfecti, hom. 3; Ambros., lib. 2 in Luc., c. 3, et in præfat. in psal. 37, et serm. 16, in psal. 118; Athan., q. 134; Gregor. Nazian., in oratione in sancta Lumin.; Basil., in exhortatione ad baptismum, et in oratione de Baptismo Joannis; Hieronym., adversùs Luciferianos; Cyrill. Alexand., lib. 2 in Joan., c. 57; August., sexcentis penè locis; illustriores indicabo, lib. 2 contra litteras Petiliani, c. 37, et lib. 3, c. 56; lib. 5, de Bapt. contra Donat., c. 9, 10, 15, in Enchir., c 49; epist. 48; Gregor., hom. 20 in Evangel., ut posteriores Bedam, Theophylactum, Œcumenium, Anselmum prætermittam. Poetas nobis Prudentium, et Juvencum aliquis objiciat, qui uterque baptismum Joannis Christi baptismo videntur æquiparare. Peccata enim remisisse dicunt. Possem respondere non subtiliter, sed poeticè locutos; sed non opus est poesi sententiam excusare, cùm possimus in bonam partem interpretari. Multi enim veteres auctores eodem modo locuti sunt, qui iidem tamen negant eumdem Christi atque Joannis fuisse baptismum, in quibus Basilius, in hom. de Baptismo Joannis; Chrysost., homiliâ in Matth.; August., lib. 5 de Bapt. contra Donat., c. 10; Gregor., hom. 20 in Evangel.; Beda in 3 c. Luc.; Theophylact., hoc loco. Dicunt enim baptismum Joannis datum fuisse in pœnitentiam in remissionem peccatorum, Luc. 35, non quòd per illum peccata remitterentur, sed quòd ad pœnitentiam excitaret; per pœnitentiam verò aut tunc, aut post Christi accedente baptismo remitterentur. Propterea non legimus Joannis baptismum remissionis peccatorum, sed baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum appellatum, quia non per illum, sed per subsequentem, aut præcedentem pœnitentiam peccata remittebantur. Nec opus est exteris hæreticorum argumentis respondere, et quia non scholas, sed commentarios scribimus; et quia adeò infirma sunt, ut ipsâ per se confirmatâ veritate concidant, eodemque consilio illas quoque quæstiones, quæ à theologorum potiùs scholis petendæ sunt, prætermittimus, num Joannis baptismus fuerit sacramentum, num certâ verborum formâ datus, num ad veterem, an ad evangelicam legem pertineret, et, si quæ sunt, similes.

Et igni. Sunt qui ignem hoc loco purgatorium interpretentur, quo homines post mortem quodammodò baptizantur, id est, à peccatorum maculis, si quas adhuc habent, abluuntur, ut Origen., tract. 9 in Matth., et hom. 24 in Luc., et Hilar., et Hieronym., hoc loco. Sed dubium non est, quin per ignem Spiritus sanctus significetur. Conjunctio enim *et*, hic non est conjunctiva, sed explicativa. Addita autem est explicatio, ut non qualiscumque Spiritûs sancti communicatio, sed illa illustrissima, quæ die Pentecostes specie ignis

Vers. 12. — Supplicium æternum hoc in loco indicat: nec tamen, inquit Estius, pœna ignis materialis hinc apertè colligitur, cùm totus sermo sit metaphoricus.

facta est, significaretur. Argumentum est, quòd cùm Christus de solo baptismo aquæ agit, Joann., 3, 5, hanc explicationem non addit.

Vers. 13. — Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem. Cur Christus à Joanne, dominus à servo baptizari voluerit, unam ipse, vers. 15, rationem declarat, ut scilicet omnem impleret; alias valdè probabiles antiqui theologi tradiderunt. Primam, ut hâc ratione testimonium Christo de cœlo præberetur, ut Hieronymus ait. Hâc enim potissimùm de causâ Joannes jussus est baptizare, ut confluentibus undique ad eum populis Christum illis ostenderet. Secundam, ut Joannis baptismo auctoritatem daret. Tertiam, ut eâ re ad suum baptismum homines alliceret, et, ut ait Augustinus, ne homines gravarentur ad baptismum Domini venire, cùm non gravarentur Dominus venire ad baptismum servi. Quartam, ut aquas suscipiendo baptismo sanctificaret; Epiphanius in Ancorat. Addere possumus voluisse Christum, antequàm doceret, quodammodò initiari, et, ut ita dicam, seipsum Christum docturus, christianus fieri, si quo modo Joannis baptismus facere christianum poterat, quia viam ad Christum præmonstrabat. Illud certum, non necessitate ullâ agendæ pœnitentiæ, pœnitentiæ baptismum accepisse eum qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus; sed potiùs, ut peccata nostra in desertum, sicut olim hircus, deportaturus, in pœnitentiæ et peccatorum baptismo peccatoris personam induceret.

Vers. 14. — Joannes autem prohibebat eum. Prohibebat, quia sciebat eum baptismo non indigere, et quia, si non indigeus baptizari vellet, se tamen, ut illum baptizaret, meritò indignum judicabat. Hoc est: *Ego à te debeo baptizari, et tu venis ad me?* ex quo perspicuum est Joannem Christum, quis esset, cognovisse. Quod manifestius ex Joanne est, c. 1, 29, 30. *Alterâ die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est.* Unde nascitur quæstio, quomodo idem Joannes, vers. 33, dicat: *Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, ille est qui baptizat in Spiritu sancto et igni.* Nostri hæretici pene hæreticum D. Joannem faciunt, quasi antequàm descensu Spiritûs sancti doceretur, non satis firmam de Christo opinionem habuerit. August., quem Stratus et Lyranus secuti sunt, cognovisse quidem ante esse Christum; sed non cognovisse eum sibi potestatem in igne baptizandi soli reservatorum, donec Spiritum super eum vidit descendentem. Ait jam dixerat: *Ille vos baptizabit Spiritu sancto et igni.* Itaque melius, ut mihi videtur, Chrysost., homil. 16 in Joannem, Euthym. et Theophylactus, Joan. 1, 33, semper eum redemptorem Deumque, et quidquid erat cognovisse, cùm ad ejus adventum in utero etiam matris exultâsset, sed de facie non cognovisse, antequàm ad baptismum veniret, cùm Christus in Nazareth, et in Ægypto, ipse in solitudine totam ante vitam transegisset. Simul autem atque vidit, divino afflatu cognovit illum ipsum esse, quem instàm sciebat, quem post se venturum, et in Spiritu et igne baptizaturum prædicaverat, quemadmodum olim Samuel, ut ait Rupertus, auctor meliore sanè dignus tempore, certo sciebat inter filios Isai unum esse, qui in regem ungendus erat, cùm neminem eorum de facie cognovisset, et simul atque Davidem vidit, Deo inspirante, eum esse cognovit, 1 Reg., 16, 12; nam eorum non probo sententiam, qui columbam super Christum, antequàm baptizaretur, venisse dicunt, Evangelistarum, ut mihi videtur, verbis repugnantibus. Quorsùm ergo Joanni à Deo dictum est: *Super quem videris Spiritum descendentem, ipse est?* Respondet Hilarius, lib. 6 de Trinit., id non Joanni propter ipsum, sed propter adstantem populum dictum esse, ut divino testimonio illum Christum esse doceret, quem antequàm cognovisset, prædicaverat, ne quis, ut ait Chrysostomus, existimaret solius Joannis testimonium divino testimonio non confirmatum, aut cognitioni, aut familiaritati et gratiæ datum esse. Quid ergo Joannes ex descensu Spiritûs sancti, et ex voce cœlitùs auditâ cognovit? nihil novi, sed ea cognito, quam ante habebat, et perfecta, et confirmata est, ut ait Beda et Rupertus in 1 cap. Joannis.

Ego a te debeo baptizari; Mihi opus est à te baptizari. Nam quod quidam propiùs ad verba referrent, necesse habeo, plus quiddam mihi videtur significare. Colligunt nonnulli auctores ex hoc loco Joannem postea à Christo baptizatum fuisse, tum ex illis etiam, quæ sequuntur: *Sine modò*, Chrysost., Hieronym., auct. Imperfect., hom. 4, Euthym. et Theophyl., hoc loco.

Vers. 15. — Sine modò. Modò, cùm nondum sum descensu Spiritûs sancti, et voce de cœlo missâ Christus declaratus, non tanquàm Christus, sed tanquàm unus de cæterorum hominum numero homo privatus accedo; ideòque non debes recusare mihi quòd major te sim, baptismum sicut cæteris impendere. Chrysost., Euthym., Theophylact., quod verò auctor Imperfecti, 4, interpretatur: *Sic*, id est, priùs faciendo quàm docendo, *cæpit enim facere, et docere*, Act. 1, 1, subtile. Ego accommodatè ad personas et rem subjectam interpretor *sic*, id est, dùm major à minore, dùm dominus à servo lepitzatur.

Decet. Quamvis non necessarium sit; tamen convenit. Opera, ut vocant, supererogationis.

Nos. Quidam exponunt, *nos*, id est, omnes homines, qui docendi munus suscipimus. Malim sic, *Nos*, id est, me suscipiendo, te dando baptismo.

Implere, nihil præterminendo, non solùm ex iis quæ necessaria, sed etiam ex iis, quæ facta utilia et decora sunt. Hæc enim vis est verbi.

Vers. 14. — A te debeo baptizari. Baptismo Christi opus habebat, saltem invisibili.

Vers. 15. — Omnem justitiam, perfectam justitiam. Sunt qui legis justitiam interpretentur, quæ in variis, ut loquitur D. Paulus, baptismatibus et cæremoniis externis consistebat, Hebr. 9, 10, quam Christus implere voluerit, sicut circumcidi voluit, quia non venit solvere legem, sed adimplere, Matth. 5, 17, ut Hieronym. et Euthym., quibus necesse est dicere baptismum Joannis veteris legis sacramentum fuisse, quod multi de scholâ theologi magistrum secuti suum, docuerint. Melius D. Thomas, qui unus instar est omnium, neque sacramentum fuisse, neque cæremoniam legis, sed mediam inter legem et Evangelium, à Deo quidem, sed ad breve tempus institutam, ut Christus ejusque baptismus introduceretur, sicut Joannes ipse inter legem et Evangelium, inter prophetas et Christum medius fuit. Nomen ergo justitiæ hoc in loco nec ullam partem veteris legis, neque virtutem ullam in præcepto positam quamque observare necesse esset, significare arbitror; sed quidquid sancti viri virtuti et officio consentaneum est, etiamsi non facere sine peccato liceat. Hoc enim omnia indicant verba, dixerat Joannes: *Ego à te debeo baptizari*, quasi dicat, tu à me non debes, id est, non indiges, οὐ χρῄζει ἐμοῦ, respondet Christus, etsi non oportet, tamen decet me abs te baptizari, ut impleamus omnem justitiam, id est, ut non solùm, quæ præcepta, sed etiam quæ honesta et sanctimoni consentanea sunt faciamus. Cur autem decuerit baptizari Christum, diximus, vers. 13.

Vers. 16. — Et baptizatus Jesus confestim ascendit de aqua. Adverbium confestim non temerè sed significanter additum esse constat ex Marc. 1, 10, qui et ipse addidit. Quod Euthym. scribit ideò Evangelistam dixisse Christum statim ab aquâ ascendisse, ut inter Christum et Joannem alios homines, quid interesset, significaret: solitum quippe fuisse Joannem cæteros in Jordane collo tenùs immersos manu capiti impositâ detinere donec peccata sua confiterentur; Christum verò, quia peccatum, quod confiteretur, non habebat, statim ascendisse, ab eo creditum ac dictum miror. Quod autem ait Chrysostomus; ideò statim ascendisse, ut significaret eos, qui baptizantur statim à peccatis, quasi in novam vitam, ascendere, morale est, et nos litteralem quærimus sensum. Existimo igitur trajectionem esse quales multas in novo præsertim Testamento animadvertimus. Et illud *statim*, aut *confestim*, non ad verbum, ascendit, sed ad id quod sequitur referendum, *et ecce aperti sunt ei cœli*, quo sic esse verbo copulanda; statim ut baptizatus est, ita ut vix è flumine ascendisset, aperti sunt ei cœli. Hunc esse sensum apparet ex Marco, *et statim*, inquit, *ascendens ex aquâ vidit cœlos apertos*, id est, statim, ut ascendit, vidit. Ratio quoque docet hunc esse sensum. Nam, ut diceretur Christus statim post acceptum baptismum à flumine ascendisse, nulla causa erat. Quis enim dubitâsset? aut quid jam baptizatus Christus in flumine fecisset? ut autem diceretur tam, ut Jacobi, 4, 2: *Omne quidium*: decet nos omne quod justum est. Dixerit, sivit eum facere.

Vers. 16. — Et vidit; an Christus ipse, tum verò

statim post baptismum et exsecensionem è fluvio apertos vidisse cœlos, non solùm utilis, sed etiam necessaria causa erat. Voluit enim Evangelista docere cœleste illud divinumque testimonium ita cum baptismo nullâ interpositâ morâ fuisse conjunctum, ut nihil aliud expectâsse videatur Deus ut testimonium de Christo suum exhiberet, nisi ut baptismus, et Joannis præcederet testimonium. Debuit enim hominis Deus, non Dei homo testimonium confirmare. Qui autem quærunt cur evangelistæ ascendendi potiùs quàm exeundi verbo usi fuerint, ignorare videntur terram altiorem esse quàm flumina. Lucas, orante Christo, cœlos apertos et columbam descendisse narrat; itaque credendum est eum simul atque in terram evasit sese in genua provolvisse, ut reverenter Patris testimonium exciperet. Nam et filii benè instituti, dùm ipsos parentes alloquuntur, caput aperiunt.

Et ecce aperti sunt ei cœli. Ei, id est, Christo, ut ex hujus loci contextu, et ex Marc. c. 1, 10, manifestum est. Credendum est omnibus, qui adstabant, apertos fuisse, id est, ab omnibus tanquàm apertos visos fuisse, cùm propterea vero simile sit apertos fuisse, ut omnes intelligerent et Spiritum sanctum, et vocem de cœlo descendisse. Sed Christo tantùm aperti dicuntur, quia propter eum aperti sunt. An autem reipsà, an solâ specie aperti fuerint, magni non refert; sed quia quæri solet, dici debet. Chrysostomus de cœlis ubique non aliter, quàm de cæteris corporibus sentiens, indicare videtur, apertos reipsà fuisse. Auctor verò Operis Imperfecti, hom. 4, et Hieronym. hoc loco, et in cap. 1 Ezechiel, non reverà, sed visu, quorum est sententia probabilior, et quia ad id, quod agebatur, efficiendum nihil referebat, utrum reipsà, an solâ specie aperirentur, et quia non est credibile cœlorum soliditatem fuisse non necessariò violatam et quia similiter aliis locis aperti fuisse dicuntur, ubi reipsà apertos non fuisse constat, Genes. 7, 11, et Act. 7, 56, ubi si reverà aperti fuissent, non solus Stephanus, sed omnes qui aderant, apertos vidissent, cùm solus Stephanus vidisse referatur: et quin, ubi è contrario claudi dicuntur; non reverà claudantur, cùm aperti ante non essent, ut Deut. 11, 17; 3 Reg. 8, 35; 2 Par. 6, 26, et 7, 13.

Et vidit. Plerique referunt ad Joannem, quia Joannis 1, 33, dicit: *Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, ille est*, etc., quod valdè mihi coactum videtur, cùm post initium vers. 14, Joannes non fuerit nominatus, et omnia quæ præcedunt verba ad Christum referantur; et Marcus Matthæi interpres, c. 1, 10, dicat: *Et statim ascendens de aquâ vidit cœlos apertos, et Spiritum, tanquàm columbam, descendentem super ipsum.* Quod autem dicitur Joan. 1, 33, non est contrarium, quia, ut paulò ante diximus, non solùm Christus et Joannes; sed omnes etiam qui aderant, apertos cœlos, et

legendum esset, ut in Vulgatâ, descendentem super se? An Joannes? tumque legendum esset, *super ipsum*, ut est in Græco et in Syro. Ex Marco, cap. 1, Jesus

Spiritum descentem viderunt; Christus, quia propter ipsum, Joannes, quia hoc illi à Deo datum erat signum: alii ut eo signo Joanni crederent. Sed nimirum non omnes evangelistæ omnia dicere voluerunt. Matthæus et Marcus, quia de Christo agebant, dixerunt eum Spiritum descendentem vidisse; Joannes de Joanne agens Joannem vidisse dixit. Turbam quæ aderat, vidisse nemo dixit, quia de illâ agebat nemo.

Sicut columbam. Tertullianus, lib. de Carne Christi veram putat fuisse columbam, idemque D. Augustinum sensisse, in lib. de Agone christiano, c. 22, plerique existimant; quod ideò non credo, quia nec eo loco quidquam aliud Augustinus probat, quàm verum fuisse corpus, quod longè aliud est quàm veram esse columbam, et multis aliis locis non veram columbam, sed columbæ speciem fuisse docet, quemadmodùm omnes alii auctores, quos legere memini, docuerunt. Ambros. in præfat., lib. 3 de Spiritu sancto; August., aut quisquis est, lib. 3 de Mirabilibus sacræ Scripturæ, c. 5. Quod eò est probabilius, quòd omnes evangelistas, quasi de industriâ, particulâ similitudinis usos esse videamus, et quòd ad id, quod agebatur, necessarium non fuerit veram esse columbam. Utrùm autem verum fuerit corpus columbæ speciem præ se ferens, an ne corpus quidem reipsà fuerit, sed quasi corpus esset, ita ab adstantibus visum; diversa est quæstio. In quâ Augustini probo sententiam, verum fuisse corpus, quia, si verum non fuisset, aut non ab omnibus visum esset, aut tot fuissent facta miracula, quot homines fuerunt, cùm miraculum non in columbæ corpore, sed in oculis hominum fieret, quod non est temerè concedendum. Illud tamen cavendum, quod D. Augustinus admonuit, ne existimemus sic Spiritum sanctum cum corpore columbæ; sicut filium Dei cum naturâ humanâ hypostaticè unitum fuisse, quod videtur Tertullianus existimâsse; sed sicut angelos, ut ab hominibus viderentur, humana sæpè corpora sumpsisse legimus. Non sine causâ à nonnullis quæsitum est, cur hoc loco Spiritus sanctus specie columbæ descendat; die autem Pentecostes specie ignis atque linguarum, Act. 2, 3, facilis ratio. Nunc in Christum descendit, non ut ascendat, quia ipse Deus erat, Deus autem ignis consumens est; non ut loqui doceat, quia diffusa erat gratia in labiis ejus, sed ut testimonium de illo perhibeat. Qui autem testimonium perhibet, debet personæ, de quâ loquitur, naturam, proprietatesque declarare. Dictum erat de Christo, *arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet*, et quidem eo loco dictum erat ubi de descensu in eum Spiritûs sancti agebatur, Isai. 42, 1, 2, 3: *Dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Dicit ipse de se Christus: Discite à me, quia mitis sum et humilis corde, Matth. 11, 29. Columba mitissimum est animal, et, ut ait Cyprianus, sine felle amarum, sine morsibus sævum. Credo etiam specie columbæ naturam, et, ut ita dicam, habitum Spiritûs sancti declaratum; omnium largitor gratiarum Spiritus est, *dividens singulis, prout vult*, 1 Cor. 12, 11. Columba gratiam, mansuetudinemque significat amorem quoque Patris in Christum declarari suspicor, ut colombæ species voxque audita consentiant: *Hic est Filius meus dilectus.* Est enim columba amantissimum animal, carmen semper amatorium immurmurans. Itaque sponsa illa Dei amantissima columba sæpè, quasi dilecta, appellatur: *Columba mea, formosa mea*, Cant. 2, 10, 14; *soror mea, columba mea*, Cant. 5, 2; *Una est columba mea*, Cant. 6, 8. Apostolis verò datus est Spiritus sanctus, quia indigebant, ut eos charitate inflammaret, et variis linguis loqui doceret, ideò specie ignis atque linguarum datus est.

Et venientem super ipsum Christum, ἐπ' αὐτὸν super ipsum, pro ἐφ' ἑαυτὸν super se. Solent enim aliquando Græci, sæpè verò Septuaginta, et Latinus interpres pronomina demonstrativa pro reciprocis ponere, quia eadem apud Hebræos vox עלו utrumque significat. Vide 1 Reg. 17, 39, et 25, 6. Cur Spiritus sanctus super Christum recens baptizatum descenderit, difficilis non est conjectura, et veteres theologi, Irenæus, lib. 3, c. 19, Justinus in Tryphon., Ambrosius in præfatione, lib. 3, de Spiritu sancto, et Hieronymus, q. 2 ad Algasiam scriptum reliquerunt. Dixerat Isaias, c. 11, 1, 2: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs*; dixerat, c. 42, 1: *Dedi super eum spiritum meum, judicium gentibus proferet*; dixerat c. 61, 1: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Debuerunt impleri prophetiæ. Debuit Spiritus sanctus super Christum venire, et, ut ait Joannes, c. 1, 33, super ipsum manere, hoc est, requiescere, et quidem tunc, cùm, ut annuntiaret mansuetis, et mederetur contritis corde, prædicaretque captivis indulgentiam, et clausis apertionem, Baptismo quasi magisterio quodam initiabatur, ut omnes eum esse Christum intelligerent, de quo fuisset Isaias tam longo ante tempore vaticinatus. Itaque ipse Christus cùm secundum illum Isaiæ locum in Synagogâ legisset, addidit: *Hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris*, Luc. 4, 21. Aliam rationem Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus afferunt, ut inde intelligeremus etiam nobis Spiritum sanctum, quamvis minimè videamus, baptizatis dari. Sed hæc ratio minus convenit, quia nos non per Joannis, sed per Christi baptismum Spiritum sanctum recipimus. Certè altera melior, quia illud præcessit, hoc secutum est.

Vers. — 17. Hic est filius meus dilectus. Marcus c. 1, 11, et Lucas, c. 3, 22, dicunt: *Tu es filius meus.* Quæ ideò contraria non sunt, quia credendum est alios evangelistas verba, alios sensum retulisse. Utri autem verba incertum; verosimile tamen est Marcum et Lucam verba recitâsse, et quia plures sunt, et quia consentaneum fuit, ut in quem Spiritus sanctus descendebat, ad eum vox dirigeretur. Sicut in transfiguratione, quia vox dirigebatur ad apostolos, non dixit: Tu es Filius meus; sed: *Hic est Filius meus dilectus*, Luc. 9, 35, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός. Hic est Filius ille meus, ille inquam, charissimus. Ostendit enim gemino articulo se non de quovis, sed de naturali, de unico, de æterno, de sibi æquali Filio loqui. Nam cæteri adoptione tantùm filii sunt; ἀγαπητὸς dilectum, aut quod amplius est, charissimum Athanasius in oratione adversùs Arianos, quòd Deus ex Deo sit verbum, unigenitum interpretatur. Hoc enim epitheto non apud Homerum solùm, sed etiam in sacris Litteris unigenitos filios solitos appellari, Genes. 22, 2: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis*, sicut è contrario, Joan. c. 3, 16, et 1 epistolâ 4, 9, *unigenitum* posuit pro charissimo: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

In quo mihi benè complacui, ἐν ᾧ εὐδόκησα, ad verbum, in quo placui. Sed noster interpres explendæ sententiæ causâ, dandi casum addidit. Verbum est valdè in sacris Litteris usitatum sicut et nomen εὐδοκία, inde derivativum. Noster interpres εὐδοκεῖν solet vertere, sibi complacere, ut Matth. 12, 18, et 17, 5; Marc. 1, 11; Luc. 3, 22, et 12, 32; ad Colos. 1, 19; 2 Petr. 1, 17; εὐδοκίαν autem beneplacitum, ut ad Ephes. 1, 9, aliquando bonam voluntatem, ut Lucæ 2, 14. De quibus duobus verbis multa ab interpretibus disputantur, quæ etsi vera sunt, tamen non videntur eorum vim prorsùs exprimere, sensumque complere. Græcum verbum à Septuaginta interpretibus introductum est, qui ubicumque ferè Hebraicè erat רצה verterunt εὐδοκεῖν, ut Psal. 39, 14, 43, 4; et 149, 4, nec memini eos uspiam aliter vertere, nisi Isai. 42, 1; quare ex verbo Hebraico רצה Græci verbi εὐδοκεῖν vis intelligenda est. רצה autem Hebraicè cùm multa significat, tum etiam aliquando placari, reconciliari, in gratiam redire, ut psal. 76, 8: *Numquid in æternum projiciet Deus, et non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Hebr., לרצות עוד, ut iterùm reconcilietur. Græce, τοῦ εὐδοκῆσαι ἔτι, et psal. 84, 1: *Benè dixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.* Hebr., רצית יהוה ארצך, placatus es (aut reconciliatus) terræ tuæ, id est, populo tuo, ut Hebræi interpretantur, et quæ sequuntur, verba confirmant: Avertisti captivitatem Jacob. Græcè, εὐδόκησας, Κύριε, τὴν γῆν σου, ergo hoc loco ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo complacui*, ut nostri interpretis versionem retineam, non significat, quem unicè amavi, neque quo valdè delector, neque in quo conquiesco, ut novi quidam vertunt interpretes; sed in quo, id est, per quem placatus ac reconciliatus sum mundo, hoc est, placari et reconciliari decrevi; in quem cùm intueor, omnem iram et offensionem pono. Voluit enim Pater per vocem illam cœlitùs missam declarare non tantùm Filium esse suum, sed quorsùm etiam mitteret, ut libentiùs ab hominibus reciperetur. Alludit autem ad prophetiam Isai., 42, 1: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in eo anima mea* רצתה נפשי. Cur autem hæc vox cœlitùs missa sit, non est difficile rationem reddere. Columbæ species res erat muta, quæ multa significare poterat, addita vox est, quæ symbolum declararet. Sicut *accedit verbum*, inquit August., *ad elementum, et fit sacramentum*, quia quod el mentis obscurè, id apertè verbis significatur. *Filius Dei* (inquit Hilar., can. 2) *auditu conspectuque monstratur, plebique infidæ et prophetis inobedienti testimonium de Domino suo mittitur et contemplationis, et vocis. Fide dignus est testis qui et audivit et vidit.* Simile quiddam in transfiguratione factum est, Matth. 17, 5, et Luc. 9, 35, sed aliâ ratione, ut apostolorum principes, qui, ut ait D. Paulus, quasi Ecclesiæ columnæ futuri erant, stabilirentur. Omnes veteres auctores, iique maximè, qui adversùs Arianos disputârunt, aliam causam reddiderunt, ut Trinitatis mysterium declararetur, Patris loquentis, Filii testimonium recipientis, Spiritûs sancti columbæ specie descendentis. Qualis aut quo modo facta vox, obscurum non est, potuit Deus qui omnes humanas voces aere in humano ore formare solet, humanam vocem eodem aere sine ore formare, ut Marc. 9, 7, et Joan. 12, 28; Exodi 3, 4; Act. 10, 13, 15.

ipse vidit cœlos apertos, etc. Sed et Joannes ipse vidit, ex Joan., c. 1.

Vers. 17. — Complacui; qui mihi singulari modo gratus est, et acceptus. In Græco: *Ille filius meus*, non adoptivus, sed naturalis, ex me genitus. Quod Patris de Filio testimonium repetitur, c. 17, idque non solùm à tribus evangelistis, sed etiam à Petro Apostolo, 2 Epist., c. 1, refertur, ut res maximi momenti.

CAPUT IV.

1. Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.

2. Et cùm jejunâsset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.

3. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi,

6. Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsùm:

CHAPITRE IV.

1. Alors Jésus fut conduit par l'Esprit dans le désert, pour y être tenté par le diable.

2. Et ayant jeûné quarante jours et quarante nuits, il eut faim ensuite.

3. Et le tentateur s'approchant lui dit: Si vous êtes le Fils de Dieu, commandez que ces pierres deviennent des pains.

4. Jésus répondant dit: Il est écrit: L'homme ne vit pas seulement de pain, mais de toute parole qui sort de la bouche de Dieu.

5. Le diable alors le transporta dans la ville sainte, et le mettant sur le pinacle du temple,

6. Il lui dit: Si vous êtes le Fils de Dieu, jetez-

Spiritum descentem viderunt; Christus, quia propter ipsum, Joannes, quia hoc illi à Deo datum erat signum: alii ut eo signo Joanni crederent. Sed nimirum non omnes evangelistæ omnia dicere voluerunt. Matthæus et Marcus, quia de Christo agebant, dixerunt eum Spiritum descendentem vidisse; Joannes de Joanne agens Joannem vidisse dixit. Turbam quæ aderat, vidisse nemo dixit, quia de illâ agebat nemo.

SICUT COLUMBAM. Tertullianus, lib. de Carne Christi veram putat fuisse columbam, idemque D. Augustinum sensisse, in lib. de Agone christiano, c. 22, plerique existimant; quod ideò non credo, quia nec eo loco quidquam aliud Augustinus probat, quàm verum fuisse corpus, quod longè aliud est quàm veram esse columbam, et multis aliis locis non veram columbam, sed columbæ speciem fuisse docet, quemadmodùm omnes alii auctores, quos legere memini, docuerunt. Ambros. in præfat., lib. 3 de Spiritu sancto; August., aut quisquis est, lib. 3 de Mirabilibus sacræ Scripturæ, c. 5. Quod eò est probabilius, quòd omnes evangelistas, quasi de industriâ, particulâ similitudinis usos esse videamus, et quòd ad id, quod agebatur, necessarium non fuerit veram esse columbam. Utrùm autem verum fuerit corpus columbæ speciem præ se ferens, an ne corpus quidem reipsà fuerit, sed quasi corpus esset, ita ab adstantibus visum; diversa est quæstio. In quâ Augustini probo sententiam, verum fuisse corpus, quia, si verum non fuisset, aut non ab omnibus visum esset, aut tot fuissent facta miracula, quot homines fuerunt, cùm miraculum non in columbæ corpore, sed in oculis hominum fieret, quod non est temerè concedendum. Illud tamen cavendum, quod D. Augustinus admonuit, ne existimemus sic Spiritum sanctum cum corpore columbæ; sicut filium Dei cum naturâ humanâ hypostaticè unitum fuisse, quod videtur Tertullianus existimâsse; sed sicut angelos, ut ab hominibus viderentur, humana sæpè corpora sumpsisse legimus. Non sine causâ à nonnullis quæsitum est, cur hoc loco Spiritus sanctus specie columbæ descendat; die autem Pentecostes specie ignis atque linguarum, Act. 2, 3, facilis ratio. Nunc in Christum descendit, non ut ascendat, quia ipse Deus erat, Deus autem ignis consumens est; non ut loqui doceat, quia diffusa erat gratia in labiis ejus, sed ut testimonium de illo perhibeat. Qui autem testimonium perhibet, debet personæ, de quâ loquitur, naturam, proprietatesque declarare. Dictum erat de Christo, *arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet*, et quidem eo loco dictum erat ubi de descensu in eum Spiritûs sancti agebatur, Isai. 42, 1, 2, 3: *Dedi Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Dicit ipse de se Christus: Discite à me, quia mitis sum et humilis corde, Matth. 11, 29. Columba mitissimum est animal, et, ut ait Cyprianus, sine felle amarum, sine morsibus sævum. Credo etiam specie columbæ naturam, et, ut ita dicam, habitum Spiritûs sancti declaratum; omnium largitor gratiarum Spiritus est, *dividens singulis, prout vult*, 1 Cor. 12, 11. Columba gratiam, mansuetudinemque significat amorem quoque Patris in Christum declarari suspicor, ut colombæ species voxque audita consentiant: *Hic est Filius meus dilectus.* Est enim columba amantissimum animal, carmen semper amatorium immurmurans. Itaque sponsa illa Dei amantissima columba sæpè, quasi dilecta, appellatur: *Columba mea, formosa mea*, Cant. 2, 10, 14; *soror mea, columba mea*, Cant. 5, 2; *Una est columba mea*, Cant. 6, 8. Apostolis verò datus est Spiritus sanctus, quia indigebant, ut eos charitate inflammaret, et variis linguis loqui doceret, ideò specie ignis atque linguarum datus est.

ET VENIENTEM SUPER IPSUM Christum, ἐπ' αὐτὸν super ipsum, pro ἐφ' ἑαυτὸν super se. Solent enim aliquando Græci, sæpè verò Septuaginta, et Latinus interpres pronomina demonstrativa pro reciprocis ponere, quia eadem apud Hebræos vox עָלָיו utrumque significat. Vide 1 Reg. 17, 39, et 23, 6. Cur Spiritus sanctus super Christum recens baptizatum descenderit, difficilis non est conjectura, et veteres theologi, Irenæus, lib. 3, c. 19, Justinus in Tryphon., Ambrosius in præfatione, lib. 3, de Spiritu sancto, et Hieronymus, q. 2 ad Algasiam scriptum reliquerunt. Dixerat Isaias, c. 11, 1, 2: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectûs*; dixerat, c. 42, 1: *Dedi super eum spiritum meum, judicium gentibus proferet*; dixerat c. 61, 1: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem.* Debuerunt impleri prophetiæ. Debuit Spiritus sanctus super Christum venire, et, ut ait Joannes, c. 1, 33, super ipsum manere, hoc est, requiescere, et quidem tunc, cùm, ut annuntiaret mansuetis, et mederetur contritis corde, prædicaretque captivis indulgentiam, et clausis apertionem, Baptismo quasi magisterio quodam initiabatur, ut omnes eum esse Christum intelligerent, de quo fuisset Isaias tam longo ante tempore vaticinatus. Itaque ipse Christus cùm secundum illum Isaiæ locum in Synagogâ legisset, addidit: *Hodiè impleta est hæc scriptura in auribus vestris*, Luc. 4, 21. Aliam rationem Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus afferunt, ut inde intelligeremus etiam nobis Spiritum sanctum, quamvis minimè videamus, baptizatis dari. Sed hæc ratio minus convenit, quia nos non per Joannis, sed per Christi baptismum Spiritum sanctum recipimus. Certè altera melior, quia illud præcessit, hoc secutum est.

VERS. — 17. HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS. Marcus c. 1, 11, et Lucas, c. 3, 22, dicunt: *Tu es filius*

ipse vidit cœlos apertos, etc. Sed et Joannes ipse vidit, ex Joan., c. 1.

VERS. 17. — COMPLACUI; qui mihi singulari modo gratus est, et acceptus. In Græco: *Ille filius meus*, non adoptivus, sed naturalis, ex me genitus. Quod Patris de Filio testimonium repetitur, c. 17, idque

meus. Quæ ideò contraria non sunt, quia credendum est alios evangelistas verba, alios sensum retulisse. Utri autem verba incertum; verosimile tamen est Marcum et Lucam verba recitâsse, et quia plures sunt, et quia consentaneum fuit, ut in quem Spiritus sanctus descendebat, ad eum vox dirigeretur. Sicut in transfiguratione, quia vox dirigebatur ad apostolos, non dixit: Tu es Filius meus; sed: *Hic est Filius meus dilectus*, Luc. 9, 35, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός. Hic est Filius ille meus, ille inquam, charissimus. Ostendit enim gemino articulo se non de quovis, sed de naturali, de unico, de æterno, de sibi æquali Filio loqui. Nam cæteri adoptione tantùm filii sunt; ἀγαπητὸν dilectum, aut quod amplius est, charissimum Athanasius in oratione adversùs Arianos, quòd Deus ex Deo sit verbum, unigenitum interpretatur. Hoc enim epitheto non apud Homerum solùm, sed etiam in sacris Litteris unigenitos filios solitos appellari, Genes. 22, 2: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et vade in terram visionis*, sicut è contrario, Joan. c. 3, 16, et 1 epistolâ 4, 9, *unigenitum* posuit pro charissimo: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

IN QUO MIHI BENÈ COMPLACUI, ἐν ᾧ εὐδόκησα, ad verbum, in quo placui. Sed noster interpres explendæ sententiæ causâ, dandi casum addidit. Verbum est valdè in sacris Litteris usitatum sicut et nomen εὐδοκία, inde derivativum. Noster interpres εὐδοκεῖν solet vertere, sibi complacere, ut Matth. 12, 18, et 17, 5; Marc. 1, 11; Luc. 3, 22, et 12, 32; ad Colos. 1, 19; 2 Petr. 1, 17; εὐδοκίαν autem beneplacitum, ut ad Ephes. 1, 9, aliquando bonam voluntatem, ut Lucæ 2, 14. De quibus duobus verbis multa ab interpretibus disputantur, quæ etsi vera sunt, tamen non videntur eorum vim prorsùs exprimere, sensumque complere. Græcum verbum à Septuaginta interpretibus introductum est, qui ubicumque ferè Hebraicè erat רצה verterunt εὐδοκεῖν, ut Psal. 39, 14, 43, 4; et 149, 4, nec memini eos uspiam aliter vertere, nisi Isai. 42, 1; quare ex verbo Hebraico רצה Græci verbi εὐδοκεῖν vis intelligenda est. רצה autem Hebraicè cùm multa significat, tum etiam aliquando placari, reconciliari, in gratiam redire, ut psal. 76, 8: *Numquid in æternum projiciet Deus, et non apponet, ut complacitior sit adhuc?* Hebr., לִרְצוֹת עוֹד, ut iterùm reconcilietur. Græce, τοῦ εὐδοκῆσαι ἔτι, et psal. 84, 1: *Benè dixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.* Hebr., רצית יהוה ארצך, placatus es (aut reconciliatus) terræ tuæ, id est, populo tuo, ut Hebræi interpretantur, et quæ sequuntur, verba confirmant: Avertisti captivitatem Jacob. Græcè, εὐδόκησας, Κύριε, τὴν γῆν σου, ergo hoc loco ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo complacui*, ut nostri interpretis versionem retineam, non significat, quem unicè amavi, neque quo valdè delector, neque in quo conquiesco, ut novi quidam vertunt interpretes; sed in quo, id est, per quem placatus ac reconciliatus sum mundo, hoc est, placari et reconciliari decrevi; in quem cùm intueor, omnem iram et offensionem pono. Voluit enim Pater per vocem illam cœlitùs missam declarare non tantùm Filium esse suum, sed quorsùm etiam mitteret, ut libentiùs ab hominibus reciperetur. Alludit autem ad prophetiam Isai., 42, 1: *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in eo anima mea* רצתה נפשי. Cur autem hæc vox cœlitùs missa sit, non est difficile rationem reddere. Columbæ species res erat muta, quæ multa significare poterat, addita vox est, quæ symbolum declararet. Sicut *accedit verbum*, inquit August., *ad elementum, et fit sacramentum*, quia quod el mentis obscurè, id apertè verbis significatur. *Filius Dei* (inquit Hilar., can. 2) *auditu conspectuque monstratur, plebique infidæ et prophetis inobedienti testimonium de Domino suo mittitur et contemplationis, et vocis. Fide dignus est testis qui et audivit et vidit.* Simile quiddam in transfiguratione factum est, Matth. 17, 5, et Luc. 9, 35, sed aliâ ratione, ut apostolorum principes, qui, ut ait D. Paulus, quasi Ecclesiæ columnæ futuri erant, stabilirentur. Omnes veteres auctores, iique maximè, qui adversùs Arianos disputârunt, aliam causam reddiderunt, ut Trinitatis mysterium declararetur, Patris loquentis, Filii testimonium recipientis, Spiritûs sancti columbæ specie descendentis. Qualis aut quo modo facta vox, obscurum non est, potuit Deus qui omnes humanas voces aere in humano ore formare solet, humanam vocem eodem aere sine ore formare, ut Marc. 9, 7, et Joan. 12, 28; Exodi 3, 4; Act. 10, 13, 15.

non solùm à tribus evangelistis, sed etiam à Petro Apostolo, 2 Epist., c. 1, refertur, ut res maximi momenti.

CAPUT IV.

1. Tunc Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo.

2. Et cùm jejunâsset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.

3. Et accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi,

6. Et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsùm:

CHAPITRE IV.

1. Alors Jésus fut conduit par l'Esprit dans le désert, pour y être tenté par le diable.

2. Et ayant jeûné quarante jours et quarante nuits, il eut faim ensuite.

3. Et le tentateur s'approchant lui dit: Si vous êtes le Fils de Dieu, commandez que ces pierres deviennent des pains.

4. Jésus répondant dit: Il est écrit: L'homme ne vit pas seulement de pain, mais de toute parole qui sort de la bouche de Dieu.

5. Le diable alors le transporta dans la ville sainte, et le mettant sur le pinacle du temple,

6. Il lui dit: Si vous êtes le Fils de Dieu, jetez-

scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

7. Ait illi Jesus: Rursùm scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. Iterùm assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum,

9. Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

10. Tunc dicit ei Jesus : Vade, Satana; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

11. Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

12. Cùm autem audisset Jesus quòd Joannes traditus esset, secessit in Galilæam.

13. Et relictà civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritimà, in finibus Zabulon et Nephthalim;

14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam :

15. Terra Zabulon et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium,

16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

17. Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum cœlorum.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores);

19. Et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

20. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.

21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua; et vocavit eos.

22. Illi autem statim, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo.

24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos.

25. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæà et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæà, et de trans Jordanem.

vous en bas ; car il est écrit : Il a donné à ses anges des ordres relatifs à vous ; et ils vous porteront dans leurs mains, de peur que vous ne vous heurtiez le pied contre quelque pierre.

7. Jésus lui dit : Il est encore écrit : Vous ne tenterez point le Seigneur votre Dieu.

8. Le diable le transporta encore sur une montagne fort haute et lui montra tous les royaumes du monde, et leur gloire,

9. Et il lui dit : Je vous donnerai toutes ces choses, si, vous prosternant, vous m'adorez.

10. Alors Jésus lui dit : Retire-toi, Satan ; car il est écrit : Vous adorerez le Seigneur votre Dieu, et vous le servirez lui seul.

11. Alors le diable le laissa ; et voilà que les anges s'approchèrent, et ils le servaient.

12. Or Jésus ayant appris que Jean avait été arrêté se retira dans la Galilée.

13. Et, ayant laissé la ville de Nazareth, il vint habiter Capharnaüm, ville maritime sur les confins de Zabulon et de Nephthali ;

14. Afin que fût accompli ce qui avait été dit par le prophète Isaïe :

15. La terre de Zabulon et la terre de Nephthali, la voie de la mer au-delà du Jourdain, la Galilée des nations,

16. Le peuple qui était assis dans les ténèbres a vu une grande lumière; et la lumière s'est levée sur ceux qui étaient assis dans la région de l'ombre de la mort.

17. Depuis lors, Jésus commença de prêcher, et dire : Faites pénitence, car le royaume des cieux est proche.

18. Or Jésus, marchant le long de la mer de Galilée, vit deux frères, Simon, appelé Pierre, et André son frère, qui jetaient leur filet dans la mer (car ils étaient pêcheurs);

19. Et il leur dit : Suivez-moi, et je vous ferai devenir pêcheurs d'hommes.

20. Eux aussitôt, abandonnant leurs filets, le suivirent.

21. De là s'avançant, il vit dans une barque deux autres frères, Jacques fils de Zébédée, et Jean son frère, avec Zébédée, leur père, qui raccommodaient leurs filets, et il les appela.

22. Eux aussitôt le suivirent, abandonnant leurs filets et leur père.

23. Et Jésus parcourait toute la Galilée, enseignant dans les synagogues, prêchant l'Évangile du royaume, et guérissant toute langueur et toute infirmité parmi le peuple.

24. Et sa réputation se répandit par toute la Syrie, et on lui présenta tous ceux qui étaient malades, et affligés de diverses sortes de maux et de douleurs, des possédés, des lunatiques, des paralytiques, et il les guérit.

25. Et de nombreuses troupes le suivirent de la Galilée, de la Décapole, de Jérusalem, de la Judée et d'au-delà du Jourdain.

COMMENTARIUM.

Vers. 1. — Tunc, statim, ut expressit Marcus c. 1, 12.

Ductus est, ἀνήχθη, subductus, aut abreptus, Marcus τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει, *expellit eum Spiritus*. Credibile est non per aera raptum, ut Habacuc, Daniel 14, 35, et Philippum, Act. 8, 39, quia id Evangelistæ non tacuissent, sed pedibus ductum, non coactum, sed libentem. Dicit tamen Matthæus subductum, Marcus expulsum; non ut vim illatam Christo, sed ut efficientiam et impulsum Spiritùs sancti significaret, sicut cùm D. Paulus dicit : *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, Rom. 8, 14, ut Hilarius, Hieronym. et Auctor Imperfecti observârunt. Nec significatur ante non fuisse actum ab Spiritu : sed tum maximè vim Spiritùs apparuisse.

In desertum. In locum tentationi, et singulari aptum certamini. *Væ enim soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se*, Eccles. 4, 10. Nec ideò damnandi, qui in solitudine vitam agunt. Quod genus vitæ et Joannes Baptista primus, et multi post viri sanctissimi exemplo virtutis singulari, et Chrysostomus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Theodoretus homines experti, quàm divinum esset, integris voluminibus testati sunt. Illis potiùs quàm hominibus aut hæreticis, aut ambitiosis, et delicatis credendum est. Cùm illi ipsi, qui sublevare debent, dejiciunt, præstat solum esse, et solum contra solum dæmonem, quàm contra dæmones, hominesque pugnare. Solus non est, qui Deum sequitur ducem, cujus auxilium tantò magis in solitudine, quàm in civitate, quantò minùs ab hominibus impeditur, apparet. Desertum autem hoc loco Judææ intelligendum est, ut diximus, c. 3, 1, illud idem, ubi Joannes Baptista vitam egerat, et quia propè Jordanem erat, ut illic explicavimus, et quia absolutè desertum appellatur. Ductus ergo est à Jordane in intimam solitudinem, ubi inter bestias agebat, ut ait Marc., c. 1, 13.

A Spiritu. Paulò post vers. 5, et vers 8, et apud Lucam, c. 4, vers. 5 et 9, dicitur ductus à diabolo, qui et ipse aliquando spiritus appellatur, ut infra, c. 8, 16, et 10, 1, et 12, 43; sed hoc loco Spiritus sanctus intelligendus est, et quia in proximo de eo evangelista locutus fuerat, c. 3, et quia cum articulo, et quia absolutè Spiritus dicitur, quod nunquàm fit nisi cùm Spiritus sanctus significatur, ut Didymus et Hieronym. observârunt.

Ut tentaretur. Tentare aliquando est ad peccandum incitare, ut Act. 5, 3; et 1 ad Cor. 7, 5; et 1 Thes. 3, 5; Jacob. 1, 13; Apoc. 3, 10. Hoc modo diabolus tentare dicitur. Inde nomen habens Satan, apud Hebræos adversarius, diabolus apud Græcos calumniator et insidiator, qui circuit quærens quem devoret. Homines etiam, tanquàm diaboli ministri, sic alii alios tentare solent. Deus nequaquàm. *Intentator enim malorum est*, Jacob. 1, 13. Quanquàm Calviniani hæretici hoc etiam modo Deum, et quidem inprimis tentare dicunt, diaboli scilicet officium Deo tribuentes. Tentare etiam est cognoscendi causà inquirere et explorare; quomodò et diabolus et homines et Deus tentat. Aliter tamen Deus, aliter homines, et dæmones. Hi ut cognoscant quod ignorant; ille ut quod scit, scire etiam videatur, quemadmodùm si explorando experiendoque didicisset, aut non ut ipse, sed ut ii quos tentat, sese cognoscant, ut D. August. interpretatur. Ita Genes. 22, 1; Exod. 16, 4, et Deut. 8, 2, et 13, 3; Sapient. 3, 5; Heb. 4, 15, et 11, 17, 37; Apoc. 2, 2. Tentare etiam est ad iram provocare, ut cùm dicimur tentare Deum, quia ejus potentiam experiri volumus infra vers. 7, et Exodi 17, 2, 7; Num. 14, 22; Psal. 77, 18, 41, et 94, 9, et 105, 14. Christus non poterat, nisi secundo et tertio modo tentari, tamen credibile est in desertum abiisse, ut se diabolo omnibus modis tentandum præberet; et ad peccandum etiam sollicitaretur, ut posset dicere : *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam*, Joannis 14, 30. Id ex facto diaboli manifestum est, qui illum, ut se præcipitem daret, seque adoraret, incitavit, quod utrumque gravissimum peccatum erat. Hàc enim ratione an Filius Dei esset, ut dicebatur, experiri voluit. Sciebat enim, si ad peccandum trahi posset, Filium Dei esse non posse.

A diabolo. Nomen proprium, aut potiùs cognomen est Luciferi principis dæmoniorum, ex calumniandi, insidiandique excellentià desumptum, ut Matth. 25, 41, et Apoc. 12, 9, et 20, 2, 10. Voluit enim Christus hominum princeps diabolum principem dæmoniorum ad singulare certamen provocare, et ut suis parceretur militibus, et ut hostium primo conflictu victo duce totos in fugam exercitus verteretur. Atque hæc una causa ab evangelistis reddita est, cur Christus in desertum abierit. Quia adversarius aggredi non audebat, obviàm illi procedit, et quodammodò irritat, quem scit non pugnaturum, nisi lacessitum, Hilar., can. 3; Ambros., lib. 4 in Luc., c. 2; auctor Imperf., hom. 5. Alias quoque fuisse causas, cur in desertum Christus secesserit, licèt ab evangelistis non exprimantur, incredibile non est. Moses antiquus legislator, antequàm à Deo legem accipiat, quadraginta dies solus in monte versatur. Joannes, antequàm ad prædicandum et baptizandum prodeat, in eàdem solitudine vitam agit. Quod enim ex solitudine proficiscitur, non ex hominibus, sed ex Deo profectum putatur, majoreque excipitur reverentià. Voluit ergo Christus etiam ex solitudine evangelium afferre. Voluit eum se esse ostendere, cujus Moses figura fuisset; cujus præcursor Joannes, quem iisdem vestigiis per solitudinem sequeretur. Voluit nos exemplo docere, ut cùm de vitæ rationibus, vel de re alià gravi deliberamus, turbam

Vers. 1. — A Spiritu sancto, cujus mentio facta est in fine superioris capitis, docere nos voluit quibus armis tentationes superentur, jejunio nimirum, oratione, et Scripturarum meditatione. Desertum illud in quod se recepit Jesus, inter mare Mortuum et urbem Jericho situm est, idque postea vocatum fuit desertum tentationis. Tentavit diabolus non solùm ut probaret, sed etiam ut in peccatum induceret

relinquamus hominum, et nos in solitudinem colligamus nostra cum Deo consilia communicaturi, quæ frequentiâ hominum impediuntur, solitudine juvantur. Nam et comicus ille dixit : *Meditatus venis aliunde ex solo loco.* Cur autem tentari Christus voluerit, multæ ab interpretibus causæ afferuntur. Prima illa est quòd oportuerit novum militem in ipso inclarescere tyrocinio; et ad graviorem pugnam levioribus durari velitationibus. Secunda, ut tentatus ipse per omnia, ut ait D. Paulus, tentatis nobis majore commiseratione opem ferret. *In eo enim in quo passus est ipse, et tentatus, potens est, et iis qui tentantur auxiliari.* Heb. 2, 18, ut Pontificem haberemus, *qui sciret compati infirmitatibus nostris,* Heb. 4, 15. Tertia, ut exemplo doceret nos, cùm accedimus ad servitutem Dei, præparare animas nostras ad tentationem, Eccles. 2, 1, quam Hilar. et Chrysost. indicârunt. Quarta, ut devicto statim hoste nos redderet securiores : *Confidite,* inquit, *ego vici mundum,* Joan. 16, 33. Nam, *nisi ille certâsset non nihil iste vicisset,* ut ait Ambros., lib. 4 in Luc., c. 2 Quinta, ut nos quoque illo vincente, vinceremus, August. in Psal. 60 : *Agnosce te in illo tentatum, et te in illo agnosce vincentem. Petra erat Christus. Propterea petrâ illa, in quâ ædificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluviâ, quando Christus à diabolo tentabatur. Ecce in quâ firmitate te voluit stabilire.* Et in Psal. 90, parte 2 : *Ideò tentatus est Christus, ne vincatur à tentatore Christianus.*

Vers. 2. — Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, id est, quadraginta integros dies. Sic enim Hebraï loqui solent. Aut ideò diebus evangelista noctes adjecit, ut indicaret eum non Judæorum more jejunâsse, qui per diem nihil cibi potûsve sumentes noctu vescebantur, sed ita ut totos quadraginta dies, totidemque noctes nihil gustaverit. Quod Moses ante, Exodi 24, 18, et 34, 28, et Elias, 3 Reg. 19, 8, fecisse legimus. Observârunt veteres auctores mysticum hunc esse numerum, ut Basil. in hom. in quadraginta martyr. ; Ambr., serm. 34 de Quadragesimâ, et lib. 4 in Luc., c. 2; Hieron., in 5 c. Jonæ; August., lib. de Genes. ad literam, c. 169, et lib. 2 de Consens. evang., c. 4. Quod non ab illis exegitatum, sed à Deo declaratum fuisse multis sacrarum Litterarum exemplis perspicuum est. Nam non solùm Christus, Moses, et Elias, quasi numeratis ad calculum quadraginta diebus jejunârunt, quod ipsum, erat satis ut aliquod inesse huic numero mysterium intelligeremus; sed multa etiàm alia hoc numero videmus facta, quæ casu facta esse non possunt. Quadraginta dies ac noctes pluit, cum aquarum inundatione mundum Deus purgare voluit, Genes. 7, 12. Quadraginta dies mortui aromatibus conditi asservantur, antequàm sepulturæ mandentur, Genes. 50, 3. Quadraginta dies exploratores illi à Mose missi Chanaan promissam à Deo terram perlustrant, Num. 13, 26. Quadraginta dies Goliath diabolum adversarium nostrum significans, stat exprobrans contra populum Dei, 1 Reg. 17, 16. Quadraginta annos filii Israel in deserto morantur, Exodi 16, 35. Quadraginta dies Ezechiel jubetur in dextrum latus cubare, ut portet iniquitates domûs Juda, Ezech. 4, 6. Quadraginta annos Ægyptus deserta cogitur quodammodò agere pœnitentiam, Ezech. 29, 11, 12. Quadraginta dies Christus post resurrectionem, antequàm in cœlum ascendat, in terris versatur. Non potest fortuitò fieri, quod tam sæpè fit. Quadragenarius ergo numerus totum (ut ait Augustinus) præsentis vitæ significat cursum, tempus pœnitentiæ, peccatorumque expiationi destinatum. Jejunium autem pars est pœnitentiæ. Valdè Calviniani vellent aut quadraginta dies non jejunâsse Christum, aut id evangelistas non commemorâsse; aut Ecclesiam Christi exemplum in utilitatem Christianorum, usumque pœnitentiæ non convertisse, vanam esse superstitionem, quia semel Christus hoc numero dierum jejunavit, singulis annis totidem dies jejunare, magnam arrogantiam Christum imitari velle, intolerabilem illi fieri injuriam, quòd in ordinem nobiscum redigatur, rescindi evangelium, cujus Christi jejunium sigillum fuit. Homines tam solliciti de honore Christi, quàm Judas de pauperibus alendis, cùm fur esset, et loculos haberet. Si quadraginta dies jejunare superstitionem putant; jejunent quinquaginta. Si quod semel Christus fecit non est à nobis singulis annis repetendum, ne celebrent octavo quoque die Dominicam resurrectionem. Christus enim nomisi semel resurrexit. Si arrogantia est Christum imitari, arrogans Paulus, qui se Christi imitatorem vocat, et eâ quidem in re, quæ illi fuit maximè propria ut pro Ecclesiâ suâ moreretur, *adimpleo,* inquit, *ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ pro corpore ejus, quod est Ecclesia* ; arrogantes nos Christus esse jubet, qui vult nos esse perfectos, sicut pater noster cœlestis perfectus est, qui vult esse unum, sicut ipse et pater unum sunt. At in his rebus non ad æqualitatem; sed ad facultatem nostram imitamur. Nec in jejunio; nam ille quadraginta dies, nec edit, nec bibit, nec esurivit, aut sitivit; nos et edimus, et bibimus, et tamen esurimus ac sitimus. Imitamur, quia sequimur, quamvis non assequamur. Sequimur autem, quàm proximè possumus, homines Deum. Nam satis est, ut eamdem teneamus viam. Non facimus illi injuriam, quia non comitem, sed ducem facimus. Quid, quòd nonnullos Christianos legimus totos quadraginta dies sine ullo cibo et potu jejunâsse? in quibus Deus singulari miraculo et ipsorum in imitando Christo pium probavit studium; et istorum hæresim, insaniamque refutavit. Legant gravissimum auctorem Theodoritum, exempla reperient. Et si Christi jejunium evangelii sigillum est, utri rescindunt? nos qui servamus, an illi qui rident? Ut non disputemus quàm aptè acutus, ut sibi videtur,

Vers. 2. — Esurit; antea non esurierat. Diabolus cognoscere voluit an esset verè Filius Dei; ac fortè non dubitabat quin esset Filius Dei post tam illustre Patris æterni in baptismo testimonium : sed incertus erat an naturalis esset Dei Filius; an per adoptionem quamdam excellentem. Christus sic eum repulit, ut in eâdem illum ambiguitate reliquerit.

hæresiarcha jejunium Christi Evangelii sigillum appellet, quasi nondùm scripto neque vero prædicato Evangelio sigillum Christus adhibuerit. Non ergo sigillum, sed exordium est evangelii; quo se Christus parat, ut prædicet, nos ut recipiamus, hoc, inquam, Evangelium Christi quod jejunio inchoatur, jejunio finitur; non illud Calvini, quod tantoperè jejunia reformidat. At Christus non præcipit, qui scitis? scriptum non est. Ubi scriptum est diei dominicæ observationem præcepisse? Esto, non præcepit, certè fecit. Et fecit mysterio, quòd quadraginta, non plures, non pauciores dies jejunaverit; ut hoc numero, quemadmodùm Hieronymus scribit, quadragesimæ nobis jejunium consecraret. Nec ille solus, sed omnes etiam illi antiquissimi, doctissimi, sanctissimi Ecclesiæ doctores, aut Christum, aut apostolos Christi imitatos exemplum quadragesimæ jejunium constituisse docuerunt, Ambros., serm. de Quadragesimâ 23, 25, 27, 36, 38, et Leo, serm. 6 et 9; Hieronym., qui, quam vos superstitionem vocatis, Christi hæreditatem vocat. Horum qui scripta legit, et cum vestris confert, si non videt eorum spiritum esse Christianum, vestrum diabolicum et hæreticum, cæcus est.

Postea esurit. Indicat ante spatio quadraginta dierum non esuriisse. De Mose et Eliâ utrùm vel ante vel post, vel nunquàm esurierint, non dicitur, ideòque credendum est non esuriisse, cùm hoc de Christo, tanquàm singulare, dicatur. Eadem enim virtus Dei, quæ conservabat, satiabat. Cur ergo Christus esuriit? ut timido hosti, et quasi Deum aggredi non audenti, ostendens se hominem esse ad aggrediendum animum addat; et quia ad armatum accedere timebat, arma quodam modo divinitatis ponit, et quasi nudus et inermis homo contra luctatorum morem esuriens in arenam descendit, et adversarium non virtutis, ut fieri solet, jactatione; sed infirmitatis ostentatione provocat, Iren., lib. 3, c. 32; Chrysost., hom. 13 in Matth.; auctor Imperf., hom. 5; Hieron. in Comment.; Ambros., lib. 4 in Lucam, c. 2. Cujus acuta est et scita sententia : *Fames Domini pia fraus est, ut in quo diabolus majora metuens jam cavebat, famis specie luctatus tentaret, ut hominem.*

Vers. 3. — Et accedens. Quo modo aut quâ formâ accesserit evangelista non dicunt. Potuit aut invisibiliter accedere, sicut nos quotidiè tentare solet; aut sumptâ aliquâ visibili formâ. Omnes auctores formâ corporeâ, eâque humanâ accessisse putant, quod est valdè probabile, et quia cum Christo multa est colloctus, et quia se adorari voluit, et quia si aliâ accessisset formâ, evangelista non tacuissent. Nam cùm Evam specie serpentis tentavit, quia minùs usitata forma erat, Scriptura non tacuit, Genes. 3, 1.

Tentator, ille qui tentare solet, nomen officii omnium dæmonum; sed per attributionem proprium diaboli dæmoniorum principis. Nam quem modò diabolum appellaverat, nunc tentatorem appellat, quasi dicat, accessit luctator, accessit pugnator, ut 1 ad Thes. 3, 5. Ne fortè tentaverit vos is qui tentat, tentator. Notatio est Hebraici nominis Satan, et Græci διαβολος, diabolus, ut infra, vers. 10, et c. 16, 23, et Luc. 22, 3, 31, et Act. 5, 3, et 1 Cor 7, 5, et Apocal. 12, 9, et 20, 2, ubi ille ipse dæmoniorum princeps proprio nomine Satan appellatur. Nescio quid fuerit in causâ, cur noster interpres in vetere Testamento semper Satan, in novo duabus adjectis litteris semper Satanam vocaverit, nisi fortè, quia vetus Testamentum ex Hebraico sermone vertit, in quo Satan; novum ex Græco in quo placuit Septuaginta Satanam potiùs quàm Satan appellare. Diabolus etiam ejusdem principis nomen est proprium, Psal. 108, 6; Ephes. 6, 11; 1 Petri 5, 8; Apocal. 12, 9, et 20, 2.

Si Filius Dei es. Audierat fortasse cœlestem vocem : *Hic est Filius meus dilectus,* aut ex Joannis prædicatione, vel famâ cognoverat. Credibile autem est non per modum dubitantis, aut negantis, aut irridentis hoc diabolum dixisse, sicut illi ejus ministri dixerunt : *Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce,* c. 27, 42, sed per modum potiùs credantis et affirmantis, et benè Christo consulere volentis, quasi dicat, quando quidem Filius Dei es, ne famem patiare, sed quia potes, et aliunde non suppetit cibus, dic ut lapides isti panes fiant. Hoc enim illius serpentis calliditati magis convenielat ita tentare, ut non tentare, sed benè consulere videretur.

Dic. Etsi non ignoro, quod hæretici interpretes adnotaverunt, dicere apud Hebræos idem sæpè esse atque jubere; tamen in eo eorum levitatem accuso, judiciumque desidero, quod pro *dic,* verterint, *jube,* non intelligentes etiam si idem utrumque verbum significet, tamen majorem habere vim *dicere,* quàm *jubere,* ideòque et Hebræos et evangelistas ita loqui. Plus enim est : *Dixit : Fiat lux, et facta est lux,* Genes. 1, 3, quàm si dixisset, *jussit;* plus est, *verbo Domini cœli firmati sunt,* psal. 32, 6, quàm si dixisset *jussu.* Significat enim tantùm os Deum aperuisse, omniaque facta fuisse. Similiter hoc loco plus est, *dic,* quàm, *jube* ; loquitur enim de Filio Dei, tanquàm de eo verbo quo mundum fabricatum fuisse sciebat, qui eodem verbo, quo cœlum terramque fecisset; posset et ex lapidibus panes facere.

Ut lapides isti. Lapides potiùs quàm terram, quàm aerem, quam arbores ostendit, et quia res erat ante pedes posita, et quia difficilior, et quia aliquam cum pane lapis habet similitudinem, cùm sit pani maximè contrarius, quâ ratione Christus dixit : *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei?* infra, c. 7, 9.

Panes fiant. Quod Theophylact. et alii quidam diaboli curiositate factum putant, ut *panes,* non panem dixerit, non aliâ de causâ factum arbitror, quàm quòd pluraliter lapides dixerat; nam Lucas, c. 4, 3 singulari numero dixit, *panis fiat.* Itaque non constat utro modo diabolus dixerit, quia alter evangelista verba, alter sensum recitavit; uter verò hunc, uter illa, nescimus.

Vers. 4. — Scriptum est. Quia diabolus ad Scri-

Vers. 4 et 5. — In omni verbo, in omni re : Quo

pturam, Genes. 1, et Psal. 32, 6, allusisse videbatur, Scriptura refellit, quod in aliis quoque tentationibus fecit.

NON IN SOLO PANE. Panem usitatum vocat, sed Hebræorum more per panem omnis consuetus cibus intelligitur.

VIVIT, vivet, id est, vivere potest, modus, ut vocant grammatici, potentialis apud Hebræos יחיה, ut Exodi 33, 20 : *Non videbit me homo et vivet*, id est, nemo qui me viderit, vivere poterit.

SED IN OMNI VERBO QUOD PROCEDIT DE ORE DEI, *in omni egrediente ore Dei*, ad verbum, Deut. 8, 3. Septuaginta verò et Latinus interpres sententiam magis, quam verba reddere volentes, nomen *verbi* addiderunt. Quod multis aliis fecisse locis in idiomatibus adnotavimus. Id etiam sive imitatione, sive proprio consilio fecit evangelista; sensus est Deum non indigere usitato cibo, ut servos suos alat; posse enim uno verbo novum formare cibum. Id enim de mannâ dictum est : *Affixit*, inquit, *te penuriâ, et dedit tibi cibum mannæ, quod ignoribus tu, et patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini*. Non respondet Christus se esse aut non esse Filium Dei, quia quamvis id maximè diabolus avebat scire, minimè tamen interrogabat quin se credere fingebat. Tantùm volebat videri dare consilium : *Dic, ut lapides isti panes fiant*. Christus ergo ad id respondet, quod dixerat, non ad id quod tacuerat. Optima ratio eos deludendi, qui fallaciter consulunt.

VERS. 5. — TUNC, id est, secundò; non enim significat id statim post primam tentationem factum esse. Credibile enim est aliquanto tempore quievisse. Cum verò dico, *secundò*, non certâ, sed probabili opinione dico. Nam Lucas, c. 4, 9, hanc tentationem non secundo, sed ultimo loco ponit; secundo verò illam, quam Matthæus ultimo. Nec enim solent evangelistæ; sicut nec cæteri scriptores sacri in narratione rerum ordinem servare temporum. Probabile tamen est Lucam eo ordine quo occurrerunt, Matthæum eo quo acciderunt tentationes Christi commemorâsse, quia verosimillimum videtur esse, diabolum illis Christi verbis territum victumque discessisse : *Vade post me, Satana*. Hæc autem verba non sunt à Christo dicta, nisi in monte, cùm diabolus Christo dixisset : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, et quia id narrat evangelista, et quia diaboli postulatio eam responsionem postulabat. Itaque Strabus nullâ mihi videtur probabilitate contrariam affirmare. Sunt qui apud Lucam scriptorum negligentiâ tentationum ordinem mutatum putent, quòd Ambrosius, lib. in Lucam 4, eodem ordine, quo Matthæus narrat, tentationes exponat. Sed potiùs colligendum erat, Ambrosium, quamvis Lucam interpretaretur, tamen tentationes non quo ordine à Lucâ narrabantur; sed quo ordine accidisse putabat, narrare voluisse. Quod meam quoque confirmat opinionem Matthæum ordinem, quo acciderant, secutum esse. Et si alteruter corrigendus esset, Ambrosius, potiùs quàm evangelista, corrigendus esset. Etsi scio esse, qui se vidisse Lucæ codices affirment, ubi eodem ordine, quo apud Matthæum tentationes narrarentur.

ASSUMPSIT, assumit. Quomodò Christum diabolus assumpserit, evangelistæ non exponunt, et potest varias in partes probabiliter disputari. Illud certum invitum non assumpsisse. Nec enim cogere potuit, quem ne aggredi quidem, nisi volentem, sesequæ ingeretem potuisset. An autem visibiliter an invisibiliter; et si visibiliter, an per aera raptum deportaverit, vel pedibus ingredientem duxerit, incertum. Cyprianus in sermone de Jejunio et Tentationibus Christi, quem alii nonnulli secuti sunt, omnes Christi tentationes putat invisibiliter contigisse, quemadmodùm ea quæ de prophetis leginus, ut Ezechielem raptum fuisse ex Chaldeâ in Jerusalem, ut urbem metiretur, Ezechiel. 40, 1, et alia similia. Quibus ego, magnis licèt auctoribus, ideò non assentior, quod dictu absurdum videatur diabolum Christo eodem modo, quo prophetis Deum visiones animo injecisse. Præterquàm quòd illa, quæ prophetis acciderunt, non reipsà, sed visione accidisse prophetæ ipsi declarant, Ezechiel. 40, 2, etsi non declarâssent ex eo ipso quòd prophetæ erant, intelligi poterat. At evangelistæ non solùm non declarant Christi tentationes per visionem accidisse, sed etiam indicant accidisse reverà. Quo enim modo sese per visionem præcipitâsset, aut quomodò cùm non reverà, sed falsâ opinione præcipitatum angeli custodissent, et quod rem maximè continet, quomodò falsa opinio præcipitationis Christi animum subire potuisset? Alii volentem per aera raptum existimant. Quod videtur assumendi verbum significare, ut Hieronym., auctor Operis imperfecti, Gregorius, et Strabus. Alii ductum pedibus, ut Euthymius in Commentariis in 4 c. Lucæ, quibus ideò potiùs subscribo, quod parùm mihi videatur verosimile, tantùm diabolo Christum ergà se permisisse, ut ab eo deportaretur. Præterquàm quòd si id permittente Christo diabolus fecisset, nimium se, quis esset, declarâsset, quod ille cùm tentat facere non solet, potiùs transfigurat se in angelum lucis, 2 Cor. 11, 14. Accedit quòd Lucas non dixit παρέλαβε, sed ἤγαγε duxit, et illud ipsum verbum παραλαμβάνειν non semper significat ita assumere, ut portes; sed aliquando ita, ut ducas, ut supra, c. 4, 20, 21; et c. 2, 14, 20.

IN SANCTAM CIVITATEM. In Jerusalem, quæ sancta dicebatur civitas, quòd in eâ Deus propter arcam et templum, quod ibi erat, habitaret, 2 Par. 6, 2, 18, et 7, 16; Psal. 9, 12, et 21, 4, et 67, 17, et 75, 2, et 131, 21. Itaque sic vulgò vocabatur, Matth. 27, 53; Apocal, ricâ septem indicat. Quæ porticus altero tanto aliis sublimior erat; vallis profunda erat huic subjecta. MITTE TE DEORSUM, coram omni populo, ut credat te Messiam esse patribus à Deo promissum.

PROCEDIT, quod jubetur à Deo; sic Septuag. pro *re* sæpè ponunt *verbum*. Assumpsit ut duceret eum supra PINNACULUM TEMPLI. Illud verisimile est pinnaculum templi, aut loricam fuisse, Gallicè vulgò *le pare et*, in summo templi fastigio positam, aut potiùs porticûs ad meridiem sitæ tectum, vel solarium pinnis, seu lo-

11, 2, et 21, 2, 10; et Daniel, 5, 28. Prophetæ post Christi adventum et propter ejus præsentiam ita vocandam prædixerant, Isaiæ 52, 1, et 60, 14; et Zachar. 8, 3.

SUPER PINNACULUM TEMPLI, super alam, aut super pinnam templi. Quidam fastigiatam et acuminatam turrem fuisse tradunt, in quâ lamina esset ad ventorum mutationem versatilis, quæ ob alæ similitudinem πτερύγιον vocaretur, quales nunc in templis nostris, et principum basilicis videmus. At nihil ejusmodi in templo Jerosolymitano fuisse legimus. Theophylactus locum ἀξίωμα fuisse dicit, id est, fastigiatum tectum, ex cujus dorso utramque in partem pluvia deflueret, qualia sunt in Galliâ adeò acuminata, ut duas habere alas, volareque domus videantur. Sed scimus neque templum neque cæteras in Palæstinâ domus ejusmodi tecta habuisse; quin superne planæ erant, ut in illis cœnandi, apricandi, ambulandi, confabulandi commodus locus esset, ut intelligitur Josue 2, 6, et Judic. 16, 27, et 1 Reg. 9, 25, 26, et 2 Reg. 11, 2, et 16, 22, et 4 Reg. 23, 12; Isai. 15, 3; Matth. 10, 27, et 24, 17; Marci 13, 15; Luc. 12, 3, et 17, 31. Itaque meliùs sentiunt, qui pinnam templi vocari existimant peribolum, qui circùm summum tectum erat, ne quis ibi ambulans caderet, qualem Deus omnibus in tectis fieri jusserat, Deut. 22, 8. Latini podium, ut opinor, appellant. Id πτερύγιον pinna vocatur, quia ab ædificiis exstabat, et veluti in aëre pendere, ut alæ similis, videbatur, quales sunt, quos Galli in turribus *créneaux* vocant. Cur autem eò Christum diabolus duxerit, in promptu est ratio, quia persuadere volebat ut se præcipitem mitteret, conveniebat ejus consilio, ut in editissimum locum duceret. Erat autem Jerusalem in loco edito, templum autem in editissimo totius urbis in monte Moriâ, 2 Par. 3, 1; pinna autem locus erat totius templi altissimus. Nam, quod Remigius, multique alii auctores tradiderunt, ideirco eum in tectum templi duxisse, quòd ibi solerent Pharisæi, legisque doctores ad populum concionari, ut doctoris inflatus opinione faciliùs se præcipitem jaceret; mihi non probatur, qui nusquàm legere memini in tecto templi docere legisperitos consuevisse. Contra verò lego in portico Salomonis conciones habitas, Joan. 10, 25.

VERS. 6. — SI FILIUS DEI ES. Hoc diabolum urebat, ut sciret an Filius Dei esset. Credibile tamen est affirmando dixisse, sicut ante vers. 3.

ET IN MANIBUS TOLLENT TE. Quidam de industriâ illam partem testimonii à diabolo prætermissam putant, *ut custodiant te in omnibus viis tuis*, quòd hæc verba diabolo adversari viderentur. Vias enim interpretantur viam, quam homo ire debet, non quam præcipitem agi; et omnes actiones non impiâ temeritate, qualis erat sese præcipitari; sed pio prudentique consilio susceptas. Quod si non est verum, est argutum, et

VERS. 7. — NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM, Deuteron. 6. Is Deum tentat, qui potentiæ divinæ vult facere periculum, aut quærit miraculum, cùm nihil opus est.

VERS 8. — ET OSTENDIT EI, an digito designans, aut diaboli congruum ingenio. Illud dubium non est, diabolum si non verba, certè tamen verborum sententiam corrupisse. Nec enim voluit Spiritus sanctus significare fore ut, quidquid justus, sive jure, sive injuriâ aggrederetur, benè succederet; sed ut in iis quæ ut vir justus ageret, etiamsi totus adversaretur mundus, tam præsens tamen Dei experiretur auxilium, ut angelorum manibus gestari videretur. Quod autem dixit, *in manibus*, potiùs quàm in humeris, alludit ad consuetudinem, quâ, quæ charissima nobis sunt, ne perdamus, neve quis furetur, in manibus gestamus, sicut Hispani dicunt, gestat illum supra palmas manuum suarum, id est valdè amat, diligentissimèque custodit. Itaque malè mihi vertisse videtur hæreticus interpres, in manus tollent te, vi detractâ verbis; quod autem illo psalmo 90 de omni viro justo dictum erat, diabolus, quasi à minore ad majus argumentando, ad Christum, qui non vir modò justus, verùm etiam Filius Dei vocatus fuerat, accommodavit.

VERS. 7 — RURSUM. Etiam scriptum est. Est enim hoc adverbium cum sequentibus, non cum præcedentibus copulandum.

NON TENTABIS. Quid hoc loco significet tentare, vide vers. 1.

VERS. 8. — ITERUM ASSUMPSIT. Vide vers. 5.

IN MONTEM. Quis hic fuerit mons, quia evangelistæ non dicunt, neque scire possumus, neque curiositatis vitio licet inquirere. Illud scimus Jerosolymam montibus fuisse circumdatam. *Fundamenta* enim *ejus in montibus sanctis*, Psal. 86, 1, et, *montes in circuitu ejus*, Psal. 124, 2. Illud autem etsi nescimus, tamen valdè simile vero est diabolum in aliquem propinquum Jerosolymæ montem duxisse. Quòd verò Origenes, Ambrosius, Hieronymus et Theophylactus de superbiâ interpretantur, in quam diabolus homines ducit; non sensum, quem nos quærimus literalem, sed allegoriam explicare voluerunt.

OMNIA REGNA MUNDI. Quomodò potuerit ex uno monte omnia mundi regna diabolus ostendere, queri inter interpretes solet. Sunt qui id solâ animi visione factum velint, ut Cyprianus et Strabus, quemadmodùm vers. 5 docuimus, quod ibidem etiam refutavimus. Meliùs auctor Operis imperfecti et Euthym., reipsà ostendisse, non ita ut viderit, sed ita ut cujusque regni plagam digito designaverit. Adde quòd non est necesse, ut singula prorsùs ostenderit regna. Sæpè enim ita Scriptura loquitur, ut totum dicat pro majore parte, Matth. 9, 26, et 27, 45.

ET GLORIAM EORUM. Hebraismus, id est, quâ quodque re maximè præstaret, quod verbis, non manu ostendisse credendum est.

VERS. 9. — HÆC OMNIA TIBI DABO. Lucas, c. 4, 6, scribit diabolum addidisse, *quia mihi tradita sunt, et, cui volo, do illa*. Nempe quia à Christo, an Filius Dei esset extorquere non potuit, flagit se Filium esse Dei, narrando, aut per species objectas oculis Christi subjiciens : Græcè, *in momento temporis*; seu brevissimo temporis spatio. Sunt qui mundi nomine Romanum interpretantur imperium.

qui solus verè potuit dicere: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ.* Dicitur quidem diabolus princeps hujus mundi Joan. 12, 31, et 14, 30, et 16, 11, non quòd mundi, sed quòd vitiorum, quæ propria sunt mundi, dominus sit. Itaque nec regna dare, nec auferre potest, quod proprium est Dei, Proverb. 8, 15; Daniel, 2, 21. Nec regna solùm, sed nec alia bona, nisi permissu Dei, aut dare potest, aut eripere, argumentum est Job. 1, 11, 12, nec illa ipsa vitia, quibus maximè dominatur, nisi nobis volentibus dare potest. *Funibus enim peccatorum suorum quisque constringitur,* Proverb. 5, 22.

Vers. 10. — Vade, Satana. Multi Græci Latinique codices legunt: *Post me,* aut, *Retrò me,* ut Matthæus, 16, 23, et Marcus, 8, 33. Satanam autem suo vocat nomine, quem evangelista vers. 3, tentatorem vocaverat, ut ostendat se sciré illum non esse Filium Dei, quem se esse simulabat, sed diabolum, quem dissimulabat. Est hæc vox imperantis simul et increpantis.

Dominum Deum tuum adorabis. Non citat Christus verba, sed sensum. Non enim est adorabis, sed timebis. Sed apud Hebræos timere Dominum est illum adorare et colere, et timor Domini significat omnem divinum cultum, sicut homines religiosi castique Deum colentes, timentes Deum appellantur, Job. 1, 1, 8, 9, et 2, 3, et psal. 21, 24, 25, 26, et 24, 14, et 33, 8, 18, et 65, 16, et 115, 11, et 117, 4, et 127, 1, 4, et ferè ubique de iis dicitur qui ad populum Dei pertinebant. Nec est *illi soli servies,* sed, *illi servies.* Septuaginta tamen interpretes et Latinus addiderunt, *soli,* ut sententiam exprimerent. Cùm enim Deus jubet adorare se sibique servire, vetat alios adorare deos, et servire illis. Itaque idem est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi servies,* ac si dixisset: Dominum Deum tuum solum adorabis, illique soli servies. Has tantùm tentationes Christi tres evangelistæ exposuerunt, non est tamen, opinor, existimandum his tantùm tribus modis fuisse tentatum, cùm ideò in desertum exisset, ut tentaretur, et Marcus scribat, c. 1, 13: *Et erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et tentabatur à Satanâ,* quasi totos quadraginta dies tentatus esset. Certè auctor Operis imperfecti, homil. 5, et August., lib. 2 de Consensu evangelistar., c. 4; Beda et Remigius ita senserunt. Cur ergo Matth. dixit vers. 3: *Accessit tentator,* quasi ante non accessisset? Interpretari possumus, accessit ut exploraret an Filius esset Dei; aggressus est aperto Marte, cùm videret se nihil per cuniculos effecisse; et evangelistæ noluerunt bellum, et singulas pugnas, sed prælia narrare. Hoc tamen non pro vero, sed pro simili vero haberi volumus.

Vers. 10. — Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. Vox Græca cultum uni Deo debitum significat. Deter. 6 sic habetur, *Dominum tuum timebis:* timere Deum est eum colere. Christus sensum reddidit magis quàm verba. Prima quidem tentatio eam præ se ferebat speciem, ut instanti necessitati fieret satis, secunda ad vanam curiositatem, tertia ad idololatriam inducebat. Primùm tentavit ut Filium Dei, secundò ut Prophetam, tertiò ut hominem è vulgò. August., lib. 2, de Consensu Evang., c. 16: *Totum hoc similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine; unde in-*

Vers. 12. — Cum autem audisset. Hæc non statim post Christi tentationes acciderunt. Aliquanto enim tempore antequàm in vincula Joannes conjiceretur, Christum baptizâsse, et Evangelium prædicâsse; Joanne etiam baptizante atque prædicante, et ita quidem, ut inter utriusque discipulos æmulatio aliqua nasceretur, manifestum est, Joan. 3, 22, 23, et 4, 1.

Secessit in Galilæam. Causa secessûs Christi facilè ex verbis evangelistæ colligitur, qui ideò indicat secessisse, quòd Joannes traditus esset, ne videlicet et ipse traderetur. Quo autem modo in Galilæam secesserit, cùm Joannes in Galilæâ traditus fuerit, meritò potest non exercitatus in Scripturis lector dubitare. Joannem in Galilæâ traditum fuisse certum est. Traditus enim est ab Herode, infrà, 14, 3, et Marc. 6, 17; Luc. 3, 19. Erat autem Herodes Galilææ Tetrarcha, Luc. 3, 1. Omnes hæreticorum interpretes hoc loco pueriliter errârunt, existimantes eamdem esse Galilæam, in quam Christus secessit, et ex quâ priùs venerat, ut à Joanne baptizaretur supra, c. 3, 13, ideòque, ἀναχώρησις, vertunt, *rediit in Galilæam.* Atqui Galilæa, unde antea venerat, illa ipsa erat, in quâ Joannes traditus est. Venerat enim ex Nazareth. Marc. 1, 9. Nazareth autem in eâ fuisse Galilææ, ubi tetrarcha erat Herodes, quis ignorat? Propterea enim jussus est Joseph cum infante Christo eò divertere, supra, c. 2, 22. Itaque Christus non fugisset periculum in eam Galilæam secedens, sed se in periculum conjecisset. Secessit ergo ex Galilæâ Judæorum, cujus tetrarcha Herodes, quæ inferior dicebatur, in superiorem Galilæam, quæ extra Herodis jurisdictionem erat, et Galilæa gentium vocabatur, quòd magnâ ex parte à gentibus habitaretur. In eâ enim Salomon Hiram Tyriorum regi viginti urbes olim dederat, 3 Reg. 9, 11, quod non solùm ex Strabo vulgari nostro auctore, sed ex ipso etiam evangelistâ intelligere potuerunt. Addit enim, v. 13, Christum discessisse ex Nazareth, quæ, ut diximus, erat in Herodis Galilæâ, et venisse, ut habitaret in Capernaum, quam in finibus alterius Galilææ esse constat, et v. 15: *Terra Zabulon et terra Nephthalim via maris trans Jordanem Galilæa gentium.* Itaque meliùs noster interpres vertit, *secessit,* quàm isti novi, *rediit;* quamvis verbum utrumque significet. Ex his perspicuum est non esse eamdem historiam, quam hoc loco Matthæus, et quam Lucas, c. 4, 14, commemorat; sed Lucam illic agere de reditu Christi statim post jejunium, et tentationes in Galilæam Herodis; Matthæum verò hic de ejus secessu ex Galilæâ Herodis in Gali-

certum est quid priùs factum sit, utrum regna priùs demonstrata sint ei, et postea in pinnam templi levatus sit; an hoc priùs, et illud postea? nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit. Quæ Joannes refert quatuor primis capitibus, omittuntur.

Vers. 12. — Secessit in Galilæam, cessit invidiæ Phariseorum qui Joannem tradiderant. Sermo autem est de Galilæâ gentium, quæ erat extra ditionem Herodis.

Vers. 13 et 15. — Habitavit in Capharnaum. Urbs erat in ditione Philippi, qui à Josepho ut pacis amans

lææam gentium; quod non alios solùm minores auctores; sed magnum etiam Augustinum videtur latuisse, lib. 2, de Consensu evang., c. 18.

Vers. 14. — Ut adimpleretur. Prophetiam Isaiæ, quam de liberatione trium tribuum Zabulon, Nephthalim et Aser, quæ eam partem incolebant, quidam interpretantur, suo more ad Christum accommodat, ut aliàs, c. 2, 15, 18, et c. 3, 3. Locus est apud Isaiam difficilis, quia Hebræi non solùm alium sequuntur sensum; sed aliter etiam legunt, aliterque verba conjugant. Ilic docnimus veram lectionem, veramque esse sententiam, quam et noster interpres, et evangelista secutus est. Nec enim illam prophetiam ante Christi adventum et prædicationem proprié legimus impletam.

Vers. 15. — Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris; regio tribûs Zabulon et tribûs Nephthalim; hæ enim duæ tribus in superiore Galilææ sortem acceperant, Josue 19, 10, 35, regio maritima. Erant enim tres illæ tribus vicinæ mari Phœnicio, ubi Tyrus dominabatur. Græcus dixit ὁδὸν θαλάσσης viam maris, accusativo adverbialiter posito, id est, versùs mare, imitatione, ut opinor, Septuaginta, qui ita solent vertere, quod Hebræi dicunt דרך via, id est, versùs, ut 2 Par. 6, 38.

Trans Jordanem. Terram Zabulon et terram Nephthalim non esse trans, sed citra Jordanem respectu Jerosolymæ nemo ignorat. Quo majorem hic locus difficultatem interpretibus peperit. Ego quod sentio breviter dicam, aliorum non aspernatus sententiam, sed brevitatem secutus. Solebant Hebræi ex Ægypto venientes, antequàm Jordanem trajicerent, terram Chanaan, quæ ultra Jordanem erat, vocare אֶרֶץ כְּנַעַן עִבְרֵי הַיַּרְדֵּן terram trans Jordanem, Num. 32, 19; Deut. 3, 20, 25, et 11, 30. Quam consuetudinem etiam in Palæstinam ingressi retinuerunt, ita loquentes, quemadmodùm ante loquebantur, cùm essent ultra Jordanem, sicut è contrario, antequàm Jordanem trajecissent, regionem, quæ illis cis Jordanem erat, trans Jordanem appellabant, ita loquentes, quemadmodùm si jam essent in terrâ Chanaan. Cujus utriusque rei in libro Josue sunt exempla, quæ faciliùs lector reperire poterit, quàm ego notare. Hoc si non placet, breviùs veriùsque dici potest Hebraica phrasis עֵבֶר יַרְדֵּן tam citra quàm ultra significare, ut 2 Par. 20, 2, מֵעֵבֶר לַיָּם à regione, quæ est citra mare.

Vers. 17. — Appropinquavit regnum cœlorum. Quid sit regnum cœlorum appropinquare diximus, c. 3, 2. Hic tantùm notandum iisdem verbis Christum et Joannem Evangelii prædicationem inchoare; ut intelligamus Joannem legatum fuisse Christi, qui non suis, sed ejus, à quo missus fuerat, verbis usus fuerit, et exordium Evangelii esse pœnitentiam.

modestus et justus describitur. Unde Jesus in ejus tetrarchiâ diutiùs est commoratus, in finibus Zabulon et Nephthali, juxta prophetiam Isaiæ, c. 9, ex quâ Matthæus ea tantùm citat quæ sunt necessaria. *Via maris,* Gr. *juxta viam maris.* Ibi patens erat via mercatoribus à Syriâ et Arabiâ profectis; adeò ut populi ex variis nationibus eò confluerent, ac merces suas Ptolemaida comportarent. *Trans Jordanem,* vox Græca

Vers. 18. — Juxta mare Galilææ. Non erat mare, sed lacus, quem Jordanis in humiliorem locum incidens efficiebat. Vocatur autem mare, Hebræorum more, qui, ut Hieronymus ait, omnem aquarum congregationem mare appellant, Gen. 1, 10; Galilæa verò dicitur, quia in finibus utriusque Galilææ situs erat, olim Tarichea, ut auctor est Plinius, et mare Tiberiadis propter Tiberiadem urbem in ejus orâ sitam, quam non multò ante Herodes ædificaverat, et ambitione gratiæ imperatoris Tiberii de ejus nomine vocavit, ut Josephus scribit, lib. 18 Antiq., c. 3, et stagnum Genesareth, quia tota regio, ut Hegesippus ait, Genesaris vocabatur. Lacum describunt, Strabo, l. 16, Plinius, l. 5, c. 15, et Hegesippus, l. 3, c. 26.

Petrum et Andream. Petri et Andreæ vocationem diversi evangelistæ diversis modis narrant. Marcus, c. 3, 13, et Lucas, c. 6, 13, videntur significare omnes apostolos simul vocatos fuisse; Joannes, c. 1, 40, 41, Andream priùs, deinde Petrum vocatum. Præterea Lucas, c. 5, 1, 10, aliâ ratione Petrum vocatum scribit: non enim Christum prætereuntem, sed in Petri naviculâ concionantem, et incredibili piscium multitudine captâ obstupescentem Petrum vocavisse, nullâ de Andreâ factâ mentione. Prima illa dissensio facilè explicatur, Marcum, c. 3, 13, et Lucam, c. 6, 13, non agere de apostolorum vocatione, ut Christum sequerentur, sed ut apostoli fierent. Priùs enim discipuli, deinde apostoli ex discipulorum numero, id est, magistri, ut alios docerent, electi sunt; sicut nunc ex presbyterorum numero episcopi eliguntur. Secunda quæstio paulò est difficilior, quam qui semel tantùm Petrum et Andream vocatos fuisse contendunt, non video quâ ratione probabiliter explicare possint. Contendit autem hæreticus interpres timens ipse apostata, ne apostoli, si semel vocat, ad piscationis dicantur officium rediisse, apostatæ fuisse videantur. Facilè verò explicant, qui duas fuisse dicunt Petri et Andreæ vocationes: alteram, quâ, non ut discipuli et comites, sed ut familiares auditores admissi sunt, de quâ Joannes, c. 1, 40, 41, agat; alteram, quâ vocati sunt ita, ut omnibus relictis rebus Christum perpetuò sequerentur, ut Augustin., tract. in Joan. 7; Chrysostomus, hom. 14 in Matth.; Euthymius, et Theophylactus interpretantur. Faciliùs, qui tres, primam, quam Joannes; secundam, quam Lucas; tertiam, quam hic Matthæus describit. Sed duas priores non ad perfectum discipulorum officium, sed ad familiaritatem, tertiam ad discipulorum et apostolorum officium factam esse. In quâ sententiâ Lyranus fuit: quam ego vehementer probo, tantùm aliter loqui velim. Nec enim credibile mihi videtur quemquam aliâ de causâ à Christo vocatum fuisse, quàm ut verus esset discipulus, sequè,

ripem fluminis citeriorem, aut ulteriorem perinde significat; citeriorem habitâ ratione Hierosolymæ, ulteriorem, si spectemus nomen inditum ab Israelitis cùm ingressi sunt Palæstinam.

Vers. 16. — In regione umbræ, mortalis ob densissimas ignorantiæ tenebras.

Vers. 18. — Vidit duos fratres, quos jam ad familiaritatem suam admiserat, Joan. 1, 37. Hæc enim fuit

relictis omnibus, sequeretur. Itaque duas priores nolim vocationes, sed admonitiones, et quasi futuræ vocationis præparationes appellare, ne duo maximi apostoli parùm obsecuti vocanti Christo fuisse videantur; cùm cæteros apostolos ad primum Christi se vocantis verbum omnia reliquisse, ipsumque secutos legamus. Et quidem nemo evangelistarum duas priores vocationes appellat. Nam apud Joan., c. 1, 42, tantùm prædicit Christus Petro, quod futurum erat. *Tu*, inquit, *vocaberis Cephas*, Lucas, c. 5, 11, non dicit à Christo vocatos fuisse; sed viso miraculo captorum piscium subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secutos fuisse Christum, quod interpretari possumus non relictis, id est, abdicatis, quemadmodùm, cùm à Christo vocati sunt, abdicatis abjectisque omnibus rebus Christum secuti sunt, ut Petrus postea dixit, Matth. 19, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te:* sed relictis omnibus, id est, desertis navibus et retibus; sicut mulier illa Samaritana, relictâ hydriâ, abiit in civitatem, dixitque popularibus suis : *Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci, numquid ipse est Christus?* Joan. 4, 28, 29. Matthæus autem hic vocatos fuisse dicit, quia veram narrat vocationem, quâ omnibus abjectis rebus Christum secuti sunt.

Vers. 19. — Venite post me. Hebraismus לְכוּ אַחֲרַי, id est, sequimini me, ut Deut. 6, 14, et 11, 28, et 1 Reg. 7, 2, et 4 Reg. 23, 3.

Piscatores hominum. Alludit ad præteritum officium, sicut in Davide, psal. 77, 70, 71 : *Sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Simulque apostolorum describitur officium homines piscari, et ad Christum summum piscatorem trahere. Ille enim est, qui sagenam mittit in mare, ex omni genere piscium congregantem, infra, c. 13, 47. Illius verbo atque virtute pisces capiuntur, sine eo frustra totâ nocte laboratur, Lucæ, 5, 5. Christiani sunt pisces, nam propterea in Baptismi aquâ nascuntur. Propterea Christus à veteribus illis ἰχθύς piscis appellabatur, cujus anagrammatismus erat, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, Jesus Christus Dei filius salvator, de quâ re extat carmen Erythrææ Sibyllæ, Tertullianus, lib. de Baptismo; August., lib. 18, c. 23; Prosper, lib. de Promission. et Prædict., part. 2, c. 39.

Vers. 23. — Totam Galilæam. Galilæam gentium, in quam secesserat, supra, v. 12 et 13.

In synagogis. Hebræi à congregando locum ubi conciones habentur vocant עדה congregationem, Græci συναγωγὴν, synagogam, proprium vocabulum Septuaginta interpretum, Exodi. 34, 31; et Num. 16, 2; et 31, 13; psal. 7, 8; et 81, 1, ex quibus Apostoli mutuati sunt, cùm Hebræorum congregationem, aut congregationis locum significant. Nam Christianorum, differentiæ causâ, Ἐκκλησίαν Ecclesiam appellant infra, c. 18, 17, quod nomen non solùm congregationem, ut novi hæretici erecto supercilio dictitare solent, ridentes nos homines indoctos, quòd templa ecclesias appellemus : sed locum etiam ubi Ecclesia congregatur, quemadmodùm synagoga significat, non tantùm apud Eusebium et cæteros Theologos Græcos, sed etiam apud D. Paulum, 1 Cor. 11, 16, 18, et 14, 28, 34, 35. Erat autem apud Judæos synagoga, sicut apud nos Ecclesia locus ad docendum designatus, Act. 15, 21.

Evangelium regni. Bonum nuntium, quo prædicabat regnum cœlorum appropinquare, v. 17. Vide Præfationem, c. 1, et supra, c. 3, 2.

Et trans Jordanem, repetenda est ἀπὸ κοινοῦ præpositio, *de* : *Et de omni regione, quæ erat trans Jordanem*, id est, citra, ut vers. 13. Quod ante distributè dixerat, dicit nunc universè. Simili phrasi usus est Seneca, lib. 5 de Benef., c. 16 : Trans Alpes accitus hostis, id est, è regione, quæ trans Alpes est.

Petri et Andreæ secunda vocatio. Aug., loco citato, cap. 17 : *Proinde fieri potest ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quo Joannes dicit et ipsum et matrem ejus et discipulos venisse.*

Vers. 20. — Lucas, c. 5, fusiùs hæc enarrat et capturam piscium.

Vers. 24. — Lunaticos, comitiali morbo laborantes : qui morbus cum lunæ incremento aut decremento solet ingravescere.

CAPUT V.

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

2. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens :

3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

11. Beati estis cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me;

12. Gaudete, et exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terræ : quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

14. Vos estis lux mundi : non potest civitas abscondi supra montem posita.

15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere.

18. Amen quippe dico vobis donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo : Raca, reus erit concilio : qui autem dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te,

24. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

25. Esto consentiens adversario tuo citò dùm es in viâ cum eo : ne fortè tradat te adversarius judici; et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.

26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

27. Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis.

28. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

29. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

30. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat

CHAPITRE V.

1. Jésus voyant la foule monta sur une montagne; et quand il fut assis, ses disciples s'approchèrent de lui.

2. Et ouvrant sa bouche, il les enseignait, disant :

3. Bienheureux les pauvres d'esprit, parce que le royaume du Ciel est à eux.

4. Bienheureux ceux qui sont doux, parce qu'ils posséderont la terre.

5. Bienheureux ceux qui pleurent, parce qu'ils seront consolés.

6. Bienheureux ceux qui sont affamés et altérés de la justice, parce qu'ils seront rassasiés.

7. Bienheureux ceux qui sont miséricordieux, parce qu'ils obtiendront eux-mêmes miséricorde.

8. Bienheureux ceux qui ont le cœur pur, parce qu'ils verront Dieu.

9. Bienheureux ceux qui sont pacifiques, parce qu'ils seront appelés enfants de Dieu.

10. Bienheureux ceux qui souffrent persécution pour la justice, parce que le royaume du Ciel est à eux.

11. Vous serez bienheureux lorsque les hommes vous maudiront, qu'ils vous persécuteront, et qu'à cause de moi, ils diront faussement toute sorte de mal de vous.

12. Réjouissez-vous, et tressaillez de joie, parce que votre récompense est grande dans les cieux; car c'est ainsi qu'ils ont persécuté les prophètes qui ont été avant vous.

13. Vous êtes le sel de la terre. Si le sel perd sa force, avec quoi le salera-t-on? Il n'est plus bon à rien qu'à être jeté dehors, et à être foulé aux pieds par les hommes.

14. Vous êtes la lumière du monde. Une ville située sur une montagne ne peut être cachée.

15. Et on n'allume point une lampe pour la mettre sous le boisseau, mais on la met sur le chandelier, afin qu'elle éclaire tous ceux qui sont dans la maison.

16. Qu'ainsi luise votre lumière devant les hommes, afin qu'ils voient vos bonnes œuvres, et qu'ils glorifient votre Père qui est dans le ciel.

17. Ne pensez pas que je sois venu pour détruire la loi ou les prophètes; je ne suis pas venu les détruire, mais les accomplir.

18. Car, je vous le dis en vérité, le ciel et la terre ne passeront point que tout ce qui est dans la loi ne soit accompli parfaitement, jusqu'à un seul iota et à un seul point.

19. Celui donc qui violera un de ces moindres commandements, et qui enseignera ainsi les hommes, sera regardé comme le moindre dans le royaume des cieux; mais celui qui observera et enseignera la loi, sera appelé grand dans le royaume des cieux.

20. Car je vous déclare que, si votre justice n'est pas plus abondante que celle des scribes et des pharisiens, vous n'entrerez point dans le royaume des cieux.

21. Vous avez appris qu'il a été dit aux anciens : Vous ne tuerez point; et quiconque tuera, méritera d'être condamné par le jugement.

22. Mais moi je vous dis que quiconque se mettra en colère contre son frère, méritera d'être condamné par le jugement; que celui qui dira à son frère : Raca, méritera d'être condamné par le conseil; et que celui qui lui dira : Vous êtes un fou, méritera d'être condamné au feu de l'enfer.

23. Si donc vous présentez votre offrande à l'autel, et que là vous vous souveniez que votre frère a quelque chose contre vous,

24. Laissez là votre offrande devant l'autel, et allez vous réconcilier auparavant avec votre frère; et alors venez présenter votre offrande.

25. Accordez-vous promptement avec votre adversaire, pendant que vous êtes en chemin avec lui, de peur que votre adversaire ne vous livre au juge, et que le juge ne vous livre au ministre de sa justice, et que vous ne soyez mis en prison.

26. Je vous le dis en vérité, vous ne sortirez point de là que vous n'ayez payé jusqu'à la dernière obole.

27. Vous avez appris qu'il a été dit aux anciens : Vous ne commettrez point d'adultère.

28. Mais moi, je vous dis que quiconque regardera une femme avec un mauvais désir a déjà commis l'adultère dans son cœur.

29. Que si votre œil droit vous est un sujet de scandale, arrachez-le, et jetez-le loin de vous; car il vaut mieux pour vous qu'un de vos membres périsse, que si tout votre corps était jeté dans l'enfer :

30. Et si votre main droite vous est un sujet de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

relictis omnibus, sequeretur. Itaque duas priores nolim vocationes, sed admonitiones, et quasi futuræ vocationis præparationes appellare, ne duo maximi apostoli parùm obsecuti vocanti Christo fuisse videantur; cùm cæteros apostolos ad primum Christi se vocantis verbum omnia reliquisse, ipsumque secutos legamus. Et quidem nemo evangelistarum duas priores vocationes appellat. Nam apud Joan., c. 1, 42, tantùm prædicit Christus Petro, quod futurum erat. *Tu*, inquit, *vocaberis Cephas*. Lucas, c. 5, 11, non dicit à Christo vocatos fuisse; sed viso miraculo captorum piscium subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secutos fuisse Christum, quod interpretari possumus non relictis, id est, abdicatis, quemadmodùm, cùm à Christo vocati sunt, abdicatis abjectisque omnibus rebus Christum secuti sunt, ut Petrus postea dixit, Matth. 19, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*: sed relictis omnibus, id est, desertis navibus et retibus; sicut mulier illa Samaritana, relictâ hydriâ, abiit in civitatem, dixitque popularibus suis : *Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci, numquid ipse est Christus?* Joan. 4, 28, 29. Matthæus autem hic vocatos fuisse dicit, quia veram narrat vocationem, quâ omnibus abjectis rebus Christum secuti sunt.

Vers. 19. — Venite post me. Hebraismus לכו אחרי, id est, sequimini me, ut Deut. 6, 14, et 11, 28, et 1 Reg. 7, 2, et 4 Reg. 23, 3.

Piscatores hominum. Alludit ad præteritum officium, sicut in Davide, psal. 77, 70, 71 : *Sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam*. Simulque apostolorum describitur officium homines piscari, et ad Christum summum piscatorem trahere. Ille enim est, qui sagenam mittit in mare, ex omni genere piscium congregantem, infra, c. 13, 47. Illius verbo atque virtute pisces capiuntur, sine eo frustra totâ nocte laboratur, Lucæ, 5, 5. Christiani sunt pisces, nam propterea in Baptismi aquâ nascuntur. Propterea Christus à veteribus illis ἰχθὺς piscis appellabatur, cujus anagrammatismus erat, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, Jesus Christus Dei filius salvator, de quâ re extat carmen Erythrææ Sibyllæ, Tertullianus, lib. de Baptismo; August., lib. 18, c. 23; Prosper, lib. de Promission. et Prædict., part. 2, c. 39.

Vers. 23. — Totam Galilæam. Galilæam gentium, in quam secesserat, supra, v. 12 et 13.

In synagogis. Hebræi à congregando locum ubi conciones habentur vocant עדה congregationem, Græci συναγωγὴν, synagogam, proprium vocabulum Septuaginta interpretum, Exodi. 34, 31; et Num. 16, 2; et 31, 13; psal. 7, 8; et 81, 1, ex quibus Apostoli mutuati sunt, cùm Hebræorum congregationem, aut congregationis locum significant. Nam Christianorum, differentiæ causâ, Ἐκκλησίαν Ecclesiam appellant infra, c. 18, 17, quod nomen non solùm congregationem, ut novi hæretici erecto supercilio dictitare solent, ridentes nos homines indoctos, quòd templa ecclesias appellemus : sed locum etiam ubi Ecclesia congregatur, quemadmodùm synagoga significat, non tantùm apud Eusebium et cæteros Theologos Græcos, sed etiam apud D. Paulum, 1 Cor. 11, 16, 18, et 14, 28, 34, 35. Erat autem apud Judæos synagoga, sicut apud nos Ecclesia locus ad docendum designatus, Act. 15, 21.

Evangelium regni. Bonum nuntium, quo prædicabat regnum cœlorum appropinquare, v. 17. Vide Præfationem, c. 1, et supra, c. 3, 2.

Et trans Jordanem, repetenda est ἀπὸ κοινοῦ præpositio, *de* : *Et de omni regione, quæ erat trans Jordanem*, id est, citra, ut vers. 15. Quod ante distributè dixerat, dicit nunc universè. Simili phrasi usus est Seneca, lib. 5 de Benef., c. 16 : Trans Alpes accitus hostis, id est, è regione, quæ trans Alpes est.

Petri et Andreæ secunda vocatio. Aug., loco citato, cap. 17 : *Proinde fieri potest ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quo Joannes dicit et ipsum et matrem ejus et discipulos venisse.*

Vers. 20. — Lucas, c. 5, fusiùs hæc enarrat et capturam piscium.

Vers. 24. — Lunaticos, comitiali morbo laborantes : qui morbus cum lunæ incremento aut decremento solet ingravescere.

CAPUT V.

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

2. Et aperiens os suum, docebat eos, dicens :

3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

4. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

6. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

9. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

10. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

11. Beati estis cùm maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversùm vos mentientes, propter me;

12. Gaudete, et exultate; quoniam merces vestra copiosa est in cœlis : sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terræ : quòd si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus.

14. Vos estis lux mundi : non potest civitas abscondi supra montem posita.

15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere.

18. Amen quippe dico vobis donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm scribarum et pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio.

22. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo : Raca, reus erit concilio : qui autem dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te,

24. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

25. Esto consentiens adversario tuo citò dùm es in viâ cum eo : ne fortè tradat te adversarius judici; et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.

26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

27. Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis.

28. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

29. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

30. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat

CHAPITRE V.

1. Jésus voyant la foule monta sur une montagne; et quand il fut assis, ses disciples s'approchèrent de lui.

2. Et ouvrant sa bouche, il les enseignait, disant :

3. Bienheureux les pauvres d'esprit, parce que le royaume du Ciel est à eux.

4. Bienheureux ceux qui sont doux, parce qu'ils posséderont la terre.

5. Bienheureux ceux qui pleurent, parce qu'ils seront consolés.

6. Bienheureux ceux qui sont affamés et altérés de la justice, parce qu'ils seront rassasiés.

7. Bienheureux ceux qui sont miséricordieux, parce qu'ils obtiendront eux-mêmes miséricorde.

8. Bienheureux ceux qui ont le cœur pur, parce qu'ils verront Dieu.

9. Bienheureux ceux qui sont pacifiques, parce qu'ils seront appelés enfants de Dieu.

10. Bienheureux ceux qui souffrent persécution pour la justice, parce que le royaume du Ciel est à eux.

11. Vous serez bienheureux lorsque les hommes vous maudiront, qu'ils vous persécuteront, et qu'à cause de moi, ils diront faussement toute sorte de mal de vous.

12. Réjouissez-vous, et tressaillez de joie, parce que votre récompense est grande dans les cieux; car c'est ainsi qu'ils ont persécuté les prophètes qui ont été avant vous.

13. Vous êtes le sel de la terre. Si le sel perd sa force, avec quoi le salera-t-on? Il n'est plus bon à rien qu'à être jeté dehors, et à être foulé aux pieds par les hommes.

14. Vous êtes la lumière du monde. Une ville située sur une montagne ne peut être cachée.

15. Et on n'allume point une lampe pour la mettre sous le boisseau, mais on la met sur le chandelier, afin qu'elle éclaire tous ceux qui sont dans la maison.

16. Qu'ainsi luise votre lumière devant les hommes, afin qu'ils voient vos bonnes œuvres, et qu'ils glorifient votre Père qui est dans le ciel.

17. Ne pensez pas que je sois venu pour détruire la loi ou les prophètes; je ne suis pas venu les détruire, mais les accomplir.

18. Car, je vous le dis en vérité, le ciel et la terre ne passeront point que tout ce qui est dans la loi ne soit accompli parfaitement, jusqu'à un seul iota et à un seul point.

19. Celui donc qui violera un de ces moindres commandements, et qui enseignera ainsi les hommes, sera regardé comme le moindre dans le royaume des cieux; mais celui qui observera et enseignera la loi, sera appelé grand dans le royaume des cieux.

20. Car je vous déclare que, si votre justice n'est pas plus abondante que celle des scribes et des pharisiens, vous n'entrerez point dans le royaume des cieux.

21. Vous avez appris qu'il a été dit aux anciens : Vous ne tuerez point; et quiconque tuera, méritera d'être condamné par le jugement.

22. Mais moi je vous dis que quiconque se mettra en colère contre son frère, méritera d'être condamné par le jugement; que celui qui dira à son frère : Raca, méritera d'être condamné par le conseil; et que celui qui lui dira : Vous êtes un fou, méritera d'être condamné au feu de l'enfer.

23. Si donc vous présentez votre offrande à l'autel, et que là vous vous souveniez que votre frère a quelque chose contre vous,

24. Laissez là votre offrande devant l'autel, et allez vous réconcilier auparavant avec votre frère; et alors venez présenter votre offrande.

25. Accordez-vous promptement avec votre adversaire, pendant que vous êtes en chemin avec lui, de peur que votre adversaire ne vous livre au juge, et que le juge ne vous livre au ministre de sa justice, et que vous ne soyez mis en prison.

26. Je vous le dis en vérité, vous ne sortirez point de là que vous n'ayez payé jusqu'à la dernière obole.

27. Vous avez appris qu'il a été dit aux anciens : Vous ne commettrez point d'adultère.

28. Mais moi, je vous dis que quiconque regardera une femme avec un mauvais désir a déjà commis l'adultère dans son cœur.

29. Que si votre œil droit vous est un sujet de scandale, arrachez-le, et jetez-le loin de vous; car il vaut mieux pour vous qu'un de vos membres périsse, que si tout votre corps était jeté dans l'enfer :

30. Et si votre main droite vous est un sujet de

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

31. Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.

32. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat.

33. Iterùm audistis quia dictum est antiquis : Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua.

34. Ego autem dico vobis, non jurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei est ;

35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus ; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis.

36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum.

37. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est.

38. Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente.

39. Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.

40. Et ei qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.

41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.

42. Qui petit à te, da ei : et volenti mutuari à te, ne avertaris.

43. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.

44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros : benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos,

45. Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.

46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis ? nonne et publicani hoc faciunt ?

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis ? nonne et ethnici hoc faciunt ?

48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

scandale, coupez-la, et jetez-la loin de vous ; car il vaut mieux pour vous qu'un de vos membres périsse, que si tout votre corps était jeté dans l'enfer.

31. Il a été dit encore : Quiconque veut renvoyer sa femme, qu'il lui donne un acte de divorce.

32. Et moi, je vous dis que quiconque renvoie sa femme, si ce n'est pour cause d'adultère, la fait devenir adultère ; et celui qui épouse la femme répudiée commet un adultère.

33. Vous avez encore appris qu'il a été dit aux anciens : Vous ne vous parjurerez point, mais vous vous acquitterez envers le Seigneur des serments que vous aurez faits.

34. Et moi je vous dis de ne point jurer du tout ; ni par le ciel, parce que c'est le trône de Dieu ;

35. Ni par la terre, parce qu'elle est l'escabeau de ses pieds ; ni par Jérusalem, parce que c'est la ville du grand Roi.

36. Vous ne jurerez pas non plus par votre tête, parce que vous ne pouvez en rendre un seul cheveu blanc ou noir ;

37. Mais que votre parole soit : Oui, oui ; non, non : car ce qui se dit de plus vient du mal.

38. Vous avez appris qu'il a été dit : Œil pour œil, et dent pour dent.

39. Et moi je vous dis de ne point résister à celui qui vous traite mal : au contraire, si quelqu'un vous frappe sur la joue droite, présentez-lui encore l'autre ;

40. Si quelqu'un veut plaider contre vous pour prendre votre robe, abandonnez-lui encore votre manteau ;

41. Et si quelqu'un veut vous contraindre de faire mille pas avec lui, faites-en encore deux mille :

42. Donnez à celui qui vous demande, et ne repoussez point celui qui veut emprunter de vous.

43. Vous avez appris qu'il a été dit : Vous aimerez votre prochain, et vous haïrez votre ennemi.

44. Et moi je vous dis : Aimez vos ennemis, faites du bien à ceux qui vous haïssent, et priez pour ceux qui vous persécutent et qui vous calomnient ;

45. Afin que vous soyez les enfants de votre Père qui est dans le ciel, qui fait lever son soleil sur les bons et sur les méchants, et qui fait pleuvoir sur les justes et sur les injustes.

46. Car si vous n'aimez que ceux qui vous aiment, quelle récompense aurez-vous à prétendre ? les publicains ne le font-ils pas aussi ?

47. Et si vous ne saluez que vos frères, que faites-vous en cela de plus que les autres ? les païens ne le font-ils pas aussi ?

48. Soyez donc, vous autres, parfaits, comme votre Père céleste est parfait.

COMMENTARIUM.

ERS. 1. — VIDENS AUTEM. Non potest benè hic locus intelligi, nisi priùs intelligatur, an eadem sit concio, quæ hic à Matthæo, et à Lucâ, c. 6, 17, narratur. Multis enim in rebus in ejus narratione videntur Matthæus, Lucasque dissidere. Matthæus significat Christum concionandi causâ in montem subiisse ; Lucas ascendisse dicit, ut oraret ; Matthæus non dicit orasse, sed docuisse ; Lucas dicit totam orando noctem duxisse ; Matthæus non dicit Christum post orationem discipulos vocâsse, et ex iis duodecim apostolos elegisse : quin eorum electionem, quasi longè post factam, narrat, c. 10, 2. Matthæus hanc à Christo concionem in monte habitam scribit ; Lucas in loco campestri, cùm ex monte jam descendisset ; Matthæus octo, ut vocant, beatitudines ab eo explicatas tradit, Lucas nonnisi quatuor. Quibus rebus magni auctores adducti sunt, ut existimarent non eamdem hic à Matthæo, et illic à Lucâ concionem recenseri ; sed Christum, ut solet concionatoribus accidere, eadem in diversis concionibus, vel additis, vel detractis paucis repetivisse. In quâ sententiâ fuit Augustinus, lib. 2 de Consensu evangel., c. 19, et Auctor Imperfect., hom. 9 ; Chromatius in hunc locum, et Gregorius, hom. 9 in Ezechiel. Alii eamdem putant esse concionem, ut Tatianus in Harmoniâ ; Hieronymus in Commentariis ; Chrysost., hom. 15

Origen., tract. in Matth. 24 ; Euthymius et Theophyl. in Commentariis. Quorum propterea judico probabiliorem esse sententiam, quia uterque evangelista ita beatitudines à Christo explicatas narrat, non quasi pauca quædam præcepta ex aliquâ superiore concione repetita ; sed quasi totum concionis argumentum, in quo omnis ejus consumpta sit oratio. Et ita quidem narrat, ut uterque à paupertate exordium sumpsisse dicat. Quod autem objicitur multis eos rebus dissidere, non est tam difficile solvere, quàm videtur. Dicit quidem Lucas Christum orandi causâ in montem ascendisse ; Matthæus non dicit, at non negat, nec dicit quâ occasione ascenderit, sed quid ibi fecerit ; nec quidquid fecit, sed quod ad suum pertinebat institutum ; institutum autem ejus erat agere de Christi doctrinâ ; ideò orationem tacet, concionem exponit ; eâdemque causâ Apostolorum electionem prætermittit, de quâ postea agit, c. 10, 1, non servato, ut sæpè admonuimus, ordine temporis. Ille difficilior est nodus, quòd Matthæus in monte, Lucas in campo hanc concionem habitam dicat. Sed is etiam multis modis, lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 19, solvitur ab Augustino. Fieri enim potest ut Christus ascenderit in montem, ut uterque evangelista dicit, orandi causâ, quod solus Lucas dicit, inibique apostolos elegerit, ut idem solus dicit, deinde descenderit, quod Matthæus tacet, Lucas dicit, et concionatus fuerit, ut uterque dicit, nisi quòd Lucas campestrem locum expressit, Matthæus suppressit. Quanquàm hæc explicatio mihi parùm verisimilis videtur, minùs etiam altera quam affert, non descendisse penitùs Christum de monte, sed ex summo montis fastigio in aliquem ejusdem montis planum locum, quem Matthæus montem, Lucas campum appellet ; quia non videtur hæc concio ad omnem, quæ Christum sequebatur turbam, sed ad solos discipulos habita esse primùm, quia materia ipsa postulat ut ad solos discipulos habita credatur. Nec enim omnibus Christus evangelicam perfectionem proponebat, sed turbæ dicebat : *Pœnitentiam agite*, c. 4, 17, et : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, Luc. 13, 3, 5. Perfectis autem esse volentibus perfecta proponebat : *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade, vende universa quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*, Matth. 19, 21. Deinde, quia uterque evangelista docet Christum ad solos discipulos orationem convertisse : *Et cùm sedisset*, inquit Matthæus, *accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos dicens : Beati pauperes spiritu* ; Lucas verò : *Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat, Beati pauperes*, et quia Christus, vers. 13, 14, solos discipulos alloquitur : *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi*. Unde perspicuum est hanc concionem non in campo, sed in monte habitam esse, in quem soli discipuli relictâ turbâ cum Christo conscenderunt, ut paulò post dicemus, nec esse ex Lucâ Matthæum, sed ex Matthæo Lucam interpretandum. Lucas ergo non de eâdem in montem ascensione, de quâ Matthæus agit ; sed de aliâ, quâ ideò ascenderit ut oraret, et apostolos elegerit. Quod autem addit, postquàm descendisset, copiosam undique multitudinem hominum secutam eum fuisse, et ipsum elevatis oculis in discipulos suos dixisse : *Beati pauperes*, non est intelligendum statim et in loco campestri factum esse, sed longè post, et alio loco, id est, in monte, in quem iterùm ascendit, ut Matthæus dicit, Lucas tacet, quia res, non loca et tempora conjungit. Quod autem Matthæus octo, Lucas quatuor tantùm referat beatitudines, leve est ; nec enim propositum fuit evangelistis omnia, sed summam omnium recensere. Itaque de hâc ipsâ concione, non solùm Matthæus quædam narrat, quæ Lucas prætermittit ; sed quædam etiam Matthæus prætermittit, quæ narrat Lucas, ut illa antitheta : *Væ vobis divitibus, væ vobis, qui ridetis, væ vobis, qui saturati estis, væ cùm benedixerint vobis homines*.

VIDENS AUTEM JESUS. *Jesus* in Græcis exemplaribus non legitur, neque Theophylactus et Euthym. legunt, et quidem ideò est oratio cum c. 4 postremo, ubi de Christo agitur, copulata, ut frustra additum videri possit. Sed tamen Chrysostomus, Auctor Imperfect., Augustinus, lib. 1 de Serm. Domini in monte, et Bernardus, sermone 1 de omnibus Sanctis legunt. Cùm autem evangelista dicit : *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem*, dubium non est causam, cur in montem ascenderit significare voluisse, quòd copiosam vidisset turbam. Cur autem propter turbam ascenderit, incertum. Potuit enim propter turbam ascendere, id est, ut eam in superiore doceret, loco, ut auctor Operis imperfecti interpretatur, quasi dicat : Videns tantam auditorum copiam, quæsivit commodum ad concionandum locum. Potuit etiam propter turbam ascendere, id est, ut turbam fugeret, ut exponit Augustinus, lib. 1 de Sermone Domini in monte ; et Chrysost., hom. 15 ; Hieron. in Comment. ; Euthym. ; Theophylactus ; Leo, in hom. de omnibus Sanctis, et Remigius, qui et illud observavit triplex à turbâ effugium Christum solitum quærere : desertum, c. 4, 1, navem, Luc. 5, 3, montem hic, et infra, c. 14, 23, et 15, 29, et 17, 1, et Marci 3, 13, et 6, 46, et 9, 2, et Luc. 6, 12, et 9, 28, et 21, 37, et Joann. 6, 3, 15, et 8, 1. Atque hunc arbitror verum esse sensum, quia, ut paulò ante diximus, hanc concionem non ad turbam, sed ad discipulos habitam fuisse constat, et quia non solet Christus, cùm turbam quærit, sed cùm fugit, in montem exscendere, ut ex Joanne, c. 6, 3, 15, et 8, 1, manifestum est. Auctor Imperfecti et Chromatius aliam reddunt causam, ut Isaiæ prophetiam impleret ; c. 40, 9 : *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam tu, qui evangelizas Jerusalem*. Sed nec evangelista eam causam, si veram existimâsset, silentio prætermisisset, qui tam diligens in quærendis et accommodandis ad Christum prophetiis esse solet ; et alius est prophetæ sensus ; non enim jubet, ut in montem reverâ conscendat ; sed ut ita loquatur, ut longè latèque Evangelii prædicatio exaudiri possit, ut eorum vox, qui de summis montium cacuminibus clamant. Quis autem mons fuerit, in quem tunc Christus ascen-

derit, scire non possumus. Refert Hieronymus Christianos aliquos simplices existimàsse fuisse montem Olivarum, non animadvertentes Christum tunc in superiore fuisse Galilæâ, montem autem Olivarum Jerosolymæ vicinum esse. Ipse Hieronymus probabile putat fuisse Thabor.

Et cum sedisset. Hieronymi et aliorum interpretationes, quia allegoricæ sunt, prætermitto. Quod autem Augustinus, lib. 1 de Sermone Domini in monte adnotavit sedere ad magisterii pertinere dignitatem, quodque alii hoc loco tradiderunt morem fuisse sedendo docendi, Matth. 26, 55; Luc. 4, 20, et Joan. 8, 2, dubium non est; nescio tamen an propterea hoc loco sederit Christus, cùm priùs sedisse dicatur, quàm ad eum discipuli accessissent. Neque verosimile est semper Christum sedendo docuisse. Nam cùm in medio campo concionatus est, non, ut opinor, sedebat.

Vers. 2. — Et aperiens os suum. Præterissem tanquam facilem hunc locum, nisi omnes ferè interpretes observàssent quòd Christus os suum dicatur aperuisse, non solùm non pleonasmum, sed aliquid etiam esse mysterii. Mysterium autem quod sit, non omnes consentiunt. August., lib. 1 de Serm. Domini in monte, et Greg., lib. 5 in Job., c. 5., significari putant Christum, qui priùs prophetarum aperiebat ora, nunc tandem os suum aperuisse, id est, ipsum per se locutum esse, ut sit D. Paulus, Hebr. 1, 1. Alii os quodammodò manibus, id est, verbo factis opponi putant, ut indicet evangelista Christum antea exemplo, tum etiam verbis docuisse. *Cæpit* enim *prius facere, deinde docere*, Act. 1, 1. Ita Chrysost., Euthymius et Theophylactus exponunt. Alii longum fuisse sermonem indicari oris apertione dicunt, quod etiam Augustinus probat. Alii res magnas dixisse atque divinas; sic enim dictum esse *aperuit os suum*, ut si dixisset evangelista, aperuit abyssum omnis scientiæ, et sapientiæ suæ. Sic Hilar. et Strabus. Alii simplicem esse putant Hebraismum, q. d.: Exorsus est loqui. Hebræis enim aperire os est loqui incipere. Ego aliquam hoc loco majorem vim arbitror inesse. Igitur, ut multa alia prætermittam, quæ apud Hebræos hæc phrasis significat, tantùm dicam quæ ad rem maximè videntur pertinere. Os aperire est aliquando liberè et clarè voce loqui, Ezechiel. 29, 21: *In die illo pullulabit cornu Domini Israel, et tibi dabo apertum os in medio eorum, et scient quia ego Dominus*; Ecclesiastici 15, 5: *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus*, id est, coram omnibus liberè loquetur, loquetur in conspectu regum et non confundetur, Psal. 118, 46. Hoc modo Christum os aperuisse, verum est; sed satis non est. Quis enim dubitabit eum liberè locutum, nisi significare evangelista voluerit, non scribarum et Pharisæorum more, sed liberè et tanquàm potestatem habentem docuisse, ut infra, c. 7, 29, sed hic sensus meliùs conveniret, si Christus hanc concionem non ad solos discipulos, sed ad promiscuam multitudinem habuisset. Aliquando aperire os est post longum diuturnumque silentium in verba prorumpere, ut Job. 3, 1: *Post hæc aperuit Job os suum et maledixit diei suo, et locutus est, perant dies.* Antea enim dictum fuerat: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est*, c. 1, 22. Sic mihi videtur Christus hoc loco os suum aperuisse, non quòd ante locutus, aut etiam concionatus non esset sed *quòd* nunquàm ante sublimem illam de evangelicâ perfectione doctrinam proposuisset. Tunc ergo aperuit os suum, id est, divina mysteria, ut ait Hilarius, quæ ante tacuerat, patefecit; sicut magnus ille apud Ciceronem orator Brutus, cùm multa de Oratore perfecto disputàsset, victus ad extremum precibus, et auditores nactus idoneos: *Dicam*, inquit, *quod semper tacui, semperque tacendum putavi. Mihi quisque optimè dicunt, quique id facillimè facere possunt, nisi initio dicendi contremuerint, penè impudentes videntur.*

Vers. 3. — Beati. Exorditur Christus ab eo quod omnes expetunt sicut David, aut is qui ejus in unum volumen psalmos collegavit: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, Ps. 1, 1. Beatitudinem enim non solum nemo non appetit; sed nemo quidquam, nisi propter eam appetit. Beatos verò Christus in hâc totâ concione vocat non eos, qui re jam ipsâ, sed qui spe beati sunt, et qui per gradus, quibus ad beatitudinem itur, ascendunt. Nec beati dicuntur, quòd certi sint ad beatitudinem se perventuros, sed quòd rectâ ad eam incedant viâ, et, nisi quòd vitium impediat, perventuri sint. Uno verbo beati pauperes appellantur, quantùm ex parte paupertatis est, quia ad currendum ad beatitudinem, ut ait Gregorius, leves et expediti sunt, potest tamen morbus, potest aliquod peccatum currentes impedire. Nec desiderare in interprete prudens debet lector, ut plura hoc loco de beatitudine disputet, sumat ab scholâ.

Pauperes spiritu. Pauperes spiritu major pars auctorum humiles interpretatur, Hilarius, can. 4; Chrysost., hom. in Matth. 15; auctor Imperfecti, hom. 9; Ambros., lib. 5, in Lucam; August., lib. 1 de Serm. Domini in monte; Gregorius Nyssenus, lib. de Beatitudinibus; Epiphan., hæresi 66; Leo, in homil. de omnibus Sanctis; Gregorius Magnus, lib. 36 in Job, c. 20. Itaque quamvis facultatibus divites, modò humiles sint, pauperes spiritu vocari putant. Alii pauperes spiritu esse dicunt eos qui sive pauperes, sive divites sint, non habent tamen divitiis addictum animum, nec ibi cor ipsorum, ubi thesaurus ipsorum est, ut sæpè etiam Augustinus exponit. Alii revera pauperes, qui opes non habent, significari sentiunt, ut Tertullianus, lib. adversùs Marcionem, 4; Cyprian., lib. de duodecim Abusionibus; Hieronym. in Commentariis. Nec mihi dubium est, quin verè pauperes significentur, et quia nomen quo utitur evangelista, non *Deum, id est, non habentes inflatum spiritum*. Il sunt pauperes spiritu, qui omnem affectum divitiarum exuerunt.

Vers. 3. — Beati pauperes. Beatos esse testatur, qui vulgò miseri habentur, si modò voluntate sint pauperes. Aug., lib. de Sermone Domini in monte: *Recè intelliguntur pauperes spiritu, humiles et timentes*

solùm pauperes, sed quod amplius quiddam est, mendicos significat, quemadmodùm Tertullianus vertendum putavit; et quia de humilibus paulò infra, vers. 4, dicit: *Beati mites*; et quia illis regnum cœlorum, quasi pauperibus opes promittuntur, et quia Lucas veros illis divites, *non* superbos opponit: *Væ*, inquit, *vobis divitibus*, c. 6, 24. Cur autem addat spiritu, varia opinio. Qui humiles intelliguntur, ideò additum putant, ut non vera pauperias, sed humilitas, quæ paupertas spiritûs est, significetur. Alii, ut non quælibet etiam vera paupertas, sed voluntaria paupertas declaretur. Paupertas enim coacta, virtus non est, sed miseria. Hanc ego veram arbitror esse sententiam. Spiritum enim sæpè pro voluntate poni animadverto, ut Matth. 26, 41, et Marci 14, 38: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*, Rom. 1, 9: *Cui servio in spiritu meo*, id est, ex animo, 1 Cor. 7, 34; vult Paulus virginem esse sanctam, non solùm corpore, sed etiam *spiritu*, id est, castam et facto et voluntate. Ephesios monet, c. 4, 3: *Ut solliciti sint servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*, id est, voluntatum ankanorumque consensionem. Nec animem voluntariam paupertatem significari putandum est; sed eam, quæ propter regnum cœlorum aut spontè suscipitur, aut patienter toleratur. Itaque Basilius in brevioribus regulis interrog. 205: *Pauperes spiritu*, id est, propter spiritum interpretatur. Pauper spiritu est, qui vendit omnia quæ habet et dat pauperibus, ut pauper ac nudus pauperem ac nudum sequatur Christum. Atque hic primus evangelicæ paupertatis est gradus. Secundus eorum qui non quidem vendiderunt, sed ne Christum amitterent, amiserunt. Tertius eorum qui bona sua non prorsùs amiserunt, sed ut Christum Ecclesiamque catholicam sequerentur, deseruerunt. Quales multos nunc habet Anglia peregrinis regionibus exsulantes, et pauperem trahentes vitam, quia signum bestiæ accipere noluerunt. Quartus eorum qui cùm divites malis artibus esse possint, timorem tamen Dei perturis opibus antepanentes, pauperes esse malunt, et illud dicunt, Tob. 4, 25: *Pauperem quidem vitam gerimus; sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus benè.* Quintus eorum qui nec sunt, nec possunt, nec volunt divites esse, panem à Deo petentes quotidianum, et habentes victum et vestitum, his contenti sunt. Sextus eorum qui vellent, si possent, sine cujusquam injuriâ divites fieri, sed, cùm non possint, æquo propter Christum animo paupertatem ferunt. Querit Ambrosius, lib. in Lucam 6, cur Christus pauperes beatos appellet, cùm et paupertas et divitiæ res sint indifferentes, quæ naturâ suâ nec bonæ nec malæ sint. Responsio est Christum non de paupertate naturâ suâ consideratâ, sed de paupertate spiritûs, quam declaravimus disputare. At cur ab ea exorsus est Christus, cùm aut per se virtus non sit, aut non maxima certè virtutum? Nolo de virtutum comparatione disserere, et cum aliarum invidiâ paupertatem extollere. Tantùm dico voluisse Christum rectissimam, et expeditissimam ad cœlum viam ostendere. Nihil autem esse, quod magis quàm divitiæ eumtem impediat. Impossibile enim est divitem intrare in regnum cœlorum; propterea Christum paupertatem primo loco posuisse.

Quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Qui regnum cœlorum hic pro evangelii prædicatione sumunt, quòd pauperibus potissimùm evangelium prædicetur, ut Christus ait Matth. 11, 5: *Pauperes evangelizantur*, et Isai. 61, 1, ut Hebræi legunt: *Evangelizare pauperibus misit me*: non animadvertunt regnum cœlorum, tanquàm paupertati divitias opponi, sicut in sequentibus semper contraria contrariis opponuntur. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; beati qui ridentur, quoniam ipsi saturabuntur.*

Vers. 4. — Beati mites. Hic est apud Græcos versus quintus, quæ autem versu quinto dicuntur: *Beati qui lugent*, ponuntur hoc loco. Et quidem Leo auctor Latinus, hom. de omnibus Sanctis, Græcorum more legit, ut non temerè videri possit verba in Latinis codicibus per amanuenses fuisse transposita. Mites dicuntur, qui humiles sunt et mansueti, Christoque similes, Matth. 11, 29: *Discite à me quia mitis sum et humilis corde*; itaque non possunt non esse beati, Basilius, in Regulis brevior., inter. 191. Qui non reddunt malum pro malo, sed vincunt in bono malum, Rom. 12, 17, 21.

Quoniam ipsi possidebunt terram. Græcè, hæreditate possidebunt. Quam autem terram intelligat non satis constat. Alii istam, in quâ vivimus, terram interpretantur, ut Chrysost., hom. in Matth. 15; August., lib. 1 de Serm. Domini in monte; Euthym. et Theophylactus. Solere enim Christum non modò cœlestia et futura, sed etiam terrena et præsentia bona polliceri, ut Matth. 6, 33: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, et Marci 10, 29, 30: *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantùm nunc, in tempore hoc domos, et fratres, et sorores, et matres, et agros cum persecutionibus, et in seculo futuro vitam æternam.* Alii per terram cœlum intelligunt, quæ terra viventium vocari solet, Psal. 26, 13, et 141, 6. Sic Origen., homil. 26 in Numer.; Basilius, in Comment. in Psal. 55; Cyrillus, in cap. Isaiæ 58; auctor Imper., hom. 9; Gregor. Nyssen., in lib. de Beatitudinibus; Hieronym., in hunc locum. Quorum ego sententiæ magis accedo, et quia in tam seriâ concione verosimile non est eam Christum promisisse terram quam despiciendam docebat, et quia in aliis beatitudinibus nihil eum terreni videmus polliceri, et quia sententia vera non esset; nec enim solent mites terram hanc possidere; sed de ejus potiùs possessione deturbari. At neque domos et agros possidere solent, qui propter Evangelium domos agrosque reliquerunt, et tamen Christus illis Marci 10, 30, etiam in hunc mundo pollicetur. Respondeo illic Christum non domos et agros,

Vers. 4. — Beati mites. Aug.: *Mites sunt qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.*

sed spiritualia dona, quæ domibus et agris meliora sunt polliceri. Cur ergo domos et agros appellat? ut domibus et agris spontè relictis opponeret. Quod hoc loco, cùm terram ante non nominaverit, dici non potest. Cur igitur terram potiùs quam cœlum appellavit? Primùm varietatis causâ, quia jam priùs cœlum appellaverat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Deinde, ut terrenæ, et ita dicam, terræ cœlestem opponeret, docuitque mites, qui hujus terræ possessione excludi solent, aliam meliorem possessuros terram, sicut D. Paulus et Apostolus Joannes cœlum Jerusalem appellare soleant, ut terrenæ Jerusalem opponant, cujus habitatione Judæi maximè gloriabantur. Gal. 4, 26; Hebræor. 12, 22; Apocal. 3, 12, et 21, 2, 10. Nescio etiam, an ad terram Chanaan Christus alludere voluerit, in quàm cùm omnes contenderent Hebræi, non nisi pauci mites et patientes ingressi sunt.

VERS. 5. — BEATI QUI LUGENT. Non omnes, qui lugent, beatos esse manifestum est. Itaque meritò quæri potest quos lugentes beatos appellet. Quidam eos dicunt, qui peccata sua lugent, ut Chrysost., hom. 15; Ambros., lib. 6 in Lucam, et Cyrillus, lib. 5 in Isaiam, et Hilarius, can. 4. Alii, qui vel sua, vel aliena, sicut Christus luxit Jerusalem, Lucæ 19, 41, et ut Samuel luxit Saul, 1 Reg. 16, 1; auctor Imperfecti, hom. 9; Hieronym., in Comment., et Leo, in hom. de omnibus Sanctis. Alii, qui earum rerum amissione lugent, August., lib. 1 de Serm. Domini in monte, et Gregor. Nyssenus, in lib. de Beat. Potest sensus esse, ut lugentes Christus appellet eos qui propter regnum cœlorum oppressi lugent, quod aliis verbis dicit vers. 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Omnes enim qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur*, 2 ad Tim. 3, 12. *Vos*, inquit Christus, *plorabitis et flebitis, mundus autem gaudebit.* Et rursùm : *In mundo pressuram habebitis*, Joan. 16, 33. *Gloriamur*, ait D. Paulus, *in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio autem spem; spes autem non confundit*, Rom. 5, 3, 4. Hunc autem esse sensum intelligitur ex Lucâ, c. 6, 25, ubi lugentibus ridentes, quasi oppressis oppressores, victis victores opponit. *Væ*, inquit, *vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.*

QUIA IPSI CONSOLABUNTUR. Gaudebunt, ridebunt. Græcè, consolationem accipient, ut August. aliquando vertit. Noster interpres, ut verbum unum Græcum uno altero Latino redderet, præter Latini sermonis consuetudinem locutus est. Hoc est, quod Christus dixit, Joan. 16, 20 : *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; sed tristitia vestra vertetur in gaudium*; et Joan. in Apocal. c. 7, 17 : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, et 21, 4, *et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra.*

VERS. 6. — BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT JUSTITIAM. Lucas, c. 6, 21, absolutè dicit : *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Matthæus *justitiam* addens,

VERS. 5 et 6. — BEATI QUI LUGENT propter justorum calamitates. *Justitiam.* Qui studio virtutis et justitiæ sententiam, non, ut plerique putant, explicavit; sed longè difficiliorem reddidit. Ex hoc enim verbo ansam omnes interpretes acceperunt, ut hunc locum de siti, id est, ardenti desiderio consequendæ justitiæ intelligendum putarent. Ambros., lib. 6 in Lucam; Hieron., in Comment.; Chrysost., hom. 15; auctor Imperf., hom. 9; August., lib. 10 de Serm. Domini in monte; Hilarius, can. 4; Leo, hom. de omnibus Sanctis; Gregor. Nyss., lib. de Beat.; Cæsarius Arelat., hom. 22; Bernard., serm. 1 de omnibus Sanctis; Euthym. et Theophyl. in Comment.; videturque eorum favere Scriptura sententiæ, quæ per sitim vehemens solet desiderium significare, Psal. 41, 1, 2, 3 : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*; et Psal. 62, 2 : *Sitivit in te anima mea*, Eccles. 24, 29 : *Qui bibunt me, adhuc sitient*, Isai. 55, 1 : *Omnes sitientes venite ad aquas.* Hos auctores tot ac tantos et honestum et tutum est sequi; sed mihi si liceat secundùm eos meam dicere sententiam, fateor probabilius videri Christum non de metaphoricâ, sed de verâ fame, sitique loqui, et quia et si vehemens desiderium sitis in sacris Litteris appelletur, fames tamen, quantùm equidem memini, nusquàm appellatur. Hic autem non solùm qui sitiunt, sed etiam qui esuriunt, beatos Christus pronuntiat; deinde quia Christus hoc loco non agit, nisi de certis quibusdam et privatis virtutibus, quæ majus quàm videntur adjumentum ad beatitudinem habent, qualis est paupertas, humilitas, patientia. Desiderare autem et appetere justitiam, non specialis, sed generalis est virtus, nihilque novi aut magni dixisse videretur Christus, si eos, qui justi esse vellent, beatos appellàsset. Præterea, quia manifestum est voluisse in totâ hâc concione Christum mundi opinionem coarguere iis extollendis rebus, quas ille maximè contemnit, propterea paupertatem, propterea humilitatem, propterea patientiam tantoperè commendat; at velle justum esse mundus non damnat, sed laudat, quamvis injustus; famem autem, et sitim veram maximè refugit, eamque tolerare putat insanìam; de eâ igitur loquitur Christus. Postremò Lucas esurientibus ac sitientibus satiros opponit. *Væ*, inquit, *vobis, qui saturati estis.* Saturos autem non vocat eos qui justitiâ satiati sunt : non enim eos miseros, sed beatos appellaret; ergo nec esurientes et sitientes dicuntur ii qui justitiam desiderant. Propiùs videtur mihi Rupertus ad sensum accessisse, ut esurire et sitire justitiam dicantur, quibus justitia non administratur, quales sunt pauperes, viduæ et pupilli, quorum judicium à Deo tam sæpè, tamque diligenter commendatur, Psal. 9, 18 : *Judicate pupillo, et humili, ut non apponat amplius magnificare se homo super terram*, et Psal. 81, 3 : *Judicate egeno et pupillo humilem et pauperem justificate.* Isai. 1, 23 : *Pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.* Jerem. 5, 28 : *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, judicium pauperum non judicaverunt.* ardent. Aug. : *Iste amatorem dicit veri et inconcussi boni.*

Hi ergo dicuntur esurire et sitire justitiam, quia cùm justitiâ, id est, juris administratione indigeant, eamque petant, nemo tamen illis præbuit. Sicut panem esuriunt, qui cùm petant, nemo illis porrigit. Nihil esset, quod in hâc interpretatione desiderarem, si Lucæ verba eum eâ convenirent. Sed quia videtur Lucas de fame panis et siti aquæ loqui, aliter explicari potest : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, id est, qui propterea esuriunt et sitiunt, quòd jus illis suum non tribuatur, quales sunt, qui injustè damnati bona sua perdiderunt, aut qui quod suum est, quia pauperes sunt, recuperare non possunt, aut quia justi sunt. Ut, *justitiam*, dictum sit, pro, *propter justitiam*, et propter justitiam intelligamus, quia illis justitia non judicatur, aut ut justitiam sequantur. Sic enim Matthæus, Lucasque convenient. Sed Lucas solam famem, Matthæus autem et famem et causam famis exposuit. At non quicumque ita etiam esuriunt et sitiunt, beati sunt, sed qui id propter regnum cœlorum patiuntur : multi enim fame moriuntur, quia jus illis non administratur, qui non idcircò beati sunt. Beati autem erant illi (ad quos hæc verba diriguntur) qui dicebant : *Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus*, 1 Cor. 4, 11, et : *In labore et ærumnâ et vigiliis multis, in fame, et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate*, 2 Cor. 11, 27, et, *egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus*, Hebræor. 11, 37, 38.

QUONIAM IPSI SATURABUNTUR. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, Psalm. 16, 15. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Luc. 14, 15 : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Luc. 22, 29, 30. His enim rebus accommodatè ad hominum opinionem, qui cibum et potum magnam felicitatem putant, vita beata et regnum cœlorum significatur, quod D. Paulus escam et potum esse negat. Similis sententia Isaiæ 49, 10 : *Non esurient, neque sitient, nec percutiet eos sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos*, et Isai. 65, 13 : *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis : ecce servi mei bibent, et vos sitietis*; et Apocal. 7, 17 : *Agnus, qui in medio throni est, regit illos, et deducet illos ad vitæ fontes aquarum. Qui ex eâ bibit aquâ, non sitiet in æternum*, Joan. 4, 13, 14.

VERS. 7. — BEATI MISERICORDES. Hoc de omni misericordiæ genere potest intelligi, ut Hieron., Chrysost., auctor Imperf., et Theophylact. existimant; exemplo est evangelica parabola, Matth. 18, 28, 32, 33 : *Servus nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* Gregorius tamen Nyssenus in lib. de Beat., August., lib. 1, de Serm. Domini in monte, et Leo, in hom. de omnibus Sanctis, propriè de eleemosynâ intelligendum putant; ea enim homines verè beatos facit, Matth. 25, 34, 35 : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi, quia esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi et dedistis mihi bibere*; Luc. 16, 9 : *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; Psal. 40, 1 : *Beatus vir, qui intelligit super egenum, et pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus*; Psal. 111, 5 : *Beatus vir qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur*; Proverb. 14, 21 : *Qui miseretur pauperis, beatus erit*; Proverb. 19, 17 : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, vicissitudinem suam reddet ei*; Job. 4, 7; Matth. 7, 2; Jacob. 2, 13. Mihi, quia hæc apostolis dicta sunt, misericordes propriè videntur appellari, non solùm, qui in dandis eleemosynis liberales sunt, quas apostoli relictis omnibus dare non poterant; sed multò magis, qui injurias facilè condonant, quas apostoli sæpè erant accepturi, ut per illam parabolam Matth. 18, 28, significatur.

VERS. 8. — BEATI MUNDO CORDE, mundi corde, aut, ut Augustinus et alii veteres Latini sæpè loquuntur, mundicordes, vel puricordes. Quidam mundos corde vocari putant, qui purâ sunt conscientiâ, quos nullius peccati conscientia redarguit, ut Hilar., can. 4; Basil., in Regul. breviorib. inter. 280; Greg. Nyssen., lib. de Beat.; Hier. in Comment.; auctor Operis Imperfecti, hom. 9; Leo, hom. de Festo omn. sanctorum; Bernardus in serm. de Conver., c. 23, et in serm. de omnibus Sanctis. Hoc licèt à multis et magnis dictum auctoribus difficultate non caret; quia nemo est, quem conscientia non accuset : *Quis enim gloriabitur mundum se habere cor, et purum esse à peccato?* Proverb. 20, 9. Deinde, quia ea non est privata, sed generalis virtus, et, ut jam diximus, Christus hic de privatis agit virtutibus. Alii per puritatem cordis simplicitatem intelligunt, ut August., lib. 1, de Serm. Domini; quod ideò mihi magis placet, quòd ea virtus minimè in mundo est usitata, qui *totus in maligno positus est*, 1 Joan. 5, 19, et quia apostolis erat maximè necessaria, qui mundum in sapientiâ suâ, non astutiâ, sed simplicitate capturi erant. Ideòque cùm eos Christus ad prædicandum mitteret, simplicitatem illis inprimis commendavit : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, Matth. 10, 16. *Si oculus*, inquit, *tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, Matth. 6, 22. Sæpè autem monuimus agi hic de virtutibus, quas maximè mundus despicit, quæque apostolis maximè erant necessariæ. Laudat Deus simplicitatem Job. 1, 1, 8 : *Et erat vir ille simplex et rectus.* Uxor tamen ejus, id est, mundus, et sapientia carnis irridet. *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ*, Job. 2, 9. Accedit, quòd mundis corde visionem Dei Christus promittit, quemadmodùm si cæcis lumen, ignorantibus scientiam, eamque beatissimam promittat. Mundus enim simplices cæcos, et ignorantes appellat. Interpretatio tamen Chrysostomi, Euthymii, et Theophylacti mihi non displicet, qui per

VERS. 8. — BEATI MUNDO CORDE. Aug., *Hoc est mundum cor, quod est simplex cor; et quemadmodum lumen hoc videri non potest nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest*

cordis puritatem castitatem intelligunt : nam et eam virtutem mundus vix novit ; Christus à suis discipulis maximè requirit : *Sunt eunuchi, inquit, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Matth. 19, 12.

QUONIAM IPSI DEUM VIDEBUNT. Accommodata redditio. Nam ut, qui purioribus sunt oculis, meliùs colores vident ; ita qui puriore sunt corde meliùs Deum videbunt. Unde sequitur Deum non oculis, sed corde à nobis esse videndum, ut August. argumentatur.

VERS. 9. — BEATI PACIFICI. Pacificos plerique intelligunt, qui dissensionum auctores non sunt. Alii, qui injurias facilè condonant, ut Hilarius in Comment. Alii, qui in seipsis pacem habent, id est, nullis conscientiæ fluctibus agitantur, ut Augustinus. Alii, quod affine est, qui nullas cum Deo gerunt inimicitias, ut Leo. Alii, qui et ipsi quieti, et pacati sunt, et alios, quantùm in ipsis est, reconciliant, et, ut uno dicam verbo, qui pacì student, ut Chrysostom., auctor Imperfect., Euthym., et Theophylact. Hæc mihi interpretatio magis placet, et quia Græcum verbum eos proprié significat qui pacem conciliant, et quia aliæ interpretationes nimis sunt generales ; nam habere vel in se, vel cum Deo pacem communis est virtus ; et quia mundus pluris facere eos solet, qui fortiter et prudenter bella gerunt, quàm qui pacem componunt, et quia hæc virtus maximè erat apostolis commendanda, qui non armis, sed mansuetudine mundum erant expugnaturi. *In quamcumque, inquit, domum intraveritis, primùm dicite : Pax huic domui,* Luc. 10, 5, et quia sequitur : *Quia filii Dei vocabuntur,* id est, quia similes Deo erunt, duplici Hebraismo, altero in verbo, *Filii,* quod apud Hebræos conformationem, similitudinemque significat, ut infra, vers. 44 et 45 : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii* (id est, similes) *Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos ;* altero in verbo, *vocabuntur,* id est, erunt, Genes. 21, 12. *In Isaac vocabitur tibi semen,* quod D. Paulus per verbum substantivum interpretatur, Rom. 9, 7, 8 : *Non, qui filii carnis, ii filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine,* et quod Isaias dixerat, c. 56, 7 : *Domus mea domus orationis vocabitur,* Lucas, c. 19, 46, dicit, *domus orationis est.* Plus etiam quiddam mihi videtur, *vocari,* quàm *esse,* significare ; nempe ita aliquid esse, ut appareat, ut omnium ore celebretur ; itaque beati pacifici, quia non solùm filii Dei erunt, sed ita erunt, ut mundus ipse, qui eos ante stultos reputabat, filios Dei confiteri cogatur et appellare : *Ii sunt, quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii ; nos insensati vitam illorum æstimabamus insanium, et finem illorum sine honore ; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Sapient. 5, 3, 4. Proprium autem est Dei pacem facere. Non enim est Deus dissensionis, sed pacis, 1 Cor. 14, 33, ideòque Deus pacis appellari solet, Rom. 15, 33 ; et 16, 20 ; et 2 Cor. 13, 11 ; ad Philip. 4, 9 ; 1 ad Thess. 5, 23 ; 2 ad Thess. 3, 16 ; ad Hebræos, 13, 20. Chrysostomi autem, Euthymii et Theophylacti interpretatio bona est, propterea pacificos filios Dei appellari, quòd Christum filium ejus naturalem imitentur, cujus officium est homines Deo reconciliare, Rom. 5, 10, 2 Cor. 5, 18 ; ad Coloss. 1, 20 ; ad Ephes. 2, 14 ; quique pacem in terram attulit, Luc. 2, 14 ; Joan. 14, 27, quàm mundus dare non poterat.

VERS. 10. — PROPTER JUSTITIAM. Propterea quòd justi, propterea quòd justitiam sequuntur, quòd Christiani sint, Act. 5, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati ;* et 1 Petr. 4, 15, 16 : *Nemo vestrùm patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem, ut Christianus, non erubescat ; glorificet autem Deum in isto nomine ;* et 1 Petr. 2, 20, 21 : *Quæ enim est gratia, si peccantes, et colaphizati suffertis ? sed si benefacientes patienter suffertis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ;* et cap. 3, 14 : *Sed etsi quid patimini propter justitiam, beati.*

IPSORUM EST ENIM REGNUM CŒLORUM. Propter justitiam patientibus, tanquàm pugnantibus, regnum ipsum pro quo pugnant, pollicetur. Communis in Scripturis consolatio, Jerem. 31, 16 : *Quiescat vox tua à ploratu, et oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo ;* 2 ad Tim. 4, 8 : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ ;* 1 Cor. 15, 58 : *Itaque, fratres mei, stabiles estote, et immobiles abundantes in opere bono semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.*

VERS. 13. — VOS ESTIS SAL TERRÆ. Salis duas esse proprietates et saporem rebus insipidis dare, et eas conservare, ne corrumpantur, notum est. Quod est in cibis sapor, est in hominibus ab eodem verbo dicta sapientia : quod in rebus aliis conservatio, est in hominibus in bonis moribus confirmatio, quam divinæ Litteræ ædificationem vocant. Apostoli ergo sal terræ vocantur, quia homines, et suâ sapientiâ docere debent, et suis moribus ædificare. Quare autem hoc dicat, causam Augustinus reddit, libro 1 de Serm. Domini. Excitaverat Christus Apostolos paulò ante ad summam vitæ perfectionem : *Beati pauperes spiritu,* etc. Vult nunc probare eos tales esse oportere, quia sal terræ futuri sunt. Per terram autem homines intelligi et D. Augustinus adnotavit, et certum est, *esse judicandos qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes amittunt æterna, quæ nec dari ab hominibus possunt, nec auferri.* Vos estis contemnendis animis et corruptione vindicandis destinati. *Quòd si sol exaruerit ;* si insipidum factum fuerit, et saporem amiserit, *ad nihilum valet nisi ut mittatur foràs* : sed foràs projicitur phrasi Hebraicâ. *In quo salietur ?* Quo alio salo condietur, aut reparabitur sal ipsum ? Quid ei reddet acumen pristinum ?

VERS. 9. — BEATI PACIFICI ; Gr. : Qui pacem inter homines conciliant.

VERS. 11. — PROPTER ME ; si falsum dixerint maledicentes, magna vos merces manet, si propter Deum hæc patiamini.

VERS. 13. — SAL TERRÆ. Aug., *Ostendens fatuos*

et in Scripturis insitatum. Illud magis necessarium, quòd Chrysostomus, et Theophylactus observaverunt, propterea Apostolos sal terræ dictos esse, ut non unius aut paucorum hominum, sed totius orbis terræ magistri futuri intelligerentur, Marci. 16, 15 : *Ite in mundum universum, et prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marcus, cap. 9, 50, et Lucas, cap. 14, 34, aliâ occasione narrant Christum hanc similitudinem usurpâsse. Sed facilis est et probabilis solutio, credendum esse non semel tantum Christum, sed sæpè, prout res postulabat, eâdem similitudine usum fuisse, quod nobis etiam sæpè docentibus usu venit.

QUOD SI SAL EVANUERIT. Gr. μωρανθῇ infatuatum fuerit, ad verbum, id est, saporem, et acrimoniam amiserit. Infatuantur autem doctores cùm aut malè docent, aut malè ædificant.

IN QUO SALIETUR ? Ipsum sal, Marc. 9, 50. Non enim sal salis est, si doctor malè docuerit, à quo doctor ipse docebitur ? si malè vixerit, à quo corrigetur ? non enim doctor doctorum est. Non quòd doctor et doceri, et emendari non possit, sed quòd fieri non solcat, aut difficile possit.

NISI UT PROJICIATUR FORAS, ET CONCULCETUR AB HOMINIBUS, ab hominibus prætereuntibus ; sicut, quæ in publicam viam ejiciuntur, conculcari solent, Hebraismus ; dicunt enim Hebræi אִישׁ virum aut hominem, id est, quemlibet. Itaque Septuaginta, ubi Hebraicè est אִישׁ, aliquando vertunt ἕκαστος, unusquisque, ut Jud. 21, 25. Latini dicerent, ut vulgò conculcetur. Significat ullas res, etiam si naturalem usum amittant, ad aliquid tamen utiles esse. Fractus est nummus aureus ; non erit nummus, sed erit aurum ; non serviet commercio ; sed serviet aurifici. Corruptus est cibus, non dabitur homini ; sed dabitur cani. Trita est vestis, in sterquilinium mittetur ; hominem fovere non potest, terram fovebit ; id est, sal, si à naturâ suâ degeneraverit, ne in sterquilinium quidem aliquid valet, terram non fœcundat ; sed sterilem reddit. *Posuit,* inquit David, *terram fructiferam in salsuginem à malitiâ inhabitantium in eâ,* Psal. 106, 34. Hoc Lucas explicavit cap. 14, 35 : *Nec enim in terram, nec in sterquilinium utile est, sed foràs mittetur.* Solent, quæ utilissima sunt, cùm à naturâ suâ discedunt, inutillissima fieri. Sarmentum ad fructum ferendum utilissimum ; si aruerit, nihil inutilius ; Ezech. 15, 2, 3, 4 : *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum ? Nunquid tolletur de eâ lignum, ut fiat opus ? aut fabricabitur de eâ paxillus, ut dependeat ex eo quidquamque vas. Ecce igni datum est in escam.* Quod illic de vite, hîc de sale dicitur. Utriusque sententiæ summa est, degeneres doctores, quales inprimis hæretici sunt, ad nihilum ultra quidquam valere, nisi ut pœnas luant, nisi ut conculcentur, nisi ut crementur. Pejores etiam quàm sal infatuatum, quàmque aridum sarmentum, hæretici cimicibus, ut alt Augustinus, similes sunt. Vivi mordent ; mortui fœtent.

VERS. 14. — VOS ESTIS LUX MUNDI. Qui universum mundum doctrina et exemplo debetis illuminare. Nullos bonos præter vos mundus habet magistros. Quam vim habere diximus superiore versu nomen terræ, eam hoc loco mundi nomen habet, ut iidem auctores Chrysostomus et Theophylactus observaverunt. Quod autem auctor Operis Imperfecti adnotavit apostolos sali comparari respectu Judæorum ; luci verò respectu gentilium, quòd Judæos veritatem jam cognoscentes in eodem statu conservare deberent, quod proprium est salis ; Gentiles autem docere, quod proprium est lucis ; vereor ne et nimis argutum sit, et non satis verum. Probabilius, voluisse Christum tribus similitudinibus salis, lucis, et civitatis rem unam eamdemque declarare. Hanc enim Syrorum, quorum utebatur linguâ, consuetudinem fuisse alibi Hieronymus admonuit. Itaque non hoc tantùm loco, sed multis quoque aliis videmus Christum, ut eamdem rem exprimat, multas similitudines alias super alias accumulare, cujus rei exempla unum caput Matthæi, 13, multa suppeditabit. Illud observandum solum Christum veram esse lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joan. 1, 9, et Joan. 3, 19 : *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem ;* et Joan. 8, 12 : *Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris ;* et cap. 9, 5 : *Quamdiù sum in mundo, lux sum mundi ;* et cap. 12, 25 : *Ambulate, dum lucem habetis,* et vers. 36 : *Dùm lucem habetis, credite in lucem.* Lux autem vera dicitur Christus, quia summam et ex seipso lucem habet ; cum quo, si non modo Apostoli, cæterique viri sancti atque doctores ; sed ille verè alter quoque Baptista Joannes, quo inter natos mulierum major non surrexit, comparetur ; verè alter Joannes c. 1, v. 8, dicit : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Et tamen de eodem illo Joanne ille idem Joannes scribit, cap. 5, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens ;* sicut hoc loco Apostoli lux appellantur. Omnes etiam Christiani lux vocari solent, Philip. 2, 15 : *Ut sitis sine querelâ, et simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ, et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo,* et Ephes. 5, 8 : *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino ; sicut filii lucis ambulate,* et 1 Thess. 5, 5 : *Omnes autem vos filii lucis estis, et filii diei, non sumus noctis, neque tenebrarum.* Christus lux naturâ suâ ; alii ejus beneficio, quia ab eo illuminati sunt ; Christus, quia non solùm extrinsecùs doctrinâ exemploque illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ; sed etiam per gratiam intrinsecùs : apostoli, quia extrinsecùs non solùm exemplo, sed etiam doctrinâ : Christiani, quia exemplo aliis lucent.

NON POTEST CIVITAS ABSCONDI. Decst prima pars si-

VERS. 14. — LUX MUNDI. Sal ad mores, lux ad doctrinam pertinet.

militudinis, vos estis civitas, aut similes civitati supra montem positæ. Per montes solere Prophetas, et Apostolos significari multis Hieronymus locis observavit, quia edito in Ecclesiâ loco positi ab omnibus conspiciuntur. Significantur etiam per turres, ut ait auctor Operis Imperfecti; *Fiat pax in virtute tuâ, et abundantia in turribus tuis*, Psal. 121, 7. Quanquàm hic sensus mysticus est, litteralis alius. Eâdem ratione hic civitati, aut potiùs urbi comparantur.

NON POTEST. Illa non potest; vos non debetis. Non enim monet eos, ut benè vivant, ne quem offendant, quòd eorum exemplum, quasi urbs supra montem sita latere non possit: sed exhortatur ne lateant, ut paulo post apparebit.

VERS. 15. — NEQUE ACCENDUNT LUCERNAM, ET PONUNT EAM SUB MODIO. Quid verba significent, manifestum est: quorsùm dicta, difficile. Hieronymus, propterea Christum dixisse putat, ut Apostolis fiduciam ad liberè prædicandum Evangelium, et animum adderet; quemadmodùm si pugilem exhortarer, uti strenuè et fortiter pugnet; omnium enim oculos in eum esse conversos. Alii monere eos voluisse, ut cautè viverent; ne quid facerent, quod quemquam posset offendere; non enim urbem supra montem sitam latere posse; nec eos similes esse lucernæ sub modio, sed supra candelabrum positæ (nec enim sub modio poni solere) quæ non possit non ab omnibus videri; quemadmodùm Philippenses D. Paulus admonuit, c. 2, 15: *Ut essent sine querelâ et reprehensione in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucerent sicut luminaria in mundo*; et Petrus 1, epistolâ, cap. 3, 16: *Cum modestiâ et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Ad hunc modum Chrysostomus et Theophylactus exponunt. Vera mihi ratio, cur hoc Christus dixerit, videtur esse ut Apostolos exhortaretur, uti gnaviter, et verbis, et exemplo lucerent, ne labori parcerent. Propterea se eos, tanquàm lucernam, accendisse, id est, apostolos constituisse; propterea supra alios, tanquàm urbem supra montem, posnisse, ut appareant, ut luceant, ut doceant; non ut lateant. Nec enim orbs supra montem ædificatur, ut non videatur, sed ut non videri non possit; nec accenditur lucerna, ut sub modio abscondatur; sed ut supra candelabrum posita, et luceat omnibus, et cernatur ab omnibus, eâdem prorsùs sententiâ, quâ alibi Christus dicit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Lucæ, 12, 49, et quâ D. Paulus Timotheum exhortatur, 2 Tim. 4, 2: *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientiâ, et doctrinâ.* Confirmant hanc rationem verba quæ sequuntur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Quod autem dicit: *Et ponunt eam sub modio*, non ob aliam causam sub modio potiùs, quàm sub aliâ re dixisse arbitror, nisi quia modius

VERS. 17. — NON VENI SOLVERE LEGEM. Legem implevit hanc observando, gratiam nobis impertiendo, figuras omnes ad veteris legis significationem in se

res erat apta, ut sub eo lucerna conderetur. Itaque Lucas., c. 8, 16, paulò aliter dixit, *nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtùs lectum ponit.* Unde satis apparet Hilarii, et Augustini interpretationes, qui in modio aliquid putant esse mysterii, quasi apostoli largiter et sine mensurâ suam deberent doctrinam impertiri, mysticas esse, non litterales.

VERS. 16. — SIC LUCEAT LUX VESTRA CORAM HOMINIBUS, UT VIDEANT OPERA VESTRA BONA. Contrarium videtur Christus alibi docere, infra., c. 6, 1, 2, 5: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, et alia in hanc sententiam eodem loco multa. Facilis solutio, *ut*, hoc loco non causam; sed consequentiam significare, ut Joan. 9, 39; et 1 Cor. 11, 19. Chrysost., hom. 10, in epistolam ad Rom., et hom. 27, in 1 ad Cor.; et hom. in illud Pauli dictum: *Oportet hæreses esse*; et Damascenus, aliique Græci theologi solent dicere non esse αἰτιατικῶς, sed ἐνδεικτικῶς. Non enim jubet eos propterea benè agere, ut ab hominibus, videantur; quod, c. 6, fieri vetat; sed ita vivere, ut quisquis eorum actiones consideraverit, glorificet non ipsos, sed Patrem, qui in cœlis est; cujus est gratia, ut benè vivant, quod, c. 6, fieri non vetat. Quid ergo, an non licet aliquid aliquando boni agere, ut ab hominibus videare; quod factorus alioqui non esses? licet, si modò non propter te, sed propter Deum videri velis. Licet eo fine, sed non ultimo benè agere. Licet eò pervenire; sed non ibi stare. Ad gloriam Dei tendendus est animus, qui antequàm ad Deum perveniat, stetit; non stetit, sed cecidit. Qui ab hominibus benè agens videri vult, non ut ipse, sed ut pater qui in cœlis est, glorificetur; non se, sed Deum videri vult. Nemo enim ut videatur; sed, ut visus aliquid consequatur glorix, videri cupit. Si autem gloriam non quærit, aut non sibi, sed Deo quærit; etiam si videri cupiat, videri non cupit. Hoc sensu Petrus, 1 epistolâ, c. 2, 12, Christianos benè viventes vult à gentilibus velle videri, *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Hoc sensu videtur etiam mihi dixisse Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*; quo loco, *ut*, non solùm eventum et consequentiam, sed finem etiam, causamque significat. Lucernæ enim apostolos comparavit. Lucerna autem eo animo accenditur, ut videatur. Sed, ut diximus, non ibi Christus insistit, porrò progreditur, *ut glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

VERS. 17. — NOLITE PUTARE QUONIAM VENI SOLVERE LEGEM. Primùm videndum, quorsùm hoc nunc Christus dicat; aut quomodò cum superioribus ista sententia cohæreat. Plerique putant ideò hoc Christum addidisse, quòd jam tum à Judæis accusaretur, quasi legem solveret; aut quòd se certè accusatum iri, sciret: quod videmus Matth. 7, 29, et 15, 9, et ipso, et in Ecclesiâ exprimendo, quæ tacitè tantùm in lege continebantur, quique verus esset legis sensus, demonstrando.

Joan. 9, 16, evenisse. Alii, quia ad perfectiorem legis interpretationem transitionem faciebat, monere voluisse ut vel ex eo intelligerent se non venisse, ut legem solveret; sed ut impleret, id est, ut magis astringeret et magis ad mentem legislatoris interpretaretur: *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis: Ego autem dico vobis.* Ita Gregorius Nyssenus, adversùs Judæos, et Euthymius, et Theophylactus in commentariis. Tertiò legem implevit, quia gratiam, per quam impleri posset, nobis attulit. Priùs enim, ut solet Augustinus dicere, jubebat, sed non juvabat. Post Christi adventum, et jubet et juvat. Ante corpus erat grave, sine animâ pondus; Christus gratiam et Spiritum quasi animam indidit, quâ movetur et agit. *Lex enim per Moysem data est; gratia autem per Jesum Christum facta est*, Joan. 1, 17. Sic Augustinus libro 17 contra Faustum, cap. 5, et libro 19, cap. 7, et Chrysostomus homiliâ 16. Quartò, quia, quæ in lege promissa erant, exhibuit; quæ cæremoniis et figuris adumbrata repræsentavit, quemadmodùm omnes ferè veteres auctores interpretati sunt. Irenæus libro 4, cap. 27 et 67, et Tertullianus, in libro de Patientiâ; Hilarius, cap. 4; Athanasius, in Serm. contra omnes Hæreses; Cyrillus, libro de Adoratione in spiritu et veritate; Augustinus, in Quæst. novi Testamenti, quæst. 69. Convenit quod Christus dicit, Luc. 24, 44: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me.* Hoc est, quod tam sæpè solent evangelistæ, maximèque Matthæus dicere: *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas.* Sunt qui addant quinto etiam alio modo legem implesse Christum, quia pro temporalibus supplicis et præmiis, quæ lex proponebat, æterna proposuit. Itaque cùm in lege et prophetis quatuor essent partes, promissa et vaticinia, præcepta decalogi, cæremonialia, judicialia, Christus omnia complevit. Promissa, et vaticinia, exhibendo, quæ promissa, quæque prædicta erant; præceptâ decalogi moralia, meliùs interpretando; cæremonialia, quæ per cæremonias significabantur exhibendo, ut pro circumcisione carnis baptismum et circumcisionem cordis; judicialia, quia præmia et supplicia corporea, et temporalia in spiritualia et æterna commutavit. Quo ergo modo legem abrogavit? non solvendo, sed implendo; non violando, sed perficiendo; sicut pictor (ut Theophylactus ait) inchoatæ, et extremis tantùm lineamentis adumbratæ imagini, dùm extremam apponit manum, et colores adhibet, priorem imaginem abolet; novam inducit. Abolet autem non dissolvendo, sed absolvendo; non delendo, sed perficiendo. Quo autem sensu dicatur lex usque ad Joannem tantùm Baptistam duravisse, alia est quæstio, non hoc loco, sed infra, cap. 11, 13, explicanda. Non satis est scire legem usque ad Joannem tantùm Baptismum duravisse, non quia per Joannem abrogata, aut statim ut ille prædicare cœpit, mortua est; sed quia ægrotare tunc cœpit, non multò post Christi mortem moritura. Abrogata lex est, quia per Evangelium perfecta, eodem tempore abrogari cœpit, quo Evangelium prædicari; quò magis

pièsse, quia benè interpretando perfecit; cùm enim dixisset: *Non veni legem solvere, sed adimplere*, quasi declarare voleus, quomodò implèsset, addidit severiores illas legis interpretationes: *Audistis quia dictum est antiquis; ego autem dico vobis.* Its Gregorius Nyssenus, adversùs Judæos, et Euthymius, et Theophylactus in commentariis. Tertiò legem implevit, quia gratiam, per quam impleri posset, nobis attulit. Priùs enim, ut solet Augustinus dicere, jubebat, sed non juvabat. Post Christi adventum, et jubet et juvat. Ante corpus erat grave, sine animâ pondus; Christus gratiam et Spiritum quasi animam indidit, quâ movetur et agit. *Lex enim per Moysem data est; gratia autem per Jesum Christum facta est*, Joan. 1, 17. Sic Augustinus libro 17 contra Faustum, cap. 5, et libro 19, cap. 7, et Chrysostomus homiliâ 16. Quartò, quia, quæ in lege promissa erant, exhibuit; quæ cæremoniis et figuris adumbrata repræsentavit, quemadmodùm omnes ferè veteres auctores interpretati sunt. Irenæus libro 4, cap. 27 et 67, et Tertullianus, in libro de Patientiâ; Hilarius, cap. 4; Athanasius, in Serm. contra omnes Hæreses; Cyrillus, libro de Adoratione in spiritu et veritate; Augustinus, in Quæst. novi Testamenti, quæst. 69. Convenit quod Christus dicit, Luc. 24, 44: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me.* Hoc est, quod tam sæpè solent evangelistæ, maximèque Matthæus dicere: *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas.* Sunt qui addant quinto etiam alio modo legem implesse Christum, quia pro temporalibus supplicis et præmiis, quæ lex proponebat, æterna proposuit. Itaque cùm in lege et prophetis quatuor essent partes, promissa et vaticinia, præcepta decalogi, cæremonialia, judicialia, Christus omnia complevit. Promissa, et vaticinia, exhibendo, quæ promissa, quæque prædicta erant; præceptâ decalogi moralia, meliùs interpretando; cæremonialia, quæ per cæremonias significabantur exhibendo, ut pro circumcisione carnis baptismum et circumcisionem cordis; judicialia, quia præmia et supplicia corporea, et temporalia in spiritualia et æterna commutavit. Quo ergo modo legem abrogavit? non solvendo, sed implendo; non violando, sed perficiendo; sicut pictor (ut Theophylactus ait) inchoatæ, et extremis tantùm lineamentis adumbratæ imagini, dùm extremam apponit manum, et colores adhibet, priorem imaginem abolet; novam inducit. Abolet autem non dissolvendo, sed absolvendo; non delendo, sed perficiendo. Quo autem sensu dicatur lex usque ad Joannem tantùm Baptistam duravisse, alia est quæstio, non hoc loco, sed infra, cap. 11, 13, explicanda. Non satis est scire legem usque ad Joannem tantùm Baptismum duravisse, non quia per Joannem abrogata, aut statim ut ille prædicare cœpit, mortua est; sed quia ægrotare tunc cœpit, non multò post Christi mortem moritura. Abrogata lex est, quia per Evangelium perfecta, eodem tempore abrogari cœpit, quo Evangelium prædicari; quò magis

Evangelium vigebat, eò magis illa languebat; cùm Evangelium est penitùs prædicatum, illa est penitùs abrogata.

Vers. 18. — Amen. אמן Hebraicè veritatem significat Isai. 65, 16. Itaque *Amen dico vobis*, idem est, atque, In veritate dico vobis, ut Luc. 4, 25; Joan. 16, 7. Duplicem habet usum : alterum, ut sit confirmatio eorum, quæ à nobis, vel ab alio ante dicta sunt, ut Num. 5, 22; Deuter. 27, 26; 1 Cor. 14, 16; alterum, ut sit affirmatio eorum quæ dicturi sumus, ut hoc loco et aliis penè innumerabilibus. Prior usus in vetere Testamento frequentissimus; in novo rarus : Posterior frequentissimus in novo; aut nullus, aut rarissimus in veteri. Causam esse arbitror, quòd veteris Testamenti scriptores Hebraicè loquerentur, novi Syriacè; Hebraicè autem *amen* potiùs confirmantis, quàm affirmantis; Syriacè potiùs affirmantis, quàm confirmantis sit. Græci, Latinique interpretes Hebraicam dictionem usu notam retinuerunt. Quanquàm Aquila πεπιστωμένως, Septuaginta γένοιτο aliquando verterant, ut Hieron. in epistolâ ad Sophronium, et in secundâ ad Marcellam scribit.

Donec transeat. Donec pereat, Psal. 101, donec dissolvatur, 2 Pet. 3, 10, id est, donec immutetur. Hebraismus עבר sæpè etiam in novo Testamento usurpatus Græcè, παρέρχεσθαι Matth. 24, 35, et 26, 39, 42; Marci 13, 31; Luc. 21, 33, sicut παρελθεῖν, transferre pro hithpael העבר, Marc. 14, 36; Luc. 22, 42, et μετατίθεσθαι, ad Heb. 7, 12.

Cœlum et terra. Totus mundus, qui firmissimis fundamentis creditur stare. Hilarius : *Cœlum quidem et terram maxima, ut arbitramur, elementa esse solvenda, cæterùm ne minimum quidem posse esse de mandatis legis infectum.* Solet Scriptura similibus uti comparationibus, Psal. 71, 5 : *Permanebit cum sole, et ante lunam in generatione et generationem*, et vers. 7 : *Oriatur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna*, et Psal. 88, 38 : *Thronus ejus, sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis*; Jerem. 33, 20, 21 : *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, ut non sit dies, et non sit nox in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum David servo meo.*

Iota unum, vel unus apex. Quidam interpretantur, iota minimum esse litterarum, apicem minimam ejus particulam in capite ejus expressam, quasi dicat, ne minima quidem legis mandata, aut minimam minimi mandati partem solutum iri. Sed hæc interpretatio in Græcâ et Hebraicâ linguâ, quâ Evangelium hoc scriptum est, itemque in Syriacâ, quâ Christus loquebatur, locum non habet, quia suprà *iota* apex non inscribitur. Apicem ergo vocat minimam litterarum partem, ut caput aut caudam ipsius *iod*, ', rem scilicet minutissimam. Nam puncta tunc apud Hebræos et Syros non fuisse, nemo nescit. Genuit ex hoc loco littera iota, licèt omnium minima, maximam hæresim, apud Irenæum, lib. 1, c. 1, lege.

Vers. 19. — De mandatis istis minimis. Quidam vetores auctores per minima mandata mortem volunt et crucem Christi intelligi; quòd mors et crux res abjecta contemptaque videatur, quam tamen qui erubescit, salvus esse non possit. Ad hunc modum Hilarius, et alii quorum Theophylactus meminit. De cruce hic non agi manifestum est; quæ autem mandata Christus minima vocet, dubium. Quidam enim ad præcedentia referunt, ut August., lib. 1 de Sermone Domini in monte, quasi dicat, qui solverit unum de mandatis istis minimis, quæ egò veni non solvere, sed adimplere. Videtur enim pronomen, *istis*, illa, de quibus Christus locutus fuerat, demonstrare. Alii ad sequentia, ut Chrysostomus, hom. 16, auctor Imperf., hom. 10, et Theophylactus, quod est probabilius, quia minima legis veteris mandata erant cæremonialia et judicialia, quæ nolebat Christus post Evangelii prædicationem servari, sed aboleri; et quia sequitur, *nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum et pharisæorum*, et, *audistis, quia dictum est antiquis; ego autem dico vobis.* Ergo pronomen illud, *istis*, non eadem de quibus locutus Christus erat, demonstrat, sed similia; similia autem, quia utraque minima videbantur. Minima verò mandata, de quibus dicturus est, vocat, non quòd reverà, sed quòd pharisæorum opinione minima, aut potiùs nulla essent, qui, ut ab oculis hominum toti pendebant, homicidium, quod oculis videbatur, peccatum putabant, homicidii patrandi voluntatem, quæ non videbatur fortè non putabant.

Et docuerit sic homines. *Sic* una est syllaba, sed magnam continet difficultatem, in eâque tota hujus loci sententia versatur. Hieronymus, et nonnulli interpretes novi exponunt, *et docuerit sic*, id est, quemadmodùm ego dico, atque præcipio, quasi dicat : Qui unum ex mandatis hisce minimis non servaverit, quamvis doceat alios ea esse servanda, tamen minimum futurum in regno cœlorum. Cum quâ interpretatione convenit, quod idem Christus dicit, cap. 23, 2, 3 : *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite, secundùm autem opera eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt.* Eosdem enim hic scribas et pharisæos notare voluit. Sic ideò hic sensus videtur minùs proprius, quia hoc loco Christus non solùm pharisæorum vitam, sed etiam doctrinam reprehendit : *Audistis quia dictum est antiquis; ego autem dico vobis.* Itaque meliùs omnes alii interpretes, ut Chrysostomus, hom. in Matth. 16, et auctor Imperf., hom. 10, et Augustinus, lib. 1 de Serm. Domini, et Gregorius, doctrinam divinam corruperit, aut loquitur de solutione mandatorum, quæ fit per solam transgressionem. *Qui prædicas non furandum, furaris*, Rom. 2. Hic Dei judicio vilis erit et in Ecclesiâ, vocabitur, futurus est, vel non erit in regno cœlorum, seu in regno Dei.

Vers. 18. — Iota unum. Aug.: *Quibus verbis ostendit in lege ad effectum etiam minima quæque perduci.* Vox Græca litteræ apicem significat.

Vers. 19. — Unum de mandatis, quæ traditurus sum, quæque Pharisæis videntur minima : vel qui

lib. 19 in Job., c. 5, exponunt, *sic*, id est, quemadmodùm ipse facit, qui nec ipse servat, et alios docet nor esse servandâ.

Minimus vocabitur. Minimum nonnulli nullum interpretantur, ut Chrysostomus, et Theophylactus, ideò, ut opinor, quòd absurdum judicarent eum, qui hæc Christi mandata non observàsset, aliquem in regno cœlorum locum habere. Alii nonnullum, sed minimum in regno cœlorum futurum dicunt, quia non magna, sed minima mandata violavit, quorum transgressio veniale peccatum est. Quæ interpretatio inde refutatur, quòd quæ Christus pharisæorum opinione vocat minima, reipsâ maxima sunt. Nam qui homicidium non fecit, voluit tamen facere; et qui adulterium non admisit, vidit tamen mulierem ad concupiscendum eam, quia ejus justitia non abundat plus quàm scribarum et pharisæorum, in regnum cœlorum non intrabit. Tota sententia ex eo pendet, quid vocetur hic regnum cœlorum, quod paulò post sumus explicaturi. Interim minimum ultimum, non nullum interpretor, ne emphasis hujus nominis pereat, quam de industriâ videtur Christus adhibuisse; qui ideò non nullum, sed minimum fore dixit, quia minima violavit mandata, utens elegante paronomasiâ. *Vocabitur* autem, dixit pro, *erit*, ut suprà, vers. 9, nisi malimus interpretari, *vocabitur*, id est, pronuntiabitur, judicis Christi sententiâ declarabitur, quâ, quantus quisque sit, apparebit.

In regno cœlorum. Augustinus, lib. 1, de Serm. Domini, et Gregorius, lib. 19 Moral., c. 5, et alii ferè omnes regnum cœlorum hoc loco Ecclesiam vocari dicunt, nec, si verum regnum cœlorum accipiatur, illud sequatur absurdè, ut qui aliquod ex his violaverit mandatis, aliquo in regno cœlorum loco sit; cùm paulò post dicat : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Meliùs, ut mihi quidem videtur, Chrysostomus et Theophylactus regnum cœlorum resurrectionis, et ultimi judicii tempus vocari putant. Tunc ergo, qui unum de mandatis istis minimis non servaverit, minimus vocabitur, id est, sententiâ judicis declarabitur. Nec erit nullo loco, quia et ipse resurget, et judicabitur; sed erit ultimo, quia ejicietur in tenebras exteriores. Quæritur à quibusdam, cur de iis qui magna mandata nec faciunt, nec docent; et de iis qui docent, sed non faciunt; et de iis qui faciunt, sed non docent, et de iis qui minima docent, et non faciunt; aut faciunt et non docent, Christus mentionem non faciat. Respondeo causam ejus rei fuisse

Vers. 20. — Nisi abundaverit justitia vestra, nisi mandata Dei longè meliùs quàm Pharisæi custodiatis.

Vers. 21. — Non occides. Aug.: *Justitia Pharisæorum est ut non occidant, justitia eorum qui intraturi sunt in regnum cœlorum, ut non irascantur sine causâ.* Illud præceptum, non occides, ut alia quæque præcepta non exteriori modò actione, sed et interiori animi motu violari nos docet. Pharisæi in gratiam eorum qui ulciscendi libidine ardebant, ea quæ sequuntur addebant ad præcepta divina. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Nempe in judicium vocabitur, quòd de solis Pharisæis quæstio esset, qui ista, quæ minima putabant, nec faciebant, et sic homines docebant. Si ergo, qui unum ex mandatis istis minimis non servaverit, ultimo loco erit, id est, minimus vocabitur; qui non servaverit majora, ubi erit? et ipse ultimo loco. Erunt igitur pares, et impares; pares, quia uterque minimus, uterque ultimo loco, id est, in inferno : impares, quia in illo ultimo loco, sicut et in primo, quod est cœlum, mansiones multæ sunt; et alii majoribus, quàm alii suppliciis afficiuntur; sicut qui in primo loco, id est, in cœlo erunt, omnes erunt pares, quia eumdem omnes denarium accepturi sunt, Matth. 20, 10, et impares, quia *in domo patris mei mansiones multæ sunt*, Joan. 14, 2, et quia *alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, et stella ab stellâ differt in claritate*, 1 Cor. 15, 41, 42, pares honoris genere, impares specie; sicut omnes reges pares dignitate, et impares opibus atque potentiâ.

Vers. 20. — Dico enim vobis. Reddit causam cur dixerit, *qui solverit unum de mandatis istis minimis*, quasi idem sit solvere et non abundare ejus justitiam, plus quàm scribarum et Pharisæorum.

Nisi abundaverit. Nisi major fuerit. Græcismus, ἐὰν μὴ περισσεύσῃ, aut Hebraismus, אם לא רבה.

Justitia vestra. Legis observatio, quam Christus ipse justitiam appellat, quia observatione mandatorum Dei justificamur.

Quam scribarum et pharisæorum, qui ista minima esse dicunt. Nominat scribas et Pharisæos, quia et doctores erant et cæteris multò sanctiores habebantur; vide c. 5, 7.

Vers. 21. — Audistis. Quæ sequuntur usque ad finem capitis intelligi non possunt, nisi illud priùs intelligatur, de quo magna hoc loco inter interpretes vertitur quæstio; num Christus veteri legi, an Pharisæorum tantùm interpretationi aliquid addat, cùm dicit : *Ego autem dico vobis.* Omnes hæreticorum interpretes pro comperto habent (Spiritus enim sanctus illis opinor revelavit) Christum non legem, sed scribarum et Pharisæorum traditiones, interpretationesque corrigere; eâque de re impudenter veteres auctores, quòd aliter senserint, reprehendunt. Idem scilicet olim alii hæretici Pelagiani docuerunt, ut lib. adversùs illos primo Hieronymus scribit, Catholicus nescio an quisquam præter Strabum, et nostro tempore nonnullos, qui minore, quàm Catholicos decet, cautione hæreticorum legerunt commentarios. Nec inficior aliqua esse argumenta hujus sententiæ, quæ ut causam perpetrati homicidii dicat, iræ verò et odii nullam habebant rationem. Christus quod ipsius præcepti verbis deesse videbatur, quodque necessarium effecerat prava Pharisæorum interpretatio, supplet, alludens ad ipsam Judæorum politiam, antequàm Romanorum ditioni subderentur. Triplex enim erat apud eos tribunal, primum trium virorum in singulis oppidis cùm numerus civium erat saltem 120 hominum. Secundum erat Synedrii parvi in majoribus oppidis, idque constabat è 23 judicibus : hoc concilium appellatur. Tertium erat magni concilii in urbe Jerusalem constituti, ad quod majores causæ referr

aut minùs doctum, aut minùs constantem lectorem movere possint. Primùm ponderant illud in singulis mandatis repetitum verbum : *Dictum est*, quasi ideò dictum, non autem scriptum dixerit, quia non de lege, sed de Pharisæorum traditione, explicationeque loquebatur. Deinde quòd se illis Christus opponat, quasi perversis interpretibus novum legislatorem veteri legislatori neutiquam oppositurus; sive ipse, sive Pater fuerit, qui Mosi vèterem legem dedit. Præterea quòd hæc, quæ hoc loco Christus addit, vetere lege continebantur. Non enim solùm adulterium; sed etiam concupiscentia prohibebatur : *Non concupisces*, inquit, *uxorem proximi tui*, Exodi 20, 17. Testis D. Paulus, *Concupiscentiam*, inquit, *nesciebam; nisi lex diceret : Non concupisces*, Rom. 7, 7; non ergo Christus legi quidquam, sed interpretationi Pharisæorum suam interpretationem addit. Præterea lex non jubebat odio inimicos habere, sed potiùs amare, Exodi 23, 4 : *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis eum.* Præterea, cùm Christus ab adolescente illo interrogatur, *quid faciendo vitam æternam possidebo?* nihil aliud respondet, quàm, *serva mandata*, Luc. 18, 18; nihil ergo quod Christus adjiceret, in legis mandatis desiderabatur. Denique nulla in Evangelio perfectio major est, neque verò potest excogitari, quàm diligere Deum ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ animâ, ex totis viribus; atqui id ipsum lex præcipiebat, Deuter. 6, 5. Accedit quòd Christus dicit, vers. 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*, quasi indicans se non legem, sed Pharisæorum interpretationem velle corrigere. Multa etiam Christus dicit dicta fuisse antiquis, quæ in lege non reperiuntur, ut illud vers. 21 : *Reus erit judicio*, et illud, vers. 33 : *Non perjurabis*, et illud, vers. 43 : *Odio habebis inimicum tuum.* Viderant ista, ut opinor, veteres auctores, incredibili tamen omnes consensu docuerunt Christum legem ipsam veterem correxisse adjunctis iis quæ ad perfectionem evangelicam desiderabantur, non quòd lex in suo genere perfecta non fuerit; sed quòd minùs perfecta, quàm Evangelium; pædagogum enim fuisse Judæis, tanquàm pueris ruditer erudiendis adhibitum, donec melior magister Christus firmioribus jam ingeniis perfectiora proponeret. Atque ad hunc modum præter alios de quibus, vers. 18, diximus Christum legem implèsse, quia addidit, quæ in illa desiderabantur.

solebant. Primi tribunalis nullam hoc loco rationem videtur habere Christus Dominus, sed secundi tantùm et tertii, quod concilium vocat. Ad utrumque pertinebat litis discussio, et sententia. Pharisæi et Scribæ homicidia legi divinæ subjiciebant, iram verò et convicia quæ ad homicidia viam sternunt, pro nihilo habebant. Christus Dominus hanc traditionem in eo ipso emendat, quòd hujus criminis horrorem animis, ut par est, non inculeret : ac tribunalium distinctioni apud Judæos usitatæ doctrinam suam sic accommodat, ut à dispositione magis remotâ, quæ tamen homines sæpè ad homicidia ducit, initium capiens, eam divinæ justitiæ tanquàm 25 judicum tribunali subjiciat, nempe ut reus, seu accusatus rationem reddat, an justam ha-

Sic Irenæus, lib. 4, cap. 27, Tertull., lib. de Patientiâ; Clemens Alexandrinus, lib. 6 Strom.; Hilarius, can. in Matth. 4; Epiphan., adversùs Ptolomaitas, hær. 33; Basil., hom. in Psal. 14; Chrys., hom. 16 in Matth.; auctor Imperfect., hom. 11; Ambros., serm. in Psal. 118; Hieronym., in epistolâ ad Gerontiam de Monogamiâ, Chromatius, Theophylactus, et Euthymius in Commentariis ad hunc locum. Quorum sententiam non solùm eorum fractus auctoritate; sed majoribus etiam in hanc partem argumentis impulsus verissimam judico. Primùm, ut hæretici expendunt verbum illud, *dictum est*, ego contra expendo, quod sequitur, *antiquis*, id est, illis, quibus Moses legem dedit, quasi Mosaicis et legalibus hominibus Christianos et evangelicos opponat, *ego autem dico vobis.* Enimverò si de solis Pharisæorum traditionibus, interpretationibusque loqueretur, non diceret, *audistis, quia dictum est*, quasi ipsi ab eo, qui dixit, non audiverint, sed ab aliis, qui audiverant, acceperint. Sed dixisset simpliciter, *audistis, non occides*, aut, dictum vobis est, *non occides*, qui autem occiderit, reus erit judicio. Nec nomini scribarum et Pharisæorum eos reprehendens pepercisset; sed disertè dixisset : Audistis à scribis et Pharisæis. Hâc enim libertate semper usum videmus Christum. *Cavete*, inquit, *à fermento*, id est, doctrinâ, *Pharisæorum et Sadducæorum*, Matth. 16, 6, 11, 12. Nec antiquos vocare potest eos qui paulò ante fuerant; nec enim Pharisæi multò ante Christi tempora, ut ex Josepho colligitur, exiterunt. Deinde, quia multa Christus corrigit hoc loco, quæ constat non à Pharisæis introducta; sed in lege expressa esse, quale est illud, vers. 31 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii*, Deut. 24, 1; quid, quæso, hic Pharisæi corruperant? Christus tamen corrigit, *ego autem dico vobis*, et illud, vers. 33 : *Non pejerabis.* Lex enim dicit, Levit. 19, 12, nec id Pharisæi corrumpebant. Nam quod dicunt solitos docere Pharisæos non peccare, qui per cœlum aut terram jurarent, vers. 33 refutabimus. Quòd autem Christus, Matth. 23, 16, Pharisæos reprehendit, quòd dicerent, *qui jurat in templo, nihil est; qui autem jurat in auro templi, tenetur*, diversum est. Nec enim Christus falsam in illis legis interpretationem reprehendit; quod si facere voluisset, non illo, sed hoc loco utique dixisset. Nec enim lex per templum jurare prohibebat; Christus primus prohibuit; sed reprehendit avaritiam, quâ, qui per templum jurabant, absolvebant; qui per aurum, damnabant, quasi magis

huerit irascendi causam, et pœnam subeat peccato debitam. Nam in Christianâ Religione non tam iræ motus, quàm causa ipsa expenditur. Itaque varios iræ gradus sic distinguit Dominus, ut eam judicio, cùm est vehemens, subjiciat : 2. Cùm in vocem contemptûs et convicii erumpit. QUI DIXERIT FRATRI SUO, RACA, quæ vox in Hebræo et in Græco nullum habet significatum, et commoti, tantùm animi affectum significat, ut pleræque interjectiones, uti Hebræus quidam Augustino respondit interroganti. Sunt qui sputum eâ voce designari putent. 3. QUI AUTEM. Vox illa fatuus in Scripturis interdùm pro impio sumitur. *In judicio*, ait Aug., c. 9, *adhuc defensioni datur locus, in concilio autem quanquàm et judicium esse soleat, tamen*

auro, quàm Dei honore tangerentur. Præterea, ubi lex dicebat, ut, si quis te in unam maxillam percuteret, illi alteram verteres, aut quæ Pharisæorum culpa erat, quòd non ita, cùm lex non diceret, interpretarentur; cùm nunc Christo ipso docente vix capere possimus? Ubi scriptum erat ut tollenti nobis tunicam, et pallium dimitteremus? Non ergo legem tantùm interpretatur Christus, sed novam condit legem, novam offert doctrinam. Præterea illud : *Diligite inimicos vestros*, ubi lex dicit? Nam quod affertur ex Exodi 23, 4 : *Si occurreris bovi inimici tui*; nihil est, loquitur enim de Judæo, cum quo Judæus inimicitias gerere prohibebatur. Itaque, qui illic inimicus dicitur, Deut. 22, 1, frater appellatur, *non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem et præteribis; sed reduces.* Cùm autem de veris loquitur inimicis, non solùm odio habere, verùm etiam delere jubet : *Delebis nomen ejus sub cœlo, cave ne obliviscaris*, Deut. 25 19. In Evangelio neminem omninò odisse licet, neminem privatâ auctoritate delere. Denique videmus Christum hoc loco præmia, suppliciaque veteris legis amplificàsse. Quamobrem, nisi quia perfectionem legis auxit? Ex iis quæ diximus, qui aliquo sunt ingenio, quomodò contrariis argumentis respondere oporteat, non difficulter colligent; non pigebit tamen rudioribus respondendi modum ostendere. Quod objicitur primo loco non dixisse Christum, scriptum est, sed, *dictum est*, nimium est leve. Nam aut nihil in eo verbo mysterii est; cùm videamus evangelistas his duobus verbis sine discrimine uti, *sicut dictum est per prophetas*, et, *sicut scriptum est*, aut si quid est in eo verbo mysterii, non id est quod hæretici putant, sed quod Chrysost. et Theolophylactus adnotaverunt; ne si Patrem, à quo id dictum erat, nominaret, se illi aut opponere, aut etiam anteponere videretur; si se, qui etiam veterem legem dederat; invidiam in se auditorum concitaret; aut, ut ego suspicor, non se sibi, aut Patri, sed Mosi tacitè opponit. Nam etsi lex vetus à Deo data erat, tamen quia populus non à Deo, sed à Mose eam acceperat, ejus auctor Moses videbatur. *Lex*, inquit, *per Moysem data est*, Joan. 1, 17; et, *nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem?* Joan. 7, 19. Denique lex Mosis appellatur, Luc. 2, 22, et 24, 44, et Joan. 7, 23; Act. 15, 38, et 15, 5, et 28, 23, et quæ in lege scripta atque præcepta erant; Moses scripsisse, ac præcepisse dicitur, Joan. 8, 5, et 1, 45. Se igitur Christus tacitè opponit Mosi, cùm

quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio... Gehenna verò ignis certa est et damnario et pœna damnati. Videtur Augustinus judicium à concilio hâc in re distinguere, quod priori solam discussionem, seu instructionem litis, posteriori sententiam definitivam tribuat : tametsi satis est probabile hæc tribunalia ex causarum, de quibus judicabant, diversitate distingui; aut certè una erat inferior jurisdictio, et subalterna; altera superior. Græcè additur, εἰκῇ, temerè, sine causâ : Hieron. negat in vetustioribus codicibus hanc vocem reperiri. Sensus quoque hic verborum esse potest : Vos dicitis, qui occiderit, reus erit judicio : ego, qui irascitur, reus erit judicio, etc. Alii tamen negant

dicit : *Ego autem dico vobis*, sed noluit eum ad vitandam invidiam nominare. Atque hâc ratione non solùm primum; sed secundum etiam argumentum facilè solvitur. Tertium sic, non dubium est quin concupiscentia in veteri lege prohiberetur : sed multò minùs expressè atque præcisè, quàm à Christo hoc loco prohibetur. Lex quippe tantùm dicebat, *non concupisces uxorem proximi tui*, sed non dicebat eum qui impudicis oculis aspiceret, adulterii teneri. Quartum paulò ante aliud agentes obiter solvimus. Docuimus enim legem præcepisse quosdam publicos non solùm odisse hostes; sed penitùs etiam abolere. Atque eò hoc loco Christus alludit, cùm dicit : *Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos*, vers. 44. In quinto, solùm probatur non omnia, quæ ad legem Christus adjecit, esse præcepta; quod negandum non est; pleraque enim, ut suo dicemus loco, consilia sunt evangelica; ideòque Christus ab illo adolescente tantùm exigit, ut mandata servet; si tamen evangelicam perfectionem sequi velit, vendat universa, quæ habet, et det pauperibus, seque sequatur, hoc est, quod hoc loco dicit, pallium etiam dimittere, ut nudum Christum, nudus sequare. At quæ major perfectio, quàm Deum ex toto corde diligere? respondeo magis ex toto corde diligere. Nam qui sic diligit, ut nullius rei amori; Dei præponat amorem, ex toto corde Deum diligit : qui propterea relinquit omnia quæ habet, et Christum sequitur, quemadmodùm apostolos fecisse legimus, magis ex toto corde diligit. Uno dicam verbo, diligere Deum ex toto corde est eum ita diligere, ut non etiam idola, non aliud quidpiam ei contrarium diligamus, ut Deuter. 6, 5, et exposuimus et probavimus. Hanc perfectionem Deus ab Abrahamo requirebat, cùm dicebat, *Ambula coram me et esto perfectus*, Genes. 17, 1. Quod autem Christus dicit : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*; non ideò dicit, ut eorum doctrinam, sed ut eorum vitam reprehendat, cùm alio loco dicat, *super cathedram Moisi sederunt scribæ, et Pharisæi; omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum autem opera eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt*, Matth. 23, 2. Ideò etiam dicit, quia Pharisæi adeò se legi addictos esse profitebantur, ut si quid melius atque perfectius Christus doceret, longè rejicerent. Neque verò nego Scri-

Dominum hoc in loco constituere gradus et incrementa peccati, sed legem explicare. Ego dico vobis quòd non solùm qui occiderit, sed etiam qui voluntatem habuerit occidendi, vel grave malum inferendi proximo, et sese vindicandi, is judicio, seu condemnatione dignus sit : ut qui videt mulierem ad concupiscendum eam. Ita quidem Estius in hunc locum : sed prior sententia magis recepta est. Docet quidem Christus graviores pœnas deberi peccatis, quàm vulgò crederent. Non omnes qui aliquo iræ impetu commoventur, aut levem inferunt contumeliam, æternæ mortis pœnâ sunt puniendi : sed de iis qui consensu deliberato irascuntur personæ, non vitiis, eamque ex irâ contumeliis afficiunt, sermonem habet Dominus; ita Menochius.

bas et Pharisæos multis in rebus malè interpretatos fuisse legem. Scio enim monuisse discipulos suos alibi Christum, ut ab eorum fermento, id est, doctrinâ, caverent, Matth. 16, 12. Tantùm dico Christum hoc loco non id agere, ut Phariseorum traditiones, aut interpretationes reprehendat; sed, ut additis partim præceptis, partim consiliis evangelicis legem perficiat. Quod postremo loco objectum est, multa hic, quasi antiquis dicta, à Christo recitari, quæ in lege non reperiantur, vers. 21, 33 et 43, refutabimus.

Reus erit judicio. Adnotârunt quidam ex Thalmudicis traditionibus tria fuisse apud Hebræos tribunalia. Primum Triumvirûm, in quo de minutissimis disceptaretur causis. Secundum, in quo viginti tres judices de causis majoribus, itemque capitalibus cognoscebant. Tertium, in quo unus et septuaginta lecti viri de rebus gravissimis, maximèque publicis, ut de pace, de bello, de falso propheta, de summo sacerdote judicabant. Primum vocatum fuisse משפט judicium; secundum, סנדרים συνέδριον consessum, voce à Græcis usurpatâ; tertium magnum consessum, sicut Galli magnum regis consilium appellant. Verum id quidem, quod de triplici tribunali tradunt; quod autem de nomine et causarum cognitione, non omninò verum. Nam perspicuum ex hoc loco est capitalium causarum cognitionem ad judicium pertinuisse, cùm homicida reus dicatur esse judicii. Itaque alterutrum necesse est, aut in primo tribunali etiam capitales causas fuisse tractatas, aut, quod est verosimilius, primum et secundum tribunal judicium; tertium סנדרים συνέδριον synedrium appellatum. Confirmat hanc opinionem, quòd postquàm Christus synedrium nominâsset, quasi id esset apud Judæos ultimum tribunal, non habens aliud, quod præterea nominaret, gehennam ignis nominavit. Quid autem sit reum esse judicii, interpretes non consentiunt. Quidam idem esse putant, quòd dignum esse ut in judicio ejus exploretur causa, ut August., lib. 1 de Serm. Domini in monte, et Gregorius, lib. 21 in Job, c. 4. Alii meliùs, ut Euthym. et poeta Juvencus, reumesse pœnæ capitalis, quæ contra homicidas in judicio decernebatur. Hanc interpretationem ideò priori præfero, quia capitalis homicidæ pœna non judicium decernebatur arbitrio; sed jure constituta erat, quam judices mutare non poterant, Levit. 24, 21, et Num. 35, 16, 17, 30. Et quia videtur Christus significare voluisse eum, qui in Evangelio solâ occidit voluntate, non minore dignum esse pœnâ, quàm qui reipsâ occidebat in lege, levissimamque Evangelii pœnam gravissimæ, id est, capitali pœnæ legis æqualem esse. Ubi scriptum erat in lege: *Reus erit judicio?* Respondeo Christum non legis verba, sed sensum recitare. Scriptum autem erat, ut paulò ante indicavimus, ut homicida moreretur.

Vers. 22. — Qui irascitur. Constat non omnem iram esse peccatum; nam non modò alii viri sancti, verùm etiam D. Paulus, Act. 23, 3, et Petrus, Act. 8, 20, et Christus ipse, Matth. 15, 7, et 22, 18, et 23, 1, 13, 15, 23, 29, fuisse videntur irati. Quæ res effecit, ut interpretes varias hujus sententiæ explicationes quærerent. Quidam Græci codices legunt εἰκῇ, temerè, sine causâ, quam lectionem qui secuti sunt, facilè responderunt, non omnem iram, sed eam quæ justitiâ, quæ causâ, quæ ratione caret esse peccatum; Christum verò, et Apostolos iratos quidem fuisse, sed non sine causâ. Sequuntur autem Irenæus, lib. 4, c. 27; Justinus in epistolâ ad Zenam et Serenum, de vitâ Christianâ, Chrysostomus, hom. 17; auctor Imperfect., homil. 2; August., lib. 1 de Serm. Domini, Theophylact., Eutym. in Comment. Sed eam lectionem neque noster interpres secutus est, et meritò mihi videtur Hieronym. reprehendere. Primùm quia non esset vera sententia. Sicut enim nemini justâ etiam de causâ privatâ auctoritate licet occidere; ita nemini, quamvis justâ de causâ, licet irasci. Deinde quia, etiamsi sententia fuisset vera, Christus tamen hoc loco non dixisset. Nec enim locus erat aptus moderandæ hâc adjectione sententiæ, ubi maximè volebat iræ culpam exaggerare. Deinde, quia, si qua erat adhibenda moderatio, potiùs ad illud verbum superioris versûs *non occides*, adhibenda erat, quàm ad verbum irascendi, quia gravius peccatum est sine causâ occidere, quàm sine causâ irasci. Alii sic respondent, cum ratione irasci nullum; sine ratione, veniale peccatum esse. At Christus dicit eum, qui sic irascitur, reum esse judicii, id est, capitalis pœnæ, quam certè non meretur veniale peccatum. Res ita expediri potest: Loquitur Christus accommodatè ad homicidium, de quo agebatur; et iram vocat non omnem appetitionem vindictæ, quemadmodùm à philosophis definitur; sed eam proprié, quæ tendit ad homicidium. Voluit enim dicere non solùm eum, qui reipsâ, sed eum etiam, qui solâ occidisset voluntate, reum esse judicii; sicut, vers. 27 et 28, dicit non solùm eum qui reipsâ adulterium patravit; sed etiam, qui patrare voluit, adulterum esse. Voluntatem igitur occidendi iram vocat, quæ sive cum causâ, sive sine causâ sit, in privatâ personâ sine gravissimâ nunquàm est culpâ. Neque hoc modo Christus, aut apostoli unquàm irati sunt. Nam quòd Petrus videtur Saphiram iratus occidisse, Act. 5, 9, non iræ, sed religioni, non ut privatum hominem, sed ut Dei ministrum fecisse credendum est.

Reus erit judicio, mortis æternæ, quam judicium vocat, ut convenienter loquatur Judæorum consuetudini, qui חיב משפט dignum, aut reum judicii appellabant eum, qui morte dignus erat; sed illi de corporis, Christus de animæ morte loquebatur. Auget enim Christus peccatorum supplicia non augendo, sed declarando. Nec propterea evangelicum jugum legis jugo gravius; quia nec peccata magis auget, sed majora quàm in lege putabantur, esse declarat; nec minoribus peccatis majores minatur pœnas, sed peccatorum expositâ gravitate, graviores quàm apparebant, pœnas exposuit. Quin multò levius, quia etsi peccata magis indicat, tamen indicata curat; lex minùs indicabat, nullo modo curabat, Roman. 8, 3.

Qui autem dixerit fratri suo: Raca. Ignoratio linguæ varias hoc loco interpretationes peperit. Quidam graves etiam auctores, Chrysostomus et Theophylactus, docent *raca* Syriacâ linguâ idem esse, quòd *nı*, nihilque aliud hic significari, quàm parùm honorificam et asperam locutionem, ut cùm servo dicimus: *Abi tu*. Idem Euthymius dicit, nisi quòd non Syriacam, sed Hebraicam dictionem facit. Hoc nec in Græcis auctoribus, qui ab Hebraicâ et Syriacâ linguâ fuerunt alienissimi, mirandum est, nec imprudenter credendum. Scimus enim neque Hebraicè, neque Syriacè ejusmodi esse pronomen. Nihilo verò similius quod August., lib. 1 de Serm. Domini, scribit, nonnullos docuisse *raca* vocem esse Græcam, hominemque pauperem et pannosum significare; ῥάκος enim Græcis pannus esse, Matth. 9, 16. Probabilius, quod idem eodem loco dicit Augustinus se ab Hebræo quodam, quem eâ de re consuluerat, accepisse non nomen, sed irascentis interjectionem esse, qualem apud Latinos, *Hem*, quodque Gregorius, lib. in Job 21, c. 4, et Rupertus in Comment. probaverunt, quodque et Græcus et Latinus interpres videntur existimâsse, quia, ut Augustinus adnotavit, propterea credibile est eos ipsam dictionem integram reliquisse, quasi nihil aliud quàm naturalem vocem irâ commoti hominis significantem. Hoc, inquam, probabile; sed illud, quod alii tradunt, meo judicio probabilius רקא Chaldaicam aut Syriacam esse vocem, quæ ab Hebraicâ tantùm linguâ manaverit. ריק enim Hebræi levem et inconstantem hominem appellant, Jud. 11, 3; 2 Reg. 6, 20; 2 Par. 13, 7. Unde factum, ut רקא homo vindictæ, quemadmodùm à philosophis definitur; sed eam proprié, quæ tendit ad homicidium. Voluit enim dicere non solùm eum, qui reipsâ, sed eum etiam, qui solâ occidisset voluntate, reum esse judicii; sicut, vers. 27 et 28, dicit non solùm eum qui reipsâ adulterium patravit; sed etiam, qui patrare voluit, adulterum esse. Voluntatem igitur occidendi iram vocat, quæ sive cum causâ, sive sine causâ sit, in privatâ personâ sine gravissimâ nunquàm est culpâ. Neque hoc modo Christus, aut apostoli unquàm irati sunt. Nam quòd Petrus videtur Saphiram iratus occidisse, Act. 5, 9, non iræ, sed religioni, non ut privatum hominem, sed ut Dei ministrum fecisse credendum est.

Reus erit judicio, mortis æternæ, quam judicium vocat, ut convenienter loquatur Judæorum consuetudini, qui חיב משפט dignum, aut reum judicii appellabant eum, qui morte dignus erat; sed illi de corporis, Christus de animæ morte loquebatur. Auget enim Christus peccatorum supplicia non augendo, sed declarando. Nec propterea evangelicum jugum legis jugo gravius; quia nec peccata magis auget, sed majora quàm in lege putabantur, esse declarat; nec minoribus peccatis majores minatur pœnas, sed peccatorum expositâ gravitate, graviores quàm apparebant, pœnas exposuit. Quin multò levius, quia etsi peccata magis indicat, tamen indicata curat; lex minùs indicabat, nullo modo curabat, Roman. 8, 3.

Reus erit concilio, τῷ συνεδρίῳ, tertio tribunali, quod concilium aut consilium potest appellari; ad verbum autem consessus; per concilium autem capitalem pœnam quæ in eo statui solebat, intelligit, ut vers. 22; per civilem autem capitis pœnam sempiternam animæ mortem intelligit; sed, ut ante monuimus, loquitur accommodatè ad consuetudinem juris. Dubitabit aliquis, quomodò per judicium et per concilium capitalem pœnam intelligat; cùm manifestum sit tres pœnarum gradus velle distinguere. Respondeo gradus quidem distinguere, non genus. Nam utrobique capitalem; sed in judicio leviorem, in concilio graviorem judices pœnam constituebant, quemadmodùm graviores ad consilium, quàm ad judicium causæ deferebantur. Scitum est quatuor apud Judæos capitalium pœnarum fuisse genera, strangulationem, gladium, lapidationem, combustionem, ut in libro סנהדרין notatum est. Sic etiam Christus et eum, qui irascitur, et eum, qui fratrem suum levem, et eum, qui stultum appellat, eâdem inferni pœnâ, non eâdem pœnæ gravitate dignum docet. Mirantur, ut ait Chrysostomus, multi hominem, qui fratrem levem, aut fatuum appellaverit, sempiternæ mortis condemnari; cùm tertio quoque verbo alii aliis id dicere soleamus. Primùm non debet consuetudo peccandi pœnæ admirationem afferre; nam et eos, qui temerè jurant, damnari non miramur. Quid autem tam usitatum? Augere, non levare consuetudo peccandi pœnam debet: quæ auget non levat culpam; deinde non omnis, qui irascitur, et qui fratrem suum levem, aut stultum appellat, continuò damnatur; sed qui ita irascitur, et appellat, ut his veluti gradibus ad homicidium ascendat. De his enim, non tanquàm de affectu et verbis, sed tanquàm de initiis homicidii loquitur Christus: *Auditis, quia dictum est antiquis: Non occides; ego autem dico vobis.* Non ergo, qui joco, non qui subitâ animi commotione sine cædis appetitione, et sine voluntate gravem inferendi contumeliam fratrem stultum appellat, continuò æternæ mortis tenetur reus.

Reus erit gehennæ ignis. Gehennon, id est, vallis Ennom, ut Ben-Ennon, filii Ennom, locus erat amœnus, et fontis Siloe aquis irriguus juxta Jerosolymam ad radicem montis Moria, ut Hieronymus scribit, et constat Josue, 15, 8, et 18, 16, vocabatur autem גי הבכם vallis Hennom à possessore. Eo loco, vel quia amœnus erat, vel quia impium habebat dominum, factus est locus ad colendum Moloch nobile Ammonitarum idolum, quem nonnulli Saturnum fuisse putant; cœptumque infantes crudeli impietate cremare, 4 Reg. 16, 3, et 17, 17, 31; et 23, 10, et 2 Par. 28, 3, et 33, 6. Vocatus est postea locus Thopheth, 4 Reg. 23, 10; Isai. 30, 33; Jerem. 7, 31, 32; et 19, 6, 11, 12, 13, à ritu, ut quidam putant, sacrificandi, quòd interim dùm infantes cremabantur, tympana pulsarentur, ne parentes eorum audientes vagitus dolore tangerentur. Tympanum enim Hebraicè תף appellari. Inde factum creditur, ut infernus gehenna vocaretur, utitur enim Christus eo nomine, tanquàm vulgò noto, etsi, ut Hieronymus in cap. Matth. 10, observavit, neminem in sacris Litteris auctorem ante Christum usum legimus. Addidit autem epithetum ignis; et, ut pœnarum qualitatem declaret, et ut ad gravissimam omnium, quas apud Judæos esse diximus, pœnarum cremandi homines alluderet; cum aliàs gehennam

simpliciter vocare soleat, ut infra, vers. 50; et c. 10, 28; et 25, 15, 53; et Mar. 9, 45; et Luc. 12, 5.

Vers. 23. — Si ergo offers munus tuum ad altare. Rem Deo maximè gratam inchoatam jubet relinquere, ut fratri reconcilietur; quia misericordiam Deus vult, non sacrificium, Ose. 6, 6, Matth. c. 15, et dilectioni quodam modo sui proximi dilectionem anteponit.

Et ibi recordatus fueris. Magnam emphasim habet *ibi*; *ibi* in ipsâ arâ; *ibi* stans coram Deo. Non solùm inter Judæos, sed etiam inter cæteras gentes imperfectum relinquere sacrificium magnum piaculum habebatur; adolescentem nescio quem Valerius laudat, quòd cùm sacrificanti Alexandro acerram teneret, brachium sibi exuri passus sit, ne interrupti sacrificii reus esset.

Habet aliquid adversum te. Sententia postulare videbatur, ut diceret: Et ibi recordatus fueris, quòd habes aliquid contra fratrem tuum. Si enim frater meus habet aliquid adversùm me, id est, si me odit; non ego illi, sed ille mihi reconciliari debet. Nonnulli hæc verba vicissitudinem significare putant, quemadmodùm si diceret, et ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, et tu adversùs illum, Euthym. Alii majorem perfectionem præscribi, velleque Christum, ut non solùm, cùm alios lædimus, sed etiam cùm ab illis læsi sumus, relicto sacrificio priores reconciliationem quæramus. Melius Chrysostomus, hom. 17, et auctor Imperf., Augustin. et Hieronym. fratrem habere aliquid adversùm nos esse habere justam contra nos querelam, quòd à nobis injuriam aliquam acceperit, quemadmodùm in Apocalypsi Joannes loqui solet, c. 2, 4. Jubet ergo priùs injuriæ satisfacere, deinde sacrificium offerre, et Deum placato priùs fratre placare. Referuntur enim hæc ad ea, quæ paulò ante dixerat: *Qui dixerit fratri suo: Raca, et qui dixerit: Fatue*, quasi dicat, si ibi recordatus fueris, quòd dixeris fratri tuo: Raca, aut: Fatue, aut aliquam aliam feceris injuriam, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade, reconciliare priùs fratri tuo: quod, ut Augustinus ait, non ita intelligendum est, quasi semper ad fratrem ire debeamus. Sanctum id quidem consilium, et, cùm charitas efflagitat, præceptum etiam necessarium: plerùmque tamen affectibus potiùs, aut effectibus, quàm pedibus ire debemus. Affectu, injuriam, si quam nos ab illo accepimus, condonantes odiumque remittentes: effectu, injuriæ, si quam ille à nobis accepit, satisfacientes. Hoc est præceptum; illud consilium. Loquitur autem Christus de veteribus Judæorum sacrificiis, quæ tunc etiam vigebant; sed quod de illis dictum est, multò magis de Eucharistiæ sacrificio intelligendum; quod et unionem cum fratribus significat, et reconciliationem cum Deo facit. Unum enim corpus multi sumus, quicumque de uno pane participamus, 1 Cor. 10, 17.

Vers. 25. — Esto consentiens, εὐνοῶν, benevolus. Tertullianus, in lib. de Patientiâ, benevolentiam habeto; Hilarius, can. 4, benevolentiâ reconciliare.

Adversario tuo. Quis hic adversarius intelligatur, multas Hieronymus in Commentariis opiniones recitat; nec omnes tamen enumeravit. Carpocratiani hinc suam μετεμψύχωσιν, id est, animarum in idem corpus remigrationem probabant. Carcerem enim corpus, adversarium bonum angelum interpretabantur, qui in hoc officium à Deo creatus esset, ut animas, quæ officio suo in corpore benè non essent functæ, in corpus revocaret, quoad omnes officii partes explerent. Auctor Tertullianus, lib. de Animâ, et Epiphanius, hæres. 27. Hæc somnia opus non est refutare. Alii malum angelum intelligunt; duos enim cuique datos homini; bonum alterum, qui ad benè, alterum malum, qui ad malè agendum sollicitet, Origenes, homiliâ in Lucam 35. Alii carnem, quæ repugnat adversùs spiritum; Athanasius, q. 62, et Juvencus poeta, quod et Hieronymus videtur approbare. Alii conscientiam, quæ nos tanquàm gravissimus adversarius accusat; Athanasius eodem loco. Alii diabolum, ut Tertullianus in libro de Animâ. Alii Deum, aut ejus legem, quæ nos apud eum accusat, ut Augustinus, lib. 1 de Ser. Domini, et in Quæst. novi Testamenti, q. 7, et Novatus, in lib. de Humilitate et Patientiâ. Alii eum, qui conatur nobis aliquid adimere, quia sequitur, *dimitte ei et pallium*, Basilius, in Regul. breviorib., int. 222. Alii eum, de quo paulò ante dixerat, *vade priùs, reconciliare fratri tuo*. Hilar., can. 4; Ambros., lib. 7 in Lucam, c. 12; auctor Imperfecti, hom. 11; Hieron., in Comment. Atque hic verus est sensus; id enim postulat consequentia sententiæ, ut adversarius appellatur is qui habet aliquid adversùm nos. Adversarius igitur noster est ille quem lædimus, quem raca, aut stultum appellavimus, qui actionem apud Deum contra nos habet. Via est hujus vitæ tempus, judex Christus, qui dicturus est: *Quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis*: minister dæmon malus, qui in torquendis damnatis Deo ministerium præbet, carcer infernus; quadrans minima culpa. Erat enim quadrans minimus nummus, duo continens minuta: itaque ad ultimum quadrantem solvere, pro, summo jure puniri, proverbio dicebatur. Poterit aliquis dubitare, quomodò frater à nobis læsus, sit nos judici traditurus, cùm et ipse sit judicandus. Hæc una ratio movit Augustinum, quò minùs hanc interpretationem sequeretur, sed non debuit meo judicio movere. Loquitur enim Christus accommodatè ad hominum morem, et forensi aliter fieri non expedit, aut non potest.

Vers. 25. — Adversario, Græcè *actori*. Quo quidem sermone parabolico nos admonet Dominus inimicis nostris antè nos reconciliari oportere, quàm ad Deum judicem veniatur. Quamdiù vivimus, in viâ sumus; trahi ad judicem est Dei justitiam experiri. Exactores sunt ministri justitiæ divinæ; carcer, gehenna inferorum, aut purgatorii, penes culpæ gravitatem; nec reus inde exibit, nisi debitum omne antè solverit.

sem consuetudinem, ubi, qui injuriam accepit, adversarium coram judice sistit; non quòd nos affectus injuriâ frater apud Christum sit accusaturus. Tradet etiam nos judici, quia ejus causâ trademur; tradet non ipse; sed pro illo diabolus, qui etiam condonatam nobis à fratre refricabit injuriam. Quòd autem dicit nos inde non exituros, donec ultimum quadrantem persolvamus, non significat, ut ait Augustinus, exituros posteà; sed nunquàm exituros, quia, qui in inferno sunt, cùm semper debitas pœnas solvant, quia pro quolibet mortali peccato infinitas pœnas debent, nunquàm persolvunt. Itaque eodem sensu hoc loco dictio illa, *donec*, accipienda est, quo supra, c. 1, 25; Lucas, c. 12, 59, pro quadrante minutum dixit, quæ quadrantis media pars erat; sed sententia eadem est; utràque enim phrasi minimum debitum significatur. Cætera etiam paulò aliter narrat, sed facilis solutio; non eadem erat concio.

Vers. 28. — Qui viderit, ὁ βλέπων, qui aspicit; non enim significatur, qui casu in mulieris vultum oculis incurrit, sed qui impudicò in eam animo oculos injecit.

Mulierem, uxorem alterius, quia sequitur ἐμοίχευσεν, mœchatus est, quod non simplicem, ut vocant, fornicationem, sed adulterium propriè significat. Quanquàm per unam speciem totum genus intelligit.

Jam mœchatus est. Jam adulterium commisit, minùs tamen peccavit, quàm si rem ipsam patravisset.

Vers. 29, 30. — Si oculus tuus dexter, quia si oculus et manus propriè sumantur, et absurda et crudelis videtur esse sententia, plerique veteres interpretes metaphoricè sumpserunt. Quid autem per oculum dextrum, quid per sinistrum; quid item per manum dextram, quid per sinistram intelligator, ipsis inter se non convenit. Alii oculum dextrum mentem; sinistrum corporis sensum; manum dextram voluntatem; sinistram carnis appetitum interpretantur. Non solùm igitur corporis sensum, appetitumque refrenandum; sed superiores quoque animæ partes mentem et voluntatem, si rectæ non sint, quodam modo resecandas, et à nobis abjiciendas esse, auctor Imperfecti, hom. 12. Alii per oculum dextrum et manum dexteram idem significari, mulierem amicam; quia paulò antè dictum est: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, Chrysost., hom. 17. Alii oculum dextrum dilectum amicum, manum dexteram coadjutorem, et necessarium ministrum, Augustinus, lib. 1, de Ser. Domini, et Euthym. in hunc locum. Alii tam per oculum, quàm per manum dexteram eos omnes intelligunt, qui nos arctissimâ, aut cognationis, aut familiaritatis conjunctione contingunt, quos debemus, si nos à Deo alienant, à nobis repellere, Hilarius, can. 4; Athan., q. 70; Pacianus, epist. 3 adversùs Novatianos; Cyrillus, lib. 12 in Joan., c. 28; Anast., q. 73; Salvianus, lib. 3 de Providentiâ; Theophylactus, hoc loco. Probat Pacianus ex simili sententia; quæ legitur Deut. 13, 6, 7, 8: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus et serviamus diis alienis, quos ignoras tu et patres tui; nec acquiescas ei, nec audias; nec parcat ei oculus tuus, ut misereris et occultes eum, sed statim interficies, sit primum manus tua super eum.* Alii animæ affectus intelligi volunt, quos D. Paulus ad Colos. 3, 5, quia ex corpore proficiscuntur, membra corporis appellat, *mortificate, inquit, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, avaritiam*, Hieronym., in Comment. Mihi perire videtur sensus, et energia, gratiaque locutionis, si aliud quàm verum oculum, veramque manum intelligamus. Est enim elegans exaggeratio, à chirurgorum arte desumpta, qui, cùm per unum membrum totum periclitatur corpus, ut corpus conservent, membrum exscindunt. Propterea duas partes corporis, et nobis charissimas, et maximè necessarias, oculos et manus, et ex iis dexteram potiùs quàm sinistram, quam magis amamus, quàque magis indigemus, Christus nominavit. Nec absurda sententia est. Non enim vult, ut manus ipsi nobis amputemus, aut oculos eruamus; sed, ut in exaggerationibus fieri solet, intelligator exceptio, si fieri posset, aut liceret. Quemadmodùm dixit D. Paulus ad Gal. 4, 15: *Testimonium enim perhibeo vobis, quoniam, si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.* Potuit enim utique, sed non licuit. Significat ergo Christus quodvis potiùs damnum debere nos subire, quàm culpam. Eò quidem usque, ut vel oculum dextrum, dextramque nobis manum rescindamus, si aliter peccatum effugere non possumus; sed quia semper possumus, nefas est aliquam nobis corporis partem amputare. Origenem et alios, qui sese servandæ castitatis causâ exsecuerunt, ab Ecclesiâ damnatos legimus.

Vers. 27. — Audistis, etc. Scribæ opus tantùm externum prohiberi censebant, Christus Dominus omnem impudicitiam vetari hoc præcepto docet.

Vers. 28. Qui viderit mulierem, deliberato concupiscentiæ affectu. August., c. 12: *Hoc ipse, et hoc animo attenderit, ut eam concupiscat: quod jam non est titillari delectatione carnis, sed plenè consentire libidini, ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed, si facultas data fuerit, satietur.* Tum docet tria esse quibus impletur peccatum, *suggestione, delectatione, et consensione..., ut quasi à serpente fiat suggestio, et quædam suasio; in appetitu autem carnali tanquàm in Evâ delectatio; in ratione verò, tanquàm in viro consensio... Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione, ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquàm tres mortes. Una quasi in domo, id est, cùm in corde consentitur libidini; altera jam prolata, quasi extra portam, cùm in factum procedit assensio; tertia, cùm vi consuetudinis malæ tanquàm mole terrenâ premitur animus quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitâsse quisquis Evangelium legit, agnoscit.*

Vers. 29. — Si oculus; Aug., c. 15: *Quidquid est quod significat oculus, sine dubio tale est, quod vehementer diligatur. Quidquid nobis charum est, aut necessarium, si pietati obsit, omninò est abjiciendum. Oculus etiam sumi potest pro re omni quæ videtur, ut manus pro re quæ tangitur.* Multa sunt per epitasim, vel exaggerationem intelligenda. Non enim jubet Dominus ut eruamus oculos, sed ut id omne abjiciamus quod exitii est occasio.

Vers. 31. — Quicumque dimiserit. Quod apud theologos disputatur, num in veteri lege uxorem, quæ grata non esset viro, dimittere, præceptum, an privilegium fuerit, ex his paucis verbis finiri potest. Non enim dicit, dimittat uxorem; sed, si dimiserit, det illi libellum repudii; ne ipsa libertatis causâ maritum fugisse videatur; et ut alteri sine ignominiâ possit nubere. An autem repudium, tanquàm bonum, concessum; an, tanquàm minus malum, ad vitandum majus permissum fuerit, c. 19, 8, commodiore dicemus loco. Libelli autem repudii exemplum, Deuter. 24, 1, ex Hebræorum traditionibus exscripsimus, et multi hoc loco ponunt.

Vers. 32. — Excepta fornicationis causa. Non concedit Christus etiam fornicationis causâ libellum repudii dare, quemadmodum et verba ipsa, et perpetuus Ecclesiæ usus declarat. Nam neque Christus dicit, det illi libellum repudii, quam fornicationis causâ dimittit; quod inprimis dicendum fuerat, ut repudiandi licentiam frenaret; si quidem voluisset, fornicationis causâ dimissam nubere posse, ut novi docent hæretici: cùm lex quæ in concedendis divortiis multò erat liberior hoc ipsum licentiæ frenum injiceret, ut multi graves auctores adnotaverunt. Et Ecclesia libellum repudii non novit; ut quæ de Judæis audivit, *ad duritiam cordis concessit hoc vobis Moyses*. Sed hunc Lutheranorum, et Calvinistarum errorem, cap. 19, 9, refutabimus. Illud hoc loco disputandum, num solâ fornicationis causâ uxorem dimittere Christianis liceat? Quidam ob omnia peccata, quæ in Scripturis fornicatio vocari solent, licere putant, ut sentire videtur Origenes, tract. in Matthæum, 7; et August., lib. 1, de Ser. Domini, et Strabus hoc loco. Sed istud est nimis dilatare sententiam quam videmus Christum maximè restringere voluisse, et majorem penè Christianis dimittendarum uxorum, quàm Judæis dare licentiam; omnia enim ferè peccata fornicatio vocantur, quia per ea à Creatoris avertimur amore, et ad creaturarum amorem convertimur. Quare et Ipse Augustinus, lib. 1 Retract., c. 19, hoc retractâsse visus est, saltem de eo dubitâsse. Quid ergo? nonne multæ sunt causæ, quibus justius, quàm ob adulterium uxor dimittatur? sunt planè; pejus enim est hæreticam, aut parricidam, quàm adulteram esse. Id etiam ex D. Paulo haud obscurè colligitur; cùm enim jubet, ut, si mulier infidelis consentit habitare cum marito fideli, retineatur, 1 Cor. 7, 12, vult etiam, ut, si non consentit, ejiciatur. Non consentit autem, quæ non vult cum marito salvâ religione habitare. Tunc igitur eruendus oculus, tunc dextra manus resecanda, præculque rejicienda, ut Pacianus interpretatur, sed ne liberum cuique esset causas fingere dimissionis, tres potissimùm Ecclesia definivit; primam, si uxor Sodomitica esset, cap. *Maritus*, de Adulter.; secundam, si hæretica, cap. *Quæsivit de Divortiis*; tertiam, si maritum ad aliquod grave peccatum trahere conetur, eodem cap. Cur ergo Christus solam excepit fornicationem? Tribus ut opinor, de causis, primâ, quòd propter solam fornicationem absolutè, et in perpetuum uxor dimittatur, ita ut, etiam si sese dimissa correxerit; maritus, si nolit, resumere non debeat. Non enim dimittitur, ne faciat; sed quia fecit injuriam; non ut culpam corrigat; sed ut toto vitæ tempore culpæ pœnam luat. Cùm autem aliis de causis dimittitur, non absolutè, non in perpetuum; sed ad tempus dimittitur; dùm se dimissa et afflicta corrigit; dùm insipiens resipiscit, ut ad maritum redeat, si ad mentem redierit. Secunda, quia adulteram volentem etiam cum marito manere, sesecque corrigere, dimittere tamen maritus potest; quia, ut diximus, in pœnam violatæ conjugalis fidei, non in correctionem dimittitur: aliis verò vitiis declinam, emendari tamen volentem, marito dimittere non licet, id antiquæ eruditionis auctor Rupertus animadvertit. Tertia, quòd aliæ dimittendæ uxoris causæ propriæ non sint matrimonii, sed omnis communes consortii. Nam sive uxor, sive familiaris, sive cognata, sive soror, sive mater sit; si auctor nobis peccandi est, longè est à nobis removenda; adulterium causa est uxoris dimittendæ propria matrimonii, quia conjugalem iidem violat, quæ basis quodammodò matrimonii est; itaque quia contractus civilis est, matrimonium solvit. Jus enim est maximè naturale; ut ei, qui contractùs conditiones non servat, contractus rescindatur. Restat, ut ait August., sacramenti majus vinculum, quod non adulterium, sed sola mors solvit. Quid ergo, dicet aliquis, Christus hoc loco addidit legi? Multa omninò. Primum, quòd in lege propter adulterium uxor non dimittebatur; sed aut comburebatur veteri exemplo, Genes. 38, 24, aut lapidabatur, Levit. 20, 10; Joan. 8, 5, certè tollebatur è medio, Daniel. 13, 41. Hoc Christus sustulit; veterem enim abrogans legem non jussit adulteram mori: sed dimitti permisit. In quo Calvinistæ, dùm se severos impudicitiæ vindices volunt ostendere; et se hæreticos, et uxores suas sæpè adulteras ostendunt. Addidit præterea, quòd noluit etiam adulterii causâ dimissæ libellum repudii dare, quò segniores in dimittendis uxoribus essent viri, si scirent nec sibi, nec uxori licere alias tentare nuptias; sed solis, dùm uterque viveret, esse vivendum. Addidit quòd innumerabiles causas, quibus in lege uxorem dimittere licebat, resecuit; nam quàcumque ferè de causâ uxor viro non placuisset, dimittere licebat, Deut. 24, 1, solamque fornicationem excepit. Addidit, quòd cum in lege semel dimissam vir revocare non posset; in Evangelio revocari non quidem jussit, sed optavit. *Maneat*, inquit Paulus, *innupta, aut viro suo reconcilietur*, 1 Cor. 7, 11. Addidit, quòd cum in lege uxorem viro, non virum uxori dimittere liceret, in Evangelio parem viri et uxoris causam esse voluit. Quod etsi ipse hoc loco non expressit, expressit tamen pro illo D. Paulus, 1 Cor. 7, 10, 11.

Vers. 33. — Non perjurabis. Frustra à nonnullis laboratur, ut rationem inveniant, cur à præceptis secundæ tabulæ ad præcepta primæ revertatur; nec enim ordinem in dicendo servare voluit; sed res dicere, ut occurrebant. Quærunt hæreticorum interpretes, ubi hoc in lege scriptum sit, quod cùm totidem scriptum verbis non inveniunt, Pharisæorum interpretationem, non legis sententiam fuisse dicunt. Scilicet non animadvertunt Christum non verba, sed sensum legis recitare. Quòd enim quidam hæc ipsa verba *non perjurabis* ex Levit., c. 19, 12, sumpta esse putant; nec ipsi animadvertunt Hebraicè non esse, *non perjurabis*, sed, *non jurabis in vanum*, ut, Exodi 20, 7, et Deut. 5, 11, dicitur *non assumes nomen Dei tui in vanum*; assumere autem nomen Dei in vanum est pejerare, quia שוא apud Hebræos, sicut vanum apud Latinos utrumque significat, et quod non necessarium, et quod falsum est. Atque ita non solùm R. Abraham, Exod. 20, 7, sed etiam noster interpres, Levit. 19, 12, et Christus hoc loco interpretatur.

Reddes autem Domino juramenta tua. Hanc etiam putant hæretici additionem esse Pharisæorum; sed verba ipsa præ se ferunt sententiam esse legis; quia tanquàm antithetum præcedentium verborum legis recitantur, et in Num., c. 30, 3, eodem sensu, quamvis pluribus verbis, scriptum est: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum; sed omne quod promisit implebit*. Hoc est illud, Psal. 23, 4: *Qui non accepit in vanum animam suam* (ejus, Dei, id est, qui falsum per Deum viventem non juravit), *nec juravit in dolo proximo suo*. Cùm autem duæ sint juramentorum species, altera quâ præterita confirmamus, altera quâ futura promittimus, unam pro toto genere posuit speciem, ut versu etiam 29 adnotavimus.

Vers. 34. — Non jurare omninò. Multos hæc verba non intellecta fefellerunt, ut existimarent nunquàm omninò Christiano licere jurare, ut hodiè Anabaptistæ docent, et patrum nostrorum memoriâ Wicleffistæ docuerunt. Error antiquus. Nam et Hilarius Syracusanus ille, in epistolâ ad Augustinum, quæ inter Augustini epistolas 88 est, narrat quosdam Syracusis in eâ hæresi fuisse, ut nunquàm per Deum jurandum putarent; Pelagianorum genus fuisse, et ex aliis ipsorum erroribus qui simul in eâ epistolâ recitantur, et ex Augustini responsione, epistolâ 89, q. 5, colligitur. Quin et Origenes, tract. in Matth. 33, propè ab eo errore videtur abesse. Errandi causa fuit, quòd non animadverterint illud adverbium, *omninò*, non genus, sed formam significare. Non enim prohibet ullo tempore, aut ullo casu; sed ullo modo ullâque formâ jurare, neque per Deum, neque per cœlum, neque per terram, neque per sanctam civitatem, neque per caput nostrum jurare, ut statim addidit explicans quod dixerat *omninò*. Eodemque modo Jacobus, c. 5, 12, exponit: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum*. Alium quoque vim habet, *omninò*, quam paulò infra explanabimus. Licere autem Christianis ubi, quando, et quâ ratione oportet jurare, et perpetuus Ecclesiæ usus, et sanctorum docent exempla. Juravit enim Paulus, Rom. 1, 9; 2 Cor. 1, 23; Philippens. 1, 8; 1 Thessal. 2, 5, 10, jurat angelus, Apoc. 10, 6. Quod enim Pelagiani illi dicebant non jurâsse Paulum, quia non dixit *per Deum*, sed, *coram Deo*, aut: *Testis est mihi Deus*, quem ipsi, ut putabant, imitantes omnibus modis Dei nomen polluebant, maximèque jurantes non jurabant, modò ab.unà syllabâ, per linguam abstinerent; ridendum potius est quàm refutandum. Quid ergo Christus addidit legi? Quidam id, quod hìc dicitur, addidisse crediderunt, ut per Deum quidem, cùm ratio æquitasque postularet; per creaturas, per quas Judæis, ne per Deum jurarent, jurare licuisset, nullo modo, nullo tempore juraremus, Hilarius, can. 4; Cyrillus, lib. 5 in Isai., c. 65; Chrysost., homil. 17; Hieronym. et Theophylactus, in Commentariis. At non probatur id Judæis licuisse. Itaque multi recentiores interpretes, non lege, sed Pharisæorum opinione, interpretationeque licitum fuisse dicunt. Quod et ipsi nihilò magis probant, et nos vers. 21 confutavimus. Credibilius non licitum, sed consuetum Judæis fuisse per cœlum, per terram, per sanctam civitatem, per templum jurare, ut colligitur ex c. 23, 16. Qui autem per templum juraverit, nihil est. Nihil igitur hoc loco aliud Christus legi addidit, nisi quòd expressit, quæ in lege expressa non erant. In lege enim tantùm dictum erat: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, Deut. 5, 11; Christus addit, non solùm nomen Dei, sed neque nomen cœli et terræ, aut alterius creaturæ in vanum assumes. Addidit etiam, quòd, cùm illis legis verbis: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, solum prohiberetur perjurium; ipse non solum perjurium, sed verum etiam, non tamen necessarium prohibuit juramentum. Cur autem prohiberit sine necessitate, licet verè, jurare; non prætermittenda hoc loco quæstio est. Plerique veteres auctores videntur in eâ fuisse sententiâ, ut existimaverint non propterea præcipuè prohibuisse, quòd sine necessitate verum jurare peccatum sit; sed ne sæpè jurando verum, aliquando falsum juraremus, ut ait Sapiens, Eccles. 23, 9: *Jurationi non assuescat os tuum; multus enim casus in illâ*, et vers. 12: *Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet à domo ejus plaga*. Sicut prohibetur garrulitas et multiloquium, quia *in multiloquio non deerit peccatum*, Pro-

---

Vers. 31. — Permisit olim Deus, non præcepit dimittere uxorem, idque non licebat nisi dato libello repudii, quò alteri viro suæ uxoris potestatem faciens avocaretur à divortio, atque, ut ait Aug., cap 14: *Ut irruendium temerarium proficientis uxorem libelli cogitatio temperaret*. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit quantùm potuit duris hominibus se nolle dissidium. *Quantumvis enim durus esset qui vellet dimittere uxorem, cùm cogitaret libello repudii dato jam sine periculo eam posse nubere alteri, facilè placaretur.*

Vers. 33. — Non perjurabis; Aug., c. 17: *Ita ergo intelligitur* præcepisse *Dominum, ne* juretur, *ne quisquam sicut bonum appetat juxjurandum, et assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur... Sed nemo novit, nisi qui experitus est, quàm sit difficile et consuetudinem jurandi extinguere, et nunquàm temerè facere, quod nonnunquàm facere necessitas cogit. Neque per cœlum.* Aug., ibidem: *Credo propterea, quia non putabant Judæi se teneri jurejurando, si per ista jurâssent: cùm tamen per Deum juretur, cujus sunt omnia, cum juratur per creaturas.*

verb. 10, 19. Sic Clemens Alexandrinus, 7 Strom.; Chrysost., hom. in Matth. 17; auctor Imperfecti, hom. 12; Basil., hom. in psal. 14; Ambros., serm. 14 in psal. 118; August., lib. 1 de Serm. Domini, et in psal. 88 et 109; Hieron., Zachar. 8, videturque ea sententia ex verbis Jacobi, c. 5, 12, confirmari: *Sit sermo vester: Est, est; non, non; ne sub judicio decidatis*, Græcè, *ne in judicium* (id est, condemnationem) *incidatis*; quasi dicat ne sæpè jurando, aliquando pejeretis, et in peccatum, quo condemnemini, incidatis; verùm enimverò contrarius est sensus Ecclesiæ, et ex hoc ipso loco manifestum est Christum non ad vitandum majoris peccati periculum, sed quia ipsum per se peccatum est, juramentum non necessarium vetuisse: cur enim neque per cœlum, neque per terram jurare nos velit, rationem reddit; non ne frequenter jurando aliquando pejeremus, sed quia ille thronus Dei est; hoc scabellum pedum ejus; et irreverentiæ culpa est ponere in cœlum os nostrum, et linguam nostram transire per terram, ut, quod Psalmo 72, 9, alio sensu dictum esse non ignoramus, in hanc sententiam accommodemus. Atque hæc mihi videtur esse vis illius adverbii, *omninò*, quasi dicat: *Audistis quia dictum est antiquis, non perjurabis*, id est, non jurabis falsum; *ego autem dico vobis non jurare omninò*, id est, ne verum quidem jurare; intelligitur autem sine necessitate, quia alludit ad alteram significationem verbi נשׁבע in vanum, id est, frustra, sine causâ, sine necessitate.

NEQUE PER CŒLUM, QUIA THRONUS DEI EST. Colligitur ex hâc ratione Christi, etiam creaturis, quatenùs ad Deum referuntur, aliquem non solùm urbanitatis, ut novi dicunt hæretici, sed etiam religionis honorem deberi. Nam sicut jurare per aliquem, quando et quomodò non oportet, actus est religioni contrarius, ita quando oportet, et quomodò oportet jurare, actus est religionis. Propterea jussit Deus non per nomina falsorum deorum, sed per nomen suum jurare, Deut. 6, 13, propterea *laudabuntur, qui jurant in eo*, Psal. 62, 12. Si ergo per cœlum et terram jurare religio est, quia illud thronus, hæc scabellum pedum Dei est, quantò magis per Petrum, per Paulum, perque cæteros sanctos, et beatos viros, qui templum Dei sunt? Quòd si hic illis religionis debetur honos; et cæteri ejusdem generis debentur, ut eos veneremur, ut infra Deum, ut Dei servos, templumque colamus; nam neque cœlo et terræ religionis honorem tribuimus, quòd Deus, sed quòd aliquid Dei sint. Impius igitur et imperitus Lutheranorum et Calvinistarum error est, nullum, nisi Deo religionis honorem tribuentium.

VERS. 35. — NEQUE PER JEROSOLYMAM, QUIA CIVITAS EST MAGNI REGIS. Dei, qui est *rex regum, et Dominus dominantium*, 1 Tim. 6, 14; Apoc. 19, 16; vocat autem regem potiùs quàm Dominum aut Deum, quia alludit ad regem Judæ, qui Jerosolymæ regiam habebat. Addit, *magni*, ut ab eo distinguat, q. d., quia civitas sancta est, ut supra, c. 4, 5.

VERS. 36. — NEQUE PER CAPUT TUUM JURAVERIS, QUIA NON POTES UNUM CAPILLUM ALBUM FACERE AUT NIGRUM. Quia de cœlo dixerat, *quia thronus Dei est*, de terrâ, *quia scabellum est pedum ejus*, de Jerosolymâ, *quia civitas est magni regis*; ne putaremus saltem per caput nostrum jurare licere, quia nostrum est; addidit, *neque per caput tuum juraveris*. Reddit autem aliam quàm in cæteris rationem. Nam per alia jurare prohibuit, quia aliquid habent ex ministerio, quod Deo exhibent, sanctitatis; per caput, quia quamvis nostrum sit, nostrum non est; nostrum, quia à Deo quasi utendum accepimus, et ad tempus possidemus; non nostrum, quia non solùm ipsum non fecimus, sed ne unum quidem ejus capillum aut album, aut nigrum facere possumus. Alio etiam sensu per caput, quàm per cœlum et terram jurare vetat. Nam cùm per cœlum et terram juramus, tanquàm per res aliquas sanctitatem habentes juramus; cùm per caput nostrum juramus, non propriè juramus; sed tanquàm rem nostram devovemus. Hoc ipsum Christus prohibet, quia quod nostrum esse putamus, minimè est nostrum, cùm nequaquàm in nostrâ sit potestate, et iniquum omninò est rem alienam devovere. Est verò simile Judæos per caput suum jurare ex Græcis et Latinis, quibuscum versabantur, didicisse. Nam apud illos illa jurandi forma usitata erat νὴ τὴν κεφαλήν: apud hos:

Per caput hoc juro,

ut ait Virg., 9 Æneid., Christiani nunc, ô impietatem! non per suum, sed per Dei caput, perque omnia ejus membra jurare solent. Scilicet capiti suo parcunt, Dei capiti non parcunt.

VERS. 37. — SIT AUTEM SERMO VESTER: EST, EST; NON, NON, Græcè: *Etiam, etiam; non, non*. Quod quidam novi dixerunt interpretes per interrogationem et responsionem legendum esse, ut sensus sit: Cùm aliquis interrogaverit vos, sitne aliquid, nihil aliud respondeatis, quàm: *Est*. Cùm interrogaverit annon sit; nihil aliud quàm: *Non*; hoc, inquam, ego nullo prorsùs modo probare possum. Quid enim si id, de quo interrogor an sit, non sit? an mentiens respondebo: Est? D. August. in Enchiridion, c. 17 et 22: *Sensum*, inquit, *esse dicamus, id est, ut semper vera loquamur*. Alii, quod promiseritis vos facturos facite; quod non facturos, ne facite, ut loquitur D. Paulus, 2 Cor. 1, 17, 18: *Numquid levitate usus sum, aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me Est, et Non? Fidelis autem Deus: quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo: Est, et Non*. Sed hæ duæ interpretationes ex materiâ sermonis refutantur. Non enim id hoc loco Christus agebat, ut aut vera semper loqueremur, aut constantes in promissis præstandis essemus; sed illud, ut ab omni juramenti specie abstineremus. Itaque necesse est, ut hæc verba: *Est, est; non, non*, juramento, non mendacio, aut levitati opponuntur. Sensus ergo est, cùm dicendum erit: *Est*, id est, affirmandum, ne affirmetis juramento, sed simplici affirmatione dicentes: Ita est. Cùm aliquid negandum, ne juretis non ita esse; sed simpliciter dicite: *Non*, id est, non ita esse. Ita Chrysost. in hunc locum, et Hieronymus in epistolâ ad Celantiam, de Institutione matris familiâs, et Rabanus apud D. Thom.

QUOD AMPLIUS EST, A MALO EST. Quid hic appellet malum, magna etiam est interpretum dissensio. Alii, *à malo est*, id est, ab eo proficiscitur, qui simpliciter affirmanti non credit, itaque incredulitatis ejus vitium à loquente juramentum extorquet, August., lib. 1 de Serm. Domini in monte. Alii, *à malo*, id est, ab infirmitate Judæorum, quibus, ne per Deum jurarent, per creaturas jurare concessum erat, Chrysost. Hanc opinionem, vers. 34, confutavimus. Alii, *à malo*, id est, à diabolo, qui jurandi consuetudinem induxit, Theophylact. Atque hic mihi videtur germanus esse sensus, et quia non dicit ἐκ τοῦ κακοῦ, sed ἐκ τοῦ πονηροῦ, à maligno, quo nomine diabolus vocari solet, ut infra, c. 6, 13, et c. 13, 19; et quia addidit articulum, quasi dicat, quod amplius est, à maligno illo introductum est; et quia tacitè inter se et diabolum utitur antithesi. Dixerat: *Ego autem dico vobis non jurare omninò*; sed simplici usi sermone: *Est, non. Quod enim amplius est*, id est, juramentum, quod ad simplicem affirmationem vel negationem adjungitur, non ego dico, non ego doceo adjungere; diabolus est qui docet, quique ad jurandum instigat, ejus hoc est inventum tam sæpè, tamque temerè jurandi.

VERS. 38. — OCULUM PRO OCULO. Reddat, qui alterius oculum eruit. Ipsa verba sunt legis, Exodi 21, 24; Levit. 24, 20; Deut. 19, 21. Sed non recitat, nisi legis initium, quòd cætera nota essent, quòd et hodiè juris periti faciunt. Erat autem lex talionis maximè, ut philosophi docent, naturalis, et omnium gentium opinione justissima, ut quod quisque fecisset, idem pateretur. Itaque inter leges illas duodecim tabularum, quæ quasi naturæ erant documenta, una huic erat similis his concepta verbis: *Si membrum rupit meum, ex pacto talio esto*. Extat de hâc re apud Aristotelem, 5 de Moribus ad Nicomachum libro, et apud Gellium, libro 20, inter Sextum Cæcilium jureconsultum et Pharorinum philosophum, subtilis et benè longa disputatio. Hic etiam hæretici falluntur, quòd existiment scribas et Pharisæos docuisse licere unicuique suarum privatim injuriarum apud judicem ultionem persequi; cùm hæc talionis lex non privatis hominibus, sed magistratibus, ne pœnæ modum aut excederent, aut non attingerent, quasi regulâ data esset. Nam privatis quidem hominibus contra, dictum

VERS. 38. — OCULUM PRO OCULO restituet. Aug., c. 19: *Pharisæorum justitia minor est non excedere vindictæ modum, ne plus rependat quisque quàm accepit; et magnus hic gradus est. Nemo enim facilè invenitur, qui, pugno accepto, pugnum reddere velit... Talem animum magnâ ex parte refrenavit... ut vindicta non transeat, et hæc est pacis inchoatio: perfecta autem pax est talem penitùs nolle vindictam*. Scribæ et Pharisæi hoc præceptum sic intelligebant, quasi liceret eam vindicare, Levit. 19, 18: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*. At neque probari potest hoc Pharisæos docuisse; nec, si docuissent, non licuisse privatis hominibus jus suum apud judicem persequi. Si enim jus erat, justum erat, et unicuique licet, quod justum est, juris ordine apud judicem postulare. Nam et in Evangelio licèt. Nec lex illa talionis solis judicibus, ut regula; sed multò magis privatis hominibus, ut pœna, quâ ab homicidio et cæde deterrerentur, data erat, ut rectè Chrysostomus et Augustinus adnotârunt. Quid ergo Levit. 19 prohibetur? non jus, sed ultionem quærere. *Mihi enim vindicta, et ego retribuam*, Deut. 32, 35. Quid igitur Christus adjecit legi? primùm hoc ipsum, quòd talionem sustulit, quæ hominem solo pœnæ metu continebat, ne aliis manus inferret, ut Hilarius, Chrysostomus, hom. 17, auctor Imperfecti, hom. 12; Euthymius et Theophylactus observârunt; voluit enim nos non metu, tanquàm servos, sed amore, tanquàm filios, bene agere. *Non enim accepimus spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei*, Rom. 8, 15. Lex namque *iram operabatur*, Rom. 4, 15. Evangelium gratiam, quia *gratia per Jesum Christum facta est*, Joan. 1, 17. Præterea addidit, quòd non solùm docuit nos non expetere vindictam; verùm etiam patienter injurias tolerare; nec tolerare modò, sed optare, sed illis gloriari; denique percutienti nos in unâ maxillâ, alteram obvertere; volenti tunicam nobis tollere, et pallium relinquere. *Non solùm*, inquit D. Paulus, *sed et gloriamur in tribulationibus nostris*, Rom. 5, 3, ut observavit Hilarius. Addidit quòd cùm lex tantùm ramos, ipse vitiorum etiam radices excidit. *In lege*, inquit Hieronymus, *vetributio est; in Evangelio gratia. Ibi culpa emendatur; hic peccatorum auferuntur exordia*.

VERS. 39. — NON RESISTERE MALO. Hoc etiam loco Chrysostomus, hom. 18; Theophylactus et Euthymius per malum diabolum intelligunt, puto quòd et eodem utatur nomine, πονηρῷ, et τῷ articulum adjungat. Quid ergo? docetne nos non resistere diabolo, cui Jacobus, cap. 4, 7, et Petrus, 1 epistolâ, cap. 5, 9, jubent, ut fortes in fide resistamus? Respondent resistendum quidem, sed non hoc modo; non ultionem quærendo: hoc enim non est resistere, sed manus illi dare. *Ignis*, inquiunt, *non igne extinguitur, sed augetur*. Alii interpretantur malo, id est, injuriam facienti. Alii putant malum non personam, sed rem malam significare. Et ex iis alii sextum esse casum, quasi dicat, ne malum pro malo reddamus; sed vincamus in bono malum, Rom. 12, 17, 21, et 1 Petri 3, 9. Alii tertium, quod ego judico probabilius. Malum enim vocat injuriam quæ nobis infertur; cui jubet non etiam à judice petere, cùm lex ad solum judicem referatur, et ipsa doceat contrarium, Levit. 19: *Non quæras ultionem*.

VERS. 39. — NON RESISTERE MALO, ut ira deferveat: vult tantùm ut nullis injuriis à fraternâ concordiâ abducamur. IN DEXTERAM MAXILLAM. Illatam patienter feras injuriam. Eam tum fuisse loquendi rationem, quæ in proverbium abierat, admodum est verisimile.

resistere, sed nos potiùs illi excipiendæ paratos exhibere; et cùm in unâ maxillâ plagam, aut colaphum accipimus, alteram vertere. Disputat Augustinus, libro 2 de Serm. Domini in monte, neque Christum, neque quamvis perfectos apostolos hoc servâsse. Nam neque Christus unam percutienti coram judice maxillam, alteram vertit; sed si non manu, linguâ tamen restitit. *Si benè locutus sum, quid me cædis? si autem malè, testimonium perhibe de malo*, Joan. 18, 23; et Paulus etiam jussu judicis percussus, non solùm alteram malam non præbuit; sed, quantùm potuit, utique restitit, et injuriam insuper addidit: *Percutiet te Deus, paries dealbate*, Act. 23, 3. Cæsus autem virgis, et in vincula conjectus, jus suum mirabiliter persecutus est, Act. 16, 37: *Cæsos nos publicè, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem; et nunc occultè nos ejiciunt? non ita, sed veniant, et ipsi nos ejiciant.* His exemplis intelligimus, aut, quod hoc loco Christus docet, non esse præceptum, aut non esse ita ut verba sonant intelligendum. Nam si, aut præceptum esset, aut ad verbum intelligendum, et Christus, et Paulus ad verbum utique servâssent. Partim ergò præcepti, partim consilii est. Præcepti hæc sunt: primùm, ut vindictam non quæramus. Deinde, ut potiùs alteram maxillam reipsâ vertamus, id est, alteram accipiamus injuriam, quàm acceptam ulciscamur. Præterea, ut animo parati simus ad remittendum de jure nostro, quandocumque id charitas, et Dei gloria videbitur postulare. Consilii autem est, ut quamvis neque charitas, neque Dei gloria id à nobis exigat; mortificationis tamen nostræ causâ ad verbum hæc omnia faciamus; non quidem irritantes adversarium ad inferendam injuriam, sed nos ipsos ad excipiendam invitantes. Sic Laurentium dixisse traditur: *Assatum est jam; versa, et manduca.* Ambr., lib. 1 Offic., c. 41.

SED SI QUIS TE PERCUSSERIT IN DEXTERAM. Quòd dexteram potiùs maxillam quàm sinistram nominaverit, cùm colaphus in sinistram priùs, quæ ad dexteram cædentis manum est, quàm in dexteram impingi soleat, ut disputat Augustinus, nullum videtur aliud esse mysterium, quàm quòd cùm vellet dicere: Si quis te percusserit in unâ maxillâ, verte illi et alteram; pro unâ et alterâ, dextram et sinistram, expresso manûs nomine dicere maluit; et quia priùs dexteram quàm sinistram solemus nominare, non cædendi, sed loquendi consuetudinem secutus est. Sicut Scriptura loqui solet: *Non declinabitis ad dexteram, neque ad sinistram*, Num. 20, 17, et 22, 26; Deuter. 2, 27, et 5, 32, et 17, 11, et 28, 14. Neque uspiam legimus, ad sinistram et dexteram. Itaque Lucas, cap. 6, 29, simpliciter dixit: *Et qui te percusserit in maxillam, præbe ei et alteram.* Notanda autem est christiana et elegans antithesis: legi enim talionis, *oculum pro oculo*, patientiæ, ut ita dicam, talionem opponit, ut pro acceptâ injuriâ injuriam alteram accipiamus. *Ego autem dico vobis, si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram.* Hoc scilicet erat, quod ethnici olim non intelligentes dictitabant hanc legem Christi omnem rempublicam evertere; impunitatem enim perditis hominibus peccandi dari, ut Marcellinus ad Augustinum scribit, epistolâ 4. Quasi verò respublica non firmiùs stet patientiâ quàm vi; virtute, quàm legibus. Præterquàm quòd Christus non ligat hoc loco judici manus, quominùs in homicidas et cæteros sceleratos homines animadvertat; nec ita legem illam abrogat, ut eâ judex uti non possit; sed ut non cogatur. Nam et christiani judices oculum pro oculo, dentem pro dente exigunt, cùm homicidas mori cogunt. Sed privatis hominibus velut manicas injicit; ne, dùm suâ manu injuriam repellere conantur, duplicent injuriam; nec puniendi potestatem tollit, sed peccandi occasionem præcidit.

VERS. 41. — ET QUICUMQUE TE ANGARIAVERIT. Neque Græcum, neque Latinum genere suo verbum est; à Persis, ut nonnulli adnotaverunt, originem traxit, apud quos publici nuntii, aut cursores angari vocabantur. Iis publicâ potestate quoscumque homines ad ferenda onera cogere, quosvis equos, quasvis naves licebat usurpare. Unde factum ut et Græci et Latini angariare dicerent, id est, aliquem cogere, solutâ mercede, vel ad onera portanda, vel ad viam præmonstrandam, quemadmodùm Simonem illum Cyrenæum ad gestandam Christi crucem angariatum legimus, cap. 27, 32. Itaque meritò id Christus numerat, aut inter beneficia, quæ aliis præstamus, si sponté facimus; aut inter injurias, quas ab illis accipimus, si coacti.

VADE CUM ILLO ET ALIA DUO, sub., *millia passuum*. Noster interpres fortassè legit, ἄλλα δύο, *alia duo*, quæ efficiunt tria millia. Nisi, ut nonnulli suspicantur, aut ipse aut alius quispiam addidit postea illud *alia*. Meliùs sententia constabit, si non legatur; manifestum enim est Christum dicere voluisse duplicem accipiendam injuriam, ut cùm dixit: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram.*

VERS. 42. — QUI AUTEM PETIT A TE, DA EI. Id est, quisquis sit, qui petit à te, da ei, ut apparet ex Lucâ, 6, 30. *Omni petenti te tribue.* Quibus verbis non jubemur nullum inter pauperes habere discrimen; præferendi enim sunt, qui magis egent. Neque bona nostra in omnes, qui quâcumque ratione petierint, effundere; neque facultatum nostrarum rationem non ducere, nec amicos inimicis; cognatos alienis pares facere. Habet charitas ordinem suum, qui postulat

VERS. 40. — DIMITTE EI ET PALLIUM: Aug: *Ad præparationem cordis, non ad ostentationem operis præceptum rectè intelligitur.* Tunica interiorem vestem, pallium exteriorem significat; hoc quoque forsan erat usu tritum proverbium.

VERS. 41. — VADE CUM ILLO; Aug.: *Et hoc utique non tam pedibus agas, quàm ut animo sis paratus. Nam in ipsâ christianâ historiâ, in quâ est auctoritas, nihil tale invenies factum à sanctis.*

VERS. 42. — DA EI. Indigenti da quod ei convenit accipere, et tibi dare. Aug.: *Omni petenti, inquit, non omnia petenti, ut id des, quod dare honestè, et justè potes... Et cui justè negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non eum inanem dimittas.* NE AVERTARIS, vultu tristi, aut usuras exigendo: ne repellas eum qui à te mutuo petit.

et parentibus potiùs quàm alienis, ut amicis, quàm ignotis subveniamus. Quem ordinem perficere haud dubiè voluit Christus, non evertere. Tantùm ergo prohibetur προσωποληψία personarum, ut vocatur, acceptio, quæ justitiæ, non charitati contraria est. Occurrit pater, et ignotus homo æqualiter egens; non possum utrique dare; dabo patri, altero præterito. Id enim à me charitas exigit. Occurrit dives notus, et pauper ignotus, idem à me petentes; ille, ut ludat, hic ut vivat; vetat Christus diviti dare, negare pauperi. Id illa parabola declaratur, quæ apud Lucam est, c. 14, 12: *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne fortè ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio; voca pauperes, cæcos, claudos, et debiles.* Summa est, non personarum, sed paupertatis, sed charitatis habendam esse rationem. Habetur autem, ut theologi docent, personarum ratio, cùm in dandâ eleemosynâ consideratur aliqua personæ qualitas, quæ aut eleemosynæ contraria est, ut cùm do, quia dives est, quia potest mihi reddere; aut certè non propria, ut cùm do, quia Græcus natione, aut Latinus est. Non enim nationi, sed paupertati eleemosyna datur.

VERS. 43. — AUDISTIS. Ubi hoc dictum fuerit, vers. 21, disputavimus. PROXIMUM TUUM, amicum tuum, id enim Hebraicum verbum propriè significat, πλησίον σου, qui te aliquâ, aut sanguinis, aut amicitiæ necessitudine attingit. Is etiam, non, ut multi putant, barbarè; sed Latinè proximus dicitur; sic enim non alii solùm auctores benè Latini, sed ipse etiam Cicero sæpè loquitur. Sensus ergo illius præcepti in lege erat: *Diliges proximum tuum*, id est, amicum tuum, ut ex vi verbi ἀγαπήσεις, et ex antithesi, quâ Christus utitur, manifestum est. Amicus autem in lege vocabatur non solùm, qui erat, sed qui debebat esse; esse verò debebat is qui Judæus erat. Itaque quod à quibusdam objicitur, præsertim hæreticis, etiam Judæis in lege præceptum fuisse, ut inimicos diligerent, quod Exod. 23, 4, scriptum sit: *Si occurreris bovi inimici tui; aut asino erranti, reduc ad eum: Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non præteribis; sed sublevabis cum eo;* hoc inquam, alienum abs re est. Ille enim ipse, qui illic inimicus vocatur, amicus erat. Amicus, quia Judæus, inimicus, quia privato odio alterum prosequebatur. Itaque idem ille, Deuter. 22, 1, frater appellatur. Illud difficilius, quòd Christus apud Lucam, cap. 10, 29, aliter videatur, quis proximus esset, interpretari. Sed illa interpretatio non legalis, sed evangelica est; quâ voluit Christus disruptâ jam maceriâ discrimen tollere nationum, quia in illo neque Judæus, neque Græcus est, sed nova creatura; neque Judæorum populus illi jam peculiaris; sed erit unum ovile, et unus pastor. Præterquàm quòd, si subtiliter vellemus de illâ Christi parabolâ disputare; inde potiùs probaremus Pharisæos in ejus præcepti interpretatione non errâsse; et nomine proximi solos amicos, et eos, qui benè de nobis merentur, intelligendos. Nam legis ille peritus idem, ut opinor, Scriba, vel Pharisæus, aut Scribarum certè et Pharisæorum opinionibus imbutus, rectè à Christo dicitur judicâsse, quòd non sacerdotem et Levitam, sed Samaritanum, qui amici erga illum, qui in latrones inciderat, functus erat officio, proximum appellaverit. Sed scimus aliò intendisse Christum. Hoc tantùm tenere volumus, ex eo loco probari non posse proximum in illo legis præcepto quemlibet hominem appellari.

VERS. 44. — DILIGITE INIMICOS VESTROS. Hoc, ut omnes auctores antiqui tradiderunt, et nos vers. 21 et 43, probavimus, proprium est Evangelii. In quo, sicut in cæteris, quæ legi Christus adjecit, quædam præcepti, quædam consilii sunt. Præcepti hæc, ne odio habentes nos odio habeamus, ne reddamus malum pro malo, ne quid illis optemus mali, ut eos generali, ut theologi docent, charitate complectamur, ut communibus orationibus, eleemosynis, beneficiis, quæ in omnes fiunt, non excludamus. Consilii, ut eis etiam non ad extremam necessitatem indigentibus, benefaciamus; ut eos nominatim salutemus, ut familiariter alloquamur. Sed hæc à theologis copiosè disputantur; à nobis propter hujus explicationem loci attingenda modò fuerunt. Verba autem illa, quæ in Græcis nunc leguntur codicibus: *Benedicite iis qui maledicunt vobis*, noster non legit interpres; nec sunt ad implendam loci sententiam necessaria: conveniunt tamen, et eo quidem magis, quòd B. Paulus hùc videri possit allusisse: *Maledicimur, et benedicimus*, 1 Cor. 4, 12.

VERS. 45. — UT SITIS FILII. Plerique sic interpretantur, *ut sitis*, id est, vos esse filios declaretis. Quod ut non improbo, sic illud magis probo, ut Hebraismus sit, quo, qui alteri similis est, ejus filius esse dicitur, sicut Hispani suâ linguâ solent dicere, videtur illum genuisse, id est, adeò illi similis est, ut ejus filius esse videatur. Hic sensus multò magis convenit, quia dicere esse filios patris sui tautologia est; dicere autem esse similes usitata locutio; et quia statim declaratur, quomodò patris sui filii, id est, similes, si benè omnibus fecerint, erunt, quia Deus *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*; et quia vers. 48, dicitur: *Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester, qui in cœlis est, perfectus est*, ubi non quomodò filii, sed quomodò similes esse possimus, declaratur. Non nego tamen datam esse potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine Christi, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt. Sed quis hujus loci sit sensus, expono.

VERS. 46. — QUAM MERCEDEM HABEBITIS. Non negat mercedem habituros quicumque amicos diligunt, cùm amicos diligere charitatis sit. Sed negat mercedem habituros, si, ut publicani, tantùm id faciant, id est, si non propter Deum, sed aut propter naturalem in amicos propensionem, aut propter utilitatem suam faciant. Quisquis autem inimicos non diligit, satis declarat se amicos non propter Deum, sed propter se diligere. Si enim propter Deum diligeret, etiam diligeret inimicos, qui non minus quàm amici imago Dei sunt. Qui ergo amicos, non inimicos diligit, quia non

propter Deum diligit, ut ab amicis mercedem naturalis amicitiæ habeat; à Deo charitatis mercedem non habet. Qui non solùm amicos, sed etiam inimicos diligit, non solùm charitatis erga inimicos, sed etiam erga amicos suæ mercedem habebit; quia Deus non naturam, sed gratiam remuneratur.

NONNE ET PUBLICANI HOC FACIUNT. Publicani à Latinis, τελῶναι à Græcis, מכסים ab Hebræis dicebantur, qui publica pro principe vectigalia colligebant; avaram hominum genus, et omni odiosum populo, eo præsertim tempore, quo Christus ista dicebat, cùm Judæi non suæ gentis regi, sed Romano imperatori tributa pendere cogebantur. Inde enim illa nata est quæstio, an liceret tributum Cæsari dare, Marc. 12, 14; Luc. 20, 22. Publicanos pro publicis et perditis peccatoribus habitos fuisse constat, Matth. 9, 10, 11, 19; et 18, 17; et 21, 31, 32; et Luc. 3, 12, 13. Cui opinioni congruenter loquitur Christus. Fuit et noster Matthæus aliquando publicanus; et in telonio sedit, c. 9, 9, sed ex publicano filium Dei, Apostolum, evangelistam gratia Dei fecit.

VERS. 48.—ESTOTE ERGO VOS PERFECTI, SICUT PATER VESTER. Sicut, non æqualitatem sed qualitatem, similitudinemque declarat; et eam quidem similitudinem, quæ inter Deum et hominem, non quæ inter hominem et hominem esse potest. Sicut Christus orat Joan. 17, 21, *ut simus* unum, sicut ipse cum patre unum est: nec enim illam, quæ inter patrem et filium est, naturalem unitatem æquare possumus; sed possumus tamen imitari. Proponit nobis Christus signum ad collimandum, quò scit nos pervenire non posse; ut quò possumus, perveniamus. Non vult nos eò usque progredi; sed non stare. Vult autem nos omnibus in rebus quàm simillimos esse Patri, sed in eâ maximè, quæ illi est maximè propria, misericordiâ. Itaque quod Matthæus dicit: *Estote perfecti;* Lucas, c. 6, 36, dicit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.*

CAPUT VI.

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.

2. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,

4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

7. Orantes autem, nolite multùm loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ.

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.

CHAPITRE VI.

1. Prenez garde de faire vos bonnes œuvres devant les hommes, pour en être regardés; autrement vous n'en recevrez point de récompense de votre Père qui est dans le ciel.

2. Lors donc que vous donnez l'aumône, ne faites point sonner la trompette devant vous, comme font les hypocrites dans les synagogues et dans les places publiques pour être honorés des hommes; je vous le dis en vérité, ils ont reçu leur récompense:

3. Mais, lorsque vous faites l'aumône, que votre main gauche ne sache pas ce que fait votre main droite,

4. Afin que votre aumône se fasse en secret, et votre Père, qui voit dans le secret, vous en rendra la récompense.

5. De même, lorsque vous priez, ne faites pas comme les hypocrites, qui affectent de prier en se tenant debout dans les synagogues et au coin des rues pour être vus des hommes; je vous le dis en vérité, ils ont reçu leur récompense:

6. Mais pour vous, lorsque vous voudrez prier, entrez dans votre chambre, et, après en avoir fermé la porte, priez votre Père en secret, et votre Père qui voit dans le secret, vous en rendra la récompense.

7. Or en priant n'affectez pas de parler beaucoup, comme font les païens, qui s'imaginent qu'à force de paroles ils seront exaucés.

8. Ne vous rendez donc pas semblables à eux; car votre Père sait de quoi vous avez besoin avant que vous le lui demandiez.

9. Vous prierez donc ainsi: Notre Père qui êtes dans les cieux, que votre nom soit sanctifié;

10. Que votre règne arrive; que votre volonté soit faite sur la terre comme au ciel;

11. Donnez-nous aujourd'hui notre pain qui est au-dessus de toute substance;

12. Et remettez-nous nos dettes, comme nous remettons nous-mêmes à ceux qui nous doivent;

13. Et ne nous laissez pas succomber à la tentation; mais délivrez-nous du mal. Ainsi soit-il.

14. Car si vous pardonnez aux hommes leurs fautes, votre Père céleste vous pardonnera aussi les vôtres;

15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt!

24. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.

25. Idcò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: nonne anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum?

26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?

27. Quis autem vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt: non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni glorià suâ coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fenum agri quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos, modicæ fidei!

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. (Hæc enim omnia gentes inquirunt): scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

15. Mais si vous ne les pardonnez point aux hommes, votre Père ne vous pardonnera point non plus les vôtres.

16. Lorsque vous jeûnez ne soyez point tristes, comme les hypocrites, qui affectent de paraître avec un visage défiguré pour faire voir aux hommes qu'ils jeûnent; je vous dis en vérité qu'ils ont reçu leur récompense.

17. Mais pour vous, lorsque vous jeûnez, parfumez-vous la tête et lavez votre visage,

18. Afin de ne pas faire paraître aux hommes que vous jeûnez, mais à votre Père, qui est présent à ce qu'il y a de plus secret; et votre Père, qui voit dans le secret, vous en rendra la récompense.

19. Ne vous faites point de trésors sur la terre, où la rouille et les vers les consument, et où les voleurs les déterrent et les dérobent;

20. Mais faites-vous des trésors dans le ciel, où ni la rouille ni les vers ne les consument, et où il n'y a point de voleurs qui les déterrent et les dérobent:

21. Car où est votre trésor, là aussi est votre cœur.

22. Votre œil est la lampe de votre corps: si votre œil est simple, tout votre corps sera lumineux,

23. Mais si votre œil est mauvais, tout votre corps sera ténébreux: si donc la lumière qui est en vous est ténèbres, combien seront grandes les ténèbres mêmes!

24. Nul ne peut servir deux maîtres; car ou il haïra l'un et aimera l'autre, ou il se soumettra à l'un et méprisera l'autre: vous ne pouvez servir Dieu et les richesses.

25. C'est pourquoi je vous dis: Ne vous inquiétez point où vous trouverez de quoi manger pour le soutien de votre vie, ni d'où vous aurez des vêtements pour couvrir votre corps. La vie n'est-elle pas plus que la nourriture, et le corps plus que le vêtement?

26. Considérez les oiseaux du ciel; ils ne sèment point, ils ne moissonnent point, et ils n'amassent rien dans des greniers; mais votre Père céleste les nourrit: n'êtes-vous pas beaucoup plus qu'eux?

27. Qui d'entre vous peut, avec tous ses soins, ajouter à sa taille la hauteur d'une coudée?

28. Et pourquoi vous inquiétez-vous pour le vêtement? Considérez comment croissent les lis des champs; ils ne travaillent point, ils ne filent point;

29. Et cependant je vous déclare que Salomon même dans toute sa gloire n'a jamais été vêtu comme l'un d'eux.

30. Si donc Dieu a soin de vêtir de cette sorte une herbe des champs, qui est aujourd'hui et qui demain sera jetée dans le four, combien aura-t-il plus de soin de vous vêtir, ô hommes de peu de foi!

31. Ne vous inquiétez donc point, en disant: Que mangerons-nous? ou, Que boirons-nous? ou, De quoi nous vêtirons-nous?

32. (Car les païens recherchent toutes ces choses); car votre Père sait que vous en avez besoin.

33. Cherchez donc premièrement le royaume de Dieu et la justice de Dieu, et toutes ces choses vous seront données comme par surcroît.

34. C'est pourquoi ne vous inquiétez point pour le lendemain; car le lendemain aura soin de lui-même: à chaque jour suffit son mal.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

propter Deum diligit, ut ab amicis mercedem naturalis amicitiæ habeat; à Deo charitatis mercedem non habet. Qui non solùm amicos, sed etiam inimicos diligit, non solùm charitatis erga inimicos, sed etiam erga amicos suæ mercedem habebit; quia Deus non naturam, sed gratiam remuneratur.

NONNE ET PUBLICANI HOC FACIUNT. Publicani à Latinis, τελῶναι à Græcis, מכסים ab Hebræis dicebantur, qui publica pro principe vectigalia colligebant; avaram hominum genus, et omni odiosum populo, eo præsertim tempore, quo Christus ista dicebat, cùm Judæi non suæ gentis regi, sed Romano imperatori tributa pendere cogebantur. Inde enim illa nata est quæstio, an liceret tributum Cæsari dare, Marc. 12, 14; Luc. 20, 22. Publicanos pro publicis et perditis peccatoribus habitos fuisse constat, Matth. 9, 10, 11, 19; et 18, 17; et 21, 31, 32; et Luc. 3, 12, 13. Cui opinioni congruenter loquitur Christus. Fuit et noster Matthæus aliquando publicanus; et in telonio sedit, c. 9, 9, sed ex publicano filium Dei, Apostolum, evangelistam gratia Dei fecit.

VERS. 48.—ESTOTE ERGO VOS PERFECTI, SICUT PATER VESTER. Sicut, non æqualitatem sed qualitatem, similitudinemque declarat; et eam quidem similitudinem, quæ inter Deum et hominem, non quæ inter hominem et hominem esse potest. Sicut Christus orat Joan. 17, 21, *ut simus* unum, sicut ipse cum patre unum est: nec enim illam, quæ inter patrem et filium est, naturalem unitatem æquare possumus; sed possumus tamen imitari. Proponit nobis Christus signum ad collimandum, quò scit nos pervenire non posse; ut quò possumus, perveniamus. Non vult nos eò usque progredi; sed non stare. Vult autem nos omnibus in rebus quàm simillimos esse Patri, sed in eâ maximè, quæ illi est maximè propria, misericordiâ. Itaque quod Matthæus dicit: *Estote perfecti;* Lucas, c. 6, 36, dicit: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.*

CAPUT VI.

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.

2. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,

4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

7. Orantes autem, nolite multùm loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequàm petatis eum.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terrâ.

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodiè.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.

CHAPITRE VI.

1. Prenez garde de faire vos bonnes œuvres devant les hommes, pour en être regardés; autrement vous n'en recevrez point de récompense de votre Père qui est dans le ciel.

2. Lors donc que vous donnez l'aumône, ne faites point sonner la trompette devant vous, comme font les hypocrites dans les synagogues et dans les places publiques pour être honorés des hommes; je vous le dis en vérité, ils ont reçu leur récompense:

3. Mais, lorsque vous faites l'aumône, que votre main gauche ne sache pas ce que fait votre main droite,

4. Afin que votre aumône se fasse en secret, et votre Père, qui voit dans le secret, vous en rendra la récompense.

5. De même, lorsque vous priez, ne faites pas comme les hypocrites, qui affectent de prier en se tenant debout dans les synagogues et au coin des rues pour être vus des hommes; je vous le dis en vérité, ils ont reçu leur récompense:

6. Mais pour vous, lorsque vous voudrez prier, entrez dans votre chambre, et, après en avoir fermé la porte, priez votre Père en secret, et votre Père qui voit dans le secret, vous en rendra la récompense.

7. Or en priant n'affectez pas de parler beaucoup, comme font les païens, qui s'imaginent qu'à force de paroles ils seront exaucés.

8. Ne vous rendez donc pas semblables à eux; car votre Père sait de quoi vous avez besoin avant que vous le lui demandiez.

9. Vous prierez donc ainsi: Notre Père qui êtes dans les cieux, que votre nom soit sanctifié;

10. Que votre règne arrive; que votre volonté soit faite sur la terre comme au ciel;

11. Donnez-nous aujourd'hui notre pain qui est au-dessus de toute substance;

12. Et remettez-nous nos dettes, comme nous remettons nous-mêmes à ceux qui nous doivent;

13. Et ne nous laissez pas succomber à la tentation; mais délivrez-nous du mal. Ainsi soit-il.

14. Car si vous pardonnez aux hommes leurs fautes, votre Père céleste vous pardonnera aussi les vôtres;

15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava,

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt!

24. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ.

25. Idcò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini: nonne anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum?

26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos magis pluris estis illis?

27. Quis autem vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?

28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt: non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni glorià suâ coopertus est sicut unum ex istis.

30. Si autem fenum agri quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos, modicæ fidei!

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

32. (Hæc enim omnia gentes inquirunt): scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.

33. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

15. Mais si vous ne les pardonnez point aux hommes, votre Père ne vous pardonnera point non plus les vôtres.

16. Lorsque vous jeûnez ne soyez point tristes, comme les hypocrites, qui affectent de paraître avec un visage défiguré pour faire voir aux hommes qu'ils jeûnent; je vous dis en vérité qu'ils ont reçu leur récompense.

17. Mais pour vous, lorsque vous jeûnez, parfumez-vous la tête et lavez votre visage,

18. Afin de ne pas faire paraître aux hommes que vous jeûnez, mais à votre Père, qui est présent à ce qu'il y a de plus secret; et votre Père, qui voit dans le secret, vous en rendra la récompense.

19. Ne vous faites point de trésors sur la terre, où la rouille et les vers les consument, et où les voleurs les déterrent et les dérobent;

20. Mais faites-vous des trésors dans le ciel, où ni la rouille ni les vers ne les consument, et où il n'y a point de voleurs qui les déterrent et les dérobent:

21. Car où est votre trésor, là aussi est votre cœur.

22. Votre œil est la lampe de votre corps: si votre œil est simple, tout votre corps sera lumineux,

23. Mais si votre œil est mauvais, tout votre corps sera ténébreux: si donc la lumière qui est en vous est ténèbres, combien seront grandes les ténèbres mêmes!

24. Nul ne peut servir deux maîtres; car ou il haïra l'un et aimera l'autre, ou il se soumettra à l'un et méprisera l'autre: vous ne pouvez servir Dieu et les richesses.

25. C'est pourquoi je vous dis: Ne vous inquiétez point où vous trouverez de quoi manger pour le soutien de votre vie, ni d'où vous aurez des vêtements pour couvrir votre corps. La vie n'est-elle pas plus que la nourriture, et le corps plus que le vêtement?

26. Considérez les oiseaux du ciel; ils ne sèment point, ils ne moissonnent point, et ils n'amassent rien dans des greniers; mais votre Père céleste les nourrit: n'êtes-vous pas beaucoup plus qu'eux?

27. Qui d'entre vous peut, avec tous ses soins, ajouter à sa taille la hauteur d'une coudée?

28. Et pourquoi vous inquiétez-vous pour le vêtement? Considérez comment croissent les lis des champs; ils ne travaillent point, ils ne filent point;

29. Et cependant je vous déclare que Salomon même dans toute sa gloire n'a jamais été vêtu comme l'un d'eux.

30. Si donc Dieu a soin de vêtir de cette sorte une herbe des champs, qui est aujourd'hui et qui demain sera jetée dans le four, combien aura-t-il plus de soin de vous vêtir, ô hommes de peu de foi!

31. Ne vous inquiétez donc point, en disant: Que mangerons-nous? ou, Que boirons-nous? ou, De quoi nous vêtirons-nous?

32. (Car les païens recherchent toutes ces choses); car votre Père sait que vous en avez besoin.

33. Cherchez donc premièrement le royaume de Dieu et la justice de Dieu, et toutes ces choses vous seront données comme par surcroît.

34. C'est pourquoi ne vous inquiétez point pour le lendemain; car le lendemain aura soin de lui-même: à chaque jour suffit son mal.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Attendite, cavete. Dubitari potest, an hæc eadem sit concio, quam Christus in monte habuit, quamque evangelista superiore capite inchoatam, nunc prosequatur. Eamdem enim esse contextus orationis, non eamdem, argumenti dissimilitudo arguit. Hoc probabilius : quia illa superioris capitis ad solos, ut probavimus, apostolos in monte dirigebatur; hæc ad omnes in campo. Illic de Evangelicâ tantùm perfectione apostolis, hic de communium fugâ vitiorum agitur omnibus necessariâ; ita prorsùs, ut si propiùs utramque intueamur, ipsa oratio, orationisque materia de monte in vallem descendisse videatur.

Ne justitiam. Omnes Græci codices pro justitiâ ἐλεημοσύνην, eleemosynam legunt, quemadmodùm Chrysostomus, hom. 19; Auctor Imperfecti, hom. 13; Theophylactus, et Euthymius legit. Latini auctores omnes justitiam, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, tract. 6 in epistolam Joan., et serm. 59 de Tempore, et lib. 2 de Serm. Domini, et Gregorius, lib. 8 in Job., c. 30, et in Pastor. 3 p., admonit. 36, et poeta Juvencus. Etiam inter Græcos, Origenes, hom. 2 in Exod. Credibile est Græcum aliquem non intelligentem, quid hoc loco justitiæ nomen significaret legentemque proximo versu ὅταν οὖν ποιῇς ἐλεημοσύνην, *Cum ergo facis eleemosynam*, mendum putâsse, et pro justitiâ *eleemosynam* posuisse. Ego nostram lectionem multò magis probo, et quia noster interpres et veteres illi auctores Latini, qui ejus versione non utebantur, ita legunt, et quia, ut pro eleemosynâ, scriptorum ignoratione justitia poneretur, nulla fuit ratio; ut autem pro justitiâ poneretur eleemosyna, potuit esse ea quam diximus, et quia vis dicendi postulat, ut primo loco generalis justitia, deinde specialis eleemosyna ponatur, et quia justitiæ nomen צדקה apud Hebræos sæpè pro misericordiâ et eleemosynâ usurpatur, Psal. 102, 18 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum, et justitia ejus in filios filiorum iis, qui servant testamentum ejus.* Repetitionem enim ejusdem esse sententiæ perspicuum est, et quod priori loco חסד misericordia dicitur, posteriori צדקה justitiam appellari, et Psal. 111, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloriâ.* Dispergere enim et dare pauperibus, hoc est, eleemosynam, vocat צדקה justitiam ejus, quem Hebraismum etiam D. Paulus imitatus est, 2 Cor. 9, 10 : *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Fruges enim justitiæ vocat eleemosynas, de quibus agebat, quia sicut fruges in arva, sic illæ in pauperes seminatæ multiplicantur. Sic enim exponit, *dispersit*, et *dedit pauperibus*, id est, seminavit in pauperes. Hinc factum, ut septuaginta interpretes non solùm ubi Hebraicè est צדקה justitia pro eleemosynâ ἐλεημοσύνην, id est, justitiam converterint; sed sæpè etiam, ubi est חסד misericordia, perindè ac si nomen צדקה justitiæ communi usu misericordiam et eleemosynam significaret, ut Genes. 20, 13, et 21, 23, et Deuter. 24, 13. Sic et hoc loco δικαιοσύνην justitia pro eleemosynâ ponitur; ut statim explicatur. *Cum ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te.* Quomodò hæc sententia conveniat cùm illâ : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, cap. 5, 16, disseruimus.

Alioquin mercedem [non habebitis apud Patrem vestrum. Quasi dicat, habebitis quidem apud homines quorum respectu facitis, sicut infra dicit, vers. 2 et 5, receperunt mercedem suam, id est, inanem gloriam apud homines, quam quærebant; apud Patrem autem vestrum non habebitis, cujus causa non facitis, quia æquum est ut quisque laborat, ab eo mercedem accipiat; et ut unius laboris non duplex, sed una sit merces.

Vers. 2. — Noli tuba canere. Quod Euthymius refert dixisse quosdam, quodque Strabus probabile, Lyranus verum putat, consuetudinem aut communiter Judæorum, aut privatim Pharisæorum fuisse, ut cùm eleemosynas daturi erant, tubâ pauperes convocarent; nullo mihi testimonio, nullo probant exemplo, et vanos quidem fuisse scio, tam liberales fuisse nescio. Contra certè Chrysostomus, hom. 19, Auctor Imperf., hom. 13, et Theophylactus in Commentariis sentit. Potius credo ad consuetudinem congregandi tubâ populum, cùm aliquid publicè, aut faciendum, aut edicendum erat, Christum allusisse, ut Joel. 2, 15 : *Canite tubâ in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, coadunate senes, congregate parvulos sugentes ubera;* aut ad tragœdiarum et comœdiarum morem, quarum initio tubis canitur, ut populus admoneatur histrionem exire, oculosque et aures attendat. Nam et hoc loco, quasi tragœdiam, aut comœdiam aliquam Pharisæorum Christus induxit. Primum nomen ipsum ὑποκριτὴς hypocrita, quo utitur, histrionem propriè significat, qui, alia persona cùm sit, aliam agit; ut D. etiam Augustinus admonuit. Deinde verbum quo superiore versu usus est πρὸς τὸ θεαθῆναι, ut spectemini, theatrale est; nam et theatrum ipsum ab eodem dictum est verbo, et tubâ canere proprium est etiam theatri. Significat igitur nihil in hypocritis esse veræ solidæque virtutis; quidquid agunt, simulationem, larvam, tragœdiam et comœdiam esse; ideòque spectari velle, nos solidam debere sequi virtutem, nec alios spectatores quàm Deum desiderare.

In synagogis. Vide cap. 4, 23. Hæreticorum interpretes fere omnes conventicula, aut conciliabula hoc loco reddunt, nimis elevatâ exaggeratione sententiæ. Voluit enim Christus significare solere hypocritas loca quærere maximè frequentia, ut à pluribus videantur, qualis erat Synagoga, in quam, sicut nunc ad templa nostra, omnis populus conveniebat. Sensum minuit quisquis de Synagogâ conciliabulum aut conventiculum facit; quod minus esse quàm Synagogam, vel ipsa vocabulorum indicat diminutio.

Vers. 3. — Nesciat sinistra tua. Quia sinistra

nec scire potest, nec ignorare, dùm metaphoram interpretes quærunt, incredibilem interpretationum varietatem pepererunt. Nonnulli dexteram intentionem servandi præcepta divina, sinistram delectationem humanæ laudis intelligunt, ut Augustinus, lib. 2 de Serm. Domini, et serm. de Tempore, 60; et Gregor. 3 p. Past., cap. 21. Alii dexteram superiorem voluntatem; sinistram inferiorem appetitum, auctor Imperfecti, hom. 13. Alii dexteram populum Christianum, sinistram gentilem, quemadmodùm idem auctor scribit fuisse in quodam Apostolorum canone declaratum. Alii dexteram te ipsum, sinistram uxorem tuam; quam etiam interpretationem August. memorat. Alii dexteram nos ipsos; sinistram conjunctissimum quemque, et familiarissimum amicum; Ambrosius, libro 1 de Officiis, cap. 30, et Euthymius in hunc locum. Rem mihi Chrysostomus, hom. 19, et Theophylactus acu videntur tetigisse, non metaphoricam, sed hyperbolicam esse locutionem, qualem illam superiorem, cap. 5, 29, 30, esse diximus, si oculus tuus scandalizat te, etc. Sensus ergo est, adeò debere nos justitiæ nostræ testes effugere, ut si sinistra manus nostra oculos haberet, videre tamen non posset quid dextera boni faceret. Quod autem contra consuetudinem, quam cap. 5, 39, explicavimus, priùs sinistram quàm dexteram nominavit; et dexteræ actionem sinistræ cognitionem tribuit; ideò factum est, quòd eleemosynam, de quâ loquebatur, non sinistrâ, sed dexterâ porrigere soleamus; et cætera opera, quæ manu fiunt, dextera faciat : sinistra illi tanquàm adjutrix assistat, ita ut si oculos haberet, quidquid dextera faceret, ignorare non posset. Eleemosynam ergo Christus ita vult fieri, ut ne sinistra quidem manus, quæ omnium operum dexteræ non modo conscia, sed adjutrix etiam esse solet, scire possit. Quod cùm in omnibus rectè factis intelligendum est, tum in dandâ eleemosynâ ideò potissimùm commendatur, quòd nec ullâ magis in re gloriam homines quærere soleant; nec in ullâ minus quærere debeant. Eleemosyna, quamvis parva magnum beneficium est pauperi; majus, si latet; si nemo, nisi qui accipit, novit. Qui laudem hominum intuens dedit, sibi, non pauperi dedit. Aut si quid dedit, vendidit, non donavit. Non potuit pauper pretium solvere; sed pro illo alii solvunt; cùm dantem laudant, eum tantùm spectant. Pretium est illi videri. Apud Ecclesiasticum, cap. 29, 15, similis est omninò sententia : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa exorabit pro te ab omni malo.* Non est culpa benefacientes videri; sed velle videri. Nec omninò videri velle; sed propter colligendam humanam laudem videri velle, hoc tantùm hoc loco Christus prohibet. Nam velle propter Deum videri, non prohibet; sed jubet : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*, n. 5, 16.

Vers. 4. — In abscondito. Deo, et tibi soli cognita.

Reddet tibi. Græci codices addunt ἐν τῷ φανερῷ, in aperto, in propatulo. E contrario tempore Augustini Latini codices legebant, Græci non legebant, ut ille, lib. 2 de Serm. Domini, scribit. Itaque suspicio mihi est primos illos codices Græcos, ex quibus translatio Latina, quâ Ecclesia ante Hieronymum utebatur, facta fuerat, hæc verba legisse; post scriptorum vitio in Græcis abolita, in Latinis conservata. Hieronymum verò, cùm jam ipsius tempore in Græcis non legerentur; quia ad Græcorum, ut ipse ait, codicum veritatem Latinam editionem corrigebat, expunxisse de Latinâ, quod non invenit in Græcâ. Nam legenda quidem esse ipsa indicat antithesis : In abscondito et in propatulo, et quòd Lucas, c. 14, 14, pro ἐν τῷ φανερῷ in propatulo, dicat, *in resurrectione*, id est, in ultimo judicio, coram omnibus hominibus, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. Postulat etiam æquitas, atque sententia, ut hoc credamus dixisse Christum nos multò majorem etiam apud homines gloriam habituros, si clam eleemosynam faceremus, quàm qui non aliâ de causâ faciunt, quàm ut gloriam apud homines habeant; quia illi non nisi in paucorum hominum conspectu facere possunt, quorum gloria in judicio coram omnibus hominibus maximæ erit ignominiæ. Nos, qui, cùm facimus, à nemine videri volumus; etiam si nolimus, ab omnibus tunc videbimur, ab omnibus laudabimur. Solet se, et alios ita consolari D. Paulus, ut ad Philippenses, 2, 16 : *Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, nec in vacuum laboravi;* et 2 ad Tim. 1, 12, 18 : *Sed non confundor; scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*; et c. 4, 8 : *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Deus in illâ die justus judex.*

Vers. 5. — Qui amant. Græcè, ὅτι φιλοῦσιν, quia amant. Itaque aut noster interpres pro ὅτι legit οἱ, aut aliquis in ejus versione pro *quia* scripsit *qui*. Facilius fuit ex *quia* facere *qui*, quàm ex ὅτι οἱ. Itaque hoc quidem loco nostram potiùs quàm Græcam versionem judico corrigendam : φιλοῦσιν autem secuti, vertunt *solent*. Meliùs noster interpres, quia non solam consuetudinem, quia sine affectatione nata esse poterat, sed multò magis studium gloriæ Christus reprehendit, ut cap. 23, 6 : *Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.*

In synagogis. Vide vers. 2.

Et in angulis. Non significat hoc loco angulos abditum et secretum locum, ut solet plerumque signi-

Vers. 3. — Nesciat sinistra tua. Omnis os[illegible]tio in bonis operibus fugienda est : hyperbolica quædam locutio est. Si oculos haberet manus sinistra videre non deberet quæ facit dextera.

Vers. 4. — Qui videt in abscondito; Aug. : *Quid est in abscondito, nisi in ipsâ bonâ conscientiâ, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri?* reddet tibi. Græcè, *addit in aperto :* Lucas *in resurrectione mortuorum;* jubet tantummodò ut inanem gloriam fugiamus.

ficare, quemadmodùm cùm dicimus, abdere se in angulum, ut Act. 26, 26 : *Scit enim de his rex, ad quem et constanter loquor ; latere enim eum nihil horum arbitror ; nec enim in angulo quidquam horum gestum est* ; sed potius significat locum maximè publicum, maximè conspicuum, maximè frequentem propter adjunctum, quod sequitur, *plateæ*rum. Plateas enim vocat vicos, et publicas urbis vias, angulos, bivia, et trivia, ubi major hominum concursus diversis venientium viis esse solet ; sicut Thamar, cùm se meretricem esse fingeret, quæ à quamplurimis inveniri velle videretur, sedit in bivio, Genes. 38, 14.

Stantes. Sunt qui putent Judæorum morem fuisse, ut stantes orarent, quòd pluribus in locis, qui orant, dicantur stare, Marc. 11, 25 : *Et cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversùs aliquem* ; Luc. 18, 11 : *Pharisæus stans, hæc apud se orabat*. Non assentior, quia ex aliis locis perspicuum est consuetudinem fuisse flexis genibus orandi. Act. 9, 40 : *Petrus autem ponens genua oravit dicens : Tabitha surge* ; Act. 20, 36 : *Et cùm hæc dixisset* (Paulus), *positis genibus oravit cum omnibus illis* ; et c. 21, 5 : *Et positis genibus in littore oravimus*. Christus etiam flexis genibus orâsse dicitur, Luc. 22, 41. Natura quoque ipsa flexo genu orare docet ; nec est vero simile Pharisæos, qui maximè volebant videri sancti aliter orâsse. Stantes igitur hoc loco interpretor, manentes, fixi, immobiles, quasi homines animo in cœlum rapti, ut infra, c. 20, 3, 6 ; et Marc. 3, 31 ; et 11, 25 ; et Lucæ 18, 11.

Mercedem suam, quâ solâ digni erant, aut quam quærebant, Hieronym. et August.

Vers. 6. — Intra in cubiculum tuum. Multas interpretationes, quas Augustinus et Hieronymus, aliique multi auctores afferunt, quia allegoricæ sunt, prudenter mitto ; et per cubiculum, verum cubiculum intelligo cum Chrysost., homil. 8, in 1 epistolam ad Timoth., et Theophylact. in hunc locum. At non lubet nos ingredi revera in cubiculum, et ostium claudere ; sed tantum inanem hominum laudem fugere. Itaque, qui in publico orat, nolens ab alio quàm à Deo audiri, aut videri, aut si ab hominibus audiri, et videri vult, non propter suam, sed propter Dei laudem vult, is in cubiculo clauso ostio orat ; quia non magis laudem suam quærit, quàm si in cubiculo solus oraret. Contra, qui in cubiculo clauso ostio solus orat, volens tamen, ut homines id sciant, is in plateis orat, et tubâ ante se canit ; et quo se magis abdit, magis prodit, auctor Imperfecti. Non abrogat ergo Christus morem in publico orandi laudabili et Judæorum et Christianorum usu firmatum, 3 Reg. 8, 29 ; Act. 1, 24 ; et 3, 1 ; et 4, 24 ; et 6, 6 ; et 12, 12. Tantùm intentionem animi corrigit. D. Paulus vult in omni loco nos orare levantes puras manus, 1 Tim. 2, 8. Nostrâ factum est negligentiâ, ut oratio, quæ in publico fit, humanam laudem venari possit. Si enim omnes, et ubique oraremus ; singulare non esset in publico quemquam orare ; nec ex eo, quòd ab omnibus fieret, laus ulla quæreretur, majoresque oratio haberet vires, nec humanæ expectatione laudis impedita ; et simul orantium precibus adjuta. *Quasi facta manu*, inquit Tertullianus in Apol., *oramus, hæc vis Deo grata est*. De quâ re Origenes, hom. 7 in Josue, et Chrysost., hom. 3, de incomprehensibili Dei Naturâ, disputârunt.

Vers. 7. — Nolite multum loqui, μὴ βαττολογήσητε, ne minùm loquamini, ne utamini supervacaneis repetitionibus. Verbum est, aut à Batto quodam poetâ, qui ineptis repetitionibus usus dicitur quibusdam ; aut à Batto nescio quo homine balbo, ut aliis placet, derivatum. Illud probabilius. Non enim loquendi in orando barbutiem, et celeritatem Christus reprehendit, quamvis ea etiam meritò sit reprehendenda ; sed supervacaneam et inanem studio affectatam verborum copiam ; ut constat ex sequentibus verbis : *Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur*, quod et Greg. Nyssen., in lib. de Oratione adnotavit. Nec prohibet longas Christus orationes, qui alibi perpetuas impe ravit, Luc. 18, 1, sicut et D. Paulus, 1 ad Thes. 5, 17, et ad Colos. 4, 2, neque loqui, cùm oramus ; neque repetitionibus uti, cùm et ipse orando locutus sit, et ter eumdem sermonem repetiverit, infra, c. 26, 44, et Marci 14, 39 ; sed prohibet eo animo multùm loqui, ut hominibus benè orare videamur : de hoc enim agebat, et existimantes faciliùs Deum multa quàm pauca auditurum verba, ut statim exponit ; putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nec Euchites propterea hæretici habiti sunt quòd multùm orarent, apud Epiphanium, hæres. 80, et apud August., in lib. ad Quodvult., c. 57 ; sed quòd existimarent neminem, nisi continenter oraret, salvum esse posse, non intelligentes, quod Lucæ 18, 1, Christus dicit : *Oportet semper orare, et nunquàm deficere* ; quod non significat debere nos perpetuò, et sine ullâ intermissione orare, quod sciebat Christus à nobis fieri non posse ; sed cùm semel aliquid à Deo postulavimus, nec obtinuimus, non debere propterea fatigari, aut fiduciam abjicere, iterùm atque iterùm nullo definito modo idem orandum ; hâc enim ratione fore ut tandem quod petimus, obtineamus. Hoc illa quæ sequitur parabola significatur : *Judex quidam erat in quâdam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur*, etc.

Ethnici. Errorem ethnicorum fuisse, ut existimarent, quò plura, clarioreque voce loquerentur, faciliùs se à Deo exaudiri, ex 3 Reg. 18, 27, colligitur, ubi Elias alludens ad ethnicorum ritum quem decem tribus Israel imitabantur : *Clamate*, inquit, *voce majore ; Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur*.

In multiloquio. Hebraismus. *In* pro *propter*, ut Marci 9, 38.

Vers. 9. — Sic ergo vos orabitis. Incertum utrùm bis an semel tantùm Dominicam orationem Christus docuerit. Dubitandi causa est, quod Lucas, c. 11, 1, 2, scribat eum à discipulis rogatum : *Domine, doce nos orare, sicut Joannes docuit discipulos suos*, respondisse, *cùm orabis dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum*, etc. Matthæus autem hoc loco non rogatum, sed sponte significare videatur eum concionantem hanc orationem tradidisse. Vix quisquam veterum auctorum hanc quæstionem attigit ; et, qui attigit, Rupertus, bis putat Christum eamdem orandi formam diversâ occasione docuisse. Contrarium tamen mihi videtur probabilius. Quorsùm enim eosdem discipulos bis eamdem orationem docuisset ? Nisi fortè dicamus, quod mihi omninò non displicet, apud Lucam solos discipulos, à quibus rogatus fuerat ; hic omnem turbam auditorum, quæ eam orationem nondùm audiverat, docuisse. Si semel tantùm traditam dicamus, dicendum erit Matthæum non unam solùm Christi concionem recitare, sed quæ ille diversis temporibus, multisque concionibus docuisset, in unum locum conjicere voluisse, ut omnem ferè ejus doctrinam sub unum poneret aspectum.

Sic ergo vos, vos qui laudem apud Deum, non apud homines, ut illi, quærere debetis. Vos, qui meliùs docti à me estis, Deum non multitudine verborum, sed magno orantis affectu, nihil nisi justa, et ad ejus gloriam conducentia petentis, exorari.

Sic. Non his necessario verbis, sed hâc aut simili sententiâ, Augustinus, lib. de Magistro, c. 1, et in epistolâ ad Probam, 121, c. 12 ; et Beda in hunc locum. Nam nec apostolos orando his ipsis verbis usos fuisse legimus ; aliis legimus Act. 1, 24 : *Tu, Domine, qui corda nôsti omnium, ostende quem elegeris ex iis duobus unum*. Sed dùm id ad propagandum Evangelium, et gloriam Dei illustrandam faciunt, si non verbis, re tamen ipsâ dicunt : *Sanctificetur nomen tuum*. Et cùm Dei voluntatem electionemque volunt cognoscere, quid aliud dicunt, quàm : *Fiat voluntas tua ?* Neque Christus his unquàm verbis orâsse dicitur ; in eamdem tamen sententiam oravit : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo ; sed sicut tu vis*, Matth. 26, 39 ; Luc. 22, 42. Sed tamen paucis verbis omnia quæ in hâc oratione docuerat, dicit, exceptis iis quæ dicere non poterat. Nam et ipse patrem appellat, sicut nos appellare docuit ; et, ut ejus nomen sanctificetur, petit, cùm ejus quærit gloriam, *si possibile*, inquit, *est*, id est, si salvâ gloriâ tuâ fieri potest ; absolutè namque fieri posse non ignorabat, et ut ejus voluntas fiat, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, et panem suum quotidianum petit, cùm vitam petit. Solùm non petit, ut debita sibi remittantur, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, 1 Pet. 2, 22 ; et, ut in tentationem non inducatur, qui cadere non poterat, et, ut à malo liberaretur, quem singulari certamine jam vicerat, c. 4, 1. Neque voluit Christus, ut quotiescumque oramus, ista omnia quæ hâc oratione continentur, peteremus, sed ut omnia, aut aliqua, aut nihil certè his contrarium peteremus. Ipse pro crucifigentibus se oravit ; non erat unum ex iis ; sed consentaneum uni ex iis, ut Dei nomen etiam in inimicorum salute sanctificaretur. Meritò tamen Ecclesia tantùm huic orationi tribuit, ut non solùm sententiâ, sed ipsis etiam Christi verbis uteretur. *Amica*, inquit Cyprian. in lib. de Orat., *et familiaris est oratio, Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat pater filii sui verba, cùm qui habitat intùs in pectore, ipse sit et in voce*. Meritò illi inter omnes et privatas et publicos preces primum locum dedit. Dixerat Christus paulò ante : *Nolite multum loqui* ; præscribit nunc brevissimam, quâ utamur, orationis formam. Tamen *brevitas ista*, ait Tertullianus in lib. de Oratione, *magnæ ac beatæ interpretationis substantiâ fulta est, quantumque subtrahitur verbis, tantùm diffunditur sensibus. Qualia sunt*, inquit Cyprianus, *fratres dilectissimi, orationis Dominicæ sacramenta, quàm multa, quàm magna breviter in sermone collecta ; sed in virtute spiritualiter copiosâ, ut nihil omninò prætermissum sit, quod non in precibus, atque orationibus nostris cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur*. Itaque rectè Tertullianus hanc orationem Evangelii breviarium appellavit. D. Augustinus, lib. 2 de Serm. Domini in monte, et hunc omnes deinceps theologi secuti septem petitiones continere docuerunt ; primam : *Sanctificetur, nomen tuum* ; secundam : *Adveniat regnum tuum* ; tertiam : *Fiat voluntas tua* ; quartam : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè* : Quintam, *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* ; sextam : *Et ne nos inducas in tentationem* ; septimam : *Sed libera nos à malo*. Recentiores quidam sex tantùm ; nam ex duabus ultimis unam faciunt. De quâ re non est operæ pretium disceptare. Illud non prætermittendum, quod à multis indicatum est, tres primas petitiones ad honorem Dei, reliquas ad utilitatem nostram pertinere ; quemadmodùm decalogi præcepta in duas divisa sunt tabulas ; in priore erant, quæ ad Deum ; in alterâ, quæ ad proximum pertinebant. Hoc est quod vers. 33, dicitur :

Vers. 6. — Clauso ostio. Aug., c. 3 : *Parum est intrare cubicula, si ostium patent importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt, improbè se immergunt, et interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia et visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, et turbâ vanorum phantasmatum erantibus obstrepunt*.

Vers. 7. — Nolite multum loqui : ne verba futilia profundatis. Aug. : *Et reverâ omne multiloquium à gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius, quàm mundando animo dant operam. Et hoc nugatorii studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur. Arbitrantes Deum sicut hominem judicem verbis adduci in sententiam... Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit*. Itaque animus ipsâ oratione purgatur, et fit capacior ad ea excipienda quæ dare vult Deus. Nam qui orat ut debet, jam aliquo modo dignus est qui accipiat.

Vers. 9. — Pater noster ; Aug., c. 4 : *Quo nomine et charitas excitatur. Quid enim charius filiis esse potest, quàm pater ; et supplex affectus ? Quid enim jam non det filio, cùm hoc ipsum ante dederit, ut filii essent ?* Quæ vox patris communis est toti Trinitati, ac Deus est pater noster non solùm creatione, sed etiam adoptione. Qui es in cœlis, ubi præsentem se exhibet ; noster, et non meus, ut intelligamus nos omnes fratres esse, unius patris filios. Sanctificetur, sanctè colatur. Aug. : *Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus, non in Judæâ, sed in universâ terrâ*.

Quærite ergo primùm regnum Dei. Non vult Deus nostram utilitatem ab honore suo esse disjunctam ; quia nec utile nobis esse potest, quod ipsi honorificum non est. Ideòque honorem suum utilitatis nostræ regulam facit, quam nec, qui sequitur, errare potest ; nec, qui non sequitur, non errare.

Pater. Quòd à nomine Patris exordiri jubet, non ideò tantùm facit, ut fiduciam nobis Deum alloquendi, præbeat, quemadmodùm Tertullianus, Cyprianus, Chrysost., homil. 20, aliique multi interpretes voluerunt ; sed multò magis, ut blando nomine Dei benevolentiam captaremus, et ad concedendum, quod postulamus, Patris eum appellatione moveremus, ut Augustino, lib. 2 de Serm. Domini, placuit. Habet oratio Dominica rhetoricam suam. Hùc spectat, quod c. 7, 11, Christus dicit : *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit bona petentibus se?* Nomen ipsum patris pro nobis orat ; quia patris est filiis necessaria providere, patris est filiis ignoscere. Eodem exordio perditus ille adolescens ad se rediens usus est ; *Pater, peccavi in cœlum et coram te*, Lucæ 15, 18. Admotavit Tertullianus in lib. de Oratione, et August. lib. 2 de Serm. Domini Deum in veteri Testamento non Patrem, sed Dominum vocari voluisse ; quia illi servi erant, nos filii sumus : *Nec enim accepimus spiritum servitutis iterùm in timore ; sed accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus : Abba pater*, Rom. 8, 15. An autem hoc loco solam primam Trinitatis personam, an totam ipsam Trinitatem patrem appellemus ; in utramque partem disputari potest. Plerique ad solum Patrem hæc verba dirigi putant, ut Cyprianus, Chrysostomus, et Rupertus sensisse videntur. Argumento est quòd Christus eumdem suum atque nostrum Patrem, quamvis non eodem modo, vocare soleat : *Ascendo*, inquit, *ad Patrem meum, et Patrem vestrum*, Joan. 20, 17. Magis aliorum probo sententiam, qui totam hic Trinitatem patrem à nobis vocari dicunt. Cur enim Deum patrem appellamus ? primùm, quia creavit ; at non solus Pater, sed tota nos Trinitas creavit. Deinde, quia conservat ; at non solus Pater, sed tota Trinitas conservat. Tertiò, quia redemit ; at non solus Pater, sed tota redemit Trinitas ; tota Trinitas agendo ; solus filius patiendo. Itaque respectu quidem redemptionis solus potiùs Filius, quàm solus Pater, Pater nobis est appellandus. Quartò, quia per gratiam regeneravit ; at tota Trinitas regeneravit.

Noster. Ut non suum quisque privatim, sed nostrum communiter Patrem appellaremus, Christus ideò jubet, quia non privata, sed publica totius Ecclesiæ oratio est, et cùm Deum oramus tanquàm unum Ecclesiæ membrum oramus. Qui aliter orat, orare fortassè potest, ex orare certè non potest. Hoc non à me primùm, sed à Cypriano, lib. de Oratione Dominicâ, ab Ambrosio, lib. 5 de Sacramentis, c. 4, ab auctore Operis Imperfecti, hom. 14 ; ab Augustino, lib. 2 de Serm. Domini ; à Theophylacto, et Euthymio notatum est. Illud etiam à nonnullis illorum notatur indicari his verbis differentiam quæ est inter nos et Christum ; nos Deum non Patrem *meum*, sed, *nostrum* ; Christum non Patrem *nostrum*, sed *meum*, appellare, quia eo modo, quo Pater *noster* est, omnium communiter Pater est ; omnes enim creavit, omnes conservat, omnes nutrit, omnes, quantùm in ipso quidem fuit, etiam redemit. Eo autem modo, quo Christi Pater est, non alterius est Pater. Pater enim illius, non quia creavit, sed quia ex suâ substantiâ genuit ; ideò Patrem peculiariter, inquit Ambrosius, lib. 5 de Sacram., c. 4, suum appellat ; nos verò Patrem communiter nostrum appellamus ; quia illum genuit, nos creavit. Alia magis propria videtur esse ratio, cur et Deum Patrem, et nostrum appellemus, quòd illi regenerati per Christum simus. Manifestum enim est eos qui nec baptizati sunt, nec in Christum crediderunt, hanc orationem pronuntiare non posse, et tamen à Deo creati et tamen conservati, et tamen redempti sunt. Non ergo hoc loco ideò Deum Patrem appellamus, quia tantùm nos creavit, quia conservat, quia redemit, sed etiam quia per fidem et gratiam Baptismi regeneravit : *Dedit* enim *potestatem filios Dei fieri iis qui credunt in nomine ejus*, Joan. 1, 12. Aliis ergo non dedit ; ab aliis pater vocari non potest. Hoc etiam Tertull. et Cyprianus, in lib. de Oratione Dominicâ observârunt. Quare cùm dicimus *nostrum*, non solùm à Christo, sed etiam ab infidelibus hoc verbo distinguimur, et Deum Patrem nostrum, id est, credentium, non infidelium appellamus. Quid ? an non est Pater omnium ? est enimverò, Ephes. 3, 6, sed eorum peculiari ratione, qui in Christum credentes unum cum illo corpus facti sunt. Nos igitur inter Christum et infideles medii sumus. Christus naturalis Dei Filius, infideles quodam modo spurii, quia ab eo creati, quia ad ejus imaginem facti sunt ex naturâ, quasi ex ancillâ, non ex gratiâ, quasi ex liberâ geniti ; sicut Ismael naturali virtute, non sicut Isaac supernaturali gratiâ. Nos filii nec naturales, ut Christus, nec spurii, ut infideles, sed tamen adoptivi, sed tamen legitimi, alioqui hæredes non essemus Dei et cohæredes Christi, Rom. 8, 17.

Qui es in cœlis. Quod multi hæretici, *cœlestis*, uno verbo dicere maluerunt, minimè probo ; non solùm, quia mali sunt auctores, et quia non tam brevitatis, quàm novitatis studio facere videntur ; sed etiam quia veram horum verborum sententiam corrumpunt. Primùm quidem, si Græca verba, ut noster interpres, secuti fuissent, ut, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, verterent, *qui est in cœlis*, errare non potuissent ; et cœlestis dicitur, non solùm, qui in cœlo habitat ; sed qui ex cœlo originem ducit, aut qui de cœlo venit, ut Christus, 1 Cor. 15, 48, 59, et qui cœlesti constant materiâ ; cœlestes globos appellamus. Hic autem certum est Dei habitationem significari, qui ideò in cœlis habitare dicitur, quòd quamvis ubique sit, ibi tamen ejus gloria potissimùm eluceat, quia *in sole posuit tabernaculum suum*, Psal. 18, 6 Sic Psal. 2, 4 : *Qui habitat in cœlis irridebit eos* ; et Psal. 112, 5 : *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat* ; et 122, 1 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*. Scribit Aristoteles, 1 de Cœlo, c. 3, omniam gentium quasi à naturâ insitam opinionem fuisse, Deum in cœlo habitare, unde illud tam frequens apud Græcos poetas natum sit : *Superique habitator Olympi*, Hesiod. Ambrosius et Augustinus cœlos, sanctos interpretantur, in quibus Deus peculiariter dicitur habitare ; sed iste allegoricus, non literalis sensus est.

Sanctificetur nomen tuum. Nomen Dei dicitur, non hoc solùm Deus ; quò eum appellamus, sed hominum de illo existimatio, et quidquid ad illum quoquo modo pertinet, quod tunc ab hominibus sanctificari dicitur, cùm ab illis timetur, amatur, colitur, cùm ejus augetur gloria, cùm bonitas, cùm sanctitas, cùm majestas celebratur. Hebræi enim קדש sanctificare dicere solent, id est, celebrare, ut sanctificare sabbatum, Ezechiel. 44, 24 ; sanctificare jejunium, Joelis, 1, 14. Aut sanctificari Dei nomen dicitur, cùm tanquàm sanctum colitur, et honoratur ; sicut è contrario blasphemari dicitur, cùm sine debitâ ab hominibus reverentiâ tractatur, Isaï. 52, 5, et ad Rom. 2, 24 ; et pollui, cùm tanquàm vile et sordidum habetur. Ezechiel. 20, 39, et 22, 26, et 36, 20, et 39, 7, et 43, 8 ; et Jerem. 7, 30. Atque ad hunc sensum Hieron. in Commentariis, et Augustinus, lib. 2 de Sermon. Domini interpretantur : *Non sic petitur*, inquit August., *sanctificetur nomen tuum, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant*. In eamdem ferè sententiam Gregorius Nyssenus in lib. de Oratione Dominicâ, Chrysost., hom. 20 ; auctor Imperfecti, hom. 14 ; Theophylact. et Euthym. Paulò longiùs à sensu Ambrosius discedit, lib. 5 de Sacram., c. 4 : *Sanctificatos*, inquit, *nos dicit in nomine Domini Jesu Christi, et in spiritu Dei nostri ; hanc sanctificatio, ut in nobis permaneat, oramus*. Cùm autem non dicimus à quibus Dei nomen sanctificari velimus, ab omnibus sanctificari velle significamus. Idcò, inquit Tertullianus, in lib. de Oratione, *suspensâ enuntiatione, non dicentes : Sanctificetur in nobis ; in omnibus dicimus*.

Vers. 10. — Adveniat regnum tuum. Quid hoc loco regnûm Dei appelletur, et quid sit advenire, variæ sententiæ. Nonnulli regnum illud intelligunt, quo Deus in justorum cordibus regnare dicitur ; sicut è contrario in corpore injustorum peccatum dicitur regnare, Roman. 6, 12, et sicut dicitur : *Regnum Dei intra vos est*, Lucæ 17, 21. Ad hunc modum Ambrosius, lib. 5 de Sacramentis, c. 4 ; auctor Imperfecti, hom. 14 ; Hieron. in Commentariis, et lib. contra Pelagianos 3 ; Gregorius Nyssen., in libro de Oratione Dominicâ, et Euthymius. Alii de illo regno accipiendum putant, quo in beatis regnat ; quasi petamus illud, quod jam aliis beatis advenit, nobis etiam advenire ; quasi petamus *dissolvi, et esse cum Christo*, Philippens. 1, 23, sicut dicuntur fideles diligere adventum Christi, 2 ad Tim. 4, 8, et ad Tit. 2, 13, et sicut animæ illæ, quæ subtùs altare sunt, petunt ut vindicetur sanguis fratrum suorum, et corporibus suis iterùm inductæ regno fruantur. Apocal. 6, 9, 10. Ita Tertullianus et Cyprianus in lib. de Orat. ; Chrysost., hom. 20 ; auctor etiam Imperfecti, hom. 14, et Augustinus in epistolâ ad Probam 121. Alii : *Regnum tuum advenit*, id est, gloriâ tua manifestetur hominibus, ut idem August., libro 2 de Sermone Domini. Verus sensus mihi videtur esse quem Theophylactus et Rupertus breviter indicârunt, ut regnum Dei vocetur illud, quo Deus positis omnibus inimicis suis in scabellum pedum suorum, ubique regnaturus est, et ut loquitur Divus Paulus, *erit omnia in omnibus*, 1 Cor. 15, 28. Nam etsi nunc etiam ubique regnat, tamen quia non pacificè et sine hoste ac bello regnat, et quia multi illi quasi rebelles resistunt, regnare non dicitur. Tunc autem subjugatis hostibus, et amicis liberatis, inimicis damnatis, plenè regnare dicetur. Hunc esse sensum ex illo loco D. Pauli, quem notavimus, non obscurè colligitur ; tum etiam ex hoc ipso. Manifestum enim est nos hic non nostrum, sed Dei regnum postulare. Nam tres primæ, ut diximus, petitiones ad Deum ; reliquæ ad nos pertinent. Non est ergo sensus, ut Deus regnet in cordibus nostris ; aut ut nos cum beatis regnemus ; hoc enim ad nos maximè pertinet ; sed ut Deus absolutè et sine adversario regnet. Sic enim dicimus : *Adveniat regnum tuum*, quemadmodùm si filii patri regi pacificum regnum, et victoriam contra hostes precaremur ; non ut nos, sed ut ille regnet. Advenire autem optamus ; sicut illi diligunt adventum Christi, 2 Tim. 4, 8, et ad Tit. 2, 13, et animæ illæ Apocal. 6, 9, 10.

Fiat voluntas tua. Alias Cypriani, Augustini et Gregorii interpretationes, quia allegoricæ sunt, prætermittendas puto. Inter literales illa communis est, ut petamus fieri Dei voluntatem in terrâ, sicut in cœlo, id est, ut ita illi homines obediant, sicut angeli obediunt, Hieronym., Chrysost., hom. 20, auctor Imperfecti, hom. 14, August., lib. 2 de Sermone Domini, Theophylactus et Euthym. Alii paulò aliter : *Fiat voluntas tua in terrâ, sicut in cœlo*, id est, pacificetur terra ; sicut olim cœlum pacificatum est. Nam, ut aliquando in cœlo inter bonos et malos angelos bellum fuisse dicitur, Apocal. 12, 7, dejectoque in terram diabolo, pax in cœlo consecuta est ; ita nunc in terrâ inter diabolum et hominem bellum est ; petimusque, ut victus à terrâ in abyssum dejiciatur, et, ut ait Christus, ut ejiciatur foras, Joan. 12, 31, unde illa consequatur pax, quam angeli nato Christo hominibus annuntiârunt, Luc. 2, 14. Sic Ambrosius, lib. 5 de Sacram., c. 4. Tertullianus verò promptum in nobis, et paratum animum significari putat ; ut quidquid calamitatis, quidquid boni, vel mali Deus nobis immittit, petimus primò ut nomen ejus quaquaversùm celebretur, longè latèque propagetur, et promoveatur, fidelium augeatur numerus ; 2. ut homines perfectè Deo subjiciantur. Innoc. III, lib. 3 Myster. Missæ, c. 25 :

Vers. 10. — Adveniat, Græcè, *veniat* : regnes in omnibus. Sicut in cœlo et in terra, ut ab angelis, sic ab hominibus voluntas tua impleatur. Tres primæ petitiones ad glorificandum Deum pertinent :

tat, patienter feramus, sicut Job dicebat : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, 1, 21. Verùm non videtur restringenda esse generalis sententia, quòd istæ omnes interpretationes faciant. Nam de solâ præceptorum observatione, aut de solâ pace, vel patientiâ interpretari parùm est. Ex omnibus si una confletur, æqualis erit. Petimus ergo ut omnibus in rebus voluntas Dei fiat, non solùm à nobis, sed etiam in nobis; sicut Christus, cùm peccare non posset, dicebat : *Tamen non mea, sed tua voluntas fiat.* Luc. 22, 42, utique non tantùm à se, sed etiam in se.

Sicut in cœlo, ubi nihil est quòd Deo resistat, nihil quod non ad nutum obediat, Psalm. 102, 20, 21 : *Benedicite Domino, omnes angeli ejus potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus*; et : *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui faciùs voluntatem ejus.*

Vers. 11. — Panem nostrum quotidianum. Fructuosus locus : agitur enim de pane nostro; sed et verborum obscuritate difficilis, et interpretationum varietate implicatus. Plerique veteres auctores piè et religiosè, atque ad Ecclesiæ usum accommodatè dixerunt panem nostrum quotidianum Christi corpus appellari. Nam et verus panis est qui de cœlo descendit, et quotidianus, quia aut à singulis, aut à totâ quotidiè sumitur Ecclesiâ, Tertullianus, libro de Oratione; Cyprianus, de Oratione Dominicâ; Ambros., libro 5 de Sacram., c. 4; Marius Victorinus, lib. 3 adversùs Arium; Athanas., in libro de Incarnatione; Juvencus, Hieronymus in Comment., et lib. 3 adversùs Pelagianos. Est in hanc sententiam non minimum argumentum, quòd verò simile esse videatur Christum in tam perfectâ divinâ oratione nihil nos terrenum, nihil non divinum petere docuisse. Obstat tamen quod sequitur : *Da nobis hodiè*, quasi in crastinum petere prohibeamur, ut vers. 34, explicatur. Obstat quòd tanquàm rem quotidiè singulis nobis necessariam postulare videamur; corpus autem Christi quotidiè sumere perquàm utile est; non est tamen necessarium, nec, ut ait Augustinus, ab Orientalibus Christianis ejus tempore sumebatur. Quæ res eumdem impulit Augustinum, lib. 2 de Serm. Domini, ut panem quotidianum nostrum Dei voluntatem interpretaretur, sicut Christus dicebat, Joan. 4, 34 : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*; et Joan. 6, 27 : *Operamini non cibum, qui perit; sed qui permanet in vitam æternam.* Quam interpretationem et Origenes, hom. in Ezech. 14, ante illum adhibuerat. At istum cibum non in hodiernum tantùm diem; sed in omnem omninò vitam petere Christus docuisset; sicut illi dixerunt : *Semper da nobis hunc panem*, Joan. 6, 34, et illa : *Da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam hùc haurire*, Joan. 4, 15. Itaque probabilius est quod idem Augustinus, lib. 1 Locut. in Genes., c. 39, et epistolâ ad Probam 121, c. 12; Basilius in Regul. brev. inter. 252; Chrysost., hom. 20; auctor Imperfect., hom. 14; Gregor. Nyssen. in lib. de Oratione, et Theodoritus in Comment. in c. 4 Epistolæ ad Philippenses dixerunt, panem hoc loco nostrum et quotidianum omnem necessarium cibum appellari; panis autem appellatione omnia ad sustentandam vitam necessaria intelligi debere, id ex omnibus hujus loci circumstantiis manifestum est. Nam et quod nostrum, id est, nobis necessarium; et quod quotidianum, id est, non supervacaneum, et quod in hodiernum, non in futurum petimus; et quòd, vers. 34, eodem sensu prohibemur in crastinum esse solliciti; omnia indicant de cibo corporis agi. At non est verò simile (dicunt quidam) Christum in tam cœlesti precatione quidquam terrenum postulare docuisse. Respondeo non fuisse Christi consilium, ut panem resque necessarias quærere juberet, quod terrenum est, quodque idem Christus, vers. 25, facere prohibet, et ad quod satis sumus naturâ nostrâ proclives; sed ut doceret unde et quatenùs quærere deberemus. Non enim à terrâ, ut pecudes, sed à Deo, ut homines; non in omne tempus, sed in præsentem tantùm diem petere docet. Hoc autem cœleste præceptum non terrenum est. Eò quidem usque, ut etiam Christo docente pauci admodùm faciant. Illud magis movere potest credibile non videri Christum, quantùmvis moderatam corporis curam animæ curæ præposuisse. Id autem fecit, si inter ea quæ nobis ipsis petimus, primo loco panem, secundo remissionem peccatorum, tertio liberationem à tentatione petere docuit. Respondeo Christum non tam ordinem dignitatis rerum, quàm naturæ et infirmitatis nostræ sequi voluisse. Natura priùs vult vivere, deinde benè vivere. Hujus rei Christus rationem habuit. Adde quòd cùm panem docet petere, non tam corporis, quàm animæ curam habet. Exscindit enim maximum et vehementissimum affectum, ex quo major peccatorum pars proficiscuntur; et, ut dicam breviter, hâc petitione cavet, ne peccata fiant, sequente, quomodò facta remittantur.

Nostrum. Qui panem, Christi corpus intelligunt, ii nostrum, id est, fidelium, non infidelium, interpretantur, ut Cyprianus. Alii nostrum, id est, qui nobis à te dari solet; Gregor., lib. 33 Moral., c. 6 : *Ecce et nostrum dicimus, et tamen ut detur oramus : noster quippe fit, cùm accipitur, qui tamen Dei est, cùm ab illo datur. Et Dei ergo est ex munere, et noster fit veraciter per acceptionem.* Alii nostrum, id est, hominum, non pecudum. Alii volunt nostrum vocari illum etiam ipsum, quem jam habemus; quem nihilominùs à Deo petere jubemur, quia cùm Dei potiùs, quàm noster revera sit, non debemus eo priùs uti, quàm utendi à Deo petamus facultatem. Sic auctor Imperfecti; quod verum quidem et pium, sed alienum esse arbitror. Vult enim Christus pravam hominum consuetudinem corrigere, qui nullum avaritiæ suæ modum ponunt, ut ex vers. 19 et sequentibus

Fiat voluntas tua, id est, opere compleatur quod præcipis, quod *consulis, quod mandes.* Aug., lib. de Dono persever., c. 7, ex hâc petitione statuit gratiæ necessitatem.

Vers. 11. — Supersubstantialem, Græcè, ἐπιούσιον, eamdem vocem Interpres, apud Lucam *quotidianum* vertit; ac dicitur supersubstantialis loco substantialis.

perspicuum est. Non solent autem homines, quæ habent, aut industriâ suâ quærere, si mali, aut à Deo petere, si boni sunt; cùm igitur panem petimus, quem non habemus, cur qui divites sunt petunt? Movit quæstionem, idemque explicavit Augustinus pauperes petere, ut habeant; divites ut non amittant. *Et quid eget*, inquit, *dives? audeo dicere : Ipso pane quotidiano eget dives; quare enim abundant illi omnia? unde? nisi quia Deus dedit? Quid habebit, si Deus subtrahat manum suam? nonne multi dormierunt divites et surrexerunt pauperes?* Sic igitur interpretari possumus, ut noster dicatur panis, qui nobis est necessarius. Hoc enim cum Christi consilio benè convenit, qui tantùm nobis vult potestatem facere in præsentem diem necessaria petendi.

Quotidianum. Græcum verbum magnam difficultatem peperit. Vetus interpres quotidianum reddidit, ut ex Hieronymo in hunc locum manifestum est. Atque ita omnes veteres auctores Latini legunt. Hieronymus *supersubstantialem* vertit, quanquàm in eo veterem versionem noluit corrigere. Itaque incautè quidam nostro tempore in vulgatâ editione pro *quotidiano*, *supersubstantialem* posuerunt; quod corporis cibo, quem à nobis peti probavimus, minimè convenit. Alii consubstantialem, id est, ejusdem nobiscum substantiæ reddiderunt, ut inde ὁμούσιον, de quo tantoperè adversùs Arianos disputabatur, confirmarent, ut Marius Victorinus, lib. 3 adversùs Arium. Hieronymus scribit se in Hebræorum Evangelio pro ἐπιούσιος, legisse *crastinum*, quasi inter crastinum, et hodiè antithesis quærdam sit; et hodiè in diem crastinum necessarium petamus panem. Et quidem verborum antithesis rectè congruit; sententia verò non congruit; non enim docet, sed prohibet Christus in crastinum esse sollicitos, vers. 34. Alii exponunt ἐπιούσιον substantiæ nostræ aptè accommodatum, id est, panem cibarium, non delicatum, non supervacaneum; quod non prorsùs malè convenit. Sed nihil æquè mihi videtur convenire, atque ut noster vertit interpres, *quotidianum*, ut intelligitur ex eo quod sequitur, *da nobis hodiè*. Non enim est verborum antithesis, quam quidam, ubi non est, quærunt; sed cognatio, similitudoque sententiæ, quemadmodùm si conjugatis etiam dixisset verbis, *panem nostrum hodiernum*, id est, nobis in hodiernum diem necessarium, da nobis hodiè. Sed vocavit potiùs quotidianum, quàm hodiernum, ut generalior esset sententia, significaretque Deum singulis diebus servis suis necessarium cibum dare solere. Diarium Latini vocant. Petimus ergo à Deo, ut ne patiatur diarium nostrum nobis hodiè deesse. Loquimur enim tanquàm filioli, qui manè in scholam proficiscentes primo loco ejus diei statutam panis portionem postulant. Consonat huic sententiæ Syriaca translatio, quæ pro pane quotidiano legit *panem indigentiæ nostræ*. Unus adhuc angere potest scrupulus, quod ἐπιούσιος non à participio ὄντα, sed à nomine οὐσία, sicut ὁμούσιος et ὁμοιούσιος Græcæ linguæ consuetudine

Vers. 12. — Debita, Lucæ 11, *Peccata*, pœnas quoque culpis debitas. S. Petrus Chrysol., serm. 71 : cadere debeat. Quod si ita est, non præsentis diei cibum, sed substantialem, aut supersubstantialem, aut ad substantiam denique, quæ οὐσία dicitur pertinentem significare potest. Respondeo evangelistam, aut evangelistæ interpretem novo vocabulo, aut veteri novâ significatione uti potuisse, quemadmodùm sæpè Apostoli uti solent. Deinde nisi me conjectura fallit, hebraismum sapere. Dicunt enim Hebræi *substantiam diei hujus*, pro, hunc ipsum diem, ut Gen. 7, 13, et Levit. 23, 14. Sic ergo vocare potuit Evangelista ἐπιούσιον panem, qui ad substantiam præsentis diei pertineret, id est, portionem panis nostri, quæ præsenti diei respondet. Nolo tamen meam valere conjecturam; nisi, qui doctiores sunt approbaverint.

Vers. 12. — Et dimitte nobis debita nostra. Peccata nostra debita vocamus, quia illis tanquàm ære alieno obstricti tenemur Deo. Id constat ex Lucâ, c. 11, 4, qui pro debitis peccata dixit; et ex parabolâ, quæ est infra, c. 18, 27. Quid autem sit peccata remitti, ad Roman., 4, 8, disputavimus : nunc sine disputatione, ne fortè lector erret, admonemus dimitti esse non solùm non imputari, non solùm dissimulari, non solùm tegi, non solùm non puniri, ut novi hæretici fabulantur, sed penitùs etiam tolli, penitùs deleri, et in profundum mare projici, ut Scriptura loquitur, Joan. 1, 9; Isai. 43, 25; Mich. 7, 19. Probârunt ex hoc loco veteres Catholici adversùs Pelagianos neminem in hâc vitâ sine peccato esse, quando omnes dicere jubemur : *Dimitte nobis debita nostra.* Hieronymus, lib. 3 adversùs Pelagianos, Augustinus, lib. 2 contra Ep. Parm., c. 10, et lib. 3 contra duas Ep. Pelag., c. 5, et lib. 3 de peccat. Mer., c. 13, et epist. 89, et hom. 42. Duobus modis Pelagiani respondebant; primùm viros sanctos, cùm hæc dicunt verba, non pro se, sed pro aliis orare, August. lib. 2 de peccator. Mer., c. 10. Deindè non ex veritate, sed ex modestiâ et humilitate dicere. Aug. lib. 2 contra duas ep. Parm., c. 10, quibus iisdem locis respondet.

Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Periculosam nobis videtur Christus regulam tradere. Malè enim omninò nobiscum agetur, si non aliter nobis Deus, quàm nostris nos debitoribus peccata dimittat. At non est regula, sed conditio. Non esse regulam manifestum est; quia Deus nobis et multò plura, et multò majora, et multò liberaliùs, et multò minùs merentibus remittit; quàm nos debitoribus nostris, aut remittere soleamus, aut etiam possimus. Itaque si regula esset, non salutem, sed damnationem potiùs nostram à Deo peteremus. Hoc per illam, quam diximus, parabolam, c. 18, 24, 28, significatur, ubi Dominus servo decem millia talenta remisit; servus conservo centum denarios noluit condonare; nec Dominus propterea dimisit, quòd servus debitori suo priùs dimisisset, quasi ejus exemplo provocatus; sed priùs Dominus dimisit, postea ser-

Homo tu tibi misericordiæ fœtus es ipse mensura, quantùm quæris misericordiæ, fac tantùm.

vus dimittere noluit. Denique regula est, quam imitamur; non autem Deus nos, sed nos Deum in remittendis peccatis imitamur; non ergo nos illi, sed ille nobis regula est. Nos illi conditio sumus, quia si nos debitoribus nostris non remittamus, neque nobis ille remittit, ut supra, c. 5, 23, 24, significatur : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid adversùs te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade reconciliari priùs fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum;* et Marc. 11, 25 : *Cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversùs aliquem, ut et Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.* Et Lucas, c. 11, 4, non dixit : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* sed, *siquidem nos dimittimus omni debenti nobis.* Cur ergo Christus hanc non jam regulam, sed conditionem adjecit, cùm potiùs impedire rei, quam petimus impetrationem, quàm juvare videatur? Respondeo, duabus de causis appositam fuisse; et ad corrigendam orationem nostram, ne nobis à Deo peteremus, quod aliis ipsi nollemus dare; et ad commonefaciendos nos, ut quod à Deo petimus, id nos aliis concedamus. Reliquum est, ut videamus, quo modo sit intelligenda. Nescio qui olim hæretici ita intelligebant, quasi quantumcumque homines peccarent, et quàcumque ratione viverent, modò acceptas injurias condonarent, certò essent fore ut peccata sibi à Deo remitterentur, ut scribit Augustinus, lib. 21 de Civitat., c. 22 et 27, quibus respondet, non ut fiant, sed quia fiunt peccata, ideò dicitur : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Non ergo est sensus fore, ut hâc solâ conditione nobis Deus debita nostra dimittat, si nos debitoribus nostris dimittamus; sed, ut nisi dimiserimus aliis, nec ille nobis dimittat, ut vers. 15 : *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, quare quod paulò ante vers. 14 dictum est : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester delicta vestra*, non absolutè, ut Augustinus admonuit, intelligendum est, sed si cætera accedant, quæ sunt necessaria, si nos peccâsse pœniteat, si animus sit non iterùm peccandi, et si quid est aliud, quod ad peccatorum remissionem requiratur. Nam, ut semel dicam, hoc inter negantes, et affirmantes promissiones, aut conditiones differt : quòd negantes absolutè, et sine aliâ supperadditâ conditione; affirmantes, nunquàm absolutè sed cum exceptione, nisi aliquid impediat, intelliguntur. Unus et idem locus, Marc. 16, 16, illustre utriusque regulæ præbet exemplum. *Qui*, inquit, *non crediderit, condemnabitur.* Hæc enim promissio, quia negans est, absolutè, et sine ullâ conditione est intelligenda, fore ut quisquis non crediderit, quantumvis benè vivat, et quidquid aliud faciat, condemnetur. Quod autem ibidem dicitur : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit;* quia affirmatio est, non absolutè, et sine exceptione intelligendum, sed si cætera habeat necessaria. Sic hoc loco, quod dicitur vers. 15, quia per negationem pronuntiatur, absolutè; quod verò vers. 14, quia per affirmationem, non absolutè, sed cum exceptione intelligendum est. Alteram hujus conditionis explicationem, nimis tamen angustam Augustinus affert, ut nostris debitoribus debita remittamus, id à nobis petentibus, sicut nos à Deo petimus, ut nobis nostra dimittat; et sicut servus ille conservum suum rogabat, *patientiam habe in me*, Matth. 18, 29. Hæc, inquam, interpretatio et sensum nimis stringit, et conscientiam nimis laxat. Jubemur enim Marc. 11, 25, non solùm rogati, sed nostrâ etiam sponte, cùm stamus ad orandum dimittere, si quid adversùs aliquem habemus : quanquàm et generaliter ac sine restrictione de omnibus intellexisse videtur ipse Augustinus, libro 2 de Serm. Domini in monte. Illa difficilior est quæstio, quatenùs debitoribus nostris remittere debeamus, ut nobis Deus debita nostra dimittat. De eâ re copiosè theologi disputant : ad eorum scholam avidum lectorem mittimus. Nos hic ea tantùm, quæ ad hujus explanationem loci necessaria judicamus, dicturi sumus. Hoc ergo non de omnibus debitis, sed de privatis injuriis intelligendum. Mille aureos nummos mihi debes; an, nisi condonavero, Deus mihi peccata mea non condonabit? nequaquàm ita est. Si enim condono, beneficium confero; si non condono, peccatum non admitto. Nec illa obstat parabola Matth. 18, 24, quòd de pecuniæ debito loquatur. Nam per pecuniam peccata sunt significata. Patrem meum occidisti; an necesse est, ut nihil à te exigam, si volo ut nihil à me exigat Deus? minimè. Honorem mihi falsâ criminatione detraxisti; an mihi repetere coram judice non licebit? licebit. Quid ergo? injuriam, non damnum remittamus necesse est, si volumus ut nostræ in Deum injuriæ ab eo nobis remittantur. Injuriam enim à damno subtiliter theologi distinguunt. Cùm patrem meum occidisti, et fecisti injuriam, et damnum attulisti. Injuriam, quia offendisti animum meum, quia contempsisti me; damnum, quia eum mihi eripuisti, qui me alebat, qui docebat, qui tuebatur; damnum repetere possum; injuriam condonare debeo, ita ut nihil propterea velim mali; ut nullas tecum geram inimicitias, et vindictam non quæram. Idem in aliis exemplis intelligendum.

Vers. 13.—Et ne nos inducas in tentationem. Duo hîc explicanda sunt verba; quid sit tentatio, et quid in tentationem inducere. Pelagiani hoc loco non peccatorum contra nos pœnam, quam tentationem Scriptura solet appellare; sed humanos casus, quos ipsi per nos, nisi Deus avertat, effugere non possumus, intelligebant. Auctor Augustinus, epistolâ 94. Nempe, quia in eo errore versabantur, ut existimarent in nostrâ esse potestate, ut nullâ Dei adjuti gratiâ omnia peccata vitaremus; et à Catholicis hoc

Vers. 13. — Ne nos inducas., etc. Aug. : *Multi dicunt, ne nos patiaris induci in tentationem... Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit*, cùm scilicet à nobis antè deseritur. Græci addunt : *Quoniam tuum est regnum*, etc. Quæ verba textui inserta esse ex Græcorum liturgiis verisimile.

loco premebantur, quòd à Deo petamus ne nos in tentationem inducat, quasi non possimus sine ejus auxilio superare, ut Hieronymus, libro adversùs eos 3, Augustinus multis locis argumentantur; hanc interpretationem, tanquàm diverticulum, quâ evaderent, quæsiverunt. Sed ex proximo verbo facilè refelluntur; *sed libera nos à malo*, ubi per malum, ut paulò post docebimus, non potest, nisi diabolus intelligi, tum etiam ex c. 26, 41 : *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem; Spiritus enim promptus est, caro autem infirma*, ubi certum est de peccatorum tentatione agi : quòd ergo illic jubet exercere, hîc docuerat. Quomodò autem nos Deus in tentationem inducat; facilè Calvinistæ respondent, quia nos ad peccandum impellit. Facilè enim est hæreticum esse. Sed stat Jacobi sententia, quam nulla poterit hæresis abolere : *Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, sed unusquisque tentatur, à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus*, c. 1, 13, 14. Vera ac firma omnium semper Catholicorum sententia fuit, Deum, cùm de peccatis agitur, non impellendo, non incitando; sed permittendo tentare, ut Tertul. et Cyprianus, in lib. de Orat. Dominicâ, et August. serm. 124 de Tempore, et sæpè aliàs interpretatur. Hoc constat. Quid autem sit Deum non permittere ut in tentationem inducamur, id non constat. Nam nonnulli interpretantur, non ne in tentationem incidamus, quod dùm carnem circumferimus, fieri non putant posse; sed ne, cùm inciderimus, ab illâ superemur, ut August., lib. 2 de Sermone Domini, et epistol. 121, et Theophylactus in Commentariis in hunc locum. Melius, ut mihi videtur, idem D. Augustinus in lib. de Bono perseverantiæ, c. 6. Tertullianus, Cyprianus, de Orat. Dominicâ, Chrysost., hom. 20, Auctor Imperfect. 14, et Euthymius in hunc locum putant nos rogare, ut non incidamus in tentationem; nostræ enim infirmitatis memores, non solùm, ut vincamus, petimus; sed etiam ne in certamen descendamus, ne fortè vincamur. Hunc sensum Christus, c. 26, 41, prorsùs expressit : *Vigilate*, inquit, *et orate, ne intretis in tentationem; spiritus promptus est, caro autem infirma.* Pugnam ergo, sicut Christus, detrectamus; sed nos cum diabolo, ille cum morte : *Pater, si possibile est transeat à me calix iste*, Matth. 26, 39.

Sed libera nos a malo. Cyprianus omne generaliter malum intelligit; sive peccatum; sive quidvis aliud, quod detrimentum nobis afferat. Alii ad tentationem referunt, quasi sensus sit, ne nos inducas in tentationem, sed libera nos ab illâ, ut August., lib. 2 de Peccatorum meritis, c. 4, et lib. 2 de Sermon. Domini in monte, et Auctor Imperfecti, homil. 14, quod cum alterâ Augustini opinione, de quâ vers. 9 diximus, qui septem esse putat orationis Dominicæ petitiones, non satis benè consistit. Idem enim esset, *ne nos inducas in tentationem*, et *libera nos à malo*; nisi fortè in priore rogamus ne in tentationem incurramus; in posteriore, ut si incurrerimus ab eâ liberemur, quod perexiguum et subtile discrimen est. Magis mihi Tertulliani placet interpretatio, ut per malum diabolus intelligatur : *Ipse*, inquit, lib. de Orat., *à diabolo tentatus præsidem, et artificem tentationis demonstravit*, quod et Chrysostomo, hom. 20, et Chrysostomi sectatoribus Euthymio et Theophylacto placuisse video. Juvat nomen πονηρός, quo diabolus vocari solet, ut supra, c. 5, 37, et infra, c. 13, 19, et additus articulus, quasi malignum illum digito demonstrans. Admonavit Augustinus, lib. 2 de Peccatorum Merit., c. 4, quod ante eum Tertullianus indicaverat, eo artificio has petitiones esse dispositas, ut primâ rogemus præterita nobis dimitti peccata; in secundâ, ut ne in futurorum irritamenta prolabamur; in tertiâ, ut à præsentibus, quibuscum conflictamur, liberemur. Adjecit, inquit Tertul., ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut non de remittendis tantùm; sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus.

Quia tuum est regnum. Hæc verba in Græcis codicibus adduntur : *Quia tuum est regnum, et potestas, et gloria in sæcula, amen;* quæ, quia in nostrâ versione non leguntur, nec in precibus dicere solemus; clamant hæretici, et nobis partim ignorantiam, partim falsi crimen objiciunt; quasi aliàs de nostro commenti Dominicam mutilaverimus orationem. Sed, ut alii ante me monuerunt; non nos hæc verba detraximus; sed Græci solemni precationi addiderunt; unde credibile est, in evangelistæ contextum fuisse translata : quemadmodùm angelicæ salutationi addiderunt : *Quia tu peperisti servatorem nostrum*; et Psalmis : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Estque id Græcorum ingenio et moribus valdè consentaneum, qui ad finem concionum solent adjungere, ὅτι σοῦ ἐστι κράτος, καὶ ἔλεος, καὶ φιλανθρωπία, aut aliquid simile, ut apud Chrysostomum et alios Græcos concionatores sæpè legimus. Confirmat conjecturam, quòd vetustissimi auctores non legant. Et solebant tamen Tertullianus et Cyprianus Græcis potiùs uti exemplaribus, quàm Latinis, maximèque cùm Græca Latinaque dissidebant, et Hieronymus Latinam editionem ad Græcam corrigens veritatem, tamen nec vertit, nec in Commentariis exponit. Nec vero simile est Christum in tam brevi præcisâque oratione non necessaria addidisse verba. Fateor Græcos auctores Chrysostomum, auctorem Imperfecti, Theophylactum et Euthymium legere; fateor et in Hebraico, et in Syriaco Evangelio reperiri. Sed Græci legunt ex consuetudine Ecclesiæ suæ; Hebræus, quia Græcè legit; quantùm enim auctoritatis Hebraicum illud habeat evangelium, in præfatione diximus. Syrus verò, quia credibile est eum ex Græco Evangelium transtulisse, nisi fortè et Syri ex simili precandi consuetudine addiderunt.

Vers. 14. — Si enim dimiseritis hominibus. Quidquid est in his duobus versibus difficultatis supra, vers. 12, explicavimus. Nunc antithesis tantùm inter homines et Deum notanda est : *Si*, inquit, *dimiseritis hominibus*, id est, æqualibus vestris, conservis vestris, ut in parabolâ debitorum, c. 18, 28, 29. Magis enim debet homo homini, servus conservo, quàm homini Deus, servo dominus injurias condonare, quia mortalis

cùm sit, non debet immortales gerere inimicitias, et quia minùs æqualis ab æquali quàm ab inferiore superior, præsertim ab infimo summus offenditur. Jubemur ergo facere quod est minus, ut obtineamus quod est majus; et centum conservis nostris denarios remittere, ut decem millia nobis talenta à Domino remittantur. Hanc vim habet, *hominibus*. Similis sententia Eccles. 28, 1, 2, 3, 4, 5 : *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?*

Vers. 16. — Sicut hypocritæ. De hoc nomine diximus vers. 2.

Tristes, qui tristi sunt vultu; quod non de verâ tristitiâ, sed de severitatis sanctitatisque, ut ait Hieronymus, simulatione est intelligendum.

Exterminant. Sic vertit, non Hieronymus, sed vetus ante illum interpres, ut ex Hilario, can. 5, et Augustino, lib. 2 de Sermone Domini perspicuum est. Nam Hieronymus, demoliuntur, reddendum putat, veterem subreprehendens interpretem, quod nec ipsum est proprium. Melius Hilarius, *conficiunt*, et Chrysostomus, *corrumpunt*, propriùs alii, *obscurant*. Sensus est, hypocritas, ut jejunare videantur, nativum et vegetum colorem, aut tristitiæ simulatione, aut alicujus medicamenti artificio in pallidum tetricumque convertere; contra quàm mulieres faciunt, ut pulchriores appareant.

Mercedem suam, quam quærunt, ut vers. 1, 2, 5.

Tu autem, mutatio numeri, ut vers. 21, ex Hebræorum consuetudine, 4 Reg. 17, 29. Solebant Palæstini, ut ait Hieronymus hoc loco, diebus festis ungi. Nec solùm Palæstini, sed omnes Orientales in lætitiâ, et rebus prosperis ungebantur, ut ex his locis intelligimus, Ruth. 3, 3; 2 Reg. 12, 20, et 14, 2, et 4 Reg. 4, 2, et Judith. 10, 3, et 16, 10, et Esther. 2, 12. Quomodò autem intelligendum sit quòd Christus jubet caput ungere, cùm jejunamus, Chrysost., hom. 21, et auctor Imperfecti, hom. 15; Hieronymus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus rectè exposuerunt; non jubere ut revera caput ungamus, sed ut jejunii fugimus ostentationem, et hilaritatem potiùs atque lætitiam, quemadmodùm qui caput ungunt, quàm tristitiam præferamus; sicut intelligitur quod supra dictum est, vers. 3 : *Neciat sinistra tua quid faciat dextera tua*; et vers. 6 : *Intra in cubiculum tuum*. Aliæ interpretationes, quas partim iisdem auctores, partim Origenes, Hilarius, Basilius, Augustinus, et Beda afferunt, allegoricæ sunt.

Vers 19. — Nolite thesaurizare; μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν, ne thesaurizetis vobis, ut hoc utamur verbo. Vetus interpres in hujusmodi imperandi modis, qui per negationem dicuntur, addere solet verbum, *nolite*; sententiam exprimens, non verba, ut infra vers. 34, et c. 7, 1, 6. Quòd autem quidam Augustinum traducant, quòd ex similibus locis, in lib. de Gratiâ et lib. Arb., liberum hominis arbitrium confirmat, parùm benignè faciunt. Nam et in nonnullis locis est μὴ θέλετε, et si non esset, nihilominùs ex illis liberum probaretur arbitrium; quia nemo, præter hæreticos, tam est insanus, ut Deum nobis præcipere dicat quæ facere non possumus. Et multò profectò illi magis ridiculè et imperitè ex aliis locis ad tollendam, quam Augustinus ex iis ad asserendam libertatem arbitrii, argumentantur. Quid Christus per thesaurum intelligat, non satis compertum est. Hilarius humanam laudem intelligi putat, quam vers. 2, 5 et 16, mercedem appellavit, quam qui consectantur, ii thesaurum non in cælo apud Deum, sed in terrâ apud homines ponunt. Melius alii omnes auctores, quos legisse memini, de terrenis opibus interpretantur. Quod ex vers. 24, confirmatur : *Non potestis Deo servire et mammonæ.*

Vers. 21. — Thesaurus tuus. Græcè ὑμῶν vester, sicut paulò infra καρδία ὑμῶν, cor vestrum. Melius mihi videtur legisse noster interpres; nam et Chrysost. et auctor Imperf., Græci scriptores ita legunt; et hæc numeri mutatio in concione majorem habet vim, ut supra, vers. 17. Apparet autem hoc fuisse proverbium sumptum de medio; qualia multa et in hoc, et in sequente capite reperiuntur, ut illud vers. 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.*

Vers. 22. — Lucerna corporis tui. Græci non addunt, tui. Quod quidam majorem vim habere putant. Ego contra eo pronomine vehementiùs auditorem referri arbitror, præterquàm quòd versu præcedenti jam cœperat secundam alloqui personam; et versu hunc proximè sequente addit : *Si oculus tuus fuerit nequam.* Atque ita legit Hilarius, et Ambrosius in lib. de Dignit. sacerdotali, c. 6, et Augustinus, lib. 2 de Serm. Domini, et inter Græcos auctor Operis imperfecti. Dubitare autem aliquis poterit, quorsùm hæc verba pertineant, et quâ consequentiâ superioribus adhæreant. Chrysost. et auctor Imperf. ita conjungunt. Dixerat paulò ante : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum*; cor est in animo, quod oculus in corpore; declarat ergo ex similitudine oculi corporis non posse se animum benè habere, cùm cor est in thesaurum intentum, et avaritiâ obcæcatum.

Si ergo. Ergo hoc loco non est, ut grammatici loquuntur, illativa conjunctio, sed incœptiva, aut continuativa sententiæ.

Oculus tuus fuerit simplex. Purus, mundus, non pravis infectus humoribus.

hilaritatem potiùs quàm tristitiam vultûs præ se ferant.

Vers. 19. — Tinea, Græcè, erosio, adesio, neque est vermiculi nomen.

Vers. 21. — Oculus, intentio. *Corpus*, sunt opera, Aug., c. 2 : *Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem.*

Totum corpus tuum lucidum erit. Erit veluti oculatum. Nam oculus perexiguus orbiculus ita toti corpori necessarium lumen præbet, ut cùm oculus purus est, totum omninò corpus oculus esse videatur : omnia enim membra ad fungendas actiones suas per oculum vident.

Vers. 23. — Si autem oculus tuus fuerit nequam, malè affectus, vitiatus, immundus. Opponit enim simplici, id est, mundo. Si *ergo*, pro *enim*, redditur enim causa.

Lumen quod in te est, tenebræ sunt. Quomodò lumen tenebræ esse possunt? aut si tenebræ sunt, quomodò lumen vocat? non quia est, sed quia esse debuit; ut, *filii autem regni ejicientur foras*, Matth. 8, 12, id est, qui filii regni esse debuerunt. Et, *justificata est sapientia à filiis suis*, id est, ab iis quos filios sapientiæ esse oportebat, Luc. 7, 35.

Ipsæ tenebræ quantæ erunt? Reliqua corporis membra, quæ naturâ suâ tenebræ sunt, quia nullum nisi ex oculis lumen habent.

Vers. 24. — Non potestis duobus dominis servire. Quorsùm hoc? Respondet Chrysost. hom. 22, et auctor Imperf., 16, quia dixerat, vers. 19 : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ*, quod probat non esse faciendum, quia non possumus Deo servire, et mammonæ. Probabile est, ut ante diximus, vulgare hoc fuisse proverbium; quale illud apud Latinos est : *Nemo potest simul sorbere et flare.* Quo autem modo intelligendum sit, Chrysost., hom. 22, et Theophylactus exponunt, neminem posse duobus dominis servire contraria præcipientibus, quales Deus et mammona esse solent, quod etsi verum est, tamen aliam Christus rationem affert. *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet*; quibus verbis significat neminem duobus dominis non solùm contraria, sed etiam diversa præcipientibus servire posse; quia natura ipsa prohibet ut amor servi in diversos distrahatur dominos; quemadmodùm si divisset nullam mulierem duos maritos habere posse, non modò quia contraria præcipiunt, sed quia conjugalis amor naturâ suâ ejusmodi est, ut nonnisi unius esse possit. Sic unus dominus multos servos habere potest, unus servus multos dominos habere non potest, quia domini est servum non amare, sed regere; servi dominum non regere, sed amare; et imperium dividi potest, amor non potest. Itaque indicat Christus divitias non solùm, cùm iniquè parantur, et injustè dispensantur; sed etiam cùm non iniquè, non injustè; si tamen amantur, ab amore Dei hominem avocare, quia nemo potest duos amare dominos, sicut alibi dixit : *Impossibile est divitem intrare in regnum cælorum*, c. 19, 26. Observavit auctor Imperf., hom. 16, non dixisse, nemo potest duos dominos habere; sed *nemo potest duobus dominis servire.* Dominum autem vocat omnem rem, cui nimis dediti

Vers. 24. — Unum sustinebit. Græcè, uni adhærebit. Aug.: Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur : congruit et punicum nomen; nam lucrum punicè Mammon dicitur.

summus, cui quodammodò servimus, ut Rom. 6, 16 : *Nescitis, quia cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam*, et 2 Petri 2, 19, à quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Sic Basilius in moralibus Regulis 2, c. 1.

Aut enim unum odio habebit. Cùm sententia sit facilis, locus est difficilis : videtur enim opponere unum uni, alterum alteri; et cùm dicit in secundâ parte, *aut unum sustinebit, et alterum contemnet*; incipere à posteriore membro prioris partis, et unum dicere, quem ante alterum dixerat; hoc videtur oratio et consuetudo loquendi postulare. Quod si ita est, apparet inanem esse repetitionem, quemadmodùm si diceret, aut Petrum odio habebit, et Paulum diliget : aut Paulum sustinebit, et Petrum contemnet, et ita plerique acceperunt; quòd cùm alii absurdum esse animadverterent, dixerunt, unum non certum, sed unam aliquam, quam designare velis, personam demonstrare; alterum alteram. Mihi facilis hujus rei explicatio videtur esse, adeò ut pigeat alias interpretationes sine operæ pretio recitare. Unus enim hoc loco accipitur pro primo, alter pro secundo, notissimo omnibus etiam qui Hebraicè nesciunt, Hebraismo. Itaque nomina duos, quos velis, dominos, Petrum et Paulum, aut unum, id est primum Petrum odio habebit, et alterum, id est, secundum Paulum diliget; aut unum, id est, primum Petrum sustinebit; et alterum, id est, secundum Paulum contemnet. Uno dicam verbo, non opponit personam personæ, sed odium personæ ejusdem amori. Similis est locutio apud Lucam, c. 16, 13.

Non potestis Deo servire et mammonæ. Mammon Chaldaicè, mammona Syriscè divitiæ dicuntur, ut Hieronymus hoc loco, et Elias in Thesb. docent. Consonat Punica lingua, quæ Hebraicæ affinis atque Chaldaicæ, lucrum *mammon* appellat, ut August., lib. 2 de Serm. Domini, et serm. 53, de Verbis Domini secundùm Lucam adnotavit.

Vers. 25. — Animæ vestræ. Animam hoc loco pro alterâ hominis parte positam esse ex alterius partis oppositione manifestum est, *nec corpori vestro, quid induamini*; sed quia eâ parte vivimus, anima pro vitâ ponitur Hebræorum consuetudine, ut etiam Augustinus admonuit, ut infra c. 10, 39, et 16, 25; Joan. 10, 11, et 12, 25, et 15, 37, 38, et 15, 13, et aliis locis penè innumeris.

Neque corpori vestro. Nominavit duas res homini charissimas, et de quibus maximè solet esse sollicitus, quia tota in illis vita consistit; vetatque etiam de illis sollicitudinem habere. Non autem omnem prohibet sollicitudinem; sed eam quæ ex diffidentiâ erga Deum proficiscitur, ut apparet ex vers. 26, 28, et 30, et eam quæ à Dei servitute hominem distrahit, ut constat ex vers. 24 : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Denique non omnem improbat sollicitudinem;

Vers. 25. — Anima plus est quam esca; animam pro vitâ : qui vitam dedit, escam non negabit : animam damnat sollicitudinem, non providam diligentiam, Aug. c. 14 : *Ut tu intelligas eum qui dedit ani-*

sed eam quam servus erga Dominum habet; loquitur enim convenienter iis quæ, vers. 24, dixerat, *nemo potest duobus dominis servire.*

NONNE ANIMA PLUS EST QUAM ESCA? Meritò dubitari potest quorsùm spectet hæc ratio. Hieronymus, Augustinus, libro 2 de Sermone Domini; Chrysostomus, homilia 22; auctor Imperfecti, 16; Beda, Theophylactus, Euthymius, et Strabus hujusmodi argumentum esse putant, *nonne anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum?* Quis vobis animam et corpus dedit, nisi Deus? qui ergo quod majus est dedit, et quod minus est, dabit. Sic vult Petrus, ut omnem in illum nostram sollicitudinem projiciamus, certi nos illi curæ esse, epistolâ 1, c. 5, 7. Confirmatur hæc ratio vers. 26, 27, 28, 29, 30. Quòd autem nonnulli quondam monachi hoc loco ad otium et desidiam abutebantur, ideò non laborantes, ut victum quærerent, quòd Dominum omnem corporis sollicitudinem prohibuisse dicerent, ex iis quæ paulò ante docuimus, non omnem sollicitudinem prohiberi, refutari potest; et D. Augustinus integro lib. de Opere monachorum copiosiùs refutavit.

VERS. 26. — RESPICITE VOLATILIA. Quidam olim per volatilia angelos intellexerunt, ut in Commentariis refert Hieronymus. Contra Hilarius, immundos spiritus intelligit, fortassè allegoricè. Sed perspicuum est aves intelligi debere, nisi velimus, non solùm vim argumenti, sed omnem etiam sententiam prorsùs perire. Cur autem aves potiùs quàm alia animalia nominaverit, tres potissimùm causas fuisse arbitror: Primam, quòd volucrit in toto quodammodò mundo exempla nobis divinæ providentiæ proponere. Incipit ergo à cœlo, *respicite volatilia cœli*; et desinit in terram, vers. 28, *considerate lilia agri*. Secundam, quòd cùm in sublimi aere versentur, longiùs à cibo absunt; et tamen Deus pascit illa. Tertiam, quòd terrestria animalia plus in quærendo, et recondendo cibo habere soleant industriæ; itaque Salomon, ut providi et laboriosi esse discamus, mittit nos ad formicam, Proverb. 6, 6, et 30, 25; *Formica*, inquit, *populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.*

CŒLI. Eòdem hoc epithetum pertinet: sunt enim et domesticæ aves, quæ hominum aluntur providentiâ; cœlestes autem solus Deus alit. Lucas c. 12, 24, corvos nominatim dixit, ideò, ut quidam putant, quòd corvorum pulli simul, ut exclusi sunt, à patre et matre deserantur; ita ut ex Dei solâ pendeant providentiâ; ideò de corvis nominatim dictum esse, *quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eo quòd non habeant cibos*, Job. 39, 3; *et qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum*, Psal. 146, 9.

ET PATER VESTER CŒLESTIS PASCIT ILLA. Non dicit: *Pater eorum*, sed: *Pater vester*, quasi dicat: Si Deus illa, cùm et vilissima sint animalia, et eorum ipse pater non sit, tamen providentissimè pascit, quantò magis pascet vos, qui et homines, et ejus filii estis! Poterat, inquit Chrysostomus, hom. 22, in Mose, in Eliâ, et Joanne divinæ providentiæ exempla proponere, quorum Moses quadraginta dies à Deo sine cibo sustentatus est, Exodi 24, 18, Elias et per corvum alitus, avium voracissimam, et quæ maximè cibo eget, 3 Reg. 17, 4, 6, Joannes in solitudine sine ullâ victûs et vestitûs sollicitudine vitam egit, supra, cap. 3, 4. Sed voluit ostendere divinam providentiam ad minimas quasque atque vilissimas etiam res pertinere, nec, ut stulti illi dicebant, cœlo claudi, Job. 22, 14.

NONNE VOS MAGIS PLURIS ESTIS ILLIS? Maluit noster interpres à Latini sermonis consuetudine, quàm à Græcis verbis discedere: Nonne vos longè illis antecellitis? Aut: Nonne vos longè illis estis præstantiores?

VERS. 27. — QUIS AUTEM VESTRUM COGITANS. Quantùmvis intendat nervos ingenii, quantùmvis sese cogitando discruciet μεριμνῶν,

CUBITUM UNUM. Quorsùm hoc dicat, non facile dictu est. Hieronymus, Augustinus, lib. 2 de Serm. Domini; Beda et Strabus in commentariis existimant, sicut paulò ante probavit animam pluris esse quàm escam; ita nunc probare velle corpus pluris esse quàm vestimentum; et Deum, qui istam nobis corporis staturam dedit, conveniens illi vestimentum daturum esse; nos, qui staturam facere non possumus, nec vestimentum illi accommodatum, nisi Deo concedente, reperire posse. At id non hoc loco, sed vers. sequenti facit: ET DE VESTIMENTO QUID SOLLICITI ESTIS? quasi nondùm cœpisset de vestimento disputare. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus. Si non potestis, quantùmvis ætatis et bibatis, ad staturam corporis vestri vel unum cubitum adjicere, nisi Deus augeat, quid de cibo et potu solliciti estis? *neque enim qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*, 1 Cor. 3, 7. Hunc non esse sensum constat ex Lucâ, c. 12, 26: *Si ergo, quod minimum est non potestis, quid de cæteris solliciti estis?* Ex quo loco necesse est ut hunc, si rectè volumus intelligere, interpretemur. Ex Lucâ autem manifestum est, voluisse Christum ab eo, quod erat minus, ad id quod majus erat, argumentari. Vocat ergo minimum, cubitum unum ad staturam corporis adjicere, non comparatione indumenti, aut cibi, aut potûs. Nec enim dubium est, quin majus sit atque difficilius, non dico unum cubitum, sed vel unum pilum corpori nostro addere, quàm victum et vestitum invenire. Sed vocat minimum comparatione totius corporis et animæ, ut rectè auctor Imperfecti animadvertit. Probat igitur Christus his verbis minorem superioris argumentationis propositionem, quam supprimebat. Sic enim argumentatus fuerat: Anima plus est quàm esca, et corpus quàm vestimentum; sub.: Sed animam et corpus, non vos, sed Deus facit; ergo escam et vestimentum non vos debetis quærere, sed Deus. Illam autem partem minoris propositionis, animam et corpus vos facere non potestis, nunc probat.

VERS. 27. — Si Deus efficit quæ minùs sunt necessaria citra operam nostram, multò magis corpus et animum ipse tuebitur. COGITANS, Græcè, *sollicitè agens.*

mam multò facilius escam esse daturum. Non id prohibet, ut honesto labore victus quæratur: sed inordinatam vetat sollicitudinem.

Non potestis unum cubitum facere; ergo multò minùs totum. Quod autem quidam Euthymium secuti putant, ideò potiùs cubitum, quàm palmum, aliamve mensuram nominâsse, quòd capitus propria humani corporis mensura sit; uniuscujusque enim hominis corpus quatuor ejusdem hominis constare cubitis; judicent alii. Ego hoc tantùm compertum habeo, Christum, cùm minimam corporis partem, ut argumentationis vis requirebat, dicere vellet, cubitum appellâsse, non quòd non alia mensura minor sit; sed quòd ea una sit ex minimis. In his enim rebus non subtiliter, sed vulgariter loqui consuevimus: quemadmodùm qui dicit se ne unum quidem assem habere, ut significet nullam se prorsùs habere pecuniam, non ideò assem nominat, quòd minima pecunia, sed quòd ex minimis una sit. Itaque qui Gallicè dicit: Ne unum quidem assem habeo; et qui dicit: Ne unum quidem denarium habeo, quamvis asse denarius minor sit, idem tamen dicit. Simile exemplum supra notavimus, c. 5, 26. Nam quod Matthæus dixit: *Non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem*, Lucas, c. 12, 59, dicit: *donec solvas novissimum minutum*, quod quadrantis media pars erat; idem tamen dicunt, id est, donec omne prorsùs debitum solvas. Sic quod hoc loco Matthæus dicit: *Quis vestrùm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum*, id est, vel minimam partem; supra, c. 5, 36, dissimili argumento, simili sententiâ dixit, *non potes unum pilum album facere, aut nigrum.* Quòd autem Hilarius ad staturam corporis Christi hoc retulit, de quâ loquitur D. Paulus, Ephes. 4, 13, satis apparet non esse litterale.

VERS. 28. — LILIA AGRI. Eâdem ratione, quâ paulò ante non dixit, *volatilia* tantùm, sed, *volatilia cœli*, nunc non tantùm dicit: *Respicite lilia*, sed, *lilia agri*, ut ab hortensibus distinguat, quæ hominum curâ et plantantur et aluntur. Videtur autem Christus hoc exemplo docere voluisse Deum non solùm necessitatis, sed etiam elegantiæ et pulchritudinis nostræ curam habere, ut ne ejus quidem causâ sollicitos nos esse oporteat. Quemadmodùm patres non solùm provident, ne quid liberis suis ad vitam et studia, sed etiam ne quid ad usitatam elegantiam, et honestam recreationem desit. Hùc spectat quod dicit: *Nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est, sicut unum ex istis.* Porrò quod hùc verbis docet jam olim reipsâ docuerat. Hebræos enim per quadraginta annos in solitudine vestivit, Deut. 8, 4: *Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquàm vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.*

VERS. 29. — NEC SALOMON. Proposuit Salomonis potiùs quàm alterius regis exemplum, quia et opibus, et potentiâ, et sapientiâ omnibus qui ante, quique post ipsum fuerunt, antecelluit, 3 Reg. 5, 13, quibus rebus et excogitari, et parari solent ea quæ ad ornamenta corporis pertinent.

IN OMNI GLORIA SUA. Quod quidam novi interpretes vertunt, *cum omni gloriâ suâ*, ut *in* pro *cum*, sicut apud Hebræos, accipiatur, probare non possum; quia et à propriâ verborum significatione nullâ coacti necessitate discedunt, et vim sententiæ non exprimunt. Non enim est sensus, ne Salomonem quidem, quantùmvis inclytus et gloriosus fuerit, tam eleganter vestiri potuisse, ut isti videntur existimare; sed ne Salomonem quidem, etiam tum, cùm in summo fastigio gloriæ suæ erat, ita potuisse vestiri. Est enim καθ' ὑπερβολὴν, quia ex regibus maximum nominat Salomonem; ex Salomonis verò temporibus, illud, quo ejus gloria atque potentia maximè vigebat. Itaque meliùs noster vertit interpres.

VERS. 30. — SI AUTEM FŒNUM. Non oportuit contraria in liliis exaggerare, summam pulchritudinem et infimam vilitatem. Pulchritudinem, ut eam Salomonis anteponeret elegantiæ; vilitatem, ut ostenderet nihil tam vile, nihil tam abjectum esse, cujus Deus summam non habeat curam. Cùm de pulchritudine agebat, *lilia*, cùm de vilitate *fœnum* appellavit. Solet Scriptura, quæ vilissima et brevissimæ vitæ sunt, fœno comparare, Psal. 36, 2, et 71, 16, et 91, 8, et 101, 5, 12, et 102, 15 et 128, 6, et Eccles. 14, 18. Isai. 37, 27, et 40, 6.

VERS. 33. — QUÆRITE. Solliciti estote de regno Dei; sicut dixerat vers. 25: *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, nec corpori vestro, quid induamini*, et vers. 28, *et de vestimento quid solliciti estis?* et 31: *Nolite ergo solliciti esse.* Illi enim sollicitudini hanc opponit; supervacaneæ necessariam, malæ bonam. Ergo. Græcè ἢ, *autem*, id est, quærite non illa, sed regnum Dei.

PRIMUM. Non videtur dicendum fuisse *primùm*, sed, *tantùm*; non enim significat illa secundo loco quærenda, cùm paulò ante omninò quæri prohibuerit. Scio quosdam aliter respondere, ego tamen ita respondeo Christum non omninò vetuisse cætera quærere; sed ita quærere, ut eorum sollicitudo à Dei regno quærendo nos avertat; ita quærere, ut illis servire videamur: non enim possumus duobus dominis servire, vers. 24. Quærere autem secundo loco, id est, propter regnum Dei, non vetuit, sed docuit. Nam in oratione Dominicâ, postquàm præcepit dicere: *Adveniat regnum tuum*; præcepit etiam ut diceremus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*, quasi reipsâ ostendens quid esset quod hoc loco dicit: *Primùm quærite regnum Dei*, ut Chrysostom., hom. 23, et Euthym. observârunt. Objicitur, quod statim sequitur, *et hæc omnia adjicientur vobis*, quasi non quærentibus, quasi non sollicitis, quasi non petentibus. Respondeo adjici, quia non primo loco quærantur; quod autem non primo loco, ac propter se, sed secundo, et propter Deum quæritur, quæri non videtur, quia non ipsum, sed Deus in ipso quæritur. Tum etiam, quòd hæc sæpè etiam à Deo non quærentibus, neque cogitantibus adjiciantur, ut paulò infra dicemus.

REGNUM DEI. Quidam illud regnum intelligunt de quâm arentes stipulæ mittuntur in clibanum, ad calefaciendum.

VERS. 33. — JUSTITIAM EJUS, Græcè, κἀκεῖνο, Dei jus-

quo vers. 10, dixit, *adveniat regnum tuum*, ut Chrysost. et Euthym., quod perbellè quidem conveniret, nisi constaret hìc non agi de iis quæ Deo, sed de iis quæ nobis ipsis petimus; et nisi sequeretur statim, *et justitiam ejus*, quam certum est, nobis quærere debere, non Deo. Alii beatam vitam interpretantur, quasi dicat, studete primùm ad regnum Dei pervenire, ut auctor Imperf., hom. 16, et Beda, idemque Euthymius in Commentariis. Possumus etiam regnum Dei Dei gratiam accipere, quam in primis tanquàm animarum nostrarum vitam quærere debemus, sicut Luc. 17, 21, dicitur : *Regnum cœlorum intra vos est.*

Et justitiam ejus, κἀκεῖνο Dei, quod hæreticorum patriarcha Calvinus non animadvertens, scripsit hunc genitivum vel ad Deum, vel ad regnum referri posse, quod, etsi puerilis erroris est, tacitè præterirssem, sciens ejusmodi potiùs inconsiderantiam, quàm ignorationem in viros quamvis doctos cadere posse; nisi certus essem illum, si quis id dixisset Catholicorum, insolenter more suo fuisse risurum. Vocatur autem Dei justitia, quàm Deus nobis præscripsit, quasi dicat : Curate inprimis Dei facere voluntatem; curate ejus observare mandata, sicut Zacharias et Elisabeth dicuntur in omnibus justificationibus, id est, mandatis Dei ambulàsse, Lucæ. 1, 6. Possumus etiàm intelligere ipsum regnum Dei, per expositionem *justitiam ejus appellari*; sicut ait D. Paulus Rom. 4, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, gaudium, et pax in Spiritu sancto.*

Hæc omnia adjicientur vobis. Videtur mihi metaphora esse sumpta à rebus vilibus, quæ in rerum pretiosarum emptione, non computantur in pretium, sed dantur pro corollariis. Illustre Salomonis exemplum est, qui cùm non opes, non gloriam, non potentiam sed sapientiam ad regendum populum Dei, id est, solum Dei regnum quæsivisset; cætera etiam illi, quæ non petivit, data sunt, 3 Reg. 3, 13. Similes sententiæ sæpè in Psalmis occurrunt, Psal. 33, 11 : *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, et 110, 5, *escam dedit timentibus se.*

Vers. 34. — Nolite ergo. Hanc vim habet : Volatilia cœli et lilia agri sollicita non sunt, et tamen Deus pascit ac vestit ea; non ergo vos, qui ejus estis filii, debetis esse solliciti; aut, cùm hæc, de quibus vos maximè estis solliciti, etiam de illis non solliciti, sed tantùm regnum Dei quærentibus adjiciantur, nolite pro illis esse solliciti, nolite vos sine ullà necessitate sollicitudine cruciare, parcite vobis ipsis : *Sufficit enim dici malitia sua.*

In crastinum. Indicat in hodiernum aliquam nos sollicitudinem habere posse, sed petendi potiùs à Deo, quàm industriâ nostrâ quærendi : videtur enim alludere ad illud, quod vers. 11, docuit petere, *panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*. Lucas, cap. 12, 29, dixit, μὴ μετεωρίζεσθε, ne sitis longâ futuri sollicitudine suspensi, ne philosophemini apud vos de rebus longè remotis, sicut mathematici cùm de cœlo disputant; ut illi qui apud Jacobum cap. 4, 13, dicunt : *Hodiè aut in crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus.* Crastinum pro futuro accipi ex Hebræorum consuetudine Hilarius et Hieronymus admonuerunt, ut Gen. 30, 33 : *Et respondebit mihi cras justitia mea.*

Crastinus enim dies, sollicitus erit sibi ipsi, μεριμνήσει ἑαυτῇ, sollicitus erit de iis quæ ad ipsum pertinent; id est, satis vobis sollicitudinis afferet ad quærenda ea quæ, cùm venerit, erunt in ipso necessaria : loquitur, ut ait Chrysostomus, hom. 25, de die re inanimatâ per prosopopœiam, quasi sollicitus esse posset; aut, ut ego arbitror, eâdem metonymiâ, quâ mors dicitur pallida, quia homines pallidos facit. Sic enim dies dicitur pro rebus suis esse sollicitus, quia nos pro illis sollicitos reddit.

Malitia sua. Sollicitudo, de quâ agebat, quam κακίαν, id est, malitiam, id est, afflictionem et vexationem appellat, ut Tertul. lib. 2 contra Marcion.; Hieronym., in Commentariis; Chrysost., hom. 25; August., lib. 2, de Serm. Domini; Euthymius et Theophylactus exponunt; κακίαν autem dixisse pro κάκωσιν Hieronymus monuit. Superest quæstio de veritate sententiæ, quomodò nos in crastinum sollicitos esse prohibeat, cùm Christus ipse loculos habens, Joan. 12, 6, et 13, 29, utique non solùm in crastinum, sed in plures etiam dies sollicitus fuisse videatur. Certè Joseph evangelicus vir sanctitatis in septennium magnâ etiam laude prudentiæ sollicitus fuit, Genes. 41, 35, 48, et Apostoli ad futuram famem annonam parandam curaverunt, Act. 11, 29, et Salomon nos, ut discamus de futuro solliciti esse, ad formicam mittit, Proverb. 6, 6, et 30, 25, et, si in crastinum sollicitos esse non licet; neque plantare, neque serere licebit, quæ non nisi sollicitudine futuri fiunt. Respondet Aug. per crastinum bona temporalia intelligenda, quæ quærere non debeamus : at de bonis temporalibus nos sollicitos esse posse, aliquando etiam debere, superioribus probatur exemplis. Auctor Imperfecti in crastinum esse sollicitum interpretatur pro rebus non necessariis sollicitudinem gerere. At etiam loquitur Christus de necessariis, de victu, atque vestitu, *respicite volatilia cœli*, vers. 26; *et de vestimento quid solliciti estis?* vers. 28; et, *nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* vers. 31; et, *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, ibidem. E superioribus ergo eliciendus est sensus. Non omnem in futurum sollicitudinem prohiberi superiora docent exempla; quæ autem prohibeatur, ex his quæ toto capite dicta sunt, colligendum est. Primùm ea prohibetur, quæ impedit, quominùs quæramus regnum Dei, vers. 33. Deinde ea quæ nascitur ex diffidentiâ adversùs Deum : *Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei*, vers. 30; affert dies. Aug. : *Sufficit quod sumere urgebit necessitas ipsa.*

titiam, quæ nobis est à Deo. Quam Deus nobis præscribit mandatorum observationem.

Vers. 34.—Malitia sua. Afflictio et molestia quam

postremò ea quæ non sequitur, sed præcedit sollicitudinem regni Dei, quod primo loco quærere debemus; et quæ tanta est, ut illi serviamus, quia duobus dominis servire non possumus, vers. 24.

CAPUT VII.

1. Nolite judicare, ut non judicemini.

2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.

3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui : et trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodò dicis fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo : et ecce trabs est in oculo tuo?

5. Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne fortè conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

7. Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.

8. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.

9. Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis : hæc est enim lex et prophetæ.

13. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.

14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam!

15. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

16. A fructibus eorum cognoscetis eos : numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

22. Multi dicent mihi in illâ die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?

23. Et tunc confitebor illis : Quia numquàm novi vos : discedite à me, qui operamini iniquitatem.

24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum

CHAPITRE VII.

1. Ne jugez point, afin que vous ne soyez point jugés;

2. Car vous serez jugés selon que vous aurez jugé les autres, et on se servira envers vous de la même mesure dont vous vous serez servis.

3. Pourquoi voyez-vous une paille dans l'œil de votre frère, tandis que vous ne voyez pas une poutre qui est dans votre œil?

4. Ou comment dites-vous à votre frère : Laissez-moi ôter la paille qui est dans votre œil; et voilà la poutre que vous avez vous-même dans le vôtre?

5. Hypocrite, ôtez premièrement la poutre de votre œil, et alors vous verrez comment vous pourrez tirer la paille de l'œil de votre frère.

6. Gardez-vous bien de donner les choses saintes aux chiens, et ne jetez point vos perles devant les pourceaux, de peur qu'ils ne les foulent aux pieds, et que se retournant ils ne vous déchirent.

7. Demandez, et on vous donnera; cherchez, et vous trouverez; frappez, et on vous ouvrira :

8. Car quiconque demande, reçoit; et celui qui cherche, trouve; et l'on ouvrira à celui qui frappe.

9. En effet, qui est celui d'entre vous qui donne une pierre à son fils lorsqu'il lui demande du pain?

10. Ou, s'il demande un poisson, lui donnera-t-il un serpent?

11. Si donc, vous, tout méchants que vous êtes, vous savez donner de bonnes choses à vos enfants, à combien plus forte raison votre Père qui est dans les cieux donnera-t-il de bonnes choses à ceux qui les lui demandent!

12. Faites donc aux hommes tout ce que vous voulez qu'ils vous fassent; car c'est là la loi et les prophètes.

13. Entrez par la porte étroite; car la porte de la perdition est large, et la voie qui y mène est spacieuse, et il y en a beaucoup qui y entrent.

14. Que la porte de la vie est petite! que la voie qui y mène est étroite, et qu'il y en a peu qui la trouvent?

15. Gardez-vous des faux prophètes, qui viennent à vous couverts comme des brebis et qui au dedans sont des loups ravissants.

16. Vous les reconnaîtrez par leurs fruits. Peut-on cueillir des raisins sur des épines ou des figues sur des ronces?

17. Ainsi tout arbre bon produit de bons fruits, et tout arbre mauvais produit de mauvais fruits.

18. Un bon arbre ne peut produire de mauvais fruits, et un mauvais arbre n'en peut produire de bons.

19. Tout arbre qui ne produit point de bons fruits sera coupé et jeté au feu.

20. Vous les reconnaîtrez donc par leurs fruits.

21. Ceux qui me disent, Seigneur, Seigneur, n'entreront pas tous dans le royaume des cieux; mais celui-là y entrera qui fait la volonté de mon Père qui est dans les cieux.

22. Plusieurs me diront en ce jour-là : Seigneur, Seigneur, n'avons-nous pas prophétisé en votre nom? n'avons-nous pas chassé les démons en votre nom? et n'avons-nous pas fait plusieurs miracles en votre nom?

23. Et alors je leur déclarerai : Je ne vous ai jamais connus; retirez-vous de moi, vous qui faites des œuvres d'iniquité.

24. Quiconque donc entend ces paroles que je dis et les pratique, sera comparé à un homme sage qui

quo vers. 10, dixit, *adveniat regnum tuum*, ut Chrysost. et Euthym., quod perbellè quidem conveniret, nisi constaret hìc non agi de iis quæ Deo, sed de iis quæ nobis ipsis petimus; et nisi sequeretur statim, *et justitiam ejus*, quam certum est, nobis quærere debere, non Deo. Alii beatam vitam interpretantur, quasi dicat, studete primùm ad regnum Dei pervenire, ut auctor Imperf., hom. 16, et Beda, idemque Euthymius in Commentariis. Possumus etiam regnum Dei Dei gratiam accipere, quam in primis tanquàm animarum nostrarum vitam quærere debemus, sicut Luc. 17, 21, dicitur : *Regnum cœlorum intra vos est.*

Et justitiam ejus, κἀκεῖνο Dei, quod hæreticorum patriarcha Calvinus non animadvertens, scripsit hunc genitivum vel ad Deum, vel ad regnum referri posse, quod, etsi puerilis erroris est, tacitè præterirssem, sciens ejusmodi potiùs inconsiderantiam, quàm ignorationem in viros quamvis doctos cadere posse; nisi certus essem illum, si quis id dixisset Catholicorum, insolenter more suo fuisse risurum. Vocatur autem Dei justitia, quàm Deus nobis præscripsit, quasi dicat : Curate inprimis Dei facere voluntatem; curate ejus observare mandata, sicut Zacharias et Elisabeth dicuntur in omnibus justificationibus, id est, mandatis Dei ambulàsse, Lucæ. 1, 6. Possumus etiàm intelligere ipsum regnum Dei, per expositionem *justitiam ejus appellari*; sicut ait D. Paulus Rom. 4, 17 : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, gaudium, et pax in Spiritu sancto.*

Hæc omnia adjicientur vobis. Videtur mihi metaphora esse sumpta à rebus vilibus, quæ in rerum pretiosarum emptione, non computantur in pretium, sed dantur pro corollariis. Illustre Salomonis exemplum est, qui cùm non opes, non gloriam, non potentiam sed sapientiam ad regendum populum Dei, id est, solum Dei regnum quæsivisset; cætera etiam illi, quæ non petivit, data sunt, 3 Reg. 3, 13. Similes sententiæ sæpè in Psalmis occurrunt, Psal. 33, 11 : *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, et 110, 5, *escam dedit timentibus se.*

Vers. 34. — Nolite ergo. Hanc vim habet : Volatilia cœli et lilia agri sollicita non sunt, et tamen Deus pascit ac vestit ea; non ergo vos, qui ejus estis filii, debetis esse solliciti; aut, cùm hæc, de quibus vos maximè estis solliciti, etiam de illis non solliciti, sed tantùm regnum Dei quærentibus adjiciantur, nolite pro illis esse solliciti, nolite vos sine ullà necessitate sollicitudine cruciare, parcite vobis ipsis : *Sufficit enim dici malitia sua.*

In crastinum. Indicat in hodiernum aliquam nos sollicitudinem habere posse, sed petendi potiùs à Deo, quàm industriâ nostrâ quærendi : videtur enim alludere ad illud, quod vers. 11, docuit petere, *panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*. Lucas, cap. 12, 29, dixit, μὴ μετεωρίζεσθε, ne sitis longâ futuri sollicitudine suspensi, ne philosophemini apud vos de rebus longè remotis, sicut mathematici cùm de cœlo disputant; ut illi qui apud Jacobum cap. 4, 13, dicunt : *Hodiè aut in crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus.* Crastinum pro futuro accipi ex Hebræorum consuetudine Hilarius et Hieronymus admonuerunt, ut Gen. 30, 33 : *Et respondebit mihi cras justitia mea.*

Crastinus enim dies, sollicitus erit sibi ipsi, μεριμνήσει ἑαυτῇ, sollicitus erit de iis quæ ad ipsum pertinent; id est, satis vobis sollicitudinis afferet ad quærenda ea quæ, cùm venerit, erunt in ipso necessaria : loquitur, ut ait Chrysostomus, hom. 25, de die re inanimatâ per prosopopœiam, quasi sollicitus esse posset; aut, ut ego arbitror, eâdem metonymiâ, quâ mors dicitur pallida, quia homines pallidos facit. Sic enim dies dicitur pro rebus suis esse sollicitus, quia nos pro illis sollicitos reddit.

Malitia sua. Sollicitudo, de quâ agebat, quam κακίαν, id est, malitiam, id est, afflictionem et vexationem appellat, ut Tertul. lib. 2 contra Marcion.; Hieronym., in Commentariis; Chrysost., hom. 25; August., lib. 2, de Serm. Domini; Euthymius et Theophylactus exponunt; κακίαν autem dixisse pro κάκωσιν Hieronymus monuit. Superest quæstio de veritate sententiæ, quomodò nos in crastinum sollicitos esse prohibeat, cùm Christus ipse loculos habens, Joan. 12, 6, et 13, 29, utique non solùm in crastinum, sed in plures etiam dies sollicitus fuisse videatur. Certè Joseph evangelicus vir sanctitatis in septennium magnâ etiam laude prudentiæ sollicitus fuit, Genes. 41, 35, 48, et Apostoli ad futuram famem annonam parandam curaverunt, Act. 11, 29, et Salomon nos, ut discamus de futuro solliciti esse, ad formicam mittit, Proverb. 6, 6, et 30, 25, et, si in crastinum sollicitos esse non licet; neque plantare, neque serere licebit, quæ non nisi sollicitudine futuri fiunt. Respondet Aug. per crastinum bona temporalia intelligenda, quæ quærere non debeamus : at de bonis temporalibus nos sollicitos esse posse, aliquando etiam debere, superioribus probatur exemplis. Auctor Imperfecti in crastinum esse sollicitum interpretatur pro rebus non necessariis sollicitudinem gerere. At etiam loquitur Christus de necessariis, de victu, atque vestitu, *respicite volatilia cœli*, vers. 26; *et de vestimento quid solliciti estis?* vers. 28; et, *nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* vers. 31; et, *scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*, ibidem. E superioribus ergo eliciendus est sensus. Non omnem in futurum sollicitudinem prohiberi superiora docent exempla; quæ autem prohibeatur, ex his quæ toto capite dicta sunt, colligendum est. Primùm ea prohibetur, quæ impedit, quominùs quæramus regnum Dei, vers. 33. Deinde ea quæ nascitur ex diffidentiâ adversùs Deum : *Si autem fœnum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei*, vers. 30; affert dies. Aug. : *Sufficit quod sumere urgebit necessitas ipsa.*

titiam, quæ nobis est à Deo. Quam Deus nobis præscribit mandatorum observationem.

Vers. 34.—Malitia sua. Afflictio et molestia quam

postremò ea quæ non sequitur, sed præcedit sollicitudinem regni Dei, quod primo loco quærere debemus; et quæ tanta est, ut illi serviamus, quia duobus dominis servire non possumus, vers. 24.

CAPUT VII.

1. Nolite judicare, ut non judicemini.

2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.

3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui : et trabem in oculo tuo non vides?

4. Aut quomodò dicis fratri tuo : Sine, ejiciam festucam de oculo tuo : et ecce trabs est in oculo tuo?

5. Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos : ne fortè conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

7. Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.

8. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.

9. Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis : hæc est enim lex et prophetæ.

13. Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam.

14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui inveniunt eam!

15. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

16. A fructibus eorum cognoscetis eos : numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere.

19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

22. Multi dicent mihi in illâ die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?

23. Et tunc confitebor illis : Quia numquàm novi vos : discedite à me, qui operamini iniquitatem.

24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum

CHAPITRE VII.

1. Ne jugez point, afin que vous ne soyez point jugés;

2. Car vous serez jugés selon que vous aurez jugé les autres, et on se servira envers vous de la même mesure dont vous vous serez servis.

3. Pourquoi voyez-vous une paille dans l'œil de votre frère, tandis que vous ne voyez pas une poutre qui est dans votre œil?

4. Ou comment dites-vous à votre frère : Laissez-moi ôter la paille qui est dans votre œil; et voilà la poutre que vous avez vous-même dans le vôtre?

5. Hypocrite, ôtez premièrement la poutre de votre œil, et alors vous verrez comment vous pourrez tirer la paille de l'œil de votre frère.

6. Gardez-vous bien de donner les choses saintes aux chiens, et ne jetez point vos perles devant les pourceaux, de peur qu'ils ne les foulent aux pieds, et que se retournant ils ne vous déchirent.

7. Demandez, et on vous donnera; cherchez, et vous trouverez; frappez, et on vous ouvrira :

8. Car quiconque demande, reçoit; et celui qui cherche, trouve; et l'on ouvrira à celui qui frappe.

9. En effet, qui est celui d'entre vous qui donne une pierre à son fils lorsqu'il lui demande du pain?

10. Ou, s'il demande un poisson, lui donnera-t-il un serpent?

11. Si donc, vous, tout méchants que vous êtes, vous savez donner de bonnes choses à vos enfants, à combien plus forte raison votre Père qui est dans les cieux donnera-t-il de bonnes choses à ceux qui les lui demandent!

12. Faites donc aux hommes tout ce que vous voulez qu'ils vous fassent; car c'est là la loi et les prophètes.

13. Entrez par la porte étroite; car la porte de la perdition est large, et la voie qui y mène est spacieuse, et il y en a beaucoup qui y entrent.

14. Que la porte de la vie est petite! que la voie qui y mène est étroite, et qu'il y en a peu qui la trouvent?

15. Gardez-vous des faux prophètes, qui viennent à vous couverts comme des brebis et qui au dedans sont des loups ravissants.

16. Vous les reconnaîtrez par leurs fruits. Peut-on cueillir des raisins sur des épines ou des figues sur des ronces?

17. Ainsi tout arbre bon produit de bons fruits, et tout arbre mauvais produit de mauvais fruits.

18. Un bon arbre ne peut produire de mauvais fruits, et un mauvais arbre n'en peut produire de bons.

19. Tout arbre qui ne produit point de bons fruits sera coupé et jeté au feu.

20. Vous les reconnaîtrez donc par leurs fruits.

21. Ceux qui me disent, Seigneur, Seigneur, n'entreront pas tous dans le royaume des cieux; mais celui-là y entrera qui fait la volonté de mon Père qui est dans les cieux.

22. Plusieurs me diront en ce jour-là : Seigneur, Seigneur, n'avons-nous pas prophétisé en votre nom? n'avons-nous pas chassé les démons en votre nom? et n'avons-nous pas fait plusieurs miracles en votre nom?

23. Et alors je leur déclarerai : Je ne vous ai jamais connus; retirez-vous de moi, vous qui faites des œuvres d'iniquité.

24. Quiconque donc entend ces paroles que je dis et les pratique, sera comparé à un homme sage qui

suam supra petram :

25. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram.

26. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam :

27. Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.

28. Et factum est, cùm consummàsset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinâ ejus.

29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum et Pharisæi.

a bâti sa maison sur la pierre ;

25. Et la pluie est descendue, et les fleuves se sont débordés, et les vents ont soufflé et sont venus fondre sur cette maison, et elle n'est point tombée, parce qu'elle était fondée sur la pierre ;

26. Mais quiconque entend ces paroles que je dis et ne les pratique point, sera semblable à un homme insensé qui a bâti sa maison sur le sable ;

27. Et la pluie est descendue, et les fleuves se sont débordés, et les vents ont soufflé et sont venus fondre sur cette maison, et elle est tombée, et la ruine en a été grande.

28. Or, Jésus ayant achevé ces discours, le peuple était dans l'admiration de sa doctrine ;

29. Car il les enseignait comme ayant autorité, et non pas comme leurs docteurs et les pharisiens.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Nolite. Primùm hoc loco quærendum quo vinculo hæc cum superioribus copulentur. Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini existimat, propterea quòd, superiore capite, temporalium rerum sollicitudinem Christus prohibuerat, nunc eos qui eos non quærunt commonefacere, ne malè de quærentibus judicent, cùm benè et malè queri possint ; et existimare debeant eos, qui quærunt, bono animo quærere ; sicut D. Paulus cùm idolothytis vesci prohibebat, 1 Cor. 8, tamen non vult, ut qui illis non vescuntur, de vescentibus malè judicent, quia possunt, aut per ignorantiam, aut bono animo vesci. *Qui*, inquit, *non manducat, manducantem ne judicet*, Rom. 14, 3. Auctor Imperfecti vult cum oratione Dominicâ jungi. Dixerat enim c. 6, 12 : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* ; et vers. 14 : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis peccata vestra ; nolite ergo judicare, et non judicabimini.* Ego jam monui non esse anxiè quærendam in evangelistis sententiarum connexionem, quia res non eo ordine scribere voluerunt, quo factæ à Christo, vel dictæ sunt. Quod præcipuè in ejus concionibus observatur, in quibus nec omnia quæ dixit, nec eo, quo dixit ordine recensent, contenti præcipua ejus doctrinæ capita commemorare. Quòd si quam nobis licet ex argumenti similitudine conjecturam docere ; credibile est hæc verba non in communi ad populum concione ; sed in illâ ad apostolos privatâ, quam Matthæus, 5 c. recitavit, dicta fuisse, esseque cum vers. 48 capitis quinti jungenda : *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est* ; et quia hoc modò sententia sententiæ, verba verbis benè cohærent, et quia Lucas, c. 6, 36, 37, ita conjungit.

Judicare. Interpretatio est Hilarii, can. 5 ; Ambrosii, lib. de Paradiso, c. 5, nolite judicare de judiciis et promissis Dei, ne ab eo judicemini, sicut Jacobus, c. 4, 11, ait : *Qui detrahit fratri, judicat legem ; si autem judicas legem ; non es factor legis, sed judex.* Alii interpretantur, *nolite judicare*, id est, severi esse in proximos, et injurias ab illis acceptas animo conservare ; ut auctor Imperfecti, hom. 17. Alii *judicare* pro condemnare accipiunt, ut Euthymius et Theophylactus. Alii non condemnationem tantùm aliorum, sed etiam judicium prohiberi putant, August. lib. 2 de Sermone Domini, et serm. 202, de Tempore ; Basilius, in Reg. brev. 164 ; Hieronym., in Commentariis ; Chrysost., hom. 24 ; Anastas., q. 85 ; Beda et Rupertus. Quod ego etiam verum puto ; credo tamen non solùm judicium, sed etiam curiositatem in alienos mores inquirendi prohiberi, quia sic condemnationi judicium, sicut sententiæ judiciali inquisitionem anteponit. Nam quod sequitur, *nolite condemnare, et non condemnabimini* ; ut paulò post docturi sumus, non ejusdem, ut multi existimant, expositio sententiæ, sed alia sententia est. Quærit Hieronymus, Chrysostomus, Anastasius, August., Beda et Euthymius, quomodò Christus de aliis judicare prohibeat, cùm aliquando adeò manifesta eorum peccata sint, ut non possimus de illis non malè judicare. Video patrantem cædem, video alienam uxorem contractantem, an non judicabo peccare ? Legimus etiam D. Paulum non judicàsse modò, verùm etiam Corinthium illum condemnàsse ; 1 Cor. 5, 3 ; legimus quosdam alios Satanæ tradidisse, ut discerent non blasphemare, 1, ad Tim. 1, 20. Legimus Petrum Ananiam et Saphiram interemisse, Act. 5, 1. Legimus Christum apostolis judicandi de peccatis tradidisse potestatem ; infra, c. 16, 19, e. 18, 18 ; Joan. 20, 23, et 21, 15. Legimus nobis omnibus præcepisse ut rectum judicium judicaremus, Joan. 7, 24. Argumentatur etiam Hilarius, si omninò judicandum non est, quomodò dicit : *In quo judicio judicaveritis judicabimini ?* Rectè Hieronymus respondet, non prohibui Christus judicare, sed docuit. Primum certum est non prohibuisse eos qui, non solùm publicam potestam, sed publicam etiam habent obligationem de aliis judicandi, quales sunt judices et magistratus, cujusmodi et apostoli fuerunt. Illud etiam certum, non prohibuisse de apertis judicare, de quibus « certis, et facilè reprehendunt, qui magis amant « vituperare, et damnare quàm emendare, atquè corrigere : quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ. Vox judicare, eadem condemnare significat. »

D. Paulus dicit : *Quorumdam peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium*, 1 Timot. 5, 24. Præterea neque de dubiis, modò non ultra quàm quò nos ducunt indicia, judicemus. Quæ omnia rectè sunt à theologis diffinita. De aliis, quæ benè et malè interpretari possumus, malè judicare prohibuit ; id enim à nobis charitas exigit, quæ *non cogitat malum*, 1 Cor. 13, 5. Sic Basilius, August. et Beda iis locis quos paulò ante designavimus ; nisi quòd August. nimiùm videtur sensum restringere, *hoc*, inquit, *loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Non enim de animo solùm alterius, sed etiam de rebus ipsis dubiis judicare prohibemur, Rom. 14, 4, 10, 13, et 1 Cor. 4, 5 ; Jacob 4, 11, 12. Illud autem maximè vetat Christus, ne cùm ipsi fisdem aut majoribus fortè peccatis obstricti simus, curiosè de aliorum minoribus judicemus. Hoc enim sequitur vers. 3 : *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ?* Et Roman. 2, 1 : *Propter quod, ô homo inexcusabilis es, omnis qui judicas : in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas ; eadem enim agis, quæ judicas*, ut Basilius, Chrysostomus, auctor Operis imperfecti, et Euthym. monuerunt. Multò verò magis, ne de aliis detrahendo judicemus : duplicem enim illi de quo detrahimus, facimus injuriam, et quòd ipsi bonam de illo, ut charitas postulat, opinionem non habemus, et quòd quam alii habent, denigramus, Jacob. c. 4, 11 : *Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi.*

Et non judicabimini. Τὸ μὴ κρίθῆτε, *ut non judicemini.* Noster interpres videtur legisse, καὶ μὴ κριθήσεσθε, eodem sensu, sed hebraismo καὶ, *et*, pro ὅτι, *et* futuro tempore indicativi pro præsenti conjunctivi. Quidam, *et non judicemini*, ad homines referunt, quasi dicat, si vultis ut alii de vobis non judicent, ne judicetis de illis ; sicut dicit vers. 12 : *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis*, et c. 26, 52 : *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, et Isai 33, 1 : *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis ? væ qui spernis, nonne et ipse sperneris ?* Videtur hunc sensum confirmare verbum hoc loco, et apud Lucam, c. 6, 38, sine certâ personâ positum, *quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Alii meliùs ut mihi videtur, ad Deum, ut Chrysost., homil. 14, et auctor Imperf., 17 ; August., lib 2 de Serm. Domini, Beda et Euthymius. Credibile enim est Christum judicium potiùs Dei, quàm hominum iis qui de aliis temerè judicant, comminari voluisse ; multò enim est terribilius. Hoc ipsum postulat antithesis, nolite de hominibus judicare, ne à Deo judicemini. Adde quòd, ut docuimus, hæc sententia cum fine quinti capitis hæret : *Estote ergo misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est* ; ibi autem, vers. 7, dictum erat : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, non dubium quin à Deo, aut, ut alii putant, cum c. 6, vers. 15 : *Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*, ubi non hominum, sed Dei judicium nobis proponitur.

Nolite condemnare, et non condemnabimini. Hæc verba nunc Græci non legunt ; nec videntur veteres Latini legisse. Tertullianus, lib. de Patientiâ ; Hilarius in commentariis, Ambros., in lib. de Paradiso, c. 11 ; August., lib. de Serm. Domini, 2 ; Beda, Strabus, Rupertus, Chrysost. certè, hom. 24 ; auctor Imperfecti, 17 ; Euthymius et Theophylactus non legunt, et putant recentiores interpretes ex margine, ubi fortè aliquis, ut illa verba, *nolite judicare*, exponeret, scripserat, *nolite condemnare*, in contextum fuisse translata. Ego mihi legenda esse certò persuadeo, nosterque mihi interpres instar omnium auctorum est. Magnum etiam argumentum, quòd apud Lucam, c. 6, 37, eadem verba legantur, et credibile non sit idem utroque loco vitium accidisse. Accedit quòd singuli versus singulis constant sententiis, et ferè pares sunt ; si autem hæc verba tollantur, mutilus remanebit versus, et tam brevis, quàm nescio an ullus alius in toto novo Testamento reperiatur. Condemnare autem alios non idem est hoc loco, quod judicare, ut Theophylactus et Euthymius existimant ; sed judicando condemnare. Hoc enim sententiæ gradus postulat, quæ ex communi consuetudine sumpta est, quâ judicium condemnationem antecedit. At quomodò possumus nos, dicet aliquis, cùm publicam non habeamus auctoritatem, alios condemnare ? Respondeo solere nos quantùm in nobis est, damnare alios ; id est, æternâ aut temporali pœnâ dignos judicare, quod Christus vetat facere. Sic Simon ille Pharisæus mulierem illam peccatricem damnavit, Lucæ 7, 39. Christus absolvit, *remittuntur tibi peccata tua*, vers. 48. Sic Pharisæi publicanos damnabant, et extra omnem spem salutis ponebant, Matth. 9, 11. Christus autem ex illis apostolos fecit, vers. 9. Denique prohibemur his verbis Dei, qui solus verus est judex, officium occupare. ut, 1 Cor. 4, 5 : *Nolite ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.*

Vers. 2. — In quo enim judicio. Hebraismus בַּמִּשְׁפָּט אֲשֶׁר תִּשְׁפְּטוּ pro בְּמִשְׁפָּט secundùm judicium, quo de aliis judicaveritis, de vobis judicabitur. Quod Hilarius argumentatur, quomodò in quo judicio judicabimus, judicabitur de nobis, si omninò non licet nobis judicare ? explicari potest ; non enim omninò, sed malè judicare prohibemur. Quod si fecerimus, malè quoque, id est, severè de nobis judicabitur. Illud difficilius quod multis locis Augustinus quærit, ut lib. 2, de Serm. Domini, et epistolâ 49, q. 4, et lib. 2 Quæst. evang. c. 8, et Beda, Chrysostomus, et Euthymius in hæc verba ; quomodò, in quo judicio judicabimus, de nobis judicabitur ? an eadem est, si minùs gradu, saltem proportione quâdam : durè et sine misericordiâ judicabitur, qui in judicando proximo durum se præbuerit.

Vers. 2 — Judicabimini à Deo semper, ab hominibus sæpè : proverbium est Hebræorum in lib. Zoar. Deus enim peccata suppliciis compensat, ac mensura

si nos de aliis temerè, injustèque judicaverimus, temerè de nobis Deus, injustèque judicabit? Augustinus et Beda respondent sensum esse, non Deum, sed judicium ipsum nostrum temerarium, et injustum de nobis judicaturum, id est, causam futurum ut de nobis judicetur. Respondendum potiùs videtur non spectari hìc omnes judicii qualitates, sed solam curiositatem, severitatemque judicandi. Quâ enim curiositate atque severitate de aliis judicaverimus, eâdem de nobis Deus judicabit. Cùm autem *eâdem* dico, non re, sed proportione eamdem intelligo; nam ejus misericordia et bonitas infinita semper partibus major est nostrâ; sed tamen proportione quâdam, quo nos erga alios severiores fuerimus, hoc etiam erga nos severior ille erit.

Et in qua mensura mensi fueritis. Videtur Lucas, c. 6, 38, significare, non eâdem nobis, quâ mensi fuerimus, sed majore mensurâ remetiendum. *Mensuram*, inquit, *bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Utrumque verum est, et eâdem et majore mensurâ nobis remetiendum. Eâdem, si proportione; majore, si rem datam consideres. Quomodò proportione eâdem, jam exposuimus: quomodò re majore, facilè intelligetur. Nam sive futuram gloriam, sive pœnam, quam nobis Deus adjudicat spectemus, multò major est, quàm quâ nos alios condemnando dignos judicamus. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Roman. 8, 18, et, *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2 Cor. 4, 17. Eodem modo gentilium objectioni respondendum est, qui hanc olim sententiam calumniabantur, quasi non eadem mensura futura esset, cùm altera esset æterna, altera temporalis, ut scribit Augustinus, epistolâ 48 et 49, et libro. 21 de Civitate, c. 11, quanquam aliter Augustinus illis respondet. Ethanc et plerisque alias ex iis quæ sequuntur, proverbiales fuisse sententias opus non est lectorem admonere, quia et ipsum per se manifestum est, et multi jam interpretes monuerunt.

Vers. 6. — Nolite dare sanctum canibus. Quorsùm hoc? Auctor Imperfecti, hom. 17, refert ad cap. 5, vers., 44, 45, ubi Christus dixerat: *Diligite inimicos vestros, et benefacite iis qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos;* adhibere nunc ejus sententiæ moderationem, ne ita diligant, ut sine judicio et discrimine dent canibus sanctum, et margaritas porcis projiciant. Alii, quia proximo versu quinto de aliorum correctione mentionem fecerat; *ejice prius trabem de oculo tuo*, *et tunc videbis ejicere festucam ae oculo fratris tui*; admonere nunc ne dent sanctum canibus, porcisque margaritas, id est, ne ubi nulla proficiendi spes est, correctionem adhibeant, quæ nunc theologorum regula est; sic Strabus. Alii, quia c. 6, 23, simplicitatem docuerat: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*; nunc prudentiam docere, *nolite sanctum dare canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos*, sicut alio loco dicit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ*, c. 10, 16; sic Augustinus, lib. 2, de Sermone Domini. Ego partem sermonis in monte ad apostolos habiti esse arbitror, quia ad eos propriè pertinet, qui alios docturi sunt; sed, ut sæpè diximus, evangelista Christi sententias non quo ordine ab illo dictæ fuerant, sed quo sibi in mentem veniebant, recitavit. Quid vocet sanctum, quid margaritas, quos canes, quos porcos appellet, difficilè non est; non convenit tamen omnibus. Quidam sanctum Baptismum, Eucharistiam, cæteraque sacramenta, margaritas evangelicæ prædicationis mysteria vocari putant; nam indignis nec ecclesiastica sacramenta conferenda, nec fidei nostræ mysteria patefacienda sunt, auctor Imperfecti, homil. 18. Hinc consuetudinem natam esse, ut iis qui baptizati non essent, nec videre, nec audire corpus et sanguinem Christi, cùm nominabatur, licitè reputarentur, ut multis locis Chrysostomus et Augustinus indicare solent. Canes eâdem, et porcos plerique distinguunt. Nam quidam, ut hoc loco Hieronymus scribit, porcos infideles, canes Christianos, qui post receptam fidem ad vomitum revertissent, dixerunt appellari. Contra Chrysostomus, et Euthymius canes infideles, porcos carnales Christianos intelligunt. Nam et Christus infideles canes vocat, cùm dicit, *non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus*, c. 15, 26. Mihi Augustini placet opinio, idem per sanctum et margaritas, per canes et porcos significari; sicut apud Petrum, epistolâ 2, c. 2, 22, idem duplici metaphorico proverbio altero canis, altero porci significatur, *tanquàm canis reversus ad vomitum suum, et tanquàm sus lota in volutabro luti*. Aut si quid est differentiæ, per sanctum omne mysterium; per margaritas, quæ inter mysteria maxima et quasi pretiosissima sunt, intelligi oportere. Per canes autem et porcos duo hominum sive fidelium, sive infidelium genera notari, quibus tradenda mysteria non sunt; eos qui tantùm contemnunt, ut canes nihil inter sanctum et profanum discernentes; et eos, qui non solùm contemnunt, sed insuper irritantur, et magis nocent, ut porci. Cur autem illi per canes, hi per porcos significentur, postea docebimus. Quærit Chrysostomus, hom. 24, et

Vers. 5. — Trabem. Aug. « Primò abs te expelle « odium, deinde jam poteris eum quem diligis emendare. »

Vers. 6. — Sanctum; Aug., c. 20: *Sanctum est quod violare atque corrumpere nefas est*... Ante porcos. Aug.: « Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro « contemptoribus positos non incongruè accipimus. « Doctrina cœlestis oblatrantibus, aut impuris hominibus prostitui non debet.

Augustinus, lib. 2, de Sermone Domini, quomodò vetet Christus divina mysteria indignos docere, cum alibi locis omnes sine discrimine doceri jubeat, ut c. 10, 27: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aurem auditis, prædicate super tecta*; et Marci 16, 15: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. Respondent in hanc ferè sententiam, illic agi de Evangelio ipso per se, quod cùm omnibus ad salutem sit necessarium, omnibus est sine personarum exceptione prædicandum; hìc autem de idoneis auditoribus, et prudentiâ Evangelii cum illis communicandi: quòd si aut nulla spes utilitatis, aut timor etiam certus damni sit, prædicandum illis non est, ne non solùm operæ pretium, sed ipsa etiam opera perdatur. Sic Christus apostolis dicit Joan. 16, 12: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*. Sic Paulus, 1 Cor. 3, 1, 2, queritur se non potuisse Corinthiis tanquàm spiritualibus, sed tanquàm carnalibus loqui, et ut parvulis in Christo lac, non solidum dedisse cibum. Sic ad Hebræos, 5, 12, scribit: *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursùm indigetis ut doceamini, quæ sint elementa sermonum Dei, et facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo*. Sic Paulus et Timotheus prohibentur à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ, quia non erant auditores recepturi, Act. 16, 6. Sic Judæis Antiochenis, quia non modò verbum Dei non recipiebant, sed pedibus etiam conculcabant, id est, conviciis afficiebant, et conversi apostolos discerpere conabantur, id est, mortis illis periculum concitato populo creabant, Paulus et Barnabas dicunt: *Vobis quidem oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, Act. 13, 46. Sic Hymenæum et Alexandrum, qui verbum Dei conculcabant, idem Paulus Satanæ tradidit, ut discerent non blasphemare, 1 Tim. 1, 20. Sic eos fugiendos, non docendos monet, qui quemadmodùm Jannes et Mambres restiterunt Mosi, ita ipsi veritati resistebant, 2 Tim. 3, 8. Sic Alexandrum ærarium vitare jubet, quia valdè ipsius verbis contradicebat, 2 Tim. 4, 15. Sic Joannes Diotrephem., 3 Joan. 9 et 10. Denique non vult Christus canibus et porcis sua projici mysteria, id est, animalibus hominibus, qui non percipiunt ea quæ sunt Spiritûs Dei, 1 Cor. 2, 14. Oblici potest Judas, cui quamvis indigno, quamvis cani ac porco, corpus et sanguinem suum omnium mysteriorum maximum Christus tradidit, ut major veterum auctorum pars existimaverunt. Sed primùm, Christi consilia, quia eorum nos sæpè latent causæ, non semper nobis imitanda sunt. Deinde, Judas peccator quidem erat, sed occultus, nec negato singulariter sacramento indicandus, ne mors Christi omnium mysteriorum caput impediretur. Cur sanctum, non margaritas canibus; margaritas, non sanctum porcis dari vetuerit, quæstio est, quæ non omninò caret operæ pretio. Puto cùm sanctum dicit, ad vetera respicere sacrificia, quorum carnes sanctæ erant, nec licebat canibus dare, aut in alium, quàm in Dei, et sacerdotum, eorumque qui sacrificium obtulerant usum convertere. Carnes autem non solent porcis, sed canibus dari; qui inter sanctas et profanas minimè discernunt. Propterea dicit: *Nolite dare sanctum canibus*. In porcis et margaritis contraria est ratio; non enim propterea dicit: *Nolite projicere margaritas ante porcos*, quòd porcis margaritæ projici soleant, sed quòd minimè soleant; nihilque porco, fœdissimæ et spurcissimæ pecudi, minùs quàm margaritæ pretiosissimus conveniat ornatus. *Circulus*, inquit, *aureus in naribus suis mulier pulchra, et fatua*, Proverb. 11, 22. Nisi forte alludit ad consuetudinem glandes porcis projiciendi, quemadmodùm in calidioribus fit regionibus; et respicit similitudinem quæ inter glandes et margaritas videtur esse, quasi dicat: Videte ne porcis pro glandibus margaritas projiciatis, sicut vers. 9 et 10, dicit: *Quis est ex vobis homo, quem, si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?* Lapis enim pani, serpens pisci similis est. Alia superest dubitatio, cur de porcis dixit, *et conversi disrumpant vos*, de canibus non dixit? cùm non porci soleant disrumpere, sed canes. Respondeo ingratam porcorum stoliditatem notare voluisse, qui in eum qui cibum porrigit impetum solent facere, et, nisi jaciat, disrumpere. Fideliores canes, qui non mordendo, sed blandiendo; non dentibus, sed caudâ cibum petunt. Porcis ergo stupidi quidam homines similes sunt, qui conculcatâ verâ doctrinâ falsam vi armorum exigunt.

Vers. 7. — Petite et dabitur. Sæpè monuimus, cùm evangelistæ Christi conciones recitant, non esse laborandum quo modo inter se sententiæ cohæreant. Sed non sunt bonorum auctorum interpretationes contemnendæ. Hilarius can. 6; Chrysost. hom. 24, auctor Imperfect. 18, Euthymius et Theophylactus existimant propterea nunc Christum hæc dicere, quia supra valdè difficilia docuerat, ut ostendat quâ ratione teneri possint. Alii hunc sensum esse putant, si fecerittis quæ hactenùs dixi, petite et accipietis, quemadmodùm Joannes ait, 1 epistolâ c. 3, 21: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; et quidquid petierimus, accipiemus ab eo*; quam sententiam idem auctor Operis imperfect. refert ac probat. Augustin. autem lib. 2 de Serm. Domini sic: *Potuit auditor suæ ignorantiæ conscius dicere, quid sanctum me dare canibus vetas, cum adhuc ea me habere non videam; ideò opportunè subjecit: Petite et accipietis.* Ego cum orationè Dominicâ conjungendum hoc membrum existimo; et quia de oratione agitur, et credibile est Christum tum cùm apostolos orare doceret, ista dixisse; et quia Lucas, c. 11, 9, cum illâ conjungit. De sensu nunc disputandum. Quo modo olim hæretici ad probanda sua, ut ipsi putabant, mysteria, ut res erat, deliria, hoc loco abusi fuerint, scribit Irenæus lib. 2, c. 18 et 26, et 55. Augustinus hæc tria petere, quærere, pulsare, non idem putavit « per id quod petimus, accipimus, sed vel illud ipsum, « vel aliud bonum, si petimus sicut oportet. »

Vers. 3. — Festucam, leviorem iræ motum, leviores in fratre defectus. Aug. c. 19: « Ut si forte ille « irâ peccavit, tu odio reprehendas. Quantum autem « inter festucam et trabem, quasi tantum inter iram di- « stat et odium. Odium enim est ira inveterata; et tamen « peccator admonens ex sincerâ charitate, non facit « contra hoc præceptum: sed priùs ejicere debet tra- « bem ex oculo cognitam à fratre, et ostendere se « verè esse conversum, ne videatur ex fastu fratrem « corripere. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

significare lib. 2 de Serm. Domini : sed lib. 1 Retract., c. 19, sententiam doctior correxit. Exaggeratio igitur est, quæ fit accumulatione verborum. Major quæstio est, quo modo sententia vera sit, cùm experientia quotidiana doceat multa nos, quæ petimus, non accipere. Cap. 6, 12, docuimus affirmantes promissiones nunquàm esse simpliciter, et sine exceptione intelligendas; ad eam regulam hic locus explicandus est. Non enim omnis qui petit accipit; sed qui ita petit, ut debet. Primum non accipimus, cùm mala, id est, non petenda petimus. Injuriam enim Deo facit, qui ab eo, quòd malum est, petit, quasi mali eum auctorem faciat. Deinde non accipimus, cùm non mala, tamen in malum finem petimus Jacob. 4, 3 : *Petitis, et non accipitis, eò quòd malè petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Non accipimus, cùm ipsi, qui petimus, mali indignique sumus; *Deus* enim *peccatores non audit*, Joann. 9, 31. Non accipimus, cùm aut nullâ, aut infirmâ, et vacillante fide petimus Jacob. 1, 5, 6, 7 : *Si quis vestrùm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur, et circumfertur : non ergo existimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino.* Non accipimus, cùm id quod petimus, quamvis aut non malum, aut etiam bonum sit, tamen quia majus impedit bonum, salvâ Dei glorià fieri non potest. Non accipimus aliquando, quia vult Deus ut sæpè petamus, ut duabus illis parabolis, altera importuni amici panes intempestâ nocte ab amico mutuò petentis, Lucæ 11, 8, altera judicis et viduæ, Lucæ 18, 5, declaratur. August. serm. 5, de Verbis Domini secundùm Matth. *Cum aliquando*, inquit, *tardiùs dat, commendat dona, non negat. Dia desiderata dulciùs obtinentur, citò autem data vilescunt; pete, quære, insta, petendo et quærendo crescis, ut capias. Serват tibi Deus, quod non vult citò dare, ut in discus magna magnè desiderare.* Non accipimus aliquando; ut meliora quàm petimus, accipiamus. August. lib. 2 de Serm. Domini et epistolâ 34 ad Paulinum : *Bonus autem Dominus, qui non tribuit sæpè quod volumus, ut quod malluemus attribuat.*

Vers. 9. — Aut quis est, an quisquam est? ex vobis homo, id est, non Deus, ut Pater vester cœlestis : opponit enim hominem Deo, et ex vobis, qui maligni estis.

Quem si petierit, etc., numquid. Duritiei orationis Latinis auribus insolens, Hebræis usitata. Filio panem petenti dicit patrem lapidem non porrecturum, quia unâ ex parte nihil pani lapide magis est simile; alterâ nihil dissimilius. Nihil similius colore et formâ; nihil dissimilius naturâ et usu, sicut, c. 4, 3, diabolus dixit : *Dic ut lapides isti panes fiant.* Eâdem ratione pisci serpentem opposuit. Dubitari potest quam ob rem Christus hoc dicat; plus enim videtur respondisse, quàm opus erat. Ita omninò est; non enim solum probat Deum nobis petentibus opem laturum esse; sed bona etiam daturum, panem non lapidem, piscem non serpentem porrecturum, Chrysostomus, hom. 24, auctor Imperfecti 18, et Theophylactus.

Vers. 11. — Si ergo vos cum sitis mali, non naturâ, sed Dei comparatione, Hier., Chrysost., Euthym., vel naturali proclivitate, Genes. 8, 21 : *Sensus enim : et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ*, ut idem etiam Hieronymus interpretatur; aut quod ego magis credo, non solùm comparatione Dei, quod nihil esset dicere, cùm et in angelis suis reperiat pravitatem, et stellæ non sint mundæ in conspectu ejus, nec solà naturali propensione; sed voluntate etiam, et moribus malos appellat; quia videtur eos obiter perstringere voluisse.

Nostis, id est, consuevistis; ut, *sol cognovit occasum suum* Psal. 103, 19.

Quanto magis Pater vester. Comparat patrem Patri, cœlestem terreno, Deum homini, bonitatem æquitiæ; ut à minori ad majus argumentetur. Non absimile illud est, Isai. 49, 15 : *Numquid oblivisci poterit mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

Vers. 12. — Omnia ergo. Eadem hoc loco, quæ in multis superioribus, quæstio est; quorsùm ista pertineant. Chrysostomus, hom. 24; Euthymius et Theophylactus compendium, et quasi epilogum omnium quæ tribus hisce capitibus dicta sunt, esse existimant. Alii referunt ad vers. 1, *nolite judicare*, quasi cætera parenthesi dicta sint, ut auctor Imperf., hom. 18, non omninò malè. Alii ad vers. 7, *petite et accipietis*, quasi modum doceat quæ petimus impetrandi, si aliis fecerimus quod nobis ab illis fieri velimus, ut August., lib. 2 de Serm. Domini. Alii ad c. 6, 22 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus*, quasi doceat eadem erga alios simplicitate uti, quâ ergo nos alios uti volumus, ut idem quoque Augustinus exponit. Ego hæc verba post illa capitis 5, vers. 42, Christum dixisse arbitror, *qui petit à te, da ei, et volenti à te mutuare, ne avertaris*, et quia cum illis benè ista cohærent : *Et omnia quæ vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis*, et quia Lucas, c. 6, 31, cum illis ista conjungit. Lucam ergo dictorum Christi in hâc re ordinem servâsse; Matthæum verò non servâsse, et, quæ apud illum est, cohærentia, et, quæ apud hunc, indicat dissonantia.

Hæc est lex et prophetæ. Id est, hoc principio summa omnium, quæ in lege et prophetis præcepta sunt, continentur; legem autem, et prophetas totum vetus Testamentum appellat; legem quinque libros Mosis; prophetas reliquos omnes, Hebræorum more, qui etiam libros Regum, Paralipomenon, et Psalmos, prophetarum nomine vocare solent, ut infra, 11, 13, et 22, 40, et Luc 16, 16, et Act. 24, 14 et 28, 23. Quærit August. lib. 2 de Serm. Domini, et lib. 8 de Trinitate, c. 7, et Euthymius in Commentariis, quo modo dicatur hæc esse lex et prophetæ, cùm c. 22, 40, non in hoc uno, sed in duobus illis præceptis consistere dicatur : *Diliges Dominum Deum tuum ex*

Vers. 12. — Hæc est lex, ut diligamus proximum propter Deum; hùc lex omnis dirigitur.

toto corde tuo, et proximum tuum sicut teipsum. August., lib. 2 de Sermone Domini, respondet hic non dici totam legem, sed legem in hoc principio sitam esse; illic autem dici hanc totam esse legem, quasi hic ubi de solo diligendo proximo agebatur; alteri mandato de diligendo Deo locus sit reservatus. Melius lib. 8 de Trinitate etiam hic, quamvis non dicatur, totam legem intelligi, quia qui diligit proximum, non potest non ipsam diligere dilectionem; dilectio autem est Deus, quia *Deus charitas est*, 1 Joan. 4, 16. Facilius dixerimus non de quâcumque proximi dilectione hoc loco agi; sed de eâ quâ proximum nec propter nos, nec propter illum, sed propter Deum diligimus. Sic enim præceptum de diligendo proximo intelligitur. Qui autem propter Deum proximum diligit, Deum magis diligit. Nam et Aristotelica illa regula Scripturæ servit. Quapropter D. Paulus unico præcepto de proximo diligendo totam dicit legem contineri, Rom. 13, 8 : *Qui diligit proximum, legem implevit*, et, *plenitudo legis est dilectio*, ibid. vers. 10; loquitur autem de proximi dilectione. Et ad Galat. 5, 14 : *Omnis lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, et ad Galat. 6, 2, *alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Simile quiddam est apud Tobiam, c. 4, 16, *quæ ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Meritò philosophi hoc primum naturæ, et moralis philosophiæ principium esse putaverunt. Lego in Romanorum historiis Alexandrum Severum imperatorem, qui animo ad christianam religionem propensus fuisse creditur, solitum dicere, idcò Christianos sibi placere, quòd, quæ sibi fieri vellent, aliis id ipsi facerent. Non dixisset fortassè, si nostrâ vixisset ætate; neque mores nostros, sed legem laudare potuisset.

Vers. 13. — Intrate per angustam portam. Illi ipsi auctores, quos superiore versu nominavimus, variè ista cum præcedentibus nectunt. Videat qui volet. Me enim jam piget in re non magnoperè necessariâ tot opinionibus recitandis immorari. Ego hæc post illa, quæ capite 5 de Beatitudinibus tradita sunt, dicta esse suspicor. Ea enim angusta est porta; aut certè non concionando, sed cùm à quodam admirante præceptorum ipsius severitatem interrogatus fuisset Christus : *Domine, si pauci sunt, qui salvantur*, respondens dixit : *Contendite intrare per angustam portam* : sic enim Lucas narrat, c. 13, 23, 24, qui in recensendis Christi sententiis plus ordinis servare solet. Quærunt Chrysostomus et Euthymius, quo modo præceptorum suorum viam arctam et portam angustam esse dicat, cùm, c. 11, 30, jugum suum suave esse doceat, et onus suum leve. Calvinistæ facilè ista conciliabunt, qui suave et leve importabile, et, ut ipsorum etiam utar verbo, impossibile interpretantur. Sed nos, qui tam subtiles non sumus artifices Scripturas interpretandi, aliam quærere debemus explicationem. Respondet igitur Chrysostomus et Euthymius jugum Christi durum esse carnalibus et terrena quærentibus; suave et leve spiritualibus, et prospicientibus in futura. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, Rom. 8, 18 : *Et quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2 Cor. 4, 17. Sic D. Paulus illa quæ veteres illi sancti perpessi sunt, gladios, ignes et cætera quæ narrat ejusmodi, quamvis per se gravia, levia tamen illis fuisse dicit, quia *aspiciebant*, inquit, *in remunerationem* Heb. 11, 26. Sic ipsemet, cùm plus cæteris apostolis laborâsset, *in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, 2 Cor. 11, 23, omnia tamen propter Christum levissima duxit, quia, quæ retrò erant oblitus, in anteriora sese extendebat, Philip. 3, 13. Augustam ergo Christus portam, et arctam viam vocat, partim quia naturâ suâ difficilior virtutis quàm vitii via est; illa enim ardua, hæc prona, illa una, hæc multiplex; illa vix ullis et notabilibus, hæc multis et altè impressis calcata vestigiis τὰς δ' ἀρετὰς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, dixit Hesiod., partim etiam, quia nostra eam segnities difficiliorem reddit. Nihil enim est non conantibus facile.

Vers. 14. — Quam angusta, *quoniam angusta est*, ut suspicio esse possit in nostrâ versione pro, *quàm, quoniam* esse legendum, aut quod quidem putant nostrum interpretem ὡς pro ὅτι legisse. Neutrum credo. Potiùs legisse τί ὅτι, quemadmodùm Euthymius et Theophylactus legunt, illud etiam monentes τί accipi pro ὡς, *quàm*, ut noster vertit interpres. Est autem, ut ego quidem opinor, Hebraismus, מָה, quod idem significat τί, quid, et ὡς, *quàm*, ut psal. 8, 1, 10 : *Quàm admirabile est nomen tuum*, et psal. 30, 20 : *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine;* et Psal. 83, 1 : *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* Quæri potest an idem per angustam portam, et per arctam viam intelligatur. Ita Chrysostomus existimat. Sed vero similius mihi videtur esse, ut viam præcepta, portam præceptorum finem, id est, ingressum in regnum cœlorum intelligamus. Est enim porta finis viæ.

Vers. 15. — Attendite a falsis prophetis. Quidam hæc referunt ad c. 6, 1 : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, quasi hypocritas illos, qui justitiam suam coram hominibus faciunt, falsos nunc prophetas appellet, ut fugiendos esse doceat auctor Imperf., homil. 19, majore verborum, quàm sententiæ similitudine in hanc opinionem inductus. Melius Augustinus, lib. 2 de Sermone Domini, cum proximo copulat versu. Dixerat arctam esse viam, quæ ducit ad vitam; solemus autem, cùm arcta et obscura via est, qui monstret, aut ducem, aut indicem quærere; monet Christus, ne omni duci, ne omni indici fidem habeamus; multos esse falsos prophetas, qui fallendi causâ duces sese, aut indices præbeant, vestimentis ovium, quasi viatorum induti habitu.

A falsis prophetis. Falsos prophetas non omnes hypocritas, ut nonnulli putant, sed falsos tantùm

Vers. 15. — Qui veniunt à seipsis, non à Deo missi. Indumentis ovium, pellibus ovium, quibus prophetæ indui solebant, ait vir doctus.

doctores, id est, omnes hæreticos intelligit, quos ideò prophetas vocat, quia prophetarum apud Judæos officium fuit non tantùm futura prædicere, sed etiam ex lege Dei populum docere, et salutis illi viam indicare. Agitur enim de arctâ viâ monstrandâ. Quanquàm et prophetas etiam veros possumus intelligere; veros, inquam, quia vera prædicunt, qualis fuisse traditur Balaam; falsos tamen, quia nec à Deo missi sunt, et quia vera prædicendo falsa suadent. Nam v. 22, de hujusmodi prophetis agitur, *multi dicent mihi in illâ die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* Qui veniunt ad vos sponte suâ, non missi à Deo, quales illi apud Jeremiam 23, 21, *ipsi currebant, et ego non mittebam eos.*

In vestimentis ovium. Sensus est facilis; vestimenta vocat quidquid extrinsecùs apparet, verba et opera, eleemosynas, omniáque officia charitatis, ut ait auctor Imperfecti, hom. 19. Cur autem dicat ovium, incertum, utrùm velit dicere eos habitu oviem venire, id est, veras se oves esse fingentes, quòminùs timeantur; quemadmodùm lupum aliquando se ovinâ indutum pelle veram esse ovem simulàsse traditum est fabulis, sive habitu pastorum, quod mihi magis placet; agitur enim de populo docendo, quod ecclesiastici pastoris officium est, et solet Christus illos qui docent, pastores appellare: *Pasce*, inquit, *oves meas*, et: *Ego sum pastor bonus*, Joan. 21, 17 et 10, 11. Ideò autem dicit in vestimentis ovium venire, quia solent pastores ovinis vestiri pellibus. Falsi prophetæ sunt omnes hæretici, omnium verò maximè Calvinistæ. Primùm, quia non missi venerunt. Deinde quia ovinâ induti pelle; nihil enim in eorum erat ore, nisi Dominus, nisi Pater noster cœlestis, nisi Christus, nisi fides, juramentum inauditum; nihil in eorum factis apparebat, nisi eleemosynæ, nisi temperantiâ, nisi modestiâ. Quo habitu pastores ementiti magnam in grege Domini fecerunt stragem; fecissentque multò majorem; nisi homines eos ex ipsorum tandem fructibus cognovissent, vidissentque istam non nativam, sed apposititiam fuisse pellem.

Vers. 16. — A fructibus eorum. Quia dixerat à falsis prophetis esse cavendum, necesse fuit tradere ad eos dignoscendos aliquod indicium. Certum tradere non potuit, quia magna esse solet eorum simulatio, et solus Deus humani scrutator est cordis; tradidit ergo probabile, quodque ad humanum ingenium accommodatum est, quòd non potest, nisi ex fructibus homines noscere, et plerùmque verum esse solet. *A fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos*. Lucas, c. 6, 45, in alium sensum, et alio loco dictum hoc fuisse, videtur significare. Conjungit enim cum illâ sententiâ, quam, vers. 5, Matthæus commemoravit. *Hypocrita, ejice priùs trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui; non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos*; quasi sensus sit, Hypocrita, quid vis arborem te bonam simulare, cùm facias fructus malos? quantùmcumque enim malitiam tuam dissimules, ex fructibus cognoceris, quia non est arbor bona, quæ facit fructus malos, et omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Quo etiam sensu Matthæus, c. 12, 33, eamdem à Christo similitudinem usurpatam scribit: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum; ex fructu enim arbor cognoscitur*; quasi dicat, si vultis boni videri, ne simuletis bona, sed facite. Simulatio folia sunt, opera fructus, non ex foliis, sed ex fructibus arbor cognoscitur. Quare manifestum est Christum non semel hâc similitudine usum fuisse. Itaque Lucas aut non eamdem, quam hic Matthæus, recitat, aut dictorum ordinem, connexionemque non servat. Nam apud Matthæum quidem tam aptè adhæret proximæ sententiæ, ut divelli ab illâ non possit, nisi altera, aut utraque rumpatur. Videndum nunc, quid arborem, quid fructus appellet. Tertullianus, lib. 1 contra Marcionem, fidem putat arborem appellare. Quod eatenùs benè convenit, quia de dignoscendâ verâ et falsâ agitur fide. Augustinus verò in Enchirid., c. 15, et lib. 1 contra Julian., c. 3, et Beda in hunc locum, arborem humanam voluntatem, terram hominem facimus; nam, ut ex eâdem terrâ bona et mala arbor nasci potest, ex eâdem autem arbore bonus et malus fructus nasci non potest; sed bonus ex bonâ, malus ex malâ; sic ex eodem homine nunc bona, nunc mala voluntas gigni potest; ex eâdem autem voluntate bona et mala opera proficisci non possunt. Impulit in hanc sententiam Augustinum studium Manichæos refutandi. Timuit enim ne, si diceret hominem arborem esse, quemadmodùm dicebant Manichæi, primùm eorum loqui more, deinde eorum errorem confirmare videretur, alios esse homines naturâ bonos, qui malè; alios naturâ malos, qui benè agere non possent. Has duas, alteram Tertulliani, alteram Augustini sententias illud refellit, quod vers. 19 sequitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.* Non enim fides aut voluntas mala, sed homo malus est, qui mittitur in ignem. Idem Augustinus, lib. 1 de Gratiâ Christi, c. 18 et 19; auctor Imperfecti, hom. 19; Chrysost., homiliâ 24; Theophylactus et Lyranus, hominem bonam habentem voluntatem arborem bonam; malam habentem malam esse dicunt. Quorum sententia per se vera huic loco conveniret, si non de verâ fide, sed bonâ voluntate cognoscendâ ageretur; at de fide agitur: *Cavete*, inquit, *à falsis prophetis*. Arborem ergo hominem bonam aut malam fidem habentem appellat; arborem quidem bonam, si bonam; malam, si malam fidem habet. Objici potest, sæpè qui bonam habet fidem, malos fructus facere, id est, malè vivere. Non nego, et qui negant, hæreticos puto; sed Christus non dicit, quid aliquandò; sed quid plerùmque; neque quid hominum perversitate, sed quid naturâ fidei solcat accidere. Fides autem naturâ suâ neque malâ bonos, neque bonâ malos generat fructus. Fructus verò nostri temporis hæretici non solùm opera, sed etiam doctrinam intelligunt; ita, ut opinor, doctrinâ confidentes suâ, ut ex eâ fidem probari velint; nihil enim nisi purum, et, ut ipsi solent dicere putum, ut ego, putidum verbum Dei docent; sic Joannem admonere, ne omni spiritui credamus, sed ut probemus spiritus utrùm ex Deo sint, 1 Joan. 4, 1. At hîc de fide, id est, de ipsâ falsorum prophetarum doctrinâ cognoscendâ agitur; et absurdum dictu est, doctrinam ex doctrinâ probari. Omnes igitur veteres auctores per fructus opera intelligunt, quæ doctrinam naturâ suâ malam mala, bonam bona consequuntur.

Vers. 18. — Non potest. Quia videtur his verbis experientiæ quotidianæ repugnare, dùm multos ex malis bonos, aut ex bonis malos fieri videmus, multæ quæsitæ sunt in hunc locum interpretationes. Quidam sic exposuerunt, arborem bonam, dùm bona est, non posse malos; et arborem malam, dùm est mala, non posse bonos fructus facere, ut Augustinus, Chrysostomus, auctor Imperfecti, et Beda iis locis, quos paulò ante notavimus. Alii viderunt non satis hâc ratione veritati experientiæque satisfieri. Nam etsi bona arbor, id est, homo justus, manens bona non posset malos fructus facere, tamen mala manens mala bonos aliquos fructus facere potest. Nec enim sequenda illa opinio est, quam Tridentinum concilium nuper meritò damnavit, omnia peccatorum, aut etiam infidelium opera esse peccata, quamvis maximum auctorem D. Augustinum, lib. 4 contra Julianum, c. 3, et lib. 3 contra duas epistolas Pelagian., c. 3, et Prosperum, sentent. 106, habuisse videatur; et ex catholicis aliquando theologis suos habuerit defensores; ideòque dixerunt non posse arborem bonam, quatenùs bona est, malos; nec arborem malam quatenùs mala est, bonos fructus facere, quod et ego aliquando approbavi ac docui. Sed postea animadverti non posse hâc ratione arborem bonam, malamque cognosci, quòd hîc inprimis agitur. Quomodò ergo non potest arbor bona malos, neque mala bonos fructus facere? Ego quid sentiam, privatim dicam; quid probabilius sit, doctioribus judicandum relinquam. Non solùm arbor mala potest aliquos bonos; sed et arbor bona et manens bona potest aliquos malos fructus facere. Arbor enim bona hoc loco, ut ante probavimus, non est vir bonus, sed vir fidelis, id est, non qui bonam voluntatem, sed qui veram fidem habet; posse autem, qui bonam habet fidem mala habere opera, non est hujus loci probare; sed et experientia, et ipsa de se fides docet. Non ergo dicitur arbor bona malos, aut mala bonos fructus facere non posse, quòd omninò non possit; sed quòd naturâ suâ non possit; et quòd non semper bona malos, aut mala bonos facere soleat; sicut, c. 12, 34, cùm paulò ante Christus dixisset: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut arborem malam et fructum ejus malum*; addidit: *Quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Non enim significat omninò non posse. Nam scribæ et Pharisæi, de quibus dicit c. 23, 2, 3: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi; omnia ergo, quæcumque dixerint vobis facite? secundum autem opera eorum nolite facere;* certè mali erant, quia mala faciebant; et bona loquebantur, quia quæ dicebant facienda erant; sed tantùm significat contra naturam fieri, et fieri non solere. Naturâ enim suâ *ex abundantiâ cordis os loquitur*, Matthæi 12, 34; et: *Bonus homo de bono thesauro profert bona*, vers. 35. Objiciet aliquis: Si et bona arbor malos, et mala bonos fructus facere potest, quomodò docemur ex fructibus arborem dignoscere? Objiciam et ego idem, si Pharisæi, cùm malos fructus facerent, bona tamen arbor, id est, non falsi prophetæ, sed veri doctores erant, quomodò ex fructibus cognosci potuerunt? Nam si auditores hanc Christi secuti regulam ex eorum moribus de doctrinâ judicâssent, tanquàm falsam rejecissent. Ergo respondeo Christum hoc loco non certum indicium, sed probabile tantùm signum tradere voluisse; docereque non posse falsos prophetas, qui simulatione sanctitatis falsam doctrinam probant, diù se ita ovinâ pelle tegere, quin aliquando, qui sub eâ latet lupus, appareat. Non enim potest diù simulatio veritatem imitari. Hoc in Calvinistis sumus experti; agni nati sunt, lupi moriuntur. Mirum quàm multi errores ex hâc bonâ et malâ arbore nati sint. Primùm ille absurdissimus Manichæorum, alios homines naturâ bonos, qui nunquàm mali; alios naturâ malos esse, qui nunquàm boni esse possint, quem Hieronymus in Commentariis ad hunc locum, et Augustinus, lib. 1 contra Julianum, c. 3, et in disputatione secundâ contra Fortunatum, et lib. 1 contra Adversar. leg. et prophet., c. 22, multis sacrarum litterarum exemplis refutârunt. Deinde ille Pelagianorum, qui ideò peccatum tollebant originale, quòd dicerent conjugium, quæ bona utique arbor est, non posse malos fructus facere, id est, peccatum originale generare, ut scribit Augustinus, lib. 2 de Nuptiis et Concup., c. 26, et ille alter eorumdem, liberum arbitrium quasi magnam quamdam in nobis esse, quæ possit ipsa per se, aut arborem bonam, id est, bonam voluntatem, aut arborem malam, id est, malam voluntatem generare. Auctor August., lib. 1 de Gratiâ Christi, c. 18. Quartus quorumdam etiam ex Pelagianis, quanquàm Donatistarum potiùs hæresi convenichat; neque bonum sacerdotem malè, neque malum benè baptizare posse, sed similem esse baptizatori baptismum, quia non potest arbor bona malos, neque mala bonos fructus facere, ut refert Augustinus, lib. 3 contra lit. Petiliani, c. 44. Noluerunt minùs ingeniosi videri Calvinistæ: nam et ipsi hinc cum Manichæis liberum tollunt arbitrium. Hoc etiam subtilius, quòd illi in utramque pariter partem; hi in bonum, non in malum tollunt; non videntes homines errore suo cæci, non solùm malam arborem bonos, sed nec bonam malos fructus facere posse. Itaque si ad bonum, cùm mali sumus, liberum propterea non habemus arbitrium, quia mala sumus arbor, et non potest arbor mala bonos fructus facere; neque ad malum, cùm simus boni, liberum possumus arbitrium habere; quia bona sumus arbor, et non potest arbor bona malos fructus facere; neque illud considerantes, quod idem Christus dicit c. 12, 34: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum*; quasi in nostrâ utique sit potestate vel bonam, vel malam

arborem facere. Nec ergo tantùm hinc colligitur, quantùm Pelagiani; nec tam parùm quàm Calvinistæ colligi volunt. Nam non solùm in malum; sed etiam in bonum liberum habemus arbitrium, contra quàm Calvinistæ; et non æqualiter in utrumque, sed in malum satis fortè, in bonum, nisi Dei gratiâ adjuvetur, infirmum, contra quàm Pelagiani sentiebant. Alterum hinc Calviniani non minùs absurdum errorem hauserunt; non posse operibus hominem justificari; sed justum declarari, atque cognosci, quia non fit arbor bona, quia facit fructus bonos; sed quia bona est, bonos fructus facit. Nam ut arborem fructu, ita bonam arborem bono fructu priorem esse necesse est. Nec arbor bona ex fructu bono, bona fit; sed bona esse cognoscitur. Valdè sibi illi, cùm hoc dicunt placere solent; valdè ego, cùm audio, ridere soleo. Et argumentum in illos, qui irrito contorserunt impetu, efficaci retorquere. Si justis operibus non efficimur justi, sed declaramur, quia arbor bona non fit ex fructu bono bona, sed bona esse cognoscitur; ergo injustis operibus non efficimur injusti, quia arbor mala non fit ex fructu malo mala, sed mala esse cognoscitur. Ita efficitur istorum argumentatione Adamum, qui bona à Deo arbor factus erat, peccare non potuisse, quia non potuit arbor bona malos fructus facere; et si peccavit, non fuisse tamen injustè agendo factum injustum: quia arbor ex malo fructu mala esse cognosci potest, mala fieri non potest. Ita homines improvidi foderunt ante faciem nostram foveam, et incidemus in eam. Nec intelligunt imperiti quod in nostris scholis etiam pueri docent, quid inter naturales et morales causas intersit. Naturales enim non ex bono vel malo effectu bonæ, vel malæ fiunt; sed quia bonæ vel malæ sunt, bonum vel malum effectum habent. Morales verò non solùm, quia bonæ vel malæ sunt, benè vel malè agunt, sed etiam, quia benè, vel malè agunt, bonæ vel malæ fiunt. Nec enim tantùm, quia temperantes sumus, vivimus temperanter; sed etiam temperanter vivendo, temperantes efficimur. Arbor causa naturalis est, propterea nec ex bono fructu bona, nec ex malo mala fit: sed quia bona vel mala est, bonum vel malum gignit fructum; homo moralis, propterea non solùm, quia bonus vel malus est, benè vel malè agit, sed etiam quia benè vel malè agit, bonus vel malus fit. Neque requirendum est, ut omnibus in rebus arboris similitudo homini conveniat, sed in eâ tantùm, quâ de agetatur, et arborem ex fructu; et hominem ex moribus judicari.

Vers. 21. — Non omnis, qui dicit mihi. Quidam hæc omnibus à Christo dicta fuisse putant, quia Lucas, c. 6, 46, post illa verba: *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo*; et, *non est arbor bona, quæ facit fructum malum*; et, *bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala*, hæc adjungit, *quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Meliùs Hilarius, et Hieronymus in Commentariis, et auctor Imperfecti, homil. 19,

Vers. 21. — Non omnis qui dicit, etc. Deus fructus ipsos, non folia tantùm, opera; non verba exigit.

et Augustinus, lib. 2, de Serm. Domini, ad solos falsos prophetas referri dicunt, quia et generalis sententia est, et in omnibus malis christianis locum habet; tamen hic de solis falsis prophetis internoscendis agebatur, qui non ex verbis, quamvis nomen Domini semper in ore habeant, sed ex factis judicandi sunt; quasi dicat, nolite credere omnibus qui dicunt mihi Domine, Domine; multi enim mihi dicunt, qui non intrabunt in regnum cœlorum, quia falsi prophetæ sunt. Lucas ergo quid, non quibus, aut quâ ratione Christus dixisset, commemoravit, et quia concionem narrabat, concionatorum more per secundam personam loquentem inducit, *quid vocatis me Domine, Domine?* Fieri etiam potest ut bis, aut sæpiùs diversis personis, et in diversam sententiam idem dixerit, et Matthæus, quod de falsis prophetis, Lucas, quod de præsentibus auditoribus dixerat, recensuerit.

Domine, Domine. Hanc repetitionem non solùm ex linguæ Hebraicæ, ut quidam volunt, consuetudine adjectam puto, ut illam apud Jeremiæ 7, 4, *templum Domini, templum Domini*; sed multò magis ad significandam consuetudinem, quasi dicat, non omnis qui dicere solet, non omnis qui dictitat mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Nam et apud Jeremiam geminatio illa, *templum Domini, templum Domini*, frequentem loquendi apud Judæos consuetudinem exprimit. Potest etiam hoc loco simulatum falsorum prophetarum in loquendo, vel orando affectum declarare. Solet enim vehemens affectus erumpentia verba geminare, ut infra c. 25, 11: *Domine, Domine, aperi nobis.* Quod autem dicunt falsi prophetæ: *Domine, Domine*, plerique ad preces referunt; quòd orantes Christum Dominum vocare soleant. Alii ad fidem, quasi idem sit vocare Christum Dominum, et credere, velitque significare, non omnes qui fidem habent, salvos futuros, ut Hieronymus, Euthymius et Theophylactus interpretantur. Alii ad verba et consuetudinem eorum loquendi, quòd de Christo ita loquantur, ut quasi in illum credant, Dominum appellent, ut auctor Imperfecti. Hoc probabilius. Jam enim docuimus aqi hic de falsis prophetis, qui veram non habent, sed habere se simulant, fidem. Et quidem cùm hæc scriberem, quidam ad me ex Calvinistis falsus propheta venit, qui nunquàm aliter Christum inter loquendum, quàm Christum Dominum nostrum appellabat, fecitque ut meliùs hunc locum intelligerem.

In regnum cœlorum. Multi hæreticorum interpretes errant existimantes Ecclesiam hoc loco regnum cœlorum appellari; quasi dicat, non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, in eccl Ecclesiâ censendus est, neque meus discipulus habendus. Multò prudentiùs omnes veteres auctores de beatâ vitâ intelligendum putaverunt. Nam, quamvis Ecclesia regnum aliquando cœlorum appelletur, tamen cùm dicitur, *intrare in regno cœlorum*, nunquàm Ecclesia, sed vita semper beata significatur. Et hoc loco manifestum est agi de præmio, quod non in Ecclesiâ, sed in cœlo datur; quasi dicat: Non itur ad cœnum verbis, sed factis.

Et ex versu sequenti de ultimo judicio agi constat, cùm alii in cœlum admittendi, alii ab eo excludendi sunt. Multi dicent mihi in illâ die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?

Sed qui facit voluntatem Patris mei. Videtur dicere debuisse, sed qui facit voluntatem meam; ipsum enim non patrem Dominum appellabant, et ejus voluntatem facere debebant, quem Dominum suum confitebantur, sicut dicit apud Lucam, c. 6, 46, *quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* Respondent Chrys. et Theoph. hinc colligi eamdem esse Patris et Filii voluntatem, cùm Filius, ubi suam dicere debuit, pro suâ, Patris sui dixerit voluntatem. At si eadem erat utriusque, cur Patris potiùs quàm suam dixit? Respondent quòd id auditoribus gratius futurum esset; et minùs sibi conflaturum invidiæ. Aliam ego rationem adjungo, quòd Patri ubique legislatoris personam tribuat; ipse verò se, quasi ejus legatum, gerat; ideòque sese in iis numeret, qui Patris sui voluntatem faciant, ut c. 26, 42; Joan. 4, 34; et 5, 30; et 6, 38, propterea semper solet dicere voluntatem Patris mei, non meam, ut infra, c. 12, 50.

Vers. 22. — In illa die, terribili et celeberrimâ; hanc enim vim habet pronomen demonstrativum *illâ*, quasi de die non aliis simili, sed certâ et singulari, et futuri judicis famâ, metuque insigni sermo sit, ut infra, c. 24, 36; et Marc. 13, 32; Luc. 21, 34; 1 ad Thes. 5, 4, 2; ad Timot. 1, 12, 18; et 4, 8. Nominat autem illam diem, quia *in igne revelabitur, et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit*, 1 Cor. 3, 13, et quia tùm *illuminabuntur abscondita tenebrarum, et manifestabuntur consilia cordium*, 1 Cor. 4, 5.

Prophetavimus. Ineptè Calvinus interpretatur, *prophetavimus*, id est, docuimus. Nam ut demus id aliquando hoc verbum significare, sicut vers. 15, falsos doctores, falsos prophetas appellavit, tamen debuit animadvertere hic falsos illos prophetas allegare miracula, *nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Prophetare igitur non est docere, sed futura prædicere. Hoc enim miraculum est, illud non est. Atque hanc vim habet illud: *In nomine tuo*, id est, virtute tuâ. Non enim in nomine Christi, sed Christum docere dicimur: prophetare autem non Christum, sed in nomine Christi.

Virtutes multas. Miracula multiplicis generis, aut sæpè. Quod enim ante per partes, et distributè dixerat, nunc in genere concludit, quemadmodùm si diceret, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et alia multa fecimus miracula? Existit ex hoc loco de miraculis quæstio, num etiam per malos fieri possint. Illud certum, cùm duo miraculorum, alia vera, alia falsa, genera sint, falsa etiam per malos fieri posse. Nam Antichristum falsa editurum esse prodigia testatur, 2 Thes. 2, 9, D. Paulus. Et magos illos Pharaonis, quamvis verane an falsa miracula fecerint disputetur, tamen manifestum est saltem falsa fecisse. De veris igitur, an per malos fieri possint quæstio est. Hic etiam adhibenda distinctio. Nam vera miracula per malos, aut cùm mali sunt, aut antequàm incipiant, aut postquàm desinunt mali esse, fieri possunt. Ante, vel post fieri posse dubium non est. Nam Saulem antequàm malus fieret, cùm filius unius anni esset, prophetâsse legimus, 1 Reg. 10, 10, 11, et Matthæus publicanus noster, postea quàm publicanus, id est, publicos peccator esse desiit; multa, ut cæteri apostoli, fecit miracula. De iis qui mali sunt, quamdiù mali sunt magis est dubium. Alia rursùs adhibenda distinctio. Nam aut de malis, sed fidelibus, aut de malis et infidelibus quæri potest. De malis qui fidem habent, Scriptura docet vera eos miracula fecisse. Prophetavit enim Caiphas homo iniquus, quia pontifex erat anni illius. Fecit Judas miracula, dùm in Christum credebat, nam et potestatem cum aliis apostolis accepit, Matth. 10, 1, et cum aliis gloriatus est, quòd sibi dæmonia subjicerentur, Luc. 10, 17, et tamen fur erat, et loculos habebat, Joan. 12, 6. Saùl postquàm ab eo Dominus discesserat, in cœtu prophetarum medius, ut cæteri prophetavit, 1 Reg. 19, 24. De iis qui fidem non habent, propterea quòd miracula fide potissimùm fiunt; non an faciant, quia id Scriptura testatur, sed an vera faciunt miracula, dubitari potest. Chrysost. hom. 23; Hieron., Euthym. et Theophylact. multis probant exemplis etiam per homines infideles vera miracula facta esse. Nam Balaam falsus alioquin et infidelis propheta vera prædixit, Numer. 24, 17, et ex hoc ipso loco facilè colligitur, falsos istos prophetas, de quibus loquitur Christus, vera miracula facturos, verè prophetâsse, verè dæmonia ejecisse; nec enim respondet Christus mentiri eos; sed se eos, quamvis ista fecerint, non nósse, et sententia postulat, ut Christus significet vera eos miracula facturos: non enim mirum esset, si illis, qui non vera, sed falsa miracula fecissent, responderet se non nósse eos, valdè autem mirum, ut iis, qui vera fecerunt miracula, ita respondeat. Nec magnum esset, si moneret nos; ne falsa facientibus miracula crederemus; magnum omninò et admirabile, quòd moneat, ne falsis prophetis credamus vera etiam miracula facientibus; nec ex solis miraculis, sed etiam ex fructibus, id est, ex moribus ipsorum veros falsosque prophetas discernamus. Nullum ergo, dicet aliquis, ad probandam veram doctrinam ex veris miraculis argumentum sumi potest. Non sequitur omninò nullum, sed non omninò necessarium sumi posse. Scimus enim Christum ad confirmandam doctrinam suam potestatem faciendi miracula apostolis tradidisse. Scimus vi miraculorum totum penè terrarum orbem ad fidem fuisse pertractum. Quod qui negant, ut disputat adversùs Gentiles Augustinus, majus ipsi miracula tollendo miraculum faciunt. Incredibilius enim miraculum est totum orbem terræ, id est, tot philosophos, tot sapientes viros, tam paucis apostolis, tam *ergo cognoscet nisi cum qui operatur æquitatem.* Continuo, palàm declarabo me eos pro meis agnoscere.

Vers. 22 et 23. — In nomine tuo, etc. Publicæ functiones in malis ministris vim habent et efficaciam, ac vera fides sine charitate esse potest; Aug.: *Non*

imperitis, tam incredibilia humanæ rationi prædicantibus, sine ullis miraculis credidisse, quàm illa ipsa miracula, quæ per eos facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem sæpè, sine fide rarò admodùm fieri solent. Et cùm fiunt, non ad probandam eorum, qui faciunt; sed eorum, qui veram fidem habent, fieri solent. Nec enim Balaam futura prædicendo suam ipsius; sed populi potiùs Dei, adversùs quem conductus fuerat, fidem confirmavit; et ferè omnia miracula, quæ per hæreticos facta fuisse legimus, quæ paucissima sunt, hujusmodi esse constat; qualia ea, quæ in ecclesiasticis historiis, et apud Anastasium in quæstionibus Scripturæ recensentur. Est etiam argumentum à miraculis ductum; si non omni, unà saltem, aut duabus etiam ex partibus necessarium. Nam etsi non necessariò sequitur, eum qui miracula faciat, veram habere fidem; tamen necessariò sequitur, eam, in quâ frequentia et quasi ordinaria miracula fiant, veram esse Ecclesiam; quia etsi aliquando Deus per privatos extra Ecclesiam suam homines miracula fieri permittat, sicut et per asinam fecit Balaam, quæ in Ecclesiâ certè non erat, tamen nulli generaliter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ ordinariam faciendi miracula concessit potestatem. Magis etiam necessarium est, quod alterâ ex parte per negationem ducitur, in quâ miracula nulla fiant, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse. Itaque rectè hinc probare possumus Calvinistarum, Lutheranorum, Anabaptistarum, et cæteras eorum, qui hodiè regnant, hæreticorum congregationes non veras Ecclesias, sed synagogas esse Satanæ, quia in nullâ earum unquàm miraculum visum est. Objicient hoc loco Hieronymus et Aug. neminem posse dicere *Jesus, nisi in Spiritu sancto*, 1 Cor. 12, 3. Quomodò ergo possunt non solùm dicere *Domine, Domine*, sed etiam nomine Christi miracula facere, qui Spiritum sanctum non habent? Respondent *dicere Jesus* eo in loco non significare verbis dicere; sed factis; id est, Christum non solùm fide confiteri, sed moribus etiam exprimere, quod manifestum est neminem sine Spiritu sancto facere posse.

Vers. 23. — Et tunc. In illâ die, de quâ dixerat versu præcedenti, coram omnibus hominibus, quando revelabuntur abscondita tenebrarum, quasi dicat usque ad illam diem patiar ac dissimulabo, et quasi paleas granis in aream mixtas relinquam; tunc discernam, tunc ventilabo. Hieronym., auctor Imperf. et Beda.

Confitebor. Auctor Imperfecti, hom. 19, pro ὁμολογήσω, confitebor, videtur legisse, ὁμόσω, jurabo, quod benè admodùm congruit. Jurare autem intelligit dicere: *Amen, amen dico vobis, nescio vos*, ut c. 25, 12. Alii interpretantur, *confitebor*, id est, publicè profitebor me eos non nôsse, ut Hieronym. videtur autem simulatæ eorum confessioni veram suam confessionem opponere, quasi dicat illi me coram hominibus fictè confessi sunt; ego eos coram Patre meo verè confitebor, sed me eos minimè cognoscere; sicut è contrario de iis qui verè eum sincerèque confitentur, dicit, c. 10, 32: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*.

Nunquam novi vos. Theophylact. ne tum quidem, cùm miracula faceretis. Omnes veteres auctores observaverunt, inprimisque Origenes, in c. 8, ad Rom., cognoscendi verbum hoc loco, aliisque similibus non cognitionem, sed affectum approbationemque significare, ut, *ego cognosco oves meas*, Joan. 10, 14; et: *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, 2 Tim. 2, 19, et, *nescio vos*, Matth. 25, 12, et Lucæ 13, 25. Omnes enim Deus cognoscit, sed non omnes pro suis approbat. Sensus ergo multiplex hujus loci esse potest, aut, *nunquàm novi vos*, id est, nunquàm vos pro meis habui, nunquàm in prædestinatorum numero posui, aut, nunquàm pro veris habui prophetis, quales vos esse simulabatis, quod videtur ad hunc locum ubi de dignoscendis falsis prophetis agitur, magis accommodatum.

Vers. 24. — Omnis ergo. Disputaverat propriè de falsis prophetis, concludit generaliter de omnibus hominibus.

Qui audit verba hæc. Quidam ad ea referunt quæ supra tribus capitibus dicta sunt, ut auctor Imperf. Certius est generaliter de omnibus Christi verbis intelligere, itaque interpretor *verba hæc*, id est, hujusmodi, hæc et similia, aut hæc, id est, mea, quia illa, quæ ante dixerat, ipsius erant verba, et solet ex uno aliquando individuo totum genus significari.

Qui ædificat. Ædificare est in Christum credere, 1 Cor. 3, 10. Hujus ædificii duplex esse dicit fundamentum, arenam et petram. Arenam vocat solam fidem operibus vacuam, vers. 26, *et omnis, qui audit verba hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam*. Petram vocat bona opera, vers. 24: *Omnis ergo, qui audit verba hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam super petram*. Unde duo contra duos Calvinistarum errores colliguntur. Alterum, solam fidem ad salutem non satis esse; alterum, bona opera, quæ adjuncta sunt fidei, non solùm justificare, et ad salutem plurimùm valere, sed firmissimum etiam salutis nostræ esse fundamentum. Neque huic sententiæ illa contraria est, 1 Cor. 3, 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Multi enim in eodem fundamento lapides sunt, summus et primus solus est Christus et præter illud fundamentum aliud nemo potest ponere. Super illum autem alia etiam sunt, quæ eo nituntur fundamenta; nam et apostoli et prophetæ fundamentum appellantur, sed *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*, Ephes. 2, 20, et Apoc. 21, 14. Sic etiam fides et opera duo sunt fundamenta, utrumque primo ac firmissimo fundamento nititur Christo. Sed sola fides arena super petram posita est, quæ quamvis stante, quamvis inconcussâ petrâ, facilè per se ipsa dilabitur, et quidquid superædificatum est, in ruinam trahit; opera petra super petram, quæ nullâ pluviâ, nullo vento, nullius impetu fluminis labefactatur. Pluviam autem, ventum, et flumen, nonnulli ita distinguunt,

quasi tribus rebus tres res aliæ significentur. Probabiliùs Christum tribus rebus, quibus potissimùm ædificia labefactari solent, eamdem diem judicii, quasi terribilem quamdam tempestatem, describere voluisse, ut Psal. 49, 3: *Deus manifestè veniet, Deus noster et non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida*. Docet ergo Christus eos, qui bona habuerint opera, firmiter in judicio staturos esse; alios quantùmcumque fidem habuerint, casuros. Non enim resurgent impii in judicio, Hebr. לֹא יָקֻמוּ non stabunt, sicut orator ille Latinus loquitur, cùm in senatu pulcherrimè staremus.

CAPUT VIII.

1. Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.

4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

5. Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum,

6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur.

7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum.

8. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.

9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit.

10. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

11. Dico autem vobis quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum;

12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.

13. Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illâ horâ.

14. Et cùm venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem.

15. Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis.

16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo, et omnes malè habentes curavit:

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.

18. Videns autem Jesus turbas multas circùm se, jussit ire trans fretum.

19. Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te quòcumque ieris.

20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primùm ire, et sepelire patrem meum.

CHAPITRE VIII.

1. Jésus étant descendu de la montagne, une grande foule le suivit.

2. Et voilà qu'un lépreux venant à lui l'adora, en lui disant: Seigneur, si vous voulez, vous pouvez me guérir.

3. Et Jésus étendant la main, le toucha, et lui dit: Je le veux, soyez guéri. Et à l'instant sa lèpre fut guérie.

4. Et Jésus lui dit: Gardez-vous bien de parler de ceci à personne; mais allez vous montrer au prêtre, et offrez le don prescrit par Moïse, afin que cela leur serve de témoignage.

5. Jésus étant entré dans Capharnaüm, un centenier vint à lui, le priant,

6. Et disant: Seigneur, mon serviteur est malade de paralysie dans ma maison, et il souffre extrêmement.

7. Et Jésus lui dit: J'irai et je le guérirai.

8. Mais le centenier lui répondit: Seigneur, je ne suis pas digne que vous entriez dans ma maison; mais dites seulement une parole, et mon serviteur sera guéri.

9. Car je suis un homme soumis aussi à d'autres, ayant des soldats sous moi; je dis à l'un: Allez, et il va; et à l'autre: Venez, et il vient; et à mon serviteur: Faites cela, et il le fait.

10. Jésus entendant ces paroles fut dans l'admiration, et dit à ceux qui le suivaient: Je vous le dis en vérité, je n'ai point trouvé une si grande foi dans Israël.

11. Aussi je vous déclare que plusieurs viendront d'Orient et d'Occident, et s'assoiront dans le royaume des cieux avec Abraham, Isaac et Jacob;

12. Mais que les enfants du royaume seront jetés dans les ténèbres extérieures: c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents.

13. Alors Jésus dit au centenier: Allez, et qu'il vous soit fait selon que vous avez cru. Et à l'heure même son serviteur fut guéri.

14. Jésus étant venu en la maison de Pierre vit sa belle-mère qui était au lit et qui avait la fièvre.

15. Et il lui toucha la main; et la fièvre la quitta, de manière que, s'étant levée, elle se mit à le servir.

16. Sur le soir on lui présenta plusieurs possédés; et d'une parole il chassait les malins esprits, et il guérit tous ceux qui étaient malades,

17. Afin que cette parole du prophète Isaïe fût accomplie: Il a pris lui-même nos infirmités, et il s'est chargé de nos maladies.

18. Or Jésus, se voyant environné d'une grande foule, donna ordre de passer à l'autre bord.

19. Et un scribe s'approchant lui dit: Maître, je vous suivrai en quelque lieu que vous alliez.

20. Et Jésus: Les renards ont leurs tanières, et les oiseaux du ciel ont leurs nids, mais le Fils de l'homme n'a pas où reposer sa tête.

21. Un autre de ses disciples lui dit: Seigneur, permettez-moi auparavant d'aller ensevelir mon père.

imperitis, tam incredibilia humanæ rationi prædicantibus, sine ullis miraculis credidisse, quàm illa ipsa miracula, quæ per eos facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur, quia per fidem sæpè, sine fide rarò admodùm fieri solent. Et cùm fiunt, non ad probandam eorum, qui faciunt; sed eorum, qui veram fidem habent, fieri solent. Nec enim Balaam futura prædicendo suam ipsius; sed populi potiùs Dei, adversùs quem conductus fuerat, fidem confirmavit; et ferè omnia miracula, quæ per hæreticos facta fuisse legimus, quæ paucissima sunt, hujusmodi esse constat; qualia ea, quæ in ecclesiasticis historiis, et apud Anastasium in quæstionibus Scripturæ recensentur. Est etiam argumentum à miraculis ductum; si non omni, unà saltem, aut duabus etiam ex partibus necessarium. Nam etsi non necessariò sequitur, eum qui miracula faciat, veram habere fidem; tamen necessariò sequitur, eam, in quâ frequentia et quasi ordinaria miracula fiant, veram esse Ecclesiam; quia etsi aliquando Deus per privatos extra Ecclesiam suam homines miracula fieri permittat, sicut et per asinam fecit Balaam, quæ in Ecclesiâ certè non erat, tamen nulli generaliter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ ordinariam faciendi miracula concessit potestatem. Magis etiam necessarium est, quod alterâ ex parte per negationem ducitur, in quâ miracula nulla fiant, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse. Itaque rectè hinc probare possumus Calvinistarum, Lutheranorum, Anabaptistarum, et cæteras eorum, qui hodiè regnant, hæreticorum congregationes non veras Ecclesias, sed synagogas esse Satanæ, quia in nullâ earum unquàm miraculum visum est. Objicient hoc loco Hieronymus et Aug. neminem posse dicere *Jesus, nisi in Spiritu sancto*, 1 Cor. 12, 3. Quomodò ergo possunt non solùm dicere *Domine, Domine*, sed etiam nomine Christi miracula facere, qui Spiritum sanctum non habent? Respondent *dicere Jesus* eo in loco non significare verbis dicere; sed factis; id est, Christum non solùm fide confiteri, sed moribus etiam exprimere, quod manifestum est neminem sine Spiritu sancto facere posse.

Vers. 23. — Et tunc. In illâ die, de quâ dixerat versu præcedenti, coram omnibus hominibus, quando revelabuntur abscondita tenebrarum, quasi dicat usque ad illam diem patiar ac dissimulabo, et quasi paleas granis in aream mixtas relinquam; tunc discernam, tunc ventilabo. Hieronym., auctor Imperf. et Beda.

Confitebor. Auctor Imperfecti, hom. 19, pro ὁμολογήσω, confitebor, videtur legisse, ὁμόσω, jurabo, quod benè admodùm congruit. Jurare autem intelligit dicere: *Amen, amen dico vobis, nescio vos*, ut c. 25, 12. Alii interpretantur, *confitebor*, id est, publicè profitebor me eos non nôsse, ut Hieronym. videtur autem simulatæ eorum confessioni veram suam confessionem opponere, quasi dicat illi me coram hominibus fictè confessi sunt; ego eos coram Patre meo verè confitebor, sed me eos minimè cognoscere; sicut è contrario de iis qui verè eum sincerèque confitentur, dicit, c. 10, 32: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*.

Nunquam novi vos. Theophylact. ne tum quidem, cùm miracula faceretis. Omnes veteres auctores observaverunt, inprimisque Origenes, in c. 8, ad Rom., cognoscendi verbum hoc loco, aliisque similibus non cognitionem, sed affectum approbationemque significare, ut, *ego cognosco oves meas*, Joan. 10, 14; et: *Cognovit Dominus qui sunt ejus*, 2 Tim. 2, 19, et, *nescio vos*, Matth. 25, 12, et Lucæ 13, 25. Omnes enim Deus cognoscit, sed non omnes pro suis approbat. Sensus ergo multiplex hujus loci esse potest, aut, *nunquàm novi vos*, id est, nunquàm vos pro meis habui, nunquàm in prædestinatorum numero posui, aut, nunquàm pro veris habui prophetis, quales vos esse simulabatis, quod videtur ad hunc locum ubi de dignoscendis falsis prophetis agitur, magis accommodatum.

Vers. 24. — Omnis ergo. Disputaverat propriè de falsis prophetis, concludit generaliter de omnibus hominibus.

Qui audit verba hæc. Quidam ad ea referunt quæ supra tribus capitibus dicta sunt, ut auctor Imperf. Certius est generaliter de omnibus Christi verbis intelligere, itaque interpretor *verba hæc*, id est, hujusmodi, hæc et similia, aut hæc, id est, mea, quia illa, quæ ante dixerat, ipsius erant verba, et solet ex uno aliquando individuo totum genus significari.

Qui ædificat. Ædificare est in Christum credere, 1 Cor. 3, 10. Hujus ædificii duplex esse dicit fundamentum, arenam et petram. Arenam vocat solam fidem operibus vacuam, vers. 26, *et omnis, qui audit verba hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam*. Petram vocat bona opera, vers. 24: *Omnis ergo, qui audit verba hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificavit domum suam super petram*. Unde duo contra duos Calvinistarum errores colliguntur. Alterum, solam fidem ad salutem non satis esse; alterum, bona opera, quæ adjuncta sunt fidei, non solùm justificare, et ad salutem plurimùm valere, sed firmissimum etiam salutis nostræ esse fundamentum. Neque huic sententiæ illa contraria est, 1 Cor. 3, 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Multi enim in eodem fundamento lapides sunt, summus et primus solus est Christus et præter illud fundamentum aliud nemo potest ponere. Super illum autem alia etiam sunt, quæ eo nituntur fundamenta; nam et apostoli et prophetæ fundamentum appellantur, sed *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*, Ephes. 2, 20, et Apoc. 21, 14. Sic etiam fides et opera duo sunt fundamenta, utrumque primo ac firmissimo fundamento nititur Christo. Sed sola fides arena super petram posita est, quæ quamvis stante, quamvis inconcussâ petrâ, facilè per se ipsa dilabitur, et quidquid superædificatum est, in ruinam trahit; opera petra super petram, quæ nullâ pluviâ, nullo vento, nullius impetu fluminis labefactatur. Pluviam autem, ventum, et flumen, nonnulli ita distinguunt,

quasi tribus rebus tres res aliæ significentur. Probabiliùs Christum tribus rebus, quibus potissimùm ædificia labefactari solent, eamdem diem judicii, quasi terribilem quamdam tempestatem, describere voluisse, ut Psal. 49, 3: *Deus manifestè veniet, Deus noster et non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida*. Docet ergo Christus eos, qui bona habuerint opera, firmiter in judicio staturos esse; alios quantùmcumque fidem habuerint, casuros. Non enim resurgent impii in judicio, Hebr. לֹא יָקֻמוּ non stabunt, sicut orator ille Latinus loquitur, cùm in senatu pulcherrimè staremus.

CAPUT VIII.

1. Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus.

4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

5. Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum,

6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et malè torquetur.

7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum.

8. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.

9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit.

10. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

11. Dico autem vobis quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum;

12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.

13. Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illâ horâ.

14. Et cùm venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem.

15. Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis.

16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo, et omnes malè habentes curavit:

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit.

18. Videns autem Jesus turbas multas circùm se, jussit ire trans fretum.

19. Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te quòcumque ieris.

20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primùm ire, et sepelire patrem meum.

CHAPITRE VIII.

1. Jésus étant descendu de la montagne, une grande foule le suivit.

2. Et voilà qu'un lépreux venant à lui l'adora, en lui disant: Seigneur, si vous voulez, vous pouvez me guérir.

3. Et Jésus étendant la main, le toucha, et lui dit: Je le veux, soyez guéri. Et à l'instant sa lèpre fut guérie.

4. Et Jésus lui dit: Gardez-vous bien de parler de ceci à personne; mais allez vous montrer au prêtre, et offrez le don prescrit par Moïse, afin que cela leur serve de témoignage.

5. Jésus étant entré dans Capharnaüm, un centenier vint à lui, le priant,

6. Et disant: Seigneur, mon serviteur est malade de paralysie dans ma maison, et il souffre extrêmement.

7. Et Jésus lui dit: J'irai et je le guérirai.

8. Mais le centenier lui répondit: Seigneur, je ne suis pas digne que vous entriez dans ma maison; mais dites seulement une parole, et mon serviteur sera guéri.

9. Car je suis un homme soumis aussi à d'autres, ayant des soldats sous moi; je dis à l'un: Allez, et il va; et à l'autre: Venez, et il vient; et à mon serviteur: Faites cela, et il le fait.

10. Jésus entendant ces paroles fut dans l'admiration, et dit à ceux qui le suivaient: Je vous le dis en vérité, je n'ai point trouvé une si grande foi dans Israël.

11. Aussi je vous déclare que plusieurs viendront d'Orient et d'Occident, et s'assoiront dans le royaume des cieux avec Abraham, Isaac et Jacob;

12. Mais que les enfants du royaume seront jetés dans les ténèbres extérieures: c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents.

13. Alors Jésus dit au centenier: Allez, et qu'il vous soit fait selon que vous avez cru. Et à l'heure même son serviteur fut guéri.

14. Jésus étant venu en la maison de Pierre vit sa belle-mère qui était au lit et qui avait la fièvre.

15. Et il lui toucha la main; et la fièvre la quitta, de manière que, s'étant levée, elle se mit à le servir.

16. Sur le soir on lui présenta plusieurs possédés; et d'une parole il chassait les malins esprits, et il guérit tous ceux qui étaient malades,

17. Afin que cette parole du prophète Isaïe fût accomplie: Il a pris lui-même nos infirmités, et il s'est chargé de nos maladies.

18. Or Jésus, se voyant environné d'une grande foule, donna ordre de passer à l'autre bord.

19. Et un scribe s'approchant lui dit: Maître, je vous suivrai en quelque lieu que vous alliez.

20. Et Jésus: Les renards ont leurs tanières, et les oiseaux du ciel ont leurs nids, mais le Fils de l'homme n'a pas où reposer sa tête.

21. Un autre de ses disciples lui dit: Seigneur, permettez-moi auparavant d'aller ensevelir mon père.

22. Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

23. Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.

24. Et ecce motus magnus factus est in mari; ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat.

25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes : Domine, salva nos, perimus

26. Et dicit eis Jesus : Quid timidi estis, modicæ fidei ? Tunc surgens, imperavit ventis et mari ; et facta est tranquillitas magna.

27. Porrò homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ?

28. Et cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

29. Et ecce clamaverunt, dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei ? Venisti huc ante tempus torquere nos ?

30. Erat autem non longè ab illis grex multorum porcorum pascens.

31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes : Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

32. Et ait illis : Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, et mortui sunt in aquis.

33. Pastores autem fugerunt : et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis qui dæmonia habuerant.

34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu : et viso eo rogabant, ut transiret à finibus eorum.

22. Mais Jésus lui dit : Suivez-moi, et laissez aux morts le soin d'ensevelir leurs morts.

23. Et Jésus étant entré dans la barque, ses disciples le suivaient ;

24. Et voilà qu'il s'éleva sur la mer une si grande tempête que la barque était couverte de flots ; et lui cependant dormait.

25. Alors ses disciples s'approchèrent de lui, et le réveillèrent, en lui disant : Seigneur, sauvez-nous, nous périssons.

26. Jésus leur répondit : Pourquoi avez-vous peur, hommes de peu de foi ? Alors se levant, il commanda aux vents et à la mer, et il se fit un grand calme.

27. Alors ceux qui étaient présents furent saisis d'étonnement, et ils disaient : Quel est celui-ci, à qui les vents et la mer obéissent?

28. Jésus étant arrivé à l'autre bord du lac, dans le pays des Gérasèniens, deux possédés, qui étaient si furieux que personne n'osait passer par ce chemin-là, sortirent des sépulcres et vinrent à sa rencontre.

29. Et voilà qu'ils se mirent à crier, disant : Jésus Fils de Dieu, qu'y a-t-il entre vous et nous? Êtes-vous venu ici pour nous tourmenter avant le temps?

30. Or, il y avait non loin d'eux un grand troupeau de pourceaux qui paissaient.

31. Et les démons le priaient, en lui disant : Si vous nous chassez d'ici, envoyez-nous dans ce troupeau de pourceaux.

32. Et il leur dit : Allez. Et étant sortis, ils entrèrent dans les pourceaux ; et voilà que tout le troupeau courut avec impétuosité se précipiter dans la mer, et ils moururent dans les eaux.

33. Alors ceux qui les gardaient, s'enfuirent, et étant venus à la ville, ils racontèrent tout ceci, et ce qui était arrivé aux possédés.

34. Aussitôt toute la ville sortit au devant de Jésus; et l'ayant vu, ils le supplièrent de sortir de leur pays.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Cum autem descendisset. Hieron., Chrisost., hom. 26 ; auctor Imperfecti, 21, ita hoc interpretantur, quasi omnia, quæ tribus superioribus capitibus dicta sunt, in monte à Christo tradita fuerint. Id non ita esse, c. 6, 1, probavimus. Dicit ergo Matthæus : *Cùm descendisset de monte*, non quòd omnia superiora in monte dixisset ; sed quòd cùm, c. 5, 1, scripsisset, eum, ut turbam hominum fugeret, in montem ascendisse, ibique ad apostolos concionem habuisse ; ejusque concionis occasione alias quoque ejus conciones recitàsset, volens nunc exponere, quid postea sequentibus iterùm fecisset turbis, necesse habuit dicere eum de monte descendisse. Nec enim eum turbæ, nisi in campo, sequi poterant. Dicet aliquis cur tum cùm, c. 6 et 7, eas conciones retulit, quas ad easdem turbas Christus habuerat, non dixit evangelista de monte descendisse, neque turbas eum secutas esse. Respondeo non fuisse necessarium dicere eum de monte descendisse, nisi ut redderetur causa, cur cum turbæ secutæ essent ; nec dicere turbas eum concionantem secutas esse, quia non referebat, quos auditores, aut doctrinæ suæ testes, cùm concionaretur, habuisset : Referebat autem scire, quot habuisset miraculorum suorum testes, ne quis supprimere, aut obscurare vellet. Propterea cùm evangelista, posteaquàm de ejus egisset doctrinâ, cujus etiam, ut ait Hieronymus, facta narrare vellet, dixit : *Secutæ sunt eum turbæ*. Quâ in re alium Matthæus, quàm cæteri evangelistæ, secutus est ordinem. Nam alii priùs Christi miracula, quàm doctrinam exposuerunt, quasi ex miraculis, doctrinæ facturi fidem.

Vers. 2. — Et ecce leprosus. Marcus, c. 1, et Lucas, 5, alia quædam miracula priùs narrant. Itaque incertum est utrùm hoc post illa, an post hoc illa facta sint. Nisi quòd Matthæus dicens : *Et ecce leprosus*, videtur significare hoc statim, ut Christus de monte descendit, factum esse. Hanc enim vim habet illud, *et ecce*, ut c. 2, 1, exposuimus. Commodè autem Leon-

Vers. 1. — Cum descendisset. Luc. c. 6, ait stetisse eum in loco campestri. Utrùm idem sit sermo habitus à Domino, qui à Matthæo commemoratur, dubitat Aug. quòd *Matthæus dicat in monte hunc habitum esse sermonem à Domino sedente, Lucas autem in loco campestri à Domino stante... Quamquàm etiam illud posset occurrere in aliquâ excelsiore parte montis, priùs cum solis discipulis Dominum fuisse, quandò ex eis illos duodecim elegit. Deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsâ montis celsitudine in campestrem locum, id est, in aliquam æqualitatem, quæ in latere montis erat, et multas turbas capere poterat, atque ibi stetisse, donec ad eum turbæ congregarentur. Ac postea cùm sedisset, accessisse propinquios discipulos ejus, atque ita illis, cæterisque turbis præsentibus unum habuisse sermonem, quem Matthæus Lucasque narraverunt, diverso narrandi modo, sed eâdem veritate rerum et sententiarum, quas ambo dixerunt*, lib. 2 de Consensu evang., cap. 19.

tius monet ideò, dùm in monte esset, ægrotos illi oblatos non fuisse, ne ejus conciones, quas in monte habebat, impedirentur.

Adorabat, προσεκύνει, flectebat genua, provolvebat se ad ejus pedes ; Marci 1, 40, γονυπετῶν αὐτὸν, ut si Gallicè diceres, *lui faisant tout plein de révérences*, Lucas 5, 12, *cadens in faciem*, Hebraismum secutus, משתחוה לפני, quod multi urbanitatem Christo, tanquàm prophetæ aut viro sancto exhibitam, interpretantur. Ego verò religionem fuisse puto, quia ideò videntur omnes evangelistæ, tanto studio hanc circumstantiam exprimere voluisse, ut ejus leprosi fidem declararent ; quæ minima profectò fuisset, si Christum nihil supra quàm prophetam, aut virum sanctum credidisset. Deum ergo credidit ; neque alii, quàm Deo dicere potuit : *Si vis, potes me mundare*. Non enim dixit, si Patrem oraveris, sed si vis, significans æqualem ipsum cum Patre habere potestatem, ut Chrysostomus, hom. 26 ; Theophylactus, et Euthymius observaverunt. Magna omninò fides, et ratio orandi singularis, quæ nihil petit, sed necessitatem ostendit, fidem prætendit.

Vers. 3. — Et extendens Jesus manum. Quid opus erat extendere, præsertim ad tangendum leprosum, cujus contactus in veteri lege immundus habebatur? Notarunt ex hoc loco et aliis similibus veteres auctores, in quibus Cyrillus Alexandrinus, ideò Christum contactu carnis suæ aliquos ægrotos curare voluisse, ut ostenderet etiam carnem suam propter conjunctionem cum divinitate vim salutiferam, et vivificam habere. Ambrosius, lib. 5 in Lucam, aliam rationem affert, ut humanæ naturæ, quam habebat, probaret veritatem. Alii, ut ostenderet se veteri lege non teneri, quæ lepram tangere prohibebat, Levit. 14, 46, sed tanquàm legislatorem superiorem esse lege, Chrysost., hom. 26 in Matth., et hom. 47, ex variis locis Matthæi, auctor Imperfecti, hom. 21, idem quoque Ambrosius eodem loco, Euthym. et Theophylact. Alii, ut ostenderet se esse non alium qui curavisset, cùm ipse non alius tetigisset, quod apud D. Thomam ex Chrysostomo citatum lego. Alii, ut doceret legem, quæ lepræ contactum prohibebat, ne contingens contaminaretur, in se non habere locum, qui nec contaminari poterat, et leprosum non contaminandi, sed curandi causâ tetigisset, ut Tertullianus ait lib. adversùs Marcionem 4. Eodem modo nunc evangelica, et ecclesiastica lex intelligenda, quâ cum hæreticis agere prohibemur, 2 Tim. 3, 5, et 2 Joan. 10. Non enim prohibemur cum illis agere, ut eos convertamus ; sed ne nos ipsi pervertamur, quia malitia eorum, sicut cancer serpit. Ergo qui Christus est, qui nec perverti potest, et convertere potest, et Ecclesiæ doctores, qui Christi personam gerunt, hæreticos tangant, considerantes tamen seipsos, ne et ipsi tententur ; cæteri quàm longissimè fugiant, maximè verò Calvinistas, quorum et perniciosissimus, et maximè contagiosus est morbus.

Volo, mundare. Respondet iisdem duobus verbis, quibus leprosus usus fuerat, ut ejus fidem effectu confirmet, Ambrosius, lib. 5 in Lucam, Chrysostomus, homiliâ 17, ex variis locis Matthæi. *Mundare* non esse infinitivum, sedim perandi modum Hieronymus et Chrysostomus monuerunt. Quod Hieronymum hominem Latinum fecisse non miror, quia Latinum verbum utriusque modi esse poterat, Chrysostomum Græcum fecisse miror, cùm Græcum verbum καθαρίσθηναι non nisi imperandi modi esse possit. Quæ res facit, ut suspicer id Chrysostomi interpretem addidisse. Rectè ex hoc loco veteres auctores Christi divinitatem probaverunt, quòd quasi propriâ non alienâ usus potestate volendo, imperandoque curaverit, Justinus in expositione fidei, Tertullianus, libro 4 contra Marcionem, Athanasius in libro de communi Essentiâ Patris et Filii et Spiritûs sancti. Idacius Clarius, libro 3 contra Varimadum, Ambrosius, libro 5 in Lucam, Chrysostomus, hom. 26, et quidam divinitatem simul et humanitatem probaverunt, ut Tertullianus, Cyrillus, et Ambrosius cujus hæc verba sunt : *Volo ergo dicit propter Photinum ; imperat propter Arium ; tangit propter Manichæum.*

Vers. 4. — Nemini dixeris. Dignum est quæri cur Christus tantum beneficium prædicare vetet, et quodammodò eum qui accepit, ingratum esse jubeat. Respondet Hilarius, can. 7, ut salus hæc non offerretur, sed quæreretur, id est, ne ideò hoc miraculum, quasi jussu Christi, jactari videretur, ut alii etiam ægroti ad quærendam venirent curationem ; et fidei meritum amitterent, si non sponte, sed miraculo impulsi venirent, quam etiam rationem indicavit Ambrosius, Hieron., ideò prohibuisse, quia necessarium non erat, ut sermone jactaret, quod toto corpore præferebat. Alii, ne gloriam suam quærere videretur, Ambrosius, lib. 5 in Lucam, Chrysostomus, homiliâ 26, Beda, Euthymius, Theophylactus. Mihi sententia auctoris Operis Imperfecti valdè placet, non omninò voluisse Christum, ne quid unquàm diceret ; sed ne diceret, antequàm se sacerdotibus ostenderet ; ne si sacerdotes vulgatâ famâ factum cognovissent, calumniarentur non esse verè mundatum, cujus munditiæ, sicut lex, Levit. 14, præcipiebat, non esset ipsorum judicio, comprobata. Propterea dicit statim, *ostende te sacerdoti*. Quod cur præceperit, etiam iuter interpretes disputatur. Plerique respondent ideò præcepisse, ut ostenderet se legem servare, ut Tertullianus, lib. 4 contra Marcionem ; Chrysost., hom. 26 ; Hieron. et Euthym. Alii, ne, si se sacerdoti non ostendisset, extra civitatem secundùm legem manere cogeretur, nec accepto beneficio frueretur, quia curatis à lepra redire non licebat in civitatem, priusquàm à summo sacerdote de eorum esset curatione judicatum, Theophylactus. Alius quod præcepit Moyses, Levit. 14 : *Duos passerculos*, etc., *in testimonium* : quemadmodùm præcepit Moyses; vel in *testimonium* ; ut eorum incredulitas hoc miraculo revincatur ; aut *in* testimonium, quòd Christus servaret legem, non destrueret.

præterea rationes duas Hieronymus affert; alteram ut humilitatem suam doceret; alteram, quam et Bedam probâsse video, et ego omnium maximè probo, ut inexcusabiles essent sacerdotes, si in ipsum non crederent, cujus miracula probâssent. Hoc enim est, quod statim addit, *in testimonium illis*, quod, ut paulò post dicam, non solùm ad oblationem muneris, sed etiam ad ostensionem spectat.

In testimonium illis. Quidam hoc referunt ad verbum, *præcepit*, ut sit sensus, et offer munus tuum, quod præcepit Moyses, ut esset in testimonium illis curationem non ex sacerdotibus, aut omninò ex hominibus; sed ex Deo profectam esse, ad quem ferè modum Hilarius interpretatur. Nonnulli ad verbum, *offer*, ut auctor Imperf., hom. 21, et Theophylactus, quasi dicat: Offer illis munus, ne, si non obtuleris, curationem tuam calumnientur, et ut muneris acceptio perpetuum contra illos veræ curationis tuæ testimonium sit. Nec enim dicere poterunt, non verè fuisse curatum, pro cujus cogitâ approbatâque curatione munus acceperint. Alii ad utrumque, et ad verbum, *ostende*, et ad verbum *offer*, ut Tertull., Chrysost. et Ambr. iis locis quos ante designavimus, quod ego verissimum judico. Reddit enim rationem non solùm cur munus illum offerre jubeat, sed etiam cur ad sacerdotes mittat, et cur quidquam priùs dicere prohibeat. Sensus ergo est, *nemini quidquam dixeris, sed ostende te sacerdoti, et offer munus tuum, quod præcepit Moyses*, ut illi ipsi, qui maximè mihi adversantur, primi meorum miraculorum testes sint, et proprio ipsorum testimonio eorum incredulitas arguatur. Quale autem munus offerendum esset, scribitur Levit. 14, 4.

Vers. 5. — Accessit ad eum centurio. Hominem fuisse gentilem vel ex ipso nomine manifestum est; nec enim tum cùm Judæi Romani imperii tyrannide premebantur, centuriones ex ipsis factos fuisse credendum est, ut Chrysostomus et Augustinus admonuerunt; et ex vers. 10 et Lucæ 7, 5, colligitur. Disputant autem interpretes an idem hic centurio sit, et ille de quo Lucas scribit. Dubitandi multis causam attulit, quòd magna videatur inter Matthæum et Lucam in ejus historiæ narratione esse discordia. Matthæus dicit centurionem ad Christum accessisse; Lucas misisse ad eum primùm seniores Judæorum, deinde amicos suos, excusâsseque, quòd ad eum ipse non venisset, nec enim se, ut veniret, dignum judicâsse. Matthæus dicit centurionem rogâsse Christum, ne in domum suam veniret; nec enim se dignum esse; Lucas rogâsse, ut veniret. Quibus rationibus adducti nonnulli fuerunt, ut diversam historiam esse dicerent, ut Chrysostomus, hom. 27, et Euthymius meminerunt. Sed omnes veteres interpretes eamdem esse putant. Et verò quis credat duo miracula tam similia esse potuisse, utrumque in Capernaum, utrumque eodem tempore, utrumque in servo centurionis, utrumque in servo paralytico, utrumque centurionem dixisse: *Non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Illi ergo, qui contra sentiunt, inconsideratè faciunt, quòd dissimilia, non similia considerent. Quod autem Matthæus centurionem accessisse, Lucas seniores Judæorum misisse dicat, quidam respondent, utrumque fecisse et principio seniores Judæorum, et postea amicos suos, cùm audivisset Christum adventare, ad eum misisse, quod Lucas, et ad extremum ingravescente morbo ipsum etiam accessisse, quod Matthæus exposuit, ut Chrysostomus, hom. 27, Theophylactus et Euthymius. Alii per alios tantùm non per se accessisse; accedere enim dicitur non solùm qui per se, sed etiam qui per alios accedit, ut comparere coram judice, non solùm qui per se, sed et qui per procuratorem comparet. Sic Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 20, et lib. 33 contra Faustum, c. 7 et 8, et Beda et Leontius hoc in loco. Nec obstat, quod Matthæus dicit, vers. 8, centurionem respondisse: *Domine, non sum dignus*, et vers. 9: *Nam et ego homo sum*. Nam quemadmodùm qui per alium accedit, accessisse; ita qui per alium respondet, respondisse dicitur. Illud majus est argumentum, quòd vero simile esse non videatur seniores Judæorum, qui apud Lucam rogant, ut veniat, hic rogare ne veniat. Sed facilè responderi potest id apud Lucam seniores Judæorum de suo addidisse. Nam centurionem non dixisse illis, ut rogarent Christum ad se venire, ex eodem Lucâ perspicuum est, vers. 6, 7: *Domine, noli vexari, non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres, propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus, ut ad te veniren, sed dic verbo, et sanabitur puer meus*. Ergo seniores Judæorum minùs quàm centurio fidei, plus verò habentes vanitatis non sunt functi fideliter legatione; sed partim non credentes posse Christum solo verbo absentem curare paralyticum, partim, ut ait Chrysostomus, ostendere volentes tantum se auctoritate valere, ut possent Christum adducere, contra quàm in mandatis habebant, rogârunt ut veniret. Sicut et illud de suo addiderunt: *Dignus enim est, cui hoc præstes; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis*. Non enim centurio illis mandaverat, ut se dignum esse dicerent, sed potiùs indignum. Unus igitur evangelista, quid centurio mandâsset; alter, quid Judæi dixissent, exposuit. Illud ego credo, ea verba quæ vers. 8 et 9, sequuntur, à Judæis dicta non fuisse, nec enim tantum habebant fidei, ut tam plenis fidei verbis uti possent, præsertim cùm, ut ex Lucâ constat, ante rogâssent, ut veniret; sed dicta fuisse ab amicis centurionis, quos, ut ait Lucas, cùm audisset adventare Christum, ad eum misit, quosque credibile est gentiles fuisse, quia eos evangelista non Judæos, ut priores, sed amicos vocat, eos ergo tanquàm magis familiares, videns priores infideliter mandata sua peregisse, meliùs instruxit; ut se homi-

Vers. 5. — Cum introisset Capharnaum, per amicos, qui, ut notat Aug.; est usitatus loquendi modus: non enim exprimit an per se, aut per alios accesserit. Quod Matthæus breviter, Lucas distinctiùs enarrat,

nem esse dicant sub potestate constitutum, tamen dicere huic militi: *Vade*, et vadere; alteri: *Fac hoc*, et facere, quod, ut erant fideliores, iisdem quibus acceperant verbis, recitaverunt. Fuerunt, et qui dicerent hunc centurionem illum fuisse regulum, de quo Joannes scribit, cap. 4, 46, et miraculum quod hoc et illo loco narratur idem. Leontius hic, et apud Joannem, itemque apud eumdem Joannem Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius referunt, eorumque opinionem meritò refellunt, nosque illic refutavimus. Itaque abs re est, quòd ad marginem hujus loci locus notatur Joannis, quasi eadem sit historia.

Vers. 6. — Puer meus. Servus meus, ut constat ex Lucâ, cap. 7, 3.

Vers. 8. — Non sum dignus, *sufficiens*, id est, dignus, ut supra, c. 3, 11, et 1 Cor. 15, 9, et ad Colos. 1, 12.

Ut intres sub tectum meum. Non probo, quod quidam dicunt propterea se centurionem indignum appellâsse, quòd gentilis esset, et non liceret Judæis in gentilium domos ingredi. Id enim non minùs facile dixisset; et non solùm dicit se indignum, ut in domum suam intret, sed etiam, ut ipse ad eum adeat, Luc. 7, 7. Non ergo, quia gentilem, sed quia peccatorem se esse sciebat; non superstitione, sed fide dixit se indignum esse ut sub tectum suum intraret; sicut Petrus, Luc. 5, 8: *Exi à me, Domine, quia homo peccator sum*. Beda.

Sed tantum dic verbo. Hebraismus, אמר, dic, id est, jube, *verbo*, unico verbo, non enim solùm opponit verbum facto, sed longo etiam sermoni, ut cùm dicit, *verbo Domini cœli firmati sunt*, id est, unico ac brevissimo verbo: *Fiant, et facti sunt*, Psal. 32, 6. Credibile est audivisse centurionem, quomodò Christus leprosum, non multò antè unico verbo curavisset, *volo, mundare*; indèque tantam concepisse fidem, ut idem in suo servo facere posse non dubitaret. Refert Leontius dixisse quosdam propterea centurionem servum ad Christum non adduxisse, quia jam agebat animam; itaque timuisse, ne in viâ agitatus moreretur, quod ille centurionis fide indignum putat. Qui enim credidit solo verbo morientem sanare potuisse, et illud existimandum est credidisse posse Christum effecre, ne per viam moreretur.

Vers. 9. — Nam et ego homo sum. Theodorus Calvinistarum interpres pro ὑπὸ ἐξουσίαν, *sub potestate*, legendum putat, ἐν ἐξουσίᾳ, in potestate, sensu prorsùs contrario, quasi ita centurio argumentetur: Non opus est ut venias, nam et ego homo sum sicut tu, quamvis minore, in aliquâ tamen potestate constitutus, et solo imperio tacio, quæ volo; duabusque in hac opinionem ductus est conjecturis, altera, quòd non dicat, ἐγὼ γάρ, *ego enim homo sum*, indicans Christum plus esse quàm hominem; sed καὶ γὰρ ἐγὼ, *nam et ego homo sum*, quasi dicat, ut tu. Altera, quòd statim adjiciat, *et habeo sub me milites*, quasi volens explicare, quod dixerat se esse in potestate constitutum. Nolo, testis mihi mea conscientia est, adversarium invidiâ gravare, sed lectorem moneo eam fuisse Arianorum interpretationem; sic enim auctor Operis Imperfecti, homo, ut ex multis locis Commentariorum ipsius manifestum est, Arianus. Quo consilio non solemus eum, ut multi faciunt, Chrysostomi nomine citare, ne sanctissimi et eruditissimi viri auctoritatem spurii et hæretici operis attributione pollluamus; nec omninò citaremus, nisi hanc illi et antiquitas, et eruditio, et subtilitas interpretandi auctoritatem tribuisset, ut etiam hæreticus à Catholicis citari posset, sicut Tertullianum, et alios nonnullos, quos hæreticos fuisse scimus, sæpè citamus. Sensus igitur est omninò contrarius. Non enim à pari, sed à minori ad majus argumentatur. Si ego homo cùm sim sub alterius potestate, id est, sub chiliarcho, et sub imperatore constitutus, tamen quia sub me milites habeo, dico huic: Vade, et vadit, et alteri: Veni, et venit, quantò magis tu, qui sub nullius est potestate, poteris solo tuo imperio servum meum curare; id est, per alios facere, quòd per te facere potes, ut omnes veteres auctores catholici exposuerunt, Augustinus, serm. 6 de Verb. Domini secundùm Matth., Chrysost., hom. 27, Beda, Strabus in Commentariis; omnium autem optimè Leontius ὑπὸ ἐξουσίαν, interpretans, ὑπὸ βασιλέα sub rege, cujus interpretationis, si aliud non haberemus argumentum, quàm quòd hic sensus uberior est, et illâ tantâ centurionis fide magis dignus; hoc unum satis esse magnum existimare deberemus. Quis enim non videt non esse tantæ illi centurionis fidei consentaneum ut se et naturâ et officio quodam modo æquaret Christo, quod etiam si fingamus eum verè facere potuisse, tamen profectò non fecisset. Mali omninò fuisset oratoris se illi, à quo beneficium peteret, æquare. Potiùs se, quamvis superiorem duceret, inferiorem diceret. Et contrariæ conjecturæ non modò leves, sed etiam falsæ sunt. Nec enim est Græcè, ὅτι κἀγώ, *nam et ego*, ut esse oportebat, ut ille, quem isti putant, esset sensus; sed καὶ γὰρ ἐγὼ, *etenim ego*, quod sensum habet omninò contrarium. Etenim ego, cùm non sim Deus, ut tu; sed homo ut ceteri, quibus impero, tamen quia sub me milites habeo, dico huic: Vade, et vadit, et alteri: Veni, et venit. Quod autem dicit se milites habere, non ideò dicit, ut probet se in potestate esse constitutum, sed ut reddat causam, quamobrem dicit huic: Vade, et vadat; illi: Veni et veniat; lego quidem apud Danielem, c. 3, 2, τοὺς ὑπ' ἐξουσίαν genus quoddam militarium præfectorum in Theodotionis editione nominari, qui סגניא Chaldaicè vocantur, sed illos ipsos à potestate, sub quâ, non in quâ essent, sic appellatos puto, tanquam si sub præfectos dicas.

etenim absens sanare poteris, qui nulli subditus es, cùm ego vel absens imperare soleam, tametsi alicujus potestati subditus. Et dico, cùm dico, vade, obedit mihi.

Vers. 10. — Miratus est, non fiduciam centurio-

Vers. 10. — Miratus est. Admirationem nemo ignorat ex antegressâ ignoratione, et consecutâ cognitione proficisci. Admiramur enim quæ videmus, aut audimus aliâve ratione cognoscimus, cùm ante non solùm ignoraremus, sed nec cogitaremus quidem. Itaque hoc ipsum admiratum fuisse Christum, cùm nihil ignoraret, multò verò minùs illam ipsam centurionis fidem, quam mirabatur, cùm, ut ait Augustinus, ipse eam fecisset, meritò miraremur. Quod quidam respondent, miratum, ut hominem, non probo, quia ne homo quidem fidem illam ignorabat. Nihilò probabilius, quod alii dicunt, non propter novam cognitionem, sed propter novam experientiam fuisse miratum. Ponunt enim theologi scientiam quamdam in Christo, quam experimentalem vocant, quamque illum novis rebus acquirere posse dicunt, quemadmodùm ait D. Paulus, *didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, Hebr. 5, 8. Cæterùm experientia non potest admirationem afferre iis qui quidquid experiuntur, animo præsumpserunt; cujusmodi Christum fuisse certum est. Multò probabilius Augustinus non fuisse reverà miratum; sed ut nos miraremur, quasi admirando dixisse, *non inveni tantam fidem in Israel*, lib. 1 contra Advers. leg. et proph., c. 7: *Quisquis*, inquit, *miratur, secundùm consuetudinem, quâ homines loquuntur, inopinatum atque improvisum sibi esse significat, quod miratur. Sed Jesus, qui omnia præsciebat, quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat*, et lib. 1 de Genes. contra Manich., c. 8: *Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse, qui eam mirabatur? quòd si et alius eam fecisset, ut quid miraretur, qui præscius erat? quod mirabatur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnes igitur tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri.* Credo ego ita Christum mirari dici, sicut irasci dicitur Deus, non quòd reverà irascatur, sed quòd puniat, quod homines irati facere solent. Sic Christus miratus dicitur, non quòd miratus, sed quòd ad modum mirantis hominis locutus sit: *O mulier, magna est fides tua*, c. 15, 28.

Non inveni tantam fidem in Israel. Græcè, *ne in Israel quidem tantam fidem inveni*. Quidam, ut ait Chrysostom., hom. 27, ex hoc loco, et ex illo Luc., c. 7, 5: *Et synagogam ipse ædificavit nobis*, collegerunt hunc centurionem Israelitam, non gentilem fuisse. Ex quo utroque loco contrarium colligere debuerunt. Nam et hic cùm dicit Christus se ne in Israel quidem, ubi plus fidei esse oportebat, quòd filius esset Abrahami, qui pater fuit omnium credentium, tantam invenisse fidem, non obscurè significat centurionem fuisse gentilem; et apud Lucam eò magis seniores Judæorum eum commendant, quòd cùm Judæus non esset, Judæos tamen amaret, et Synagogam illis ædificâsset. Quo autem modo dicat Christus se ne in Israel quidem tantam fidem invenisse, cùm in prophetis et apostolis, certè in beatâ Virgine credendum sit fuisse majorem, meritò quæritur. Quidam patriarchas et prophetas excludunt, ut Hieronymus, et Beda, quia non dicit, *non fuit*, sed, *non inveni*, id est, non sum expertus in Israel, ex quo homo factus sum. Sed quid de apostolis, et de beatâ Virgine dicemus? Putat etiam Hieronym. non unius centurionis cum singulorum Israelitarum, sed Ecclesiæ gentilium, quæ per unum centurionem significatur, fidem cum totius Ecclesiæ Judæorum fide comparari, illique præferri. Sed ut hic sensus anagogicus sit, non est certè litteralis; nam ipsius etiam centurionis fidem Christus miratur. Auctor Imperfecti, hom. 22, duas interpretationes non incommodas affert. Alteram, reverà majorem in centurione, quàm in apostolis fuisse fidem. Nec id existimandum absurdum, cùm Christus centurionis fidem tantoperè laudet, apostolorum incredulitatem tantoperè sæpè reprehendat, infra, vers. 26, et c. 14, 31, et 16, 8, et 17, 20, et Marci 16, 14. Alteram, non simpliciter, sed proportione personæ fidem centurionis apostolorum fide majorem fuisse, quia apostoli Judæi, centurio gentilis erat. Itaque major erat in illo mediocris, quàm in apostolis summa fides, sicut hominem rusticum, si quid ex philosophiâ delibaverit, magnum dicimus esse philosophum, et Aristotelibus atque Platonibus anteponimus. Memini legere Trajanum imperatorem magnum habitum fuisse pictorem, quia quantuscumque pictor esset, magnus tamen imperator magnus pictor esse non debuit. Sic homines sumus, ut quidquid præter debitum et opinionem accedit, pro magno habeamus. Duobus ergo modis interpretor, altero, ut Christus non comparet centurionis fidem cum singulorum etiam Apostolorum; sed cum populi fide; sic enim solemus aliquando generaliter loqui, ut eos de quibus dubium non est, excipiendos intelligamus. Dicimus aliquando coram doctissimo viro, illum vel illum omnium, quos unquàm noverimus, doctissimum esse, nimirùm eo excepto, quocum loquimur, cum quo invidiosum et inurbanum esset alterum comparare. Dicit rex illum, aut illum esse hominem totius regni sui potentissimum, haud dubiè se ipsum excipiens, quem longè scit esse potentiorem. Dicit Christus inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne Baptistâ, infra, c. 11, 11, non comprehendens seipsum, qui et ex muliere natus, et longè major erat. Sic hoc loco, cùm dicit se in Israel tantam fidem non invenisse, familiam suam, id est, beatam Virginem, et apostolos non comprehendit. Altero modo sic, ut non de ipsâ fide, sed de externis signis fidei Christus loquatur, quasi dicat: Non inveni, qui ita mihi responderit, qui tantam præ se fidem ferret. Priorem tamen interpretationem magis probo.

Vers. 11. — Ab Oriente et ab Occidente, à toto

nis, sed fidem. Nam postea Christus addidit, v. 13: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi.* Miratus est Christus illam fidem, non ex ignoratione causæ, nihil enim eum fugiebat, sed in modum admirantis se composuit, et hoc egit quod admirantes solent. Non inveni tantam fidem; tacita est exprobratio in populum Judaicum.

Vers. 11. — Recumbent; Christus figuratis utitur locutionibus, quæ tùm erant in usu. Judæi rerum omnium abundantiam sub Messiâ futuram animo præceperant.

orbe terrarum extra regnum Judæ; posuit enim duas remotissimas partes pro omnibus, August., serm. 6 de Verbis Dom. secundùm Matth., venient autem vocati; loquitur enim de gentium vocatione de quâ Isaias, c. 45, 5, 6, 7, 8, 9, vaticinatus fuerat, et de quâ totâ epistolâ ad Romanos, maximè verò undecimo capite, latè disputat D. Paulus.

Et recumbent, ad mensam, metaphora sumpta de convivio; solet enim regnum cœlorum per convivium significari, quia satiabimur, cùm apparuerit gloria ejus, Psal. 16, 15, ut Lucæ 14, 15: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, et Lucæ 22, 29, 30: *Ego dispono vobis, ut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*; et Apocal. 19, 9: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Hoc ipsum per illam parabolam de nuptiis, et invitatis significatur, Matth. 22, 2; Luc. 14, 16. Non solebant gentiles, nec licebat illis priùs cum Judæis ad mensam discumbere; docet Christus in cœlo cum ipsis Judæorum patriarchis Abraham, Isaac, et Jacob discubituros, et Judæis ipsis anteponendos.

Cum Abraham, Isaac, et Jacob. Cur hos tres potissimùm nominaverit, multas causas interpretes afferunt. Prima est, quòd Deus eorum Deus vocabatur, Exodi 3, 6, 15, 16; Hier. Secunda quòd illis promissio terræ Chanaan, per quam regnum cœlorum significabatur, facta esset, Genes. 12, 7, et 15, 15; Theophylact. Tertia propter fidem, quæ in illis maximè eluxit, cujusque imitatione gentes in bonam olivam insertæ servantur, quam etiam Hieronymus indicat. Mihi videntur hi tres tanquàm reipublicæ Judæorum fundatores nominari, qui veluti in capite mensæ sessuri sint, ut significetur gentes cum illis, id est, proximè illos sessuras esse, Judæisque præferendas, sicut illius centurionis fides, cujus occasione hæc dicta sunt, propiùs ad fidem Abraham, Isaac et Jacob, quàm Judæorum fides accessit, sicut sinus Abraham vocatus est, illud veluti conclave, ubi Abraham cœlestium deliciarum gustu quodam expectatione fruebatur, Luc. 16, 22.

Vers. 12. — Filii autem regni. Filios regni, quasi filios regis, id est, Dei, et proinde hæredes nonnulli vocari putant. Non approbo; cur enim non potiùs filios regis appellâsset? Alii, in quibus Deus ante regnaverat. *Notus enim in Judæâ Deus*, Psal. 75, 1; Hieron. et Beda. Alii, quod mihi magis placet, quibus regnum cœlorum promissum erat, et qui in ejus quodammodò erant possessione; propterea enim dicuntur ejici foràs, quasi jam priùs intùs fuissent, ut ille, qui in cœnaculo sine veste nuptiali inventus est, c. 22, 12, sic ferè Theophylactus. Dicuntur ergo filii regni Hebraismo, quia ad regnum nati destinatique erant; sicut filius mortis, qui ad mortem est destinatus, aut filius mortificationis, Psal. 78, 11, בני תמותה quos noster interpres reddit, *filios mortificatorum*. Non displicet tamen, quod nonnulli dicunt, filios regni vocari, quòd in regno Judæorum nati essent, quod veluti umbra quædam, et exordium erat regni cœlestis, ut opponantur Judæi gentibus, quasi indigenæ alienigenis, et, ut Galli dicunt, naturales subjecti externis; et quod alii, filios regni appellari, non quòd essent, nec enim foràs ejecti essent, sed quòd esse debuerunt, suâque non fuerunt culpâ; quemadmodùm filii sapientiæ vocati sunt, non quia erant, sed quia maximè debebant esse sapientes, Luc. 7, 35: *Justificata est sapientia à filiis suis.*

In tenebras exteriores. Infernum significari dubium non est, etsi Origenes, tractatu in Matth. 25, Purgatorium, quod extra infernum sit, interpretatur. Dubium tamen, cur tenebræ, et cur exteriores appellentur, cùm et ignis illic sit, et maximè internæ, et abditæ esse videantur. Certum enim est ita Christum de inferno, sicut de carcere aliquo loqui, qui ut tenebrosus sit; tamen tenebræ internæ sunt, non externæ; et eò quidem magis internæ, quò majores sunt. Cur tenebræ vocentur, multi rationem alii aliam reddiderunt; cur exteriores, admodùm pauci. Hieronymus in commentariis, et August., epistolâ ad Honoratum 120, c. 22, et Ambrosius, lib. 7 in Lucam, propterea damnatos in tenebras mitti dicunt, quòd à Deo vero lumine discedant. Nescio an hoc etsi verum est, potiùs sit allegoricum. Sicut et illa altera interpretatio, quam affert Augustinus in commentariis in Psal. 6, exteriores tenebras extremam, et quæ ultra sanari non possit, cæcitatem appellari; in quam omnes damnati mittuntur, quia nullam in inferno agere possunt pœnitentiam. Alii tenebras quidem dici, quòd locus ille inferni luce careat, ut ait Judas, vers. 6: *Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium ad judicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Nam etsi in inferno verus est ignis, tamen, ut Basilius et Damascenus docent, calidus est, lucidus non est, quia non solo calore damnatos, sed etiam obscuritate torquet; exteriores autem appellari non omnes, quæ in inferno sunt; sed eas in quas dicuntur ejiciendi esse Judæi. Multos enim illic esse pœnarum gradus, omnium gravissimas tenebras exteriores nominari; ita Theophylactus. Quod eò videtur magis convenire, quò plenior est inter Gentiles et Judæos antithesis, ut quemadmodùm dixerat Gentiles cum Abraham, Isaac, et Jacob, id est, primo loco in cœlo discubituros; ita nunc dicat Judæos ultimo in inferno loco futuros esse. Sed aliter tamen interpretari possumus: cùm enim agatur de regno cœlorum, ex quo, qui excluduntur, in tenebras exteriores ejici dicantur, ratio postulat, ut inde causa petatur, quare locus, in quem mittuntur, et tenebræ, et exteriores appellentur. Agitur autem hoc loco, sicut multis aliis, de regno cœlorum sub figurâ et similitudine convivii, nec prandii, sed cœnæ, quia antiquus mos est, ut convivia ad cœnam potiùs quàm ad prandium celebrentur, quia positis tunc negotiorum curis longiùs in noctem quàm in diem trahi possunt. Itaque rectè dixit D. Paulus: *Qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* 1 Thessal. 5, 7. Quam ob rem semper videmus cœnam, nunquàm prandium appellari, Matth. 22, 2; Luc. 14, 16; Apocal. 19, 9, solent autem conviviales cœnæ, quia de nocte fiunt, copioso tædarum lumine celebrari,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod non solùm ad necessitatem et usum, sed etiam ad celebritatem et ambitionem adhibetur. Itaque qui in cœnaculo sunt, in magno sunt lumine; qui extra, in magnis versantur tenebris. Ideò, qui ex regno cœlorum extruduntur, in tenebras exteriores ejici dicuntur, quia quidquid tunc extra regnum cœlorum erit, si cum eo comparetur, tenebræ erit. Nam qui in eo erunt, *non egebunt lumine solis, neque lumine lucernæ, quoniam Dominus Deus illuminabit eos, et regnabunt in æternum*, Apocal. 22, 5.

IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM. Quidam hæc duo ita distinguunt, ut duo suppliciorum genera alterum ignis, alterum frigoris significentur, ut apud Job, 24, 19, *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius*, Beda hoc loco, et Hieronymus, aut, si quis alius est auctor, in commentariis in c. 24 Job. Duplicem enim esse gehennam, alteram caloris, alteram frigoris, ideòque solere aliquando addito epitheto *Gehennam ignis* appellari, quasi ut ab alterâ, quæ nivis est, distinguatur, Matth. 5, 22, et 18, 9. Non disputo, an duplex Gehenna sit, nec quomodò locus ille Job intelligatur, quia hujus loci non est. Tantùm dico eam opinionem non esse aliorum auctorum approbatione receptam, et Christum hoc loco, et aliis similibus, non ideò fletum et stridorem dentium nominâsse, ut duo suppliciorum genera notaret, quasi fletum calor, et fumus; stridorem frigus effecturum sit: sed unam et camdem rem, id est, maximam tormentorum vim fletu, et stridore dentium significâsse, quia utrumque qui vehementissimè torquentur, facere solent, et flent, et dentibus strident. An autem et fletus, et stridor dentium verus futurus sit, an per hæc duo, quæ apud nos in suppliciis fieri solent, maxima illa inferni supplicia per metaphoram declarentur, nihil ausim in unam, vel alteram partem affirmare; malim tamen verum fletum et stridorem, quàm metaphoricum, et quia ita Hieronymus sentit, hinc futuram corporum resurrectionem probans; et quia quod propriè interpretari possumus, per figuram interpretari incredulorum hominum est, et quasi fidei diverticula quærentium.

VERS. 13. — VADE. Hebraismus est hominis concedentis, quod rogabatur, ut Jud. 11, 38, et 1 Reg. 17, 37, et 2 Reg. 14, 8, et Marc. 5, 34; Luc. 7, 50; et 8, 48; et Joan. 4, 50. *Vade, filius tuus vivit*; quemadmodùm Galli dicunt, ut significent se, quod petitur, liberaliter et hilarè concedere, *allez, vous l'aurez*. Collegerunt veteres auctores, et hoc ex aliis consimilibus locis, ut infra, c. 9, 2, et Marc. 2, 5, et Luc. 5, 20, fidem unius alteri prodesse. Nam servus centurionis, aut fidem non habebat; aut si habebat, nec enim constat, non propter suam, sed propter centurionis fidem sanatus est. Ita Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi. 5; Chrysostom., hom. 28; Ambros., libro 5 in Lucam.

VERS. 14 — CUM VENISSET. Accidit hoc simul atque Christus in synagogâ Capernaum concionem illam habuisset, propter quam miratæ sunt turbæ, c. 7, 28, ut constat ex Marc. 1, 22, et ex Lucâ 4, 32, et postquàm dæmonium illud ejecisset, de quo Marc. 1, 24, et Luc. 4, 34, scripserunt, de quo Matthæus mentionem non fecit. Describitur autem tota hæc historia distinctiùs à Marco, ut Chrysos., hom. 28, et August., lib. 2, de Consen. evang., c. 21, admonuerunt, narrat enim quatuor tantùm apostolos Petrum, Andream, Jacobum et Joannem fuisse cum Christo, cùm venit in domum Petri, eorumque indicio monitum fuisse Petri socrum ægrotare, rogatumque curâsse.

IN DOMUM PETRI. Duplex ex uno verbo oritur quæstio, altera quomodò tunc Petrus domum haberet, cùm omnia jam reliquisset, c. 19, 27. Hæreticorum interpretes respondere solent, non omninò Apostolos omnia sua reliquisse, sed curam administrationemque suorum bonorum, quam Christum sequentes, et evangelio servientes, gerere non poterant; solitos tamen ad sua redire, cùm evangelii prædicatio non impediebat. Vellent, ut opinor, boni isti viri Apostoli videri; sed quia similes Apostolis fieri nolunt, volunt sibi Apostolos similes facere. Nonnullos miror Catholicos interpretes, dùm eorum commentarios minùs cautè legunt, in eumdem errorem abductos. Respondeo ergo Petrum domum non habuisse; nec enim mentitus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*, c. 19, 27. Nec interpretari possumus reliquisse curam; quia dubium non est eo modo dicere voluisse se et cæteros apostolos omnia reliquisse, quo Christus paulò ante illi adolescenti dixerat, vers. 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende universa quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Ad hæc enim verba Christi alludens Petrus dicit: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Domus ergo Petri vocatur, non quia tunc erat, sed quia aliquando Petri fuerat, quam credibile est, quia pauperes erant, uxori et socrui suæ reliquisse; nisi ipsarum fortassè erat, et Petri vocabatur, quia Petrus in eâ antequàm apostolus esset, habitabat. Sed quia, Marc. 1, 29, dicit fuisse domum Simonis et Andreæ, credibile est neutrius fuisse; sed patris eorum, quæ eorum dicitur, sicut domus parentum dicitur etiam filiorum. Altera quæstio est, quomodò Petrus in Capharnaum domum haberet, cum Bethsaidæ civis esset, Joan. 1, 44. Nam hæc in Capharnaum facta esse constat. Marc. 1, 21, Luc. 4, 31. Hæretici interpretes fingunt eum duplicem habuisse domum, alteram Bethsaidæ, ubi natus erat; alteram in Capharnaum, ubi propter piscationis commoditatem habitabat. Erat enim Capharnaum ad oram Genesarethici lacûs piscatione nobilissimi; aut certè, quia Christus in Capharnaum solebat habitare, eò domum suam transtulisse; scilicet non errore uno contenti, quòd Petrum bona sua negâssent reliquisse, errorem alterum addiderunt, ut

VERS. 14. — ET CUM VENISSET, etc. Aug., loco citato: *Hoc quando factum sit, id est, post quid, vel ante quid, non expressit Matthæus. Non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est ut intelligatur*; ac verisimile est, quæ sequuntur usque ad v. 35 capitis sequentis ante sermonem Domini in monte acta fuisse.

Petrum jam factum apostolum altero tanto, quàm unquàm privatus piscator fuerat, locupletiorem facerent. Catholicos sanè laudare non possum, qui hâc in re hæreticorum, quam Catholicorum interpretationem sequi maluerunt, quasi non esset Deus in Israel; et tam docti, atque Catholici ad hanc quæstionem multò longè melius respondissent hanc domum Petri non fuisse in Capharnaum, sed Bethsaidæ, quæ vicinissima erat, ita ut Christus exiens ex synagogâ Capharnaitarum Bethsaidam pransum, aut cœnatum ire potuerit.

VERS. 15. — ET TETIGIT, ut apprehenderet manum ejus, ac levaret, ut exponit Marcus, c. 1, 31.

VERS. 17. — UT ADIMPLERETUR. Vide c. 2, 15.

IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, ἀνέλαβε, accepit, dixit, pro, ἤνεγκε, tulit, portavit, ut est apud Isaiam חלינו הוא נשא Hieronymus vertit ad verbum, *infirmitates nostras ipse portavit*. Septuaginta sensum non verba reddiderunt, οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, ipse peccata nostra portat, more Sept., qui λαμβάνειν *accipere* solent dicere pro φέρειν *portare*, ut Levit. 17, 6, et 22, 9. Quod à prophetâ de peccatis dictum erat, evangelista ad morbos corporis accommodat sive quia Christus corporis morbos, non nisi propter morbos animi curabat; sive, ut ait, hom. 28, Chrysost., quia morbi corporis peccati pœna sunt, et plerùmque ex morbis animi nascuntur; sive quia ita solet Matthæus prophetias non ad eumdem, sed ad similem sensum accommodare, ut c. 2, 15, 18.

VERS. 18. — VIDENS AUTEM TURBAS. Reddit tacitè causam, cur stagnum trajecerit, nempe ut fugeret multitudinem ut c. 5, 1: *Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem*, Marcus, c. 1, 35, *diluculo valdè surgens*, Lucas, c. 4, 42, *et die factâ*, id est, primâ luce, uterque significat Christum clam subfugere voluisse, ne se hominum turba sequeretur, ut Joseph., c. 2, 14: *Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.* D. Augustinus, lib. 2, de Consensu evangelistarum, c. 21, putat non accidisse hoc postridie, quàm concionem illam, c. 7, habuisset, et socrum Petri curavisset, quia Marcus et Lucas scribunt eum tunc in desertum secessisse. Sed intelligendum est secessisse in desertum trajecto lacu; nam ultra lacum, desertum et montes fuisse constat ex Marco 5, 11, et ex Lucâ, c. 8, 32.

VERS. 20. — ET DICIT EI JESUS. Cur Christus istum Scribam volentem ejus esse discipulum tam asperè rejecerit; mirum videri potest. Sed ex circumstantiâ personæ, et ex Christi responso non est difficilis conjectura cognovisse Christum eum non tam perfectionis, quàm lucri, aut gloriæ causâ venire, ideòque propositâ paupertate terruisse, sicut filios Zebedæi, qui honoris cum causâ sequi volebant, expositâ crucis ignominiâ, deterret, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* infra c. 20, 22, et illum, qui satis sibi bonus esse videbatur, paupertatis propositâ perfectione, *si vis perfectus esse, vade, et vende universa quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*, Chrys., hom. 28, Hilarius, Hieronym. in Comment., August. sermon. 7 de Verbis Domini secundùm Matthæum, Theophylactus, et Euthym. in hunc locum.

FILIUS HOMINIS, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Hinc olim Gentiles probare conabantur Christum virili semine natum fuisse, quod non ὁ υἱὸς τῆς ἀνθρώπου, id est, filius hominis feminæ; sed ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, id est, filius hominis maris diceretur, auctor Justinus, q. 66 ad Orthodoxos. Quorum ille argumento, non tam respondet, quàm ex aliis Scripturæ locis probat Christum ex viri semine natum non fuisse. Sed non est difficilis responsio, filium hominis Hebræorum idiomate nihil aliud, quàm hominem significare. Nam cùm omnes filios hominum generaliter Scriptura nominat, Adamum etiam primum hominem comprehendit, qui neque hominis maris, neque feminæ filius fuit; sed tamen quia homo fuit filius hominis appellatur. Nisi si quis malit dicere vocari filium hominis eo modo, quo eum filium Abraham, et filium David Scriptura vocat. Illa major et difficilior est quæstio, cur solus Christus in novo, solus Ezechiel in veteri Testamento ita vocetur. Nec enim memini alium quem præter hos duos, aut certè tam frequenter et propriè ita vocari, licèt communiter, et in genere omnes homines filii hominum appellentur. Nam quod Daniel, c. 7, 13, dicit: *Et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat*, omnes de Christo interpretantur, nec dubium est, quin de illo sit intelligendum. Cur Ezechiel ita vocatus sit, diximus in ejus commentariis, c. 2, 1, cur Christus, hic dicendum. Deliria veterum hæreticorum prætermitto, quæ, si quem scire juvat, Irenæum legat lib. 1, c. 7, aliorum tantùm opiniones recitabo. Quidam ergo sic appellari voluisse dicunt, ut ostenderet se eum esse, quem prophetæ humanam naturam sumpturum prædixerant, quemque filium etiam hominis appellaverant, Daniel. 7, 13. Hæc est Epiphanii sententia adversùs Noetianos, hæres. 57, et Theodoreti in Comment. in c. 7 Danielis. Alii filium hominis quasi Adami vocari putant, ut ostendat se patrem hominem non habere, sed per virginem ex Adamo usque genus traxisse. Hæc Gregorii Nazian. orat. 4, de Theolog. Alii, ut ipso nomine incarnationis suæ magnum erga nos beneficium declararet, August. lib. 2 de Consens. evang., c. 1: *Commendans*, inquit, *nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis.* Aliam aliis locis rationem affert, quia erat etiam filius Dei, voluisse humanam naturam eâ appellatione à divinâ distinguere, ut indicat epistolâ 174, et tract. 25 in Joannem. Alii sim-

VERS. 17. — UT ADIMPLERETUR, etc. Verba Isaiæ, c. 53, juxta textum Hebræum potiùs citantur, quàm juxta Septuaginta. IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT; in se suscepit, ac pertulit, ut loquitur Petrus. 1 Epist. 2, et morbos peccatorum effectus sustulit.

VERS. 18. — TRANS FRETUM, Græcè, *trans lacum*, ubi erat solitudo. Hinc Marcus et Lucas scribunt eum in desertum secessisse.

VERS. 19. — ET ACCEDENS UNUS SCRIBA; miraculis commotus Christum sequi affectabat, cujus ambitionem et dolosum animum Dominus perstringit: nam gloriâ et lucri cupiditate tenebatur.

pliciter dicunt voluisse se verum esse hominem significare, ut Tertullian. in lib. de Carne Christi. Mihi vera ratio, cur sese ita vocaverit, duabus ex rebus petenda esse videtur; altera quòd solus, ipse et Ezechiel ita vocetur, ut Irenæus, lib. 3, c. 18, notavit; altera, quòd solus ipse se ita vocet. Nam alii in novo Testamento nunquàm eum filium hominis appellant. Ex priore re intelligimus posse eâdem, aut simili de causâ, quâ Ezechielem filium hominis appellari. Cur autem Ezechiel ita vocatus sit, cùm multas illic opiniones recensuerimus, illam R. Abraham maximè probavimus, vocari eum filium hominis, quia semper cum angelis loquebatur, qui eum, ut à se, qui homines non erant, sed videbantur, distinguerent, filium hominis appellabant. Nec enim ipse se, sed eum angeli ita vocant. Simili fortassè ratione Christus quia Deus erat, et filius Dei, quasi antithesi quâdam cùm de se, ut homine, loquitur, filium hominis vocat : non quòd alius, sed quòd aliter filius Dei, quia Deus, et filius hominis, quia homo esset, quemadmodum Augustinus indicavit. Ex posteriore probabilem conjecturam ducimus eum se non honoris, sed abjectionis causâ ita vocare, sicut apud prophetam vermem et opprobrium hominum se appellat, Psal. 21, 7. Nisi enim abjectionis nomen esset, alii etiam cum aliquando eod m modo vocavissent. Sed observamus Ezechielem nunquàm à se, sed ab aliis; Christum nunquàm ab aliis, sed à se filium hominis appellari. Ideò ergo se filium hominis appellat, ut significet se, cùm in formâ Dei esset, nec rapinam arbitraretur se esse æqualem Deo, exinanisse tamen semetipsum, formamque servi accepisse, et habitu inventum, ut hominem, Philipp. 2, 6, 7.

Vers. 21. — Alius autem. Priùs Christus illi dixerat : *Sequere me*, quod Matthæus tacet. Lucas dicit, c. 9, 59, ideò petit à Christo facultatem patrem priùs sepeliendi.

Permitte me primum ire; et sepelire patrem meum. Sunt qui putent nondùm fuisse mortuum; sed sensum esse permitte me ire, et adesse patri meo jam seni, donec moriatur; eo mortuo et sepulto te sequar, quemadmodùm et Lyranus interpretatur. Multò magis opinionem probo veterum interpretum Chrysost., hom. 28; Basil. in lib. de Const. monastic., c. 21 Theophylacti, et Euthymii, jam ejus patrem fuisse mortuum. Mortuum enim fuisse nomine sepulturæ declaratur; mortuum autem non fuisse, non declaratur. Et verisimile non est eum, quem Christus cognoscens vocabat, tam longi, tamque incerti temporis inducias petivisse. Nec mirandum esset Christum illi respondisse, *sine mortuos sepelire mortuos suos*, quia meritò reprehendendus erat, si tam longo à Christo tempore jam vocatus abesse voluisset. Mirandum autem quòd Christus eum ne ad sepeliendum quidem jam mortuum patrem ire permiserit; et manifestum est Christum, cùm ita respondit, rem maximè mirabilem, et præter humanam opinionem dicere voluisse. Itaque qui hâc utuntur ratione, ut probent nondùm illius patrem fuisse mortuum, quòd vero simile non putent tam crudelem fuisse Christum, ut tantillum temporis ad sepeliendum jam mortuum patrem concedere noluerit, non mihi videntur satis Christi consilium intelligere. qui procul dubio docere voluit, cùm ab eo vocamur, ne unius quidem diei, aut horæ moram etiam pietatis causâ, etiam ad sepeliendum jam mortuum patrem interponere debere, quominùs è vestigio vocantem sequamur. Nullam majorem esse posse pietatem, quàm ipsum sequi; cùm ne patrem quidem, nisi propter ipsum, sepelire debeamus.

Vers. 22. — Sine mortuos. Manifestum est Christum eleganti ejusdem nominis ambiguitate uti voluisse. Cùm enim bis nominet mortuos, dubium non est quin eodem utrobique modo non accipiatur. Aut enim utrobique mortuos, aut utrobique vivos, sed metaphoricè mortuos appellaret. Quod utrumque fieri non potest; quia neque mortui mortuos, neque vivi vivos sepelire possunt. Mortuos ergo priore loco quidam infideles vocari putant, ut Hilarius, Chrysostom., hom. 28; Hieronym., Ambrosius in Psal. 48. Alii, quibus magis assentior, omnes peccatores, qui non de Christo, sed de hujus mundi rebus cogitant, ut August., lib. 4, de Trinitate, c. 3, et lib. 20, de Civitate, c. 6, et q. 6, in Matthæum, ut ad Ephes. 2, 1 : *Et vos convivificavit cùm essetis mortui delictis, et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulâstis*; et ad Ephes. 5, 14 : *Surge, qui dormis, et exurge à mortuis; et illuminabit te Christus*; et 1 Tim. 5, 6 : *Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.*

Mortuos suos. Hic vocat mortuos, qui verè mortui sunt. Cur autem vocet *suos;* quæstione non vacat. Hilarius, Chrysostomus, et Euthymius colligunt hinc patrem ejus, quem Christus vocaverat, gentilem fuisse, ideòque suum appellare, quasi dicat, sine gentiles sepelire gentiles suos; sed credibile non est Christum hominem, qui Judæus non esset, ad prædicandum Evangelium vocavisse; cùm etiam ad prædicandum gentibus non gentilem; sed Judæum vocaverit D. Paulum. *Suos* ergo vocat, qui sicut illi mortui sunt, *suos*, id est, sibi similes, quia utrique, quamvis non eodem modo mortui sunt. Aut *suos*, id est, suum quemque patrem, suum filium, suam uxorem, ut loquitur Abraham, Genes. 23, 4 : *Date mihi jus sepulcri vobiscum ut sepeliam mortuum meum*, et vers. 13 : *Dabo pecuniam pro agro, suscipe eum, et sic sepeliam mortuum meum.*

Vers. — 24 : Et ecce motus magnus factus est in mari, in lacu Genesareth. Itaque Lucas, c. 8, 22, stagnum appellat. Nemo enim nescit et illum, et Asphaltitem lacum mare propter magnitudinem vocari. Tria autem videntur hic non casu, neque naturâ, sed consilio, et providentiâ Christi facta esse. Primum, quòd Christus solus cum discipulis navim unam conscenderit, ut explicatur à Lucâ, c. 8, 22, ut posset liberiùs eorum reprehendere diffidentiam, *quid timidi estis modicæ fidei?* vers. 26. Secundum, ut tempestas oriretur; excitat enim nobis ipse aliquando Deus tempestates, et probet, sicut excitavit Job. Tertium, ut Christus dormiret, quem etsi verum et naturalem, non simulatum, ut quidam putant, somnum fuisse putandum est, tamen est credibile fuisse etiam voluntarium et procuratum, ut tempestas eo dormiente, et quasi sine ejus consilio oriretur.

Vers. 26. — Imperavit. Fortè legendum increpavit, ἐπετίμησεν, ut Marc. 4, 39, et Luc. 4, 39, et 8, 24. Sic enim aliis locis solet vertere, et propiùs abest à Græco. Loquitur autem Christus ventis, tempestati, et morbis, aliisque rebus similibus, perinde atque si malis spiritibus loqueretur. Neque enim res naturales, sed rationales increpamus, ut infra, c. 17, 18, et Luc. 4, 35, 41. et 9, 42. Ideò, ut opinor, quia morbi et tempestates sæpè per malos spiritus immittuntur; ut ait David, immissiones per angelos malos, Psal. 77, 49, et sicut Satan immisit ventum validum à regione deserti, et concussit quatuor angulos domûs, ubi filii, filiæque Job convivabantur, ita ut eos domus obruerit, Job. 1, 19.

Vers. 27. — Porrò homines mirati sunt. Qui homines? Hieronymus apostolos intelligit. Beda alios, qui in eâdem erant navi. Sed nec apostolos miratos fuisse credendum est tot jam Christi miraculis assuetos; et alios in navi non fuisse, vers. 24 probatum à nobis est. Quare reliquum est, ut alios homines intelligamus, qui in aliis erant navibus. Nec enim tam clam Christus potuit discedere, quin multi etiam conscensis navibus sequerentur, ut scribit Marcus, c. 4, 36. Est autem, ut ego arbitror, Hebraismus, quo nomine hominum vulgus significatur, ut supra, c. 5, 13 : *Ad nihilum valet ultra, nisi ut conculcetur ab hominibus*, id est, ut Galli loquuntur, ab omnibus præterentibus. Et infra, c. 16, 13 : *Quem dicunt homines esse filium hominis?* id est, quem vulgò dicunt?

Vers. 28. — Duo habentes dæmonia. Marcus, c. 5, 2, et Lucas, c. 8, 27, unius tantùm meminerunt. Eâdem tamen historiâ. Sed Matthæus de duobus mentionem fecit, quia duo erant; Marcus et Lucas de uno tantùm, sive quia persona erat nobilior, ut Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistar., c. 24, et Beda, et Strabus in commentariis existimant; sive, quod magis credo, quòd alter sævior esset, multòque magis vexaretur, quippè qui ab integrâ legione dæmonum obsideretur, Marc. 5, 9, et Luc. 8, 30, ut Chrysostomus, Euthymius, et Theophylact. arbitrantur. Voluerunt enim Marcus, et Lucas miraculum illud de integrâ legione dæmonum, quod singulare erat, singulariter persequi, ideòque alterum in hoc occupati silentio prætereunt : de hoc autem multa recensent, quæ Matthæus prætermisit.

De monumentis exeuntes, quia in monumentis habitabant, ut declarat Marcus, c. 5, 3, et Lucas, c. 8, 27. Quo autem modo potuerint in monumentis, id est, in sepulcris habitare, facilè ex formâ veterum sepulcrorum intelligitur. Erant enim sepulcra cavernæ aut in rupibus excisæ, aut lapideo, vel lateritio opere camerataæ, quales nunc suni cellæ vinariæ; ut ex Christi sepulcro manifestum est, quod excisum erat in petrâ, c. 27, 60, et in quod Joannes, et Petrus intrârunt, Joan. 20, 6, et très illæ mulieres portantes aromata ingressæ sunt, Lucæ 24, 3. Quæri propter hunc locum solet, quare dæmoniaci illi in sepulcris habitarent. Chrysostomus, hom. 28, Euthymius et Theophylactus id à dæmonibus factum fuisse dicunt, ut homines in eum errorem inducerent, quem Chrysostomus indicat suo tempore viguisse, mortuorum animas in dæmones commutari. Eam Platonicorum fuisse sententiam D. August., lib. 9, de Civitate, c. 11, auctor est. Eamdemque Tertullianistarum scribit in lib. de Hæres. ad Quodvult., c. 86. Alii putant dæmones eos, quos torquebant, ideò in sepulcris habitare coegisse, ut magis horrore loci, fœtoreque vexarent. Alii libenter in sepulcris versari dæmones, ut odio generis humani mortuorum corporibus illudant. Nam et de Mosis corpore Michaelem Archangelum cum diabolo contendisse legimus in epist. Jud. 9. Unde, ut opinor, laudabilis Ecclesiæ consuetudo nata est in sepulcris ponendi cruces, et sacratam exorcismis aquam aspergendi. Veram causam mihi videtur obscurè Lucas, c. 8, 27, indicâsse, *neque vestimento*, inquit, *induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.* Quod ideò dicit, ut probet sævum admodùm fuisse dæmonium; unde colligimus idcircò in domo non habitâsse, quòd nemo dæmoniacum propter sævitiam domo recipere auderet; exclusus autem communi hominum habitatione in sepulcra, quia, ut diximus, quasi camerata erant, sese recipiebat.

Vers. 28. — Gerasenorum, Græcè *Gergenorum*; Marcus et Lucas Gadarenorum, Genes. 10. *Gergesæi* vocantur in textu Hebræo, quam vocem retinuit Matthæus qui scripsit Hebraicè. Urbs autem *Gergesa* nulla ampliùs tum erat : propè illam Syri condiderunt Gerasam, ut eam vocat Josephus l. 2 Belli Judaici, c. 35, ac primis Ecclesiæ temporibus sic vocata est : unde vulgata editio regionem Gerasenorum vertit. Lucas verò Antiochensis regionem Gadarenorum Græcè scripsit. Hoc enim nomine apud Syro. Macedonas nota erat, inter præcipuas urbes Decapoleos. Nam regio Gerasenorum à Pompeii temporibus subdita erat Gadarenis, quorum urbem Pompeius instaurari jusserat, in gratiam Demetrii liberti sui hinc oriundi. Ita Pezronius Abbas qui addit in eam regionem gentium se contulisse Dominum, quòd ibi plures essent Judæi, in quos humaniores erant Geraseni ex Josepho, loco citato, c. 55, 55. Decapoleos autem quinque urbes sitæ erant propè Jordanis fontes, aliæ ultra lacum, atque hæ urbes ad Græcos Syriæ pertinebant, ex Plinio, l. 5, cap. 18. Unius tantùm energumeni mentionem facium Marcus et Lucas, quòd forte alter ex iis multò notior esset : in quo erat legio dæmonum, uti respondet Augustinus, aut quòd hic solus à Christo curatus fuerit.

Vers. 22. — Dimitte mortuos, etc. Non prohibet officium pietatis, sed evangelizandi officium præferendum insinuat. Ac fortè petiit ille ut patris curam gereret, usque ad ejus mortem : mortui penès animam mortuos corpore sepeliant : in quæ magis sunt necessaria, cura. Priùs illi dixerat Christus, *sequere me*, Lucæ 9, ideò petit facultatem patris sepeliendi.

Vers. 24. — Dormiebat, somno voluntario, ut ad illius opem discipuli confugerent, et suæ fidei tentatem agnoscerent. Atque hoc loco fides sumitur pro fiduciâ, cùm res ipsis despreta videretur.

Vers. 29. — Quid nobis et tibi. Antequàm hoc dæmones dicerent, jusserat eos Christus exire, ut ait Marcus, c. 5. 8 : *Dicebat enim illi : Exi, immunde spiritus, ab homine isto*, et Luc. c. 8, 29 : *Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine.* Ideò Christum deprecabantur. Matthæus factum narrat, facti causam tacet.

Quid nobis et tibi? Non videtur mihi esse sensus, quid nobis tecum commune est, ut plerique interpretantur. Hoc enim fuisset injuria potiùs Christum afficere, quàm exorare, quasi negarent se servos, illum dominum esse, sicut Israelitæ dixerunt, cùm se à regno Davidis eximerent, *quæ nobis pars in David?* 3 Reg. 12, 16, sed sensus potiùs est, quid tibi mali facimus, quamobrem nos ejicias? Alios prætereuntes lædere solemus, te non attingimus, non invadimus, sed veneramur, sed adoramus, sed Dominum confitemur, ut 2 Reg. 16, 10, *quid mihi, et vobis est filii Sarviæ?* id est, quid feci vobis, cur me hujus tentationis Dei fructu privetis? Nec enim negat sibi quidquam cum illis esse commune, cùm eorum rex et dominus esset, et 2 Par. 35, 21 : *Quid mihi et tibi est rex Judæ?* ait rex Ægypti, aliquid enim illis erat, cùm priùs amici essent : sed quid tibi feci mali, quam occasionem dedi, ut contra me in prælium exires? An dæmones isti, et alii Christum cognoverint à theologis quæritur. Vetustam quorumdam opinionem, qui existimabant dæmones cognovisse, diabolum verò dæmoniorum principem ignorâsse meritò in commentariis Hieronymus refellit. Hieronym. verò ipse et Augustinus, lib. 9, de Civit. c. 21, Remigius apud D. Thomam, et plerique ex posterioribus theologis, non certâ quidem scientiâ, sed probabili conjecturâ, et suspicione cognovisse dicunt. Si enim certò cognovissent, conati utique essent ejus mortem impedire. Atqui non impediverunt; sed procurârunt. Miserunt enim in cor Judæ, ut eum traderet Joan. 13, 2, sicut paulò post cùm cognovissent, per uxorem Pilati impedire voluerunt infra, c. 27, 19 : *Nihil tibi, et justo illi : multa enim passa sum hodiè per visum propter eum.* Quid ex litteris sacris colligatur in theologicis scholis explicavimus. Primùm antequàm prædicare inciperet, non fuisse à dæmonibus cognitum, an filius Dei, et verus Messias esset, quia si cognovissent, non tentâssent, et quia in hoc tentârunt, ut id explorate cognoscerent : *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, et *si filius Dei es, mitte te deorsum*, supra, c. 4, 3, 6. Post tentationem verò certò cognovisse dæmones illum verum Filium Dei, verumque Messiam esse, et ex hoc loco non obscurè colligitur, et ex aliis etiam perspicuum est Marci, 1, 34 : *Et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum* ; et Luc. 4, 41 : *Exibant autem dæmonia à multis clamantia, et dicentia, quia tu es Christus filius Dei, et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum.* Mysterium tamen mortis ejus, quod eâ ratione homines esset ab ipsorum tyrannide liberaturus, credibile est non benè cognovisse, quia si

Vers. 29. — Ex miraculis suspicabantur esse Filium Dei. *Venisti huc ante tempus*, ante ultimum judicium esse non debet, cùm et angeli, qui in cœlis sunt, eum ignorent, c. 24, 36; sciebant tamen tunc nondùm venisse, ideò conquerumtur *ante tempus* se torqueri. At quomodò torquebantur? quia inviti ex iis quos obsidebant, expellebantur; et incredibile non est aliquem illis cruciatum, ut exirent, Christum addidisse.

cognovissent, nunquàm Judam ad proditionem incitâssent. Somnia tamen uxoris Pilati, utrùm à dæmonibus, vel ab angelis, vel à naturâ profecta fuerint, incertum illud credendum, quod insignis theologus D. Thomas admonuit, divinitùs impeditum fuisse dæmonem, quò minùs multa de Christo cognosceret, quæ non impeditus naturâ suâ facilè cognovisset.

Venisti huc ante tempus torquere nos. Dubium, quæ quibus sint verba jungenda. Quidam enim illud, *ante tempus*, cum verbo, *venisti*, conjungunt, quasi querantur dæmones Christum ante tempus in hunc mundum *venisse*. Quorum sententiam nullo modo probare possum; nec enim dæmones ignorare poterant tempus adventûs Christi à prophetis designatum jam fuisse transactum, cùm id homines mediocriter docti scirent. Nec adverbium illud, *huc*, mundum, sed regionem illam Gerasenorum, in quam Christus tunc venerat, et ubi antea dæmones liberi, et veluti imponè grassabantur, significare arbitror. Illud ergo, *ante tempus*, cum sequentibus copulandum est, quid venisti torquere nos, antequàm tempus sit, ut torqueamur. Cur autem ante tempus se torqueri dicant, major est quæstio. Mirum quanto consensu plerique veteres auctores, quorum nomina in theologicis scholis recitamus, et hìc recensere et longum esset, et non necessarium, docuerint dæmones ante diem judicii non torqueri, quòd Petrus scribat, epistolâ 2, c. 2, 4 : *Si angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus infernì detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*, et Judas, vers. 6 : *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reservavit.* Sic ergo interpretantur, queri dæmones *ante tempus*, id est, ante diem judicii se torqueri, quemadmodùm, can. 8, Hilarius exponit. Sed tenenda opinio, quæ in Ecclesiâ jam invaluit, etiam nunc torqueri dæmones, et quocumque eant, ut scribit Strabus in c. 3 epistolæ ad Philippenses, sua secum supplicia circumferre; minùs tamen puniri nunc, quia et vagandi per mundum hunc, et hominibus nocendi potestatem habent, quam non sunt post judicii diem habituri. Atque itaque ita fortasse antiquorum illorum sententiam interpretari possumus. Illud non dubito sensum hujus loci esse, *ante tempus*, id est, ante diem judicii, quia Lucas 8, 31, scribit rogâsse dæmones Christum, ne sibi imperaret, ut in abyssum irent, quasi eodem modo, quo post judicii diem, ante tempus excruciandi. Ex hâc quæstione alia suboritur, an diem judicii noverint? Si enim non noverunt quomodò dicere potuerunt, *ante tempus*, id est, ante judicii diem se torqueri. Augustinus in eâ sententiâ est, ut existimet putâsse dæmones, cùm Christum viderent, judicii diem, quem nondùm expectabant, instare. Sic enim interpretatur, *ante tempus*, id est, antequàm putabamus. Quam interpretationem plerique secuti sunt. Sed dæmones diem judicii ignorare dudicii diem; vel quia non putabant tam citò Christum venturum.

Vers. 30. — Erat autem non longè. Græcè, *erat autem longè*, sensu contrario. Græcam lectionem nonnulli magis probant, et Latinam corrigunt, homines alioqui minimè Græci. Non faciunt tamen sine argumentis, primùm quòd omnes Græci codices affirmationem, non negationem habeant. Deinde quòd verosimile esse videatur Christum dæmones quàm longissimè ab eo loco, quem infestum habebant, pepulisse. Sed non dubito Latinam lectionem incorruptiorem esse, et quia omnes etiam veteres et novi Latini codices, et quia omnes antiqui interpretes præter Euthymium ita legunt, et quia Marcus, c. 5, 11, et Lucas, c. 8, 32, dicunt : *Erant autem ibi*, id est, in eo loco, quod Matthæus dicit, *non longè*, et quia Lucas dicit, *in monte*, Marcus, *juxta montes*, quos propè lacum fuisse certum est, et quia, ut paulò infra dicturi sumus, propterea Christus concessit, ut in porcos irrurrent, ut qui illic aderant, et qui curati fuerant, ex porcorum interitu cognoscerent, quàm multi et quàm sævi dæmones fuissent; quod neque cognovissent, si porcos non vidissent; nec vidissent, si procul fuissent. Quæritur à quibusdam quomodò porci illìc esse potuerint, quibus nefas esset vesci Judæos? Nonnulli putant Judæos ejus regionis contra legem porcos habuisse. Ideòque Christum eos, in quâ re peccabant, in eâ mulctare voluisse, Rupertus. Probabilius mihi alii dicere videntur Gadaram, et alias ibi vicinas civitates Græcæ fuisse religionis, ut Josephus, lib. 17 Antiq., c. 13, auctor est, ideòque porcos habuisse. Cur ergo Christus eò ibat, cùm non venisset nisi ad oves quæ perierant domûs Israel? c. 15, 24. Respondet non solùm in Græcis, sed etiam in Latinis civitatibus multos tunc fuisse Judæos, quorum causâ Christus eò ibat. Prætereà quòd Gadara proprié ad regnum Judææ pertinebat, sed, ut ait Josephus, à Cæsare fuerat Græcis ad habitandum attributa.

Vers. 31. — Dæmones autem rogabant eum dicentes. Duo dæmones petiverunt, alterum ne in abyssum mitterentur, ut Lucas, c. 8, 31, expressit; alterum, ut mitterentur in porcos. Cur rogaverint ne mitterentur in abyssum, vers. 29, declaravimus. Cur rogent ut mittantur in porcos; multas causas apud varios auctores lego. Chrysostomus, hom. 29; Euthymius et Theophylactus ideò petivisse suspicantur, ut homines ejus civitatis porcorum affecti damno Christum non reciperent; quam conjecturam exitus videtur confirmare vers. 34 : *Et rogabant eum, ut transiret à finibus suis.* Alii odio hominum id fecisse, quorum

Vers. 32. — Ite. Permisit Christus, tum ut ostenderet quantùm dæmones in homines sævirent, si Deus sineret; tum ut liqueret contra Sadducæos extare spiritus. Quod malè petebant dæmones, ut nocerent corporibus cùm nocere non possunt, bonis, si possunt, nocent. Quam rationem magnus ille Hilarion, ut in ejus Vitâ Hieronymus scribit, cùm ex ingenti quodam camelo dæmonem ejecisset, afferebat. Quod et ex hoc loco, et ex Job exemplo probabat. Magis mirum, cur id Christus concesserit. Ejus rei Hieronymus hanc rationem reddit, ut eâ vexatione ejus civitatis homines ad salutem adducerentur. Rupertus verò, ut ante meminimus, ut cives illos Judæos, qui contra legem porcis utebantur, porcorum jacturâ puniret. Hilarius indicat Sadducæorum causâ id factum esse, qui spiritus esse negabant, ut reipsà viderent spiritus esse. Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius tres rationes afferunt. Prima est ut qui liberati fuerant beneficii magnitudinem agnoscerent, videntes quantâ multitudine dæmonum liberati essent. Secunda, ut sciremus ne in porcos quidem, nisi Deo permittente, dæmones habere potestatem. Tertia, ut liberati quid ipsi passi fuissent, intelligerent, nisi à Deo servati essent, cùm viderent porcos simul atque in eos dæmones ingressi essent, præcipitatos in mare. Hilarion apud Hieronymum, ut appareret quanta ex uno homine dæmonum multitudo ejecta esset, cùm totum porcorum gregem impleverit. Quod autem idem Chrysostomus et Augustinus, tractatu 6 in can. Joann., dicunt Christum etiam ostendere voluisse dæmones in hominibus porcorum modo viventibus libenter habitare, verum, sed mysticum est. Queri etiam à quibusdam solet cur Christus tam mitis, ut arundinem quassatam non confringeret, et linum fumigans non exstingueret, tantum illis civibus damnum intulerit. Respondeo voluisse Christum, ut etiam porci gloriæ Dei, et hominum saluti servirent. Servierunt autem gloriæ Dei, quia suâ præcipitatione Christi potestatem declarârunt. Hominum autem saluti servissent, si cives illi pro eo ac debuerunt, viso miraculo Christum recepissent. Sed impedivit humana militia divina consilia.

Vers. 32. — In mare. In lacum Genesareth, ut Hieronymus in locis Hebraicis interpretatur. Nam mare propter magnitudinem appellari diximus, vers. 24. Quod autem quidam dicunt alium quemdam fuisse in montibus Gadarenum lacum, de quo Strabo mentionem fecerit, quique postea ab incolis aggeratus modò non extet, in eumque fuisse porcos præcipitatos, tam alienum est, ut refutare non libeat. Quid enim opus est, tam longè lacum, qui non extat, quærere; cùm tam prope mare, quod extat, habeamus?

Vers. 34. — Rogabant eum, ut transiret a finibus eorum. Cur isti homines Gadareni Christum non admiserint, incertum. Hieronymus et Beda putant eos id humilitate fecisse, sicut Petrus, Luc. 5, 8, rogabat Christum : *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Alii timore, ne alios etiam dæmones ab hominibus ejectos in ipsorum greges immitteret, quod ex Marc. 5, 15, et Luca 8, 35, 37, confirmatur, qui scribunt

rent, permisit Christus, ut illustrius fieret miraculum. Dæmones verò id petierunt, ut regionis illius incolæ damno porcorum affecti Dominum non reciperent.

eos valdè timuisse. Ita Theophylactus, Euthymius, quod de hominibus Gadarenis, id est, Græcorum consuetudine nimis sapientibus, quos nunc vulgò politicos appellamus, facilius est credituu. Nam et nunc multi sunt, qui Christum potiùs, id est, eos, qui Christum sequuntur, quàm porcos, atheos, hæreticos, et omnibus vitiis inquinatos homines simili specie humanæ prudentiæ ex suis civitatibus expellunt.

CAPUT IX.

1. Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam.

2 Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua.

3. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.

4. Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, et ambula?

6. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

7. Et surrexit, et abiit in domum suam.

8. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

9. Et cùm transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

10. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.

11. Et videntes pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?

12. At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

13. Euntes autem, discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium: non enim veni vocare justos, sed peccatores.

14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos et pharisæi jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant?

15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiù cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, et jejunabunt.

16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, et pejor scissura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

19. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus.

20. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

CHAPITRE IX.

1. Jésus étant entré dans une barque, repassa le lac, et vint à sa ville.

2. Et voilà qu'on lui présenta un paralytique couché sur son lit, et Jésus voyant leur foi, dit au paralytique: Mon fils, ayez confiance; vos péchés vous sont remis.

3. Aussitôt quelques-uns des scribes dirent en eux-mêmes: Cet homme blasphème.

4. Mais Jésus connaissant leurs pensées, dit: Pourquoi pensez-vous le mal dans vos cœurs?

5. Lequel est le plus aisé de dire: Vos péchés vous sont remis; ou de dire: Levez-vous, et marchez?

6. Or, afin que vous sachiez que le Fils de l'homme a sur la terre le pouvoir de remettre les péchés: Levez-vous, dit-il alors au paralytique; emportez votre lit, et vous en allez en votre maison.

7. Et il se leva et s'en alla en sa maison.

8. Le peuple voyant cela, fut rempli de crainte, et rendit gloire à Dieu de ce qu'il avait donné une telle puissance aux hommes.

9. Jésus sortant de là, vit en passant assis au bureau des impôts, un homme nommé Matthieu; et il lui dit: Suivez-moi. Et se levant, il le suivit.

10. Or, il arriva que comme Jésus était à table dans la maison, il y vint beaucoup de publicains et de pécheurs, qui se mirent à table avec Jésus et ses disciples.

11. Ce que voyant les pharisiens, ils dirent à ses disciples: Pourquoi votre maître mange-t-il avec des publicains et des pécheurs?

12. Jésus les entendant, leur dit: Ce ne sont pas ceux qui se portent bien qui ont besoin de médecin, mais les malades.

13. Allez donc, et apprenez ce que veut dire: Je veux la miséricorde et non le sacrifice, car je ne suis pas venu appeler les justes, mais les pécheurs.

14. Alors les disciples de Jean l'abordèrent, et lui dirent: Pourquoi les pharisiens et nous jeûnons nous souvent, et vos disciples ne jeûnent-ils point?

15. Jésus leur répondit: Les amis de l'époux peuvent-ils être dans le deuil, pendant que l'époux est avec eux? Mais un jour viendra où l'époux leur sera ôté; et alors ils jeûneront.

16. Personne ne met une pièce de drap neuf à un vieil habit; parce que le neuf emporte une partie du vieux, et il le déchire encore davantage.

17. Et l'on ne met point non plus de vin nouveau dans de vieux vaisseaux, parce que, si on le fait, le vaisseaux se rompent, le vin se répand, et les vaisseaux sont perdus. Mais on met le vin nouveau dans des vaisseaux neufs; et ainsi le vin et les vaisseaux se conservent.

18. Comme il leur disait ces choses, un chef de la synagogue l'aborda et l'adora, en disant: Seigneur, ma fille vient de mourir; mais venez lui imposer les mains, et elle vivra.

19. Alors Jésus se levant, le suivit avec ses disciples.

20. Et voilà qu'une femme qui depuis douze ans était affligée d'une perte de sang, s'approcha par derrière et toucha la frange de son vêtement;

21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.

22. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide, filia: fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illâ horâ.

23. Et cùm venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat:

24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

25. Et cùm ejecta esset turba, introvit: et tenuit manum ejus. Et surrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David.

28. Cùm autem venisset domum: accesserunt ad eum cæci: et dixit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis.

30. Et aperti sunt oculi eorum, et comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in totâ terrâ illâ.

32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus et mirate sunt turbæ, dicentes: Nunquàm apparuit sic in Israel.

34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

35. Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem.

36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem.

37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et ascendens. Marcus c. 2, 5, et Lucas c. 5, 18, hæc priùs narrant, quàm quæ superiore capite à Matthæo dicta sunt. Sed ex ipsis illis patet ordinem eos non servâsse temporis.

In civitatem suam. Nonnulli Nazareth Christi civitatem vocari putant, ut Lucæ 2, 39. Hieronymus in comment. quod non improbat August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 25, monet tamen, si hanc sequamur opinionem, dicendum esse Christum primùm ivisse in Nazareth civitatem suam, deinde ex Nazareth redisse ad Capharnaum, ubi hæc quæ sequntur, acciderunt. Alii, quod longiùs à vero distat, Bethlehem intelligunt, ut Sedulius, lib. 3 Carm..

Vers. 1. — Civitatem suam. Capharnaum, ubi frequentiùs habitabat. Civitas ejus dicitur ratione habitationis, ut Nazareth ratione educationis.

21. Car elle disait en elle-même: Si je touche seulement son vêtement, je serai guérie.

22. Jésus se retournant alors, et la voyant, lui dit: Ma fille, ayez confiance; votre foi vous a sauvée. Et depuis ce moment là, cette femme fut guérie.

23. Lorsque Jésus fut arrivé à la maison de ce chef de synagogue, et qu'il eut vu les joueurs de flûte, et une troupe qui faisait grand bruit, il leur dit:

24. Retirez vous, car cette jeune fille n'est pas morte; elle n'est qu'endormie. Et ils se moquaient de lui.

25. Après qu'on eut fait sortir tout ce monde, il prit par la main; et la petite fille se leva.

26. Et le bruit s'en répandit dans tout le pays.

27. Comme Jésus sortait de ce lieu, deux aveugles le suivirent, et ils criaient, en disant: Fils de David, ayez pitié de nous.

28. Et lorsqu'il fut arrivé en la maison, ces aveugles s'approchèrent de lui; et Jésus leur dit: Croyez-vous que je puisse faire ce que vous me demandez? Ils lui répondirent: Oui, Seigneur.

29. Alors il leur toucha les yeux, en disant: Qu'il vous soit fait selon votre foi.

30. Et leurs yeux furent ouverts, et Jésus leur fit défense avec menace, disant: Prenez bien garde que qui que ce soit ne le sache.

31. Mais eux s'en allant répandirent sa réputation dans tout ce pays.

32. Après qu'ils furent sortis, on lui présenta un homme muet, possédé d'un démon.

33. Le démon ayant été chassé, le muet parla, et le peuple en fut dans l'admiration, et ils disaient: On n'a jamais rien vu de semblable en Israël.

34. Mais les pharisiens disaient: Il chasse les démons par le prince des démons.

35. Et Jésus parcourait toutes les villes et les bourgades, enseignant dans les synagogues, prêchant l'Évangile du royaume, et guérissant toutes sortes de maladies et d'infirmités.

36. Et voyant la multitude, il en eut compassion parce qu'ils étaient languissants, et couchés par terre comme des brebis qui n'ont point de pasteur.

37. Alors il dit à ses disciples: La moisson est grande, mais il y a peu d'ouvriers.

38. Priez donc le maître de la moisson qu'il envoie des ouvriers en sa moisson.

COMMENTARIA.

Intravit navale solum, quo corpore nasci
Se voluit, patriasque sibi pater ipse dicavit,

ibidemque paralyticum sanatum putat. Meliùs eodem loco idem Augustinus, et Chrysost., Beda, Strabus, Hugo, Lyranus civitatem Christi vocari Capharnaum. Nam omnes tres evangelistæ ita loquuntur, ut ominò significent rectà eum viâ venisse, et statim ea, quæ de paralytico narrant consecuta. Cur autem Capharnaum Christi civitas appelletur, non omnibus convenit. Augustinus, Beda, Strabus, Hugo et Lyranus existimant ideò ejus vocari civitatem, quia Galilææ metropolis erat, cui subjecta erat Nazareth civitas Christi: sicut Romanus appellatur non solùm, qui in ipsâ urbe Româ, sed etiam qui in oppidis, quæ sub ejus jurisdictione sunt, aut habitat, aut natus est. Chrysostomus verò, Theophylactus, et Euthymius, quòd in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eos valdè timuisse. Ita Theophylactus, Euthymius, quod de hominibus Gadarenis, id est, Græcorum consuetudine nimis sapientibus, quos nunc vulgò politicos appellamus, facilius est credituu. Nam et nunc multi sunt, qui Christum potiùs, id est, eos, qui Christum sequuntur, quàm porcos, atheos, hæreticos, et omnibus vitiis inquinatos homines simili specie humanæ prudentiæ ex suis civitatibus expellunt.

CAPUT IX.

1. Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam.

2 Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili; remittuntur tibi peccata tua.

3. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.

4. Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?

5. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, et ambula?

6. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

7. Et surrexit, et abiit in domum suam.

8. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

9. Et cùm transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

10. Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu et discipulis ejus.

11. Et videntes pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?

12. At Jesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.

13. Euntes autem, discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium: non enim veni vocare justos, sed peccatores.

14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos et pharisæi jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant?

15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiù cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, et jejunabunt.

16. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento, et pejor scissura fit.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres: alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

19. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus.

20. Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus.

CHAPITRE IX.

1. Jésus étant entré dans une barque, repassa le lac, et vint à sa ville.

2. Et voilà qu'on lui présenta un paralytique couché sur son lit, et Jésus voyant leur foi, dit au paralytique: Mon fils, ayez confiance; vos péchés vous sont remis.

3. Aussitôt quelques-uns des scribes dirent en eux-mêmes: Cet homme blasphème.

4. Mais Jésus connaissant leurs pensées, dit: Pourquoi pensez-vous le mal dans vos cœurs?

5. Lequel est le plus aisé de dire: Vos péchés vous sont remis; ou de dire: Levez-vous, et marchez?

6. Or, afin que vous sachiez que le Fils de l'homme a sur la terre le pouvoir de remettre les péchés: Levez-vous, dit-il alors au paralytique; emportez votre lit, et vous en allez en votre maison.

7. Et il se leva et s'en alla en sa maison.

8. Le peuple voyant cela, fut rempli de crainte, et rendit gloire à Dieu de ce qu'il avait donné une telle puissance aux hommes.

9. Jésus sortant de là, vit en passant assis au bureau des impôts, un homme nommé Matthieu; et il lui dit: Suivez-moi. Et se levant, il le suivit.

10. Or, il arriva que comme Jésus était à table dans la maison, il y vint beaucoup de publicains et de pécheurs, qui se mirent à table avec Jésus et ses disciples.

11. Ce que voyant les pharisiens, ils dirent à ses disciples: Pourquoi votre maître mange-t-il avec des publicains et des pécheurs?

12. Jésus les entendant, leur dit: Ce ne sont pas ceux qui se portent bien qui ont besoin de médecin, mais les malades.

13. Allez donc, et apprenez ce que veut dire: Je veux la miséricorde et non le sacrifice, car je ne suis pas venu appeler les justes, mais les pécheurs.

14. Alors les disciples de Jean l'abordèrent, et lui dirent: Pourquoi les pharisiens et nous jeûnons nous souvent, et vos disciples ne jeûnent-ils point?

15. Jésus leur répondit: Les amis de l'époux peuvent-ils être dans le deuil, pendant que l'époux est avec eux? Mais un jour viendra où l'époux leur sera ôté; et alors ils jeûneront.

16. Personne ne met une pièce de drap neuf à un vieil habit; parce que le neuf emporte une partie du vieux, et il le déchire encore davantage.

17. Et l'on ne met point non plus de vin nouveau dans de vieux vaisseaux, parce que, si on le fait, le vaisseaux se rompent, le vin se répand, et les vaisseaux sont perdus. Mais on met le vin nouveau dans des vaisseaux neufs; et ainsi le vin et les vaisseaux se conservent.

18. Comme il leur disait ces choses, un chef de la synagogue l'aborda et l'adora, en disant: Seigneur, ma fille vient de mourir; mais venez lui imposer les mains, et elle vivra.

19. Alors Jésus se levant, le suivit avec ses disciples.

20. Et voilà qu'une femme qui depuis douze ans était affligée d'une perte de sang, s'approcha par derrière et toucha la frange de son vêtement;

21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.

22. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide, filia: fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illâ horâ.

23. Et cùm venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat:

24. Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

25. Et cùm ejecta esset turba, introvit: et tenuit manum ejus. Et surrexit puella.

26. Et exiit fama hæc in universam terram illam.

27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David.

28. Cùm autem venisset domum: accesserunt ad eum cæci: et dixit eis Jesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram fiat vobis.

30. Et aperti sunt oculi eorum, et comminatus est illis Jesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in totâ terrâ illâ.

32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem.

33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus et mirate sunt turbæ, dicentes: Nunquàm apparuit sic in Israel.

34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

35. Et circuibat Jesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem.

36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem.

37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et ascendens. Marcus c. 2, 5, et Lucas c. 5, 18, hæc priùs narrant, quàm quæ superiore capite à Matthæo dicta sunt. Sed ex ipsis illis patet ordinem eos non servâsse temporis.

In civitatem suam. Nonnulli Nazareth Christi civitatem vocari putant, ut Lucæ 2, 39. Hieronymus in comment. quod non improbat August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 25, monet tamen, si hanc sequamur opinionem, dicendum esse Christum primùm ivisse in Nazareth civitatem suam, deinde ex Nazareth redisse ad Capharnaum, ubi hæc quæ sequntur, acciderunt. Alii, quod longiùs à vero distat, Bethlehem intelligunt, ut Sedulius, lib. 3 Carm..

Vers. 1. — Civitatem suam. Capharnaum, ubi frequentiùs habitabat. Civitas ejus dicitur ratione habitationis, ut Nazareth ratione educationis.

21. Car elle disait en elle-même: Si je touche seulement son vêtement, je serai guérie.

22. Jésus se retournant alors, et la voyant, lui dit: Ma fille, ayez confiance; votre foi vous a sauvée. Et depuis ce moment là, cette femme fut guérie.

23. Lorsque Jésus fut arrivé à la maison de ce chef de synagogue, et qu'il eut vu les joueurs de flûte, et une troupe qui faisait grand bruit, il leur dit:

24. Retirez vous, car cette jeune fille n'est pas morte; elle n'est qu'endormie. Et ils se moquaient de lui.

25. Après qu'on eut fait sortir tout ce monde, il prit par la main; et la petite fille se leva.

26. Et le bruit s'en répandit dans tout le pays.

27. Comme Jésus sortait de ce lieu, deux aveugles le suivirent, et ils criaient, en disant: Fils de David, ayez pitié de nous.

28. Et lorsqu'il fut arrivé en la maison, ces aveugles s'approchèrent de lui; et Jésus leur dit: Croyez-vous que je puisse faire ce que vous me demandez? Ils lui répondirent: Oui, Seigneur.

29. Alors il leur toucha les yeux, en disant: Qu'il vous soit fait selon votre foi.

30. Et leurs yeux furent ouverts, et Jésus leur fit défense avec menace, disant: Prenez bien garde que qui que ce soit ne le sache.

31. Mais eux s'en allant répandirent sa réputation dans tout ce pays.

32. Après qu'ils furent sortis, on lui présenta un homme muet, possédé d'un démon.

33. Le démon ayant été chassé, le muet parla, et le peuple en fut dans l'admiration, et ils disaient: On n'a jamais rien vu de semblable en Israël.

34. Mais les pharisiens disaient: Il chasse les démons par le prince des démons.

35. Et Jésus parcourait toutes les villes et les bourgades, enseignant dans les synagogues, prêchant l'Évangile du royaume, et guérissant toutes sortes de maladies et d'infirmités.

36. Et voyant la multitude, il en eut compassion parce qu'ils étaient languissants, et couchés par terre comme des brebis qui n'ont point de pasteur.

37. Alors il dit à ses disciples: La moisson est grande, mais il y a peu d'ouvriers.

38. Priez donc le maître de la moisson qu'il envoie des ouvriers en sa moisson.

COMMENTARIA.

Intravit navale solum, quo corpore nasci
Se voluit, patriasque sibi pater ipse dicavit,

ibidemque paralyticum sanatum putat. Meliùs eodem loco idem Augustinus, et Chrysost., Beda, Strabus, Hugo, Lyranus civitatem Christi vocari Capharnaum. Nam omnes tres evangelistæ ita loquuntur, ut ominò significent rectà eum viâ venisse, et statim ea, quæ de paralytico narrant consecuta. Cur autem Capharnaum Christi civitas appelletur, non omnibus convenit. Augustinus, Beda, Strabus, Hugo et Lyranus existimant ideò ejus vocari civitatem, quia Galilææ metropolis erat, cui subjecta erat Nazareth civitas Christi: sicut Romanus appellatur non solùm, qui in ipsâ urbe Româ, sed etiam qui in oppidis, quæ sub ejus jurisdictione sunt, aut habitat, aut natus est. Chrysostomus verò, Theophylactus, et Euthymius, quòd in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eâ urbe Christus frequenter habitaret. Tres enim illum civitates habuisse, Bethlehem, in quâ natus; Nazareth, in quâ educatus; Capharnaum, in quâ frequentiùs commoratus est. Hoc probabilius.

Vers. 2. — Et offerebant. Tacuit Matthæus necessariam ad intelligendum hunc locum circumstantiam, quam Marcus, c. 2, 3, et Lucas, c. 5, 19, expresserunt, tantam confluxisse in domum, ubi Christus erat, multitudinem; ut nemo ingredi posset, ideòque in tectum eos, qui paralyticum gestabant, ascendisse, eoque aperto paralyticum ante Christum demisisse. Hanc enim fidem videns Christus dixit paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Fidem illorum. Quidam et ad paralyticum, et ad eos, qui gestabant, referendum existimant, ut Euthymius. Si enim, inquiunt, paralyticus fidem non habuisset, neque se efferri passus esset in tectum, neque peccata illi Christus remisisset. Quod nullo prorsùs modo probare possunt. Nam etsi non dubito, quin magnam paralyticus fidem habuerit, tamen ita omnes evangelistæ loquuntur, ut dubium non sit fidem tantùm eorum, qui portabant, notare voluisse; sicut omnes significârunt fide centurionis ejus paralyticum servum fuisse curatum supra, c. 8, 10, 13, et Luc. 7, 9. Atque ita omnes boni auctores interpretantur Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3; Ambrosius lib. 5 in Lucam, Hieronymus, et Chrysost., hom. 50.

Confide, fili, bono animo esto, plus enim, quàm petis, impetrabis. Petis corporis, impetrabis etiam animi sanitatem. Quòd autem, quem Matthæus et Marcus filium, Lucas, c. 5, 20, hominem à Christo vocatum dicit, leve est. Nam, ut sæpè aliàs, alii verba, alii sensum retulerunt. Magis autem convenit benignitati Christi, ut filium, quàm ut hominem appellaverit, ut infra hæmorrhoyssæ dicit: *Confidè, filia*, vers. 22.

Remittuntur tibi peccata tua. ἀφίενται σοι, ad verbum remissa sunt. Sed meliùs noster interpres per præsens tempus, quàm novi quidam per præteritum, reddidit; quia et multa alia Hebræorum more, et hoc ipsum jure quodam proprio pro præsenti poni solet, ut ex vers. 5 et ex Luce c. 7, 47, 48, manifestum est. Meritò quæri potest cur Christus peccata illi remittat, cùm non peccatorum remissionem, sed corporis curationem quæreret. Respondent Hieronymus, Euthymius, et Theophylactus morbi originem et indicare, et priùs quàm morbum ipsum, tollere voluisse. Solent enim plerùmque morbi, et effecta et pœnæ esse peccati. Probabile etiam est quod, hom. 50, Chrysost. putat, Christum occasionem Scribis calumniandi præbere voluisse, ut ipsè quoque ex eorum calumniâ occasionem sumeret suam probandi divinitatem. Fieri etiam potest, ut eâ ratione docere voluerit, quid primo loco paralyticus petere debuisset. Jam enim dixerat: *Primùm quærite regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis*, c. 6, 33. Colligunt ex hoc loco Calvinistæ solâ fide peccata remitti. Non enim, inquiunt, dixit evangelista, videns opera eorum, aut laborem considerans, quòd paralyticum in tectum extulissent, quòd tecto disrupto eum demisissent; sed *videns fidem eorum*. Quod multis similibus locis confirmare solent, ut infra, vers. 22: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit*, et Marc. 5, 34; Lucæ 7, 50 et 8, 48, et 50: *Noli timere, crede tantùm, et salva erit*, et cap. 17, 19: *Surge, et vade, quia fides tua te salvum fecit*, et 18, 42, cæco dicit: *Respice, fides tua te salvum fecit*. Ideò Christum ab iis, quos sanare vult, fidem exigere, ut infra, vers. 28, 29: *Creditis quia hoc possum facere vobis? secundùm fidem vestram fiat vobis*, multaque alia nullo prorsùs judicio ejusdem generis accumulant. Mirum enim, quàm diligentes sint in testimoniis stultitiæ suæ colligendis. Quibus ne sæpè per singula loca cogamur respondere, semel hoc loco respondendum est. Ita tamen respondendum, ut non de totâ de fide et justificatione quæstione; sed de hujus et similium locorum interpretatione disputemus. Possem dicere quod omnes hactenùs Catholici responderunt, nos non negare, sed docere primam justificationem, de quâ in omnibus locis agitur, propter opera non fieri. Eos tamen non continuò probare solâ fieri fide; nam inter fidem et opera charitas est, quam Petrus affirmat peccatorum multitudinem operire, 1 epistolâ, c. 4, 8, et Christus, *remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multùm* Luc. 7, 47, nam istorum in eum locum interpretamentum, illic refutabimus. Itaque cùm peccata non nominata, charitate, fide, remitti dicuntur, charitate etiam remitti ex aliis locis intelligendum est, ubi dicuntur non nominatâ fide remitti charitate. Nam sicut ex illis, ubi fides non nominatur, colligi non potest solâ charitate sine fide remitti; ita ex his, ubi non nominatur charitas, perversè colligitur solâ fide remitti sine charitate. Præsertim cùm illi doceant, sicut charitas sine fide esse non potest, ita sine charitate esse non posse fidem; unus enim eorum error errore altero refutatur. Fides autem potiùs quàm charitas in justificatione nominatur, non quia dignitate, aut efficacitate major, sed quia ordine naturæ prior est. Possem, inquam, ita respondere, ut omnes Catholici respondent, et satis superque factum esset. Sed contentus non ero, nisi effecero ut omnes, qui communi sensu non carent, istorum non solùm ignorantiam, sed etiam stoliditatem, et stultitiam intelligant. Triplicem isti magni theologi fidem faciunt, historicam, quâ credimus omnia, quæ à Deo dicta sunt, vera esse; miraculorum, quâ credimus nihil esse, quod à Deo fieri non possit; justificantem et christianam, quâ credimus meritis Christi remissa nobis esse peccata. Has tres in nobis fides (fides enim isti, tanquàm in lyrâ, non tanquàm in religione fidem faciunt) tribus in Deo proprietatibus respondere, historicam veritati; miraculorum, potentiæ; justificantem bonitati, non omni, sed illi proprié, quâ cum adhuc peccatores essemus, ut ait D. Paulus Roman., c. 5, 8, *Christus pro nobis mortuus est*: nos nec primâ, nec secundâ, sed solâ

Vers. 2. — Remittuntur, etc. Hanc potestatem se habere probat, sanitatem homini solo jussu impertiendo.

tertiâ justificari. Quod et si absurdum est, tamen et eorum errorem refellit, et cæcitatem mirificè declarat. Nam in istis omnibus locis, quæ tantâ accumulant diligentiâ, nulla prorsùs de fide eorum justificante mentio fit. *Videns Jesus fidem illorum.* Quam fidem? utique miraculorum, quâ credebant paralyticum à Christo posse curari; non justificantem, de quâ ne cogitaverant quidem, cùm nec ipsi unquàm audivissent, nec Christus unquàm dùm dixisset se pro peccatis hominum moriturum. Nec respondere possunt implicitè ista credidisse, quia apud illos nulla implicita fides est (ac ne explicita quidem) nosque homines acuti rident, quòd implicitam quamdam faciamus fidem. Dixit de centurione, Matth. 8, 10, 13: *Vade, et sicut credidisti, fiat tibi; et, non inveni tantam fidem in Israel.* Quam fidem? non utique justificantem, de quâ centurio ne suspicari quidem poterat; sed miraculorum, quâ dixerat: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus*, c. 8, 8. Dicit mulieri, quæ fluxu sanguinis laborabat: *Vade, fides tua te salvam fecit*, infrà, vers. 22. Quæ fides? miraculorum, quâ dixerat intra se: *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero*, vers. 21. De quâ et in cæteris, quæ proferunt, testimoniis, agi perspicuum est eamque Christum ab iis, quos curat, requirere solere, ut vers. 28: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Cur ergo istos non pudet tam multa testimonia tanto studio congerere, ut nos solâ fide justificari probent; cùm in nullo prorsùs eorum de eâ agatur fide, quâ solâ nos docent justificari? Hæc satis magna impudentia, et cæcitas erat; sed illa non minor, quòd non videant, aut videre non pudeat, ut alia prætermittam argumenta, non posse in his locis de ipsorum justificante fide agi, etiamsi de fide miraculorum non ageretur, quia in plerisque non de propriâ, sed de alienâ agitur fide, hic de fide eorum, qui paralyticum per tectum demiserunt, supra, c. 8, 8; de fide non servi ægrotantis, sed pro servo rogantis centurionis, Luc. 8, 50, non de fide filiæ jam mortuæ, sed Archisynagogi, Marc. 9, 23; non de fide filii qui mutum dæmonium habebat, sed de fide patris, qui pro filio rogabat, cui Christus dicit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Istorum autem opinione, qui adulti jam sunt (nam de infantibus contrariam sunt hæresim fabricati), non possunt alienâ fide, sed propriâ justificari, quia ideò, inquiunt, justificamur, quia Christi justitiam apprehendimus, et apprehendendo nostram facimus; per facta nostra justificamur, id est, tecti ac vestiti Christi justitiâ justi apud Deum videmur ac reputamur.

Falliimus enim Deum, non placamus. Quod si ita est, suâ quisque, non alienâ fide justificetur necesse est; nec magis unus potest fide, quâ alter pro illo credit, justificari, quàm veste, quam alter pro eo induit, aut ornari aut calefieri. Per fidem enim, ut aiunt, Christi justitiam induimus, quâ ornati non sumus justi, sed apparemus. Quæ igitur est amentia ad probandum nos solâ fide justificari, ea producere testimonia in quibus, non de propriâ, sed de alienâ; et de alienâ, non justificante, sed miraculorum fide agitur? et tamen soli hodiè multorum judicio, maximè verò suo, isti asini sapiunt, soli doctissimi sunt, soli verbum Dei purum docent; præsertim in quæstione de justificatione, quam illi omnes doctrinæ suæ caput, ego omnium hæresum ipsorum seminarium puto. Appellemus quidem doctos, quia tantoperè volunt; sed ita doctos, ut justos, non quia sunt, sed quia reputantur. Quid igitur nos de his locis dicemus? An qui corpore, non iidem animo curati sunt? De plerisque, non communiter de omnibus ita credendum. Nam Malchum illum servum pontificis, cui Petrus auriculam abscideràt, à Christo sanatum legimus; justificatum non credimus, Joann. 18, 10; non enim fide suâ, sed Christi benignitate, qui nolebat arundinem quassatam confringere, sanatus est. Cæteros verò, qui fide curati sunt, non solâ, sed eâdem tamen fide, quâ corpore sanati sunt, animo etiam credimus esse sanatos; non eâ, quam isti solam justificantem et christianam appellant, quâque fingunt Christi justitiam apprehendere; sed illâ, quæ apostolorum Symbolo continetur, quæ eadem et historica, et miraculorum, et justificans est. Nam ista triplex fides, quam isti nuper invenerunt, figmentum est, somnium est, portentum est, chimæra est, et, si unam haberent fidem, omnem haberent; quia triplicem habent, nullam habent. Quomodò ergo propter alienam portantium fidem peccata paralytico remittuntur? Veteres, ut supra, c. 13, diximus, auctores absolutè dixerunt, aliorum fide aliorum aliquando peccata remitti, quod hujus loci exemplo potissimùm probant. Quòd quidem verum est, sed ita tamen intelligendum, ut non solùm alienâ in adultis fide, sed etiam propriâ remitti credamus, dùm propria ab alienâ juvatur. Nec enim credendum est iis qui nullam fidem habent, aliorum fide peccata remitti; sed iis qui tam imbecillem habent, ut nisi Deus in eorum qui pro illis orant, fidem intueretur, non esset illis peccata remissurus. Quanquàm hunc, de quo agitur, paralyticum non minorem quàm eos à quibus gestabatur, id est, satis magnam fidem habuisse vero simile est; sed dicitur illi Christus propter gestantium fidem peccata remisisse, quia tantam fidei eorum rationem habuit, ut etiamsi paralyticus minorem quàm necesse erat habuisset, tamen illi eorum motus fide remisisset. Alio etiam modo aliorum fide aliis peccata remittuntur dùm aliorum orando fides, aliis aut nihil agentibus, aut malè agentibus, certè non credentibus fidem impetrat, ut sæpè dicere Augustinum memini Stephanum Paulo fidem impetravisse.

Vers. 3. — Quidam de scribis. Qui fuerint scribæ, diximus c. 2, 4.

Intra se; ἐν ἑαυτοῖς quidam interpretantur *inter se*, quasi inter se alii cum aliis de Christi facto murmurarent; sed ex vers. 4, manifestum est sensum esse non inter se, sed intra se murmurâsse, id est, cogitâsse Christum blasphemare. Non enim dicit evan-

Vers. 3 et 5. — Hic blasphemat, sibi tribuendo quod solius Dei proprium est. Dicere, cùm simul res executioni mandetur.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

gelista, *cùm audiisset, aut, cognovisset sermones eorum*; sed : *Cùm vidisset cogitationes eorum*. Et non dicit Christus, *quid murmuratis*; sed : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Dicere enim intra se, Hebraica phrasis *dicere in medio sui*, est cogitare, ut supra, c. 3, 9, et infra, hoc capite, vers. 21, et Lucæ 7, 39, 49, et 16, 3, et 18, 4, quod simili phrasi dicunt, *dicere in corde suo*, Ps. 4, 5, et 10, secundùm Hebræos, 11, 13, et innumeris aliis locis, quod etiam D. Augustinus, lib. de Trin. 15, c. 10, notavit.

Hic BLASPHEMAT. Blasphemare Christum dicunt, quia quod Dei proprium est, sibi attribuebat remittere peccata; legerant enim, quòd dixerat Isaias, c. 43, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas*; sed non legerant, aut non intelexerant quod idem dicit, c. 55, 6 : *Potuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrùm*; nec meminerant quod Joannes dixerat : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, c. 1, 29. Alii evangelistæ causam, quam afferebant blasphemiæ, expresserunt : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Marc. 2, 7, et Luc. 5, 21.

VERS. 4. — ET CUM VIDISSET JESUS COGITATIONES EORUM. Utrumque magno consilio expressit evangelista, et quòd non oblocuti sint, sed intra se tantùm cogitaverint, et quòd Christus eorum cogitationes non solùm conjecturâ cognoverit sed quasi oculis viderit, ut Christi divinitatem declararet. Expressius etiam Marcus, c. 2, 8 : *Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris?* Solum Deum hominum corda cogitationesque cognoscere tota Scriptura testatur, 1 Par. 28, 9, et 2 Par. 6, 30; Jerem. 17, 10; Rom. 8, 27; 1 Cor. 2, 10. Itaque rectè ex hoc loco Christi divinitatem veteres theologi probaverunt.

VERS. 5. — QUID EST FACILIUS DICERE. Sententia, meo quidem judicio, nisi nimio inquirendi studio difficilis fiat, per se ipsa facilis est. Dicere hoc loco, nec pro solis verbis, nec pro solis rebus positum est. Nam si verba quidem solum spectes, æquè est facilè dicere : *Remittuntur tibi peccata tua*, et dicere : *Surge et ambula*. Si res, multò est difficilius peccata remittere, quàm dissoluta paralytici membra curare. Nam quod nonnulli dicunt interpretes, corpus propriâ, non alienâ auctoritate sanare æquè esse difficile, atque remittere peccata, ne audiendum quidem est. Vera enim est Augustini sententia, tract. in Joan. 72, difficilius esse hominem justificare, quàm cœlum et terram creare. Sed ponitur pro verbis externâ effectûs probatione conjunctis. Hoc enim modo difficilius est dicere : *Surge et ambula*, quàm, *Remittuntur tibi peccata tua*; quia an peccata verè remittantur, qui audiunt, videre non possunt; an autem paralyticus surgat et ambulet, non videre non possunt. Itaque illic dicentis auctoritas, quia mendacii argui non potest, non periclitatur; hic quia oculis convinci potest, in periculum addicitur. Quemadmodùm si quis diceret sibi difficilius esse de rebus proximis atque recentibus, quàm de remotissimis et incognitis historiam scibere, aut de plantis, de terrâ, de animantibus, quàm de cœlo, quàm de concentricis et excentricis, de cyclis et epicyclis philosophari; non quòd difficilius non sit hæc scire quàm illa, sed quòd facilius hæc quàm illa probare; ubi dicere auditori incredulo possumus : Non credis? ascende in cœlum vide, metire. Si ita non est, mendacii doctorem argue. Ad hunc sensum Hieronymus, Chrysostomus, Beda et Theophylactus exponunt; et perdere mihi videntur operam non solùm qui aliam quæruntˌ sed etiam qui aliam inveniunt interpretationem. Quod autem Hilarius et Ambrosius de resurrectione corporum interpretantur, quasi per hunc paralyticum mortui significentur, et difficilius sit mortuos suscitare quàm peccata remittere; ingeniosa et elegans est allegoria; sed nos, ut sæpè diximus, aliud quærimus. Illud quamvis magnis auctoribus non concedo difficilius esse mortuos suscitare, quàm peccata remittere, quia qui fecit te sine te, suscitabit te sine te, sed non justificabit te sine te, ut loquitur Augustinus, 15 de Verb. Apost. Poterit autem aliquis meritò dubitare quomodò Christus, quod probandum erat, concludat. Nam si remittere peccata erat revera difficilius, dùm experientiâ curati paralytici docet se, quod reipsâ facilius est, posse facere; non benè probat posse, et se peccata remittere, quod erat difficilius. — Respondeo Christum tantùm probare voluisse sibi esse credendum, quod benè probat ab eo cujus probatio erat difficilior; quasi dicat : Si non fallo, cùm dico paralytico : *Surge et ambula*, ubi difficilius est probare me verum dicere, cur creditis me fallere, cùm dico : *Remittuntur tibi peccata tua?* Denique ex re quæ effectu probari potest, in re quæ probari non potest, sibi fidem facit.

VERS. 6. — UT AUTEM SCIATIS. Quidam hæc verba evangelistæ esse putant. Quod ne simile quidem veri est, et quia sententia ipsa postulat, ut scribis Christus hoc dixerit, ut probaret se potestatem habere peccata remittendi, et quia omnes evangelistæ, Marcus, c. 2, 10, et Lucas c. 5, 24, eadem ponunt, quod profectò non fecissent, si ipsorum fuissent verba, non Christi. Plerique interpretes existimant Christum probare voluisse se esse Deum, ac propterea non blasphemare, cùm dicit se remittere peccata. Ego nihil me, si cum illis conferar, judicio et auctoritate valere scio; sed tamen et singula verba, et totum argumentum perpendenti videtur probare Christus non solùm Deum potestatem habere peccata remittendi. Credibile enim est contrarium ejus, quod scribæ putabant, probare voluisse. Putabant autem illi et solum Deum posse peccata remittere, et Christum utique non esse Deum. Christus probat et se Deum esse, et etiam, ut hominem, remittere peccata, non ut quamcumque hominem, sed ut hominem Deum. Deum esse non tam argumentando probat, quàm experientiâ demonstrat, dùm illis quid cogitent exponit; se, ut hominem, remittere peccata probat eo, quod vers. 5 explicavimus, argumento. Atque hanc vim hæc duo

VERS. 6. — HABET POTESTATEM, divinam, quâ etiam paralyticum mox erat sanaturus.

verba : *Filius hominis*, et : *Super terram* habere mihi videntur. Non enim dixit : Ut autem sciatis Filium Dei habere potestatem; sed, *filium hominis*; et non dixit, *in cœlo*, sed *super terram*, ut ostenderet se etiam, ut hominem, remittere peccata. Abutebantur hoc loco Novatiani, ut probarent non posse sacerdotes remittere peccata, quemadmodùm hodiè eorum hæredes Calviniani, in eumdem errorem abutuntur. Utrisque D. Ambrosius duobus de Pœnitentiâ libris abundè respondit; et ex his quæ modò diximus, facilis est responsio, quemadmodum potestas remittendi peccata cum naturâ etiam humanâ Christi à divinitate communicata est; ita fuisse à Christo, tanquàm à capite, cum quibus voluit membris, id est, cum sacerdotibus communicatam. Quod et in potestate faciendi miracula factum videmus, quæ cùm propria Dei sit, à divinitate Christi cum humanitate, et à Christo cum Apostolis communicata est, nisi quòd Christus suâ, cæteri Christi utrumque auctoritate faciunt.

SURGE, TOLLE, ET VADE. Hæc tria verba ad evidentem curationis probationem Christus adjicit. Nec enim videri poterat simulata aut imperfecta curatio, quâ impotens membrorum paralyticus surrexisset, insuper lectum suum in humeros sustulisset, et in domum suam portâsset, ut Chrysostomus adnotavit.

VERS. 7. — TIMUERUNT, ἐθαύμασαν, admirati sunt; quidam ἐδέησεν timuerunt legendum putant, non intelligentes hæreticorum Scholastem, quem sequi voluerunt. Nam ne ille quidem ita legendum existimat, sed id verbum significare, nostrumque interpretem parùm propriè vertisse. Utique errant; nam noster interpres sensum, non verba respexit. Et quamvis θαυμάζειν propriè sit admirari, tamen hoc loco positum est pro timere. Est enim admiratio quædam, quæ ex gaudio, alia quæ ex timore proficiscitur. Itaque Lucas, c. 5, 26, quod hic Matthæus θαυμαστὸν admirationem vocat, ἔκστασιν stuporem appellat, et vehementem timorem interpretatur. *Et stupor*, inquit, *apprehendit omnes, et magnificabant Deum, et repleti sunt timore*. Timor autem intelligendus est, non ille qui ex odio, sed ille qui ex magnâ alicujus opinione et reverentiâ nasci solet, cujus lib. 3 Reg. c. 5, 28, singulare exemplum est, ubi cùm populus in illo judicio inter duas meretrices Salomonis sapientiam perspexisset, timuisse dicitur Salomonem. Quemadmodùm ergo illic, timere pro admirari, ita hic admirari pro timere positum est.

VERS. 9. — TRANSIENS INDE, rediens ad mare, ut explicat Marcus, c. 2, 13. De apostolorum vocatione, quæ hoc loco dici poterant, diximus supra, c. 3, 1.

AD TELONIUM, ad mensam publicanorum, ad quam publica Cæsaris vectigalia referebantur, ἀπὸ τοῦ τέλους, quod vectigal significat, τελώνιον telonium dictum est, id est, locus ubi vectigalia reponuntur. Sed quia plerumque vectigal pecunia erat, quæ super mensam numerari solet, mensa etiam appellabatur, ideòque ad telonium, id est, ad mensam sedere dicitur. Sicut usque ad hodiernum diem in Hispaniâ vocatur *la mesa maestral*, id est, mensa magistralis, locus ad quem vectigalia magistri equitum D. Jacobi apportantur. Constat enim tributa olim non ostiatim colligi solita, sed à subditis ipsis in certum locum referri. Sicut decimæ in Hispaniâ non solùm non extorquentur, sed ne petuntur quidem; at sponte ab iis à quibus debentur afferuntur. Hanc mensam, ad quam sedebat Matthæus, credibile est non in ipsius fuisse domo, sed in loco aliquo publico juxta mare, ut faciliùs mercium, quæ mari adducebantur, tributa in eum colligerentur. Nam Marcus, c. 2, 15, et Lucas, c. 5, 29, significant inde Christum in Matthæi domum sese contulisse, ubi magnum illi Matthæus convivium apparavit.

MATTHÆUM NOMINE; Marcus, c. 2, 14, et Lucas, c. 5, 27, 29, Matthæum nomine, id est, cognomento Levi. Apparet autem honorificentius fuisse cognomen Levi, quàm nomen Matthæi quia animadvertimus nunquàm se Levi, sed semper Matthæum modestiæ, alios eum non solùm Matthæum, sed etiam Levi honoris causa vocare, ut Hieronymus observavit.

VERS. 10. — IN DOMO, ejusdem Matthæi, Marc. 2, 15, et Luc. 5, 29.

VERS. 13. — EUNTES. Hebraismus, *ite, et dicite*, ut Jud. 10, 14 : *Ite, et invocate deos quos elegistis; ipsi vos liberent in tempore angustiæ*. Eâdem phrasi dicunt Galli : *Allez, apprenez que c'est...*

DICITE. Mittit ad se bolam doctores legis, ut ejus rei cujus scientiâ maximè gloriabantur, maximam exprobret ignorantiam, ut Euthymius adnotavit. Quòd aliis quoque locis facere solet, ut c. 12, 3 : *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant?* et ibidem, vers. 5 : *Non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?* et c. 19, 4 : *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos*, similis, c. 21, 16, 42, et 22, 31, et Marc. 12, 10, 26. Pharisæos legis doctores fuisse diximus c. 2, 4.

MISERICORDIAM VOLO. Primùm quærendum, quorsum Christus hoc dicat; nec enim hîc de sacrificio, aut misericordiâ agebatur. — Respondeo magnam fuisse misericordiam peccatores ad pœnitentiam vocare, ut paulò post dicit; quam probat à majori ad minus omnibus esse rebus præferendam. Si enim sacrificio, quod Deo offertur, teste prophetâ præferenda est, quibus non erit rebus anteponenda? sicut *thæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex pluribus discipulis electos, quos et Apostolos nominavit*. Quâ de re diximus in præfatione.

VERS. 10. — IN DOMO Matthæi; Lucas et Marcus id apertiùs testantur.

VERS. 13 et 14. — NON VENI VOCARE JUSTOS, justitiæ falsâ persuasione inflatos. NON JEJUNANT, tam frequenter ac Pharisæi : non enim de jejuniis à lege præscriptis hoc loco agitur.

supra dixit, c. 5, 24, 25 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo.* Ad hunc fermè sensum Euthymius exponit.

Et NON SACRIFICIUM. Non negat se sacrificium velle, cùm ipse instituerit, sibique jusserit offerri ; sed dicit se misericordiam malle quàm sacrificium, id est, sacrificium internum, quàm externum, et, si alterutrum defuturum est, malle externum, quod in carnalibus hostiis, quàm internum, quod in corde consistit, deesse sacrificium. Est enim Hebræorum idioma, quo solent illi, cùm unum alteri præferunt, non illud magis, hoc minùs affirmare ; sed illud affirmare omninò, hoc omninò negare ; ut : *Doctrina mea, non est mea*, id est, non tam mea quàm Patris est, ab eo enim ego accepi ; Joan. 7, 16 : *Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, id est, non tam vos quàm ille, infra, c. 10, 20 ; *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, id est, non tam volentis hominis, quàm miserentis est Dei. Romanorum 9, 16 ; sic Chrysostomus explicat, hom. 31. Itaque Ambrosius, lib. de Pœnitentiâ, c. 2, ita legit : *Misericordiam malo quàm sacrificium.* Augustinus verò, lib. 20 contrà Faustum, c. 18, et lib. 2 de Consensu evangelist., c. 27 : *Misericordiam volo, quàm sacrificium*, forma loquendi apud veteres theologos usque ad Gregorii tempora frequenter usurpata, et, ut suspicor, ex veteri nata editione, quâ ante Hieronymum Latina utebatur Ecclesia, cujus auctorem credibile est Hebraismum imitatum solitum dicere : Hoc volo, quàm hoc, id est, hoc malo. Idem August., lib. 10 de Civit. c. 5, et Cæsarius, hom. 56, legunt : *Misericordiam magis volo, quàm sacrificium*, ad sensum fortassè, non ad verba respicientes. Hinc autem esse sensum ex eodem loco prophetæ, ex quo hæc sumpta sunt verba, Osee 6, 6, manifestum est ; sequitur enim : *Et scientiam Dei magis quàm holocausta.* Per sacrificium autem, quia externus erat cultus, omnis cultus externus, per misericordiam omnia charitatis opera intelligenda sunt.

NON VENI VOCARE JUSTOS, SED PECCATORES. Duæ hoc loco quæstiones sunt : una, an aliquos, cùm Christus venit, justos invenerit, altera an propter illos etiam, si qui erant, venerit. Hæretici hujus temporis Lutherani, et Calvinlani non solùm, cùm Christus venit, sed etiam post quemquam verè justum fuisse negant. Quem errorem etsi alio loco copiosiùs sumus refutaturi, hic etiam obiter perstringemus. Certè Zacharias et Elisabeth justi erant, quocumque tandem modo justos interpretentur. Propterea enim negant non solùm esse quemquam, sed etiam esse posse justum, quia nemo totam, inquiunt, legem servare potest. De Zachariâ autem et Elisabeth, c. 1, 6, Lucas scribit : *Et erant justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ.* Justos non reputatos, ut isti commentantur, sed fuisse dicit, et fuisse non apud homines tantùm, sed ante Deum, et non, quia peccata non imputabantur, sed quia peccata non habebant, id est, quia legem observabant, quod isti boni evangelistæ, ut eorum etiam verbo utar, impossibile esse dicunt ; *incedentes*, inquit, *in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querelâ*, id est, ita ut nihil in eis desiderari posset. Si ergo talis Elisabeth, qualis Maria de quâ illa dicit : *Undè hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Luc. 1, 43 ; alios quoque, de quibus Scriptura mentionem non fecerit, justos fuisse credendum est, quando ex his constat esse potuisse. Nam et Nathanael Christus verum Israëlitam appellavit, in quo dolus non esset, Joan. 1, 47, quâ phrasi solet Scriptura hominem perfectè justum significare, ut Psal. 14, 3 : *Qui non egit dolum in linguâ suâ* ; et 31, 2 : *Nec est in spiritu ejus dolus.* Denique de Christo ipso ad magnam laudem dictum, Pet. 1, 2, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Aliâ ex parte Scriptura docet omnes fuisse peccatores, Rom. 3, 22, 25 : *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum ; non enim est distinctio ; omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei*, et 2 Cor. 5, 14, 15, *si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et unus pro omnibus mortuus est Christus.* Ita etiam omnes veteres auctores sentiunt, Christum cùm venit, neminem justum reperisse ; sed dixisse. *Non venì vocare justos*, Matth. 9, 13, non quòd aliqui justi essent, sed quòd se aliqui justos esse reputarent, quales illi ipsi erant Pharisæi, quibus ista dicebat. Propter eos autem non venisse, non quòd propter omnes non venerit, sed quòd illi qui se justos putabant, ut, qui cùm ægroti sint, se sanos esse dicunt, medicum non quærerent. Sicut illis Christus dicit Joan. 9, 41 : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum ; nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Ita Hilarius et Chrysostomus, hom. 31, Hieronym., Beda, Theophyl., Euthym., quasi per ironiam justos appellatos intelligunt. Scripturæ autem, quæ hâc in re videntur esse contrariæ, ad hunc modum conciliandæ sunt. Invenit Christus veniens, ut probatum à nobis est, aliquos justos, et tamen neminem, ut aliæ Scripturæ docent, justum invenit ; aliquos, qui reverà justi erant, neminem qui per se, id est, sine ipso Christo justus esset. Nam ipsi illi qui antequàm Christus veniret, justi unquàm fuerunt, non nisi per ejus gratiam et fidem, et vi futuri adventûs ejus fuerunt justificati, ut Petrus testatur, Act. 15, 11 : *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.* Illa ipsa Christi mater B. Virgo Maria omnium justorum hominum justissima, quam à peccato etiam originali præservatam credimus, inter eos numeratur, qui gratiâ Dei indignerunt, et propter quos etiam Christus venit, quia si Christus non venisset, ejus gratiâ præservata non fuisset. Superest quæstio secunda, quomodò dicat Christus se non venisse, ut justos vocaret, cùm nemo sine ejus vocante gratiâ justus fuerit. Quomodò veteres auctores responderint paulò ante commemoravimus non venisse, ut vocaret justos, id est, qui se justos esse existimabant, non quòd ille vocare nollet, sed quòd

illi etiamsi vocaret, venire nollent. Hoc probabile est. Illud autem quod Euthymius dicit, nisi aliquò benigniore interpretatione molliri possit, prorsùs Pelagianum : Christum non venisse propter justos, quia justi ipsi sibi ad salutem sufficiebant. Quanquàm non auctorem, qui et catholicus, et pius et eruditus est, sed auctoris minùs cautum loquendi modum damno. Ego, si quid tamen meum valet judicium, sic intelligo Christum non venisse, ut justos, sed ut peccatores vocaret, quemadmodùm nonaginta novem oves, quæ non erraverant, ut unam quæreret errantem, in deserto dicitur reliquisse, infra, c. 18, 12. Non enim significat, ut quidam interpretantur, angelos reliquisse, ut hominem quæreret ; nec nonaginta novem homines, qui non erraverant, ut unum quæreret aberrantem, quasi non nisi nonagesimus nonus quisque homo injustus esset. *Omnes* enim *in viam suam declinaverunt*, Isa. 56, 11 ; *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, Ps. 13, 3, et 52, 4 ; sed significat se adeò esse bonum et misericordem, ut si non fuissent nisi centum homines, nonaginta novem justi, et unus injustus, nonaginta novem justos reliquisset, ut unum injustum quæreret, et se propter illum solum in hunc mundum venturum, et mortem susceppturum fuisse. Similiter hoc loco non significat aliquos sine gratiâ adventûs sui justos esse, ad quos vocandos non venerit, sed se ita peccatores quærere, ut si aliqui fuissent justi, non propter eos, sed propter peccatores venturus fuisset. Hic, nisi valdè fallor, veras est sensus. Itaque illa quorumdam theologorum opinio qui existimant etiam si homines non peccàssent, Christum fuisse venturum, non solùm huic loco, sed Scripturæ mihi videtur esse contraria ; et dùm incertum Christi beneficium fingit, certum illud, quo majus esse non potuit, redemptionis nostræ extenuare. Etverò, nisi scirem etiam nonnullos catholicos et eruditos viros in eâ esse sententiâ, multò eam gravioribus notarem verbis. Sed nolo, dùm sententiam reprehendo, auctores quoque videri velle reprehendere. Tantùm dico non posse me eos qui eam etiammum defensitant, non mirari.

VERS. 14. — TUNC ACCESSERUNT, cùm Pharisæi in priore quæstione victi fuissent.

DISCIPULI JOANNIS. Lucas, c. 5, 33, ipsos Pharisæos accessisse dicit ; quod D. Augustin., lib. 2 de Consens. evangelist., c. 27, ita conciliat, utrosque accessisse, sed Lucam solos Pharisæos, Matthæum solos discipulos Joannis nominàsse. Sed videtur ita Matthæus loqui, ut significare velle videatur Pharisæos ausos non fuisse ad Christum accedere. Nam et paulò ante vers. 11, non Christo, sed ejus discipulis dixisse ait. *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Quare probabilius est Joannis discipulos à Pharisæis submissos accessisse, quod eò illi libentiùs fortassè fecerunt, quòd inter Joannis et Christi discipulos aliquam fuisse constet æmulationculam, Joan. 3, 26 : *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Propterea Lucas Pharisæos accessisse dicit, quia Joannis discipuli instigantibus Pharisæis accesserunt.

DISCIPULI AUTEM TUI NON JEJUNANT. Lucas, c. 5, 33, dicit : *Discipuli autem tui edunt et bibunt*, quasi immoderatum cibi et potûs usum notare voluerint, et quidem credibilius est, et Pharisæorum ingenio magis consentaneum ita dixisse. Nam per hæc verba *edunt et bibunt*, discipulorum intemperantiam, per discipulos autem magistrum ipsum Christum notare volusse Christus ad hunc locum allùdens significat c. 11, 18, 19 : *Venit Joannes Baptista nec manducans nec bibens, et dicunt : Dæmonium habet ; venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus.* Homines opinione sui inflati, et se laudant, *quare nos jejunamus*, et ne se laudare videantur, discipulos Joannis laudis socios assumunt ; Christum autem, et ejus discipulos non solùm tanquàm parùm religiosos, sed etiam tanquàm intemperantes et ebriosos accusant. *Quare nos* plus quàm dicunt his verbis significant ; quare nos, et non tu? nisi quia nos sancti ac justi, et ex Deo sumus, tu peccator, et ex hominibus, cùm interim, dùm nos jejunamus, tu peccatorum hominum comessationibus delecteris?

VERS. 15. — NUMQUID POSSUNT FILII SPONSI, εἰ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, thalami aut cubiculi nuptialis, Marc. 2, 19 ; idem noster interpres vertit nuptiarum. Qui autem dicantur filii sponsi aut thalami manifestum est ; loquitur enim Christus de discipulis suis, de quibus objecta illi quæstio fuerat. Cur verò ita vocentur, de eo interpretes dissident. Ambros., lib. 5 in Lucam, Hieron. et Beda, in Comment., ideò filios vocari docent, quòd ab eo spiritualiter nati essent. Iis potiùs assentior, qui Hebraismum esse dicunt, quo filii thalami aut nuptiarum appellantur, qui familiares sponsi sunt, qui ejus variis lætitiæ argumentis celebrant nuptias, quod nunc corruptis apud nos moribus, convivils, saltationibus, ludis fieri solet ; tunc saltem convivüis, ut ex nuptiis in Canâ Galilææ celebratis, Joan. 2, 1, perspicuum est, ideòque dicit jejunare non posse, quia repugnat nuptiarum celebrationi jejunium. Quemadmodùm enim filii regni vocati sunt, c. 8, 12, qui sunt ex regno, ita filii nuptiarum, qui celebrant nuptias, quod significantiùs Galli dicunt : *Ceux qui sont de la fête des noces*, amici sponsi, ut vocat se ipsum Joannes Baptista, Joan. 3, 29 ; sponsus autem est Christus, ut in illâ parabolâ nuptiarum adumbratur, c. 22, 2, et c. 25, 1, 5, 6, 10, et Apocal. 19, 7, 9. Cujus, ut ita dicam, sponsalia hic celebrantur, Matth. 22, 2, et 25, 1 ; nuptiæ autem in cœlo, ubi matrimonium quodam modo cum Ecclesiâ ejus sponsâ consummat, Apocal. 19, 7, 9, quia tunc eam in cubicalum suum, id est, in cœlum introducet, ubi perpetuis ejus fruetur amplexibus.

VERS. 15. — FILII SPONSI, Græcè, *filii thalami nuptialis*, qui cum novo sponso versantur, filii nuptiarum dicuntur Hebræâ phrasi, ut filius pacis. Hâc comparatione uti voluit Dominus loquens ad discipulos Joannis, ut insinuaret se esse verum Ecclesiæ sponsum, et ad testimonium Joannis de se respexit.

Lugere. Cur non dicit jejunare? non enim de luctu, sed de jejunio quærebatur. Ideò, ut opinor, ut in genere non solùm jejunium, sed omnes alias luctûs species comprehendat, et plus quàm ab adversariis interrogabatur, respondeat; et ut à negatione generis ad negationem speciei fortiùs argumentetur. Si enim animal esse non potest, quomodò homo esse poterit? Si filii sponsi lugere non possunt, quomodò jejunare poterunt? Lugere enim hoc loco non significat lacrymas fundere, aut plangere, sed tristem esse, et, ut Latini loquuntur, in luctu sordibusque versari: sicut dicuntur mortui certo tempore lugeri, non quòd eos vivi perpetuò fleant, sed quòd pro illis lugubrem vestem gerant. Queri hoc loco meritò potest, si non possunt filii sponsi, quamdiù sponsus cum illis est, jejunare, cur Joannes Baptista, ejusque discipuli jejunaverint; nam et ipse filius, id est, amicus erat sponsi, qui vocem ejus audiens gaudebat, Joan. 3, 29.— Respond. id factum necessariò, ut omnibus modis ad salutem homines allicerentur, et singulari, qualis fuit Joannis; et communi, qualis fuit Christi, more vivendi; ut Christus, cap. 11, 18. 19, significat: *Venit Joannes nec manducans, nec bibens, et dicunt, dæmonium habet; venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, et justificata est sapientia à filiis suis.* Præterquàm quòd Joannes, etsi amicus erat sponsi; filius tamen, id est, discipulus propriè non erat; parabat enim viam, quà alii ad nuptias venirent, ipse non venit. Qui veniebant, asperè venturi erant viâ; cùm venissent, non asperam, sed hilarem, et jucundam, quamdiù cum sponso essent, acturi vitam, ut nuptiarum festiva celebratio postulabat. At cur Christus saltem ipse, si non ejus discipuli, non jejunabat? Eâdem ratione responderi posset, quia sponsus erat, et sponsalia sua celebrabat, sed ipse aliam rationem reddit, quia *nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus*, vers. 16.

Venient autem dies. Dies pro tempore Hebræorum more, quasi dicat, satis temporis ad jejunandum habebunt, cùm ablatus illis fuerit sponsus. Non dicit, cùm ab illis discesserit, nec cùm mortuus fuerit; sed cùm ablatus fuerit, significans miserabiliter ab illis ipsis Pharisæis, quibuscum loquebatur, de medio tollendum. *Tunc*, inquit, *jejunabunt*, id est, tunc lugebunt. Nam, ut paulò ante lugere posuit pro jejunare, genus pro specie; ita nunc jejunare pro lugere, speciem pro genere posuit; quasi dicat, sicut nunc celebrant meas nuptias, ideoque non jejunant, ita tunc meam lugebunt mortem, ideòque jejunabunt. Affudit enim ad veterem morem lugendi mortuos adhibito jejunio, solent enim, qui lugent, cibo abstinere. Eventus hanc Christi sententiam non probavit modo; sed etiam declaravit. Legimus enim quàm assidui post ascensum in cœlum Christi in jejuniis, et orationibus Apostoli fuerint, Act. 13, 2, 3, 2 Cor. 6, 5, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis multis, in fame, et siti et jejuniis multis. Ineptus erat Montanus, Priscilla, et Maximilla, qui, ut ait hoc loco Hieronymus, hujus occasione sententiæ, Quadragesimam post Pentecosten celebrabant. Intemperantes Calvinistæ, qui nullum omninò Quadragesimam amant, nosque, homines valdè suo judicio sapientes, irrident, quasi ex hoc loco Quadragesimam colligamus. Nos verò hinc non tam Quadragesimam colligimus, quàm eorum argumentum refutamus; qui ideò Quadragesimam rejiciunt, quòd Christus cum discipulis suis Quadragesimam non jejunaverit; quibus idem, quod Christus hoc loco Pharisæis, respondemus, non potuisse sponsum, neque filios sponsi, quamdiù cum ipsis sponsus erat, jejunare; ablato autem sponso sapienter, et piè et voluntati ac verbis Christi congruenter Ecclesiam fecisse, quòd jejunium instituerit Quadragesimæ.

Vers. 16. — Nemo autem immittit. Hoc ideò dicit Christus, ut probet prudenter se facere, quòd non cogat suos discipulos jejunare, ut Hieron., Chrys., Hom. 31, et Remig. indicaverunt. Id autem duobus probat exemplis, altero panni rudis et vestimenti veteris; altero vini novi, et utris veteris, quorum neutrum cum altero benè conveniunt. Sensus est facilis; verborum, exemplorumque accommodatio difficilis. Nec enim dubium est, quin velit Christus docere esse genus vivendi ad discipulorum captum, consuetudinemque accommodandum; ne, si initio præter consuetudinem cogantur jejunare, institutum deterriti derelinquant. Itaque certum est discipulos suos vestimento, utribusque veteribus, genus autem vivendi austerum, et asperum panno adhuc rudi, vinoque novo comparari. Atque hanc esse sententiam, quemadmodùm vestimento veteri non adjicitur assumentum ex panno rudi, quia si adjiciatur, veterem vestem magis disrumpit, neque vinum novum mittitur in utres veteres, quia si mittatur, utres jam attriti vetustate fervente crepant vino; ita non convenire, ut discipulis faciliori vivendi rationi assuetis genus vitæ difficilius, prorsùsque dissimile subitò præscribatur, nè difficultati succumbant, et à benè cœpto vitæ instituto desistant. Ita Euthymius, et Theophylactus interpretantur; nec melior meo judicio interpretatio desiderari potest. Quanquàm Tertullian., lib. 3 et 4, contra Marc., veterem vestem, utres veteres, legem veterem; pannum rudem, et vinum novum Evangelium esse dicit, aut dicentibus Marcionistis ipse non negat. Ambrosius verò, lib. in Lucam 8, vestimentum vetus, et veteres utres jejunium. Hilarius, Hieronym., Chrysostom., et Beda Pharisæos. August., ser. de Tempore 186, omnes homines carnales: *Spiritualia*, inquit, *non capit carnalis, carnalitas vetustas est, gratia novitas est.* Quæ omnia, quamvis acutè eruditèque dicta sint, tamen in primâ, ut diximus, interpretatione standum est. Objiciet autem aliquis discipulos etiam

Vers. 16. — Commissuram, Græcè, *additamentum panni rudis*, nondùm à fullone sub acti. Tollit enim plenitudinem ejus, integritatem panni lacerat. Discipulis meis nondùm impono graviora præcepta, donec sint ad ea excipienda parationes.

Joannis vetus vestimentum, et utres veteres fuisse; jejunium tamen illis, et vitæ genus asperrimum Joannem proposuisse. Jam vers. 15, respondimus id eum fecisse necessariò, quia vicem ad Christum præparabat; quam asperam et difficilem, id est, lacrymarum, jejuniorum, et omnis pœnitentiæ generis plenam esse oportebat. Deceat autem Dominum mitiorem, humanioremque esse, quàm servum; et quod animodò ungere quos ille vulneraverat. Objici propterea potest, discipulos Christi novos adhuc fuisse, non ergo potuisse vestimento, utribusque veteribus comparari. Respondeo aut propter infirmitatem, ut vult Euthymius; aut propter veterem consuetudinem omninò dissimilem, ut ego potiùs credo, veteres appellari. Adhuc enim sicut vestis attrita, et veteres utres vetere vivendi consuetudine nondùm exuta imbecilles erant, nec vinum novum capere poterant. *Multa*, inquit Christus, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*, Joan. 16, 12. Potest adhuc occurri, jejunium rem fuisse veterem, et usitatam; propterea Joannis discipulos, et Pharisæos Christo objicere, quòd nec ipse, nec ejus discipuli jejunent, quasi veteres non servent traditiones. Respondeo quædam fuisse in veteri lege præcepta jejunia, de quibus D. Lucas in Actis c. 27, 9, mentionem facit; sed Pharisæos non de illis loqui, quæ et vetera erant, et ab omnibus sicut nunc ecclesiastica jejunia servabantur; sed de suis, et discipulorum Joannis jejuniis, quæ præcepta non erant, neque communia, sed voluntaria et illis propria, quibus se Pharisæos, id est, singulares, cæterisque sanctiores esse gloriabantur; sicut Pharisæus ille, Lucæ 18, 11, 12, in templo orans dicebat; *non sum sicut cæteri hominum, sicut etiam hic publicanus; jejuno bis in sabbato.* Quòd autem Marcion ex hoc loco suam hæresim confirmabat, quasi inter veterem, et evangelicam legem tanta sit dissimilitudo, ut unus utriusque auctor esse non possit ut Tertullianus, lib. adversùs illum 3 et 4, et Epiphanius, hæres. 42, tradiderunt, et ab illis est satis refutatum, et adeò futile est, ut operæ pretium facturus non sit, qui refutaverit. Similis Manichæorum error, contra quem Augustinus, lib 8, adversùs Faustum disputavit. Diximus de sententiâ, dicamus de verbis, ubi plusculum est difficultatis.

Commissuram, ἐπίβλημα, additamentum, ut quidam vertunt, aut politùs, si Latinitas pateretur, adjectamentum. Quidam hæreticorum interpretes existimant non significari additamentum panni, quod ad sarciendam plagam veteris vestis adjicitur, quam *peciam*, vulgò vocant; sed partem panni, quæ, quando ad conficiendam vestem satis panni ex veteri non est, ex novo in supplementum assumitur, sententia prorsùs corrupta. Et quia id cui adjicitur, vocat ἐπίβλημα πάλαιον, vestem veterem, significans jam fuisse confectam vestem, antequàm additamentum assumeretur; sed veterem detritam, et plagas habentem; et quia dicit, *et pejor scissura fit*, pejor scilicet, quàm ea, quæ ante facta fuerat. Loquitur ergo de veste jam factâ, sed scissuras habente, ad quas resarciendas dicit non esse rudem pannum insuendum, ne pejor scissura fiat. Tertullianus et Augustinus plagulam vocant.

Tollit enim plenitudinem, αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου; verba sunt ambigua, quia τὸ πλήρωμα et nominandi, et accusandi casus esse potest. Si nominandi sit sensus erit plenitudo ejus, id est, commissura illa, quæ ad implendum, quod decerat, adjecta est veteri vestimento, tollet (*aliquid*) ab illo, id est, arrodet, et lacerabit illud. Quem sensum Theodorus hæreticorum interpres, et in vertendo et in exponendo secutus est, parùm recto, ut mihi videtur, judicio. Si sit accusandi casus, duplex sensus esse potest, alter, ut supposito verbi, *tollit*, repetatur ex verbo, *immittit*, quasi dicat, alioqui, quicumque id facit, tollit plenitudinem ejus à vestimento. Quam interpretationem Erasmus invenit, in eo prudentiùs quàm Beza, quòd τὸ πλήρωμα non primum, sed quartum facit casum; in eo non benè, quòd verbum, *tollit*, referat ad eum, qui commissuram adjecit. Verum sensum nemo potest meliùs quàm noster interpres, exprimere; πλήρωμα enim plenitudinem vocat evangelista eam partem vestis, quæ cum illi commissura immitteretur, adhuc integra erat; quam ipsam non ille, qui commissuram adjecit; sed commissura ipsa panni rudis rigore suo tollit. Plenitudinem autem vocat Hebræorum more שְׁלֵמוּת, quod integrum et sanum est; quemadmodùm in altero, quod sequitur exemplo, non ille qui vinum novum in utres veteres immisit; sed vinum ipsum novum, quia fortius est, quàm ut utres ferre possint, utres corrumpit, id est, utrium plenitudinem tollit. Et, qui aliter interpretantur, et veterem fastidientes versionem novam quæsiverunt, mihi nullo modo videntur sententiæ vim proprietatemque perspexisse; quæ in eo maximè observatur, ut si pannus rudis vesti veteri assuatur, aut vinum novum in veteres utiatur utres, id quod vestem conservare debuit, perdat; et vinum, quod, ut servaretur, in utres missum est, efflent utres rumpendo, ut servari non possit. Sic enim nimis rigidum vitæ genus, si discipulis, ut meliores fiant, adhuc infirmis, et veteribus assuetis moribus præscribatur, illud ipsum, quod eos meliores facere debuit, deterrendo, avertendo, fugando pejores facit. Et quod illis, ut conservarent, exercendumque, tanquàm utribus vetustis vinum novum committeretur, dùm ferre non possent, eos desperatione quâdam perderet, et ipsum quoque feriret. Vivum exemplum Judas præbuit, cui cùm non satis idoneo apostoli commissum esset officium, et quasi veteri utri vinum novum infusum, non solùm moribus, sed corpore etiam ipso, tanquàm nimis inflatus uter crepuit medius, et perditum est, id est,

Vers. 18. — Modò defuncta est. Marcus, cap. 5, in extremis fuisse ait. Rogavi primò pro filiâ animam agente, deinde nuntiatâ ejus morte, pro mortuâ deprecatus est. Matthæus uno verbo utrumque significavit brevitatis causâ: aut dixit mortuam esse, quòd adeò malè affectam reliquerit, ut eam expirasse crederet.

quodam modo ignominiâ affectum apostolicum officium.

Vers. 18. — Princeps unus synagogæ, nomine Jairus, Marc. 5, 22, Lucæ 8, 41. Princeps autem Synagogæ vocabatur, qui Synagogæ præsidebat; quemadmodùm in scholis, qui decanus facultatis appellatur.

Modo defuncta est. Magna inter Matthæum, et cæteros evangelistas videtur esse dissensio. Nam Marcus, c. 5, 23, non mortuam puellam, sed *in extremis fuisse* dicit. Lucas verò, c. 8, 42, *et hanc moriebatur*. Chrysostomus, hom. 32, Beda, Euthym. et Theophylactus ita conciliant principem istum non ideò dixisse mortuam esse filiam suam, quòd verè mortua esset; sed vel quòd adeò graviter, cùm ipse domo discessit, ægrotaret, ut jam mortuam esse conjiceret: aut quòd orationem dolor exaggeraverit. Augustinus, lib. 2 de Cons. evangel., c. 28, Matthæum non recitâsse, quod princeps dixerat, sed quod cogitabat. Probabilius est, quod quidam putant, utrumque dixisse, et in extremis esse, et jam esse mortuam. Initio quidem dixisse eam in extremis esse, posteà venisse familiares, qui mortuam esse nuntiarent, ut Marc. 5, 35, et Luc. 8, 49, exposuerunt; tùm principem Christo dixisse, quod Matthæus narrat, filiam suam jam esse mortuam. Illud ego mihi persuadeo non dixisse principem Synagogæ simul, quæ Matthæus simul narrat: *Filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam, et vivet*, sed hæc verba, *veni, impone manum tuam super eam* dixisse, antequàm mortuam esse sciret. Morte autem auditâ potiùs rogâsse Christum, aut rogare cogitâsse, ne veniret, cùm mortua jam esset, et quia Marcus, et Lucas ita narrant, et quia accepto nuntio de morte Christus illi dixit, *noli timere, crede tantùm, et salva erit*, quasi jam timere cœpisset, ne Christus, qui moribundam sanare poterat, mortuam suscitare non posset, et quia hominem Judæum, eumque Synagogæ principem credibile non videtur tantam habuisse fidem, ut crederet posse Christum mortuam jam puellam tactu manûs suscitare.

Vers. 20. — Et ecce mulier. Civem fuisse Cæsareæ Philippi, quæ Christo statuam ante domum suam posuerit accepti beneficii monimentum scribit Eusebius, lib. 7, c. 28, et Sozomen., lib. 5, c. 21, cujus et Theophylactus hoc loco mentionem facit. Itaque minùs est probabile, quod in lib. de Salomone, c. 5, Ambrosius scribit fuisse Martham Lazari sororem.

Quæ duodecim annis. Facit hoc ad miraculi probationem, sicut quod Marcus c. 5, 26, et Lucas, c. 8, 43, expresserunt, eam omnes suas facultates in medicos expendisse, nec profecisse quidquam. His enim circumstantiis docent non solùm inveteratum, sed etiam incurabilem fuisse morbum, ut magis curationis miraculum appareat.

Accessit retro. Non est ausa palàm accedere, sive, ut quidam putant, humilitate, sive, ut Optatus, lib. 3 contra Parmen., et Ambros., libro de Salomone, c. 5, pudore, quòd tactâ laboraret morbo, sive quòd, ut alii dicunt, lege à consortio hominum arceretur, Levit. 15, 24. Fluxum autem sanguinis, multi fluxum seminis fuisse putant, qui honestiore vocabulo fluxus sanguinis appelletur, ut Chrysostomus, homil. 32, et Theophylactus in Commentariis.

Vers. 22. — At Jesus conversus et videns, ἐπιστραφεὶς καὶ ἰδὼν, *conversus et aspiciens*, quasi ignoraret et quæreret quis esset qui se tetigisset, ut alii narrant evangelistæ. Quod ideò fecit, ut mulier videns se latere non posse, proderet sese, et miraculum non ex ejus qui contulerat, sed ex ejus quæ beneficium acceperat, ore cognosceretur. Quod autem Lucas, c. 8, 46, ait dixisse Christum: *Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse*, humano locutus est more, quasi ita ex illo virtus exiisset, quemadmodùm solet ex corpore sectâ venâ sanguis exire. Narrat Lucas dixisse discipulos Christo: *Turbæ comprimunt te, et dicis: Quis me tetigit?* In quæ verba D. Augustinus multis locis notare solet, non omnes, qui sequuntur et tangunt Christum, verè tangere, sed potiùs comprimere; eos verè tangere, qui fide ad Christum accedentes fructum percipiunt. *Fide*, inquit Ambrosius, *tangitur Christus*, lib. 6 in Lucam.

Confide, filia. Apparet mulierem, cùm videret quæri à Christo quis se tetigisset, valdè timuisse, quasi sacrilegium patrâsset, et clàm sanitatem furata esset, ut Chrysostomus ait, pœnasque temeritatis suæ datura esset, ut Marc., c. 5, 33, et Lucas, c. 8, 47, declarârunt. *Mulier verò timens et tremens, sciens, quod factum esset in se, venit, et procidit ante eum, et dicit ei omnem veritatem*; ideò jubetur confidere, id est, non timere, bono esse animo. Quod autem Marcus *mulierem*, Matthæus *filiam* à Christo vocatam dicit, levis dissensio est; alter verba, alter sententiam recitavit. Uter verba? Matthæus, opinor, quia magis convenit benignitati et consuetudini Christi, ut filiam, quàm ut mulierem appellaverit, præsertim quam trementem ac pavidam blandioribus verbis erigere volebat, ut supra, v. 2: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quærunt nonnulli cur Christus noluerit miraculum latere. — Respondent Chrysostomus et Theophylactus ideò noluisse, ut et Dei gloria magis cluceret, et fides principis Synagogæ qui Christum sequebatur, confirmaretur. Quæ somnia Valentiniani ex hoc loco confinxerint, scribit Irenæus, lib. 2, c. 36. Calvinus valdè hoc loco sudat timens ne hinc reliquiarum usum comprobemus, et, quibus teneri se videt, vincula, quia solvere non potest, rumpit. Primùm hanc mulierem indiscreto zelo, ut ejus utar verbis, Christi fimbriam tetigisse ait, et aliquid in ea fuisse superstitionis. Deinde, quamvis tactu fimbriæ sanata sit, factum tamen fuisse singulare, quod ad exempli imitationem valere non debeat, ut propterea ex reliquiis sanitatem petamus. O asinum, ô cæcos homines, qui non vident hunc non tantùm hæreticum, sed prorsùs etiam diabolicum esse spiritum. Evangelistæ omnes summâ diligentiâ hanc circumstantiam expresserunt, quòd dixerit intra se: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero*, ut singularem ejus fidem declararent atque commendarent, iste bonus evangelista indiscretum zelum vocat. Christus ejus fidem non solùm effectu, sed verbis etiam approbat: *Fides tua te salvam fecit*; Calvinus superstitionem fuisse docet. Tales hodiè magistros mundus meretur.

Vers. 23.—Tibicines. Putat Theophylactus propterea quòd innupta puella erat, et, ut Marcus et Lucas scribunt, duodecim tantùm annorum, tibias, quas in nuptiis fuerat habitura, de more gentis ad funus adhibitas. At eam fuisse consuetudinem alium auctorem non habeo. Veriùs quod lib. in Lucam 8 Ambrosius scribit, morem fuisse gentilium, ut ad omne funus lamentatrices et tibicines adhiberentur, qui lacrymas audientibus cantatis mœniis elicerent, eamque consuetudinem ad Judæos quoque permanâsse. Et de lamentatricibus quidem Jeremias, c. 9, 17, mentionem fecit; et memini ego, cùm etiam in nonnullis Hispaniæ locis adhiberentur, nunc res exolevit, de tibiis evangelistæ satis est testimonium; nec enim aliud in sacris Litteris habemus, sed profanus poeta dixit, nempe Ovid., 4 Fast.:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Hæc omnia ideò narrat evangelista, ut miraculum augeat, probans verò jam mortuam fuisse adolescentulam, cùm jam tibicines acciti fuissent, ut tota plancti familia turbata tumultuaretur. Eâdem ratione Marcus et Lucas notaverunt venisse nuntios, qui affirmarent patri jam esse mortuam, nec esse cur Christum vexaret.

Recedite. Cur turbam jubeat recedere, varias varii auctores afferunt causas. Chrysostomus, hom. 32, Hilarius et Theophylactus, quòd turba indigna esset quæ miraculum videret, quia tumultuabatur, quia fidem non habebat, quia Christum dicentem non esse mortuam, sed somno oppressam deridebat. Alii quidam, ne multitudine miraculum obscuraretur, quod credibile non est, non enim solent miracula spectatorum multitudine obscurari, sed magis inclarescere. Vera causa, ut mihi quidem videtur, ex Marco, c. 5, 43, et Luca, 8, 56, facilè colligitur. Uterque enim narrat Christum parentibus puellæ vehementer præcepisse, ne quis id sciret. Propterea ergo turbam excludit, quæ continere secretum nescit. Propterea illi dixit: *Non est mortua puella, sed dormit*, ut, cùm postea ambulantem videret, non à morte suscitatam, sed à somno expergefactam putaret. Delusit enim Christus turbam ambiguitate verborum. Quam autem ob rem noluerit Christus miraculum divulgari, vers. 24 diximus. Marcus et Lucas scribunt quinque tantùm testes Christum admisisse, Petrum, Jacobum et Joannem, et patrem et matrem puellæ. Nam quod Calvinus dicit etiam comites principis synagogæ introductos fuisse, puerilis est error hominis grammaticam non intelligentis. Putavit enim homo suo judicio valdè acutus apud Marcum, c. 5, 40, cùm dicitur Christus assumpsisse patrem et matrem puellæ, καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ, *et eos qui cum ipso erant*, relativum αὐτοῦ ad patrem referri, cùm, ut constat ex v. 37, ad Christum referatur. Quòd si Calvinus veterem interpretem, quem tantoperè contemnit, secutus fuisset, non errâsset, quia non vertit, *qui cum eo*, aut *cum ipso erant*; sed: *Qui secum erant*.

Vers. 24. — Non est mortua puella, sed dormit. Augustinus, lib. 2 de Consens. evangel., c. 28, non puellam, sed mulierem legit, aut errore memoriæ, aut quod magis credo, ex antiquâ versione. Quæritur ab omnibus quo sensu dicat Christus non esse mortuam puellam, sed dormire. Plerique putant Scripturarum more loqui, quæ mortuos dormientes vocare solet, quia omnia Deo vivunt, ut Hieron., Chrysost., Theophylactus hoc loco respondent. At Christus non solùm dormire dicit, sed mortuam esse negat; Scriptura autem etsi mortuos, quia resurrecturi aliquandò sunt, dormientes appellat, mortuos tamen non negat esse, et, ut vers. 23 diximus, manifestum est Christum turbam fallere voluisse, persuadereque non esse mortuam. Nec, ut alii existimant, ideò dormire, non mortuam esse dicit, ut significet paulò post esse à se suscitandam, sicut de Lazaro dixit, Joan. 11, 11, 12: *Lazarus amicus noster dormit*; nam Lazarum non negavit esse mortuum, sed potiùs significavit, cùm dormire dixit; quod cùm discipuli nondùm intelligerent, apertè dicit: *Lazarus amicus noster mortuus est*, vers. 14. Hic autem et dicit, et credi vult puellam non esse mortuam, et non inteligentibus, sed potiùs deridentibus non explicat quomodò dormiat. Voluit ergo significare verè non esse mortuam, sed dormire, ut quemadmodùm vers. præcedenti diximus, turba expergefactam, non suscitatam putaret, et miraculum non divulgaret, quod pro miraculo non habebat. Dicit autem non esse verè mortuam, non quòd verè mortua non esset, sed quòd non esset mortua eo modo quo turba putabat, ita ut ad vitam revocari non posset. Nam si turba scivisset paulò post surrecturam, ut verè surrexit, non mortuam fuisse, sed dormisse existimâsset. Loquitur ergo Christus ex eorum opinione non, quam habebant (credebant enim verè fuisse mortuam), sed quam eos habituros fuisse sciebat, si cognovissent paulò post fuisse surrecturam.

Vers. 25. — Tenuit manum ejus. Solo verbo suscitare potuit, sed ideò manum tenuit, quia à patre rogatus fuerat, ut manum illi imponeret, vers. 18, et ut ostenderet se non aliter mortuam, quàm dormientem, ut paulò ante dixerat, prehensâ manu suscitare. Solemus enim eorum, quos dormientes aut ægrotantes excitare et levare volumus, manum apprehendere, sicut idem Christus socrum Petri decumbentem apprehensâ erexit manu, c. 8, 15. Alias causas, cur Christus solitus sit ægrotos aut mortuos manu tangere, c. 8, 3, 15, exposuimus.

Et dixit. Imperat animæ, ut redeat, quia ipse habet clavem mortis, et inferni, Apocal. 1, 18, ipse *mortificat, et vivificat, deducit ad inferos et reducit*,

Vers. 24. — Dormit, quòd tam facilè posset illam à morte, quàm à somno excitare, vel quòd ea esset statim suscitanda, velut à somno.

1 Reg. 2, 6. Lucas, vers. 54, dicit clamâsse quod etiam in Lazari suscitatione, Joan. 11, 43, fecisse legimus, non quòd voce illi aut magnâ, aut parvâ opus esset, sed ut more hominum loqueretur, qui eos qui longè distant, clamando vocant quasi volens significare non solùm mortuum fuisse puellam, sed procul etiam ejus animam abfuisse. Ubi? nescimus, sed tamen, si quid scîri potest, commodiùs apud Lucam, c. 16, 22, investigabimus, ubi locus ipse et disputandi occasionem, et inveniendi argumenta suppeditabit (1). Scribunt Marcus et Lucas Christum patri et matri puellæ graviter præcepisse ne quis id sciret. Quòd cur fecerit, ignoramus; scimus tamen Christum non sine summâ ratione et consilio fecisse; et, quantùm ego assequi conjecturâ possum, ad vitandam Pharisæorum et scribarum fecit invidiam, qui si minora miracula ferre non poterant, quid facturi erant, si mortuos suscitatos audivissent? Animadvertimus enim de solis mortuis suscitatis et curatis cæcis Christum, ne id sciretur, vetuisse infra, vers. 30, quia cæteri morbi curabiles videri poterant; vitam et visum nemo ignorabat non posse ullâ arte semel amissum revocari. Nam leproso, quem mundaverat c. 8, 4, non absolutè dixit, ne cui id diceret, sed, ne antequàm se sacerdotibus ostendisset. At sciebat utique Christus miraculum, quamvis ipse præciperet non esse celandum, sciebat futurum, quod evangelista factum narrat vers. 26: *Et exiit fama hæc in universam terram*; cur ergo præcipiebat? Ut faceret quod in se erat. Sciebat Judam futurum proditorem, cur elegit? sciebat homines mandata sua non facturos, cur dedit? sciebat peccaturum Adamum, cur fecit? sexcenta sunt ejusmodi. At si non expediebat ut miraculum tunc divulgaretur, et tamen divulgandum sciebat, cur fecit? Quia non debuit Pharisæorum invidia credenti principi fraudi esse, quominùs ejus filia suscitaretur.

Vers. 26. — Exiit fama hæc. Ad probationem miraculi hoc dicit evangelista, ne quis à se fictum putet: testis enim tota fuit regio. Hoc enim significat ἡ γῆ ἐκείνη, *omnis terra illa*, id est, tota illa provincia. Eodem consilio Marcus, c. 5, 42, dixit facto miraculo omnes obstupuisse, et utrumque evangelista Marcus et Lucas dixisse Christum: *Date illi manducare*, ut edendo ostenderet se non esse phantasma, sed verè suscitatam. Quemadmodùm Christus ipse, ut se suscitatum doceret, post resurrectionem cum discipulis edit et bibit, Lucæ 24, 41, 43, Joan. 21, 5, Act. 10, 41; scio non esse necessarium argumentum, est tamen probabile.

Vers. 28. — Cum autem venisset domum. Cur non in viâ curavit? Respondet Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus, ut secretiùs domi curaret, docerétque se gloriam non quærere. Alii, quod probabilius videtur esse, ut eorum fidem experiretur. Est etiam vero simile Christum initio cognovisse eorum fidem non satis esse perfectam, voluisseque ut tempore patientiâque matureseceret. Nec mirùm: cæci enim erant, et miracula quæ Christus faciebat, audire tantùm poterant, non videre. Hæc autem vera fides est, ut Gregorius et Augustinus aiunt, *credere quod non vides. Beati*, enim, *qui non viderunt, et crediderunt*, Joan. 20, 29. Qui verè fideles esse volunt, cæcos esse oportet, antequàm credant; credentes videbunt.

Vers. 30. — Aperti sunt oculi eorum. Id est, viderunt, nam et ante aperti erant, sed clausi esse dicebantur, si spectes effectum, quia non magis videbant quàm si fuissent omninò clausi. Ita Hebræi loqui solent, Isai. 35, 5: *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt*; et 42, 6, 7: *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum* ita

(1) Porrò ad dictum Lucæ locum, ubi pro datâ occasione quæstio movetur de sinu Abrahæ, in quem recessisse puellæ animam existimat clarissimus interpres, hanc suam sententiam verbis sequentibus profert: « De sinu Abrahæ, inquit, quid et ubi esset, magna quæstio. Non fuisse sinum ipsum corporis Abrahæ, nemo, ut opinor, dubitat, et Augustinus, lib. 4 de Animâ, ad Vincentium, c. 14, manifestum esse putat. Certum est cur est locum aliquem fuisse quietis, in quo Abraham et cæteri justi versarentur, dum *acciperent*, ut ait D. Paulus, Hebr. 11, 39, 40, *repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*, ut idem Augustinus eodem loco ait, et in epistolâ ad Dardanum, 57, et in epistolâ ad Evodium, 99. An corporeus locus fuerit, dubitare idem solet Augustinus; Gregorius verò Nyssenus, in disputatione de Animâ et Resurrectione, non dubius negat fuisse corporeum. Sed utrumque ex hoc loco haud obscurè colligitur. Cùm enim sinum Abrahæ inferno, ubi malus dives cruciatur, qui certè corporeus locus erat, Christus opponat, dubium esse non potest, quin sinus etiam Abrahæ corporeus locus fuerit, sed requietis. Non enim opponuntur, nisi quæ sub genere eodem contraria sunt.

« Ubi fuerit, subtùsne an supra terram, affirmare nusquàm ausus est Augustinus, homo in sustinendo judicio miræ prudentiæ. Nam quominùs sub terrâ esse diceret, obstare putabat quòd Abraham dixerit, v. 26: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est*; quasi si sub terrâ uterque locus fuisset, et ille ubi Abraham, et ille ubi dives erat, tantùm inter eos chaos esse non potuisset. Ambrosius, in Oratione de Obitu Valentiniani, et Beda in Commentariis hujus loci, in cœlo videntur collocare; sed credo eos de nostro loqui tempore, quo tempore cùm in cœlum Abraham translatus sit, et ibi sinum Abrahæ, ubi Abraham ipse est, esse oportuit, in cœlo posuisse. Quod confirmare Christus videtur cùm dicit: *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum*, Matth. 8, 11. Legi qui sinum Abrahæ illum paradisum, in quo Adamus fuit ante peccatum fuisse dicerent, in eamque sententiam propensos est Augustinus. Quod nihilnè omnium credibile est: illum enim paradisum supra terram fuisse Scriptura testatur, sinum verò Abrahæ sub terra fuisse quis credat, cùm jam tum paradisus ille non esset, quem Deus planâsse dicitur, inventuris eum, si esset, multis, sive casu, sive quæsitum industriâ. Probabilissimum quod posteriorum theologorum obtinuit opinio, fuisse sub terrâ distinctum quiddam ab omnibus aliis pœnarum locis, qualis infernus et purgatorium erant, cùm quietis locus esset, et supplicia opponatur. Eam sententiam Julianus Toletanus episcopus, et ipse sequitur lib. 2 Prognostic., c. 4, et Augustini esse putat. An ab eo loco distinctus fuerit, in quo nunc infantes sine Baptismo de vitâ decedentes recipi creduntur, theologi dubitant, nec est quidquam eâ de dubiâ temerè pronuntiandum. Si quis istâ requirit, magni Tostati Paradoxa legat. »

infra, c. 20, 33, et Luc. 24, 31, Joan. 9, 10, 11, 21, 26, 39, 32, et 10, 21. Aliquandò dicuntur aperiri oculi qui antè non modò non clausi, sed ne cæci quidem erant, quia non videbant quod vident postea, sicut primis parentibus dicuntur sumpto cibo illo vetito aperti fuisse oculi, quia nuditatem suam, quam antè non cognoscebant, cognoscere cœperunt, Genes. 3, 7. Eodem sensu aures dicuntur aperiri, Marc. 7, 35.

Et comminatus est. Malè mihi videtur Euthymius hoc factum interpretari, et secùs omninò quàm Christi mansuetudinem deceat. *Interminatus*, inquit, *est, autorè videlicèt intuens, contractis superciliis, commoto capite*, quos ego gestus alienissimos à Christi moribus fuisse credo. Nam etsi verbum ἐνεβριμήσατο, quo Græcè evangelista usus est, interminationem cum increpatione, et vocis auctoritate, et veluti fremitu conjunctam significat, tamen Christo non est ex hoc verbo, nisi quantùm decet, tribuendum, cum seriò et graviter cæcis præcepisse, ne cui quid dicerent. Cur autem præceperit, veram nos causam paulò ante exposuimus, vers. 25. Aliam hoc loco Hieronymus et Beda, et Gregorius, lib. 19. Moral., c. 14, rationem afferunt modestiâ et humilitate id Christum fecisse. Hilarius verò, quòd Christi miracula prædicare apostolorum esset officium, quod alii non debebant usurpare.

Vers. 31. — Illi autem exeuntes diffamaverunt. Famam Christi, et facti miraculi divulgaverunt, propriâ verbi significatione, et verbi Græci significatione ex æquo respondente, διεφήμισαν, quanquàm apud Latinos auctores parùm usitata, apud quos non memini legere, nisi in malam partem, idque perraro; fortassè, si plures haberemus auctores, etiam in bonam apud aliquem legeremus. Nostrum interpretem constat in bonam partem posuisse. Quæritur à nonnullis, num cæci isti peccaverint, qui contra Christi, ut videtur, præceptum, miraculum divulgârunt. Valdè eos hæreticus interpres reprehendit, quòd verbis Christi, quibus ipse credere non solet, non obedierint. Omnes tamen veteres auctores meritò videntur excusare, quòd non tam, ut non obedirent, quàm ut grati essent, id fecerint, Chrysost. hom. 33, Hieron., Beda, Theophylactus. Est etiam vero simile credidisse eos Christum non seriò, sed modestiæ suæ causâ, ne id dicerent, vetuisse. Nec mirum, cùm tam multi postea tam docti viri, Hieronym., Gregorius, et Beda idem existimaverint.

Vers. 32. — Ecce obtulerunt. Verbum sine suppositio Hebræorum more, quia ex ipso verbo solent desumere, *obtulerunt*, sub. offerentes. Primùm hoc loco dubitari potest num hæc eadem sit historia, quæ à Lucâ narratur c. 11, 14. Nonnulli, quia apud Lucam alio loco positam vident, diversam putant. Sed multò est probabilius eamdem et unam esse, quia utrobique dæmonium mutum erat, utrobique ejecto dæmonio turbæ dicuntur admiratæ; utrobique Pharisæi dixerunt, *in principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; quæ omnia vix in diversa miracula convenire potuerunt; sed Lucas nimirùm ordinem rei gestæ non servavit. Nam hoc miraculum statim post curatos duos cæcos accidisse apertè Matthæus dicit; Lucas verò non dicit, sed non negat.

Mutum, κωφόν, quod nomen, ut hoc loco Hieronymus admonuit, magis surdum, quàm mutum significare solet, ut Marc. 7, 32, sed aliquando etiam mutum, ut hoc loco; sequitur enim: *Et locutus est mutus*, et c. 12, 22, et Luc. 11, 14. Quod quidem etiam ex iis, qui nostram versionem ex Græcâ corrigere voluerunt, adnotârunt, mutum posse vel cum dæmonio, vel cum homine conjungi, ridiculum est, nec enim Græcè ulla est ambiguitas διάφορον κωφὸν ἔσεσθαι δαιμόνιον. Quanquàm apud Lucam, c. 11, 14, dæmonium ipsum mutum appellatur: *Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum*. Quod theologis occasionem præbuit disputandi, et qui dæmones muti essent. Nam alios mutos, ut eo loco, alios μογιλάλους semimutos vocatos legimus, Marc. 7, 32, sicut et lunaticos, infra, c. 17, 15. Et nos ipsi anno 1578, Avarici Biturigum mutum puellam vidimus dæmonium habentem, quæ invocatione nominis B. Mariæ Virginis ejecto dæmonio locuta est. Quæstio autem est, quo sensu quidam dæmones muti vocentur, et an omnes muti vocentur, et an omnes, cùm volunt, muti sint. Quidam mutos dici volunt, quòd naturâ suâ ejusmodi sint. Alii, quòd in mutis hominibus habitent. Alii, quod probabilius videtur, quòd homines mutos efficiant. Credo tamen ego non omnes dæmones mutos aliquando esse; sed quemadmodum alii libidine, alii avaritiâ, alii aliis modis homines vexandi delectantur; ita esse quosdam, qui ament homines, quos obsident, mutos reddere, alios, qui, ut ait Hieronymus, lunæ mutationes observent, ut homines vexent, et Dei creaturam infament. Colligo hoc ex c. 17, 20, et Marc. 9, 28, *hoc genus*, inquit Christus, *dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio*, quasi ipsorum naturæ hoc attribuens.

Vers. 33. — Et ejecto dæmonio. Non exigit à dæmoniaco fidem ut à cæcis, quia mutus erat, et quia muti surdi esse solent, etiam surdus, ut nec audire, nec respondere posset, Chrysost., Euthym., Theophylact.

Vers. 34. — Pharisæi autem. Turbis credentibus, et admirantibus Pharisæos non credentes, sed etiam murmurantes, et blasphemantes opponit, Chrysostomus, hom. 33.

In principe dæmoniorum. Tanquàm unus ex ipsis dæmonibus, tanquàm diaboli minister, diabolicâ virtute, Lucas, c. 11, 15: *In Belzebub principe dæmoniorum*, sic enim ex famoso idolo, ut illic exponemus, appellabant. Summa, ut notat Chrysostomus, cæcitas; solet enim invidia sic homines obcæcare, ut quid dicant, non videant. Quomodò enim poterat Sa-

Vers. 32. — Mutum. Vox Græca surdum potiùs quàm mutum significat: quòd hæc duo sint inter se conjuncta: nam qui surdi sunt à nativitate, iidem sunt muti: is verò alius est ab eo cujus fit mentio Matth. 12, et Lucæ 11.

tanas Satanam ejicere, ut illos Christus coarguit, c. 12, 26; Marc. 3, 22; Luc. 11, 18.

Vers. 37. — Messis quidem multa. Hoc est in multis antiquis libris, etiam apud Strabum, Hugonem, Lyranum decimi capitis initium. Et quidem non absurdè; hinc enim ejus sententia dependet. Redditur enim hoc loco causa missionis apostolorum, de quâ agitur, c. 10, 1; nam propterea missi sunt, quia messis erat multa, operarii autem pauci. Messem vocat auditorum multitudinem verbum Dei aventium audire. Exierat enim, qui seminat, id est, Christus ipse seminare semen suum; creverat feliciter semen et seges matura jam erat ad messem, propterea non jam semen, non segetem, sed messem vocat, Luc. 10, 2; Joan. 4, 35, 38; Chrysostomus, Euthymius.

Vers. 38. — Dominum messis. Chrysostomus et Euthymius dominum messis Christum ipsum intelligunt. Et est ille quidem verè Dominus, sed probabilius tamen est patrem suum dominum messis appellare, sicut alio loco dicit *pater meus agricola est*, Joan. 15, 1. Vineæ quoque dominum non se, sed patrem facit, infra, c. 21, 33, 38; Marc. 12, 1; Luc. 20, 9, se filiumfamiliàs esse significat, qui pro patre et sementem facit, et metit; quemque pater, cùm multos misisset servos, ut à vinitoribus fructus acciperent, aliumque contumeliis affectum dimisissent, alium lapidàssent, ad extremum misit dicens: *Verebuntur fortè filium meum.*

CAPUT X.

1. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.

2. Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus:

3. Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus: Philippus, et Bartholomæus; Thomas, et Matthæus publicanus; Jacobus Alphæi, et Thaddæus;

4. Simon Cananæus; et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum.

5. Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

6. Sed potiùs ite ad oves quæ perierunt, domûs Israel.

7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.

8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.

9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.

10. Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.

11. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus sit, et ibi manete, donec exeatis.

12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

14. Et quicumque non receperit vos neque audierit sermones vestros; exeuntes foràs de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris.

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

CHAPITRE X.

1. Jésus ayant appelé ses douze disciples, leur donna puissance sur les esprits impurs, pour les chasser et pour guérir toutes sortes de langueurs et d'infirmités.

2. Or, voici les noms des douze apôtres. Le premier Simon qui est appelé Pierre, et André son frère,

3. Jacques, fils de Zébédée, et Jean, son frère; Philippe et Barthelémi; Thomas et Matthieu le publicain; Jacques, fils d'Alphée, et Thaddée,

4. Simon Cananéen, et Judas Iscariote, qui est celui qui le trahit.

5. Jésus envoya ces douze, après leur avoir donné ces instructions: N'allez point dans les terres des gentils, et n'entrez point dans les villes des Samaritains;

6. Mais allez plutôt aux brebis perdues de la maison d'Israël.

7. Et en allant, prêchez, disant: Le royaume des cieux est proche.

8. Rendez la santé aux malades, ressuscitez les morts, guérissez les lépreux, chassez les démons; donnez gratuitement ce que vous avez reçu gratuitement.

9. N'ayez ni or, ni argent, ni autre monnaie dans vos ceintures.

10. Point de sac pour le voyage, ni deux habits, ni souliers, ni bâton; car l'ouvrier mérite qu'on le nourrisse.

11. En quelque ville, ou en quelque village que vous entriez, informez-vous qui est homme de bien; et demeurez chez lui jusqu'à ce que vous vous en alliez.

12. En entrant dans la maison saluez-la, disant: Paix à cette maison.

13. Si cette maison en est digne, votre paix viendra sur elle; et si elle n'en est pas digne, votre paix reviendra à vous.

14. Lorsque quelqu'un ne voudra point vous recevoir, ni écouter vos paroles, en sortant de cette maison ou de cette ville, secouez la poussière de vos pieds.

15. Je vous le dis en vérité; au jour du jugement Sodome et Gomorrhe seront traitées avec moins de rigueur que cette ville-là.

16. Voici que je vous envoie comme des brebis au milieu des loups. Soyez donc prudents comme des serpents, et simples comme des colombes.

17. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos:

18. Et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.

19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.

20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

23. Cùm autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.

24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

25. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamiliàs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?

26. Ne ergo timueritis: nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

28. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

29. Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.

30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium:

35. Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, et filiam adversùs matrem suam, et nurum adversùs socrum suam.

36. Et inimici hominis domestici ejus.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

38. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.

39. Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit.

17. Mais gardez-vous des hommes; car ils vous feront comparaître dans leurs assemblées, et ils vous fouetteront dans leurs synagogues;

18. Et vous serez conduits, à cause de moi, aux gouverneurs et aux rois, pour me rendre témoignage devant eux et devant les gentils.

19. Lors donc qu'on vous fera comparaître, ne vous mettez point en peine ni comment vous parlerez, ni de ce que vous direz, car ce que vous devez leur dire vous sera donné à l'heure même.

20. Car ce n'est pas vous qui parlez, mais l'Esprit de votre Père qui parle en vous.

21. Or le frère livrera le frère à la mort, et le père, le fils; les enfants mêmes se souleveront contre leurs pères et leurs mères, et les feront mourir.

22. Et vous serez haïs de tous, à cause de mon nom; mais celui-là sera sauvé, qui persévérera jusqu'à la fin.

23. Lors donc qu'ils vous persécuteront dans une ville, fuyez dans une autre. Je vous le dis en vérité, vous n'aurez pas parcouru toutes les villes d'Israël, que le Fils de l'homme viendra.

24. Le disciple n'est pas plus que le maître, ni l'esclave plus que son seigneur.

25. Il suffit au disciple d'être comme son maître, et à l'esclave d'être comme son seigneur. S'ils ont appelé le père de famille Béelzébub, à combien plus forte raison traiteront-ils ainsi ses domestiques?

26. Ne les craignez donc point; car il n'y a rien de caché qui ne doive être découvert, ni de secret qui ne doive être connu.

27. Dites dans la lumière ce que je vous dis dans l'obscurité, et prêchez sur le haut des maisons ce qui vous aura été dit à l'oreille.

28. Et ne craignez point ceux qui tuent le corps et qui ne peuvent tuer l'âme, mais craignez plutôt celui qui peut perdre dans l'enfer et le corps et l'âme.

29. N'est-il pas vrai que deux passereaux ne se vendent qu'une obole? Et cependant il n'en tombe aucun sur la terre sans la volonté de votre Père.

30. Pour vous, les cheveux mêmes de votre tête sont tous comptés.

31. Ne craignez donc point: vous valez beaucoup mieux qu'un grand nombre de passereaux.

32. Quiconque donc me confessera devant les hommes, je le confesserai aussi moi-même devant mon Père qui est dans les cieux.

33. Et quiconque me renoncera devant les hommes, je le renoncerai aussi moi-même devant mon Père qui est dans les cieux.

34. Ne pensez pas que je sois venu apporter la paix sur la terre; je ne suis pas venu apporter la paix, mais l'épée.

35. Car je suis venu séparer le fils d'avec le père, la fille d'avec la mère, la belle-fille d'avec la belle-mère.

36. Et l'homme aura pour ennemis ceux de sa propre maison.

37. Celui qui aime son père ou sa mère plus que moi, n'est pas digne de moi; et celui qui aime son fils ou sa fille plus que moi, n'est pas digne de moi.

38. Et qui ne prend pas sa croix, et ne me suit pas, n'est pas digne de moi.

39. Celui qui conserve sa vie, la perdra; et celui qui perdra sa vie pour l'amour de moi, la retrouvera.

40. Celui qui vous reçoit, me reçoit; et celui qui me reçoit, reçoit celui qui m'a envoyé.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tanas Satanam ejicere, ut illos Christus coarguit, c. 12, 26; Marc. 3, 22; Luc. 11, 18.

Vers. 37. — Messis quidem multa. Hoc est in multis antiquis libris, etiam apud Strabum, Hugonem, Lyranum decimi capitis initium. Et quidem non absurdè; hinc enim ejus sententia dependet. Redditur enim hoc loco causa missionis apostolorum, de quâ agitur, c. 10, 1; nam propterea missi sunt, quia messis erat multa, operarii autem pauci. Messem vocat auditorum multitudinem verbum Dei aventium audire. Exierat enim, qui seminat, id est, Christus ipse seminare semen suum; creverat feliciter semen et seges matura jam erat ad messem, propterea non jam semen, non segetem, sed messem vocat, Luc. 10, 2; Joan. 4, 35, 38; Chrysostomus, Euthymius.

Vers. 38. — Dominum messis. Chrysostomus et Euthymius dominum messis Christum ipsum intelligunt. Et est ille quidem verè Dominus, sed probabilius tamen est patrem suum dominum messis appellare, sicut alio loco dicit *pater meus agricola est*, Joan. 15, 1. Vineæ quoque dominum non se, sed patrem facit, infra, c. 21, 33, 38; Marc. 12, 1; Luc. 20, 9, se filiumfamiliàs esse significat, qui pro patre et sementem facit, et metit; quemque pater, cùm multos misisset servos, ut à vinitoribus fructus acciperent, aliumque contumeliis affectum dimisissent, alium lapidàssent, ad extremum misit dicens: *Verebuntur fortè filium meum.*

CAPUT X.

1. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.

2. Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus:

3. Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus: Philippus, et Bartholomæus; Thomas, et Matthæus publicanus; Jacobus Alphæi, et Thaddæus;

4. Simon Cananæus; et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum.

5. Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

6. Sed potiùs ite ad oves quæ perierunt, domûs Israel.

7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.

8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.

9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.

10. Non peram in viâ, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.

11. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in eâ dignus sit, et ibi manete, donec exeatis.

12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

14. Et quicumque non receperit vos neque audierit sermones vestros; exeuntes foràs de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris.

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.

CHAPITRE X.

1. Jésus ayant appelé ses douze disciples, leur donna puissance sur les esprits impurs, pour les chasser et pour guérir toutes sortes de langueurs et d'infirmités.

2. Or, voici les noms des douze apôtres. Le premier Simon qui est appelé Pierre, et André son frère,

3. Jacques, fils de Zébédée, et Jean, son frère; Philippe et Barthelémi; Thomas et Matthieu le publicain; Jacques, fils d'Alphée, et Thaddée,

4. Simon Cananéen, et Judas Iscariote, qui est celui qui le trahit.

5. Jésus envoya ces douze, après leur avoir donné ces instructions: N'allez point dans les terres des gentils, et n'entrez point dans les villes des Samaritains;

6. Mais allez plutôt aux brebis perdues de la maison d'Israël.

7. Et en allant, prêchez, disant: Le royaume des cieux est proche.

8. Rendez la santé aux malades, ressuscitez les morts, guérissez les lépreux, chassez les démons; donnez gratuitement ce que vous avez reçu gratuitement.

9. N'ayez ni or, ni argent, ni autre monnaie dans vos ceintures.

10. Point de sac pour le voyage, ni deux habits, ni souliers, ni bâton; car l'ouvrier mérite qu'on le nourrisse.

11. En quelque ville, ou en quelque village que vous entriez, informez-vous qui est homme de bien; et demeurez chez lui jusqu'à ce que vous vous en alliez.

12. En entrant dans la maison saluez-la, disant: Paix à cette maison.

13. Si cette maison en est digne, votre paix viendra sur elle; et si elle n'en est pas digne, votre paix reviendra à vous.

14. Lorsque quelqu'un ne voudra point vous recevoir, ni écouter vos paroles, en sortant de cette maison ou de cette ville, secouez la poussière de vos pieds.

15. Je vous le dis en vérité; au jour du jugement Sodome et Gomorrhe seront traitées avec moins de rigueur que cette ville-là.

16. Voici que je vous envoie comme des brebis au milieu des loups. Soyez donc prudents comme des serpents, et simples comme des colombes.

17. Cavete autem ab hominibus: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos:

18. Et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.

19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini.

20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

23. Cùm autem persequentur vos in civitate istâ, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.

24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

25. Sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamiliàs Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus?

26. Ne ergo timueritis: nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

28. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

29. Nonne duo passeres asse veneunt? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro.

30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium:

35. Veni enim separare hominem adversùs patrem suum, et filiam adversùs matrem suam, et nurum adversùs socrum suam.

36. Et inimici hominis domestici ejus.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

38. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.

39. Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit.

17. Mais gardez-vous des hommes; car ils vous feront comparaître dans leurs assemblées, et ils vous fouetteront dans leurs synagogues;

18. Et vous serez conduits, à cause de moi, aux gouverneurs et aux rois, pour me rendre témoignage devant eux et devant les gentils.

19. Lors donc qu'on vous fera comparaître, ne vous mettez point en peine ni comment vous parlerez, ni de ce que vous direz, car ce que vous devez leur dire vous sera donné à l'heure même.

20. Car ce n'est pas vous qui parlez, mais l'Esprit de votre Père qui parle en vous.

21. Or le frère livrera le frère à la mort, et le père, le fils; les enfants mêmes se souleveront contre leurs pères et leurs mères, et les feront mourir.

22. Et vous serez haïs de tous, à cause de mon nom; mais celui-là sera sauvé, qui persévérera jusqu'à la fin.

23. Lors donc qu'ils vous persécuteront dans une ville, fuyez dans une autre. Je vous le dis en vérité, vous n'aurez pas parcouru toutes les villes d'Israël, que le Fils de l'homme viendra.

24. Le disciple n'est pas plus que le maître, ni l'esclave plus que son seigneur.

25. Il suffit au disciple d'être comme son maître, et à l'esclave d'être comme son seigneur. S'ils ont appelé le père de famille Béelzébub, à combien plus forte raison traiteront-ils ainsi ses domestiques?

26. Ne les craignez donc point; car il n'y a rien de caché qui ne doive être découvert, ni de secret qui ne doive être connu.

27. Dites dans la lumière ce que je vous dis dans l'obscurité, et prêchez sur le haut des maisons ce qui vous aura été dit à l'oreille.

28. Et ne craignez point ceux qui tuent le corps et qui ne peuvent tuer l'âme, mais craignez plutôt celui qui peut perdre dans l'enfer et le corps et l'âme.

29. N'est-il pas vrai que deux passereaux ne se vendent qu'une obole? Et cependant il n'en tombe aucun sur la terre sans la volonté de votre Père.

30. Pour vous, les cheveux mêmes de votre tête sont tous comptés.

31. Ne craignez donc point: vous valez beaucoup mieux qu'un grand nombre de passereaux.

32. Quiconque donc me confessera devant les hommes, je le confesserai aussi moi-même devant mon Père qui est dans les cieux.

33. Et quiconque me renoncera devant les hommes, je le renoncerai aussi moi-même devant mon Père qui est dans les cieux.

34. Ne pensez pas que je sois venu apporter la paix sur la terre; je ne suis pas venu apporter la paix, mais l'épée.

35. Car je suis venu séparer le fils d'avec le père, la fille d'avec la mère, la belle-fille d'avec la belle-mère.

36. Et l'homme aura pour ennemis ceux de sa propre maison.

37. Celui qui aime son père ou sa mère plus que moi, n'est pas digne de moi; et celui qui aime son fils ou sa fille plus que moi, n'est pas digne de moi.

38. Et qui ne prend pas sa croix, et ne me suit pas, n'est pas digne de moi.

39. Celui qui conserve sa vie, la perdra; et celui qui perdra sa vie pour l'amour de moi, la retrouvera.

40. Celui qui vous reçoit, me reçoit; et celui qui me reçoit, reçoit celui qui m'a envoyé.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

41. Celui qui reçoit un prophète en qualité de prophète, recevra la récompense du prophète; et celui qui reçoit le juste en qualité de juste, recevra la récompense du juste.

42. Et quiconque donnera seulement à boire un verre d'eau froide à l'un de ces plus petits, parce qu'il est de mes disciples, je vous le dis en vérité, il ne sera point privé de sa récompense.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et convocatis duodecim discipulis suis. Ante hoc tempus, discipuli, non Apostoli vocabantur. Qui, etsi mùltò plures Christus habebat, discipuli tamen absolutè et duodecim dici solebant, quia et magis erant Christo familiares, et ad apostolorum officium fuerant designati. Nunc eos apostolos, id est, missos mittendo facit, quasi ex discipulis magistros. Misit et alios Septuaginta duos, Luc. 10, 1, sed hos solos duodecim, quia generaliter postea in mundum universum missi sunt, c. 28, 19, et Marc. 16, 15, apostolos dicitur appellàsse. Quanquàm veteres auctores vim secuti nominis, etiam Septuaginta duos aliquando apostolos vocant, ut Irenæus, lib. 2, c. 57, et Tertullianus, lib. 4 adversùs Marcionem. Dixerat c. 9, 37 : *Messis quidem multa, operarii autem pauci*, propterea mittit nunc operarios in messem suâ prædicatione paratam, et veluti maturam, Joan. 4, 35, commoverat enim prædicatione, et miraculis omnium hominum animos, ut levi momento trahi possent. Hoc est, quod dicit Joan. 4, 38 : *Ego misi vos metere, quod non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis*. Quòd autem non plures, non pauciores, quàm duodecim miserit, certum est non casu, sed consilio, et mysterio fecisse, et Act. 1, 16, quasi necessarium esset, duodecim apostolorum numerum esse completum, in locum Judæ proditoris Matthias electus est; et Apocal. 4, 4, ubi manifestum est per viginti quatuor seniores duodecim patriarchas, et duodecim apostolos intelligi. Hàc ergo de causâ duodecim Christus apostolos esse voluit, ut duodecim patriarcharum figuram impleret; et quemadmodum ex duodecim Patriarchis totus Judaicus populus carnaliter propagatus est; ita totus populus Christi anorum spiritualiter ex duodecim apostolis propagaretur; veneràt enim Christus, ut carnem in spiritum commutaret. Nam Apostolos patres fuisse eorum, qui per eos crediderunt, declarat illud Pauli, 1 ad Cor. 4, 15 : *Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*, et ad Philem. 10 : *Quem genui in vinculis*. Hoc numeri mysterium omnes veteres auctores agnoverunt, Iren. l. 4, c. 58, hinc etiam adversùs Marcionistas et Valentinianos probat non alium novi, atque veteris Testamenti auctorem fuisse, quando utrumque duodecastylo, id est, duodecim columnarum numero fundatum sit. Alias hujus numeri figuras multi auctores recensuerunt. Justinus in lib. de Verit. Christianâ, Tertullianus, lib. adversùs Marcionem 4; Hieron. in commentariis ad hunc locum, multisque aliis locis, Theodoritus in Quæst. in c. 1, Josue, Theophylact. hoc loco. Qui omnes volet collectas videre Rabanum apud D. Thomam in Catenâ legat. Egò Tertulliani tantùm verba ponam : *Cur*, inquit, *duodecim apostolos elegit, et non alium quemlibet numerum? Næ et ex hoc meum Christum interpretari possem non tantùm vocibus prophetarum, sed argumentis rerum prædicatum. Hujus enim numeri figuras apud creatorem deprehendo, duodecim fontes in Elim, et duodecim lapides ab Jesu in Jordane electos, et in arcâ testamenti conditos. Totidem enim Apostoli portendebantur, proindè ut fontes, et omnes rigaturi aridum retrò, et desertum à notitiâ orbem nationum*. Atque quoque hujus numeri rationes ab aliis afferuntur, ut quòd hic numerus perfectus sit, quo universus mundus in quem apostoli mittebantur, significabantur. Ex tribus enim constare quaternionibus, quia in nomine Trinitatis per universum mundum quatuor in partes divisum Evangelium erat ab apostolis prædicandum, Augustin., Psal. 59 et 105. Alii eleganter sanè et subtiliter duodecim apostolos duodecim anni mensibus : quatuor verò evangelistas quatuor anni temporibus comparàrunt, ut Hieronym. in c. 1 Ezechiel., et Sedulius :

Quatuor hi proceres unâ te voce canentes,
Tempora cæu totidem latum sparguntur in orbem.
Sic et Apostolici semper duodenus honoris
Fulgat apex numero mensesque imitatus, et horas,
Omnibus ut rebus semper tibi militet annus.

Idem Hieronymus, hoc loco, et Augustinus, lib. 1, de Actis cum Felice Manichæo, c. 4, ideò certo numero et insigni Christum Apostolos dicunt elegisse, ne quisquam per fraudem in Apostolorum numerum irreperet. At nihil omninò est, quo hæretici non abutantur. Hinc etiam Valentiniani suorum æonum figmenta probabant, ut lib. 1, c. 1 et 15, scribit Irenæus.

Et dedit eis potestatem spirituum immundorum, ejiciendi spiritus immundos, ut statim declarat, ut ejicerent eos, in nonnullis Græcis exemplaribus est, κατὰ τῶν πνευμάτων ἀκαθάρτων contra spiritus immundos, quod suspicor ab aliquo primum Græco explanationis causâ ad marginem appositum in contextum subiisse. Nam noster certè interpres ita non legit. Immundos autem vocat, non quòd ipsi per se immundi sint; sed quòd rebus immundis delectentur, ad easque potissimùm homines incitent, ut infra, c. 12, 43, Januarium. Potestatem, contra spiritus immundos. Et curarent. Quæ potestas extraordinaria missionis Apostolicæ erat argumentum.

et Marc. 1, 25, 26, 27; et 3, 11, 30; et 5, 2, 8, 13; et 6, 7; et 7, 25, et 9, 25; et ferè ubique ita vocantur. Instruxerat Christus apostolos suos doctrinâ, c. 5, et 6, et 7, instruit nunc, cùm mittendi sunt, potestate. Erat autem hæc in illis potestas inprimis necessaria; quo enim modo homines doctrinæ rudes res tantas, tamque incredibiles sine miraculis persuadere potuissent! Et conveniebat, ut quemadmodùm Moses primus veteris legis doctor largâ faciendi miracula potestate donatus fuerat; ita Apostoli evangelicæ, id est, melioris legis doctores, eâdem, aut potiùs majore donarentur.

Vers. 2. — Duodecim autem discipulorum nomina sunt. Eo consilio evangelista apostolorum ponit nomina, ne quis se pro apostolo nobis venditet, ut Hieronymus et Augustinus, lib. 1, de Actis cum Felice Manichæo, c. 4, et Euthymius adnotàrunt. Præterquàm quòd non decebat eorum nomina, per quos geniti essent, Christianos ignorare.

Primus Petrus. Valdè vellent hæretici nunquàm evangelista primo loco Petrum posuisset; aut primum certè non appellàsset. Et verò Theodorus non ille atheus, sed iste hæreticus ab aliquo, qui Rom. pontificis auctoritatem asserere voluerit, additum suspicatur. Scilicet hoc est, *in principe dæmoniorum ejicit dæmonia*. Quasi Græci qui maximè semper Romano pontifici potestatem inviderunt, Evangelium corruperint, ut eam auctoritatem, quam minimè cupiebant, magis angerent. Meliùs dixisset, quod omnes alii Calviniani dicunt, evangelistam in recitandis Apostolorum nominibus dignitatis rationem non habuisse, sed Petrum primum vocàsse, quia primus occurrit. Id enim non solùm Chrysostomi, hom. 34, sed multorum etiam nostri temporis Catholicorum interprètum testimonio probare potuisset, qui propterea docent non ex cujusque dignitate apostolos nominatos, quòd in iis connumerandis non eumdem omnes evangelistæ ordinem observaverint. Argumentum, ut illis videtur, indissolubile. Mihi verò non indissolubile; sed infirmum videri solet, doleoque quosdam Catholicos tam levibus hæreticorum argumentis superari. Egò à Romano pontifice nihil unquàm habui, nihil me habiturum spero, nihil habere volo; sed tamen etiam aliquo etiam asseverò evangelistam in recensendis Apostolorum nominibus dignitatis ordinem tenere voluisse. Primum quid est, quòd omnes evangelistæ, Matthæus hoc loco, Marcus c. 3, 16; Lucas c. 6, 14. Petrum primo loco ponunt, quia primo, inquiunt, loco vocatus est. At cur nemo prius Andream fratrem ejus nominat, qui eum ad Christum adduxerat, et prior Christum secutus est? Joan. 1, 40, 41. Cur omnes Judam proditorem ultimum numerant, nisi quia omnium indignissimus erat? Cur ergo in ultimo dicamus ordinem servavisse, quem tamen ultimum non appellant, in Petro autem non dicamus, quem et primum numerant, et primum appellant? Deinde cur quemadmodùm Petrum primum, non etiam reliquos secundum, tertium, quartum, et deinceps appellàrunt, nisi quia Petrum non ideò primum vocàrunt, quòd primo loco numerandus occurreret, sed quòd dignitate et auctoritate primus esset; et quòd hoc nomen non numerum, sed primatum significaret? Si enim numerale nomen esset, cætera quoque numeralia, nomina quæ post illud sequuntur posita essent. Cur etiam in cæteris apostolis numerandis eumdem omnes evangelistæ ordinem tenent, pauciis modò exceptis, quæ ut statim dicturi sumus, necessariò variàrunt, ex quibus tamen ipsis maximum capitur argumentum evangelistas, quoad ejus fieri potuit, dignitatis ordinem servare voluisse. Primum ergo isti interpretes objiciunt, quòd, cùm Matthæus et Lucas post Petrum Andream ponant, Marcus Jacobum et Joannem ante Andream numeraverit. Respondeo id fecisse Marcum necessariò, quia simul dicere volebat, quibus Christus nomina mutavisset. *Et imposuit*, inquit, *Simoni nomen Petrus, et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui, et Andreæ*. Itaque Jacobum et Joannem inter Petrum et Andream per parenthesim posuit, Andream verò cum Petro finità parenthesi copulavit, indicans, quamvis quarto loco esset, secundum tamen ad eum locum pertinere. Atque ita rem esse ex eo manifestum est, quòd cùm et Marcus, et cæteri Evangelistæ omnes Apostolos, ut missi fuerant, binos nominaverint, nisi Andreas cum Petro conjungatur, uterque socio carebit. Secundo loco objiciunt, quòd Matthæus Philippum et Bartholomæum Jacobo et Joanni præponat; alii postponant. Respondeo etiam apud Matthæum non solùm in omnibus Græcis codicibus, sed etiam in omnibus antiquis et emendatis Latinis esse postpositos, ut apud Hieronymum et Bedam, scribentium autem negligentiâ, aut fortassè hæreticorum malitiâ factum esse, ut in quibusdam libris Hugonis, et Lyrani præpositi fuerint. Certè probabiliùs suspicari possumus hoc ab hæreticis, qui semper pontifici Romano iniqui fuerunt, factum esse; quàm Theodorus à Catholicis epithetum *primus* Petro additum suspicatur. Et malignè Theodorus fecit, quòd cùm ignorare non posset et Hieronymum, et omnes alios Latinos codices aliter legere, vitiosum exemplar versioni suæ apposuerit, ut suum inde errorem confirmaret. Tertiò objiciunt, quòd alii evangelistæ Matthæum Thomæ præponant, ipse verò Matthæus se illi postponat. Atqui hoc egò argumento maximè confirmo Evangelistas dignitatis minùsque rationem habuisse. Cur enim se Matthæus post posuit, alii anteposuerunt; nisi quia Matthæus modestiæ causâ noluit se Thomæ præponere? quòd si

Vers. 2, 3 et 4. — Primus, dignitate; nam Andreas ejus frater priùs vocatus dicitur à Joanne. Primatus autem ille non fuit datus cùm hæc facta sunt, sed cùm ab evangelistâ scriptum est. Evangelistæ eum primo loco recensent ob eum primatum. Qui dictus Petrus, postea sic dictus, c. 16. Bartholomæus, filius Tolmai, seu Ptolemæi. Simon, qui et Zelotes, è vico *Canâ*, qui Syriacè *Zelum* significat. Thaddæus, qui et Judas, et Lebbæus frater Jacobi Alphæi, Christi consanguineus. Et Judas Iscariotes, filius Simonis è vico Carioth in tribu Judæ, cujus fit mentio Josue 15: Hebr. virum significat.

non ex dignitate numerabantur, neque quidquam interetat, quo quisque loco nominaretur, nec modestia in Matthæo fuit se Thomæ postponere, nec immodestia videri poterat, si se illi præposuisset. At Paulus, inquiunt, ad Gal. 2, 9, Jacobum Petro antetulit. Respondeo D. Paulum non dignitatis, sed ætatis rationem habuisse, quâ Jacobus Petrum antecedebat. Præterquàm quòd in eâ epistolâ id D. Paulus agebat, ut se cæteris apostolis æqualem probaret, nec erat opportunum, ut de cujusquam prærogativâ loqueretur. Quamobrem non dixit : Jacobus et Cephas et Joannes, qui columnæ erant, cùm id verè dicere potuisset; videmus enim Christum eos tres apostolos cæteris semper prætulisse, sed dixit : *Qui videbantur columnæ esse.*

Qui dicitur Petrus. Simon cognomento Petrus; id enim Christus illi cognomen dederat, cap. 16, 18, et Joannes 1, 42, de quo illic disseremus. Hoc autem loco ideò additum est, ut à Simone Cananæo distinguatur vers. 4.

Jacobus Zebedæi, intelligitur filius Hebraicâ phrasi, sicut et Hispanicâ, Joannes Martini, id est, Joannes filius Martini. Zebedæi autem filius dictus est, ut ab altero illo Jacobo distingueretur, qui Alphæi filius erat, vers. 3. Hic dictus est Jacobus major propter ætatem, occisusque est ab Herode, Act. 12, 2.

Vers. 3. — Jacobus Alphæi. Filius, ut in superiore versu. Hic dictus est minor, quia junior erat, Marc. 15, 40, et frater Domini ad Galat. 1, 19, quòd filius esset Mariæ sororis Mariæ matris Domini, ut Hieronymus in ejus vitâ sentit, et justus propter singularem sanctitatem, auctor epistolæ Catholicæ, Jacobi, 1, 1, primus Hierosolymorum episcopus, Hieron. de Script. Eccles.

Thomas, ille qui Christum resurrexisse non credebat, quique dictus est Didymus, Joan. 20, 27.

Et Thadæus. Hic, ut ait Hieron., trinominis fuit. Nam et Thadæus, ut hoc loco, vocatus est, et Judas Jacobi frater, Jud. 1, et Lebbæus, id est, corculum, vel, ut alii volunt, leuniculus. Sunt enim qui tradant morem Judæorum fuisse, ut quicumque quatuor literas nominis Dei יהוה in suo haberent nomine, alio nomine vocarentur ut יהוה Judas. Eos autem, quibus Judas nomen esset, Leones appellatos, quòd Judas ille primus patriarcha dictus sit leo, Genes. 49, 9 : *Catulus leonis Juda, et sicut leo accubuisti.* Probent auctores.

Vers. 4. — Simon Cananæus, quia ex Canâ Galilææ erat, ut Hieronymus ait, quanquàm quibusdam videtur Canæum potiùs vocandum fuisse; non enim Canan, sed Cana Galilææ oppidum appellabatur; Canæum autem non ab oppido, sed à zelo, id est, zelotem dictum fuisse, sicut apud Lucam, c. 6, 15, et Act. 1, 13, appellatur קנא. Cana enim Hebraicè zelum significat. Itaque Græcè pro καναναῖος legendum esse καναίτης. Contra est, quòd, si nomen zeli, et non oppidi esset, non haberet Græcè gentilium nominum formam. Itaque potiùs credo propterea quòd ex oppido Canâ, aut Canan esset; aut Canæum, aut Cananæum, dictum esse, et, quia idem rursùs zelo fervebat, factâ ad significationem nominis oppidi allusione zelotem appellatum. Quemadmodùm si quis Simon Valentiæ natus, vir fortis esset, et Valentinus gentili formâ, et valens à fortitudine, sed per allusionem ad nomen urbis suæ vocaretur.

Judas Iscariotes. Iscariotem plerique auctorem secuti Hieronymum à tribu suâ Isachar, quasi Isachariotem dictum putant. Quibus illud repugnat, quòd non Ischariotem; sed Isacharitem vocari oportebat. Alii quasi איש קריות virum Carioth, id est, ex urbe Carioth dictum volunt. Carioth enim urbs erat in tribu Judæ! Josue 15, 25. Quod mihi non displicet.

Vers. 5. — In viam gentium ne abieritis. Ad gentes, Hebraica phrasi בדרך הגוים, ut Jerem. 2, 18 : *Quid tibi vis in viis Ægypti?* id est, quorsùm tam frequenter is in Ægyptum? Vulgaris apud omnes quæstio est, cur Christus ad gentes apostolos non ire jusserit, cùm post jusserit, c. 28, 19, et Marc. 16, 15. Vulgaris etiam et vera responsio, quia Judæi filii regni erant, supra, cap. 8, 12, et illis facta fuerat regni promissio, Genes. 17, 1, et Rom. 15, 8. Et non venerat Christus, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israel, id est, ad eas inprimis, c. 15, 24, illis enim oportebat primùm prædicari verbum Dei, Act. 13, 46. Alias quoque alii auctores rationes afferunt, ne ullam Judæi haberent excusationem, si Christum non recepissent, dicentes eum ad gentiles et hostes suos Apostolos misisse, ut Hieronymus, Augustinus, q. 77, ex veteri et novo Testamento, Beda, Strabus, et Theophylactus. Alii, ut ostenderet se injuriarum, quas à Judæis acceperat, non meminisse, Chrysostomus, homil. 33, et Euthy.

Et in civitates. Græcè καὶ εἰς πόλεις, in civitatem, id est, in nullam civitatem Samaritanorum, quemadmodùm Clemens Alexand. in 3 Strom. legit. Quanquàm meliùs nostrum interpretem εἰς πόλεις *in civitates*, legisse credo. Distinguit autem Samaritanos et à Judæis, et à gentibus, quia propriè neque Judæi, neque gentiles erant. Decem enim tribus, quæ in Chaldæam abductæ fuerant, non redierant; duæ tantùm tribus, Juda, et Benjamin dicuntur rediisse, Esdræ 1, quibus solis reditus promissus fuerat, Jerem. 25, 12. Loco autem Samaritanorum, id est, decem tribuum, rex Assyriorum misit Chaldæorum colonias, qui terram illam desertam inhabitarent, quos cùm leones devorarent, jussit mitti ad eos Hebræum sacerdotem; qui eos Hebræorum ritu Deum colere doceret, leonumque rabies averteret. Quod cùm esset factum, et idola sua more patrio, et Deum Israel leonum metu colebant, 4 Reg. 17, 24, 27. Itaque nec Judæi erant, neque gentiles, et tamen Israelitæ videri volebant Joan. 4, 9, propterea vetat Christus apostolos ad eos ire.

Vers. 6. — Ite potius ad oves. Oves vocat, quia erat populus Dei peculiaris, et ejus veluti grex, quem ipse, et per se, et per reges, et prophetas pascere dicebatur, Psal. 73, 1 : *Ut quid, Deus, repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?* et Psal. 76, 21 : *Deduxisti, sicut oves populum tuum in manu Moysi, et Aaron;* et Psal. 77, 52 : *Et abstulit sicut oves populum suum, et deduxit eos, sicut gregem in deserto;* et vers. 70 et 71 : *Et sustulit eum de gregibus ovium, de post fetantes accepit eum, pascere Jacob servum, suum, et Israel hæreditatem suam;* et Psal. 78, 13 : *Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ confitebimur tibi in seculum;* et Psal. 79, 1 : *Qui regis,* רועה, qui pascis *Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph.*

Quæ perierunt. Quia *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Psal. 13, 3, et 52, 4; et Isai. 53, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit;* et Ezech. 34, 5 : *Et dispersæ sunt oves meæ, eò quòd non erat pastor, et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt.*

Vers. 7. — Quia appropinquavit. Vide quæ diximus, c. 3, 2.

Vers. 8 — Infirmos curate. Docet ut datâ sibi paulò ante potestate miracula faciendi, liberaliter et largiter utantur, scieus homines, ut ait Hieronymus, rusticanos majorem miraculis fidem, quàm verbis facturos esse, quasi dicat, ne parcatis miraculis, facite quotiescumque ad persuadendum, aut necessarium, aut utile esse judicabitis.

Gratis accepistis, gratis date. Non solùm mihi videtur his verbis jactantiæ occasionem auferre voluisse, ut Chrysostom., Euthym. et Theophyl. putaverunt, et Simoniæ et avaritiæ, ut alii dicunt, vitium præcidere; sed etiam probare, quod proximis verbis docuerat; debere eos miraculorum dono largiter uti. Solemus enim quæque gratis accipimus, quæque gratis damus, largiter et copiosè dare.

Vers. 9. — Nolite possidere aurum. Assentiri non possum iis, qui istam Christi prohibitionem universalem esse nolunt, sed ad istam tantùm primam Apostolorum missionem pertinere quasi hoc veluti præludio et ipsorum patientiam voluerit experiri; et, ut divinam ipsi providentiam experirentur, non solùm, quia hæreticos malos omninò sequuntur auctores; sed quia interpretatio et instituto Christi, et aliis hujus loci circumstantiis, et omnibus antiquis, ac bonis repugnat auctoribus, qui hoc præceptum perpetuum esse putant; nec ad hanc solùm missionem, sed ad omnes, et omninò ad totum apostolorum officium pertinere, Hilar., Chrysostom. hom. 33; Ambrosius, lib. 9 in Lucam, Hieronymus, Augustin., lib. 2 de Consen. evangelist., c. 30. Primùm, quis non videt Christum propterea nolle apostolos habere aurum, ne auri et cæterarum ad vitam necessariarum rerum sollicitudo apostolicum officium impediat? non enim bonum erat *relinquere verbum Dei, et ministrare mensis*, Act. 6, 2, quantò minùs de victu vestituque quærendo sollicitè cogitare? Atqui hæc ratio non minorem in secundâ missione, quàm in primâ; sed aliquantò potiùs majorem locum habuit. Nam hæc prima, velitatio tantùm erat quædam, et in solam Judææam excursio; illa, quasi justum erat prælium, in quod ad debellandum universum terrarum orbem omnes erant copiæ conferendæ, ubi magis expeditos milites esse oportebat. Quis etiam non videt voluisse Christum apostolos in hâc primâ missione ad illam secundam exercere, si in ludicrâ pugnâ auro vult abstinere, quantò magis in seriâ? *Cùm*, inquit, *misi vos sine sacculo et perâ, numquid aliquid defuit vobis?* Luc. 22, 36. Idem intelligitur ex antecedentibus, et sequentibus hujus loci, vers. 8 : *Gratis accepistis, gratis date*, id est, ne vendatis prætexto victûs vestitûsque quærendi; nolo enim vos aurum, nec argentum habere. At illud, quod dixerat, *gratis accepistis, gratis date*, non solùm ad primam, sed multò etiam magis ad secundam missionem pertinet, in quâ plura majoraque miracula facienda erant : et ubi inter gentes plus occasionis, et necessitatis quàm inter Judæos dona ista vendendi habituri erant. Præterea ratio, quæ redditur vers. 10, cur nec aurum, nec argentum, nec aliud quidquam habere debeant, quia dignus est operarius cibo suo, non minùs ad secundam, quàm ad primam missionem pertinet; ergo et id, quod ex eâ probatur, ut nec aurum, nec argentum habeant. Imò, quod amplius est, id, quod dicit vers. 16 : *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum*, aut solùm, aut potissimùm de secundâ missione dictum est. Nam in primâ non sunt lupos experti; quin gloriantes redierunt, quòd sibi in nomine Christi dæmonia subjicerentur, Luc. 10, 17. Res est omnibus boni perspicua judicii; sed nimirùm boni isti apostoli vellent apostolos, et divites, et conjuges; et elegantes, ac benè vestitos fuisse, ne monachis, quos ferre non possunt, similes fuisse viderentur. Iisdem argumentis eorum etiam sententia refutatur, qui interpretantur, *nolite possidere*, id est, præparare in viaticum, quod ex Marco, c. 6, 8, et Lucâ, c. 9, 3, confirmant, qui dicunt, *et præcepit eis, ne quid tollerent in viam, non aurum, non argentum.* Respondeo per viam totam profectionem, totam peregrinationem, totam missionem intelligi; sicut vers. 5, *per viam gentium*, gentes intelliguntur.

Neque pecuniam, μηδὲ χαλκὸν : nec æs, id est, nec ullam aliam pecuniam; omnis enim pecunia, aut ex auro, aut ex argento, aut ex ære conficiebatur.

Vers. 8. — Ratio affertur cur gratis miracula patrare debeant, quòd gratis hanc potestatem acceperint. Sic avaritiam, et simoniam coercet. Mortuos suscitate. Hinc sequitur quosdam mortuos ab apostolis esse suscitatos.

Vers. 9. — Pecuniam, Græcè neque æs, neque ullam aliam pecuniam : ea quippe ex auro, argento, vel ære conflatur. Sensus est, cùm ad prædicandum Evangelium proficiscemini, ne sitis solliciti de cibo, potu, et aliis necessariis : ea quippe vobis suppeditabunt, quibus annuntiabitis Evangelium. Quod præceptum Christus dedit apostolis ad tempus missionis, quotiescumque iter susciperent ad prædicandum Evangelium, ea verò commemorat quæ viatores secum deferre solent.

IN ZONIS VESTRIS, in crumenis, quæ in ipsis zonis olim erant.

VERS. 10. — NON PERAM, ad ferendum panem, et cæteras escas, citarchium, aut cistarium vocat Hieronymus, I Regum 9, 7, sportulam vocabant Romani, de quâ Tertullianus mentionem facit. Per peram intelligit res, quæ perà portabantur, per continens contentum.

NEC DUAS TUNICAS. Non prohibet duabus simul, si necessitas, et frigus postulet, tunicis indui, sed plures habere tunicas, quàm in præsentem necessitatem requirantur, ut solent divites, et homines istarum rerum solliciti habere unam in præsentem usum, alteram in futurum, ut Hieronymus notat, sicut Luc. 3, 11 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Nam et Christum duabus simul tunicis indutum fuisse ex Joanne, 19, 23, manifestum est. Eodemque modo intelligendum est, quod dicit Marcus, c. 6, 9 : *Ne induerentur duabus tunicis*, id est, ne duas tunicas haberent, quibus diversis temporibus induerantur.

NEQUE CALCEAMENTA. Quid ergo? voluitne apostolos nudis ire pedibus? Sunt qui putent non omne genus calceatûs, sed calceos tantùm prohibuisse, qui totum pedem tegerent, quique propriè ὑποδήματα calcei vocarentur. Nom Marc., c. 6, 9, dicit, *sed calceatos sandaliis*, quasi sandalia, quæ solæ erant, solamque tegebant plantam, concesserit, calceos prohibuerit, ut videtur Hieronymus hoc loco, et Augustinus, libro 2, de Consens. evangelist., c. 30, interpretari. Idque videtur ex Lucâ, c. 22, 36, confirmari, *Quando*, inquit, *misi vos sine sacculo, et perà, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Sed vix ego mihi persuadeo tam subtiliter Christum inter calceos et sandalia distinguere voluisse. Nam quemadmodùm Matthæus dicit Christum prohibuisse, ne virgam ferrent; Marcus autem dicit permisisse, de eadem, ut paulò post dicemus, loquens virgâ; ita cùm dicit concessisse sandalia, vocat ea ipsa, quæ Matthæus ὑποδήματα, calceamenta, et ex Act., c. 12, 8, apparet ὑποδήματα et σανδάλια idem fuisse. Quo ergo modo Matthæus prohibuisse, Marcus concessisse Christum dicit? Facilè et benè novi quidam interpretes respondent, cùm dicit hoc loco Matthæus, neque calceamenta, intelligendum esse ἀπὸ τοῦ κοινοῦ duo, sicut dixerat, *neque duas tunicas*, quemadmodùm et Juvencum olim poetam interpretatum video, *nec plantis tegmina bina.* Itaque idem Matthæus, et Marcus contrariis in speciem verbis dicunt. Nam Matthæus significat prohibuisse Christum, ne Apostoli duo, aut plura calceorum paria, quasi de futuro solliciti, secum ferrent; et Marcus significat jussisse Christum, ut illa ipsa sandalia, quibus tunc calceati erant, non plura ferrent. Similis de virgâ quæstio est. Nam Matthæus dicit Christum vetuisse ne virgam ferrent; Marcus dicit concessisse. Ubi omnes interpretationes eò tendunt, ut non eàdem de virgâ significatione uterque loquatur evangelista; sed Matthæus quidem de propriâ, Marcus de metaphoricâ, sive pro potestate faciendi miracula, quam et Mosis virga significabat, ut nonnulli volunt; sive accipiendi, quæ ad vitam necessaria essent ab iis, quibus evangelium prædicarent, ut putant August., lib. 2, de Consen. evang., c. 30, et Strabus, sive pro ipsâ prædicandi potestate, ut Rupertus existimat. Alii utramque virgam metaphoricam faciunt; sed apud Matthæum pro potestate puniendi accipi, ut in psal. 2, 9 : *Reges eos in virgâ ferreâ*, et apud D. Paulum I Cor. 4, 21 : *Numquid vultis in virgâ veniam ad vos?* apud Marcum autem pro virgâ auxilii et consolationis, *ut virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*, psal. 22, 4. Ego animo comprehendere non possum voluisse Christum inter aurum, argentum, pecuniam, zonas, calceos, peram propriè sumpta solam ponere virgam metaphoricè; quod si aliquà in aliis metaphorâ usus fuisset tamen concedere non possem virgam metaphoricè posuisse. Perire enim mihi non solùm vis elegantiaque sententiæ, sed sententia ipsa videtur, nisi apud utrumque evangelistam et propriè, et eodem modo virga sumatur. Contrariis enim verbis eamdem uterque sententiam elegantèr expressit. Uterque enim non Christi verba, sed sensum exponens, voluit significare Christum apostolis præcepisse ne quid haberent, præter ea quæ essent in præsentem usum necessaria. Id Matthæus significavit dicens, *ne virgam quidem*; virgam enim pauperrimus quisque habet. Marcus significavit dicens : *Sed virgam tantùm.* Nam qui virgam tantùm habet nihil superfluum habet, sicut dixit Jacob. Genes. 32, 10 : *In baculo meo transivi Jordanem istum*, id est, pauper nihil habens, nisi baculum in manu more mendici, quemadmodùm Gallicè in re prorsùs simili contrariis verbis eadem sententia significatur iter facere more pauperis : *S'en aller à beau pied sans lance, et s'en aller à pied avec un bâton en la main.*

VERS. 11. — INTERROGATE QUIS IN EA DIGNUS SIT. Hieronymus interpretatur, quis dignus sit hoc à vobis accipere beneficium, ut apud eum hospitium habeatis, quasi eà in re apostoli darent, non acciperent beneficium. Alii, quis dignus sit, id est, magis idoneus, ut illi Evangelium annuntietur. Alii, quis bonis sit moribus et hospitalis. Quæ omnia in eumdem ferè redeunt sensum.

ET IBI MANETE DONEC EXEATIS, quamdiù in eâ fueritis civitate, id est, ne mutetis hospitium, ut Lucas *calceatos sandaliis*. Itaque Christus præcipit ut virgam tantùm, sandalia, tunicam secum ferant, non superflua, aut duo calceamenta. Hinc Juvencus, lib. 2 Hist. Evangel. : *Nec plantis tegmina plura.* Virgæ etiam nomine intelligi potest virga ferro præfixa, quâ se tuerentur. OPERARIUS. Ergo ut operario merces debetur, sic prædicatori stipendium; neque adeò proventus ecclesiastici sunt merx eleemosynæ intuitu pauperi-

VERS. 10. — Non circumferatis cibos. Græcè *ad victum* comparetis, aut poenia. NEQUE VIRGAM. Marc. 6, *Sed virgam* tantùm. Maldonatus putat Evangelistas non numerasse verba, sed sensum exhibuisse. Dominus enim id tantùm vetuit, ne apostoli quidquam ferrent præter ea quæ essent in præsentem usum necessaria. Quædam editiones Græcas habent, *neque virgas*; sic Matth. habet *neque calceamenta*; Marcus,

clarius dixit, c. 10, 7 : *Nolite transire de domo in domum.* Cur autem id Christus præceperit, vulgaris est quæstio. Tres ejus præcepti apud interpretes causas invenio : prima, ne insconstantes, et leves esse viderentur, apud Chrysost., hom. 33, et Bedam. Secundam, ne delicati, qui iis quæ apponerentur in primo hospitio non contenti, meliora quærerent, apud eumdem Chrysost., Euthym. et Theophylact. Tertiam, ne priorem hospitem offenderent, quasi parùm dignum aut hospitalem relinquentes, apud eosdem auctores.

VERS. 12. — DICENTES : PAX HUIC DOMUI. Græcè hæc verba non leguntur, sed legenda esse constat ex versu 13 : *Et si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eâ; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.* Legumtur etiam apud Lucam, c. 10, 5. Leguntur ab Hilario, Chrysost., Theophyl., Hieron. in commentariis, non in textu, ut ferenda non sit typographorum negligentia, qui, cùm ex commentariis textum corrigere deberent, contrarium commentariis textum opposuerunt; quod multis aliis fecisse locis animadverti. Euthymius tamen non legit. Est autem Hebræis, ut ait Hieronymus, usitata salutatio, *pax tecum.* Eâ aliquando significatur pacificus ejus qui venit et salutat, adventus, ut Genes. 43, 23 : *At ille respondet : Pax vobiscum, nolite timere*, et Jud. 6, 23 : *Pax tecum, ne timeas, non morieris.* Aliquando his verbis omnia his quos salutant bona precantur, ut I Par. 12, 18. Utrumque vero simile est voluisse Christum apostolos facere, et ut qu cumque venirent, pacem se, non bellum afferre significarent, et ut iis ad quos diverterent bona omnia precarentur, ut ex vers. 13 colligitur, *pax vestra revertetur ad vos.*

VERS. 13. — ET SI QUIDEM FUERIT DOMUS ILLA DIGNA, ut pacem vestram recipiat. Lucas c. 10, 6 : *Et si sibi fuerit filius pacis*, id est, hospes pacis amator, aut pace dignus, ut filius mortis, id est, dignus morte.

VENIET PAX VESTRA SUPER EAM. Evenient illi omnia bona, quæ illi pacis nomine precati estis.

SI AUTEM NON FUERIT DIGNA, PAX VESTRA REVERTETUR AD vos. Græcè, ἐπιστραφήτω, revertatur. Quod quidam sic interpretantur, quasi jubeat eos oblatam pacem, quantùm in ipsis erit, revocare, et alò pergere, ut Euthymius. Quod ideò mihi non placet, quòd benignitate Christi dignum non videatur, ut apostolos jubeat datam pacem resumere, quod tantùmdem valet, ac si iterùm precarentur ne ea, quæ hospitibus benè precati fuerant, evenirent. Itaque meliùs alii ita interpretantur, ut ex Hebræorum idiomate imperandi modus pro futuro ponatur, quemadmodùm constat ex Lucâ, cap. 10, 6, qui futuro usus est; quare noster interpres, negligens verba, sensum secutus est. Sensus autem duplex esse potest, vel revertetur ad vos, id est, vobis eveniet, quod illi precati eratis, ut Psal. 34, 13 : *Et oratio mea in sinum meum convertetur*, id est, utinam mihi eveniat, quod inimicis meis precatus sum; è contrario futurum pro imperativo, sicut Hispani dicunt : *El mal, que le deseo, me venga*, ut Juvencus poeta, et apud D. Thom. Renig. exponit, vel, quod magis credo, non significat hâc phrasi ea, quæ precati fuerant ipsis apostolis eventura; sed illis quibus precati fuerant, non ventura. Sic enim loquuntur Hebræi : *Verbum meum non revertetur ad me vacuum*, Isai. 55, 11. Itaque reverti est effectum non habere. At quorsùm hoc Christus dixisset? ut significaret apostolos fecisse.

VERS. 14. — EXCUTITE PULVEREM. Quare hoc jubet Christus cùm species inquietiæ et indignationis esse videatur? Multæ ejus rei causæ ab interpretibus afferuntur, Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, et Augustinus q. 7, in Matthæum propterea jussisse dicunt, ut ostenderent se nihil cum eis habere velle, quando et pulverem ipsorum illis relinquant. Iidem rursùs auctores et Beda in commentariis, ut ostenderent se frustra pro illis tam longum iter suscepisse; pulvis enim pedum iter significat. Ambrosius lib. in Lucam 9, et Euthymius hoc loco, ut declararent etiam eorum pulverem esse impium, ideòque nolle se eum habere. Hilarius indicat id jussos facere apostolos in signum anathematis. Vera, nisi fallor, causa est quam idem Hilarius et Origenes, homiliâ in Genes. 18, significârunt, ut ostenderent illum ipsum pulverem, quem ex itinere collegissent, in die judicii testem contra eos futurum, qui se recipere noluissent. Solebant enim Judæi aliquid notabile facere, ut testimonium esset rei factæ, sive lapidem erigere, ut Josue 24, 26, sive lapidum acervum, ut Genes. 31, 47, sive altare, ut Josue 22, 26, sive vestem abscindere, Matth. 26, 65, quemadmodùm Romani in pangendis fœderibus suem lapide feriebant; unde ferire et percutere fœdus dictum est.

VERS. 15. — TOLERABILIUS ERIT. Non quòd non majora fortassè Sodomæi et Gomorrhæi habuerint peccata, aut quòd de peccato solùm inhospitalitatis hic agatur, ut Remigius apud D. Thomam, et Lyranus existimant; nec quòd jam incendio partem aliquam pœnæ luissent, ut Anastasius, q. 17, in Scriptur., sed quia illis non fuerat Evangelium prædicatum, ut Hilarius, Hieronymus, Beda, et Theophyl. interpretantur, et ex c. 11, 23, 24, colligitur : *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te; forte mansissent usque in hanc diem, verùmtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit, in die judicii, quàm tibi.* Duo ex hoc loco dogmata colliguntur. Alterum à Hieronymo, æquales non esse omnium damnatorum pœnas; alterum ab Anastasio, aliquos non solùm in hâc vitâ, sed etiam in alterâ puniri. Nam Sodomitæ jam urbis incendio puniti erant, et tamen Christus adhuc in die judicii puniendos significat.

tatis concessæ, sed ut laborum stipendia honoraria.

VERS. 11. — DIGNUS, id est, qui famæ commendatione dignus sit hospitio vestro; ne forte labes in vos redundet, si ex famâ laboret DONEC EXEATIS, è civitate, aut è pago, ne temerè mutetis hospitium.

VERS. 12. — Hæc desunt in Græco vulgari, sed in plerisque exemplaribus occurrunt.

Vers. 16. — Ecce ego mitto vos. Præmunit ad futura pericula. Qui putant hæc à Christo in hâc primâ missione apostolis dicta non fuisse, ex Lucâ c. 10, 3, refelluntur, ubi eadem septuaginta discipulis in primâ missione dicta referuntur, quemadmodùm et Chrysostomus adnotavit; et nos supra, vers. 9, docuimus hæc, etiamsi ad primam missionem non omnia essent necessaria, tamen omnia in illâ dicta fuisse, quia apostoli non ad eam solùm, sed ad omnes futuras docebantur. Cùm dicit : *Ecce ego*, et vim verbis, et discipulis animum addit, ut auctor Imperfecti, hom. 24, Chrysostom., Euthym. et Theophylact. adnotârunt, quasi dicat: *Ecce ego mitto vos*, qui et liberare ex omnibus periculis possum, sicut Absalon dixit servis suis, cùm præciperet, ut Amnon fratrem suum interficerent, *percutite eum et interfrite, nolite timere; ego enim sum qui præcipio vobis*, 2 Reg. 13, 28. *Ego sum*, id est, regis filius, qui vos facilè defendam. Videtur Christus ad veterem prophetarum missionem alludere, ego qui illos misi, mitto etiam vos, qui illos cùm opus fuit, liberavi, et vos liberabo.

Sicut oves. Oves mihi videtur appellare, non solùm quia innocentes, et servi Dei erant, ut plerique putant interpretes, sed multò maximè quia inermes, quia ab omnibus humanis præsidiis imparati. Alludit enim, ut opinor, ad id quod, vers. 9, præceperat, ne virgam, aut peram secum ferrent, ut Psal. 43, 22 : *Æstimati sumus sicut oves occisionis*, id est, adeò infirmi, et injuriis exposiii sumus, ut quicumque velit, possit nos occidere.

In medio. In medium, εἰς μέσον, ut Luc. 10, 3, sicut Hebraicè ב pro בְּתוֹךְ in medio, id est, inter lupos; quâ phrasi significat lupos esse multos, oves paucas. Unus lupus inter multas oves magnam edit stragem, quid fiet cùm lupi multò plures, quàm oves erunt? Chrysostom. homiliâ 34, lupos autem vocat omnes homines, qui Evangelio repugnaturi erant, sicut cùm versu sequenti dicit : *Cavete ab hominibus*, non solùm scribas et Pharisæos, quemadmodum nimis restrictâ sententiâ Hieronymus exponit.

Estote ergo prudentes, ut caveatis eorum insidias, et fugiatis, ut explicat vers. 23.

Et simplices sicut columbæ, καὶ ἀκέραιοι, innocentes, sinceri, ne illis ullam vobis nocendi occasionem præbeatis, vel ne injurias ulciscamini, ut Chrysost. hom. 34, et auctor Imperfecti, 24, interpretantur. Sic D. Paulus monet, 1 Cor. 14, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote*; et ad Ephes. 5, 15, 16 : *Videte fratres quomodò cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*, et ad Colos. 4, 5 : *In sapientiâ ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes*. Cur serpentium prudentiam, et columbarum simplicitatem requirat, cùm per se perspicuum sit, obscurius fiet, si multa philosophemur. Elegantes allegorias si quis amat, Hilarium, Chrysost. et Hieronymum hoc loco legat.

Vers. 17. — Cavete autem, δὲ videtur poni pro ἔφη, *ergo*, cavete ergo, ut c. 2, 1, noster vertit interpres.

Ab hominibus. Explicat, quos paulò ante lupos appellaverit; homo enim homini lupus. Homines autem vocat non omnes, sed mundanos, ut infra, c. 16, 13, *quem dicunt homines esse Filium hominis?*

Tradent enim vos in concilius. Quidam per concilia gentium tribunalia; per synagogas Judæorum cœtus intelligunt. Alii utrumque ad gentes pertinere putant, et synagogas panegyres, id est, populares earum conciones intelligi. Ego probabilius existimo, si ad Judæos utrumque referatur, qui et synagogam, id est, publicam totius populi concionem habebant, ubi qui flagris digni erant, flagellabantur; et συνέδρους, id est, concilium ubi graviores causæ decernebantur, supra c. 5, 25. Nam de gentilium tribunalibus vers. sequenti agit, *et ad præsides et ad reges ducemini propter me*. Atque ita Euthymius interpretatur. Exempla sunt, Act. 4, 7; et 5, 27; et 6, 12; et 2 Cor. 11, 24.

Vers. 18. — In testimonium. Nonnulli intelligunt, ut illis de me testimonium constanter fortiterque patiendo præbeatis; intelligent enim non esse rem vanam, pro quâ vos mori paratos viderint. Unde qui pro Christo ejusque religione moriuntur, martyres, id est, Christi testes appellantur, Act. 22, 20, et Apocal. 17, 6. Alii, ut vobis ea res adversùs illos testimonium sit in die judicii, quod vos excuset, illos accuset. Quo sensu videtur Lucas scribere, c. 21, 13 : *Continget autem vobis in testimonium*. Atque ita Hilarius, auctor Imperfecti, Beda et Euthymius videntur exponere.

Illis et gentibus, Judæis et gentilibus. De Judæis enim locutus erat, cùm dixit : *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos*; et de gentibus cùm dixit : *Ad præsides et ad reges ducemini*, sub. à Judæis. Utrisque ergo vestra patientia testimonium erit, et illis, id est, Judæis et gentibus, ad quos illi vos ducent. Hic est verus sensus, quem solus Theophylactus, et Euthymius videntur attigisse.

Vers. 19. — Nolite cogitare. Non docet esse negligentes, atque vecordes; sed nimis timidos et sollicitos esse prohibet. Quod Græcum verbum declarat μεριμνήσητε, ut supra, c. 6, 25, 28, 31, 34. Eodemque modo intelligendum quod Marcus dicit c. 13, 11 : *Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare, quid loquamini, sed quod datum vobis fuerit in illâ horâ, id loquimini*; et quod Luc. c. 21, 14 : *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis*. Non enim omnem præcedentem meditationem stoli coram senatu magno adducti sunt, ut fidei suæ rationem redderent.

Vers. 19. — Nolite cogitare, Græcè, *ne solliciti sitis et anxii*; non præparationem, sed anxietatem prohibet.

vetat; sed eam quæ diffidentiam divinæ providentiæ et opis habeat; quæque nimio metu ac sollicitudine liberam Evangelii prædicationem impediat.

Dabitur enim vobis. Luc. 21, 15 : *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. Euthymius.

Vers. 20. — Non enim vos estis. Non tam vos quàm spiritus Patris vestri, quia non vestro, sed illius sensu, consilioque respondebitis, ut supra, c. 9, 13, *misericordiam volo, non sacrificium*, id est, non tam sacrificium quàm misericordiam. Vide quæ ad illum ascripsimus locum. Vis hæc est sententiæ, non est vestra causa, sed mea, et Patris vestri, qui in cœlis est, quare Paracletus, id est, meus Patrisque advocatus etiam vobis tacentibus respondebit, ut videntur auctor Imperfecti, et Hieronymus interpretari.

Vers. 23. — Cùm autem persequentur vos. Dixerat vers. 16 : *Estote prudentes*, docet nunc partem unam prudentiæ, quâ adversariorum fugiant insidias, et ab hominibus caveant, ut vers. 17 monuerat. Non vult Christus milites suos pugnare, sed fugere. Duo hic ab interpretibus disputantur : alterum, an hæc in hâc primâ apostolorum missione dicta sint, alterum, quomodò fugere jubeat, cùm apud Joannem c. 10, 11, 12, 13, doceat bonum pastorem animam suam ponere pro ovibus suis; mercenarium autem cùm videt lupum venientem, fugere. Hæc ad solam primam missionem pertinere multi, et graves volunt auctores, Tertullianus, lib. de Fugâ in persecutione, Hieronym., Chrysostom., homiliâ 33, Euthym. et Theophyl. Alii generaliter ad omnem missionem, totumque apostolorum officium extendunt, ut illa, quæ vers. 9, dicta sunt, ut sentire videtur Origen., hom. 9, in lib. Judic., et Athanasius in epistolâ ad orthodoxos, et in epistolâ ad Marcum pontificem Romanum; et Gregor. Nazian., orat. 1 adversùs Julianum. Quod multò mihi videtur esse probabilius. Nam in primâ quidem missione nihil ejusmodi apostoli sunt experti, quamobrem ab unâ civitate in aliam fugere deberent, omnia illis ex voto successerunt, itaque læti gloriantesque redierunt, quòd ipsa sibi dæmonia subjicerentur, Luc. 10, 17. Quod Christus, antequàm fieret, ignorare non poterat. Sententia igitur est generalis, sed occasione, non necessitate primæ missionis à Christo pronuntiata. Cæterùm priores illi auctores quos nominavimus, nos ad exitum rei, ex quo potissimùm Christi prædictio erat intelligenda, sed ad illa sola verba quæ sequuntur, animum attenderunt, *non consummabis civitates Israel donec veniat filius hominis*. Altera quæstio quomodò fugere Apostolos Christus doceat, neque subtiliùs, neque copiosiùs, neque elegantiùs, quàm ab Augustino epistolâ ad Honoratum 180, tractata est, disputari potest. Illud tamen non definivit, an, quod Christus hoc loco tradit, præceptum sit, an consilium. Athanasius quidem, et Gregorius Nazian. præceptum vocant; sed vulgariter fortassè loquuntur. Ego utrumque pro diversis loci, temporis, personarum, et rerum circumstantiis esse arbitror; sed propriè à Christo propter primam potissimùm missionem, et magnam partem secundæ, tanquàm præceptum traditum; voluit enim apostolis præcipere, ut sese propagando latiùs Evangelio reservarent, nec se in primo statim prælio objicerent morti; nondùm tempus illis esse moriendi, diu priùs pugnandum esse; longè latèque fines regni Dei proferendos. Miles, qui fugit (ut Græco dicitur proverbio) iterùm pugnabit. Hoc sensu præceptum est. Hoc sensu Christus ipse sæpè fugit, primùm in Ægyptum infans supra c. 2, 14. deinde cùm eum Nazarethani ipsius cives præcipitare voluerunt. Luc 4, 30 : *Nondùm enim venerat hora ejus*, Joan. 7, 30. Simili in causâ non iis solùm, qui tunc erant apostolis, sed iis etiam, qui postea futuri erant, nobisque omninò omnibus præceptum est. Nam cùm Evangelium ipsum, propter quod fugiendum non est, postulat, ut fugiamus, fugiendum est. Tunc fugere non metus, sed pietas; non fugere non fortitudo, sed pertinacia est. Hâc de causâ, Act. 9, 25, 2 et Cor. 11, 33, D. Paulum fugisse legimus. Major gloria Dei, et Ecclesiæ utilitas regula nobis esse debet; cùm aut utraque, aut alterutra, ut fugiamus, à nobis exigit, non fugere peccatum est. Aliis casibus non debemus; an autem possimus; alia est quæstio, quam solam Augustinus explicavit. Hæc ejus sententiæ summa est. Primùm fugere sacerdoti licere, quando ipse privatim ab adversariis quæritur, et sunt alii, qui possint pro illo sacramenta populo ministrare. Secundò quando omnes ejus oves fugâ dissipatæ sunt. Tertiò, quandocumque plus fugiendo quàm manendo juvare potest. Addit Chrysostom. fugere licere, et nescio an oportere, cùm ejus, si manserit, fides periclitabitur, *Christum*, inquit, *fugiendo non negat, qui ideò fugit, ne neget*. Aliàs non licet, aliàs manendum est, et pro ovibus anima ponenda, quod mercenarius non facit, qui quandocumque videt lupum venientem, et relinquit oves et fugit, Joan. 10, 12, 13. Tertullianus verò sententia, qui nunquàm fugere licere ulli Christiano existimavit, meritò damnata est; illiusque de fugâ in persecutione librum adversùs Ecclesiam scriptum esse Hieronymus in ejus vitâ dicere non dubitat.

Non consummabitis. Non potest hic locus intelligi, nisi priùs, quorsùm hæc à Christo dicta sint, intelligatur. Idcò autem dicta esse videntur, ut significaret Christus non defuturas in Israel civitates, quæ nondùm Evangelium audivissent, in quas possint Apostoli in aliis civitatibus non recepti confugere, et in aliis

Vers. 20. — Vox negativa sæpè comparationem significat, Spiritus sanctus magis loquetur in vobis, quàm vos ipsi.

Vers. 23. — Non debetis temerè adire vitæ pericula, nec persequentium furorem manendo accendere, nisi salus aliquorum ex vestrâ fugâ in periculum ve-

cetur; quâ de re Aug., Epist. 18 ad Honoratum. Non propterea missionem vestram desseratis, sed in alias urbes migrate. Donec veniat Filius hominis, donec adsit vobis. Alii de Spiritûs sancti missione id interpretantur, donec veniam ad vos per Spiritum Paracletum

majore cum fructu prædicare. Quid autem sit, quod dicit, *non consummabitis*, non omnes intelligunt eodem modo. Hilarius consummare interpretatur ad fidei et evangelicæ virtutis perfectionem adducere; Chrysost. hom. 35, Euthymius, et Theophylactus civitates prædicando perambulare. Ego Hilarii sententiam propter id, quod statim sequitur, magis probo; voluit enim Christus, ut paulò post explicabimus, non solùm civitatum multitudinem; sed etiam obiter Judæorum incredulitatem notare, adeò scilicet eos futures incredulos, ut satis in illis convertendis apostoli futuri sint occupati, donec filius hominis veniat.

Donec veniat filius hominis. Plerique adventum hoc loco filii hominis vocari putant ejus auxilium, consolationemque. Dicitur enim ad nos Deus venire, cùm nobis opitulatur. Hujus interpretationis Chrysostom., Theophyl., et Euthym. auctores sunt, quam ex Lucâ, c. 10, 1, confirmant, *et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quò erat ipse venturus;* quasi dicat, ego vobis adero, et opem feram, antequàm Evangelium in omnibus Judææ civitatibus prædicetis. Alii, resurrectionem non consummabitis, antequàm filius hominis resurgat, ut Beda. Tunc enim dicitur venisse Christus, quia victo hoste regnare cœpit. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, infra c. 26, 29; et : *Vado, et venio ad vos*, Joan 14, 28. Alii adventum ad judicium, sed civitates Israel vocari putant omnes etiam gentilium civitates, quæ ante diem judicii convertendæ ad fidem sunt; sic Rupertus et Lyranus, nescio etiam an Augustinus; sed nullo prorsùs modo illis assentior, quia dubium non est Christum de illis loqui civitatibus, ad quas apostolos tunc mittebat; non autem mittebat, *nisi* ad civitates Judæ, vers. 5 et 6, *in viam gentium ne abieritis*. Alii Judæorum, ut supra attigimus incredulitatem notari putant, significarique priùs gentiles quàm Judæos ad fidem venturos, ut in epistolâ ad Rom., c. 11, disserit D. Paulus. Ita Hilarius, cujus sententia hoc mihi magis placet, quòd nihil in eâ coactum esse video, et quòd adventus filii hominis nusquam, quod sciam, alius quàm supremus ille, quo ad judicium venturus est, appellari soleat. Quanquàm Bedæ interpretatio non displicet. Quod subjicit : *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum*, tribus modis veteres interpretes intelligunt. Primum, ut de omnibus discipulis, et de omnibus servis accipiatur; sed non dicatur, quòd semper, sed quòd plerùmque fiat; plerùmque enim magistrum discipulo, dominum servo majorem esse, atque meliorem, quamvis contra accidat aliquandò. Sic Chrysost., auctor Imperf., Euthym. Secundò, ut de omnibus quidem accipiatur, sed non intelligatur verum esse, nisi quamdiù discipulus discipulus, et servus servus est; tunc enim nec discipulus magistro, nec servus domino major esse potest; cùm major est, jam nec ille discipulus, nec hic servus est; ita iidem auctores, Chrysost. et auctor Imperf., Theophyl., Theodorus Mopsuest. et Leontius. Tertiò, ut de solis Christi discipulis dictum sit, qui nunquàm magistrum æquare poterant, homines Deum, et qui etiam tunc, cùm magistri facti sunt, et doctores Evangelii, discipuli Christi et vocabantur, et reipsà erant, quia quidquid docebant, ab illo accipiebant; quemadmodùm ille idem Leontius interpretatur. Mihi non tam docere videtur Christus quales discipuli, et servi esse soleant, quàm quomodò se erga magistrum, atque Dominum suum gerere debeant, nempè sic, ut non existiment se melioris, quàm illum conditionis esse debere. Hoc enim ad rem maximè pertinebat, atque hoc eodem modo Hilarius videtur intellexisse.

Vers. 25. — Si patrem familias. Me qui Ecclesiam guberno, qui ejus dominus sum.

Beel zebub. Legendum esse Beelzebub, nemo, ut opinor, ignorat, idque Hebraica docet etymologia. Nobile erat Accaronitarum idolum, 4 Reg. 1, 2, 3, 6, 16, Beelzebub, id est, dominus muscæ appellatus, sive, ut plerique arbitrantur, quia propter victimarum sanguinem, quo erat aspersum, muscis plenum erat; sive, ut alii volunt, et ego magis credo, quia adversus muscarum pestem potissimùm invocabatur. Constat enim apud Græcos simile quoddam fuisse, quod eâdem ratione, et simili, sed Græcâ etymologiâ ἀπόμυιος, quasi muscarum venator, aut interceptor appellabatur. Auctor Plinius, lib. 10, c. 28 : *Invocant*, inquit, *et Ægypții ibes suas contra serpentium adventum, et Elæi Myagrum Deum muscarum multitudine pestilentiam afferentes.* Hinc factum, ut borroris. et abominationis causâ diabolus à Judæis Beelzebub appellaretur; sicut infernum gehennam à loco, ubi infantes idolis immolabantur, simili ratione vocatum diximus c. 5, 22.

Vers. 26. — Nihil est opertum, quod non revelabitur; ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, quod non sit revelandum. Quando? Hilarius, Hieron. et Beda, in die judicii, quando illuminabuntur abscondita tenebrarum, 1 Cor. 4, 5. Alii progressu temporis etiam in hâc vitâ, ut Chrys., hom. 33, auctor Imperf., 25, Theophyl. et Euthy., quem ego arbitror verum esse sensum. Voluit enim Christus etiam in hâc vitâ, quia multa illis prædixerat terribilia, consolationem adjungere : *Ne timueritis eos, nihil est enim occultum, quod non revelabitur*, id est, quamvis omnes vos initiò persequantur, omnes Beelzebub, et seductores appellent, vestra tandem virtus cognoscetur; et qui vos paulò ante injuriis afficiebant, honorabunt

Vers. 27. — Quod dico vobis in tenebris. Privatim.

Dicite in lumine. In publico sic etiam Latini loquuntur versari in oculis, et luce hominum, id est, in publico.

Et quod in aurem auditis. Secretò.

Prædicate super tecta. Clarâ voce, ut omnes audiant. Diximus c. 4, 4, in Palæstinâ tecta domorum fuisse plana, in illisque solitos Judæos confabulari, sicut nunc in foro. Quæ autem illic dicebantur, minimè secreta erant, quia cùm locus editus esset, ac patulus, facilè à vicinis audiebantur. Hortatur ergo discipulos, ut liberè, confidenter, fortiter, et clarâ voce Evangelium prædicent, ut Isai. 40, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion; exaltain fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem, exalta, noli timere; dic civitatibus Judæ : Ecce Deus vester.*

Vers. 32. — Omnis ergo, qui confitebitur me. Græcè, ἐν ἐμοί, *in me*; ἐν pro ב, Hebraico articulo accusativi ex septuag. Interpretum imitatione, ut in idiomatis adnotamus, 3 Reg. 8, 16, et 4 Reg. 17, 25, et 1 Par. 21, 17, et 27, 24, et 29, 1, et 2 Par. 6, 5; et 7, 12; et 9, 8; et 29, 11. Nisi fortè alius est Hebraismus, et verbum ὁμολογεῖν positum est pro Hebraico Hithphael הִתְוַדֶּה, quod proprie significat, non solùm confiteri, sed etiam palàm, et gloriando quodammodò confiteri, ut si Latinè dicas, quisquis in me gloriabitur coram hominibus, gloriabor et ego in eo coram patre meo, se verò hominibus æquat; homines Deo opponit. Propterea autem dicit *coram patre meo*, quia patris est præmia sua cuique et honoris locum dare. *Non est*, inquit, *meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, c. 20, 23, se, etsi judex futurus est, quasi testem facit, quia non nisi ex patris voluntate, et prædestinatione sententiam laturus est.

Vers. 34. — Nolite arbitrari. Hæc cum superioribus hoc modo cohærent; prædixerat multa adversa prædicantibus Evangelium ventura, docet nunc ideò se quodammodò venisse, ut ea evenirent, id est, non sine suâ providentiâ eventura; quare non debere eos, cùm ea viderent, deterreri, ut Joan. 16, 4 : *Hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora, eorum reminiscamini quia ego dixi vobis.* Duo, ut hic locus intelligatur notanda sunt. Primum Christum de pace et bello non ex suâ, sed ex hominum opinione loqui, qui concordiam in rebus malis pacem ducunt, posse liberè emere, liberè vendere; posse comessari, posse omnibus vitiis liberè servire pax mundi est. Qualis illa erat, quâ superbi olim homines conspiràrunt, ut Babyloniam turrem ædificarent, Genes. 11, 4, qualis illa, quâ Herodes et Pilatus ad persequendum Christum, cùm ante inimici essent, amici facti sunt, Luc. 23, 12, qualis illa impiorum, quæ Psal. 2, 1, describitur : *Quare fremuerunt gentes, conspiraverunt, et populi meditati sunt inania?* Non hanc pacem Christus venit mittere in terram; sed pacem illam Dei, *quæ exsuperat omnem sensum*, Philip. 4, 7. Hanc prophetæ Christum allaturum prædixerant Isai. 9, 6, 7, et 11, 6, et 65, 25. Hanc angeli nato Christo hominibus annuntiant : *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus*, Luc. 2, 14. Hanc se Christus, non illam dare dicit, Joan. 14, 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodò mundus dat, ego do vobis.* Hanc apostolos quòcunque irent, precari docuit, *pax huic domui*, supra vers. 12. Ità Hieronymus, Chrysostomus, homiliâ 36; auctor Imperfecti, 26; Gregorius, 3 part. pastor., c. 23, Beda et Theophylactus hoc loco. Alterum est, Christum non significare ideò se venisse, ut bellum hoc inter parentes, et liberos, cæterasque necessitudines excusaret; sed ita hæc ex ejus adventu consecutura, tanquàm eâ de causâ venisset, ut Joan. 9, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant;* et sicut à Simeone in multorum ruinam positus dicitur, Lucæ 2, 34.

Vers. 34. — Futurum erat ut doctrina Christi Judæis et gentibus annuntiata in familias divisionem et discordiam induceret, aliis credentibus, aliis incredulis.

Sed gladium. Plerique verbum Dei interpretantur. Gladius enim est verbum Dei, Ephes. 6, 17; et : *Vivus est sermo Dei, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti; ac pertingens usque ad divisionem animæ, et spiritûs*, Hebr. 4, 12. Sic Hilarius, auctor Imperf., homil. 26; August., q. 3 in Matth., et Theophylact. Alii amorem Dei gladium vocari putant, cujus causâ filii à parentibus separantur, ut Euthym. Illud certò constat Evangelium significari. Gladium autem potiùs quàm bellum dixit, ut Chrysostomus adnotavit, ut vim adderet orationi; solet enim gladio caput à corpore separari. Lucas pro gladio *separationem* dixit, c. 12, 51, et *ignem*, c. 12, 49.

Vers. 35. — Hominem adversus patrem. Nominat personas conjunctissimas, ut declaret nullum tam arctum esse vinculum, quod non disrumpat Evangelium.

Vers. 36. — Et inimici. Repetendum verbum ex vers. 34, veni et efficere, ut inimici hominis sint domestici ejus, id est, impiere prophetiam Michææ, quamvis in aliam sententiam ab illo pronuntiatam, c. 7, 6.

Hominis, id est, uniuscujusque, hebraismus.

Vers. 38. — Et qui non accipit. Qui non tollit in humeros suos, et portat crucem suam; possit enim λαμβάνειν, accipi, pro αἴρειν, tolli, sicut Hebræi dicunt *accipere*, pro *tollere*, *portare*; vide supra, c. 8, 17; alludit enim, nisi fallor, Christus ad crucem, quam ipse erat humeris suis, ut crucifigeretur portaturus, Joan. 19, 17, hoc est, *suam*, id est, ut ego meam. Idem dicit c. 16, 24, et Marc. 8, 34, in eodem versatus argumento, et Lucæ 9, 23, diverso. Unde perspicuum est, quàm sæpè hoc nobis Christus commendaverit. Tollere autem crucem suam nihil aliud est, quàm paratum esse pro Christo non quoquo modo mori, sed etiam cruciligi, sicut Petrus dixit : *Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire*, Luc. 22, 33. Chrysostomus, hom. 36, auctor Imperfecti, 26, Theophylactus. Interpretatio autem Hilarii et Euthymii, qui crucem illam vocari putant, quà mundo mortui esse debemus, sicut D. Paulus dixit : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, ad Galat. 6, 14; et : *Qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*, c. 5, 24, magis moralis est, quàm literalis.

Vers. 39. — Qui invenit animam suam. Loquitur

Vers. 36. — Domestici ejus, propinqui infideles. Venit Christus non ut pacem terrenam, in quâ non habetur ratio pietatis, stabiliret; dissensio verò illa, cujus meminit, non est seditiosa, sed patiens injuria-

non ex veritate, sed ex vulgari hominum opinione, qui se animam suam invenisse putant, cùm ex certo eam, et præsenti mortis periculo eripuerunt, quasi jam perditam recuperaverint. Nomine autem animæ utitur ambiguè, quod in similibus ambiguis vocabulis non solùm sine vitio, sed etiam cum elegantiâ, et emphasi fieri solet, ut supra notavimus c. 8, 22 : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* In priore loco accipit animam pro vitâ ex Hebræorum idiomate ; in posteriori pro animâ, quæ aut in vitam æternam recipienda, aut in ignem æternum mittenda est.

Vers. 40. — Qui recipit vos. Nihil hoc loco difficile est, nisi intelligere, quorsùm hoc Christus dicat. Hieronym. et Euthym consolationem esse dicunt, quæ ad vers. 9 referatur. Nam quia ibi dixerat : *Nolite possidere aurum*, etc., ne cogitarent, quomodò vivere inter ignotos possent, aperit illis omnium domos, inquit Euthymius, dicens eos non minùs libenter ab omnibus recipiendos, quàm si ipsemet iret, quia qui *recipit vos, me recipit.* Rectè, si hæc non Apostolis, sed illis qui eos recepturi erant, dicta fuissent. Nunc autem Apostolis dicuntur. Credo ergo non aliâ de causâ hæc Christum dixisse, quàm ut Apostolis significaret, quantam eorum curam habiturus esset, cùm ipsius personam sustinerent.

Vers. 41. — In nomine prophetæ. Quia propheta est, id est, missus à me, non quia cognatus, non quia Judæus, aut alio quo nomine, auctor Imperf., Hieron., Chrysost., Beda, Theophylact. Prophetam autem vocat Evangelii doctorem de iis enim loquebatur.

Mercedem prophetæ ; quidam mercedem, quam illi propheta dabit, quia docebit eum Evangelium ; et *mercedem justi*, id est, quam justus illi impetrabit orando pro illo, aut quia ejus causâ Deus illi dabit, ut Luc. 16, 9 : *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Alii mercedem, quam ego illi dabo, qui propheta sum et justus ; prorsùs violenté. Alii mercedem prophetæ et justi, id est, quæ recipientibus prophetas et justos à Deo constituta est. Probabilis quidem interpretatio ; sed ego non dubito quin sensus sit, *mercedem prophetæ accipiet*, id est, quam ipse propheta accepturus est, quia dùm prophetam, quia prophetà est, recipit, perinde apud Deum est, atque si prophetæ officio fungeretur ; sicut David dixit, 1 Reg. 30, 24 : *Æqua pars erit descendentis in prælium, et remanentis ad sarcinas ;* et sicut è contrario Augustinus multis locis solet dicere D. Paulum, dùm lapidantium Stephanum vestimenta servabat, omnium manibus lapidâsse ; et ut sæpè principes et rebelles, et eos, qui eos domo recipiunt, occultantve, eâdem pœnâ punire solent. Ita existimo omnes veteres interpretes intellexisse, sed quia facilem interpretationem esse putârunt, non explicâsse ; nos aliquando in scirpo nodum quærimus. Certè non aliter intellexisse videtur Clemens, cùm lib. 4 Strom. ex hâc sententiâ confirmat non æqualem omnium beatorum esse mercedem.

Vers. 42. — Ex minimis istis calicem aquæ frigidæ. Proponit personas abjectissimas, et rem vilissimam calicem aquæ, et aquæ non calidæ, quæ sine impensâ ignis calefieri non potest ; sed frigidæ, qualis naturâ suâ manat ex fonte.

Mercedem suam. Ubicumque novi hæretici hoc nomen inveniunt, miris modis efficere conantur, ut ne mercedem significare videatur, ne quis ex mercede meritâ colligat. Dicunt vitam æternam mercedem appellari, non quòd propter opera, sed quòd post opera detur, sicut merces post meritum ac laborem dari solet. Quod valdè acutè probare sibi videntur ; cùm dicunt non posse eamdem et mercedem, et hæreditatem esse ; hæreditatem enim non labori, sed generi dari ; atqui vitam æternam passim hæreditatem appellari. Quid se docturos non solùm post opera, sed etiam propter opera nobis dari ? concidat utique eorum error diruto fundamento necesse erit. Atqui id vel ex hoc ipso loco, ut longiùs non habeamus, manifestum est. Non enim obscurè significat Christus, ut rectè Clemens Alexandrinus adnotavit, non eamdem eam qui prophetam, et eum qui quemlibet hominem justum exceperit, mercedem recepturum ; sicut nec ipsi propheta et justus eamdem recepturi sunt. Majori ergo major ; minor minori merito respondet. Quid autem est propter merita dari, si hoc non est ? Nam si sola posterioris, et prioris consequentia, ut hæretici volunt, mercedis nomine significaretur ; nec majori labori major, nec minori minor, sed tantùm priori prior, posteriori posterior redderetur. Quod cum D. Pauli sententiâ omninò pugnat, 1 Cor. 3, 8 : *Unusquisque secundùm suum laborem propriam mercedem accipiet.* Quid est *secundùm suum laborem*, nisi qui magis laboravit, majorem ; qui minùs minorem recipiet ? Quod alio loco dicit : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet ; qui parcè seminat, parcè et metet*, 2 Cor. 9, 6, et ad Gal. 6, 7. Quod autem objiciunt, mercedem esse non posse, quæ eadem hæreditas appelletur, perquàm imperitè faciunt, non aliter de divinâ, quàm de humanâ hæreditate judicantes, quæ non solùm sine meritis, sed sæpè etiam temerè sine judicio, sine voluntate parentum filiis obtingit. Non sic Deus suam temerè hæreditatem projicit ; certo judicio nobis dat, et quia filiis, et quia meritis. Quia filii quidem, dat, quia meritis, magis meritis majorem, minùs meritis minorem dat. Quia filiis datur, hæreditas ; quia meritis filiis, merces appellatur.

ex parte infidelium impia, ex parte fidelium justa et sancta. Christus dissensionum occasio fuit, non causa eventum sæpè Scriptura, non intentionem, aut causam profert.

Vers. 38. — Qui non accipit crucem suam, qui non patienter adversa perfert. Quâ locutione Christus primus usus est, eâque crucis mysterium commendavit. Eadem vox Hebræa utrumque significat, accipere et ferre.

Vers. 39. — Qui invenit ; phrasi Hebraicâ, *invenire* est acquirere aut servare.

Vers. 41. — Qui co nomine prophetam suscipit, quòd sit propheta, mercedem accipiet, non in pari gradu, sed juxta affectûs et officii magnitudinem ; prophetæ nomine doctor aut prædicator Evangelii rectè intelligitur.

Vers. 42. — In nomine discipuli ; quia discipulus est. Hæc Christi documenta in monte ipso inter Capharnaum et Bethsaidam data sunt, cùm apostolos elegit.

CAPUT XI.

1. Et factum est, cùm consummâsset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum.

2. Joannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis,

3. Ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ?

4. Et respondens Jesus, ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ auditis et vidistis.

5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur :

6. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

7. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?

8. Sed quid existis videre ? hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quàm prophetam.

10. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ : qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.

12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

13. Omnes enim prophetæ et lex, usque ad Joannem prophetaverunt.

14. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

16. Cui autem similem æstimabo generationem istam ? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cœqualibus,

17. Dicunt : Cecinimus vobis, et non saltâstis : lamentavimus, et non planxistis.

18. Venit enim Joannes neque manducans neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet.

19. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.

20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes, quia non egissent pœnitentiam.

21. Væ tibi, Corozaïn, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.

22. Verùmtamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis.

CHAPITRE XI.

1. Après que Jésus eut achevé de donner ces instructions à ses douze disciples, il partit de là pour aller enseigner et prêcher dans les villes du pays.

2. Or, Jean ayant appris dans la prison les œuvres de Jésus-Christ, envoya deux de ses disciples,

3. Et lui dit : Etes-vous celui qui doit venir, ou en attendons-nous un autre ?

4. Et Jésus leur répondit : Allez, rapportez à Jean ce que vous avez entendu et vu.

5. Les aveugles voient, les boiteux marchent, les lépreux sont guéris, les sourds entendent, les morts ressuscitent, l'Evangile est annoncé aux pauvres ;

6. Et heureux celui qui ne sera point scandalisé en moi.

7. Lorsqu'ils s'en furent allés, Jésus s'adressant au peuple, leur parla de Jean en cette sorte : Qu'êtes-vous allés voir dans le désert ; un roseau agité du vent ?

8. Qu'êtes-vous allés voir ? Un homme vêtu mollement ? vous savez que ceux qui sont vêtus mollement habitent les palais des rois.

9. Qu'êtes-vous donc allés voir ? Un prophète ? Oui, je vous en assure, et plus qu'un prophète.

10. Car c'est de lui qu'il a été écrit : Voilà que j'envoie mon ange devant vous, qui vous préparera la voie où vous devez marcher.

11. Je vous le dis en vérité, entre les enfants des femmes, il n'y en a point de plus grand que Jean-Baptiste ; cependant celui qui est le plus petit dans le royaume des cieux, est plus grand que lui.

12. Or, depuis le temps de Jean-Baptiste jusqu'à présent, le royaume du ciel se prend par violence et les violents l'emportent.

13. Car jusqu'à Jean, tous les prophètes et la loi ont prophétisé.

14. Et si vous voulez l'entendre, il est lui-même l'Elie qui doit venir.

15. Que celui-là entende qui a des oreilles pour entendre.

16. Mais à qui dirai-je que ce peuple-ci est semblable ? il est semblable à ces enfants qui sont assis dans la place, et qui criant à leurs compagnons,

17. Leur disent : Nous avons chanté pour vous, et vous n'avez point dansé ; nous nous sommes lamentés, et vous n'avez point versé de pleurs.

18. Car Jean est venu ne mangeant point ; et ne buvant point ; et ils disent : Il est possédé du démon.

19. Le Fils de l'homme est venu mangeant et buvant, et ils disent : C'est un homme de bonne chère, et adonné au vin, ami des publicains et des pécheurs. Et la sagesse a été justifiée par ses enfants.

20. Alors il commença de faire des reproches aux villes dans lesquelles il avait fait plusieurs miracles, de ce qu'elles n'avaient point fait pénitence.

21. Malheur à toi, Corozaïn, malheur à toi, Bethsaïde, parce que si les miracles qui ont été faits au milieu de vous avaient été faits dans Tyr et dans Sidon, il y a longtemps qu'elles auraient fait pénitence dans le sac et dans la cendre.

22. C'est pourquoi je vous déclare qu'au jour du jugement Tyr et Sidon seront traitées moins rigoureusement que vous.

non ex veritate, sed ex vulgari hominum opinione, qui se animam suam invenisse putant, cùm ex certo eam, et præsenti mortis periculo eripuerunt, quasi jam perditam recuperaverint. Nomine autem animæ utitur ambiguè, quod in similibus ambiguis vocabulis non solùm sine vitio, sed etiam cum elegantiâ, et emphasi fieri solet, ut supra notavimus c. 8, 22 : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* In priore loco accipit animam pro vitâ ex Hebræorum idiomate ; in posteriori pro animâ, quæ aut in vitam æternam recipienda, aut in ignem æternum mittenda est.

Vers. 40. — Qui recipit vos. Nihil hoc loco difficile est, nisi intelligere, quorsùm hoc Christus dicat. Hieronym. et Euthym consolationem esse dicunt, quæ ad vers. 9 referatur. Nam quia ibi dixerat : *Nolite possidere aurum*, etc., ne cogitarent, quomodò vivere inter ignotos possent, aperit illis omnium domos, inquit Euthymius, dicens eos non minùs libenter ab omnibus recipiendos, quàm si ipsemet iret, quia qui *recipit vos, me recipit.* Rectè, si hæc non Apostolis, sed illis qui eos recepturi erant, dicta fuissent. Nunc autem Apostolis dicuntur. Credo ergo non aliâ de causâ hæc Christum dixisse, quàm ut Apostolis significaret, quantam eorum curam habiturus esset, cùm ipsius personam sustinerent.

Vers. 41. — In nomine prophetæ. Quia propheta est, id est, missus à me, non quia cognatus, non quia Judæus, aut alio quo nomine, auctor Imperf., Hieron., Chrysost., Beda, Theophylact. Prophetam autem vocat Evangelii doctorem de iis enim loquebatur.

Mercedem prophetæ ; quidam mercedem, quam illi propheta dabit, quia docebit eum Evangelium ; et *mercedem justi*, id est, quam justus illi impetrabit orando pro illo, aut quia ejus causâ Deus illi dabit, ut Luc. 16, 9 : *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Alii mercedem, quam ego illi dabo, qui propheta sum et justus ; prorsùs violenté. Alii mercedem prophetæ et justi, id est, quæ recipientibus prophetas et justos à Deo constituta est. Probabilis quidem interpretatio ; sed ego non dubito quin sensus sit, *mercedem prophetæ accipiet*, id est, quam ipse propheta accepturus est, quia dùm prophetam, quia prophetà est, recipit, perinde apud Deum est, atque si prophetæ officio fungeretur ; sicut David dixit, 1 Reg. 30, 24 : *Æqua pars erit descendentis in prælium, et remanentis ad sarcinas ;* et sicut è contrario Augustinus multis locis solet dicere D. Paulum, dùm lapidantium Stephanum vestimenta servabat, omnium manibus lapidâsse ; et ut sæpè principes et rebelles, et eos, qui eos domo recipiunt, occultantve, eâdem pœnâ punire solent. Ita existimo omnes veteres interpretes intellexisse, sed quia facilem interpretationem esse putârunt, non explicâsse ; nos aliquando in scirpo nodum quærimus. Certè non aliter intellexisse videtur Clemens, cùm lib. 4 Strom. ex hâc sententiâ confirmat non æqualem omnium beatorum esse mercedem.

Vers. 42. — Ex minimis istis calicem aquæ frigidæ. Proponit personas abjectissimas, et rem vilissimam calicem aquæ, et aquæ non calidæ, quæ sine impensâ ignis calefieri non potest ; sed frigidæ, qualis naturâ suâ manat ex fonte.

Mercedem suam. Ubicumque novi hæretici hoc nomen inveniunt, miris modis efficere conantur, ut ne mercedem significare videatur, ne quis ex mercede meritâ colligat. Dicunt vitam æternam mercedem appellari, non quòd propter opera, sed quòd post opera detur, sicut merces post meritum ac laborem dari solet. Quod valdè acutè probare sibi videntur ; cùm dicunt non posse eamdem et mercedem, et hæreditatem esse ; hæreditatem enim non labori, sed generi dari ; atqui vitam æternam passim hæreditatem appellari. Quid se docturos non solùm post opera, sed etiam propter opera nobis dari ? concidat utique eorum error diruto fundamento necesse erit. Atqui id vel ex hoc ipso loco, ut longiùs non habeamus, manifestum est. Non enim obscurè significat Christus, ut rectè Clemens Alexandrinus adnotavit, non eamdem eam qui prophetam, et eum qui quemlibet hominem justum exceperit, mercedem recepturum ; sicut nec ipsi propheta et justus eamdem recepturi sunt. Majori ergo major ; minor minori merito respondet. Quid autem est propter merita dari, si hoc non est ? Nam si sola posterioris, et prioris consequentia, ut hæretici volunt, mercedis nomine significaretur ; nec majori labori major, nec minori minor, sed tantùm priori prior, posteriori posterior redderetur. Quod cum D. Pauli sententiâ omninò pugnat, 1 Cor. 3, 8 : *Unusquisque secundùm suum laborem propriam mercedem accipiet.* Quid est *secundùm suum laborem*, nisi qui magis laboravit, majorem ; qui minùs minorem recipiet ? Quod alio loco dicit : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet ; qui parcè seminat, parcè et metet*, 2 Cor. 9, 6, et ad Gal. 6, 7. Quod autem objiciunt, mercedem esse non posse, quæ eadem hæreditas appelletur, perquàm imperitè faciunt, non aliter de divinâ, quàm de humanâ hæreditate judicantes, quæ non solùm sine meritis, sed sæpè etiam temerè sine judicio, sine voluntate parentum filiis obtingit. Non sic Deus suam temerè hæreditatem projicit ; certo judicio nobis dat, et quia filiis, et quia meritis. Quia filii quidem, dat, quia meritis, magis meritis majorem, minùs meritis minorem dat. Quia filiis datur, hæreditas ; quia meritis filiis, merces appellatur.

ex parte infidelium impia, ex parte fidelium justa et sancta. Christus dissensionum occasio fuit, non causa eventum sæpè Scriptura, non intentionem, aut causam profert.

Vers. 38. — Qui non accipit crucem suam, qui non patienter adversa perfert. Quâ locutione Christus primus usus est, eâque crucis mysterium commendavit. Eadem vox Hebræa utrumque significat, accipere et ferre.

Vers. 39. — Qui invenit ; phrasi Hebraicâ, *invenire* est acquirere aut servare.

Vers. 41. — Qui co nomine prophetam suscipit, quòd sit propheta, mercedem accipiet, non in pari gradu, sed juxta affectûs et officii magnitudinem ; prophetæ nomine doctor aut prædicator Evangelii rectè intelligitur.

Vers. 42. — In nomine discipuli ; quia discipulus est. Hæc Christi documenta in monte ipso inter Capharnaum et Bethsaidam data sunt, cùm apostolos elegit.

CAPUT XI.

1. Et factum est, cùm consummâsset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum.

2. Joannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis,

3. Ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ?

4. Et respondens Jesus, ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ auditis et vidistis.

5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur :

6. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.

7. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?

8. Sed quid existis videre ? hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

9. Sed quid existis videre ? prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quàm prophetam.

10. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ : qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.

12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

13. Omnes enim prophetæ et lex, usque ad Joannem prophetaverunt.

14. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

16. Cui autem similem æstimabo generationem istam ? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes cœqualibus,

17. Dicunt : Cecinimus vobis, et non saltâstis : lamentavimus, et non planxistis.

18. Venit enim Joannes neque manducans neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet.

19. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.

20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes, quia non egissent pœnitentiam.

21. Væ tibi, Corozaïn, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.

22. Verùmtamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis.

CHAPITRE XI.

1. Après que Jésus eut achevé de donner ces instructions à ses douze disciples, il partit de là pour aller enseigner et prêcher dans les villes du pays.

2. Or, Jean ayant appris dans la prison les œuvres de Jésus-Christ, envoya deux de ses disciples,

3. Et lui dit : Etes-vous celui qui doit venir, ou en attendons-nous un autre ?

4. Et Jésus leur répondit : Allez, rapportez à Jean ce que vous avez entendu et vu.

5. Les aveugles voient, les boiteux marchent, les lépreux sont guéris, les sourds entendent, les morts ressuscitent, l'Evangile est annoncé aux pauvres ;

6. Et heureux celui qui ne sera point scandalisé en moi.

7. Lorsqu'ils s'en furent allés, Jésus s'adressant au peuple, leur parla de Jean en cette sorte : Qu'êtes-vous allés voir dans le désert ; un roseau agité du vent ?

8. Qu'êtes-vous allés voir ? Un homme vêtu mollement ? vous savez que ceux qui sont vêtus mollement habitent les palais des rois.

9. Qu'êtes-vous donc allés voir ? Un prophète ? Oui, je vous en assure, et plus qu'un prophète.

10. Car c'est de lui qu'il a été écrit : Voilà que j'envoie mon ange devant vous, qui vous préparera la voie où vous devez marcher.

11. Je vous le dis en vérité, entre les enfants des femmes, il n'y en a point de plus grand que Jean-Baptiste ; cependant celui qui est le plus petit dans le royaume des cieux, est plus grand que lui.

12. Or, depuis le temps de Jean-Baptiste jusqu'à présent, le royaume du ciel se prend par violence et les violents l'emportent.

13. Car jusqu'à Jean, tous les prophètes et la loi ont prophétisé.

14. Et si vous voulez l'entendre, il est lui-même l'Elie qui doit venir.

15. Que celui-là entende qui a des oreilles pour entendre.

16. Mais à qui dirai-je que ce peuple-ci est semblable ? il est semblable à ces enfants qui sont assis dans la place, et qui criant à leurs compagnons,

17. Leur disent : Nous avons chanté pour vous, et vous n'avez point dansé ; nous nous sommes lamentés, et vous n'avez point versé de pleurs.

18. Car Jean est venu ne mangeant point ; et ne buvant point ; et ils disent : Il est possédé du démon.

19. Le Fils de l'homme est venu mangeant et buvant, et ils disent : C'est un homme de bonne chère, et adonné au vin, ami des publicains et des pécheurs. Et la sagesse a été justifiée par ses enfants.

20. Alors il commença de faire des reproches aux villes dans lesquelles il avait fait plusieurs miracles, de ce qu'elles n'avaient point fait pénitence.

21. Malheur à toi, Corozaïn, malheur à toi, Bethsaïde, parce que si les miracles qui ont été faits au milieu de vous avaient été faits dans Tyr et dans Sidon, il y a longtemps qu'elles auraient fait pénitence dans le sac et dans la cendre.

22. C'est pourquoi je vous déclare qu'au jour du jugement Tyr et Sidon seront traitées moins rigoureusement que vous.

23. Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.

24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quàm tibi.

25. In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelásti ea parvulis.

26. Ita, Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.

27. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: et nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

28. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

29. Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.

30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

23. Et toi, Capharnaüm, t'élèveras-tu toujours jusqu'au ciel? Tu seras abaissée jusqu'à l'enfer, parce que, si les miracles qui ont été faits au milieu de toi avaient été faits dans Sodome, elle subsisterait peut-être encore aujourd'hui.

24. C'est pourquoi je vous déclare qu'au jour du jugement, le pays de Sodome sera traité moins rigoureusement que toi.

25. Alors Jésus prononça ces paroles: Je vous rends gloire, mon Père, Seigneur du ciel et de la terre, de ce que vous avez caché ces choses aux sages et aux prudents, et que vous les avez révélées aux petits.

26. Oui, mon père, parce que cela vous a plu ainsi.

27. Mon Père m'a mis toutes choses entre les mains; et nul ne connaît le Fils que le Père, comme nul ne connaît le Père, que le Fils, et celui à qui le Fils aura voulu le révéler.

28. Venez à moi, vous tous qui êtes fatigués et qui êtes chargés, et je vous soulagerai.

29. Prenez mon joug sur vous; et apprenez de moi que je suis doux et humble de cœur; et vous trouverez le repos de vos âmes.

30. Car mon joug est doux, et mon fardeau est léger.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et factum est, frequentissimus hebraismus vii, quod Septuaginta solent vertere, καὶ ἐγένετο, et fuit, aut factum est, accidit; sed hoc postremum huic loco non convenit, ne casu id factum videatur, quod summo consilio factum est. Septuaginta Interpretes evangelistæ imitati sunt. Prætermisit Matthæus, quæ apostoli in suâ missione fecerunt. Marcus c. 6, 12, 13, et Lucas c. 9, 6, breviter narrant.

Cum consummasset Jesus præcipiens. *Præcipere*, participium pro infinito ex Græco idiomate, Latini dixissent, cùm præcipiendi finem fecisset. Non significantur necessaria ea præcepta quæ à consiliis apud theologos distinguuntur; sed instructio illa partim præceptis, partim consiliis constans, quam Christus apostolis tradidit. Hoc enim est διατάσσειν, ordinare, disponere, ut 1 Cor. 11, 34.

Transit inde. Dùm Apostoli in suâ missione versabantur, ne suâ præsentiâ eorum auctoritatem minueret, charitatemque miraculorum obscuraret. Quam ob rem Theophylactus existimat nullum interim Christum miraculum edidisse; ideòque non dixisse evangelistam, ut miracula faceret, sed ut doceret. Tenuis conjectura.

In civitatibus eorum. Multi civitates discipulorum intelligunt; sed cur eorum appellantur? Nonnulli Galilææ civitates significari putant. Erant enim apostoli aut omnes, aut maximâ parte Galilæi, Act. 2, 7: *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt*, ut Euthymius, et Hugo. Alii civitates, in quibus apostoli prædicàssent, ut Lucas ait, c. 10, 1: *Misit eos binos in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus.* Quam interpretationem ne probem, multis causis impedior, et quia hæreticorum est, nec ullum bonum, ac veterem auctorem habet, et quia civitates apostolorum vocari eas in quibus apostoli modò prædicàssent, aut quas tantùm obiissent, durum mihi prorsùs videtur, et quia evangelista significat Christum et statim, ut apostolos misit, et in locum diversum divertisse. Misit ergo eos, ut ait Lucas, in omnem civitatem et locum, quò ipse non statim, sed longè post venturus erat. Scribit enim idem Lucas, c. 10, 17, non Christum ad eos venisse, sed eos ad Christum rediisse. Magis mihi placet Euthymii et Bedæ interpretatio, civitates Judæorum significari, ut aut relativum sine antecedente positum sit, aut non ad proximum, sed ad remotum antecedens referatur, c. 10, 6: *Ite potius ad oves, quæ perierunt domûs Israel*, aut ad vers. 23: *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis.* Utrumque enim apud Hebræos usitatissimum est, 4 Reg. 17, 24, et 3 Reg. 5, 3.

Vers. 3. — Tu es qui venturus es. Locus ideò difficilis, quia statim lectoris animum perculit dubitatio, quomodò Joannes de eo quem, antequàm miraculum fecisset ullum, Agnum Dei confessus fuerat, post tot facta miracula dubitare videatur. Justinus quidem certè, aut quisquis ille fuit auctor, q. 38, ad orthodoxos, et Tertullianus, lib. adversùs Marcionem, 4, dicere non dubitant verè de Christo Joannem dubitàsse. Pejus etiam quiddam Tertullianus adjungit, propterea dubitàsse, quòd spiritus prophetiæ ab eo in Christum recessisset. Illà nimirùm ætate nondùm satis culta theologia hujusmodi aliquando spinas proferebat. Alii, quia id absurdum esse animadverterunt, aliam quæsiverunt interpretationem, non dubitàsse Joannem an Christus Agnus Dei verusque Messias esset, qualem idem ante testatus fuerat; sed an modò dubitaret an is esset Messias. Tu es qui venturus es, ἐρχόμενος, tu es Messias; sed ut discipuli eâ de re convicti non dubitarent.

Vers. 5. — Alludit ad cap. 35 et 61 Isaiæ, ubi hæc

riturus esset, et ad inferos descensurus. In quam sententiam meliore nondùm inventâ maxima pars veterum auctorum concesserunt, Ambrosius, libro in Lucam 7; Eusebius Emissenus, in homil., Julianus Pomerius, lib. 3, contra Judæos; Venantius in expositione Symboli apostolorum; Gregorius, homil. 1 in Ezech., cujus opinionis etiam Chrysostomus, homil. 57, et Theophylactus in commentariis ad hunc locum mentionem fecit, eamque meritò refutavit. Quo enim modo mortem Christi, et descensum ad inferos Joannes ignorare poterat, quæ nemo tunc propheta, nemo doctus, qui antiquorum prophetarum vaticinia legisset, ignorabat? Vera igitur est Hilarii, Chrysostomi, auctoris imperfecti, Cyrilli Alexand., lib. 2 Thesauri, c. 4, Euthymii, Theophylacti, Ruperti sententia, Joannem nullo modo, ejus verò discipulos aliquo modo de Christo dubitàsse. Amabant enim nimiùm præceptorem suum eò quidem usque, ut ne illi quidem Christum sibi longo intervallo anteponenti, seque, ut corrigiam calceamenti ejus solveret, indignum prædicanti satis crederent. Putabant fortassè modestiâ, non veritate dicere, quòque se humiliorem et Christo minorem faciebat, eò credebant illo esse majorem. Unde illa adversùs Christum ipsorum æmulatio nata est, Joan. 3, 26: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad illum.* Cùm ergo Joannes mortì se proximum videret, et miracula Christi, quæ durissimum quemque ad credendum movere possent, andivisset, discipulos suos ad illum misit, ut qui sibi non crederent, Christi miraculis crederent. Misit autem quasi ipse dubitaret, quia nunquàm ausi fuissent suo Christum nomine interrogare. Sic enim optimus quisque medicus, ut ægrotum curet, se etiam fingit ægrotare. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* 2 Cor. 11, 29. Hunc verum esse sensum ex ratione, quæ v. 2, redditur, perspicuum est: *Cùm*, inquit, *audisset Joannes in vinculis opera Christi, misit duos de discipulis suis.* Quæ opera? miracula. An miracula Christi in dubitationem adduxissent eum, qui ante sine miraculis non solùm crediderat, sed etiam prædicaverat? Discipulos ergo mittit ut miracula videant, et de Christo desinant dubitare. Hieronymus et Beda amplius quiddam dicunt, ne discipulos quidem Joannis an Christus verus esset redemptor dubitàsse; sed an mortem subiturus, et ad inferos descensurus esset; eamque ob rem ad eum missos fuisse, sed non congruit interpretatio. Quo enim modo ex miraculis, utrùm Christus moriturus, et ad inferos descensurus esset, cognoscere potuissent?

Vers. 4. — Renuntiate Joanni. Sciebat Christus eos non Joanni, sed sibi interrogàsse; noluit tamen significare, ne eos incredulitatis et simulationis insimulare videretur; ideò dicit: *Renuntiate Joanni.* Aut fortè putabant nuntii verè Joannem non simulatè dubitàsse; nec enim id discipulis declarànda credendum est, quò Christum liberiùs interrogarent, et facilius credente postea præceptore, et quasi mutante eo sententiam, ipsi quoque mutarent. Cùm simus ad vitia, duces esse volumus; ad virtutem pudet nos ire sine duce.

Quæ audistis, et vidistis. Miracula quæ à me facta esse ab iis qui viderunt, audivistis; et quæ vos ipsi præsentes conspexistis. Scribit enim Lucas, c. 7, 21, multos eorum illis Christum curàsse cæcos, multos variis afflictos morbis sanavisse, multos à dæmonibus liberàsse. At cur non diserté ad quæstionem respondit se esse Christum; cùm mulieri Samaritanæ etiam non interroganti, se esse dixerit? Joan. 4, 26. Respondent Chrysostomus et Rupertus homines incredulos non verbis, sed factis persuadere, et convincere voluisse, ut Joan. 5, 35, 36: *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati; ego autem habeo testimonium majus Joanne; opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*; et cap. 10, 37, 38: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere; si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite*; et c. 15, 24: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Cur ergo se Samaritanæ Christum esse dixit? quia sciebat eam facilè, ut eventus declaravit, verbis crediturum.

Vers. 5. — Pauperes evangelizantur, εὐαγγελίζονται, quod Theophyl. et Euthym. activè interpretantur, quasi dicat: pauperes prædicant Evangelium. Pauperes autem apostolos vocari dicunt, quòd vere pauperis, et humilis conditionis essent. Et quidem solet hoc verbum, quemadmodùm in communi ad quatuor Evangelistas præfatione monuimus, non solùm passivâ voce actionem significare; sed etiam aliquando passionem, ut ad Hebræos 4, 2, et 1 Petri 1, 25, et 4, 6, quæ significatio sola etiam potest in hunc locum convenire. Numerat enim inter miracula, quòd pauperes evangelizentur. Non erat autem miraculum, ut pauperes Evangelium annuntiarent. Solent enim homines abjectissimi magnarum sæpè rerum esse nuntii. Ut autem pauperes evangelizarentur, id est, Evangelium illis prædicaretur, valdè mirum erat. Annuntiari enim pauperibus Evangelium est regnum cœlorum illis promitti, supra, c. 5, 2, et 4, 17, et 9, 35. Quid autem admirabilius quàm pauperem regem fieri? Propterea cùm omnibus æqualiter Evangelium prædicaretur, solos tamen pauperes nominavit, et quia id inter miracula ponendum erat; et ut ad Isaiæ prophetiam alluderet, ostenderetque se illum esse Christum, de quo esset propheta vaticinatus, c. 61, 1: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit me, ad annuntiandum pauperibus misit me.*

de Christo prædicantur, Mortui resurgunt; hinc nonnulli colligunt, plures quàm tres mortuos à Christo fuisse suscitatos. Pauperes evangelizantur, humilibus Evangelium annuntiatur.

Vers. 1. — Eorum, Judæorum. Quid autem fecerint apostoli à Christo dimissi, Marcus, c. 6, et Lucas, c. 9, referunt.

VERS. 6. — QUI NON FUERIT SCANDALIZATUS IN ME. Qui, unde vitam haurire debuit, mortis occasionem non acceperit, et qui ad credendum moveri miraculis, motus non fuerit ad accusandum, quod scribis et Pharisæis accidisse legimus, qui eum in principe dæmoniorum dæmonia ejicere dicebant. Erat enim petra scandali, et lapis offensionis, Isai. 8, 14, Rom. 9, 33, et positus in ruinam multorum, Luc. 2, 34, sed non credentibus. Nam credentibus quidem lapis erat summus, angularis, electus, ut D. Petrus interpretatur, 1 epistolâ, c. 2, 6, 7. Putant Hieronymus, et Beda Christum his verbis Joannis discipulos, qui non crederent, notare voluisse.

VERS. 7. — ILLIS AUTEM ABEUNTIBUS. Quare non ante? Respondent Chrysostomus, et Euthymius, ne Joannem coram ejus discipulis adulatorie laudare videretur.

CŒPIT JESUS DICERE. Quare? ne ii qui aderant, et Joannis legationem audierant, existimarent eum priorem sententiam, quâ magnificum de Christo testimonium præbuerat, mutavisse, aut de Christo certè cœpisse dubitare, et ipsi quoque fide vacillarent, ut Hieron., Chrysost., Cyrillus, lib. 2 Thes., c. 4, Beda, auctor Imperf., Theophyl. et Euthym. adnotârunt; quod sequens arundo confirmat, quasi dicat non esse Joannem hominem levem, et similem arundini, qui sententiam temerè mutaverit.

QUID EXISTIS. Cur non potiùs dixit, qualem hominem Joannem putatis? ut alludat ad illud quod supra, c. 3, 5, dictum est : *Tum exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem*; et Luc. 3, 7 : *Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso*, quasi dicat, non est, quòd vos pœniteat ad videndum Joannem quasi virum singularem exîisse, quasi in pejus mutatus sit; major etiam est quàm tum, cùm ad eum exiretis, putabatis.

VERS. 10. — HIC EST ENIM. Probat quod paulò ante dixerat, Joannem majorem esse propheta, quia quodammodò angelus est; et non angelus qualiscumque, sed ille nobilissimus, de quo apud Malachiam Deus prædixerat : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*. Dicuntur quidem et alii prophetæ, et sacerdotes angeli apud eumdem prophetam, c. 2, 7, et Act. 7, 53, sed alio modo quàm Joannes. Illi, quia ad homines; Joannes, quia ad Christum, id est, ad Deum ipsum missus est. Et quidem ante faciem ejus, id est, ut illum proximè præcederet, quod honorastissimorum amicorum est; cùm alii servi non præcedere dominum, sed sequi soleant, quemadmodùm Chrysost. et auctor Imperf. adnotârunt. Atque hoc eodem sensu intelligendum est, quod Joannes ipse, Joan. 1, 21, prophetam se esse negat, quia non aliorum more propheta erat, qui de longè post venturo Christo vaticinabantur. Non erat propheta quia Christum non futurum prænuntiabat, sed digito præsentem demonstrabat. Propheta autem erat quia Christum, neminè indicante, divino spiritu cognovit. Quanquàm alio modo Christus eum, alio ipse se prophetam esse negat Christus ut majorem, ipse ut se minorem significaret. Uterque tamen eâdem ratione, quia non aliorum more propheta erat. Quam autem ob rem plus quàm propheta esse dicatur, difficile non est per se quemque cogitare. Illustrissima enim ejus vita fuit, et cùm miraculum nullum fecerit, perpetuum fuit ipsi miraculum. Miraculo conceptus, miraculo clausus adhuc in utero venientem Dominum sentiens, et matri suæ demonstrans; miraculo circumcisus mutam patris sui linguam exolvens; miraculo inter feras vitam degens, ut, quemadmodùm auctor Imperfecti scribit, non solùm æquâsse angelos, sed superâsse etiam videatur, qui cùm homo, non angelus esset, angelicam, non humanam vitam duxerit; ut non omninò sine causâ multi eum Judæi verum etiam fuisse angelum existimaverint, ut Eusebius, lib. 9 de Demonstrat. evangel., c. 5, auctor est.

ANTE FACIEM TUAM. Apud Malachiam, c. 3, 1, non legitur, *ante faciem tuom*; sed, *ante faciem meam*. Sed sensus est idem. Nam illic Christus de se loquitur; hic pater de filio. Hinc etiam Christi divinitas probari potest. Certum enim est apud prophetam Deum esse, qui loquitur; ex eodem autem loco manifestum est fuisse Christum.

VERS. 11. — NON SURREXIT. Hebraismus לֹא יקוּם, Latini dicunt, non exstitit, nisi quòd surgere paulò majorem emphasim habet; significat enim non solùm exstitisse, sed præterea eminuisse.

INTER NATOS MULIERUM NON SURREXIT MAJOR JOANNE BAPTISTA, locus difficilis, quia non apparet quomodò vera possit esse sententia quæ adeò Joannem extollit, ut non solùm alios omnes, verùm Christum etiam ipsum deprimere videatur. Novi hæreticorum interpretes facilem ad fugiendum hoc incommodum viam repererunt. Dicunt Joannis officium et dignitatem cum superiorum prophetarum officio dignitateque, non sanctitatem cum sanctitate comparari. Id ex Lucâ probant, qui non absolutè dicit neminem Joanne majorem; sed neminem majorem fuisse prophetam. Tum etiam ex hoc loco, ubi id agebatur, ut Joannes plus quàm propheta esse probaretur. Verùm enimverò hæc quæ plana illis visa est via periculosus error est, et à Christi sententiâ, et à pietate discedens. Nam et Christum plus quiddam de Joanne dicere voluisse paulò infra docebimus; et pietas ipsa suadet ut plus de illo dictum credamus. Cæterùm novi hæretici, homines scilicet pii, quidquid pietatem attenuat, aut B. Virginis, Joannis Baptistæ et Apostolorum sanctitatem minuit, nimis libenter

amplecti solent. Primùm quidem omnes veteres auctores nemine, quod sciam, prorsùs excepto de sanctitate, non de officio exposuerunt, Tertullianus, lib. de Baptismo, Cyrillus Jerosolymitanus, catech. 3, et alter Cyrillus Alexandrinus, lib. 2 Thesauri, c. 4, et lib. 2 in Joan., c. 34, Ambrosius, lib. 6 in Luc., Chrysostomus, hom. in hunc locum, 38, auctor Imperf., hom. 27, Hieronym., August., tract. 13 in Joan., et lib. 2 contra Adversarium leg et prophet., c. 5, Hilarius, can. 11, Maximus, in Hom. de S. Joanne, neque quisquam, ut dixi, aliter. Nec est profectò tam subtilis et recondita hæreticorum interpretatio, ut nemo eam inter tot tam præstanti ingenio viros potuerit invenire, sed tam falsa ut nemo eam etiam sponte occurrentem voluerit amplecti. Etverò, si spectemus Christi propositum, videbimus istam interpretationem ab eo quod agere volebat abhorrere. Nolebat Christus probare Joannem prophetiæ munere ornatum fuisse, eoque cæteris præstitisse. Id enim jam dixerat vers. 9 : *Etiam dico vobis, et plus quàm prophetam*; et prorsùs ineptè ista cohærerent, *plus est quàm propheta, quia nemo major propheta eo surrexit*. Si enim plus quàm propheta erat, quis dubitare poterat nullum eo majorem fuisse prophetam? Sed voluit auditoribus, ne propter auditam ejus legationem : *Tu es qui venturus es*, de cujus constantiâ virtuteque dubitârent, ejus singularem sanctitatem prædicare. Quid hoc ad officium pertinebat, ubi de moribus agebatur? Certè cùm dicit : *Quid existis in desertum videre?* non de officio, sed de moribus agit; quem hominem? quàm religiosum? quàm sanctum? Nam et illa quæ subjicit, arundo, et molles vestes, non officio, sed moribus opponuntur; arundo constantiæ, mollis vestitus vitæ asperitati atque rigori. Deinde cùm addit : *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*, non dubium est quin eodem modo ii qui sunt in regno cœlorum cum illo quo ille cum iis qui in lege fuerant, comparentur. At alii cum illo non officii præstantiâ, sed morum sanctitate comparantur. Non enim est sensus minimum prophetam in regno cœlorum majorem prophetam esse quàm illum, sed quemlibet hominem beatiorem quàm illum esse, aut, si velit, esse posse, ut paulò post explicaturi sumus. Non ergo Joannes cum iis qui in vetere lege fuerunt, officio, sed sanctitate confertur. Idem ex vers. 12 colligitur : *A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, id est, omnibus expositum est, quisquis contendere voluerit, Joanne Baptistâ major erit, non prophetiæ officio, quod gratis donatur, non laboribus redditur; sed sanctitate, quam quò magis quisque contendit, majorem obtinet. Denique, quod Christus hoc loco dicit : *Non surrexit major Joanne Baptistâ*, angelus apud Lucam, c. 1, 15, prædixerat; *erit enim magnus coram Domino*; angelus autem de moribus, non de officio loquebatur. Hoc enim est, *coram Domino*, coram quo nemo, nisi justus, nisi sanctus, magnus est. Quod ergo ex alio loco. Lucæ c. 7, 28, ab istis objicitur : *Propheta non fuit major Joanne Baptistâ*; alii ante nos catholici interpretes explicaverunt. In primis Euthymius nomen ipsum prophetæ apud Lucam non officium, sed sanctitatem declarare. Quia enim prophetæ sancti et esse solebant, et habebantur, viri sancti, etiamsi prophetæ non essent, prophetæ vocabantur. Quo sensu passim videmus Christum à Judæis prophetam appellari, non quòd futura prædiceret, sed quòd suam miraculis sanctitatem declararet, Matth. 21, 11; Marc. 6, 4, 15; Luc. 7, 16, et 24, 19; Joan. 4, 19, et 6, 14, et 7, 40, 52, et 9, 17. Quòd si etiam apud Lucam nomen esset officii, nihil tamen efficere ex eo loco possent. Concedimus enim Joannem cum solis prophetis veteris Testamenti comparari, quod unum ex Lucâ colligi potest, et auctor Operis imperf., hom. 27, et August., lib. 2 contra Adversar. leg. et prophet., spontè concedunt. An propterea sequitur cum prophetis in solo prophetæ officio comparari? Illud auctores illi confitentur, hoc negant. Nam quia prophetæ omnium sanctissimi habebantur, dùm cum illis confertur, in sanctitate confertur, et dùm illis anteponitur, omnibus aliis sanctis, quamvis non nominentur, an eponitur. Dejecta est hæreticorum interpretatio; sed constat major nobis quæstio. Quomodò inter natos mulierum nemo major, id est, sanctior Joanne Baptistâ? An Christus illo non sanctior? Multi multis modis ab hâc comparatione Christum excludunt. Alii per illud verbum mulierum, quod corruptas videtur significare; cùm Christus non ex corruptâ, sed ex integerrimâ virgine natus sit, ut Ambr., lib. 5 in Lucam, Hieron., Beda, Theophyl. *Hunc*, inquit Ambrosius, *omnibus dico esse majorem, sed inter mulierum, non inter virginis natos. Major enim fuit iis quibus æqualis esse poterat sorte nascendi*. Alii, quia non dixit, inter natos de mulieribus, quemadmodùm Christus dicitur factus ex muliere, ad Galat. 4, 4, sed *inter natos mulierum*. Christum enim non esse natum mulieris, sed de muliere. Ita auctor Imperfecti, hom. 27, *aliud est*, inquit, *esse natum mulieris, aliud, esse natum de muliere. Qui mulieris natus est, in muliere quidem natus est, et initium de muliere habet, et ante mulierem non fuit; qui autem de muliere natus est, neque in muliere natus est. Ecce enim Christus de muliere natus est.* Alii in verbo γενητὸς, hanc vim inesse putant, ut eos tantùm significet, qui ex viro et muliere geniti sunt; hoc enim proprie esse γενᾶσθαι, generare. Quæ observatio, ut vera sit, non est tamen, ut postea dicam, necessaria. Alii natos mulierum vocari dicunt, qui non ex Deo, sed ex voluntate viri, et ex voluntate carnis nati sunt; quibus opponantur, qui sunt nati ex Deo, id est, divino Spiritu regenerati : inter quos, qui minimus est, major est Joanne Baptistâ. Ita Cyrillus, lib. 2 Thes., c. 4. Alii sequentibus verbis Christum excipi volunt, *qui minor est in regno cœlorum, major est illo*, ut Chrysostomus et Euthymius. Quæ omnes opiniones, ut veras eas esse dicamus, quæstionem tamen non solvunt. Nam ponamus exclusum Christum, quid de sanctissimâ Christi matre dicemus, quam nemo vir pius negare potest eò Joanne Baptistâ fuisse sanctiorem, quò propiùs Christum mater, quàm præcursor attingebat. Breviter igitur,

VERS. 6. — QUI NON FUERIT SCANDALIZATUS IN ME, qui offensus non fuerit vitæ meæ et mortis humilitate. Beatus, cui non fuero scandali et ruinæ occasio.

VERS. 7. — Num hominem levem et inconstantem? ne fortè existimaret Joannem mutâsse sententiam : non frustra Joannem adîstis.

VERS. 9. — ET PLUSQUAM PROPHETAM. Aliis prophetis comparatio in sanctitate.

et facilè respondeo Joannem (quemadmodùm Hieronymus docet) non cum omnibus, sed cum solis sanctis veteris Testamenti comparari. At Christus et ejus mater omnesque Apostoli ad novum pertinent Testamentum. Nec in illo verbo *natos mulierum* aliud mysterium quàm hebraismum vide, quo per periphrasim omnes homines (ילודי הנשים), nati mulierum, appellantur.

QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO CŒLORUM MAJOR EST ILLO. Hic locus est multò quàm superior, meo quidem judicio, difficilior. Hæretici priorem secuti errorem, alterum adjungunt, qui vel minimum in Ecclesiâ officium habet, eum Joanne Baptistâ esse majorem. Apertiùs ut dicam, suos ministros, suos supervigilantes, suos diaconos, et, si quos habent alios ex nostrorum monachorum fœtibus collectos, si quos ob infame aliquod scelus ex Ecclesiâ fugitivos, Joanne Baptistâ majores esse volunt. Sed jam probavimus de officio non agi. D. Augustinus, lib. 2 contra adversarium leg. et prophet., c. 5, regnum cœlorum, cœlum; eos qui in regno cœlorum sunt, angelos, qui in cœlo sunt, interpretatur. At quorsùm Christus angelos Joanne Baptistâ majores esse diceret? nec enim de angelis, sed de hominibus agebatur. Hieronymus et Beda regnum cœlorum cœlum etiam intelligendum esse putant; eos autem, qui in regno cœlorum sunt, homines jam in cœlo beatos, inter quos qui minimus est, major est Joanne Baptistâ, quia *aliud*, inquit Hieronymus, *est coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare*. Multi de Christo ipso hoc dictum existimant; sed non omnes eodem modo; quidam sic, *qui minor est in regno cœlorum*, id est, in Ecclesiâ, id est, ego, qui omnium humillimus sum, major sum illo, ut Rupertus. Alii: Ego qui et ætate minor sum, et hominum opinione Joanne minor habeor; major illo sum, sicut Joannes ipse dixit: *Qui autem post me venturus est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ille baptizabit vos*, c. 3, 11. Sic Hilar., Chrysost., auctor Imperfecti, Euthymius, et Theophyl., quam etiam interpretationem approbat August., tract. 13 in Joan., et lib. 2 contra advers. leg. et prophet., c. 5. Memini et hanc interpretationem apud nescio quem auctorem legere, *qui minor est*, id est humilior Joanne Baptistâ, *major est illo*, quia qui se humiliat, exaltabitur. Habet ex multis opinionibus, quam eligat lector; sed si meam quoque sententiam avet audire, liberè fatebor in nullâ prorsùs earum meum qualecumque judicium acquiescere. Nec probare possum, ut regnum cœlorum pro cœlo ponatur, quia manifestum est Christum antithesi quâdam inter vetus, et novum Testamentum uti voluisse, ut constat ex vers. 12 et 13: *A diebus Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et omnes prophetæ, et lex usque ad Joannem prophetaverunt*: nec ut Christus cum Joanne conferatur, et quia ea comparatio ad rem non pertinebat, ubi Evangelium cum lege veteri conferebatur; et quia apertiùs divisset se eo majorem esse, ut c. 12, 41, 42: *Ecce plus quàm Jonas hic, et ecce plus quàm Salomon hic*; et quia vis locutionis perit, nisi sententia generalis sit, et non ad unum definita, *qui minor est*, id est, quisquis minor est, aut minimus quisque in regno cœlorum, *major est illo*. Nam quod dubitat D. August. an hæc verba *in regno cœlorum*, cum præcedentibus, an cum sequentibus jungi debeant, dubium esse non arbitror, quia sint præcedentibus copulanda, *qui in regno cœlorum minor est, major est illo*. Ergo hic mihi videtur esse sensus de quo tamen non solùm Ecclesiæ, ut omnibus in rebus, sed aliis omnibus qui me doctiores sunt, judicium relinquo. Minimus quisque in Evangelio, id est, eorum qui Evangelium recipiunt, major est illo. Sic enim et antithesis inter Evangelium et legem, quâ Christum usum esse perspicuum est, et inter Evangelii et legis personas aptissimè convenit, ut qui minimus est in Evangelio, eo qui in lege maximus fuit, major esse dicatur. Notum est illud philosophorum axioma: *Minimum maximi majus est maximo minimi*. Superest magna, ut videtur, difficultas, quomodò qui minimus est in Evangelio, major, id est, sanctior sit Joanne Baptistâ. Duobus modis respondeo, primùm Christum de Joanne et iis qui Evangelium recipiunt præcisè loqui, quatenùs ille ad legem, hi ad Evangelium pertinent. Nam etsi dubium non est, quin Joannes, non solùm multos, sed etiam plerosque, qui in Evangelio sunt, sanctitate longè præcesserit; tamen quidquid et ille et alii sancti veteris Testamenti sanctitatis habuerunt, non ex lege, sed ex Evangelio habuerunt, cujus futura virtus ad eos usque, quamvis longè adhuc remotos, porrigebatur; ideò qui minimus est in Evangelio eo, qui maximus fuit in lege, major fuisse perhibetur, quia hic veluti hæreditariâ et domi natâ; ille alienâ et quasi mutuo acceptâ virtute factus est magnus. Sic enim D. Paulus de lege et evangelio loqui solet, ut doceat legem ex fide non esse, et fidem Evangelii propriam faciat, Rom. 3, 27, 28, 31, et ad Gal. 3, 12, cùm Abraham, qui, ut idem D. Paulus ait, pater fuit omnium credentium, non in Evangelio, sed in lege, aut potiùs ante legem fuerit. Sed negat legem fidem habuisse et justificâsse, quia non ex se, sed ex futuro Evangelio, quasi anticipatam fidem habebat, et mutuâ ex eo gratiâ justificabat. Secundo loco respondeo eum qui in Evangelio minimus est, eo qui in lege fuit maximus, majorem dici, non quòd continuò reverà major sit, sed quòd ex Evangelii naturâ major esse possit. Quid in lege? an non potuit quisquis voluit Joanne Baptistâ major esse? potuit fortassè, at non ex naturâ legis, quæ certis repagulis claudebatur. Quibus revulsis, *à diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, quò quisque violentior est, eò sanctior. Ante prophetis, et cæteris sanctis, prout officium, aut ministerium sive pænuntiandi, sive præfigurandi venturum Christum postulabat, major, minorve dabatur gratia, ideòque Joanni maxima data est, quia non modò prædicere, sed digito etiam debuit demonstrare; postea effusa est, et in medio posita, tantum quisque capit, quantum virtute et animo contendit. Hoc enim est: *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

VERS. 12. — REGNUM CŒLORUM. Quidam Christum ipsum regnum cœlorum vocari putant, ut Ambros., serm. 15, de Natali Domini. Alii vitam æternam, aut cœlum, ut Gregor., homil. 20 in Evangel., et Beda in hunc locum. Alii fidem, ut Chrysost., Euthym. et Theophyl. Alii Ecclesiam, aut Evangelium, ut multis aliis locis. His solis assentior; jam enim superiore versu docuimus antithesi inter legem et Evangelium uti voluisse.

VIM PATITUR. Magno ad illud impetu curritur, quam in pretationem hæreticorum interpretes, et sine auctore (nec enim cujusquam meminerunt), et sine judicio secuti sunt. Nam, ut paulò post apparebit, non est ad rem. Plerique sic exponunt, *vim patitur*, id est, mortificatione, pœnitentiâ, ignominiâ, paupertate obtinetur, et eâ ad illud itur viâ, quam Joannes et verbis et factis demonstravit; Basilius, in oratione de Abdicatione rerum, Chrysost., Hieronym., August., lib. 2 Quæst. Evang., q. 57; Gregor., hom. 20 in Evangel., Theophylact., Euthym. et Beda in Comment., et Bernard. in Sentent., c. 5. Ego vehementer Hilarii, can. 11, et Ambrosii, lib. in Lucam, 6, et Serm. 15, de Natali Domini probo sententiam, propterea dici vim pati regnum cœlorum, et rapi à violentis, quia non intra unum populum, ut in veteri lege conclusum est, et quasi certis finibus custoditum; sed omnibus apertum, omnibus expositum, ut quicunque velit in illud irruat; et quia non jam hæreditati, ut Judæis, sed virtuti datur. *Multi enim ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores*, Matth. 8, 11, 12. Hoc est, rapere regnum Dei, hoc est, violentum esse, non genere et hæreditate, sed virtute et perseverantiâ, quasi bello et armis obtinere, et legitimos hæredes, quia ignavi sunt, ab eo deturbare. Rapere enim dicimur, quod de alicujus manibus extorquemus, quemadmodùm multi ab Oriente et Occidente venientes de manibus Judæorum, qui in possessione erant, extorserunt. Regnum cœlorum rapuit mulier illa Chananæa, quæ à Christo fide argumentando, et se plus quàm Judæos credere docendo filiæ suæ sanitatem impetravit, c. 15, 22. Hanc interpretationem eò magis probabit lector, si animadverterit verba hoc loco esse transposita. Nam hæc verba debuerunt esse vers. 13, et ea quæ vers. 13 sunt, hoc loco poni, et quia id sententiarum series, et consequentia videtur omnino postulare; probat enim Christus, qui minor est in regno cœlorum, Joanne Baptistâ posse esse majorem, quia nullis legis vinculis impeditur. Nam omnes prophetæ, et lex usque ad Joannem prophetaverunt, et quia Lucas, c. 16, 16, ita narrat: *Lex et prophetæ usque ad Joannem; ex eo regnum evangelizatur, et omnis in illud vim facit*. Sed Matthæus, ut in aliis multis locis, narrationis seriem non servavit. Illam verò Ambrosii eodem loco interpretationem non probo, qui et legit, *regnum cœlorum cogitur*, et exponit, *densatur*, quia cùm prius soli in eo essent Judæi, ingredientibus gentilibus frequentia, et turba fit densior.

VERS. 13. — OMNES ENIM. Si hæc verba, ut paulò ante diximus, cum vers. 11 conjungantur, nemo non perspiciet, cujus rei causa reddatur. Dixerat illic, *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ, sed, qui minor est in regno cœlorum major est illo*. Reddit his verbis rationem, *quia prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt*, id est, duraverunt, quasi dicat, ante homines erant quodammodò ligati legè, nec licebat unicuique in regnum cœlorum irrumpere; *at à diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur*, propterea nemo est qui si velit contendere, non possit illo esse major. Hanc vim habet hoc loco, causalis, *enim*, et versu 12 adversativa, *autem*.

PROPHETÆ ET LEX USQUE AD JOANNEM PROPHETAVERUNT. Innumerabiles interpretationes, et quia piget me, et quia nihil mihi habere videntur probabilitatis, prætermitto. Eas tantùm recitabo quas venerandos auctores habere video, quibus hoc debemus, ut eorum sententias aut sequamur, aut honorificè certè recitemus. Omnes ferè veteres ita exponunt, ut legis umbris Evangelii claritas et lumen opponatur. Non enim de omnibus prophetis agi putant, sed de iis tantùm qui Christum prædixerant esse venturum. Illi enim omnes, et obscurè solo spiritu, et quasi longè adhuc remotum præviderunt; et obscurioribus verbis indicârunt: Joannes et oculis præsentem vidit, et digito demonstravit. In hanc sententiam Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Euthymius hunc locum edisseruerunt. Quæ quidem vera sententia est, sed non satis apta, ut mihi videtur, interpretatio. Nec enim Joannes à Christo inter novi, sed inter veteris Testamenti prophetas sanctosque numeratur. His enim confertur, *inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ*. Illis opponitur, *sed qui minor est in regno cœlorum, major est illo*, ut illic copiosè disputavimus. Sensus ergo mihi videtur esse, legem et prophetas

Vers. 12. — Primus Joannes pœnitentiam prædicavit, et docuit homines regnum cœlorum vi quâdam rapi. MAJOR EST ILLO. Juxta communiorem interpretationem, quantò Joannes alios prophetas superavit, tantò novi fœderis propheta Joannem notitiâ mysteriorum post descensum Spiritûs sancti superârunt. Alii prophetæ quasi eminùs futura bona, et liberationem mundi viderunt. Sed ex quo Joannes apparuit, jam promissa divina impleri cœperunt; cœlum ante occlusum apertum est; ET VIOLENTI RAPIUNT ILLUD, diam libidines vincunt suas, et intellectum redigunt

in obsequium fidei, carnis et diaboli tentationes eliduntur, et cœlum expugnant quasi arcem munitissimam. Regnum cœlorum suum potest pro Ecclesiâ, aut pro vitâ æternâ. Ex quo venit Joannes, mutata sunt tempora; non jam terrena, sed cœlestia, et majori vigilantiâ quærenda sunt: novam legem veteri videtur opponere.

Vers. 13. — Loquitur de prophetis qui primum Christi adventum prædixêre, quique exstiterunt usque ad Joannem; ex quo regnum cœlorum omnibus est patefactum.

usque ad Joannem Baptistam prophetâsse, id est, viguisse, vim habuisse, officio suo functos esse. Legem enim et prophetas totum vetus Testamentum appellat, ut c. 7, 12, et 22, 40, et prophetare significat officio fungi prophetæ, sicut lib. 1 Esdræ, c. 5, 1, dicuntur Aggæus, et Zacharias prophetâsse. Itaque nihil aliud voluit Christus dicere, quàm legem et prophetas usque ad Joannem Baptistam duravisse; ut facilè intelligitur ex antitheto : *A diebus autem Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur.* Nam lege et prophetis regnum cœlorum, id est, veteri Testamento, novum; et verbo prophetandi, rapiendi, et vim patiendi verbum opponit; quasi dicat, usque ad Joannem lex vigebat, quæ solis Judæis data erat, nec homines juvabat, sed gravabat, ideò nemo in eâ surrexit major Joanne Baptistâ; at deinceps remoto legis impedimento regnum cœlorum vim patitur, et qui in eo minor est, major est illo. Unde apparet omnes illas quæstiones, quæ à multis pluribus verbis disputantur, an in novo Testamento prophetæ fuerint, an de personis, vel de scriptis prophetarum hoc, quod Christus dicit, intelligatur, locum non habere. Illud potiùs dicendum fuit, quo modo lex usque ad Joannem tantùm fuisse dicatur, cùm non statim abrogata fuerit, ut Joannes venit; sed longo post tempore duraverit. Respondeo primùm non esse sensum legem usque ad Joannem, id est, usque ad Joannis nativitatem, sed usque ad Joannem, id est, usque ad Joannis prædicationem viguisse. Deinde non significari tunc fuisse statim momento temporis extinctam, sed nascente Evangelio, mori cœpisse, ut explicavimus, c. 5, 17.

Vers. 14. — Et si vultis recipere. Chrysostomus duas affert rationes quamobrem non dixerit absolutè, *ipse est Elias.* Altera est quia ad fidem nemo cogi debet, quia nec fides est, si libera non est ac voluntaria. Altera, quam et Theophylactus reddit, ut significet Joannem esse Eliam, si velint attentè utriusque officium, et similitudinem considerare. Potiùs credo ideò ita locutum Christum, ut indicaret non esse verè Eliam, sed officio et effectu, quia quod Elias in secundo ejus adventu hominibus præsiturus est, hoc Joannes in primo præstabat; præstare autem nisi volentibus, recipientibusque non poterat. Ideò dicit, *si vultis recipere*, quasi dicat, si vultis recipere, erit vobis Elias, quia vos ad Deum convertit; si non vultis, non erit.

Ipse est Elias. Promiserat Deus se Eliam missurum, Malach. 4, 5, 6 : *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum*, quod de secundo Domini adventu intelligendum esse ex eodem loco perspicuum est. Itaque constantissima semper fuit Christianorum opinio Eliam ante diem judicii, qui terribilis et magnus appellatur,

Vers. 14. — Si benè accipitis quod dico, ipse est Elias qui venturus est, præcursoris officio; ut Elias secundum, sic Joannes primum Christi adventum prævertit, ipse

recipsà esse venturum, ut discimus ex Hippolyto, in libro de Consummat. mundi; ex Tertul., in lib. *de* Animâ; ex Origen., tract. 3 in Matth.; ex Ambrosio, aut alio, quisquis est, auctore Commentariorum in Epistolam ad Romanos, c. 4; ex Chrysotom., hom. 4 in 2 Epistol. ad Thess.; ex Augustino, libro 83. Quæst., q. 58, et tract. 4 in Joannem, et Hieronymo in 17 c. Matth.; ex Theodoreto, in Comment. in 4 c. Malach.; ex Gregorio, lib. 9 in Job, c. 4, et lib. 11, c. 9; et lib. 20, c. 25; et lib. 35, c. 10. Quod non ex illo tantùm Malachiæ : sed ex aliis quoque Scripturæ locis confirmatur, Matth. 17, 10, 11 : *Quid ergo scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primùm venire? At ille respondens ait eis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Idem Marc. 9, 11, 12. Eam quoque Judæorum opinionem fuisse, etsi fortassè, quando venturus esset, non intelligebant, et ex iisdem duobus locis, et ex Matth. c. 16, 14, et ex Marc. c. 6, 15, satis apparet. Dicit autem Christus Joannem esse Eliam, non quòd Elias esset; id enim Joannes ipse negârat, Joannis c. 1, 21, sed quòd in spiritu et virtute Eliæ venisset, ut angelus apud Lucam dixit, c. 1, 17. Ita nulla inter Christi et Joannis verba est repugnantia. August., tract. 4 in Joan., et Gregorius, hom. 7 in Evang.

Vers. 15. — Qui habet aures audiendi, audiat. Audire hoc loco significat intelligere et obedire, ut Lucæ 10, 16 : *Qui vos audit, me audit*, et Matth. 18, 15 : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, et Marc. 8, 18 : *Aures habentes non auditis.* Itaque indicat non omnes, qui habent aures habere aures audiendi, id est, dociles et obedientes, ut c. 13, 13 : *Videntes non vident, et audientes non audiunt*; et Isai. 6, 9 : *Audite audientes, et nolite intelligere.* Solet Christus hâc uti phrasi, cùm de re maximè seriâ, et quæ maximè auditores attingit, verba facit, ut attentionem et studium auditorum excitet, ut c. 13, 9, 43, et Marc. 4, 9, 23, et Luc. 8, 9. Ideò et hoc loco usus est, quia plurimùm auditorum intererat, quæ dixerat intelligere, legem et prophetas usque ad Joannem tantùm viguisse, postea regnum cœlorum vim pati, id est, nullum illis salutis remedium superesse, si in lege confidant, si Joannem, et quem Joanne indicabat, Christum non recepissent. Eodem fere sensu Chrysostomus, atque Euthymius exponunt.

Vers. 16. — Cui autem similem æstimabo generationem istam, istud hominum genus, Hebraismus הַדּוֹר הַזֶּה, quos, et quare his verbis Christus reprehendat apparet ex Lucâ, c. 7, 29, 30, 31 : *Et omnis populus audiens* (quæ de Joanne Baptistâ Christus paulò ante dixit) *et publicani justificaverunt Deum baptizati baptismo Joannis; Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei sprevérunt in semetipsos. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis hujus?* De Pharisæis ergo, et jurisperitis, id est, de scribis loquitur.

Vers. 15. — Donum intelligentiæ, qui docilis est.

Vers. 16. — Hoc ipsum egerunt Judæi, quod solent pueri. Joannes clamavit et Judæi non ut par erat, responderunt.

Similis est pueris. Quod nonnulli dicunt usitatum fuisse apud Judæos puerorum ludum, ut in duos divisi choros alii flerent, alii tibiis canerent, utrique cantitarent, illi : *Lamentavimus vobis, et non planxistis*; hi : *Cantavimus vobis, et non saltâstis*, quamvis Theophylactum in c. 7 Lucæ, et Lyranum hoc loco auctorem habeant, quia aut Hebræum, aut magis antiquum non habent, verisimile non videtur esse. Nec necesse est, ut ex re usitatâ Christus similitudinem sumpserit; satis est, ut ex re, quæ aut soleret, aut posset fieri. Aliquando enim non transferimus, sed fingimus similitudines : quemadmodùm si diceret, perinde scribæ et Pharisæi sese habent, atque si pueri ludentes in foro dicerent : *Lamentavimus vobis, et non planxistis.* Multò major est in similitudinis accommodatione difficultas. Videtur enim scribas et Pharisæos pueris, qui lamentati sunt, et cecinerunt, comparâsse, quique æqualibus suis dicunt : *Cecinimus vobis, et non saltâstis, lamentavimus, et non planxistis*; cùm illis potiùs comparare debuisse videatur, qui aliis canentibus saltare; lamentantibus plangere nolnerunt. Euthymius pueros Christum, et Joannem propter innocentiam vocari putat, quibus Judæi dicunt : *Cecinimus vobis, et non saltâstis; lamentavimus vobis, et non planxistis*, sensu menti Christi prorsùs contrario. Hieronymus, et cæteri omnes auctores Christum, et Joannem esse pueros, qui cecinerunt, et lamentati sunt; nam Christus ab hilari et communi hominum vitâ non abhorrens, canere; Joannes cilicio indutus, et in solitudine durissimam vitam agens lamentari videbatur. Paulò propiùs sensum videtur Hugo cardinalis attigisse; scribit enim non personas personis, sed negotium negotio; nec partes partibus, sed totum toti comparari : sensum enim esse, perinde se scribarum et Pharisæorum causam habere, atque si pueri dicant sodalibus suis : *Cecinimus vobis*, etc. Sic enim posse illis dici, Joannes vobis lamentatus est, et non planxistis; filius hominis cecinit, et non saltâstis. Hunc esse verum sensum vers. 19 magis probabimus. Nunc satis est, ut moneamus valdè esse usitatum, ut in parabolis non personæ personis, non partes partibus, sed totum negotium toti negotio comparetur, c. 13, 24 : *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro.* Non enim regnum cœlorum homini, sed potiùs semini aut agro simile est. Itaque sensus est : Idem accidit in regno cœlorum, atque si quis seminâsset bonum semen in agro suo; et ibidem vers. 45 : *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.* Non enim homini, sed potiùs margaritæ simile est; et idem accidit in regno cœlorum, atque si quis quærat bonas

Vers. 17. — Judæis exprobrat quòd Joannem rejecerint propter severioris vitæ genus; ac similitudinem affert puerorum qui in duos distributi choros alii aliis exprobrant quòd præ morositate suâ neque cantus lugubres, seu nœnias occinere nolnerint, neque ad tibiæ sonum saltare. Sic Pharisæi plerique nec Christum ob communis vitæ institutum, nec Joannem propter austerioris vitæ rationem audire voluerunt. Similes morosis pueris quibus nulla placet cantilena, seu læta, seu tristis.

margaritas; inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ vendat omnia quæ habeat, et emat eam. Sexcenta sunt exempla generis ejusdem. Itaque frustra laborat, qui anxiè quærit quomodò personæ personis, partes partibus respondeant. Totam sententiæ corpus intuendum est, et integrum ex integrâ parabolâ trahendum, ne in partes divisum pereat atque dissolvatur.

Vers. 18. — Neque manducans. Non manducâsse dicitur, aut quia nemo eum manducare viderat; aut quia parcè admodùm et leviter manducâbat; aut quia non more aliorum hominum, sed ferarum potiùs cibis vivebat.

Dæmonium habet. Nihil uspiam alibi legimus adversùs Joannem à Judæis dictum esse, sed et ex hoc loco manifestum est à nonnullis pro dæmoniaco habitum fuisse; quemadmodùm nunc, qui arctiùs vitæ institutum sectantur, non solùm ab hæreticis, sed à plerisque etiam Catholicis pro stultis haberi solent; et experientia docet insignem virtutem invidiâ et obtrectatione carere non posse.

Vers. 19. — Venit filius hominis. Cur Christus filius hominis appelletur, diximus c. 8, 20.

Et justificata est sapientia a filiis suis. Difficilis locus. Consistit autem tribus in rebus difficultas : primùm, quid vocetur sapientia; deindè qui filii sapientiæ appellentur; postremò quid sit justificari. Alii Christum ipsum, alii divinam providentiam sapientiam vocari dicunt. Filios autem sapientiæ alii Christum, et Joannem; alii Judæos qui eos receperunt; alii eos qui non receperunt, appellari. Alii filios sapientiæ vocari negant, dicentes relativum αὐτῆς, non ad sapientiam, sed ad γενεάν, generationem, referendum, ut sit sensus : *Justificata est sapientia à filiis* ejus, id est, generationis hujus. Sed isti, ut apparet, Græca sciebant, Hebraica nesciebant; intellexissent enim hebraismum esse, quo sapientes filii sapientiæ appellantur. Justificari autem alii pro laudari, alii pro liberari, alii pro justam apparere positum putant. Itaque nonnulli sic exponunt, *justificata est*, id est, liberata ab omni calumniâ, et accusationis justâ causâ, *sapientia*, id est, divina providentia, *à filiis suis*, id est, à me, et à Joanne, qui filii sapientiæ, id est, sapientes sumus; liberata autem est, quis effecimus quidquid diversis modis fieri poterat, ut homines ego canendo, ille lamentando ad salutem adduceremus; ita ut nemo possit divinam erga homines sapientiam, providentiamque desiderare. Huic interpretationi repugnat, quod Lucas dicit c. 7, 35, *ab omnibus filiis suis*, quod de solis Christo et Joanne dici non potuit. Alii *justificata est*, id est, cognita, laudata, et pro ju-

Vers. 19. — Sed divinæ sapientiæ, et consiliorum erga Judæos ratio declarata et approbata fuit ab apostolis, et ab iis omnibus qui crediderunt : tametsi pars major divinum hoc beneficium rejecit. Quod utique et civitatibus exprobrat, quæ post tot prodigia à se visa, nec crediderunt, neque egerunt pœnitentiam. Particula ex, videtur disjunctiva potiùs, quàm copulativa : ita ut vim habeat particulæ, *sed*. Mox idem exprobrat urbi Corozaim quæ in lacûs Genezareth ingressu sita erat ultra Jordanem, è regione Capharnaum, ut Bethsaida citra Jordanem.

stâ habita divina erga homines *sapientia à filiis suis*, id est, ab iis qui verè sapientes erant, eamque amplexi sunt. Ita Hieronym., Beda et Euthymius. Alii *justificata*, id est, libera est, sicut qui morituus est, justificatus est à peccato, id est, liberatus, ita ut jam peccare non possit, Rom. 6, 7, *sapientia*, divina providentia, *à filiis suis*, à scribis et Pharisæis, qui filii sapientiæ, id est, sapientes appellantur, non quòd sint, sed quòd sibi esse videantur; aut quòd esse debeant sapientes, ut infra, vers. 25, ita ut non habeant, quòd divinam providentiam accusare possint. Sic Chrysost. Ego sapientiam, ut Chrysost., Hieronym., Beda, et Euthym., divinam providentiam vocari arbitror; illos autem sapientiæ omnes Judæos, et eos qui sapientiam receperunt, et eos qui rejecerunt, non quòd sapientes aut essent, aut esse deberent, aut esse sibi viderentur, sed quòd essent quasi pueri et discipuli divinæ providentiæ, quæ Judæos peculiariter, tanquàm proprios filios, gubernabat; propterea enim in pueris, non in viris similitudinem proposuit. Justificatam autem esse ab utrisque et bonis et malis, id est, justam declaratam, dùm canente Christo, et lamentante Joanne alii saltaverunt, id est, Christum, alii planxerunt, id est, Joannem secuti sunt, alii autem neque plangere, neque saltare voluerunt; ii enim qui saltârunt, Christi exemplum secuti dicere possunt scribis et Pharisæis: *Cecinimus vobis, et non saltastis*; nam et illi canere dicuntur, quia canentem Christum imitati sunt, et aliis Judæis, ut saltarent, exemplum præbuerunt. Qui verò secuti sunt Joannem, lamentati cum illo sunt, et scribas ac Pharisæos exemplo, ut idem facerent, provocârunt; sed plangere noluerunt; solus autem Christus et Joannes nominantur, quia ambo, ille canentium, hic lamentantium duces erant. Utrique ergo, et qui crediderunt, et qui non crediderunt, divinam sapientiam justificârunt; illi eam amplectendo, hi quia illis eam amplectentibus repudiârunt; nam dùm nec Christi cantui, nec Joannis lamentationi credere voluerunt, satis ostenderunt se nullo modo velle credere, et per se, non per divinam stare sapientiam, quominùs converterentur. Ut ita exponam, movet me primùm sententia quæ hoc modo plenior, grandior et Christi majestate dignior est, ut ipsimet filii sapientiæ eam justificarent, sive recipiant, sive non recipiant. Itaque præpositionem ἀπὸ, *à*, contra multorum opinionem personam agentem, non materiam, significare arbitror. Infinitis enim locis pro ὑπὸ poni solere nemo mediocriter in linguâ Græcâ versatus ignorare potest. Deinde conjunctio καὶ, *et*, quæ hanc videtur habere vim, ut significet ipsosmet filios sapientiæ, id est, discipulos magistram alios discendo, alios non discendo justificâsse. Certè illam interpretationem quorumdam admittere hæc particula non potest, qui exponunt sapientiam à filiis suis, id est, ab iis tantùm qui eam receperunt, justificatam. Non enim dixisset καὶ, *et*, sed, ἀλλὰ, *verùmtamen*. Nam etsi scio aliquando καὶ pro ἀλλὰ, ut ו Hebraicè poni solere; tamen hoc loco id prorsùs violentum videtur, ubi omnia nos verba in naturalem ducunt significationem.

Vers. 20. — Tunc. Cùm discipulos ad prædicandum mitteret Evangelium, ut constat ex Lucâ, c. 10, 15. Inde enim videtur occasionem sumpsisse ea quæ sequuntur dicendi, quòd Apostolos ideò ad remotas mitteret civitates, quia Corozain, Bethsaida et Capernaum, in quibus diù non discipuli, sed magister ipse Christus prædicaverat, Evangelium recipere noluissent.

Vers. 21. — Væ tibi, Corozain. Corozain, Bethsaida et Capernaum Galilææ civitates erant prope lacum Genesareth, in quibus frequentissimè Christus cum suis discipulis Evangelium prædicans, et miracula faciens versabatur. Ideò illis exprobrat incredulitatem.

Si in Tyro et Sidone. Tribus de causis has duas civitates duabus illis opponit, primùm quòd gentiles essent; deinde quòd vicinæ; postremò quòd idololatræ, deliciis, avaritiâ et omni vitiorum genere corruptissimæ, ut prophetæ Isaias et Ezechiel sæpè testantur, Isai. 23, 1; Ezechiel. 26, 2; 27, 3, et 28, 2, 12; Amos, 1, 9.

Olim. Jamdiù, non expectâssent tamdiù quàm vos, non tot exhortationes, non tot miracula desiderâssent.

In cilicio et cinere, id est, maximam egissent pœnitentiam. Ille enim gravissimæ pœnitentiæ habitus erat, Isai. 58, 5; Jerem. 6, 26, et 25, 34; Thren. 2, 10; Daniel. 9, 3. Quem ritum gentiles quoque imitatos fuisse constat ex Jonâ, c. 3, 6. Quæstionem de prædestinatione, quam hoc loco nonnulli excitant, idcircò prætermitto, quia et major est quàm ut in commentarios includi possit, et ad hujus loci explicationem non necessaria. Tantùm dico, quod nonnulli ex hoc loco collegerunt, Deum ideò multis gratiam ad salutem necessariam non dare, quòd prædestinati non sint, meo judicio colligi non posse. Nec enim hîc de necessariâ gratiâ, sed de superabundante, id est, de miraculorum magnitudine multitudineque agebatur. Deinde quia gentiles, non Judæi erant, qui poterant servatâ lege naturæ omnium confessione salvi esse; lex autem naturæ sanis illis erat ab ipsâ naturâ prædicata. Postremò quia scribæ et Pharisæi, quorum Christus incredulitatem reprehendit, aut ou es, aut magnâ ex parte reprobati erant, et tamen illis Evangelium prædicatum, tamen illis multa magnaque miracula facta; non ergo Tyriis et Sidoniis ideò non prædicatum Evangelium, ideò non facta miracula, quòd prædestinati non essent. Cur ergo Christus, qui

Vers. 21. — In cilicio et cinere pœnitentiam egissent, non sine speciali Dei auxilio, quod daturus iis fuisset. Alii id populariter intelligendum volunt, adeò ut dixerit Dominus quod humano judicio omninò erat probabile futurum fuisse: sed Judæos arguit ob duritiem cordis, quæ in iis major erat quàm in Tyriis, et Sidoniis. Hæc durities erat omninò voluntaria; pravam vivendi rationem harum civitatum insinuat simplici illâ comparatione cum Tyriis et Sidoniis.

eos crediturос sciebat illis non prædicavit? in promptu est ratio; non erat missus nisi ad oves quæ perierant domûs Israel. Cujus rationis ratio etiam constat, quia cum Abrahamo pactum propter ejus singularem fidem inierat; et debuit fidem suam liberare. Postea et Tyriis, et Sydoniis, sicut aliis omnibus gentibus, prædicatum est, et quicumque voluêre, crediderunt.

Vers. 23. — Et tu, Capharnaum. Nominat separatim, et ultimo loco, et per apostrophem Capharnaum, quia in eâ frequentior fuerat, adeò ut propter assiduam in eâ commorationem ejus patria vocaretur, c. 9, 1, et quia cùm major esset atque maritima, credibile est pluribus vitiis abundâsse; ut maritimæ, frequentesque civitates abundare solent.

Numquid usque in cœlum exaltaberis? ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ, quæ usque ad cœlum exaltata es, ut Luc. 10, 15, in eâdem sententiâ legitur, et ut legunt Chrysost., Euth., et Theophyl., et Hier. admonet se in nonnullis legisse codicibus. Sensus non est diversus, sed est magis perspicuus. Noster verò interpres videtur pro ἕως legisse ἕως, et pro ὑψωθήσῃ, ὑψωθήσῃ.

Usque ad infernum descendes, ἕως τοῦ ᾅδου καταβήσῃ, deprimeris, non enim sponte descendet, sed vi detrudetur. Solet Deus hâc phrasi superbis ac gloriosis civitatibus interitum comminari, quia semper illud verum est: *Qui se exaltaverit, humiliabitur*, c. 23, 12; Jerem. 49, 16: *Arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, et apprehendere niteris altitudinem cœli. Cùm exaltaveris, quasi aquila, nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*, Abdiæ 1, 4. Christus autem hoc loco non de urbis excidio, sed de æternâ civium damnatione loquitur; quod non de omnibus, sed de pluribus aut de præcipuis, quales erant scribæ et Pharisæi, est intelligendum.

Si in Sodomis. Sodoma proponit, quia corruptissima fuerant, et singulari excidio nobilissima, ut supra, c. 10, 15, et Ezechiel. 16, 46, 48, 49.

Forte mansissent. *Fortè* hoc loco non est dubitantis, sed affirmantis ὅτι, ut supra, vers. 21, quod idem interpres videns non significare dubitationem, vertendum non putavit.

Vers. 24. — Terræ Sodomorum. Vide quæ diximus c. 10, 15.

Vers. 25. — In illo tempore. Postquàm discipuli ad prædicandum missi redierunt, ut apparet Luc. 10, 21, ex eorum enim gaudio et gloriatione, quòd in nomine Christi etiam dæmonia sibi subjicerentur, benèque omnia successissent, occasionem Christus accepit dicendi quæ sequuntur, ut notavit auctor Imperf., hom. 28.

Respondens, orsus, Hebraismus. Apud Hebræos *respondere* non solùm significat interrogantibus, aut priùs locutis reddere responsum, sed sæpè etiam exordiri loqui, ut Euthymius, tametsi auctor minimè Hebræus, observavit. Quanquàm sunt, qui hoc loco suam proprietatem retinere putent, significareque responsum quod Christus gloriantibus apostolis reddidit. Sed Lucas, c. 10, 21, post responsum Christi ponit, et apertè ab illo distinguit.

Confiteor, gratias ago, laudo te, alter hebraismus יהוה, quod et confiteri, et gratias agere, et laudare significat. Quod in Psalmis passim occurrit, Psal. 6, 6, et 7, 18, et 9, 2, et 17, 50. Id Hieron., Chrys., hom. 59, August., q. 9 in Matth., Beda, Theophylact., Euthym., et nemo non adnotavit.

Tibi, Pater, Domine cœli et terræ. Observârunt adversùs Arianos Athanasius in Epistolâ ad Marcum Rom. pontif., et Cyrillus, lib. 5 Thesauri, c. 5, interpunctionem inter nomen Patris, et Domini à Christo studiosè et significanter adhibitam, ne Deum non solùm patrem, sed etiam Dominum suum vocare videretur. Patrem enim non cœli ac terræ, sed suum, dominum verò non suum, sed cœli appellat et terræ.

Quia abscondisti hæc. Quæ? mysteria regni cœlestis, quæ et ipso, et Apostolis prædicantibus, et miracula facientibus parvuli perceperunt, sapientes rejecerunt.

A sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Quidam sapientes Judæos legis ornatos scientiâ, parvulos gentiles intelligunt, quia Dei legisque non habebant cognitionem, ut auctor Imperf. et Theophyl., sed nondùm erat gentibus Evangelium prædicatum. Meliùs Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius et Beda sapientes scribas et Pharisæos, et eorum similes, parvulos apostolos intelligunt. Quanquàm mihi non videtur tam parvulos apostolos quàm qui illis Christoque prædicantibus credidêrant appellare; de fructu enim prædicationis, ut ex Lucâ constat, agebatur. Illos sapientes vocat, non quòd essent, sed quòd esse deberent, aut quòd esse sibi viderentur, ut ait Hilarius; vel quòd sapientes revera essent, non tamen secundùm spiritum, sed secundùm carnem, ut Chrysost. Ea enim sapientia *stultitia est apud Deum*, 1 Cor. 3, 19, ea *legi Dei non est subjecta*, Rom. 8, 7. Ejusmodi sapientes non crediderunt; *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, 1 Cor. 1, 26. Quare *si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sapiens sit*, 3, 18. Eos autem qui crediderunt νήπιους infantes parvulos vocat, quia *malitiâ parvuli* erant, ut ait D. Paulus, 1 Cor. 14, 20, *et sicut modò geniti infantes*, 1 Petri 2, 2. Mirum videri potest quam ob rem Christus gratias Patri agat, quòd Evangelium à sapientibus absconderit, quasi ob eorum damnationem gratuletur. Respondet Chrysost. Christum non agere gratias, quòd sapientibus absconderit; sed quòd cum illis absconderit, parvulis revelârit, vox est, inquiunt nonnulli, potentialis, manere potuissent; sed ea potiùs videtur, ut loquuntur grammatici, expletiva, *utique* et *sine dubio* significat. Existimat R. Simo non aliud quàm summam Judæorum improbitatem usitati sermonis more hoc in loco exprimi.

laverit. At abscondit certè; non propriè dicitur abscondisse. Nec enim abscondit propriè, qui ideò filium suum misit, ut evangelium illis, sicut et cæteris omnibus Judæis, revelaret : sed abscondisse dicitur, quia nolentibus recipere retraxit, quia noluit vi intrudere, quia noluit indignis dare, ut Chrysost. et Theophylact. docent. Denique ita illis pater Evangelium abscondit, sicut eos filius excæcavit, Joan. 9, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant.*

Vers. 26. — Ita, pater; ναί, ὁ πατήρ, ita, pater; quod Hieron. hoc sensu interpretatur, quasi Christus dicere voluerit : Macte, pater, perge ita facere, quemadmodùm cœpisti. Alii, *ita, pater*, factum est, *quia sic placitum fuit ante te*, quasi non alia ejus rei, quam Dei voluntas, quâ eos reprobaverat, causa reddatur, ut, qui nullam, præter Dei voluntatem, reprobationis causam esse volunt. In quo errore omnes nostri temporis hæretici pertinacissimè versantur. Sed quomodò et quam ob causam Deus illis absconderit, versu superiore exposuimus. Ego igitur sic interpretor : *Ita, pater*, supple, *confiteor*, ex superiore oratione, quasi dicat, etiam atque etiam, pater, gratias tibi ago, quòd sic facere volueris, ut cùm sapientes Evangelium recipere noluerint, parvulis non sis dedignatus revelare. Solet enim Christus hâc phrasi, quod ante dixerat, repetere, et magis ac magis confirmare, sicut cùm Latini dicunt, etiam atque etiam; aut enimverò, ut Lucæ 12, 5 : *Ostendam autem vobis, quem timeatis : timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.*

Quoniam sic fuit placitum ante te. Hebraismus, quia ita tibi visum est.

Vers. 27. — Omnia mihi tradita sunt. Quâ ratione hæc cum superioribus hæreant, facilè non apparet. Plerique veterès interpretes putant ideò hæc dixisse Christum, ne paulò ante tanquàm minor gratias patri egisse videretur, ut Hilarius, Athanasius in orat. de Æternâ substantiâ Filii et Spiritûs sancti cum Deo, contra Sabellii gregales, Chrysost., Euthym. et Theophylactus hoc loco. Potiùs credo ideò dixisse, ut rationem redderet eorum, quæ vers. 28, 29, 30, dicturus erat, *venite ad me*. Itaque non sunt cum præcedentibus; sed cum sequentibus copulanda.

Omnia. Hieronymus, et Beda *omnia* interpretantur omnes homines, qui veniunt ad patrem, ut Joan. 6, 39 : *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*; et c. 18, 9 : *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Hilarius verò et Euthym. illa, quæ sola nota sunt patri, quæque ad naturam divinam pertinent, ut Joan. 16, 15 : *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Irenæus verò, lib. 4, c. 37, et Tertul. in 4 lib. contra Marc., omnia, quæ per ipsum facta sunt, interpretantur. Auctor Imperfecti omnia regna cœlestium, terrestrium, et infernorum. Chrysostomus, omnis potestas miracula faciendi. Quæ omnia vera quidem sunt, sed non videntur ad hunc locum aptè hærere. Itaque malim per *omnia* omnem potestatem gubernandi, servandique homines intelligere, ut infra, c. 28, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ.* Invitat enim homines, ut ad se veniant, quia potestatem habet servandi eos, *venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Potest quæri quâ ratione loquatur Christus, ut Deus ne? an homo? Theophylactus, et, ut videtur, etiam Hilarius, et Euthym., ut Deum loqui putant; sed tantùm significare se unà cum naturâ divinâ omnia à patre accepisse; quemadmodùm si pulchri patris pariter pulcher dicat filius se omnem pulchritudinem à patre suo habuisse; nec enim propterea minorem se illo esse significabit. Itaque nihil Ariani ex hoc loco contra Christi divinitatem argumentari possunt. Fuisse enim solitos objicere Cyrillus, lib. 10 Thesaur., c. 10, auctor est. Auctor verò Imperfecti, ut hominem loqui dicit, quòd cum superiore nostrâ interpretatione magis convenit : nam, ut homo, hominum caput est. Quanquàm verba illa apud auctorem Operis Imperfecti adjecta ab aliquo fuisse suspicor, ut ejus errorem emendaret. Sæpè enim animadverti omnes ferè locos, ubi auctor ille de Christi divinitate agit, simili ratione esse vitiatos.

Et nemo novit Filium, nisi Pater. Chrysost. valdè probo sententiam, qui ἐκ τοῦ κοινοῦ ex membro sequenti intelligendum putat, *aut, cui voluerit pater revelare*, ut c. 16, 17 : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est*, et Joan. 6, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Alioquin hæc verba frustra addita esse viderentur. Nunc autem ideò addita esse apparet, ne quis miretur, si scribæ et Pharisæi Evangelio non credant; non enim possunt filium cognoscere, nisi pater, qui solus eum novit, revelaverit; nec ad eum venire, nisi Pater eos traxerit. Trahit autem volentes, non trahit, qui nolunt. Quod autem dicit neminem filium nôsse, nisi patrem; et patrem neminem, nisi filium; non de naturâ solùm divinâ, sed etiam de Patris consiliis, et filii officiis intelligendum esse videtur. Nemo enim novit Patris consilia, quâ ratione velit homines servare, nisi filius; et nemo novit filii officium, cujus causâ in hunc mundum venit, nisi pater. Hic enim sensus ad id, quod agitur, magis est accommodatus, *venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Vers. 28. — Qui laboratis; οἱ κοπιῶντες, qui lassi, qui fatigati estis. Quare? peccatis degravati, ut Chrysost., Hieronym., August., serm. 41 de Verbis Domini secundùm Matth. et Euthym. interpretantur. privæ cogitationi respondent. Parvulis, humilibus.

Vers. 27. — Nemo, novit Filium, nisi Pater. Non excluditur Spiritus sanctus, sed excluditur tantùm quidquid est naturâ diversum. Hæc dicit rationem reddens eorum quæ mox dicturus est.

Lassati, inquit ille, *summa in viâ iniquitatis*, Sap. 5, 7; et : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me*, Ps. 37, 5. Alii ad grave legis jugum putant alludere, in quibus Hilarius est, et Theophylactus, quasi jugo legis Evangelicum jugum opponatur. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Quod mihi non displicet, modò peccata non excludantur, quæ lex aggravabat potiùs quàm allevabat. Eò enim videtur inprimis spectâsse Christus.

Vers. 29. — Tollite jugum meum, Evangelium, Hilar. et Beda.

Et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Omnes ferè auctores ita interpretati sunt, ut sensus sit, discite meo exemplo mites, et humiles esse, ut Chrysost., hom. 39, et Augustinus, serm. 10, de Verbis Domini secundùm Matth., cujus illa est à concionatoribus decantata sententia : *Discite à me non miracula facere, non omnia visibilia, et invisibilia creare, sed quoniam mitis sum et humilis corde.* Vera omninò sententia; non propria tamen interpretatio. Vult enim probare Christus jugum suum suave esse, et onus suum leve. Itaque verus mihi videtur esse sensus, quem auctor Imperfecti animadvertit, *discite à me*, id est, sublato jugo meo experimini me mitem esse, et humilem corde. Invitat enim, ut ad se veniant, quòd non tyrannus, sed benignus, et mansuetus Dominus sit; nec vult sibi credere, sed sublato jugo experiri.

Vers. 30. — Jugum enim meum suave est. Χρηστὸς lene, vocat jugum epitheto moribus suis accommodato; χρηστὸς enim, bonus, probus, benignus, suavis, non tam ad res quàm ad personas, et mores pertinet; quasi dicat : Jugum meum non est jugum hominis crudelis, quale solent hujus mundi reges suis populis imponere, sed benigni, suavis, et elementis Patris. Excitat in Commentariis hujus loci quæstionem Hieronymus, quo modo Evangelium jugum suave, et onus leve esse dicat, cùm multò gravius quàm legale esse videatur. In lege homicidium, in Evangelio verbum *raca;* in lege adulterium, in Evangelio mulieris ad concupiscendum aspectus hominem damnat, c. 5, 22, 28. Respondeo quatuor de causis dici levius. Prima est, quòd in Evangelio non sint, nisi necessaria ad salutem præcepta, quæ natura ipsa docet, quæque uno verbo continentur; *omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, c. 7, 12, ut hoc loco docet Hilarius. In lege autem Mosis infinita erat præceptorum multitudo, quæ non ideò data fuerant, quòd ad salutem naturâ suâ essent necessaria, sed ut severiore disciplinâ rudem populum exercerent. Quò spectavit Petrus, Act. 15, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Secunda, quòd sublata supplicia illa gravissima, quæ lex comminabantur, Exod. 21, 24 : *Dentem pro dente, oculum pro oculo. Lex enim iram operabatur*, Rom. 4, 15; spiritus legis spiritus erat timoris et servitutis, Rom. 8, 15 : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Spiritus Evangelii spiritus est charitatis, benignitatis et mansuetudinis. Itaque volentes aliquando discipulos ignem de cœlo devocare, ut Samaritanos, qui Christum recipere noluerant, absumeret; *nescitis*, inquit, *cujus spiritûs estis*, Luc. 9, 55. Tertia, quia in lege omnia vi fiebant, quæ res levissimas gravissimas reddit; in Evangelio omnia charitate et voluntate fiunt, et nihil grave ac difficile volenti. *Hæc*, inquit Joannes, *est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt, quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*, 1 Joan. 5, 3, 4, quam rationem Hieronymus reddit. Quarta, quia lex onerabat, non juvabat; in Evangelio autem unà cum onere spiritus datur, qui adjuvat infirmitatem nostram, ut August. respondet, serm. 9 de Verbis Domini secundùm Matthæum.

Vers. 30. — Jugum enim meum suave est, et onus meum leve, quod unctio gratiæ sublevat, et amore ipso sustinetur. Sed mitis et humilis corde is esse debet, qui ad Christum vult pertinere.

CAPUT XII.

1. In illo tempore, abiit Jesus per sata sabbato : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare.

2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

3. At ille dixit : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant :

4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis medit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?

6. Dico autem vobis, quia templo major est hic.

7. Si autem sciretis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquàm condemnâssetis innocentes.

8. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.

CHAPITRE XII.

1. En ce temps-là Jésus passait le long des blés un jour de sabbat; et ses disciples ayant faim se mirent à arracher les épis et à en manger.

2. Or les pharisiens voyant cela lui dirent : Voilà que vos disciples font ce qu'il n'est point permis de faire aux jours du sabbat.

3. Mais il leur dit : N'avez-vous point lu ce que fit David lorsque lui et ceux qui l'accompagnaient furent pressés par la faim;

4. Comment il entra dans la maison de Dieu, et mangea des pains de proposition, qu'il n'était permis de manger, ni à lui, ni à ceux qui étaient avec lui, mais aux prêtres seuls?

5. Ou n'avez-vous point lu dans la loi que les prêtres, aux jours du sabbat, violent le sabbat dans le temple, et néanmoins ne sont pas coupables?

6. Or je vous déclare que celui qui est ici est plus grand que le temple.

7. Si vous saviez bien ce que veut dire : Je veux la miséricorde et non le sacrifice, vous n'auriez jamais condamné les innocents.

8. Car le Fils de l'homme est maître du sabbat même.

laverit. At abscondit certè; non propriè dicitur abscondisse. Nec enim abscondit propriè, qui ideò filium suum misit, ut evangelium illis, sicut et cæteris omnibus Judæis, revelaret : sed abscondisse dicitur, quia nolentibus recipere retraxit, quia noluit vi intrudere, quia noluit indignis dare, ut Chrysost. et Theophylact. docent. Denique ita illis pater Evangelium abscondit, sicut eos filius excæcavit, Joan. 9, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant.*

Vers. 26. — Ita, pater; ναί, ὁ πατήρ, ita, pater; quod Hieron. hoc sensu interpretatur, quasi Christus dicere voluerit : Macte, pater, perge ita facere, quemadmodùm cœpisti. Alii, *ita, pater*, factum est, *quia sic placitum fuit ante te*, quasi non alia ejus rei, quam Dei voluntas, quâ eos reprobaverat, causa reddatur, ut, qui nullam, præter Dei voluntatem, reprobationis causam esse volunt. In quo errore omnes nostri temporis hæretici pertinacissimè versantur. Sed quomodò et quam ob causam Deus illis absconderit, versu superiore exposuimus. Ego igitur sic interpretor : *Ita, pater*, supple, *confiteor*, ex superiore oratione, quasi dicat, etiam atque etiam, pater, gratias tibi ago, quòd sic facere volueris, ut cùm sapientes Evangelium recipere noluerint, parvulis non sis dedignatus revelare. Solet enim Christus hâc phrasi, quod ante dixerat, repetere, et magis ac magis confirmare, sicut cùm Latini dicunt, etiam atque etiam; aut enimverò, ut Lucæ 12, 5 : *Ostendam autem vobis, quem timeatis : timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.*

Quoniam sic fuit placitum ante te. Hebraismus, quia ita tibi visum est.

Vers. 27. — Omnia mihi tradita sunt. Quâ ratione hæc cum superioribus hæreant, facilè non apparet. Plerique veterès interpretes putant ideò hæc dixisse Christum, ne paulò ante tanquàm minor gratias patri egisse videretur, ut Hilarius, Athanasius in orat. de Æternâ substantiâ Filii et Spiritûs sancti cum Deo, contra Sabellii gregales, Chrysost., Euthym. et Theophylactus hoc loco. Potiùs credo ideò dixisse, ut rationem redderet eorum, quæ vers. 28, 29, 30, dicturus erat, *venite ad me*. Itaque non sunt cum præcedentibus; sed cum sequentibus copulanda.

Omnia. Hieronymus, et Beda *omnia* interpretantur omnes homines, qui veniunt ad patrem, ut Joan. 6, 39 : *Hæc est voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo*; et c. 18, 9 : *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Hilarius verò et Euthym. illa, quæ sola nota sunt patri, quæque ad naturam divinam pertinent, ut Joan. 16, 15 : *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Irenæus verò, lib. 4, c. 37, et Tertul. in 4 lib. contra Marc., omnia, quæ per ipsum facta sunt, interpretantur. Auctor Imperfecti omnia regna cœlestium, terrestrium, et infernorum. Chrysostomus, omnis potestas miracula faciendi. Quæ omnia vera quidem sunt, sed non videntur ad hunc locum aptè hærere. Itaque malim per *omnia* omnem potestatem gubernandi, servandique homines intelligere, ut infra, c. 28, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terrâ.* Invitat enim homines, ut ad se veniant, quia potestatem habet servandi eos, *venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Potest quæri quâ ratione loquatur Christus, ut Deus ne? an homo? Theophylactus, et, ut videtur, etiam Hilarius, et Euthym., ut Deum loqui putant; sed tantùm significare se unà cum naturâ divinâ omnia à patre accepisse; quemadmodùm si pulchri patris pariter pulcher dicat filius se omnem pulchritudinem à patre suo habuisse; nec enim propterea minorem se illo esse significabit. Itaque nihil Ariani ex hoc loco contra Christi divinitatem argumentari possunt. Fuisse enim solitos objicere Cyrillus, lib. 10 Thesaur., c. 10, auctor est. Auctor verò Imperfecti, ut hominem loqui dicit, quòd cum superiore nostrâ interpretatione magis convenit : nam, ut homo, hominum caput est. Quanquàm verba illa apud auctorem Operis Imperfecti adjecta ab aliquo fuisse suspicor, ut ejus errorem emendaret. Sæpè enim animadverti omnes ferè locos, ubi auctor ille de Christi divinitate agit, simili ratione esse vitiatos.

Et nemo novit Filium, nisi Pater. Chrysost. valdè probo sententiam, qui ἐκ τοῦ κοινοῦ ex membro sequenti intelligendum putat, *aut, cui voluerit pater revelare*, ut c. 16, 17 : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus, qui in cœlis est*, et Joan. 6, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.* Alioquin hæc verba frustra addita esse viderentur. Nunc autem ideò addita esse apparet, ne quis miretur, si scribæ et Pharisæi Evangelio non credant; non enim possunt filium cognoscere, nisi pater, qui solus eum novit, revelaverit; nec ad eum venire, nisi Pater eos traxerit. Trahit autem volentes, non trahit, qui nolunt. Quod autem dicit neminem filium nôsse, nisi patrem; et patrem neminem, nisi filium; non de naturâ solùm divinâ, sed etiam de Patris consiliis, et filii officiis intelligendum esse videtur. Nemo enim novit Patris consilia, quâ ratione velit homines servare, nisi filius; et nemo novit filii officium, cujus causâ in hunc mundum venit, nisi pater. Hic enim sensus ad id, quod agitur, magis est accommodatus, *venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

Vers. 28. — Qui laboratis; οἱ κοπιῶντες, qui lassi, qui fatigati estis. Quare? peccatis degravati, ut Chrysost., Hieronym., August., serm. 41 de Verbis Domini secundùm Matth. et Euthym. interpretantur. privæ cogitationi respondent. Parvulis, humilibus.

Vers. 27. — Nemo, novit Filium, nisi Pater. Non excluditur Spiritus sanctus, sed excluditur tantùm quidquid est naturâ diversum. Hæc dicit rationem reddens eorum quæ mox dicturus est.

Lassati, inquit ille, *summa in viâ iniquitatis*, Sap. 5, 7; et : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me*, Ps. 37, 5. Alii ad grave legis jugum putant alludere, in quibus Hilarius est, et Theophylactus, quasi jugo legis Evangelicum jugum opponatur. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Quod mihi non displicet, modò peccata non excludantur, quæ lex aggravabat potiùs quàm allevabat. Eò enim videtur inprimis spectâsse Christus.

Vers. 29. — Tollite jugum meum, Evangelium, Hilar. et Beda.

Et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Omnes ferè auctores ita interpretati sunt, ut sensus sit, discite meo exemplo mites, et humiles esse, ut Chrysost., hom. 39, et Augustinus, serm. 10, de Verbis Domini secundùm Matth., cujus illa est à concionatoribus decantata sententia : *Discite à me non miracula facere, non omnia visibilia, et invisibilia creare, sed quoniam mitis sum et humilis corde.* Vera omninò sententia; non propria tamen interpretatio. Vult enim probare Christus jugum suum suave esse, et onus suum leve. Itaque verus mihi videtur esse sensus, quem auctor Imperfecti animadvertit, *discite à me*, id est, sublato jugo meo experimini me mitem esse, et humilem corde. Invitat enim, ut ad se veniant, quòd non tyrannus, sed benignus, et mansuetus Dominus sit; nec vult sibi credere, sed sublato jugo experiri.

Vers. 30. — Jugum enim meum suave est. Χρηστὸς lene, vocat jugum epitheto moribus suis accommodato; χρηστὸς enim, bonus, probus, benignus, suavis, non tam ad res quàm ad personas, et mores pertinet; quasi dicat : Jugum meum non est jugum hominis crudelis, quale solent hujus mundi reges suis populis imponere, sed benigni, suavis, et elementis Patris. Excitat in Commentariis hujus loci quæstionem Hieronymus, quo modo Evangelium jugum suave, et onus leve esse dicat, cùm multò gravius quàm legale esse videatur. In lege homicidium, in Evangelio verbum *raca;* in lege adulterium, in Evangelio mulieris ad concupiscendum aspectus hominem damnat, c. 5, 22, 28. Respondeo quatuor de causis dici levius. Prima est, quòd in Evangelio non sint, nisi necessaria ad salutem præcepta, quæ natura ipsa docet, quæque uno verbo continentur; *omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, c. 7, 12, ut hoc loco docet Hilarius. In lege autem Mosis infinita erat præceptorum multitudo, quæ non ideò data fuerant, quòd ad salutem naturâ suâ essent necessaria, sed ut severiore disciplinâ rudem populum exercerent. Quò spectavit Petrus, Act. 15, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Secunda, quòd sublata supplicia illa gravissima, quæ lex comminabantur, Exod. 21, 24 : *Dentem pro dente, oculum pro oculo. Lex enim iram operabatur*, Rom. 4, 15; spiritus legis spiritus erat timoris et servitutis, Rom. 8, 15 : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Spiritus Evangelii spiritus est charitatis, benignitatis et mansuetudinis. Itaque volentes aliquando discipulos ignem de cœlo devocare, ut Samaritanos, qui Christum recipere noluerant, absumeret; *nescitis*, inquit, *cujus spiritûs estis*, Luc. 9, 55. Tertia, quia in lege omnia vi fiebant, quæ res levissimas gravissimas reddit; in Evangelio omnia charitate et voluntate fiunt, et nihil grave ac difficile volenti. *Hæc*, inquit Joannes, *est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt, quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum*, 1 Joan. 5, 3, 4, quam rationem Hieronymus reddit. Quarta, quia lex onerabat, non juvabat; in Evangelio autem unà cum onere spiritus datur, qui adjuvat infirmitatem nostram, ut August. respondet, serm. 9 de Verbis Domini secundùm Matthæum.

Vers. 30. — Jugum enim meum suave est, et onus meum leve, quod unctio gratiæ sublevat, et amore ipso sustinetur. Sed mitis et humilis corde is esse debet, qui ad Christum vult pertinere.

CAPUT XII.

1. In illo tempore, abiit Jesus per sata sabbato : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare.

2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

3. At ille dixit : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant :

4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis medit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?

6. Dico autem vobis, quia templo major est hic.

7. Si autem sciretis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquàm condemnâssetis innocentes.

8. Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.

CHAPITRE XII.

1. En ce temps-là Jésus passait le long des blés un jour de sabbat; et ses disciples ayant faim se mirent à arracher les épis et à en manger.

2. Or les pharisiens voyant cela lui dirent : Voilà que vos disciples font ce qu'il n'est point permis de faire aux jours du sabbat.

3. Mais il leur dit : N'avez-vous point lu ce que fit David lorsque lui et ceux qui l'accompagnaient furent pressés par la faim;

4. Comment il entra dans la maison de Dieu, et mangea des pains de proposition, qu'il n'était permis de manger, ni à lui, ni à ceux qui étaient avec lui, mais aux prêtres seuls?

5. Ou n'avez-vous point lu dans la loi que les prêtres, aux jours du sabbat, violent le sabbat dans le temple, et néanmoins ne sont pas coupables?

6. Or je vous déclare que celui qui est ici est plus grand que le temple.

7. Si vous saviez bien ce que veut dire : Je veux la miséricorde et non le sacrifice, vous n'auriez jamais condamné les innocents.

8. Car le Fils de l'homme est maître du sabbat même.

9. Et cùm inde transisset, venit in synagogam eorum.

10. Et ecce homo manum habens aridam, et interrogabant eum dicentes : Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum.

11. Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam?

12. Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

13. Tunc ait homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.

14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversùs eum, quomodò perderent eum.

15. Jesus autem sciens, recessit inde : et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes :

16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent :

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem :

18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nuntiabit.

19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.

20. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium.

21. Et in nomine ejus gentes sperabunt.

22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus et mutus, et curavit eum, ita ut loqueretur et videret.

23. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David?

24. Pharisæi autem, audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.

26. Et si Satanas Satanam ejicit, adversùs se divisus est : quomodò ergo stabit regnum ejus?

27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideò ipsi judices vestri erunt.

28. Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

29. Aut quomodò potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet.

30. Qui non est mecum contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.

31. Ideò dico vobis : Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritûs autem blasphemia non remittetur.

32. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

9. Et étant parti de là il vint dans leur synagogue.

10. Et il se trouva là un homme qui avait une main desséchée. Sur quoi ils demandèrent à Jésus, pour l'accuser, s'il était permis de guérir aux jours du sabbat.

11. Il leur dit : Qui est celui d'entre vous qui, ayant une brebis qui vient à tomber dans une fosse le jour du sabbat, ne la prenne et ne l'en retire.

12. Or combien un homme n'est-il pas plus excellent qu'une brebis ! Il est donc permis de faire du bien les jours du sabbat.

13. Alors il dit à cet homme : Etendez votre main. Il l'étendit, et elle devint saine comme l'autre.

14. Les Pharisiens étant sortis tinrent conseil ensemble contre lui sur les moyens de le perdre.

15. Or Jésus, le sachant, se retira de ce lieu-là. Et une multitude de peuple l'ayant suivi, il les guérit tous,

16. Et lui commanda de ne le point découvrir.

17. Afin que cette parole du prophète Isaïe fût accomplie :

18. Voici mon serviteur que j'ai choisi, mon bien-aimé en qui j'ai mis toute mon affection ; je ferai reposer sur lui mon esprit, et il annoncera la justice aux nations.

19. Il ne disputera point, il ne criera point, et personne n'entendra sa voix dans les places publiques.

20. Il ne brisera point le roseau cassé, et n'éteindra point la mèche qui fume encore jusqu'à ce qu'il fasse triompher la justice.

21. Et les nations espéreront en son nom.

22. Alors on lui présenta un possédé aveugle et muet ; et il le guérit, en sorte qu'il commença de parler et de voir.

23. Tout le peuple en fut dans l'étonnement, et ils disaient : N'est-ce pas là le fils de David?

24. Mais les Pharisiens entendant cela, dirent : Cet homme ne chasse les démons que par Béelzébub, prince des démons.

25. Mais Jésus, connaissant leurs pensées, leur dit : Tout royaume divisé contre lui-même sera détruit, et toute ville ou maison qui est divisée contre elle-même ne pourra subsister.

26. Et si Satan chasse Satan, il est divisé contre lui-même : comment donc son royaume subsistera-t-il?

27. Et si c'est par Béelzébub que je chasse les démons, par qui vos enfants les chassent-ils? C'est pourquoi ils seront eux-mêmes vos juges.

28. Mais si je chasse les démons par l'esprit de Dieu, le royaume de Dieu est donc venu à vous.

29. Comment quelqu'un peut-il entrer dans la maison du fort pour lui enlever ses meubles, si auparavant il ne le lie pour pouvoir ensuite piller sa maison?

30. Celui qui n'est point avec moi est contre moi, et celui qui n'amasse point avec moi dissipe.

31. C'est pourquoi je vous déclare que tout péché et tout blasphème seront remis aux hommes; mais le blasphème contre le saint Esprit ne leur sera point remis.

32. Et quiconque aura parlé contre le Fils de l'homme, il lui sera remis ; mais si quelqu'un parle contre le Saint-Esprit, il ne lui sera remis ni en ce siècle ni en l'autre.

33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

34. Progenies viperarum, quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

35. Bonus homo de bono thesauro profert bona : et malus homo de malo thesauro profert mala.

36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

38. Tunc responderunt ei quidam de scribis et Pharisæis, dicentes : Magister, volumus à te signum videre.

39. Qui respondens, ait illis : Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.

41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ, et condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ : et ecce plus quàm Jonas hic.

42. Regina austri surget in judicio cum generatione istâ, et condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quàm Salomon hic.

43. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit.

44. Tunc dicit : Revertar in domum meam unde exivi. Et veniens, invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam.

45. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

47. Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te.

48. At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?

49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

33. Ou dites que l'arbre est bon, et que le fruit en est bon ; ou dites que, l'arbre étant mauvais, le fruit aussi en est mauvais : car c'est par le fruit que l'on connaît l'arbre.

34. Race de vipères, comment pourriez-vous dire de bonnes choses, étant méchants vous-mêmes? Car la bouche parle de l'abondance du cœur.

35. L'homme bon tire de bonnes choses d'un bon trésor, et l'homme méchant en tire de mauvaises d'un mauvais trésor.

36. Or je vous déclare qu'au jour du jugement les hommes rendront compte de toute parole oiseuse qu'ils auront dite.

37. Car vous serez justifié par vos paroles, et vous serez condamné par vos paroles.

38. Alors quelques-uns des scribes et des Pharisiens lui dirent : Maître, nous voudrions bien que vous nous fissiez voir quelque prodige.

39. Mais il leur répondit : Cette race méchante et adultère demande un prodige, et on ne lui en donnera point d'autre que celui du prophète Jonas ;

40. Car, comme Jonas fut trois jours et trois nuits dans le ventre d'un grand poisson, ainsi le Fils de l'homme sera trois jours et trois nuits dans le sein de la terre.

41. Les Ninivites s'élèveront au jour du jugement contre cette race, et la condamneront, parce qu'ils ont fait pénitence, à la prédication de Jonas ; et il y a ici plus que Jonas.

42. La reine du midi s'élèvera au jour du jugement contre cette race, et la condamnera, parce qu'elle est venue des extrémités de la terre pour entendre la sagesse de Salomon, et il y a ici plus que Salomon.

43. Lorsque l'esprit impur est sorti d'un homme, il va par des lieux arides cherchant du repos ; et il n'en trouve point.

44. Alors il dit : Je retournerai dans ma maison d'où je suis sorti. Et revenant il la trouve vide, nettoyée et parée.

45. Alors il va prendre avec lui sept autres esprits plus méchants que lui, et entrant ils y établissent leur demeure ; et le dernier état de cet homme devient pire que le premier. C'est ce qui arrivera à cette race criminelle.

46. Lorsqu'il parlait encore au peuple, sa mère et ses frères, qui étaient dehors, demandèrent à lui parler.

47. Et quelqu'un lui dit : Voilà votre mère et vos frères dehors, qui vous demandent.

48. Mais Jésus s'adressant à celui qui lui parlait, lui dit : Qui est ma mère, et qui sont mes frères?

49. Et étendant la main vers ses disciples : Voici, dit-il, ma mère et mes frères.

50. Car quiconque fait la volonté de mon Père qui est dans les cieux, celui-là est mon frère, ma sœur et ma mère.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Abiit Jesus per sata sabbato. Nihil esset hoc loco difficultatis, si solus Matthæus hanc narrásset historiam. Nunc autem, quia Lucas, c. 6, 1, eamdem recensens dicit id in sabatto δευτεροπρώτῳ secundoprimo accidisse ; intelligi hic locus non potest, nisi ille Lucæ intelligatur ; quem non video satis apud interpretes explicatum. Ponam, ut soleo in rebus difficilioribus, aliorum primùm opiniones ; deinde meam adjungam. Multi putant sabbatum δευτερόπρωτον, secundoprimum appellari solitum fuisse octavum diem eorum festorum, quæ per octo dies continuos agebantur, quale erat festum azymorum, et tabernaculorum. Octavus enim dies eodem ritu, cæremoniâque, quo primus celebrabatur, Levit. 23, 36, 39, et Numer.

29, 35, secundo verò primum appellatum, quod, cùm primo celebritate par esset, secundus tamen ab eo esset loco. Illud ergo, de quo Matthæus hic, et Lucas illic agit, fuisse diem octavum azymorum; sic Epiphanius, hæres. 51, et plerique recentiores. Alii primum diem azymorum ita vocatum, quòd secundus esset à Paschâ, ut Euthymius et Isidorus apud D. Thomam. Alii fuisse sabbatum, quod proximè sequebatur festum aliquod, quod in feriam sextam incidisset, ut Theophylact. et Chrysost., hom. 40. Alii secundum aliquod, id est, minus festum, quale neomeniæ. Alii geminum sabbatum, sabbatum ordinarium, quod septimo quoque die recurrit, et festum aliquod, quod in idem sabbatum incidisset, omne enim festum sabbatum vocabatur. Mihi quædam videntur certa esse principia, ex quibus ejus loci explicatio necessariò colligenda sit. Primum est, Lucam, cùm sabbatum illud vocavit secundoprimum, non aliquod è pluribus, quæ secundoprima dicerentur; sed unum certum sabbatum significare voluisse, quod solum ex omnibus secundoprimum appellaretur. Voluit enim Lucas diem certum describere, ut meliùs occasio calumniæ pharisæorum intelligeretur. Ex quo omnes illæ interpretationes refelluntur, quæ unum è multis fuisse volunt; ut Euthymii, Isidori, Chrysostomi et Theophylacti. Secundum est, fuisse illud sabbatum eo tempore quo segetes maturæ erant, sed teneræ et necdùm messæ; alioqui discipuli non vellissent et confricuissent spicas. Ex quo refellitur Epiphanii sententia, et eorum omnium, qui sabbatum secundoprimum diem aliquam azymorum interpretantur; nec enim die decimoquinto, aut vigesimo martii spicæ maturæ esse potuerunt. Quod enim quidam adnotàrunt in Palæstinâ eo tempore propter vehementem calorem segetes solitas maturescere, fictum esse arbitror. Nam nec illi probare possunt; et nos possumus Scripturâ, experientiâque refutare. Joannes enim testatur tempore passionis Christi frigus fuisse, et se homines ad ignem calefecisse; et festum primitivorum celebrabatur quinquagesimo die post Pascha; celebratur autem simul atque prima falx in messem mittebatur, Deut. 16, 9, non ergo poterant in festo azymorum, id est, quinquaginta diebus segetes esse maturæ. Experientia verò docet non solùm in Palæstinâ, sed neque in multò calidioribus Africæ regionibus segetes tam citò maturescere. Ex quo etiam sequitur non potuisse sabbatum illud esse in festo, ut alii putant, tabernaculorum, quod mense septimo celebrabatur, Levit. 23, 34, quia jam segetes collectæ erant. Tertium est, quod ex Hebræorum accipimus traditione, ut c. 26, dicturi sumus, post exilium Babylonicum nunquàm Judæos unum festum postridiè alterius celebrâsse, ne populus duos continuos dies quiescere cogeretur. Unde eorum refutatur opinio, qui sabbatum secundoprimum vocari putant, quòd festum aliquod proximè sequeretur. Sequitur ergo sabbatum secundoprimum non potuisse esse, nisi festum Pentecostes, aut, quod idem erat, primitivorum, quia nonnisi unum erat, quale diximus D. Lucam proprio nomine designare voluisse; et in illud tempus incurrebat, quo et segetes maturæ erant, et nondùm messæ, et ad id ipsum significandum celebrabatur. Reliquum est quærere, cur secundoprimum appelletur. Nihil compertum habeo; quorumdam tamen conjectura probabilissima mihi videtur, ideò ita vocari, quòd, cùm tria essent præter sabbatum prima, id est, præcipua festa, azymorum, primitivorum, et tabernaculorum (omnia quippe alia, ut neomeniæ, multò erant minora), inter illa festum primitivorum, et loco, et celebritatate secundum esset à primo. Objiciunt quidam in omnibus festis excepto sabbato licuisse cibos parare, Exod. 12, 16. Itaque non potuisse pharisæos accusare discipulos, quòd spicas confricarent. Respondeo non accusâsse, propterea quòd parabant cibos, sed propterea quòd spicas colligebant, quasi quòd modò meterent, quod in nullo festo die facere licebat. Deinde potuisse illos immeritò, ut solebant, discipulos accusare. Et quidem Irenæus lib. 4, c. 20, scribit non fuisse prohibitum in sabbato, et festis spicas vellere, sed metere. Sed responsio Christi ostendit fecisse discipulos, quod alioqui in eo festo facere non licuisset, nisi necessitas eos, ut Davidem; et Domini præsentia, qui templo major erat, ut sacerdotes, excusâsset. Potest etiam objici Græcè numerum esse plurium ἐν τοῖς σάββασιν, in sabbatis, quod occasionem nonnullis præbuit, ut existimarent non unum tantùm festum, sed duo, aut plura significari; quæ aut eodem die, aut unum postridiè alterius celebrarentur. Facilis responsio pluralem numerum pro singulari Hebræorum more positum esse, quo non multa sabbata, sed unum è multis sabbatis significatur, ut vers. 5 et 10.

Vers. 2. — Pharisæi autem videntes dixerunt ei. Lucas, c. 6, 2, scribit pharisæos non Christo, sed discipulis dixisse, cur facerent, quod illis in sabbato facere non liceret. Responderi potest, aut utrisque, primùm discipulis, deinde Christo dixisse; aut Christo tantùm, qui respondit. Sed Lucam ideò dicere discipulis dixisse, quia quod magistro dixerunt, non solùm de discipulis, sed etiam discipulis ipsis dixisse videbantur. Adnotavit in hunc locum D. Thomas non accusâsse pharisæos discipulos, quòd ex agro alieno spicas colligerent; quia id lege permissum erat. Deut. 23, 25: *Si intraveris segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres; falce autem non metes.*

Vers. 3. — Non legistis. Objicit opinione sententiæ legis inflatis legis ignorantiam, ut Euthymius adnotavit.

Et qui cum eo erant. 1 Regum, c. 21, 1, dicitur solus fuisse David; itaque non videntur hæc verba cum historiâ, ad quam alludunt, convenire. Respondent quidam fuisse quidem solùm, cùm in sacerdotis domum ingressus est, sed aliquos habuisse comites qui illum alio loco operirentur, sicut ipse sacerdoti dixit: *Nam et pueris meis condixi in illum, et illum locum*, vers. 2. Alii habuisse etiam tum comites secum sed sacerdotem, ut ait eo loco Lyrannus, rogâsse cur solus esset non quòd solus esset, sed quòd cum multis militibus cinctus esse soleret, paucos tunc haberet; sicut

regem dicimus ire solum, cùm eum pauci sequuntur. Utramque opinionem alii refutant, propterea quòd Scriptura disertè dicat illum fuisse solum; et posteaquàm inde discessit, solum etiam ad regem Achis adiisse. Illum verò, cùm dixit *se pueris suis in illum et illum locum condixisse*, officioso usum fuisse mendacio, ut fugam dissimularet; Christum autem hoc loco non ex veritate et opinione suâ, sed ex verbis Davidis locutum esse. Horum ego opinionem etiam refello, quòd non solùm Davidem, sed Christum penè ipsum mendacii arguere videantur; et quòd Christus apud Marcum, c. 2, 26, et Lucam, c. 6, 4, dicat Davidem ex panibus propositionis comedisse, et dedisse iis qui cum ipso erant; quod non video quo modo, si nemo cum illo erat, interpretari possint. Eorum ergo probo sententiam, qui existimant neminem cum eo fuisse, cùm panes accepit, sed aliquos alio loco socios habuisse, quibus ex panibus dederit.

Vers. 4. — Quomodo intravit in domum Dei. Nondùm fuisse templum nemo nescit; nec ibi arcam fuisse legimus, quæ toto illo tempore in Silo fuisse dicitur, 1 Reg. 1, 24, et 3, 21, et 4, 3, quæ domus Dei appellabatur; sed est vero simile, aut potiùs necessarium fuisse ibi tabernaculum, ubi panes propositionis de more ponebantur; erat enim Nobe, ubi erat Achimelech, qui Davidi panes dedit, civitas sacerdotum, 1 Reg. 22, 9. Quod autem Marcus, c. 2, 26, dicit sub Abiathar sacerdote id contigisse, alia est quæstio, quæ commodiùs illic quàm hic disputabitur.

Et panes propositionis comedit. Hebræi panes propositionis duobus modis vocant לחם פנים *panem*, ut ita dicam, *facierum*, quia in tabernaculo, ubi Dominus habitabat, seni ex unâ, et seni ex alterâ parte, quasi ante duas ejus facies, proponebantur (Hebræi enim duas facies in homine, sicut nos duas genas, faciunt), et לחם המערכת, *panem ordinationis* aut *dispositionis*, quia certo, ut dixi, ordine, certoque tempore disponebantur. Animadverti autem hoc secundo modo, non nisi in libris Paral. et Esdræ vocari, qui post exilium Babylonicum scripti sunt, 1 Par. 9, 32, et 23, 29, et 2 Esdræ 10, 33. Septuaginta interpretes tribus modis verterunt. Aliquando ἄρτους ἐνωπίους, quasi dicas *panes faciales*, ut Exodi 25, 30. Aliquando ἄρτους τοῦ προσώπου, ut 2 Esdræ 10, 33, id est, *panes faciei*. Ferè semper ἄρτους τῆς προθέσεως, *panes propositionis*, ut Exodi 35, 13, et 40, 21, et 1 Reg. 21, 6, et 3 Reg. 7, 48, et 1 Par. 9, 32, et 23, 29, et 2 Paral. 4, 19. Latinus interpres semper *panes propositionis* appellat.

Vers. 5. — Aut non legistis in lege, Levit. 24, 8, et Num. 28, 9.

Quia sabbatis, per singula sabbata.

Sacerdotes in templo. Omnia, ut Chrysost. et Euthym. observaverunt, emphasim habent. Paucis enim verbis expressit omnia, quæ ad exempli exaggerationem pertinebant: Legem præcipientem, personas sacerdotum, qui maximè debebant sabbatum colere; locum, in templo, ubi maximè coli oportebat; tempus, in sabbatis quæ maximè observationem requirebant; rem, sabbatum violant, quod plus est, quàm si dixisset: Non observant. Violâsse autem sacerdotes sabbatum dicit, non quòd verè violarent, sed quòd ea facerent, quæ nisi Dei cultus excusaret, facere non licuisset: nempe victimas mactabant, pelles detrahebant, intestina lavabant, ligna findebant, ignem accendebant; pueros circumcidebant, ut Hieronym., Chrysost. et Euthym. exponunt. Confirmatur ex hoc loco nostrorum theologorum de festorum celebratione sententia, non violari festum, cùm ea in festo fiunt, quæ ad ejus celebrationem pertinent, nec alio tempore fieri possunt, ut cùm pulsantur campanæ, feruntur cruces, mundatur aliquando templum, et si quid ejus est modi. Multò verò minùs, cùm ea fiunt, quæ ad salutem animarum necessaria sunt; de hoc enim propriè hoc loco agebatur. Hoc est quod maximè Apostolos excusabat, quod in prædicando et faciendis miraculis adeò, ut ait Marcus, fuissent occupati, ut nec parare cibum, nec capere possent. Hoc est, *misericordiam volo, non sacrificium.* Hoc enim sensu Christus inducit, quasi dicat, melius esse ut Apostoli animas hominum quàm sabbatum servent.

Vers. 6. — Templo major est hic, ὧδε, hoc loco. De quo autem loquatur, non consentiunt interpretes. Quidam ex hæreticis salutem hominum significari putant, quæ templo præponatur; minimè bono, ut mihi videtur, judicio. Hieronymus locum in quo Christus erat. Cùm enim Deus esset, ubicumque erat, templum erat, sed non dubito quin seipsum templum appellaverit, quia in ipso habitabat *omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, ad Colos. 2, 9, sicut vers. 41, de se ipse dicit: *Ecce plusquàm Jonas hic*, et vers. 42: *Ecce plusquàm Salomon hic*, et infra, vers. 8: *Dominus est filius hominis etiam sabbati.* Atque ita Euthymius et Theophylactus interpretantur.

Vers. 7. — Si autem sciretis, quid est. Quorsùm hoc prophetæ testimonium Christus inducat, vers. 5 exposuimus, ipsum verò testimonium, c. 9, 13.

Vers. 8. — Dominus est filius hominis etiam sabbati. Probat se, et templo esse majorem, et in sabbati observatione dispensare posse, quia *dominus est etiam sabbati* et unusquisque potest de re suâ, quod velit, facere. Marc. c. 2, 27, scribit dixisse: *Sabbatum propter hominem factum est; non homo propter sabbatum.* Utrumque ergo dixit, et quod Matthæus narrat, ut probaret se templo esse majorem, quia templum sabbato serviebat, ipse autem Dominus erat atque ad cultum Dei pertineret, eaque est compendiaria quædam locutio.

Vers. 4. — Intravit in domum Dei. Panes præbente sacerdote accepit, oblatos postea comedit extra domum Dei. Panes propositionis, seu propositos aut expositos. Panes quorum hoc in loco fit mentio, erant in domo summi sacerdotis.

Vers. 5. — Sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt. Non cessant ab opere quod facere non liceret, nisi id præceptum esset,

Vers. 6 et 7. — Templo major est hic. Qui est hoc in loco. Misericordiam; charitatem erga proximos malim, quàm sola sacrificia.

Vers. 8. — Dominus enim est filius hominis etiam sabbati, qui sabbatum instituit, quique illud abrogare potest.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sabbati, et quod Marcus, ut probaret hominum salutem sabbati observationi esse præferendam.

Vers. 9. — Et cum transisset inde. Scribit Lucas, c. 6, 6, id altero die sabbati contigisse. Quod ex hoc etiam loco manifestum est. Venit enim in Synagogam eorum; Synagoga verò die sabbati congregabatur. Et propterea interrogârunt eum an liceret in sabbato curare, quia sabbatum erat, vers. 10, August. lib. 2 de Cons. evang., c. 35, et Euthym.

In synagogam eorum, qui præcedente die sabbati discipulos, quòd spicas vellerent, accusaverant. Non enim minùs quærebat Christos occasionem ut injustè accusaretur, quàm illi ut accusarent, ut ex eorum accusatione ansam caperet eos docendi atque objurgandi.

Vers. 10. — Et interrogabant eum. Marcus, c. 3, 4, et Lucas, c. 6, 9, dicunt Christum Pharisæos interrogâsse. Augustinus, lib. 2 de Consens. Evang., c. 35, et Theophylactus hoc loco respondent Pharisæos priùs Christum, deinde Christum Pharisæos interrogâsse. Sed facilior responsio est Marcum et Lucam non dicere Christum interrogâsse Pharisæos utrùm liceret in sabbatos curare, sed utrùm liceret benè facere, an malè. Itaque non eadem est quæstio, quam Pharisæis Christus, et quam Christo Pharisæi proposuerunt; sed Pharisæi priùs interrogârunt Christum num liceret in sabbato curare; Christus, ut eorum malignitatem coarguneret, immutatâ paululùm quæstione interrogavit Pharisæos an liceret in sabbato benefacere, an malè, ut verbis ipsis quæstionis eos pungeret et pudefaceret.

Vers. 12. — Quanto magis melior. Phrasis Latinis insuìata, quamvis nonnulli auctores ecclesiastici mille abhinc annis ita locuti sint. Græcè eâ utuntur, ut supra, c. 6, 26, οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν, quod noster interpres, retentâ Græcâ phrasi, convertit: *Nonne vos magis pluris estis illis?* altero comparativo redundante. Itaque suspicor hoc etiam loco pro πόσῳ οὖν διαφέρει nostrum interpretem legisse πόσῳ οὖν μᾶλλον διαφέρει.

Itaque licet sabbatis benefacere. Non concludit licere curare, ut Pharisæi interrogaverant, sed licere benefacere, sicut ipse interrogaverat Pharisæos, apud Marc., c. 3, 4, et Luc., c. 6, 9. Habet etiam majorem efficacitatem generalis sententia, et verbum ipsum benefaciendi, sub quo includitur etiam curare, quia curare est benefacere.

Vers. 15. — Jesus autem sciens, nemine indicante, sicut eorum videbat cogitationes infra, vers. 25, et supra, c. 9, 4, et Luc. 5, 22, et 6, 8, et 9, 47, et 11, 17.

Secessit; ad mare, ut explicat Marcus, c. 3, 7, fugit, sicut Apostolos fugere docuerat, c. 10, 23. Fugit autem non metu aut impotentiâ resistendi, sed quia nondùm venerat hora ejus, ut in causis similibus Joan. ait, c. 7, 30, et 8, 20, et 13, 1, et 16, 21. Resistere autem, et si poterat, nolebat, quia cùm fugâ cavere posset, non erat necessarium, et ne arundinem quassatam confringeret, inf., vers. 20, et *curavit eos omnes*, non omnes qui sequebantur, sed omnes qui ægroti erant, et curari voluerunt. Tantùm enim significare voluit evangelista Christum non malignè ac parcè, sed prolixè ac liberaliter in omnes qui fidem habebant, et ægroti erant sine ullo discrimine personarum sanitatis beneficium contulisse.

Vers. 16. Et præcepit eis. Marc. 13, 12, dicit dæmoniis præcepisse ne se manifestarent, quia clamabant: *Tu es filius Dei.* Quia ergo dæmonia in hominibus erant, Matthæus dixit hominibus eum præcepisse. Cur autem præceperit, supra disputavimus, c. 9, 30.

Vers. 17. — Ut adimpleretur. Quorsàm evangelista hoc Isaiæ, c. 42, 1, testimonium proponat, aut quomodò impletum esse dicat, non satis apparet. Sunt qui putent propterea proposuisse, quòd Christus prohibuerit miracula sua divulgari, ne Pharisæorum æmulatio magis exacerbaretur; nolebat enim arundinem quassatam confringere. Alii referunt ad fugam, ideò fugisse, ne resistendo confringeret arundinem quassatam, id est, minùs mansuetudinis ostenderet quàm de illo propheta prædicaverat, Chrysost., hom. 41. Utrumque probabile; sed illud meo judicio probabilius hoc testimonium ad vers. 15 referri. Reddit enim causam cur omnes curaverit, quia quemadmodùm propheta prædixerat, adeò benignus et mansuetus erat, ut nemo in plateis vocem ejus auditurus esset; adeò verò misericors, ut omnes sanaret, neminem læderet, ac ne arundinem quidem quassatam confringeret, et linum fumigans non exstingueret.

Vers. 18. — Ecce. Demonstrat spiritu prophetico, quem postea Joannes digito demonstravit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Joan. 1, 29, et quem pater missâ de cœlo voce post baptismum ostendit: *Hic est filius meus dilectus*, supra, c. 3, 17.

Puer meus, עַבְדִּי, *servus meus.* Servum autem vocat, ut hominem, quia *formam servi accepit, et habitu inventus est, ut homo*, Phil. 2, 7, sicut Isai. 43, 10, et Zach. 3, 8; nec illum ipsum hominem Christum eodem modo quo alios vulgariter servum appellat; sed per excellentiam, et honoris sui causâ, quasi glorietur Deus, quòd inter homines talem habeat servum, ut in eo sibi placeat anima ipsius, et, ut possit ei proprium Dei officium committere, totam Ecclesiam gubernandi, et, quod maximum est, regnum suum perditum recuperandi, ut indicat D. Paulus, 1 Cor. 15, 24. Sic, si minora licet majoribus comparare, Moscm Deus servum suum solebat appellare, Num. 12, 7, 8; Job. 1, 8, et 2, 3: *Considerâsti servum meum Job, quod non sit ei similis in terrâ?* Septuaginta interpretes apud Isaiam nomen *Jacob* præposuerunt, vel ne

Vers. 18. — Vox Hebræa *Hebet servum* significat, quòd servi formam assumpserit. Nuntiabit. Veram annuntiabit religionem. Ministerium ejus in verbis prænuntiat: *Et judicium meum*, non Judæorum tantùm, sed et gentium legislator futurus est

Christum Deus servum vocare videretur vel quia aliis locis ita legebant, ut c. 41, 8, 9, et 44, 1, 2. Observavimus in Idiomatis, solitos Septuaginta, cùm sententia aliquid videtur absurdi continere, addere, aut detrahere, aut mutare aliquid, ut absurditatem tollerent.

Quem elegi, ut hominem. Nam inter omnes homines illum assumpsit (loquor enim veterum theologorum more) et Deum fecit, Psal. 44, 3, 8: *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; et Psal. 2, 6: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* In hoc enim elegit, ut esset rex, et verbum ejus, qui ipse Verbum ejus erat, prædicaret.

Dilectus meus. Septuaginta addiderunt, *Israel*, sicut paulò ante Jacob ἰσραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, quia ita, c. 41, 8, legerant: *Tu Israel, serve meus, Jacob, quem dilexi.*

In quo bene complacuit. Vide explicationem, c. 3, 17.

Ponam spiritum meum. Novi hæreticorum interpretes ad baptismum hoc referunt, quòd in Christum recens baptizatum Spiritus sanctus descenderit, c. 3, 16. Alii, quia ætate et sapientiâ proficiebat, Luc. 2, 52, Spiritum super illum positum dicunt. Certius est de ipsâ ejus conceptione interpretari, in quâ Spiritu sancto impletus est, Isai. 11, 2; nec enim Joanne pejor erat, de quo angelus dixerat: *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, Luc. 1, 15.

Judicium gentibus nuntiabit, *proferet*, id est, legislator erit, legem evangelicam, non ut Moses, suam solis Judæis, sed omnibus gentibus dabit, Psal. 9, 21: *Constitue, Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Aut gentes omnes judicabit, quia *Pater omne judicium dedit filio*, Joan. 5, 22.

Non contendet. Hæc verba neque apud Hebræos, nec apud Septuaginta in Isaiâ leguntur; sed est vero simile evangelistam explicationis causâ addidisse. Significat enim propheta Christum sine contentione, sine clamoribus, quibus forum perstrepere consuevit, quietè placidèque judicaturum. Hoc enim est quod ipse dixit, c. 11, 29: *Tollite jugum meum super vos, et discite à me quia mitis sum et humilis corde.* Toto denique hoc Isaiæ testimonio nihil aliud quàm Christi mansuetudo declaratur, ut apud Zachar. 9, 9, et Matth. 21, 5, Joan. 12, 15: *dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.*

Nos clamabit. Hebraicè additur non *tollet*, potest autem intelligi, ut ait Hieron., *facies*, id est, non habebit in judicando ullam rationem personarum; sic enim Hebræi dicunt, quod Græci πρόσωπον λαμβάνειν personam accipere. Vel קוֹל *vocem suam*, ut interpretatur R. Salom., id est, non vociferabitur.

Donec ejiciat ad victoriam judicium. Locus est, ut mihi videtur, difficilior, quàm plerisque interpretibus visus est. Primùm apud Isaiam sic legitur: *Arundinem quassatam non conteret, et linum fumigans non exstinguet; ad veritatem proferet judicium, non turbabitur, nec animo frangetur, donec ponat in terrâ judicium, et in lege ejus insulæ sperabunt*; id est, adeò quietè et attentè ambulabit, ut etiamsi super arundinem jam quassatam, quâ nihil fragilius esse potest, pedem ponat, eam non confringat; et si super stuppam non omninò ardentem, sed tantùm fumigantem, non exstinguat. Apparet enim fuisse proverbium, quo summa incedentis lenitas significabatur, sicut Galli et Hispani de similibus hominibus dicere solent. Etiamsi super pavimentum ovis stratum ambularet, nullum frangeret. Per incessum autem et ambulationem omnes vitæ actiones intelliguntur ex Hebræorum idiomate. Significatur ergo Christum omnibus in rebus incredibili mansuetudine ac lenitate usurum fuisse. Evangelista, cæteris verbis prætermissis, tantùm hæc posuit: *Donec ejiciat ad victoriam judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt.* Quæ ipsa, etsi aliquo modo iis quæ apud prophetam leguntur, videntur esse similia, eadem tamen non sunt. Hieron. in Commentariis ad eum Isaiæ locum, et in epistolâ ad Algasiam, q. 2, existimat id scriptorum vitio accidisse, quod ego nullo modo mihi persuadeo. Quin Hebraicum illud, quod nunc habemus, Evangelium, nusquàm mihi quàm hoc loco magis suspectum est, quòd omnia et eadem, quæ apud Isaiam verba sunt, recitet. Nimis enim affectata fides meritò suspecta est. Non solet Matthæus, cùm testimonia ex prophetis adducit, verba numerare. Iste, qui, ut Matthæus esse videretur, numeravit, hoc est apud me consecutus, ut minimè Matthæus esse videatur. Manifestum est, idque omnes, præter Hieronymum, interpretes sentiunt, hæc verba evangelistæ, *donec ejiciat ad victoriam judicium*, illis Isaiæ verbis respondere, *ad veritatem proferet judicium*, id est, omnia, dùm judicabit, ad verum examinabit, verum pronuntiabit judicium. Cur autem evangelista pro *proferet*, dixerit ἐκβάλῃ *ejiciet*, quod Septuaginta dixerunt *inferet*, non ita magni refert. Potuit enim Matthæus Hebraicè dicere *proferet*, ut est apud prophetam, et Græcus interpres vertere ἐκβαλεῖ, quia id etiam potest Hebraicum verbum significare. Nec enim assentior iis qui id ab evangelistâ, ut majorem vim adderet verbo, certo concilio factum putant; tanquàm voluerit declarare, etiam vi compulsurum Christum homines, ut verum judicium subeant; non enim de Christi severitate; sed de mansuetudine et mititate agitur. Illud longè difficilius, quomodò pro *ad veritatem*, dixerit evangelista εἰς νῖκος *ad victoriam*; quòd enim omnes dicunt, non verba, sed sensum ex-

dejiciet. Linum fumigans non exstinguet. Licet naribus molestum: quibus omnibus Christi lenitatem commendat. Donec ejiciat. In extremo judicio adversarios vincat, ubi terribilis inimicis suis videbitur, et Evangelio toto orbe prædicato victor appareat.

Vers. 19. — Non erit contentiosus, aut clamosus: moderationem et mansuetudinem Christi exprimit. Non contendet, cum adversariis, nonclamabit, ut qui rixantur, solent.

Vers. 20. — Non confringet, non opprimet, non

primere voluisse, fateor mihi satisfacere non posse. Nam nec idem videtur esse sensus, et ut idem esset, tamen hic obscurior certè quàm ille est; et non est vero simile evangelistam dilucidiorem prophetæ sententiam aliâ obscuriore sententiâ exposuisse. Itaque cogor meam lectori conjecturam indicare, doctioribus verò judicandam relinquere. Suspicatus fueram aliquando Matthæum non purâ et antiquâ Hebræorum linguâ, sed corruptâ illâ ex Chaldaicâ et Syriacâ, quæ Christi tempore in usu erat, evangelium scripsisse, et pro אמנת dixisse אמונה, aut אמונה, quod et veritatem, puritatem, innocentiam et victoriam significat; interpretem verò Græcum non veritatem, ut est apud Isaïam, sed victoriam, alteram vocabuli significationem secutum convertisse. Consului cùm hæc scriberem Syriacum Evangelium; comperique rectè me divinâsse; nam לנצחא scriptum inveni, quod et ad innocentiam et veritatem, et ad victoriam potest significare.

Vers. 21. — Et in nomine ejus gentes sperabunt. Duobus verbis Matthæus hìc videtur à prophetâ discrepare. Primùm, quòd *in lege ejus*, dicat, *in nomine ejus*. Hìc etiam omnes dicunt eamdem esse sententiam. Quod etsi non satis intelligo, quia omnium tamen opinio est, refutare nolo. Tantùm dico, quod in lectionibus veteris ac novi Testamenti adnotavi, magnam mihi apud Septuaginta vitiati loci suspicionem esse. Nam pro *in lege ejus*, non credo eos vertisse ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, *in nomine ejus*, sicut nunc legimus, sed ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ, *in lege ejus*, ut legitur Hebraicè. Nominum autem similitudinem erroris fuisse causam, ut amanuenses pro νόμῳ, ὀνόματι scripserint. Similem enim errorem in iisdem duobus vocabulis aliis etiam locis observavimus. Matthæi igitur Græcus interpres, Septuaginta secutus, pro *lege, nomen* posuit. Deinde discrepat, quòd pro אים, *insulis*, dicat, ἔθνη, *gentes*. Sed hoc discrimen leve admodùm est. Insulas enim prophetæ remotissimas quasque gentes appellavit, quia insulæ à continente remotæ sunt, sicut Virgilius dixit, eclog. 1 :

Et toto divisos orbe Britannos;

ut apud eumdem prophetam, c. 49, 1 : *Audite, insulæ, et attendite*, et 51, 5 : *Me insulæ expectabunt*, et 60, 9, et 66, 19 : *Mittam ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me*.

Vers. 22. — Tunc. Cùm è synagogâ egressus esset, auctor Imperf. et Remig., vel non significatur certum et designatum tempus, ut putat Euthymius. Quanquàm Marcus, c. 5, 20, videtur dicere id accidisse, simul atque egressus è synagogâ in domum venit. Monendus mihi lector est non esse hanc illam historiam, quæ à Lucâ, c. 11, 14, narratur, ut plerique interpretes putant. Nam de eo dæmonio, c. 9, 32, Matthæus scripsit, et nos hanc illic opinionem probavimus.

Cæcus et mutus. Dubium, utrùm naturâ aut morbo, ut sentire Hieronymus videtur, an dæmonis maleficio, ut Chrysost. et Theophyl., cæcus et mutus fuerit. Credibilius tamen est dæmonem auditum et visum illi ita ligâsse, ut neque audire, nec videre posset, indicat enim evangelista solâ eum dæmonis ejectione auditum, visumque recuperâsse, quasi priùs nulla causa, quominùs audiret videretque, nisi dæmon, impedivisset.

Vers. 23. — Numquid hic est filius David? Id est, Messias ille toties promissus, tamdiù expectatus, qui ex genere Davidis futurus creditur. Vide quæ diximus c. 1, 2.

Vers. 24. — In Beelzebub, tanquàm diaboli minister, magicis artibus. Vide c. 9, 34, et 10, 25.

Vers. 27. — Filii vestri. Plerique recentiores interpretes existimant exorcistas illos Judæorum significari, quorum artem quamdam à Salomone traditam fuisse, lib. 8 Antiquit., c. 2, Josephus scripsit; et de quibus Lucas in Actis Apostolorum, c. 19, 13, mentionem fecit. Filios autem Pharisæorum appellari, quòd Judæi essent, ut illi, et aliqui aliquando eorum filii. Argumentum verò esse, cur potiùs me quàm filios vestros dicitis in Beelzebub ejicere dæmonia, cùm utrique ejiciamus? cur de me malè, cùm idem faciamus, de illis benè judicatis? Veteres de apostolis hoc dictum putant, Hilarius, Chrys., hom. 42, auctor Imperf., 29, Hieron., Theophyl. et Euthym., ad quorum sententiam libentiùs accedo, nisi quòd plus Christum quàm illi dicunt, arbitror significare voluisse. Apostoli enim in nomine Christi dæmonia ejiciebant, Luc. 10, 17; argumentatur ergo : *Filii vestri*, id est, Apostoli, qui ex populo vestro sunt, *in quo dæmonia ejiciunt?* nonne in nomine meo? si ergo illi non in nomine Beelzebub, sed in nomine meo dæmonia ejiciunt, quomodò dicitis me in nomine Beelzebub ejicere? Nam si illi in meo nomine ejiciunt, major ego dæmonibus sum, cujus nomine virtuteque pelluntur; non ergo in nomine Beelzebub ego ejicio; nam si apostoli meâ virtute ejiciunt, quod negare non potestis, multò magis ego, cujus est virtus.

Ideò judices vestri erunt. Quia *sedebunt super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel*, c. 19, 28, Hieronym.; quanquàm ego de alio judicio agi puto, quod theologi comparationis vocant. Judices enim eorum erunt, quia in illo ultimo judicio apparebit apostolos in nomine Christi dæmonia ejecisse, quod cùm vidissent, et credidissent Pharisæi, tamen Christum

---

Vers. 21. — Et in nomine ejus gentes sperabunt; interim propagato Evangelio, gentes in eo spem omnem suam collocabant.

Vers. 27. — Filii vestri, vestri discipuli, aut exorcistæ, quorum fit mentio Act. 19; vel discipuli Christi, quorum multi erant aut familiares, aut agnati calumniantium Pharisæorum : nam 72 discipuli ex Lucæ cap. 10, ejiciebant dæmonia, quorum obsessiones tum erant frequentiores. Cur me potiùs quàm illios vestros dicitis in Belzebub ejicere dæmonia? Verisimile est Christum loqui de exorcistis Judæorum, quorum multi erant è sectâ Pharisæorum. Hi, teste Irenæo, l. 2, cap. 5, dæmones ejiciebant, altissimi et omnipotentis invocatione : ac suis adhuc temporibus Judæos ita dæmones ejicere solitos ait. *Judæi*, inquit, *usque nunc hâc ipsâ adrocatione dæmones effugant.*

ipsum, quem multò magis credere debebant propriâ virtute, dæmones ejicere, in Beelzebub ejicere dixerunt, sicut vers. 41 et 42, sit : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ, et condemnabunt eam*; et : *Regina Austri surget in judicio cum generatione istâ, et condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.*

Vers. 28. — Pervenit in vos regnum Dei. Se ipsum, et adventum suum regnum Dei vocat, quia initium fuit regni Dei, et aditum nobis ad illud patefecit, Hieron., Chrysost. et Theophyl.; argumentum hoc est : Si autem in spiritu Dei, ut superiore argumento probatum est, ejicio dæmonia, ergo verum est quod et ego, et apostoli mei, et Joannes prædicamus, appropinquâsse et venisse regnum Dei. Nam Spiritus sanctus, qui miracula per nos operatur, nostram prædicationem veram esse testatur.

Vers. 29. — Aut quomodo potest quisquam. Facilis sensus : Quomodò possum ego diabolum de possessione suâ deturbare, id est, ex hominibus ejicere, nisi fortior sim illo? Nemo enim in domum fortis intrare potest, et illam spoliare, nisi fortior et superior illo sit, ut possit priùs eum armis suis exuere. Fortem vocat גבור, quem Septuaginta gigantem solent vertere; domum autem fortis vocat arcem quæ à gigante custoditur. Fortem intelligit diabolum, quia *non est potestas super terram, quæ comparetur ei*, Job 41, 24 : *Non est nobis colluctatio*, inquit D. Paulus, *adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs principes et potestates, adversùs mundi rectores*, Ephes. 6, 12. Domum ejus intelligit mundum, in quo, antequàm Christus veniret, dominabatur, quem, ut significat superioribus verbis D. Paulus, suo regebat arbitrio. Vasa autem ejus, non arma, ut multi interpretantur, sed spolia et supellectilem; priùs enim ligat, deinde vasa ejus, id est, supellectilem domûs ejus diripit, et Lucas c. 11, 22, arma ab spoliis separavit. Supellectilem autem diaboli vocat miseras animas, quas sub captivitate detinebat, quasque Christus illi eripuit, *et ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, Psal. 67, 19, et Ephes. 4, 8.

Vers. 30. — Qui non est mecum contra me est. Primùm quærendum de quo Christus loquatur. Hilar., c. 12, Chrysost., hom. 42, Hieron., auctor Imperf., Beda, Euthym., Theoph., de diabolo loqui existimant, quasi sensus sit : Tantùm abest ut diabolus amicus mihi sit, ejusque nomine dæmones ejiciam, ut maximè mihi sit adversarius. Melior mihi altera videtur interpretatio, quam etiam Chrysost. et Theophyl. afferunt, ut de Pharisæis hoc dictum sit. Quorsùm autem ita de illis Christus loquatur, non satis compertum apud interpretes invenio. Videtur tamen mihi Pharisæorum hypocrisim reprehendere voluisse, qui cùm fingerent se Christo non adversari, sed tantùm gloriam Dei et legis observationem asserere, maximè tamen illi adversabantur. Hoc colligitur ex vers. 33 : *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum.* Volebant Pharisæi in causâ Christi judices haberi; ad se enim pertinere de religione ac miraculis judicare; ideò indifferentes videri volebant, quasi nec pro Christo, nec contra Christum essent : cùm maximè illi essent inimici ut suam invidiam simulatâ boni judicis personâ occultarent. Hanc illis Christus personam detrahit. Ne, inquit, erretis, et ne alios fallatis; etiamsi, quod simulatis vos non esse pro me neque contra me, verum esset, tamen ob idipsum essetis reprehendendi, quia, *qui non est mecum, contra me est.* Quid ergo attinet dissimulare? minor erit culpa, si vos mihi palam adversarios esse profiteamini; *aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut arborem malam, et fructum ejus malum.* Quomodò autem hæc sententia vera sit : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, spargit*; aut quomodò cum illâ conveniat, quæ apud Lucam, est, c. 9, 50 : *Qui non est adversùm vos, pro vobis est*, dubitare lector potest. Sunt qui ad solos referant Pharisæos, quasi non universé, sed in illis tantùm vera sit; in aliis verò, quæ apud Lucam est, locum habeat : *Qui non est contra vos pro vobis est.* Non probo; nam etsi propter solos Pharisæos hoc dictum est, non in illis tamen solis verum est, sed in omnibus in quibus eadem reperitur ratio. Debebant Pharisæi, quia legis scientiam profitebantur, primi omnium Christum recipere, ac pro illo esse; qui autem pro illo esse debebat, et pro illo non erat, contra illum erat. Non potest rex de iis qui ad regnum suum non pertinent, dicere : *Qui non est mecum, contra me est*; de suis autem subditis potest. Non solùm enim, qui regem suum impugnat, sed etiam qui pro eo, cùm debet ac necesse est, non propugnat, lesæ majestatis reus est. Omnes ergo, qui Christum recipere debebant, sive Pharisæi, sive alii, si non recipiebant, contra illum erant. Debebant autem omnes cum primis Judæi. Nam gentiles, qui eum nec viderant, neque audiverant, si non erant contra illum, pro illo erant. Nihil enim aliud apud Lucam significat, nisi eos, qui pro se esse non debeant, si contra se non sint, esse pro se. Nam, qui Christum non persequitur, quamvis nondùm ad illud venerit, tamen non longè abest à regno cœlorum, et ut perveniat, aliquem videtur fecisse gradum. Quanquàm ille, de quo eo loco Christus loquebatur, verè pro illo erat, quia dæmonia in nomine ejus ejiciebat; sed loquitur ex suorum discipulorum opinione, qui non putabant pro se esse, nisi qui secum, non doctrinâ, sed pedibus ambularent. *Vidimus*, inquiunt, *quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nobiscum, et prohibuimus illum. Nolite*, inquit Christus, *prohibere; qui enim non est contra vos*, id est, qui eadem quæ vos docet ac facit, etiamsi, quia vos non sequitur, pro vobis esse non videatur, *pro vobis est*, quia doctrinam, factaque vestra confirmat.

Vers. 31. — Ideo dico vobis. Causalis dictio non

Vers. 30. — Contra me est; Aug. : Adi Dei spiritus, aut diaboli, nihil medium. Et qui non congregat mecum; qui homines colligit non mihi, spargit.

Vers. 31. — Spiritus blasphemia, quo Spiritûs sancti opera dæmoni tribuuntur; non remittetur; vix et ægrè dimittitur : rarò ejusmodi peccatores pœ-

refertur ad ea quæ proximè præcesserunt, sed ad vers. 24 : *Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum*, ut constat ex Marc. 3, 30, *quoniam*, inquit, *dicebant, spiritum immundum habet.*

SPIRITUS AUTEM BLASPHEMIA NON REMITTETUR, id est, blasphemia contra Spiritum sanctum, ut explicatur vers. sequenti, et Marc. 3, 29 et Lucæ 12, 10. Existit ex hoc loco maxima quæstio, ut D. quidem August. nullam in Scripturâ majorem esse putet, serm. 11 de Verb. Dom. Quæstionis duæ partes sunt; altera, quod sit peccatum contra Spiritum sanctum; altera quomodò nec in hoc seculo, nec in futuro remittatur. Primùm, quæ certa sunt, ponamus, non disputemus. Certum est peccatum in Spiritum sanctum non dici, quod contra Spiritûs sancti personam est, ut rectè D. August. admonuit, nam nullum peccatum magis contra Spiritûs sancti personam esse poterat, quàm Eunomianorum, qui Spiritûs sancti divinitatem negabant; tamen inter peccata in Spiritum sanctum non numerabatur; quotidiè enim Eunomiani, ut ait Chrysost., ad Ecclesiam venientes recipiuntur; et illud, cujus causâ hæc à Christo sententia pronuntiata est, non contra personam Spiritûs sancti, sed contra Christi personam erat; dicebant enim eum spiritum immundum habere; et in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia. Illud etiam certum, peccatum in Spiritum sanctum non semper omnium peccatorum esse gravissimum; nec propterea non remitti in hoc seculo, nec in futuro; quòd cæteris majus sit. Nam Sadducæi, qui Spiritum sanctum esse negabant; et athei, quibus hodiè plenus est orbis, haud paulò magis peccant, quàm qui dubitant, an dæmonia à malo, an à bono spiritu ejiciantur. Certum etiam, quod idem adnotavit August., non de omni peccati in Spiritum sanctum genere Christum hic agere, sed de eo tantùm, quod in contumeliosis consistit verbis; hoc enim blasphemiæ nomen significat, hoc statim, vers. 32, explicatur, *quicumque dixerit verbum*. Tametsi quinque diversis in locis diversas opiniones secutus est. Aliàs dicit peccatum in Spiritum sanctum esse finalem, quam vocant impœnitentiam, ut lib. de Fide ad Petrum, c. 3, et lib. de verâ et falsâ Pœnitentiâ, c. 4, et serm. 11 de Verbis Domini. Aliàs in Spiritum sanctum peccare, qui in Ecclesiâ remitti peccata non credens contemnit tantam divini muneris largitatem, et in hâc obstinatione mentis diem claudit extremum, ut Enchir., c. 83. Aliàs per malitiam, et invidiam fraternam oppugnare charitatem post acceptam gratiam Spiritûs sancti, ut lib. 1 de Sermone Domini in monte. Aliàs peccatum in Spiritum sanctum esse desperationem indulgentiæ Dei, in commentariis inchoatis in Epistolam ad Romanos, quem Bacchiarius ejusdem auctor ætatis in epistolâ de recipiendis lapsis secutus est. Ex quibus nulla blasphemia est, nec sunt verba, sed facta. Aliàs, propiùs ad veritatem, scienter opera Spiritûs sancti dæmoni tribuere, ut in Quæst. ex utroque Test., q. 102. Unde vulgaris theologorum opinio nitet, ut par est; hæc peccata nihil ferè in homine relinquunt ex quo sperari possit vera pœnitentia, Pha-

nata, sex peccati in Spiritum sanctum genera ponentium, finalem impœnitentiam, desperationem, obstinationem in malo, scienter veritatem impugnare, præsumptionem, et fraternæ charitatis invidiam. Novatiani verò peccatum in Spiritum sanctum interpretabantur Christum negare, ut suum confirmarent errorem, eos, qui Christum negàssent, non esse ad pœnitentiam recipiendos, ut auctor Augustinus est, q. 102, ex utroque Test. Alii etiam, ut opinor, Novatiani, omne grave peccatum, quale homicidium, et adulterium post baptismum commissum peccatum in Spiritum sanctum appellabant, ut idem refert Augustinus, serm. 11, de Verbis Domini; quod et Origenem et Theognostum vetustiores auctores ante docuisse, scribit in hom. ad hunc locum, Athanasius. Alii negare Christi divinitatem, sicut Pharisæi negare videbantur, ut Hilarius, can. 12, et Ambros., lib. 7 in Lucam. Alii negare in Baptismo et Eucharistiâ, cæterisque ecclesiasticis sacramentis per gratiam Spiritûs sancti peccata remitti, ut Beda in hunc locum. Alii generalius hæreticum esse peccatum in Spiritum sanctum, ut Philastrius interpretatur in hæresi Rhetorii. Molestum fortassè lectori est tot audire sententias; recitavi tamen, quia semper existimavi in rebus gravioribus partem esse aliquam eruditionis, quid boni senserint auctores, non ignorare. Nec omnes tamen, quas inveni, commemoravi; sed quæ magnos habent auctores, qui hoc digni sunt honore, ut etiam aliena dicentes attentè ac reverenter audiantur. Verus sensus non alibunde, quàm ex hoc ipso loco eruendus. Videmus, quâ occasione hoc Christus dixerit, quia dicebant Pharisæi eum in Beelzebub ejicere dæmonia, manifesta Spiritûs sancti opera dæmoni tribuentes; hoc ergo est peccare in Spiritum sanctum. Animadvertimus etiam Christum non dicere, quicumque dixerit verbum in Patrem; neque, quicumque dixerit verbum in Filium; sed *quicumque dixerit verbum in Filium hominis*; ex quo intelligimus illum de se, non tanquàm de Deo, sed tanquàm de homine loqui, eumque in filium hominis verbum dicere, qui humanâ deceptus specie, aut offensus infirmitate de illo infra illius dignitatem sentit, ac loquitur; ideòque veniam meretur, quia peccati excusationem aliquam habet; qui verò manifesta Spiritûs sancti opera dæmoni tribuit, non meretur, quia nullam potest peccato excusationem obtendere. Unde altera quæstionis pars facilè intelligitur, cur peccatum in Spiritum sanctum nunquàm remittatur; non utique propterea quòd remitti non possit; tenenda enim est regula fidei, quæ nullum peccatum esse docet, quod à Deo remitti non possit, neque propterea quòd nunquàm remittatur; credibile enim est aliquos etiam ex illis, qui tunc Christum dicebant in Beelzebub ejicere dæmonia, postea resipuisse; sed propterea quòd, qui in Spiritum sanctum peccant, nullam peccati excusationem habeant, ideòque naturâ suâ veniam non mereantur. In aliis enim plerisque peccatis aut ignorantia, aut inrisæi dæmoni tribuebant quæ certò sciebant à solo Deo proficisci posse.

firmitas, si non omninò, aliquâ saltem ex parte culpam excusat. *Misericordiam*, inquit D. Paulus, 1 Tim. 1, 13, *consecutus sum, quia ignorans feci*, et : *Ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam pulvis sumus*, Psal. 102, 14; *Spiritus vadens, et non rediens*, Psal. 77, 39. At in peccato in Spiritum sanctum nihil ejusmodi, quod culpam elevare possit, reperitur. Hæc est vera hujus loci interpretatio, non quidem mea, sed Athanasii in homil. in hæc verba; Paciani epist. 1, Anastasii q. 68 in Script., Basilii interr. 275, in Reg. brevior. Ambrosii, lib. 2 de Pœnit., c. 4, Hieron. in Comment. Quanquàm ex iis alii, cur peccatum in Spiritum sanctum non remittatur, alias rationes afferunt; in eo tamen consentiunt, peccatum in Spiritum sanctum id esse, quod explicavimus. Eòdem fere redit, quod Chrysost. ait, ideò dici nunquàm remitti, quia difficiliùs remittitur. Sed meliùs, ut diximus alii, quia naturâ suâ, cùm excusationem nullam habeat, remitti non potest; sicut alio loco Christus dixit, impossibile esse, ut dives in regnum cœlorum intret; non quòd Deo; sed quòd naturâ suâ impossibile sit. At omnia peccata mortalia, dicet aliquis, ejusmodi sunt, ut veniam naturâ suâ non mereantur: cur enim quæ mortalia non sunt, venialia dicuntur, nisi quia veniam merentur? Si igitur illa ideò venialia sunt, quia merentur; hæc quæ venialia non sunt, non merentur. Respondeo nullum peccatum mortale naturâ suâ veniam mereri; sed alia, si cum hoc comparentur, quia aliquam excusationem præ se ferunt, digna videri veniâ. Idcircò hoc solum esse, quod nunquàm naturâ suâ remitti possit : sicut multi sunt alii, præter divites, qui suis viribus in regnum cœlorum intrare non possunt, sed ideò de solis hoc divitibus dictum est : quia plus habent divitiis onusti, atque gravati, impedimenti. Hinc sequitur, quamvis Christus de solâ blasphemiâ, id est, contumeliosis in Spiritum sanctum verbis loquatur; ejus tamen sententiam, non in blasphemiâ solùm, sed in omnibus omninò peccatis, in quibus eadem est ratio, veram esse. Quale est, si quis non verbo, sed facto, aut animi cogitatione Spiritûs sancti opera dæmoni tribuat. In hoc genere nostri temporis hæretici peccant, miracula, quæ in Ecclesiâ Catholicâ fiunt, illaque maximè, quibus per exorcismos, et Eucharistiam dæmones expelluntur, aut non credentes, aut magiam interpretantes. Nam, ut Pharisæi Christum, ita illi Christi corpus, quod est Ecclesia, persequuntur, nec credunt, quæ facit, vera esse miracula. Multi hoc loco hæretici refutantur; Eunomiani, qui Spiritûs sancti negabant divinitatem, quos Ambrosius lib. 1 de Spiritu sancto, c. 3, inde refellit, quòd omnis blasphemia hominibus remittatur; blasphemia autem in Spiritum sanctum non remittatur, Sabelliani, qui tres in Deo personas confundebant, cùm hic persona Filii et Spiritûs sancti adeò distinguantur, ut, qui in illum peccat, veniam obtin[illegible] qui in hunc, non obtineat; Calvinistæ et Lutherani, quos necdùm natos Augustinus, lib. 21 de Civit., c. 24, et lib. 6 contra Julian., c. 5, et Gregor., lib. 4 Dialog., c. 39, et Beda in Commentariis hujus loci, et Bernard., serm. 66 in Cantica refutârunt; hi enim ex hoc loco purgatorium probaverunt, ex eo quod dicitur vers. 32 : *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec in hoc seculo, nec in futuro*, colligentes, aliqua in futuro seculo peccata remitti. At rident isti; quid tum? etiam Pharisæi dicta factaque Christi ridebant. Dicunt phrasim esse, quâ nihil aliud significatur, quàm peccatum in Spiritum sanctum nunquàm remitti, id à Marco declarari, c. 3, 29, qui pro *hoc seculo, et futuro*, uno verbo dicat *in æternum*. Non ignoramus phrasim esse, quæ idem valeat, quod *in æternum* : sed dicimus *æternum* illud, quod significatur, duas habere partes, hoc seculum, et futurum; et quod Marcus universè dixit, id Matthæum per partes distribuêre divisse, quod nunquàm eum facturum fuisse contendimus, nisi ad utramque partem, et præsens seculum, et futurum peccatorum remissio pertineret. Ineptum enim esse, qui ita loquatur, non ducam uxorem, nec in hâc vitâ, nec in futurâ; cùm in futurâ uxores duci non possint. Si non credunt, proferant nobis aliquod ex sacris Litteris exemplum, ubi eadem phrasis in rebus, quæ ad unum tantùm seculum pertinent, usurpetur, et vincant; si proferre non possunt, hæresim suam agnoscant, et fateantur. Rogat aliquis, quod et hæretici Sadducæorum, et Pharisæorum more, id est, non credentes, sed irridentes, nec ut credant, sed ut calumnientur, rogare solent, quomodò peccata illa, præsertim gravissima, quibus in filium hominis blasphematur, in futuro seculo remittantur; cùm nostrâ sententiâ quisquis mortali obstrictus peccato vitam finit, non temporalibus Purgatorii, sed æternis inferni pœnis condemnetur? Itaque, si in hoc seculo peccata illi remissa sunt, in altero non remittuntur, quia peccata non habet, quæ remittantur; si remissa non sunt, remitti in futuro seculo non possunt quia clausa est remissionis janua. Facilis est et expedita solutio; in futuro seculo remitti peccata dicuntur, non quòd culpa, sed quòd pœna remittatur, culpâ priùs in hoc seculo remissâ. Scio aliam esse istorum hæresim, quòd culpam retentâ pœnâ remitti posse negent. Sed tam imperitus et inconsideratus error est, ut non unius, aut alterius hominis, sed totius humani generis exemplo refutetur. Omnes enim homines peccati originalis per baptismum remissâ culpâ gravissimas atque diuturnas totâ vitâ pœnas luunt, famem, sitim, morbos, mortem, quas peccati originalis pœnas esse et Scriptura testatur, et ipsi non negant.

VERS. 32. — NEQUE IN FUTURO; ergo quædam peccata remittuntur in futuro seculo, ut ex hoc loco probat August., l. 21 de Civit., cap. 24; et Gregorius l. 4 Dialog., cap. 39; alioqui superflua esset ista adjectio. Christi temporibus futuram aliam vitam agnoscebant Judæi.

VERS. 33. — AUT FACITE ARBOREM BONAM; quòd si ad præcedentia id referatur : cùm me reprendere non possitis, nec opera mea, quid est cur me recipiatis; vel me cum operibus laudate, vel si me damnatis, opera ipsa condemnate.

res, ac personas a diversis auctoribus referuntur. Hilarius, Chrys., Euthy. et Theophyl. referunt ad Christum, ut sensus sit, cur aliter de me, aliter de meis operibus judicatis? quomodò possum ego, si, ut vos putatis, peccator sum, et spiritum immundum habeo, bona opera facere, quale est, dæmones ab hominibus expellere, cæcos, surdos, mutos, leprosos curare, mortuos suscitare? Aut ergo facite me malum, et opera mea mala, aut me bonum, et opera mea bona. Hieronymus ad diabolum, quasi dicat, dicitis me in Beelzebub ejicere dæmonia, quomodò potest diabolus arbor mala bonum fructum facere, qualis est dæmonum expulsio; *aut* ergo *facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut arborem malam et fructum ejus malum*. Beda ad utramque, arborem bonam ad Christum, ad diabolum malam, tanquàm sensus sit, quomodò possum ego, qui sum arbor bona, facere fructus malos, id est, opera diaboli, qui est arbor mala? aut dicite me esse bonum, et opera mea bona, aut me esse malum, et opera mea mala. Ambros., l. 2 de Pœnit., c. 4, arborem bonam Ecclesiam, malam Judæorum synagogam; fructus malos ipsos Pharisæos interpretatur, ut si dicat, non potest mala mater synagoga bonos filios generare. Verus sensus mihi videtur esse, quem multis locis D. Augustinus exposuit, lib. 2 de Serm. Domini *in* monte; lib. 2 de Actis cum Felice Manichæo, c. 4, lib. 2 contra litteras Petil., c. 6, et ser. 12, de Verbis Domini, arborem et bonam et malam ipsos Pharisæos appellari. Reprehendit enim Christus eorum hypocrisim, quòd cùm bona arbor videri vellent, malos tamen fructus facerent; aut quòd cùm mala arbor essent, bonos videri vellent fructus facere, jubetque aut apertè malos, aut apertè bonos esse. Potest hæc sententia illi, quæ vers. proximo sequitur, videri contraria, *quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?* Itemque illi, quæ est c. 7, 18: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*, sed benè intellecta contraria non est. Non enim dicuntur hoc loco Pharisæi mali bona, aut boni mala opera facere, quod statim fieri non posse dicitur, *quomodò potestis bona loqui, cùm sitis mali*, et in altero loco, *non potest arbor bona malos, nec mala bonos fructus facere;* sed notantur, quòd cùm mali sint, et videri velint boni, et sua opera, tanquàm sancta, religiosaque probare.

Vers. 34. — Progenies viperarum. Hæc sententia supra explicata à nobis est, c. 3, 7.

Quomodo potestis. Non negat absolutè, et omninò posse; multi enim mali cùm sint, bona loquuntur: sed dicit, quod naturale, quod usitatum, quod diuturnum est. Ita enim naturâ comparatum; ita moribus hominum consuetum est, ut mali mala, boni bona loquantur; *ex abundantiâ enim cordis os loquitur*, Matth. 12, 34. Si quando secùs fit, id, et præter naturam, et præter consuetudinem accidit, et diuturnum esse non potest.

Vers. 36. — Omne verbum otiosum. Constructio Hebraica, quâ nominativus redundat. Duo hic quæri possunt, quorsùm hoc à Christo dictum sit, et quid verbum otiosum appelletur. Omnes, quos legisse memini, auctores putant argumentum à minori ad majus esse; perinde ac si dicat; si de minimo verbo otioso; quantò magis de blasphemo, quale vestrum est, quo dicitis me in Beelzebub ejicere dæmonia, ratio in die judicii reddenda erit. Verbum autem otiosum appellari, quod nullam aut audienti aut dicenti ædificationis utilitatem affert. Hieron., Chrysost., hom. 45, Basil. in Regulis brevior., inter. 25, Ambrosius in Psal. 38, Gregorius, hom. 6 in Evangelia, Beda in Comment. Solus Theophyl. et Euthym. calumniatorium et falsum interpretantur, quod aliquos etiam vetustiores auctores dixisse Chrysostomus affirmat. Suspicor ego Hebraicè scriptum fuisse שׁוא, quod et frustra, et mendax, atque calumniatorium significare potest, ut Exod. 20, 7. Græcum autem interpretem vertisse otiosum, id est, frustra dictum; alios interpretatos alterâ nominis significatione, mendax, falsum, calumniatorium, quod magis videtur ad locum adhærere, quia Pharisæi non otiosè modò, sed etiam calumniatoriè et mendaciter de Christo loquebantur. Sed veterum auctorum sententiam, quàm conjecturam meam, eamque obscuram et incertam amplecti malo; eò etiam magis quòd videatur Christus aliquo exaggerationis genere uti, et novi aliquid, atque admirandi dicere voluisse; de verbis autem calumniatoriis, deque falsis criminationibus in die judicii reddendam esse rationem, neque novum, neque admirabile videri poterat.

Vers. 37. — Ex verbis enim tuis. Apparet hoc fuisse proverbium. Et quidem Theophyl. Scripturæ testimonium esse dicit. Fortè illud quod legimus apud Job, c. 15, 6: *Condemnabit te os tuum, et non ego, et labia tua respondebunt tibi.* Quòd autem ait: *Ex verbis tuis condemnaberis*, non ita intelligendum, quasi sola verba, aut condemnatura, aut justificatura unumquemque sint; multis enim aliis aut justificabimur, aut condemnabimur argumentis; sed ita ut ad justificandos vel condemnandos multos, qui benè aut malè locuti sunt, sola ipsorum verba sufficiant; sicut princeps ille sacerdotum in dissimili prorsùs Christi causâ dixit, c. 26, 65: *Quid adhuc egemus testibus? Ecce audistis blasphemiam.* Nam ut ille Christum ex uno verbo, quo se Filium Dei esse significaverat, condemnandum sine alio testimonio judicavit, ita ipse ex

Vers. 34. — Quomodo potestis bona loqui; id neque est usitatum, neque diuturnum, ut mali bona proferant, et loquantur.

Vers. 35 et 36. — De bono thesauro, Græcè additur καρδίας, cordis. Otiosum, si de verbo otioso, quod sine utilitate audientis, aut loquentis dicitur, ratio reddenda est, quanùo magis de blasphemiâ. Chrysostomus otiosum verbum non inutile modò, sed et falsum, et cum calumniâ conjunctum interpretatur.

Vers. 37. — Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis; non quòd sola verba unumquemque aut justificent, aut condemnent: sed ad complures puniendos aut justificandos sufficiunt, tametsi ex multis aliis prodire solet justificatio, aut condemnatio.

illo solo verbo, quo Christum blasphemâsse dixit, etiamsi aliud non haberet peccatum, damnari posset. Nemo igitur nobis infantes objiciat, qui priùs moriuntur quàm loqui possint. De iis enim agitur, qui benè malèque loqui potuerunt, et benè maleve locuti sunt. Sensus enim est adeò accuratè omnium rerum in judicio reddendam esse rationem, ut vel in minimo verbo satis Deus argumenti, ut homines vel justificet vel condemnet, sit deprehensurus. Ridiculus est omninò Calvinus, qui hoc loco ridet nos, quòd hinc hominem non solâ fide, sed verbis etiam et operibus bonis justificari colligamus. Quis enim hinc colligit? quis Catholicorum mediocriter doctus ignorat, non hîc de justificatione, quâ justi efficimur, sed de judicii agi sententiâ, quâ sumpto ex verbis nostris argumento justi declaramur? Non hoc uti solemus loco; satis habemus multa, et satis manifesta testimonia, quibus ejus hæresim refellamus. Quanquàm ne iste quidem locus, si diligentiùs excutiatur atque versetur, inutilis nobis contra illum erit. Primùm eodem modo ex verbis justificandi dicimur atque damnandi. Damnari autem non est declarari nos pro injustis habitos fuisse, sed fuisse reverà injustos; ergo è contrario justificari non est declarari habitos fuisse pro justis, sed fuisse reverà justos. Ubi ergo est figmentum imputativæ justitiæ? Deinde, cùm ex verbis nostris condemnamur, declaramur verbis ipsis, quibus malè locuti sumus, injusti facti fuisse. Nam profectò Pharisæi, qui Christum dicebant habere spiritum immundum, etiamsi fuissent ante justissimi, illo solo verbo facti fuissent injusti. Ergo cùm ex verbis justificamur, declaramur verbis ipsis; quibus benè pièque locuti sumus, facti fuisse justi. *Ore enim confessio fit ad salutem*, Rom. 10, 10; nec quidquam ad salutem, præter unam justitiam, aliquid valet.

Vers. 39. — Generatio mala et adultera. Generationem vocat Hebraico idiomate genus hominum; adulteram verò degenerem, quæ à majoribus suis degeneravit; Hebræi *filios alienos*, id est, degeneres, adulterinos vocare solent, ut Psal. 17, 46: *Filii alieni mentiti sunt mihi; filii alieni inveterati sunt*, id est, degeneres facti, sicut plantæ, quæ vetustate degenerant; et Psal. 143, 7: *Libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum.*

Et signum non dabitur ei. Ab omnibus quæritur quomodò dicat Christus: *Signum non dabitur ei*, cùm tam multa postea ab eo miracula facta sint. — Respondent Chrysost. et Euthym. non fuisse illis facta, qui obstinati erant; sed aliis, qui fructum erant ex illis percepturi. Alii facta quidem fuisse, sed non qualia illi postulabant; quærebant enim signum de cœlo, ut Marc., c. 8, 11, et Lucas, c. 11, 16, declarant, id est, ut Hieronymus ait, vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire, vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo contra naturam loci mugire tonitrua. Alii meo judicio simpliciùs, et ad rem de quâ agitur magis accommodatè, non esse dandum illis signum, id est, illis petentibus atque rogantibus quia malo animo et tentandi causâ quærebant. Hæc enim ratio est cur Deus aliorum sæpè rogatu signa dederit: Ezechiæ, Isai. 38, 22; Gedeonis, Judic. 6, 17, 36; horum verò rogatu non dederit, quia illi bono, hi malo animo petierunt. Quod, ut Chrysostomus observavit, ex verbis etiam ipsis eorum apparet; non enim rogant, sed quodammodò imperant: *Volumus à te signum videre.*

Nisi signum Jonæ prophetæ. Non invenio, qui verum sensum hujus loci, meo quidem judicio, præter Hilarium, attigerit. Nec enim, ut omnes interpretantur, sensum esse arbitror, non aliud ad faciendam fidem divinitatis suæ Christum esse daturum signum, quàm, quòd sit, sicut Jonas, post tres dies, resurrecturus. Qui enim ita interpretantur, rationem reddere non possunt, cur Jonæ potiùs signum, cùm tam multa sint, quàm aliud nominaverit. Poterat Eliæ signum promittere, qui igneo in cœlum curru sublatus est; nec enim minùs ascensu in cœlum suo, quàm resurrectione suam divinitatem probare potuisset. At ne quæstionem quidem interpretes, quos legerim, attigerunt. Quæ facilè tamen occurrit, et adeò est necessaria, ut totus hic locus sine ejus explicatione intelligi non possit. Non ergo loquitur Christus de signo ad persuadendum, sed de signo ad condemnandum; utiturque eleganti verbi ambiguitate, ut in multis aliis locis observavimus, c. 10, 39: *Qui invenit animam suam, perdet eam;* et c. 8, 22: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Sic hoc loco Pharisæos ambiguitate deludit. Cùm enim ad credendum signum petant, respondet non esse dandum illis signum, quale petunt, ut credant; sed quale non petunt, ut condemnentur. Signum autem, id est, argumentum, quo condemnabuntur, est, quòd cùm Ninivitæ homines gentiles et barbari, nullâque scientiâ legis exculti, ad unum verbum Jonæ hominis peregrini et illis ignoti crediderint, et singularem egerint pœnitentiam, illi tot Christi auditis exhortationibus, tot visis miraculis, non modò non crediderint, sed dæmonium eum habere dictitaverint. Hoc est, quod dicit vers. 41: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione istâ.* Illud huic interpretationi contrarium videri potest, quòd statim, quasi explicans quo sensu signum Jonæ prophetæ appellaverit, dicit: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, sic erit Filius hominis*, etc. Respondeo hâc explicatione nihil aliud Christum docere voluisse, quàm se esse Judæis, quod Jonas fuerat Ninivitis; eò etiam majorem, quò majus est mortuum resurgere, quàm evomi devoratum; et tamen Ninivitas Jonæ credidisse, Judæos sibi non credere.

Vers. 40. — Sic erit filius hominis. Cur Filius hominis appelletur, diximus, c. 8, 20.

In corde terræ. Beda et Euthymius cor terræ sepulcrum intelligunt, quæ hodiè est Calvinistarum interpretatio. Hoc interest, quòd illi bono, ut mortem patriarchas. Nisi signum, non dabo aliud signum, nisi mortem et resurrectionem meam. Is corde terræ, in sepulcro

Vers. 39. — Generatio mala et adultera. Quod Chrysostomus ad eorum infidelitatem, refert, aut ita vocatur, quæ frustra Abrahamum et alios jactabat

significarent, bi male intellexerunt animo, ut suum illum alterum errorem confirmarent, Christum ad inferos non descendisse. Nos non solùm sepulcrum, sed etiam infernum significari contendimus, quò verè Christus descenderit, ut ia omni semper Ecclesiâ, tanquàm pars fidei catholicæ, creditum est. Id primùm ex ipsâ phrasi probare possumus. Nam בְּלֵב *in corde*, pro, in medio, dicunt Hebræi, quia in medio animalis cor est, Ps. 45, 3: *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.* Infernus verò, non sepulcrum in medio terræ est. Deinde, quid causæ est, cur de nomine alio dictum sit, in corde terræ fuisse, cùm tot multi in sepulcro fuerint, si cor terræ sepulcrum significat? Cur nemo, præter Christum, dicitur non solùm in sepulcrum sed et in inferiores, id est, infimas partes terræ descendisse, ad Ephes. 4, 9, nisi quia non solùm in sepulcrum corpore, sed etiam in infernum animâ descendit? Denique *iis qui in carcere erant*, hoc est, in medio terræ, prædicavit, 1 Petri 3, 19, quod certè non in sepulcro fecit, sed in inferno. Nam Theodori hæretici in eum locum interpretatio tam est inepta, ut non timeamus ne cui persuaderi possit.

TRIBUS DIEBUS ET TRIBUS NOCTIBUS. Plerisque hic locus multò quàm est difficilior videri solet. Nec enim Christus tres, sed unam, aut, ut plurimùm, duas noctes in sepulcro fuisse creditur; feriâ enim sextâ, sectus ante diem Dominicum, quæ prima sabbati pulsus vocabatur, resurrexit, c. 28, 1 Marc. 16, 2, et Joan. 20, 1. Nec satisfacit illis, quod ab omnibus vetustis auctoribus dictum est, August., epistolâ 49, q. 6, Hieron. hoc loco et in Commentariis in cap. 2 Jonæ, Bedâ et Theophylacto, synecdochen esse, quâ pro toto pars ponitur; nam neque Christum tres integras noctes, nec partem trium noctium in sepulcro jacuisse. Cur non intelligant, causa est, quòd à diebus noctes disjungant, cùm sint potius cum illis conjungendæ; quòd enim dies et noctes distinctè nominaverit, non ideò fecit, ut videntur existimare, ut tres integros dies et tres integras noctes, sed ut tres naturales dies significaret, et eos ab usualibus, ut vocant, diebus distingueret; hæc enim phrasi diem et noctem solent Hebræi naturalem diem, qui viginti quatuor horarum est, declarare, Gen. 7, 4, 12; Exod. 24, 18, et 34, 28; Deut. 9, 9, 11, 18, 25, et 10, 10; et 1 Reg. 30, 12, et 3 Reg. 19, 8. Fingamus ergo dixisse tribus diebus naturalibus: nemo dubitaret per synecdochen intelligendum tribus diebus fuisse, quia trium dierum per aliquam partem fuit, partem scilicet sextæ feriæ, totum sabbatum, et partem primæ feriæ. Cùm enim Judæi à vespere diem inchoarent, nox sabbati in die Dominico, qui tertius est, numeratur. Cur ergo eodem modo dubitant intelligere, quia tribus diebus et tribus noctibus dixit, cùm nihil aliud his verbis voluerit quàm tres naturales dies significare?

VERS. 41. — VIRI NINIVITÆ. Quod quidam ex hæreticis dicit interpres, quia de signo Jonæ prophetæ mentionem Christus fecerat, in mentem illi venisse, ut de Ninivitis loqueretur, nimis ineptum ac ridiculum est. Deridebitur enim, si rogetur quâ occasione regina illi Saba venerit in mentem, cùm de Salomone mentionem non fecisset. Ergo, ut diximus, explicatio hæc est signi Jonæ prophetæ. Sed, quia exemplum reginæ Sabæ simile esse videbatur, hoc cum illo conjunxit.

VERS. 41 et 42. — CONDEMNABUNT, eorum condemnationi instabunt. REGINA AUSTRI, è confinio Arabiæ felicis versùs oceanum ad austrum positis. Unde à finibus terræ venisse dicitur.

SURGENT, non ad judicandum, ut omnes, quos legi, interpretantur, recentiores præsertim theologi, qui hoc de judicio, ut vocant, comparationis, exponunt. Nec enim judicis est surgere, sed sedere: *Sedebitis*, inquit, *super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israel*, c. 19, 28; sed surgent ad accusandum; accusatoris enim est surgere. Eodemque modo intelligendum, quod statim sequitur: *Et condemnabunt eum*. Non enim judicando, sed accusando condemnabunt. Nam et accusator condemnâsse reum dicitur, cùm in judicio ita convicit, ut ob ejus accusationem condemnaretur. Accusabunt autem, et condemnabunt non verbis, sed exemplo, quia cùm Jonæ ipsi crediderint, Judæi Christo non crediderunt. Itaque non surgent, sed ut ceteri stabunt; loquitur tamen Christus accommodatè ad consuetudinem fori. Alio sensu solent dicere Hebræi, in judicio surgere, id est, intrepidum stare, benè causam suam defendere, causâ non cadere, ut Psal. 1, 5: *Ideò non resurgent impii in judicio.* Quod Latini uno verbo dicunt stare: *Cùm pulcherrimè*, inquit, Cicero, lib. 1 Epist., *in senatu staremus.*

VERS. 42. — REGINA AUSTRI, meridionalis, quæ in Meridie dominabatur, periphrasis est reginæ Sabæ, 3 Reg. 10, 1, 4, 10, 13; et 2 Par. 9, 1, 9, unde constat longè illam latèque imperium habuisse; non enim alioqui à totâ mundi meridionali plagâ, sed ab eâ civitate in quâ regiam habebat, ut Scriptura aliis locis facere solet, appellàsset. Quod à Christo certo consilio factum arbitror, ut ejus reginæ majestatem amplitudinemque declararet. Pertinebat enim ad rem, ut reginæ Saba potentia declararetur, quò magis ejus commendaretur factum; quòd tanta regina tam longè venerit, ut Salomonis sapientiam audiret. Notanda enim vis quæ in singulis inest verbis, et tacita quædam inter Christum et Salomonem, inter Judæos et reginam antithesis: Regina, femina, barbara, potentissima, à finibus terræ venit, ut audiret sapientiam Salomonis, hominis mortalis, cæterorum similis, ut audiret sapientiam humanam utique, non divinam; non ut miracula videret, quæ nulla fecisse Salomonem legimus. Judæi, Pharisæi, viri non solùm docti, sed doctores legis venientem ad se Dominum, Filium Dei, et divinæ sapientiæ thesauros ore fundentem; inauditaque coram illis miracula facientem contemnant. Non opus est lectorem mediocriter doctum admonere, Saba, ubi hæc dicitur in Scripturâ fuisse regina, non illam orientalem fuisse, unde Sabæi thure nobiles dicti sunt populi; sed alteram meridionalem in

Æthiopiâ, civitatem regnam, ac quâ Isaias, c. 43, 3. Quam postea Cambyses sororis suæ nomine Meroem appellavit. Auctor Josephus, lib. 2 Antiquit., c. 10; Strabo, lib. 16.

VERS. 43. — CUM AUTEM IMMUNDUS SPIRITUS. Lucas, c. 11, 24, hoc ante ea, quæ supra Matthæus dixit, narravit; sed, cùm exposuerimus quorsùm hoc Christus dixerit, apparebit non Lucam, sed Matthæum rerum gestarum ordinem tenuisse. Ideò, ut opinor, Christus hoc dixit, ut doceret pejores esse Judæos, quàm si nunquàm Dei legem, et cognitionem accepissent. Cùm enim per legem diabolus quodammodò ab illis ejectus esset, quia edocti per legem sunt Deo uni ac vero; non idolis, non diabolo servire, contemptâ Dei gratiâ digni facti sunt, ut septem in eos pro uno immundo spiritu, spiritus ingrederentur. Huc tota tendit parabola, ut Hilarius, Hieron. et Beda exposuerunt. Quanquàm Chrysostomus, et Theophylact. longiùs à sensu discedentes de excidio urbis Jerosolymitanæ interpretantur; quasi Christus dicere voluerit Judæos ab exilio Babylonico liberatos, et restaurato priore templo multò gravius exidium exiliumque passuros esse, quòd oblatam per se Dei gratiam fastidiosè, arroganterque contempsissent. Hoc, inquam, etsi verum est, tamen longiùs abest à sensu. Nec enim dubito quin voluerit Christus rationem reddere, cur Pharisæi non crederent; quòd septem dæmoniis, id est, in reprobum sensum, ob contemptam Dei gratiam traditi essent. Solet enim Christus incredulitatis eorum similem aliis locis rationem reddere. *Omnis*, inquit, *plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur*, c. 15, 13; et: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, Joan. 6, 44; et: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, Joan. 8, 47.

AMBULAT PER LOCA ARIDA. Hoc ad allegoriam plerique referunt, quasi loca arida gentiles appellet, et eos omnes, qui Dei cognitione cultu non sunt, in quibus non contentus spiritus immundus commorari, quòd eos sibi jam obstrictos teneat; eos quærit, qui, cùm scientiam Dei habuerint, contempserunt; majus lucrum ratus unum ex illis pervertere, quàm in aliis multis pro suo arbitrio dominari. Ego Christum de diabolo, tanquàm de homine, loqui existimo: solent enim homines domo suâ pulsi huc illuc per sola, desertaque loca vagari, ut sedes sibi quærant, quas commodas non invenientes in priorem domum revertuntur, eamque vacuam, et à novo habitatore paratam, ornatamque reperientes, multò in eâ commodiùs quàm antequàm eâ expellerentur, habitant. Quod autem sit vers. 45: *Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se*, nihil aliud significat, quàm eos, qui optimi sunt, si quando contemptâ divinâ gratiâ, mali fiant, pessimos fieri solere; quasi pro uno spiritu immundo, qui priusquàm boni fierent, in illis erat; septem in illos ingrediantur. Septem autem Hebræorum consuetudine pro multis posuit, certum numerum pro incerto. Cujus rei, quia multa, notaque sunt exempla, non recensemus. In eo etiam de spiritibus immundis, tanquàm de hominibus loquitur; quòd dicat unum alios ad commodam habitationem invitare. Propterea enim vocat, non ut se, ac iterùm expellatur, eorum præsidio defendat, ut Chrysostomus, multique alii exposuerunt. Summa est diabolum in iis, qui boni aliquando fuerunt, si mali fiunt, libentiùs et quodammodò commodiùs habitare, quia domûs ornamenta, id est, mysteriorum cognitio, excultum scientiâ divinarum rerum ingenium, et si qua sunt ejusmodi, quæ Deo parata fuerant, illi servient. Sic fiunt posteriora eorum pejora prioribus. Experimur hoc quotidiè. Nulli pejores sunt hæretici, quàm qui, cùm boni aliquando catholici fuissent; divinam aspernati gratiam, et catholicæ fidei simplicitatem, quasi cibum levissimum fastidientes, ut juxta ollas carnium sederent, hæretici facti sunt, id est, in Ægyptum, unde per fidem exierant, perditâ fide redierunt. Nulli pejores catholici, quàm qui, cùm aliquando religiosissimi fuissent, non benè temerunt, quod habebant. Ut verissimè dixerit Augustinus, se non vidisse meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, neque pejores, quàm qui à monasteriis defecerunt. *Converti sunt*, inquit David, Psal. 77, 57, *in arcum pravum*, id est, in modum arcûs duri et manni non obedientis, qui si fortè retendatur; aut vi, et impetu suo rumpitur, aut in pejorem formam, quàm in quâ, antequàm tenderetur, erat, certè revertitur.

VERS. 46. — ECCE MATER EJUS, ET FRATRES. Fratres Christi quidam filios Joseph ex Beatâ Mariâ Christi matre interpretati sunt, quos nato jam Christo perperisset. Quæ fuit hæresis Helvidii satis superque à D. Hieronymo, scripto adversùs illum libro, refutata. Alii filios Joseph ex aliâ uxore, quàm antequàm Dei matrem duxisset, habuisset. In quâ opinione omnes penè auctores Græci fuerunt, ideòque opus non est singulos nominare: monere modò lectorem volui, ut, cùm Græcos legit, istud caveat. In eâdem est sententiâ ex Latinis Hilarius et Ambrosius, qui plerisque in rebus Græcos imitabantur auctores. Hos non miror; recentissimos quosdam, et doctos, et catholicos miror eam opinionem tenuisse. Vera sententia est, quam Hieronymus validissimè probavit, fratres Christi consobrinos, et cognatos ejus appellari, quales erant Jacobus minor, Jose, Judas et Simon, ut explicatur, c. 13, 55, filios fuisse sororis Mariæ Virginis, quæ et ipsa Maria vocabatur, Jacobum quidem, et Jose constat. Nam Mariam Cleopæ filiam, Alphæi autem uxorem, Joannes vocat sororem matris Domini, c. 19, 25. Eamdem verò Matthæus, c. 27, 56, et Marcus, 15, 40, Mariam Jacobi, et Jose matrem appellant. Quòd enim eam Gregorius Nyssenus, oratione 2 de Resurrectione, Christi matrem fuisse dicit, admittendum non est. Solitos consobrinos, et cognatos fra-

Vers. 43. — Humano more loquitur; idque insinuat longè gravius peccare Judæos, quàm si nullam Dei legem accepissent; ac dæmon ipse magis affectat præ superbiâ redire ad domum unde ejectus est, quàm novam occupare. REGIONEM, locum habitationi idoneum.

tres appellari ex multis locis manifestum est. Nam Lot, quem filium Aram fratris Abraham fuisse Scriptura testatur, Abrahami frater vocatus est, Genes. 13, 8; et Laban, cùm frater esset matris Jacob, Genes. 28, 2, Jacob frater appellatur, Genes. 29, 15. Hoc ergo sensu illi, quos supra nominavimus, fratres Domini vocantur. Major ac difficilior quæstio est, cur eò venerint, et tempore minimè opportuno cùm Christo loqui voluerint, ut non dubitaverint eum concionantem interpellare, et misso nuntio evocare foras, ut ait Marcus, c. 3, 31. Idem Marcus ejus rei causam insinuat; sed causam ejusmodi, ut neque hanc quæstionem tollat, et aliam multò majorem gignere videatur. *Dicebant enim*, inquit, vers. 21, *quoniam in furorem versus est*. Hunc locum difficiliorem pietas facit; quia enim animus horret non solùm credere, sed cogitare etiam Christi cognatos, aut dixisse, aut existimâsse eum esse furiosum, pio quodam studio nonnulli, relictâ verborum proprietate, alias quæ minùs à pietate abhorrere videruntur interpretationes quæsiverunt. Nescio an, dùm pias quærerent, falsas invenerint. Quidam igitur eorum illud Græcum verbum ἐξέστη, quod noster interpres reddidit : *In furorem versus est*, vertunt, excessit, abiit, evasit; id namque aliquando significat, quasi dicant quòd concionetur Christus, quòd dæmones ejiciat, quòd tantam hominum turbam commoveat, se invitis facere; insciis enim se domo exisse. Cujus interpretationis et Euthymius videtur fecisse mentionem. Mihi nescio quid habere videtur insulsi. Minimè enim speciosus hic erat prætextus, ut probarent velle se tenere eum, quòd ipsis invitis domo excessisset; neque enim ante eum domi invitum coercebant. Alii subtilius, nescio an meliùs, hæc verba non ad Christi cognatos, sed ad turbam referunt, et verbum ἐξέστη eodem modo, quo superiores auctores exponunt; id est, abiit, excessit, quasi cùm Christi cognati audientem turbam rogarent, uti sibi liceret eum convenire, aut ut eum ad se vocarent, turba responderit : Abiit, non est hic. Quòd autem evangelista plurali utitur verbo, non difficilè respondent nomen *turba* collectivum esse, possèque plurale verbum admittere. Idego non moror; illud moror, quomodò potuerit respondere turba : Non est hic, abiit, cùm cognati Christum, et turbam audientem viderent, quippe quam alloquerentur, et ipsum prædicantem Christum, sicut alii, qui ad ostium erant, audirent. Deinde cujus rei causam reddet particula illa, *enim*, cùm evangelista dicit : *Dicebant enim, quoniam in furorem versus est?* Haud dubium, quin illius præcedentis verbi reddatur causa : *Exierunt tenere eum*; propterea enim volebant eum tenere, quia, ut dicebant, in furorem versus erat; non ergo turba, quæ Christum audiebat, sed Christi cognati, qui, ut eum tenerent, venerant, hoc dixerunt. Omnes denique interpretationes istæ, quæ non tam rationem veram sequuntur, quàm apparentem absurditatem fugiunt, hoc uno per se refellentur, si illam, quæ his auctoribus esse videtur absurditas, non esse demonstretur. Id autem jam demonstravimus, cùm docuimus esse syllepsim; neque esse necessarium, ut aut Christi mater, aut omnes ejus fratres sive cognati; sed ut unus tantùm id eorum dixerit. Itaque rectè noster vertit interpres, *in furorem versus est*, quemadmodùm omnes boni auctores, Hieron., Beda, Euthymius, Theophylact., interpretantur. Nec quorumdam moderationem probo, qui, ut sententia mitior esse videatur, pro *in furorem versus est*, vertunt : *Mente alienatus est*, aut *in mentis excessum incidit*. Nam præterquàm quòd alienatum esse mente haud multò est mitius quàm in furorem versum esse, verbum illud præcedens : *Exierunt tenere eum*, indicat cognatos noluisse dicere Christum in excessum mentis incidisse, sed verè esse furiosum. Non enim, qui in mentis excessum incidebant, ut prophetæ et viri alii sancti divina passi, sed insani et furiosi tenebantur vinciebanturque. Pertinet ad hunc locum, ut lector intelligat, verènè putaverint Christi cognati eum furere, an id dixerint contra sententiam, ut eum ex periculo, quòd illi imminere putabant, hâc furoris simulatione subducerent. Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, et omnes quos me legisse memini, vetustiores auctores, non simulationem, sed sententiam fuisse existimant. Quibus libenter equidem eorum ductus auctoritate subscribo, quanquàm nihil absurdi esse video, si fuisse dicamus simulationem. Nam nec evangelista dicit, *putabant*, sed : *Dicebant quoniam in furorem versus est*, et si eorum volumus existimationi consulere, res est ejusmodi, ut levioris fuisse culpæ videatur id fingere quàm credere. Alia ad explanationem hujus loci perfectam reliqua est quæstio, quam ob rem cognati tenere Christum voluerint, præsertim si non credebant eum insanire, sed se credere simulabant. In proximo est ratio, si credebant, ut illi, si simulabant, ut sibi pariter atque illi consulerent. Nam si verè furiosus fuisset, aut lege, ut diximus, aut consuetudine à cognatis vinciendus alendusque erat; si furiosus verè non erat, sed esse fingebatur, timebant cognati ne quid sibi, atque illi, aut ab odio incensis Phariseis, aut à concitatâ tumultuosâ multitudine periculi crearetur, ut multi recentiores interpretes adnotaverunt.

His ita expensis, fingamus id de Christo dictum esse, non dicit evangelista eum in furorem versum; sed ejus fratres id dixisse. Eos autem ex animo dixisse credendum non est; sed, ut eo prætextu de manibus eum Pharisæorum liberarent; odorati enim fuerant, ut vero simile est, ipsorum consilium, quòd de perdendo Christo conceperant, ut supra Matthæus dixit, vers. 14. Credibile enim est consanguineos de ejus salute fuisse sollicitos. Ideò ergo venerant, ideò ejus matrem, quò plus eum moverent, adduxerant; ideò interpellant; ideò importuni sunt, quia timent, ne periculosum sit expectare, ne fortè in ipsâ concione à Pharisæis apprehendatur. Itaque, quod Tertullianus, in libro de carne Christi, Chrysostomus et Theophylactus dicunt, eos ambitione quâdam impulsos venisse, ut ostenderent se ejus esse cognatos, et aliquam in eum auctoritatem habere, à veritate alienum est. Illud nullo modo ferendum, quòd in eamdem

culpam omnis immunem culpæ Christi matrem involvant. Quod utrumque libenter calvinistæ et lutherani hæretici sunt imitati; multa etiam de suo addentes adverbiora. Nempè muscis, ut Gregorius ait Nazianzenus, similes sunt, quæ per corpus discurrentes, quod sanum est, prætereunt, quod ulcerosum ac purulentum exsugunt. Sic isti, quæ à veteribus auctoribus piè sapienterque dicta sunt, omninò contemnunt, si quid illis minùs consideratum excidit; id excipiunt, id unum laudant. Scio scripsisse Joannem, c. 7, 5 : *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Sed aliud est in eum non credere, aliud ambitiosos esse; nec hoc ex illo colligitur. Si quid autem ex eo, quòd in eum nondùm credebant, colligi potest; potiùs contrarium potest, nullâ eos ambitione ad Christum venisse; quæ enim ambitionis materia erat, si in eum non credebant? Adde quòd Joannes non significat fratres ejus nullo prorsùs modo in eum credidisse; sed non tam perfectè credidisse, quàm postea tot visis miraculis credidère; quomodò enim, si non credebant, apostoli erant? quemadmodùm idem alio loco Joannes dixit, c. 2, 11 : *Et crediderunt in eum discipuli ejus*, non quòd ante non credidissent, sed quòd magis tunc viso miraculo credidissent. Denique non est rationi consentaneum pejus de Beatâ Virgine et apostolis sentire ac loqui, quàm de quovis homine loqui atque sentire bono viro licet : qui nullius factum quantumcumque speciem peccati habeat, quamdiù benè interpretari potest, reprehendit. Apostolorum hoc loco ambitio nullo Scripturæ testimonio, nullâ vero simili conjecturâ probari potest. Quæ igitur est ista æquitas pejus de apostolis sine ullo argumento, quàm de cæteris hominibus cogitare? Simile est, quod auctor Imperf., hom. 50, divinavit, apostolos Christi cognatos à diabolo instigatos fuisse, ut eò venirent, ut homines, qui Christi divinitatem credere incipiebant, visis ejus cognatis purum hominem crederent.

Stabant foris. Hoc etiam hæretici, immeritò arrogantiæ tribuunt, quasi non sint digni in domum ingredi, et verbum Dei cum aliis audire, cùm apertè Lucas dicat ideò ingressos non esse, quia præ turbâ ingredi non potuerunt. Intolerabilis audacia non solùm sine Scripturâ, sed etiam contra Scripturam malè de apostolis judicare.

Vers. 47. — Dixit autem ei quidam. Marcus, c. 3, 30, ait : *Miserunt ad eum vocantes eum*. Itaque hunc, qui Christo matrem, fratresque ejus adesse renuntiavit, ab apostolis summissum fuisse, cum ipsi ingredi non possent, credendum est. Quòd autem Matthæus unum, Marcus et Lucas plures illi renuntâsse dicunt, facilè solvitur, unum priùs, multos deinde, ut fieri solet, cùm nondùm exiret, renuntâsse.

Vers. 48. — Quæ est mater mea. Illud primum te-

Vers. 48. — Beatior est virgo quòd mente quàm quòd carne Christum concèperit; spiritualem præfert cognationem carnali.

CAPUT XIII.

1. In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

nendum, quod Epiphanius hæres. 42, Chrysostomus et Hieronymus in hunc locum adnotârunt, non ideò hoc dixisse Christum, ut matrem fratresque negaret, et juxta Marcionem, ut ait Hieronymus, et Manichæum, qui hoc abutebantur loco, de phantasmate natus putaretur. Cur autem tam asperè responderit, et ab omnibus auctoribus quæsitum est, et non eadem ab omnibus causa reddita. Hieronymus putat eum, qui illi matrem et fratres ejus adesse renuntiaverat, nullo id animo fecisse, ut experiretur, an parentis et consanguineorum affectu tangeretur, ideòque illi, tanquàm insidiatori, asperiùs respondisse; sed jam ex Marco, c. 3, 30, probavimus illum non tentandi, sed obediendi causâ jussum à fratribus Domini earum illi adventum renuntâsse. Epiphanius autem, hæres. 42, et Chrysostomus propterea quòd importunè eum interpellabant. Ambrosius meliùs, in c. 8 Luc., *nec*, inquit, *injuriosè refutantur parentes; sed religiosiores copulæ mentium docentur esse quàm corporum*. In eamdem sententiam Hilarius scribit : *Formam*, inquit, *se ipsum universi agendi, sentiendique constituens propinquitatum omnium jus, atque nomen jam non de conditione nascendi; sed de Ecclesiæ communione retinendum*. Idem rursùs Ambrosius eumdem in locum : *Moratis*, inquit, *magister, qui se cæteris præbet exemplum, atque ipsè præceptor, ipse etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris, quoniam qui non reliquerit patrem, aut matrem suam, non est filio Dei dignus, sententiæ hujus primus ipse se subjecit, non quò maternæ refutet pietatis obsequia (ipsius enim præceptum est, qui non honoraverit patrem, et matrem suam, morte moriatur), sed quia paternis se mysteriis amplius quàm maternis affectibus debere cognoscat*. Itaque docere homines voluit posse unumquemlibet et fratrem, et matrem esse ipsius. Nec carnales parentes negat; sed spirituales præfert : sicut cùm, Lucæ 11, 27, 28, mulieri dicenti : *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti*; respondit : *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* : non negans beatum ventrem; sed mentem beatiorem affirmans, quæ audit verbum Dei, et custodit illud; nec alios matri, sed matrem matri præferens, matrem audientem, et custodientem verbum Dei, matri in utero gestanti, atque lactanti. Ideò enim mater Christi omnium hominum beatissima fuit, quia plusquàm omnes homines verbum Dei audivit, et credidit. *Beata*, inquit illa, *quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à domino*, Luc. 1, 45. Similiter hoc loco nec matrem, nec fratres suos negat, nec alios illis, sed matrem matri, fratres fratribus antèponit. Nam etsi virgo corpore verè ejus mater, et Jacobus, Jose, Judas, et Simon consanguinitate verè ejus fratres erant, tamen multò perfectiùs, et majore cum merito mente et illa mater, et illi fratres erant; quia faciebant voluntatem Patris ejus, qui in cœlis est.

CHAPITRE XIII.

1. Ce jour-là Jésus étant sorti de la maison, s'assit sur le bord de la mer.

tres appellari ex multis locis manifestum est. Nam Lot, quem filium Aram fratris Abraham fuisse Scriptura testatur, Abrahami frater vocatus est, Genes. 13, 8; et Laban, cùm frater esset matris Jacob, Genes. 28, 2, Jacob frater appellatur, Genes. 29, 15. Hoc ergo sensu illi, quos supra nominavimus, fratres Domini vocantur. Major ac difficilior quæstio est, cur eò venerint, et tempore minimè opportuno cùm Christo loqui voluerint, ut non dubitaverint eum concionantem interpellare, et misso nuntio evocare foras, ut ait Marcus, c. 3, 31. Idem Marcus ejus rei causam insinuat; sed causam ejusmodi, ut neque hanc quæstionem tollat, et aliam multò majorem gignere videatur. *Dicebant enim*, inquit, vers. 21, *quoniam in furorem versus est*. Hunc locum difficiliorem pietas facit; quia enim animus horret non solùm credere, sed cogitare etiam Christi cognatos, aut dixisse, aut existimâsse eum esse furiosum, pio quodam studio nonnulli, relictâ verborum proprietate, alias quæ minùs à pietate abhorrere videruntur interpretationes quæsiverunt. Nescio an, dùm pias quærerent, falsas invenerint. Quidam igitur eorum illud Græcum verbum ἐξέστη, quod noster interpres reddidit : *In furorem versus est*, vertunt, excessit, abiit, evasit; id namque aliquando significat, quasi dicant quòd concionetur Christus, quòd dæmones ejiciat, quòd tantam hominum turbam commoveat, se invitis facere; insciis enim se domo exisse. Cujus interpretationis et Euthymius videtur fecisse mentionem. Mihi nescio quid habere videtur insulsi. Minimè enim speciosus hic erat prætextus, ut probarent velle se tenere eum, quòd ipsis invitis domo excessisset; neque enim ante eum domi invitum coercebant. Alii subtilius, nescio an meliùs, hæc verba non ad Christi cognatos, sed ad turbam referunt, et verbum ἐξέστη eodem modo, quo superiores auctores exponunt; id est, abiit, excessit, quasi cùm Christi cognati audientem turbam rogarent, uti sibi liceret eum convenire, aut ut eum ad se vocarent, turba responderit : Abiit, non est hic. Quòd autem evangelista plurali utitur verbo, non difficilè respondent nomen *turba* collectivum esse, possèque plurale verbum admittere. Idego non moror; illud moror, quomodò potuerit respondere turba : Non est hic, abiit, cùm cognati Christum, et turbam audientem viderent, quippe quam alloquerentur, et ipsum prædicantem Christum, sicut alii, qui ad ostium erant, audirent. Deinde cujus rei causam reddet particula illa, *enim*, cùm evangelista dicit : *Dicebant enim, quoniam in furorem versus est?* Haud dubium, quin illius præcedentis verbi reddatur causa : *Exierunt tenere eum*; propterea enim volebant eum tenere, quia, ut dicebant, in furorem versus erat; non ergo turba, quæ Christum audiebat, sed Christi cognati, qui, ut eum tenerent, venerant, hoc dixerunt. Omnes denique interpretationes istæ, quæ non tam rationem veram sequuntur, quàm apparentem absurditatem fugiunt, hoc uno per se refellentur, si illam, quæ his auctoribus esse videtur absurditas, non esse demonstretur. Id autem jam demonstravimus, cùm docuimus esse syllepsim; neque esse necessarium, ut aut Christi mater, aut omnes ejus fratres sive cognati; sed ut unus tantùm id eorum dixerit. Itaque rectè noster vertit interpres, *in furorem versus est*, quemadmodùm omnes boni auctores, Hieron., Beda, Euthymius, Theophylact., interpretantur. Nec quorumdam moderationem probo, qui, ut sententia mitior esse videatur, pro *in furorem versus est*, vertunt : *Mente alienatus est*, aut *in mentis excessum incidit*. Nam præterquàm quòd alienatum esse mente haud multò est mitius quàm in furorem versum esse, verbum illud præcedens : *Exierunt tenere eum*, indicat cognatos noluisse dicere Christum in excessum mentis incidisse, sed verè esse furiosum. Non enim, qui in mentis excessum incidebant, ut prophetæ et viri alii sancti divina passi, sed insani et furiosi tenebantur vinciebanturque. Pertinet ad hunc locum, ut lector intelligat, verènè putaverint Christi cognati eum furere, an id dixerint contra sententiam, ut eum ex periculo, quòd illi imminere putabant, hâc furoris simulatione subducerent. Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, et omnes quos me legisse memini, vetustiores auctores, non simulationem, sed sententiam fuisse existimant. Quibus libenter equidem eorum ductus auctoritate subscribo, quanquàm nihil absurdi esse video, si fuisse dicamus simulationem. Nam nec evangelista dicit, *putabant*, sed : *Dicebant quoniam in furorem versus est*, et si eorum volumus existimationi consulere, res est ejusmodi, ut levioris fuisse culpæ videatur id fingere quàm credere. Alia ad explanationem hujus loci perfectam reliqua est quæstio, quam ob rem cognati tenere Christum voluerint, præsertim si non credebant eum insanire, sed se credere simulabant. In proximo est ratio, si credebant, ut illi, si simulabant, ut sibi pariter atque illi consulerent. Nam si verè furiosus fuisset, aut lege, ut diximus, aut consuetudine à cognatis vinciendus alendusque erat; si furiosus verè non erat, sed esse fingebatur, timebant cognati ne quid sibi, atque illi, aut ab odio incensis Phariseis, aut à concitatâ tumultuosâ multitudine periculi crearetur, ut multi recentiores interpretes adnotaverunt.

His ita expensis, fingamus id de Christo dictum esse, non dicit evangelista eum in furorem versum; sed ejus fratres id dixisse. Eos autem ex animo dixisse credendum non est; sed, ut eo prætextu de manibus eum Pharisæorum liberarent; odorati enim fuerant, ut vero simile est, ipsorum consilium, quòd de perdendo Christo conceperant, ut supra Matthæus dixit, vers. 14. Credibile enim est consanguineos de ejus salute fuisse sollicitos. Ideò ergo venerant, ideò ejus matrem, quò plus eum moverent, adduxerant; ideò interpellant; ideò importuni sunt, quia timent, ne periculosum sit expectare, ne fortè in ipsâ concione à Pharisæis apprehendatur. Itaque, quod Tertullianus, in libro de carne Christi, Chrysostomus et Theophylactus dicunt, eos ambitione quâdam impulsos venisse, ut ostenderent se ejus esse cognatos, et aliquam in eum auctoritatem habere, à veritate alienum est. Illud nullo modo ferendum, quòd in eamdem

culpam omnis immunem culpæ Christi matrem involvant. Quod utrumque libenter calvinistæ et lutherani hæretici sunt imitati; multa etiam de suo addentes adverbiora. Nempè muscis, ut Gregorius ait Nazianzenus, similes sunt, quæ per corpus discurrentes, quod sanum est, prætereunt, quod ulcerosum ac purulentum exsugunt. Sic isti, quæ à veteribus auctoribus piè sapienterque dicta sunt, omninò contemnunt, si quid illis minùs consideratum excidit; id excipiunt, id unum laudant. Scio scripsisse Joannem, c. 7, 5 : *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Sed aliud est in eum non credere, aliud ambitiosos esse; nec hoc ex illo colligitur. Si quid autem ex eo, quòd in eum nondùm credebant, colligi potest; potiùs contrarium potest, nullâ eos ambitione ad Christum venisse; quæ enim ambitionis materia erat, si in eum non credebant? Adde quòd Joannes non significat fratres ejus nullo prorsùs modo in eum credidisse; sed non tam perfectè credidisse, quàm postea tot visis miraculis credidère; quomodò enim, si non credebant, apostoli erant? quemadmodùm idem alio loco Joannes dixit, c. 2, 11 : *Et crediderunt in eum discipuli ejus*, non quòd ante non credidissent, sed quòd magis tunc viso miraculo credidissent. Denique non est rationi consentaneum pejus de Beatâ Virgine et apostolis sentire ac loqui, quàm de quovis homine loqui atque sentire bono viro licet : qui nullius factum quantumcumque speciem peccati habeat, quamdiù benè interpretari potest, reprehendit. Apostolorum hoc loco ambitio nullo Scripturæ testimonio, nullâ vero simili conjecturâ probari potest. Quæ igitur est ista æquitas pejus de apostolis sine ullo argumento, quàm de cæteris hominibus cogitare? Simile est, quod auctor Imperf., hom. 50, divinavit, apostolos Christi cognatos à diabolo instigatos fuisse, ut eò venirent, ut homines, qui Christi divinitatem credere incipiebant, visis ejus cognatis purum hominem crederent.

Stabant foris. Hoc etiam hæretici, immeritò arrogantiæ tribuunt, quasi non sint digni in domum ingredi, et verbum Dei cum aliis audire, cùm apertè Lucas dicat ideò ingressos non esse, quia præ turbâ ingredi non potuerunt. Intolerabilis audacia non solùm sine Scripturâ, sed etiam contra Scripturam malè de apostolis judicare.

Vers. 47. — Dixit autem ei quidam. Marcus, c. 3, 30, ait : *Miserunt ad eum vocantes eum*. Itaque hunc, qui Christo matrem, fratresque ejus adesse renuntiavit, ab apostolis summissum fuisse, cum ipsi ingredi non possent, credendum est. Quòd autem Matthæus unum, Marcus et Lucas plures illi renuntâsse dicunt, facilè solvitur, unum priùs, multos deinde, ut fieri solet, cùm nondùm exiret, renuntâsse.

Vers. 48. — Quæ est mater mea. Illud primum te-

Vers. 48. — Beatior est virgo quòd mente quàm quòd carne Christum concèperit; spiritualem præfert cognationem carnali.

CAPUT XIII.

1. In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.

nendum, quod Epiphanius hæres. 42, Chrysostomus et Hieronymus in hunc locum adnotârunt, non ideò hoc dixisse Christum, ut matrem fratresque negaret, et juxta Marcionem, ut ait Hieronymus, et Manichæum, qui hoc abutebantur loco, de phantasmate natus putaretur. Cur autem tam asperè responderit, et ab omnibus auctoribus quæsitum est, et non eadem ab omnibus causa reddita. Hieronymus putat eum, qui illi matrem et fratres ejus adesse renuntiaverat, nullo id animo fecisse, ut experiretur, an parentis et consanguineorum affectu tangeretur, ideòque illi, tanquàm insidiatori, asperiùs respondisse; sed jam ex Marco, c. 3, 30, probavimus illum non tentandi, sed obediendi causâ jussum à fratribus Domini earum illi adventum renuntâsse. Epiphanius autem, hæres. 42, et Chrysostomus propterea quòd importunè eum interpellabant. Ambrosius meliùs, in c. 8 Luc., *nec*, inquit, *injuriosè refutantur parentes; sed religiosiores copulæ mentium docentur esse quàm corporum*. In eamdem sententiam Hilarius scribit : *Formam*, inquit, *se ipsum universi agendi, sentiendique constituens propinquitatum omnium jus, atque nomen jam non de conditione nascendi; sed de Ecclesiæ communione retinendum*. Idem rursùs Ambrosius eumdem in locum : *Moratis*, inquit, *magister, qui se cæteris præbet exemplum, atque ipsè præceptor, ipse etiam suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris, quoniam qui non reliquerit patrem, aut matrem suam, non est filio Dei dignus, sententiæ hujus primus ipse se subjecit, non quò maternæ refutet pietatis obsequia (ipsius enim præceptum est, qui non honoraverit patrem, et matrem suam, morte moriatur), sed quia paternis se mysteriis amplius quàm maternis affectibus debere cognoscat*. Itaque docere homines voluit posse unumquemlibet et fratrem, et matrem esse ipsius. Nec carnales parentes negat; sed spirituales præfert : sicut cùm, Lucæ 11, 27, 28, mulieri dicenti : *Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti*; respondit : *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* : non negans beatum ventrem; sed mentem beatiorem affirmans, quæ audit verbum Dei, et custodit illud; nec alios matri, sed matrem matri præferens, matrem audientem, et custodientem verbum Dei, matri in utero gestanti, atque lactanti. Ideò enim mater Christi omnium hominum beatissima fuit, quia plusquàm omnes homines verbum Dei audivit, et credidit. *Beata*, inquit illa, *quæ credidisti quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à domino*, Luc. 1, 45. Similiter hoc loco nec matrem, nec fratres suos negat, nec alios illis, sed matrem matri, fratres fratribus antèponit. Nam etsi virgo corpore verè ejus mater, et Jacobus, Jose, Judas, et Simon consanguinitate verè ejus fratres erant, tamen multò perfectiùs, et majore cum merito mente et illa mater, et illi fratres erant; quia faciebant voluntatem Patris ejus, qui in cœlis est.

CHAPITRE XIII.

1. Ce jour-là Jésus étant sorti de la maison, s'assit sur le bord de la mer.

2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet : et omnis turba stabat in littore.

3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens : Ecce exiit qui seminat, seminare.

4. Et dùm seminat, quædam ceciderunt secùs viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : et continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ :

6. Sole autem orto æstuaverunt, et quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

10. Et accedentes discipuli, dixerunt : Quare in parabolis loqueris eis?

11. Qui respondens, ait illis : Quia vobis datum est nòsse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum.

12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.

13. Idcò in parabolis loquor eis : quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis : Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non videbitis.

15. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clausérunt : nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.

16. Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt.

17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.

18. Vos ergo audite parabolam seminantis.

19. Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secùs viam seminatus est.

20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuò cum gaudio accipit illud:

21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis : factâ autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.

22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo seculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.

23. Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum.

24. Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo.

25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus

2. Et il s'assembla autour de lui une grande multitude de peuple, de sorte qu'il monta dans une barque, où il s'assit, tout le peuple se tenant sur le rivage.

3. Et il leur dit beaucoup de choses en parabole, disant : Voilà que celui qui sème s'en alla semer.

4. Et, comme il semait, une partie de la semence tomba le long du chemin ; et les oiseaux du ciel étant venus la mangèrent.

5. Une autre tomba dans des endroits pierreux, où elle n'avait pas beaucoup de terre ; et elle leva aussitôt, parce que la terre où elle était n'avait pas de profondeur :

6. Ainsi le soleil s'étant levé, elle en fut brûlée ; et comme elle n'avait point de racine, elle sécha.

7. Une autre tomba dans des épines ; et les épines venant à croître l'étouffèrent.

8. Une autre enfin tomba dans de bonnes terres ; et elle porta du fruit, quelques grains rendant cent pour un, d'autres soixante, et d'autres trente.

9. Que celui-là entende qui a des oreilles pour entendre.

10. Et ses disciples s'approchant lui dirent : Pourquoi leur parlez-vous en paraboles ?

11. Et il leur répondit, disant : Parce que, pour vous, il vous a été donné de connaître les mystères du royaume des cieux ; mais pour eux, il ne leur a pas été donné.

12. Car celui qui a, on lui donnera, et il sera dans l'abondance ; mais pour celui qui n'a point, on lui ôtera même ce qu'il a.

13. C'est pourquoi je leur parle en paraboles, parce qu'en voyant ils ne voient point, et qu'en écoutant ils n'entendent ni ne comprennent point.

14. Et cette prophétie d'Isaïe s'accomplit en eux, lorsqu'il dit : Vous écouterez attentivement, et vous n'entendrez point ; vous regarderez bien, et vous ne verrez point.

15. Car le cœur de ce peuple s'est appesanti, et leurs oreilles sont devenues sourdes, et ils ont fermé leurs yeux, de peur que leurs yeux ne voient, que leurs oreilles n'entendent, que leur cœur ne comprenne, et que s'étant convertis, je ne les guérisse.

16. Mais pour vous, heureux vos yeux de ce qu'ils voient, et vos oreilles de ce qu'elles entendent.

17. Car je vous dis en vérité que beaucoup de prophètes et de justes ont souhaité de voir ce que vous voyez et ne l'ont pas vu, et d'entendre ce que vous entendez et ne l'ont pas entendu.

18. Vous donc autres, écoutez la parabole de celui qui sème :

19. Quiconque écoute la parole du royaume et ne la comprend point, le malin esprit vient, et enlève ce qui avait été semé dans son cœur ; c'est là celui qui reçoit le grain semé le long du chemin.

20. Celui qui le reçoit dans des endroits pierreux est celui qui, écoutant la parole, la reçoit d'abord avec joie :

21. Mais il n'y a point en lui de racine, et il n'est fidèle que pour un temps ; et lorsqu'il survient des traverses et des persécutions à cause de la parole, il en prend aussitôt un sujet de scandale.

22. Celui qui reçoit la semence parmi les épines est celui qui entend la parole ; mais ensuite les sollicitudes du siècle et l'illusion des richesses étouffent en lui cette parole, et la rendent infructueuse.

23. Enfin celui qui reçoit la semence dans la bonne terre est celui qui écoute la parole, qui la comprend, et qui porte fruit, et rend cent, soixante ou trente pour un.

24. Il leur proposa une autre parabole, disant : Le royaume des cieux est semblable à un homme qui avait semé de bon grain dans son champ.

25. Mais pendant que les hommes dormaient, son

ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.

26. Cùm autem crevisset herba, et fructum fecisset, et tunc apparuerunt et zizania.

27. Accedentes autem servi patrisfamiliàs, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminàsti in agro tuo? unde ergo habet zizania?

28. Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus, et colligimus ea?

29. Et ait : Non : ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.

30. Sinite utraque crescere usque ad messem : et in tempore messis, dicam messoribus : Colligite primùm zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.

31. Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod acceptum homo seminavit in agro suo.

32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.

33. Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis :

35. Ut impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum ; eructabo abscondita à constitutione mundi.

36. Tunc dimissis turbis, venit in domum : et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

37. Qui respondens, ait illis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis.

38. Ager autem est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam.

39. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò, consummatio seculi est, Messores autem angeli sunt.

40. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur : sic erit in consummatione seculi.

41. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem,

42. Et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium.

43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

44. Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

45. Iterùm simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.

47. Iterùm simile est regnum cœlorum sagenæ

ennemi vint, et sema de l'ivraie parmi le blé, et se retira.

26. L'herbe ayant donc poussé et étant montée en épi, l'ivraie parut aussi.

27. Alors les serviteurs du père de famille vinrent le trouver, et lui dirent : Seigneur, n'avez-vous pas semé de bon grain dans votre champ? d'où vient donc qu'il y a de l'ivraie?

28. Il leur répondit : L'homme ennemi a fait cela. Alors ses serviteurs lui dirent : Voulez-vous que nous allions l'arracher?

29. Et il leur répondit : Non ; de peur qu'en arrachant l'ivraie vous ne déraciniez en même temps le bon grain.

30. Laissez croître l'un et l'autre jusqu'à la moisson ; et au temps de la moisson je dirai aux moissonneurs : Arrachez premièrement l'ivraie, et la liez en bottes pour la brûler, et puis amassez le blé dans mon grenier.

31. Il leur proposa une autre parabole, disant : Le royaume des cieux est semblable à un grain de sénevé qu'un homme prend et sème dans son champ.

32. Ce grain est la plus petite de toutes les semences ; mais lorsqu'il a crû, il est plus grand que tous les autres légumes, et il devient un arbre, en sorte que les oiseaux du ciel viennent se reposer sur ses branches.

33. Il leur dit cette autre parabole : Le royaume des cieux est semblable au levain qu'une femme prend, et qu'elle met dans trois mesures de farine, jusqu'à ce que la pâte soit toute levée.

34. Jésus dit toutes ces choses au peuple en paraboles, et il ne leur parlait point sans paraboles ;

35. Afin que cette parole du prophète fût accomplie : J'ouvrirai ma bouche pour parler en paraboles ; je publierai des choses qui ont été cachées depuis le commencement du monde.

36. Après cela, Jésus, ayant renvoyé le peuple, vint à la maison. Et ses disciples s'approchant de lui, lui dirent : Expliquez-nous la parabole de l'ivraie semée dans le champ.

37. Et leur répondant il dit : Celui qui sème le bon grain, c'est le Fils de l'homme ;

38. Le champ, c'est le monde ; le bon grain, ce sont les enfants du royaume ; et l'ivraie ce sont les enfants d'iniquité ;

39. L'ennemi qui l'a semée, c'est le diable ; la moisson, c'est la fin du monde ; les moissonneurs, ce sont les anges.

40. Comme donc on ramasse l'ivraie et qu'on la brûle dans le feu, il en arrivera de même à la fin du monde.

41. Le Fils de l'homme enverra ses anges, qui arracheront de son royaume tous les scandales et ceux qui commettent l'iniquité,

42. Et ils les jetteront dans la fournaise du feu ; c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents.

43. Alors les justes brilleront comme le soleil dans le royaume de leur Père. Que celui-là entende qui a des oreilles pour entendre.

44. Le royaume des cieux est semblable à un trésor caché dans un champ, qu'un homme trouve et qu'il cache : et dans la joie qu'il a, il va vendre tout ce qu'il possède, et achète ce champ.

45. Le royaume des cieux est encore semblable à un marchand qui cherche de belles perles,

46. Et qui en ayant trouvé une de grand prix, va vendre tout ce qu'il a, et l'achète.

47. Le royaume des cieux est encore semblable à

missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.

48. Quam cùm impleta esset, educentes, et secus *litus* sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione seculi : exhibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum,

50. Et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium.

51. Intellexistis hæc omnia ? Dicunt ei : Etiam.

52. Ait illis : Ideò omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamiliàs, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

53. Et factum est cùm consumásset Jesus parabolas istas, transiit inde.

54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent : Unde huic sapientia hæc, et virtutes ?

55. Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas ?

56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt ? unde ergo huic omnia ista ?

57. Et scandalizabantur in eo : Jesus autem dixit eis : Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ et in domo suâ.

58. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem.

un filet jeté dans la mer, qui prend toutes sortes de poissons ;

48. Et lorsqu'il est plein, les pêcheurs le tirent sur le bord, où s'étant assis, ils mettent ensemble tous les bons dans des vaisseaux, et ils jettent dehors les mauvais.

49. Il en sera de même à la fin du monde : les anges viendront, et ils sépareront les méchants du milieu des justes,

50. Et ils les jetteront dans la fournaise du feu ; c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents.

51. Avez-vous bien compris tout ceci ? Ils lui répondirent : Oui.

52. Et il ajouta : C'est pourquoi tout docteur instruit de ce qui regarde le royaume des cieux, est semblable à un père de famille qui tire de son trésor des choses nouvelles et des choses anciennes.

53. Après que Jésus eut achevé ces paroles, il partit de là, *quittant le séjour de Capharnaüm.*

54. Et étant venu en son pays, il les instruisait dans leurs synagogues, de sorte qu'étant saisis d'étonnement, ils disaient : D'où est venue à celui-ci cette sagesse et cette puissance ?

55. N'est-ce pas là le fils du charpentier? sa mère ne s'appelle-t-elle pas Marie ? et ses frères Jacques, Joseph, Simon, et Jude ?

56. Et ses sœurs ne sont-elles pas toutes parmi nous? D'où lui viennent donc toutes ces choses ?

57. Et il leur était un sujet de scandale. Mais Jésus leur dit : Un prophète n'est sans honneur que dans son pays et dans sa maison.

58. Et il ne fit pas là beaucoup de miracles, à cause de leur incrédulité.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — In illo die, quo in domo concionante illo tanta hominum multitudo concurrerat, ut domus eos capere non posset, ideòque fratres ejus foris starent, quia ingredi non poterant, supra, c. 12, 46, et Luc. 8, 19. Idcircò domo exit, et ad mare contendit, ut latiorem in locum concionem educeret, quemadmodùm Euthymius adnotavit.

Vers. 2. — Et congregate sunt ad eum turbæ. Ideò hoc narrat evangelista, ut concionis et parabolarum quas narraturus est occasionem exponat ; ideò enim concionem habuit Christus, et parabolas multas, illam præsertim de semine in diversum terram cadente proposuit, quia turbam magnam auditorum vidit, in quibus et ipse sciebat, et erat per se vero simile alios viæ, alios petrosis locis, alios spinosis, alios bonæ terræ similes esse.

Ita ut in naviculam ascendens sederet. In naviculam ascendit, vel ne à multitudine opprimeretur, et audiri non posset, vel, ut Chrysostomus et Theophylactus existimant ut omnes auditores ante conspectum

Vers. 3. — Tres sunt velut partes parabolæ, procemium, quòd sæpè omittitur, ut in hâc parabolâ de semine. Secunda est fabula ; tertia applicatio. In nonnullis argumentum sumitur à similibus, ut in hâc parabolâ de semine ; in aliis ex dissimilitudine, argumento sumpto, vel à minori, affirmativè, ut Lucæ, 11 : vel à majori, negativè, ut Lucæ, cap. 16, de divite epulone. In Evangelio sæpè dicitur : *Simile est regnum cœlorum*, non quòd Ecclesia cum iis rebus conferatur : sed quia in Ecclesiâ tale aliquid contingit. Sic in hoc capite, v. 24, sator non comparatur regno

suum, et in se intentos haberet. Nam Hilarii et Hieronymi allegoriam, etsi bella omninò est, tamen quia est allegoria, prætermitto.

Vers. 3. — In parabolis, per parabolas, *in* pro *per*, ex Hebræorum linguâ, apud quos ב *in* idem valet, quod *per*, ut *in manu prophetæ*, id est, per manum prophetæ. Parabolæ Græcis sunt Latinis *similitudines*, Hebræis *ænigmata*, sermo qui aliud sonat, aliud significat, obscuris rerum similitudinibus involutus. Nomen est apud ecclesiasticos auctores adeò usitatum, ut quemadmodùm in nonnullis superiorum seculorum scriptoribus observavi, omne verbum parabolam appellaverint ; unde Italis et Gallis *parola*, Hispanis *palabra*, quasi parabola facta est. Cur autem non apertè et explicatè, per parabolas Christus hoc loco locutus sit, ipse infra explicabit, vers. 13.

Qui seminat. Periphrasis agricolæ ὁ σπείρων, *seminans*, id est, seminator, qui seminare solet.

Vers. 4. — Et dum seminat, καὶ ἐν τῷ σπείρειν, *et in seminando*, id est, dùm seminaret. Reliqua usque ad

cœlorum, sed rem ita se habere docet Dominus, ut si aliquis serat, etc. Marci c. 4 apertiùs id exprimitur : *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram.* Hæc omnibus quæ sequuntur parabolis vir doctus in suis regulis proferre operæ pretium duxit, ad earum faciliorem intelligentiam : prima parabola fuit de semine, quod ut terra varié erat disposita, sic diversam habuit sortem, eaque ad verbum Dei pertinet, quod penès diversam animorum dispositionem varié procedit.

versum 9 explicabuntur vers. 19.

Vers. 10. — Qui habet aures. Excitat auditorum studium ut diligenter parabolæ significationem inquirant, vide c. 11, 15.

Vers. 11. — Quia vobis datum est. Commovetur hic de prædestinatione et reprobatione difficilis quæstio, de quâ ego antequàm nostræ de eâ re theologicæ scholæ exeant, non libenter, quasi ex itinere, dico sententiam. Tantùm attingam quæ ad eos locos de quibus agetur explanandos necessaria mihi esse videbuntur. Duo hic quæri possunt : alterum, cur apostolis datum ; alterum, cur aliis non datum. Catholici, qui D. Augustini de prædestinatione sententiam sequuntur, ideò apostolis datum esse docent, quia prædestinati ; ideò aliis non datum, quia reprobati erant ; hoc enim loco inter alios, ut sententiam de prædestinatione et reprobatione suam probaret, usus est August. in lib. de Prædestinatione sanctorum, c. 8 et 16, lib. de Bono perseverantiæ, c. 8, 9, 11, et lib. de Gratiâ et lib. Arbit., c. 23, et lib. de Corrept. et Gratiâ, c. 4, 6, 7, 8. De Augustini, ut dixi, opinione non disputo, de hujus loci interpretatione disputo, et multos graves, antiquos, doctos secutus auctores, affirmo non eam fuisse causam cur apostolis datum sit mysteria regni cœlorum cognoscere, quòd prædestinati, nec eam, cur aliis datum non sit, quòd reprobati essent, sed quòd Apostoli digni essent, alii indigni, ut Hilarius, Chrysost. hom. 46, Hieron. auctor, Operis imperfecti, Beda, Theoph., Euthym. existimant. Primùm non omnes apostoli prædestinati erant ; nam certè Judas non erat prædestinatus, et tamen *omnibus datum est nòsse mysteria regni cœlorum* ; omnibus enim Christus parabolam explicavit ; non ergo ideò datum, quia prædestinati erant. Contra verò non omnes, qui erant in turbâ præter apostolos reprobati erant. Quis enim id credat ? Omnibus tamen negatum est ; non igitur ideò illis non datum, quia reprobati erant. Præterea etsi, cur datum sit apostolis, apertè explicatum non est, tamen, cur aliis datum non sit, explicatum est, *quia videntes non videbant, et audientes non audiebant*, id est, quia cùm credere nollent atque intelligere, indigni erant quibus mysteria regni cœlorum explicarentur, vers. 15 ; propterea ergo apostolis datum, quia digni erant, quia intelligere, quia credere volebant, quia quæsiverant, ut ait Marcus, c. 4, 10. Quâ ratione credendum est Christum his dedisse, et illis negâsse, nisi quâ postea apostoli ejus voluntatem et exemplum secuti gentibus dederunt, Judæis negaverunt ? Act. 13, 46 : *Vobis*, inquiunt, *oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Quâ ratione credimus Christum his dedisse, illis negâsse, nisi quâ alioloco dicit : *Auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus?* cap. 21, 43. Cur enim illis ablatum, nisi quia fructus ejus non faciebant ? Cur his datum, nisi quia sciebantur esse facturi ? Illud verò, quod Calvinus dicit, verba Christi obscura non fuisse, sed auditores cæcos, ideòque intelligere non potuisse, non solùm falsò, sed etiam imperitè ac ridiculè dictum est. Nam apostoli profectò cæci non erant, et tamen sensum parabolæ, donec illis Christus exposuit, non intellexerunt. Sed scio quid Calvinus velit, et dicere non audeat, sibi ac suis omne verbum Dei facile et perspicuum esse, quia oculos, id est, Spiritum sanctum habent ; apostolis difficile, quia cæci erant, et Genevensi carebant spiritu.

Vers. 12. — Qui enim habet, dabitur ei. Proverbialem fuisse locutionem inde colligitur quòd aliis etiam locis in eamdem sententiam à Christo repetatur, ut infra, c. 25, 29. Simile apud Hispanos proverbium est, quo significatur divitibus omnes dare, pauperibus auferre. Sensus autem est, ita plerumque fieri solere, ut ei qui plus habet, plus detur, quia plus meretur ; ei qui non habet, etiam si quid reliquum illi est, auferatur, quia indignus est ut habeat. Id parabolâ illâ de talentis, c. 25, 28, aptissimè explicatum est, ubi propterea illi, qui quinque habebat talenta, aliud insuper datum est, quia illud benè negotiando, et alia quinque talenta lucrando meruerat, propterea verò alteri unum, quod solum habebat, talentum, aufertur, quia illud in sudarium involverat, et dùm non multiplicavit, indignum se qui haberet effecit. Id etiam, vel ex nostris moribus discere possumus : si pecuniam negotiandi causâ daturi sumus, illi potiùs mercatori damus, quem benè negotiando divitem factum scimus, et quò plus pecuniæ habet, plus illi pecuniæ concredimus. Contra illi, quem suâ negligentiâ pauperem videmus, non solùm nihil damus, sed si quid illi dederamus, id etiam, ne fortè perdat, repetimus. Capite 25, 29, et Lucæ 8, 18, non dicitur : *Et id quod habet, auferetur ab eo* ; sed : *Id quod videtur habere*, aut, *quod putat se habere.* Quod occasionem multis præbuit hunc locum ex illis interpretandi, quasi non sit ablatum Judæis quod reverà habebant, sed quod sibi habere videbantur. Quod si verum esset, nihil illis verè esset ablatum. Nec enim verè aufertur, quod verè non habetur. At Christus aliquid verè auferri significat ; alioqui nulla esset pœna. Videmus autem illum hoc Judæis, tanquàm pœnam, comminari ; et, c. 25, 29, talentum, quod negligens ille servus non solùm habere videbatur, sed habebat, auferri jubet, et alteri dari. Cur ergo dicit : *Quod videbatur habere ?* vel quia dixerat : *Non habenti auferetur*, et poterat aliquis dubitare quomodò non habenti auferri posset, dixit non quod habebat, sed *quod habere videbatur.* Vel, ut ait D. August., quia perinde habebat, ac si non haberet, cùm eo non uteretur, non dicitur habere, sed habere videri. Quid ergo Judæis, quod habebant, ablatum est, quia oblatâ Evangelii gratiâ uti noluerunt ? — Respondent Hieron.,

Vers. 6. — Æstuaverunt. Æstu percussa sunt, et exusta. Audiendi, aures mentis ad intelligendum.

Vers. 12. — Qui enim habet, quod habere debet, et eo benè utitur, plus meretur. Qui autem non ha-

Chrysostom. et auctor Operis imperfecti ablatam illis esse ipsam quodammodò naturam, id est, naturalem cognitionem, quia excæcati sunt, ita ut ne illa quidem, quæ duce naturâ intelliguntur, intelligerent. Quis enim philosophus, si tot Christi ac tanta miracula oculis suis perspexisset, non credidisset aliquam in eo fuisse divinitatem? Apostolis ergo gratiam ad intelligenda divina mysteria jam habentibus, eâque benè utentibus, major insuper gratia ad majora mysteria comprehendenda data est; illis neque habentibus, neque recipere oblatam volentibus natura quodammodò ipsa erepta est. Ex hoc loco nostra de meritis sententia aptissimè potest, ut mihi videtur, explicari. Nam qui gratiam Dei non habet, nihil omninò mereri potest, nisi ut etiam aliquid sibi ex ipsis rebus naturalibus auferatur. Qui autem habet, eâque benè utitur, quò plus habet, et melius utitur, eò plus gratiæ meretur, eò plus accipit; et quò plus accipit, eò dignior fit ut plus etiam accipiat. Ita semper quod ait Christus, verum est: *Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit, qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo.*

Vers. 13. — Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes, non vident, id est cùm miracula certissima eorum quæ dico argumenta oculis suis videant, et auribus audiant, nec intelligere nec credere volunt. In pœnam ergo incredulitatis obscurè illis loquitur, quia dùm, quæ perspicuè ac dilucidè illis dicebantur, intelligere noluerant, illud meruêre, ut ita illis loqueretur, ut, etiamsi vellent, intelligere non possent. Sic solet Deus justissimo judicio, iis qui oblatum verbum suum repudiârunt, prorsùs auferre; servat enim ipse imprimis præceptum suum: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, ut dixit c. 7, 6. Sic minatur apud Amos illis qui tot prophetis credere noluerant, c. 8, 11: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Cur ergo illis Christus parabolis proponebat, cùm intelligi ab illis nollet? — Rectissimè, homil. 46 Chrysostomus, respondet, ideò nolebasse eos intelligere, ut intelligerent. Excitatur enim auditorum studium, et inquirendi diligentia, cùm ea audiunt quæ non intelligunt, et habere tamen magnarum rerum significationem animadvertunt. Ita fit ut pœna illis in emendationem evadat, nisi pœnâ ipsâ etiam abotantur. Hujus loci si qua erat difficultas, explanata est. Alia venit ex Marco, qui, c. 4, 12, ait Christum dixisse: *Propterea in parabolis loquor, ut videntes non videant, et audientes non intelligant, nequando convertantur, et dimittantur eis peccata.* Quod enim dicit: *Ut videntes non videant, et audientes non intelligant*, jam ex Chrysostomi sententiâ explicatum est. Quod autem adjungit: *Ne quando dimittantur illis peccata*, nec eâ ratione, nec aliâ explicari videtur posse, quàm ut Christus eos converti et salvos esse nolit. Eodem tamen modo Chrysostomus respondet, sic noluisse Christum Judæos converti, et peccata illis remitti, sicut intelligere noluit quæ dicebat; non in perpetuum, sed ad tempus clausit illis salutis januam, ut pulsarent, qui, cùm aperta esset, ingredi noluerant. Nitimur enim in vetitum. Noluit tunc malè converti, ut, cùm se derelictos viderent, meliùs converterentur. Noluit tunc peccata illis dimitti, ut vexati malis debitum agnoscerent, et commodiùs illis tempore, majorique cum fructu dimitterentur. Aliter Euthymius in illum Marci locum scribens, hæc verba: *Nequando convertantur, et dimittantur eis peccata*, non conjungit cum verbo, *in parabolis loquor*, quasi propterea Christus in parabolis loqueretur, ne illis peccata conversis remitterentur; sed refert ad verba illa: *Ut videntes non videant, et audientes non intelligant*, ut sensus sit, propterea nolle eos videre et intelligere, nè convertantur, et peccata illis remittantur; sicut de impio et perdito homine dixit David, Psal. 35, 4: *Noluit intelligere, ut benè ageret*, id est, ne benè ageret. Ac verò apud Isaiam prophetam, ad quem his verbis Christus allusit, hic sensus est, ut vers. 15 explicabimus. Sed quocumque tandem modo hic locus intelligatur; certè non ita intelligitur, ut significetur Christum nolle ut convertantur, et peccata illis remittantur. Illæ enim nobis, quæ non ambiguæ, sed certæ, non obscuræ, sed dilucidæ sunt, fixæ debent esse sententiæ velle Deum omnes homines salvos fieri, nolle quemquam perire, nolle mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat; non voluntatis ejus mortem esse impii, et aliæ penè innumerabiles generis ejusdem, quibus tota Scriptura sacra plena est.

Vers. 13. — Cùm videant miracula, iis nolunt credere; unde in pœnam incredulitatis obscurè loquitur; sic tenebræ tenebris, et obscuritas voluntariæ cæcitati redditur.

Vers. 14. — Auditu audietis; ex Isaiæ c. 6, 9, juxta Septuaginta versionem; non videbitis, non intelligetis. Matthæus causam affert cur non intelligant, nec credant; Marcus et Lucas eventum *ut videntes non videant.*

Vers. 14. — Auditu audietis, ex Isaiæ c. 6, 9, juxta Septuaginta versionem; non videbitis, non intelligetis. Matthæus causam affert cur non intelligant, nec credant; Marcus et Lucas eventum *ut videntes non videant.*

Vers. 14. — Et adimpletur in eis. In eis adimpletur quod de vetere populo dictum erat: *Auditu audietis, et non intelligetis*; in me verò, quod de Deo: *Excæca, Domine, cor populi hujus.*

Auditu audietis, et non intelligetis. Quæ hic per futura tempora dicuntur, apud Isaiam, c. 6, 9, in Hebræo per imperativa dicta sunt: *Audiendo audite, et ne intelligatis; et videndo videte, et ne videatis.* Septuaginta verò existimantes imperativa, ut sæpè apud Hebræos fieri solet, pro futuris poni, per futura converterunt, quos hìc sive Matth., sive Matthæi Græcus Latinusque interpres secutus est. Uterque sensus benè convenienterque, loco hæret. Nam si per futurum legimus, non quid eos Deus facere velit, sed quid ipsi facturi sint, significatur. Si per imperandi modum, sensus verus est et elegans, sed difficilior, quia videtur illis Deus imperare, ut audiant et non intelligant. Sed hâc etiam phrasi, quamvis imperando loqui videatur, tamen non imperat; neque quid ipse velit, sed quid illi sint facturi, declarat; quemadmodùm Galli servo perdito solent dicere: Cave ne vir bonus sis, non imperando, non volendo, ut bonus vir non sit; sed declarando se scire eum bonum virum nunquàm futurum. Sic loquitur Christus, infra, c. 23, 32: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Imperare enim videtur quod non imperat, sed declarat eos esse facturos. Nec enim concessio est, ut plerique putant, sicut: *I, sequere Italiam ventis*, Virgil. Æneid. 4; sed modus loquendi Hebræis familiaris longè plus habens energiæ.

Vers. 15. — Incrassatum est enim. Quod hìc per præteritum dictum est, apud Isaiam mandandi modus est, *incrassa, impingua cor populi hujus.* Similiter quod sequitur, *et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt*, Hebraicè est *aures eorum aggrava*, et *oculos eorum caligine offunde*, id est, *excæca*, ut illic D. Hieronymus vertit; Septuaginta verò iisdem verbis converterunt, quibus hìc Evangelista usus est, ut vero simile sit, quod in præfatione ad quatuor Evangelistas dixisse memini, sæpè Græcum Matthæi interpretem testimonia, quæ ex vetere citantur Testamento, non ut sunt in Hebræo, sed ut in Septuaginta interpretibus conversa transtulisse. Cur autem ita Sept. converterint, in libro Hebraicarum lectionum rationem reddimus. Nempè tria verba Hebræa aliis punctis legerunt, quàm nunc leguntur ab Hebræis. Nunc enim legimus *impingua, incrassa*; illi legerunt *impinguatum est, incrassatum est*: nunc legimus *aggrava*; illi legerunt *aggravatum est*, quod per periphrasim explicarunt, τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, *auribus graviter audiverunt*; nunc legimus *caligare fac*, illi legerunt *oculus eorum caligine offusus est*, et per periphrasim, *et oculis suis caligaverunt.* Versio Septuaginta, quam aut evangelista, aut ejus interpres hoc loco secutus est, multò meliorem habet sensum, quia Deus ipse loquitur, non propheta; Deus autem non dixisset, *impingua cor populi hujus, et aures eorum aggrava*; qui enim dixisset, cùm nemo præter ipsum, aut excæcare cor, aut illuminare possit? Deinde, quia jam cor populi impinguatum erat, jam aures aggravatæ, jam oculi excæcati, propterea enim dixerat, *audiendo audite, et nolite intelligere*, quia sciebat adeò excæcatos esse, ut etiamsi audirent, intellecturi non essent. Non ergo nunc jubet Deus, aut propheta orat, ut excæcentur, qui cæci jam erant; sed reddit rationem, cur intellecturi non essent, quia cæci erant. Itaque supervacaneum hoc loco est, quomodò Deus excæcare et indurare dicatur, disputare; de eâ re in epistolâ ad Rom., c. 9, Deo juvante disseremus.

Vers. 15. — Incrassatum est enim. Quod hic per præteritum dictum est, apud Isaiam mandandi modus est, *incrassa, impingua cor populi hujus.* Similiter quod sequitur, *et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt*, Hebraicè est *aures eorum aggrava*, et *oculos eorum caligine offunde*, id est, *excæca*, ut illic D. Hieronymus vertit; Septuaginta verò iisdem verbis converterunt, quibus hìc Evangelista usus est, ut vero simile sit, quod in præfatione ad quatuor Evangelistas dixisse memini, sæpè Græcum Matthæi interpretem testimonia, quæ ex vetere citantur Testamento, non ut sunt in Hebræo, sed ut in Septuaginta interpretibus conversa transtulisse. Cur autem ita Sept. converterint, in libro Hebraicarum lectionum rationem reddimus. Nempè tria verba Hebræa aliis punctis legerunt, quàm nunc leguntur ab Hebræis. Nunc enim legimus *impingua, incrassa*; illi legerunt *impinguatum est, incrassatum est*: nunc legimus *aggrava*; illi legerunt *aggravatum est*, quod per periphrasim explicarunt, τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, *auribus graviter audiverunt*; nunc legimus *caligare fac*, illi legerunt *oculus eorum caligine offusus est*, et per periphrasim, *et oculis suis caligaverunt.* Versio Septuaginta, quam aut evangelista, aut ejus interpres hoc loco secutus est, multò meliorem habet sensum, quia Deus ipse loquitur, non propheta; Deus autem non dixisset, *impingua cor populi hujus, et aures eorum aggrava*; qui enim dixisset, cùm nemo præter ipsum, aut excæcare cor, aut illuminare possit? Deinde, quia jam cor populi impinguatum erat, jam aures aggravatæ, jam oculi excæcati, propterea enim dixerat, *audiendo audite, et nolite intelligere*, quia sciebat adeò excæcatos esse, ut etiamsi audirent, intellecturi non essent. Non ergo nunc jubet Deus, aut propheta orat, ut excæcentur, qui cæci jam erant; sed reddit rationem, cur intellecturi non essent, quia cæci erant. Itaque supervacaneum hoc loco est, quomodò Deus excæcare et indurare dicatur, disputare; de eâ re in epistolâ ad Rom., c. 9, Deo juvante disseremus.

Vers. 16. — Vestri autem beati oculi. Videri potest huic sententiæ illa esse contraria: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, et crediderunt*, Joan. 20, 29. Nam prophetæ illi, et justi, quibus apostolos Christus antefert, eò fuisse videntur apostolis beatiores, quòd non viderint et crediderunt. Facilis erit solutio, si spectemus, quid hìc, quid illic Christus agat. Hìc apostolos prophetis beatiores dicit, quia cùm utrique crediderint, tamen quæ credebant, et videre optabant, illi viderunt, hi non viderunt. Et erat meritò in beatitudine ponendum filium Dei tam diù expectatum, tam ad liberandos à tyrannide diaboli homines necessarium videre illis contigisse. Hoc enim sensu Simeon ille, qui redemptionem Israelis expectabat, cum Christum in ulnas excepisset, dixit, Luc. 2, 29: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Cùm autem dixit, Joan. 20, 29: *Beati qui non viderunt et crediderunt*, illos qui non videntes credunt illis præfert, qui oculis fidem metientes, non credunt, nisi quod vident. Sunt, qui, ut has sententias concilient, hunc locum non de oculis corporeis; sed de oculis mentis interpretentur, ut Hieronymus, et Chrysostomus; sed non est istud necessarium; præter quàm quòd de solis oculis mentis intelligi non potest; quibus prophetæ, et justi Christum venturum viderunt. *Abraham*, inquit, *exultavit ut videret diem meum, vidit, et gavisus est*, Joan. 8, 56; et non est dubium voluisse Christum apostolos prophetis anteferre, quòd, quæ prophetæ longè, illi propè; quæ prophetæ obscurè, illi perspicuè; quæ prophetæ spiritu, illi oculis etiam vidissent, manibusque tenuissent, sicut Joannes ait, 1 epistolâ, c. 1, 1, 2: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, testamur, et annuntiamus vobis*; et Petrus epist. 2, 1, 18, 19: *Et hanc*, inquit, *vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum illo in monte sancto, et habemus firmiorem propheticum sermonem.* Atque hoc sensu Theophylactus et Euthymius exponunt.

Vers. 16. — Quia vident, et corporis et mentis oculis. Quod quidem non adversatur verbis Christi, Joan. 20: *Beati qui non viderunt*: Sensus enim hìc est, ii Deo sunt gratiores, qui non visis, nec ratione naturali demonstratis crediderunt, sed propter auctoritatem divinam.

Vers. 17. — Multi prophetæ et justi. Nominat nobilissimas quasque personas, quæque dignissimæ fuisse videbantur, quæ Christum viderent, nec tamen videre potuerunt, quò magis gratiam et felicitatem apostolis à Deo concessam commendât. Quò etiam spectat, quod Lucas, c. 10, 24, ad prophetas non justos, sed reges adjungit. Credibile enim est Christum ea tria personarum genera præstantissima nominâsse, prophetas, justos, et reges, sed Matthæum reges, Lucam justos prætermisisse. Quod autem Ifieron. et Euthym. adnotaverunt non dixisse Christum omnes prophetæ, sed multi; quòd aliqui ex illis viderint, ut Abraham, qui exultavit, ut videret diem Christi, vidit, et gavisus est, verisimile non esse arbitror; quin multos pro omnibus posuit; ut apostolis, qui pauci erant, opponeret, ut Rom. 5, 19, multisque aliis locis factum videmus. Nam ne ipse quidem Abraham ita Christum vidit, quemadmodùm apostoli viderunt.

Vers. 18. — Vos ergo. Vos qui vidistis, quæ multi prophetæ et justi voluerunt videre, et non viderunt; et audistis, quæ voluerunt audire, et non audierunt; vos quibus datum est nôsse mysteria

regni cœlorum, cùm cæteris datum non sit, ut dixit vers. 11.

Audite. Intelligite parabolæ significationem; jam enim parabolam audiverant. Marcus, c. 4, 13, indicat apostolos à Christo subreprehensos, quòd parabolam non intellexissent, cùm primùm audierunt: *Nescitis parabolam hanc, et quomodò omnes parabolas cognoscetis?* quasi dicat, si hanc, quæ omnium facillima est, non intelligitis, quomodò omnes alias, quæ difficiliores sunt, intelligetis? sicut infra, c. 15, 16, *adhuc et vos sine intellectu estis?* Reprehendit ergo, non quòd intellectu res esset facilis; quis enim nostrûm, si audisset, nemine interpretante intelligere potuisset? sed quòd, cùm tam diù cum ipso versati fuissent, et deberent magistri esse propter tempus, præceptore in iis rebus, quas ipsi aliis explicare deberent, indigerent. Ut alio loco: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me*, Joan. 14, 9.

Vers. 19. — Omnis qui audit verbum regni. Evangelium.

Et non intelligit. Non recondit altè in animo, non fovet, non meditatur, et quasi terra cordis sui non tegit. Nam non intelligere, non semper culpa est; hic autem culpa notatur. Sic ergo hoc loco accipitur intelligere, quemadmodùm Psal. 40, 1: *Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem*, id est, qui curam illius habet, qui illum fovet, qui tegit, qui nutrit; redundat nominativus *omnis* ex Hebraeorum idiomate.

Venit malus, ὁ πονηρὸς, malignus, diabolus, ut c. 6, 13, et aliis locis, quos illic adnotavimus.

Hic est, qui secus viam seminatus est. Verba hæc occasionem multis præbuerunt longam texendi disputationem, quomodò ille qui audit, et non intelligit, secus viam seminatus dicatur, cùm non ipse, sed granum seminatum sit. Nam, dùm seminat, aliud cecidit secùs viam, aliud in petrosa, versu 5. Res non est, ut mihi videtur, adeò difficilis, ut tam longis indigeat commentariis. Seminari dicitur, et semen quod jacitur, et ager, in quem jacitur. Nam et sata inde dicuntur agri ipsi, qui seruntur. Ergo, qui audit verbum regni, et non intelligit, secus viam seminatus dicitur, non ut semen; sed ut ager, et terra, quæ secus viam dura est, prætereuntium calcata vestigiis. Eodem modo, quod vers. 20, 22, et 23, dicitur, intelligendum est. Seminatorem Christus se ipsum vocat; semen verbum Evangelicum; agrum mundum, diversam in eodem agro terram, aliam secus viam, aliam petrosam, aliam spinis coopertam, aliam bonam, homines diversos, volucres, dæmones, qui id quærant ne quod bonum semen in nostris animis foveatur. Eos, qui audiunt, et non intelligunt calcatæ viæ comparat, quia, ut semen, quod in viam cadit, nullâ tegitur terrâ, sed avibus expositum manet; sic verbum Dei, quod in aures corporis incidit, in animum verò non descendit, quasi nullâ terrâ tectum, facilè à diabolo diripitur.

Vers. 20. — Qui autem super petrosa seminatus est, semen excipit; vide superiorem versum.

Et continuò cum gaudio accipit illud. Intelligit, recondit, cordis terra tegit; opponit enim hunc illi, qui cùm audiat, non intelligit, versu præcedente. *Cum gaudio* autem dixit, ut significaret hominis levitatem. Nulli enim minùs constantes auditores esse solent, quàm, qui initio maximè videntur ardere. Id etiam in religione sæpè usu venit. Qui citò veniunt, citò abeunt; hoc est quod sequitur.

Vers. 21. — Non habet autem in se radicem, constantiam; non habet altè impressum Dei verbum, quia non habet terram multam, id est, magnam, profundamque, ut ita dicam, voluntatem. Ideò semina, quæ in eam ceciderunt, continuò exorta sunt, quia non habebant terram multam, ut dixit vers. 5. Nam semen, quod solâ terræ superficie tegitur, citiùs exoritur, sed citiùs etiam æstuante sole, et adustis radicibus arescit. Quod in terram altè descendit, serò nascitur, diù virescit. Utriusque rei eadem est causa, quia terram habet multam, quæ quominùs citò enascatur, et appareat, impedit; natum ex imo misso humore nutrit.

Continuò scandalizatur. Cadit, id est, fidem deserit; hoc enim verbum significat. Tria terræ genera distinxit, quæ nullo modo arata est, ut via, et nullam, ut ita dicam, terram habet; quæ paucam habet; quæ multam, et fortassè bonam, sed spinis opertam, quas, si non haberet, uberem esset fructum redditura. Hoc est, quod ait.

Vers. 22. — Qui autem seminatus est. Vide versum 19.

In spinis. Qui in terram quidem multam ac bonam; sed spinis plenam semen excipit.

Hic est qui verbum Dei audit. Plus quàm dicit significat. Intelligendum enim est, qui audit, et intelligit, ut de superiore dixit, cum gaudio accipit illud. Hunc enim illi præponit, tanquàm propiùs ad eos, qui multiplicem fructum ferunt accedat. Nascitur etenim in illo verbum, sed sollicitudo seculi istius, et fallacia divitiarum illud suffocat, efficitque, ut fructum non ferat. Sollicitudinem hujus seculi uno verbo vocavit, quidquid in illo, præter regnum Dei, magno studio homines quærunt, honorum ambitionem, negotialites, et quidquid à quærendo regno Dei hominem tardat. In quibus et divitiæ comprehenduntur, sed eas propterea nominatim expressit, quia maxima pars hominum quasi publico eas studio consectantur. Fallaces verò appellat, et quia fugaces et instabiles sunt, et quia homines fallunt. Hebraica enim est phrasis, fallacia divitiarum, pro fallacibus divitiis, ut corpus mortis hujus, pro corpore hoc mortali, Rom. 7, 24.

Vers. 19. — Omnis, πανταὸς; phrasis est Hebraica, quâ antecedenti posito sine dictione regente, attexitur relativum. Sensus est, de corde cujuscumque hominis audientis, et non intelligentis, id est, non fidem suscipientis, venit diabolus, qui rapit quod seminatum est. Verbum regni, Evangelii.

Vers. 20. — Seminatum esse ad personam refertur, instar agri, aut terræ secùs viam positæ.

Vers. 23. — Qui verò in terram bonam seminatus est. Quemadmodùm eorum, qui fructum non ferunt, tria fecit genera; ita ut notavit Hieronymus, tria eorum, qui fructum ferunt, genera distinguit, quibus omnes unius, atque alterius generis homines comprehendit. Bonam autem terram appellat non solùm, quæ naturâ suâ bona est; sed quæ benè culta, quæ subacta, quæ purgata est. Nam et, quæ secus viam est, bona est, sed arata non est: et, quæ spinis operta, bona fortassè, sed inculta. Illa absolutè bona dicitur, quæ et naturâ pinguis, et diligentiâ benè culta est. Sic exemplum magis in homines convenit. Quorum eadem, id est, bona per se natura est, bona per se voluntas; sed eam alii, aut non colendo viæ similem; aut non altè arando petrosam; aut non sarriendo spinosam faciunt.

Hic est, qui audit verbum, et intelligit. Meditatur, exercet, ut supra, vers. 19.

Et facit aliud quidem centesimum. Græcè: *Hoc quidem centum, hoc autem sexaginta, hoc verò triginta.* Sed Græcè nomina, ut Grammatici vocant, numeralia cardinalia posita sunt pro numeralibus distributivis, ut constat ex sensu; voluit enim dicere singulas mensuras, alias centenas, alias sexagenas, alias tricenas afferre. Latinus verò interpres pro centenis, sexagenis, tricenis, *centesimum, sexagesimum, trigesimum* dixit; non satis usitatè, quanquàm aliqui non mali auctores ita locuti sunt. Fructum vocat, aut opera bona, quæ fidei, et verbi Dei fructus esse solent, ut, *auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*, c. 21, 43; aut, quod magis credo, vitam æternam, ut 2 Cor. 9, 6: *Qui parcè seminat, parcè et metet*: et: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*; et ibidem, vers. 10: *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*, et ad Gal. 6, 7, 8: *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam*, et Jacob. 3, 18: *fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.* Itaque duo ex hoc loco Calvinistarum et Lutheranorum errores refelluntur. Alter, quod nos vitam æternam mereri negant: fructus enim non solùm terræ qualitati, sed etiam colentis diligentiæ respondet. Imò secundùm divinam gratiam unusquisque seipsum, ut ait Augustinus, bonam, vel malam terram facit. Alter, quòd omnium beatorum præmium æquale faciunt, cùm videamus alios centesimum, alios sexagesimum, alios trigesimum fructum afferre, prout nimirùm quisque terram colit. Lucas, c. 8, 15, addit, *et fructum afferunt in patientiâ*, quod non ideò dixisse arbitror Christum, quòd quicumque volunt in illo piè vivere, persecutionem patiantur, 2 ad Tim. 3, 12, ut in quibusdam nostrorum hæreticorum commentariis lego: sed quia, *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, sup., c. 10, 22. Alludit enim Christus, de semine et ejus fructu agens, ad patientiam agricolarum, *quoniam debet in spe, qui arat arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi*, 1 Cor. 9, 10. Deinde, quia voluit hos illis opponere, qui continuò exorti sunt, quia terram multam non habebant supra, vers. 5. Illi enim fructum non ferunt; hi serò quidem et diù, patienterque expectatum, sed tamen eo uberiorem ferunt. Ridet Calvinus omnes veteres interpretes haud paulò, ut opinor, ipso meliores, quòd centesimum fructum alii ad virgines, sexagesimum ad viduas, trigesimum ad conjuges referant, ut Hieronymus in hunc locum, et lib. contra Jovinianum primo, et in Apologiâ ad Pammachium, et Athanasius in Epistolâ ad Ammun. Alii centesimum ad martyres, sexagesimum ad virgines, trigesimum ad viduas, ut idem refert Hieronymus. Alii centesimum ad martyres, sexagesimum ad virgines, trigesimum ad conjuges, ut Augustinus, lib. 1 QQ. Evang., q. 9. Alii centesimum ad martyres, sexagesimum ad eos qui bona propter Christum contemnentes vendunt universa quæ habent, et dant ea pauperibus; trigesimum ad eos qui contenti sunt præceptorum observatione, ut auctor Imperfecti, homil. 31. Alii centesimum ad anachoretas, sexagesimum ad cœnobitas, trigesimum ad conjuges, ut hoc loco Theoph. Calvinus nullos in suâ ecclesiâ habere vult gradus, omnes apud illum, sicut apud ejusdem hæresis auctorem Jovinianum æquales sunt, omnes sancti, omnes perfecti. Non ignorabant isti auctores, qui à Calvino ridentur, non propterea Christum hæc tria genera distinxisse, ut virgines, viduas, conjuges, aut martyres, virgines, viduas significaret; sed parabolam ad mores nostros alii aliter, omnes utiliter accommodârunt. Sciebant Christo illud tantùm fuisse propositum, ut doceret omne semen quod in bonam terram cadit, adeò multiplicari, ut, quod minimum ferret fructum, trigesimum ferret, quantùm non nisi optima et benè culta terra ferre solet; quod maximum, centesimum, quod mediocrem, sexagesimum. Nam etsi August. subtiliter de his numeris, ut solet, disputat, tamen non tam interpretando quàm concionando facit. Calvinus, dùm non concionatur, sed interpretatur, absurdè et turpiter errat, quia, quod cum primis Christus significare voluit, negat, ullam meritorum, ullam fructuum atque præmiorum esse differentiam.

Vers. 24. — Simile est regnum cœlorum homini. Non opus est disputare quid per regnum cœlorum significetur. Manifestum enim est Evangelium significari. Quòd autem non semini, sed homini seminanti simile dicatur, c. 11, 16, explicatum à nobis est. Nihil enim aliud voluit Christus dicere, quàm perinde se

Vers. 23. — Hieron. l. 1, contra Jovinianum: Triginta referuntur ad nuptias, sexaginta verò ad viduas; porrò centesimus numerus exprimit virginitatis coronam.

Vers. 24 et 25. — Simile factum est, etc. Simile quiddam contingit in Ecclesiâ. Cum autem dormirent homines, cùm præpositi Ecclesiæ negligentiùs se haberent; superseminavit zizania, malos, ut hæreticos latentes.

Evangelium habere, atque si quis in agro suo bonum semen seminaverit, et aliquis ejus inimicus superseminet malum.

Vers. 25. — Cum autem dormirent homines, id est, omnes, quem hebraismum sæpè jam adnotavimus, ut c. 5, 15. Galli dicerent : Cùm totus mundus dormiret. Tres inprimis res hâc parabolâ Christus voluit significare. Primùm in Ecclesiâ non solùm bonum semen, id est, homines bonos, sed etiam malum, id est, homines malos esse; deinde, se non esse mali seminis auctorem, sed boni; malum à diabolo seminatum; postremò malum semen, quod seminatum à diabolo est, se patienter usque ad messem laturum esse, nec statim evulsurum.

Vers. 26. — Et fructum fecisset, spicam protulisset, grana genuisset; unde potissimùm bona et mala herba dignoscitur; messis enim nondùm venerat. Parabolam Christus ipse exponit, vers. 37. Ipse est qui seminat; ejus ager mundus; bonum semen filii regni, id est, boni, qui regni cœlorum hæredes sunt, aut evangelica doctrina, quæ bonos eos facit; zizania, filii nequam, οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ maligni, id est, diaboli, ut vers. 19. Dicuntur autem filii diaboli, qui ejus opera imitantur, ut Joan. 8, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere*, et 1 Joan. 3, 8 : *Qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.* Reliqua perspicua sunt. Qui sint homines quibus dormientibus zizania diabolus seminavit, qui servi, qui accesserunt ad dominum, rogaveruntque, velletne ut zizania evellerent Christus non explicat, ideò, ut opinor, quia ista ad parabolæ significationem, quam Christus sibi proposuerat non pertinebant. Multa enim in parabolis, non ad significandam, sed ad implendam narrationem adhibentur; non quasi parabolæ partes, sed quasi emblemata, non quia necessaria sunt, sed quia fieri solent. Omnes tamen veteres interpretes homines dormientes episcopos et eos qui regendæ Ecclesiæ curam habent, interpretantur; quòd etsi multis non placere video, utinam verum non esset; quanquàm non ignoro Christum tantùm significare voluisse diabolum occultè et nemine advertente zizania seminâsse; servos autem, qui dominum rogant velitne ut zizania evellant, ardentes aliquos Ecclesiæ ministros esse, qui et hæreticos et malos catholicos, bono quodam et pio religionis studio, de medio tolli vellent. Sunt qui hoc loco abutantur, ut probent aut non puniendos, aut non occidendos hæreticos. Quod qui faciunt, de se ipsi mihi videntur esse solliciti. Primùm quidem non de solis agitur hæreticis, sed de omnibus filiis diaboli, qui filiis regni opponuntur; inter quos præcipua quidem species hæretici sunt, totum autem genus non sunt. Itaque, qui hæreticos tollendos esse negant, multò magis fures, multò magis homicidas tollendos esse negare debent. Tantò enim perniciosiores hæretici quàm fures et homicidæ sunt, quantò majus est scelus animas furari atque occidere, quàm corpora. Ideò ergo veteres ferè omnes auctores, ut Chrysost., Hieron. et August., de hæreticis interpretantur, non quia soli, sed quia maximè zizania sunt. Præterea ut soli hæretici intelligantur, tamen non absolutè paterfamiliâs prohibet evelli zizania; sed ne fortè simul et triticum eradicetur; tunc ergo ex sententiâ et voluntate illius evellenda non sunt, cùm periculum est, ne et triticum eradicetur, ut rectè D. Aug., lib. 3 contra Epistolam Parmeniani, c. 2, et D. Thomas maximus theologus observavit; cùm ergo periculum non est ne simul triticum eradicetur, sed periculum potiùs est ne, si non evellantur, triticum lædant; quid opus est messem expectare? Maturè evellenda sunt, maturè comburenda. Præterea, cur periculum est ne simul cum zizaniis triticum evellatur, aut cur jubet paterfamiliâs messem expectare, nisi quia ante messem dignosci et separari à tritico non possunt? Cùm ergò et dignosci possunt et separari, utique separanda sunt, utique comburenda. *Præmonet Dominus*, inquit Hyeron., *ne ubi quid ambiguum est, citò sententiam proferamus, sed Deo judici terminum reservemus, ut cùm dies judicii venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu ejiciat.* Calvinistas et Lutheranos quis non cognovit? quis hæreticos esse non videt, qui vix ullam antiquam hæresim non renovârunt? Nullus unquàm profectò hæreticus fuit, nullus hæreticus esse potest, si illi hæretici non sunt. At sunt quieti : qui unquàm fuère turbulentiores? qui unquàm tot excitârunt bella? qui unquàm tantâ usi crudelitate, tantùm humani sanguinis effuderunt? Neque verò hæc ideò dico, quòd non malim eos converti quàm occidi; sed tantùm principes, aut quia principes ista lecturi non sunt, eos, qui principes monere possunt, admoneo, non licere illis istas quas vocant conscientiæ libertates nimiùm nostro tempore usitatas hæreticis dare, nisi priùs Ecclesia aut is qui Ecclesiæ caput est, Romanus Pontifex, Christi persona et tanquàm paterfamiliâs, judicaverit non posse evelli zizania, nisi simul et triticum evellatur; et è re Ecclesiæ esse, ut usque ad messem permittantur utraque crescere. Hujus enim rei non principum, qui patrisfamiliâs servi sunt, sed ipsius patrisfamiliâs, id est, Ecclesiæ gubernatoris judicium esse debet. Nec debent principes patremfamiliâs rogare ut sinat utraque crescere usque ad messem; sed an velit ut eant et evellant zizania. Ita eos affectos atque paratos esse oportet, ut à patrefamiliâs coerceri potiùs opus sit quàm incitari.

Vers. 31. — Simile est. Tertiam ejusdem generis parabolam ponit; adhuc enim de semente, id est, de initio loquitur Evangelii. Per primam declaravit di-

Vers. 28. — Colligimus ea, non statim, nec mali omnes eradicandi : multi sunt occultè mali, multi non ita perversi, quin speranda sit eorum salus; neque adeò possibile est, imò nec expedit malos omnes à bonis separare, sed per disciplinam ecclesiasticam, et civilem sic agendum, ut atrocia quæque plectantur scelera.

Vers. 31. — Simile est regnum, etc. Profectum doctrinæ evangelicæ, et illius efficaciam hâc parabolâ designat.

versum Evangelii effectum prout in bonam vel malam terram cadit, cùm seminatur. Per secundam, quomodo superseminato per diabolum malo semine, adulteretur. Per hanc, quantam bonum Evangelii semen habeat vim, et ex quàm parvo initio in quàm admirandam magnitudinem excrescat. Non dubito quin regnum cœlorum in hâc parabolâ, sicut in præcedentibus Evangelium significet, aut, quod idem est, fidem, doctrinam evangelicam, verbum Dei, quemadmodùm Ambrosius in c. 13 Lucæ, Chrysostomus, homil. 47, Theophylactus, Euthymius, Hieronymus, Beda et Augustinus, serm. 31 et 33 de Sanctis, interpretantur. Etsi Hilarius Christum ipsum regnum cœlorum et granum sinapis; alii verò Ecclesiam vocari putant. Omnia, quod ad sensum attinet, eòdem redeunt. Nam et Christus lapis sine manibus excisus in montem magnum factus esse dicitur, Dan. 2, 35, et Evangelium paulò post, vers. 33, fermento comparatur, quia occultam crescendi vim habet, et Ecclesia luna in Scripturis sacris vocari solet, quæ initio tenuis et exigua, in dies crescit, quoad plena sit. Sic enim Ecclesia initio quidem exigua et obscura fuit, *incipientibus*, inquit, *à Jerusalem*, Luc. 24, 47, semper increscit, donec totum compleat orbem; hoc enim de Christo verè dici potuit, qui dominaturus est *à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum*, psal. 71, 8. D. Augustinus non alio magis argumento Donatistas in uno Africæ angulo, sicut nunc Calvinistæ Genevæ Ecclesiam catholicam concludentes refellit, quàm quòd non possit Ecclesia post tot annos tam angustis terminis definiri. Ecclesia, inquit, lunæ similis est, si quis novam lunam primo et secundo die non videt, dignus est veniâ; qui autem jam plenam non videt, cæcus est. Quod propterea dixi, quia multò magis contra Calvinistas nunc, quàm contra Donatistas tunc valere arbitror. Si enim August. Donatistas, quia quadringentis post Christum annis Ecclesiam non videbant, cæcos appellat, quo nomine Calvinistas, qui mille quingentis octoginta post annis non solùm non vident, sed ne videri quidem posse dicunt, appellâsset?

Grano sinapis. Augustinus, serm. 31 et 33 de Sanctis, propter ardorem regnum cœlorum grano sinapis comparari putat, quod multi alii non tam docendo quam concionando secuti sunt. Nec enim dubium est quin propterea grano sinapis simile dicatur esse, quod, cùm initio parvum sit, in ingentem magnitudinem crescat, ut ex sequenti versu intelligitur.

Vers. 32. — Quod minimum quidem est omnibus seminibus. Sive Hieron., sive alius quis fuit interpres qui hoc modo convertit, credendus est non ignorantiâ sed certo potiùs consilio solœcismo usus esse. Quod et septuaginta interpretes multis in locis simili de causâ fecisse in eorum idiomatis adnotavimus. Quod enim Græcè per comparativum dictum est, μικρότερον πάντων σπερμάτων, minus omnibus seminibus, vim habet superlativi. Solent enim frequenter Græci comparativis pro superlativis uti, ut cùm apostoli dicuntur inter se disputâsse quis eorum esset major, id est, quis maximus. Voluit igitur interpres comparativum in superlativum vertere, ut verum sensum exprimeret, et tamen comparativi constructionem retinere, ut non superlativum sed comparativum Græcè esse indicaret. Quo autem modo granum sinapis minimum omnium seminum esse dicatur, cùm alia minutiora, ut papaveris semen esse constet, frustrà mihi videntur nonnulli interpretes disputare. Nec enim minimum omnium dicitur, quòd omnium omninò minimum, sed quòd ex omnium minimis unum sit. In proverbialibus enim sententiis, qualem istam apud Hebræos fuisse credendum est, ut, cùm aliquid valdè parvum esse significabatur, grano sinapis simile esse diceretur, cùm eâ comparatione non uno tantùm loco, sed pluribus Christus utatur; ut cùm dicit : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, c. 17, 20, in hujusmodi, inquam, sententiis non solemus philosophicè et subtiliter, sed populariter, et ex vulgi opinione loqui. Vulgus autem inter usitata semina granum sinapis, aut minimum putat, aut verè in minimis numerat, quemadmodùm Matthæus, c. 5, 26, quadrantem pro minimâ monetâ dixit : *Non exies*, inquit, *inde, donec solvas novissimum quadrantem*; non quòd minima esset, sed quòd ex minimis : nam certè minutum alterâ parte minus erat. Itaque Lucas, ut idem significaret, non dixit : *Donec solvas novissimum quadrantem*, sed : *Novissimum minutum*, c. 12, 59. Quomodò arbor fiat, cùm herba sit, nonnulli etiam quærunt ac disputant, qui sinapi, ut opinor, non viderunt. In calidioribus locis longè supra humanam staturam assurgit, ut, ubi copia est, sylva esse videatur. Vidi ego sæpè in Hispaniâ sinapi loco lignorum magnos furnos ad coquendum panem calefieri. Amant vehementer aves ejus granum; itaque, cùm fervente æstate maturuit, in ejus ramis, ut semen edant, insidere solent, quas, etiamsi multæ sint, possunt infracti sustinere. Hoc est quod dicit : *Ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.* Habitare dixit pro sedere, sicut è contrario sedere sæpè ponitur pro habitare, propter hebraicum verbum ישב, quod utrumque significat. Quare non debuerunt novi quidam interpretes vertere *κατασκηνοῦν*, *nidulari*, cùm nec verbum id propriè significet, nec sententiæ veritas respondeat. Nam ego, qui magnas aliquando sinapis sylvas vidi, incidentes sæpè aves vidi, nidos non vidi. Quid per aves cœli significetur opus non est quærere, quia non ideò de avibus mentionem Christus fecit, ut aliquid indicaret novi mysterii; sed ut arbusculæ magnitudinem firmitatemque declararet, quæ insidentes aves sustinere possit. Itaque non est, ut soleo dicere, pars parabolæ; sed emblema. Si quis tamen contendet aliquid præterea significare, non repugno; sed potiùs doceo convenienter litteris sacri reges et principes, eosque omnes, qui, ut loquitur D. Paulus *in sublimitate constituti sunt*, 1 Tim., 2, 2,

Vers. 32. — Quod minimum est, proportione quâdam : nam pro mole suâ magnam producit plantam, præsertim in locis calidioribus. Proverbium est apud Judæos usitatum, ut rem minimam granum sinapi vocitent.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

significare posse, qui in Evangelio et Ecclesiâ sustentantur, et, ut solet Chrysostomus dicere, signum crucis gestant in frontibus. Nam et apud Danielem, c. 4, 9, volucres quæ in ramis magnæ illius arboris erant, quid aliud quàm principes et reges significabant, qui quasi sub Nabuchodonosoris umbrâ vivebant? Olim Ecclesia in republicâ erat, nunc respublica est in Ecclesiâ.

Vers. 33. — Aliam parabolam. Proponit aliam, et in alio genere parabolam, sed idem significantem, regni cœlorum ex parvo initio maximum incrementum esse sumptum. Diversas habet fermentum proprietates. Corruptio quædam est massæ nimis calefactæ. Et quia conceptum in se calorem habet, vim etiam continet ea, quibus immiscetur, augendi. Propter priorem proprietatem in malam partem poni solet, ut 16, 6 : *Caveté à fermento Pharisæorum et Sadducæorum*; et 1 Cor. 5, 6 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; et 7 : *Exurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio*. Propter secundam ponitur in bonum, illique regnum cœlorum comparatur; quod sicut fermentum, cùm modicum sit, in magnam massam immissum totam pervadit, et multò, quàm erat, majorem reddit; ita verbum Dei uno loco seminatum totum pervaserit terrarum orbem; ita Ecclesia initio minimo, brevi tempore longè latèque in omnes terræ partes propagata sit : *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei, extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus*, Psal. 79, 12.

Quod accepetum mulier. Quòd mulierem potiùs, quàm virum dixit, nullam aliam causam fuisse arbitror, quàm quòd pinsere magis muliebre, quàm virile officium sit; etsi eos non reprehendo, qui concionantes potiùs, quàm Scripturam enarrantes, mulierem, divinam sapientiam interpretantur. Mulier ergo, aut pars necessaria parabolæ non est, sed ideò nominata, quòd id plerùmque mulieres facere soleant, aut, si pars est, evangelicum doctorem significat, qui verbum Dei in animos auditorum, quasi fermentum in massam infundit. Nec enim sexus, sed officium spectari debet.

Abscondit. Miscuit, ita confudit, ut non appareret, quasi abscondisset.

In farinæ sata tria. סאה satum vocant Hebræi genus quoddam mensuræ rerum liquidarum, quæ, ut ait Josephus, lib. 9 Antiq., c. 2, et Hieron., hoc loco, modium Italicum, et dimidium continebat. Tria sata faciebant Ephi. Auctam fuisse mensuram post Babylonicum exilium tradunt Hebræi, in lib. משנת. Sunt, qui nostrâ ætate de Hebræorum mensuris scripserint; ad eos lectorem mittimus; nos de Evangelio, non de mensuris agimus. Cur tria sata potiùs quàm plura, aut pauciora nominaverit, Chrysostomus et Euthymius respondent tria pro omnibus posuisse, quasi diceret, quantùmcumque farinæ fermentare velit, non nisi paululùm fermenti miscere. Alii dicunt ideò dixisse tria, quòd tria sata efficerent unum Ephi, et solerent plerùmque mulieres unum farinæ Ephi pinsere ac coquere, ut fecit Sara, Genes. 18, 6. Potiùs credo ideò tria posuisse, quòd Ephi tria sata contineret, eaque esset usitatissima mensura; sicut apud Hispanos, quam *fanecam*; apud Gallos, quem *boisseau* vocant.

Vers. 34. — Et sine parabolis non loquebatur eis. Tunc, et in eâ concione de quâ agitur; nam et ante, et post multas alias parabolas proposuit, ut c. 20 et 22, et 25, ut Chrys., hom. 48, Euthym., Theophylact., exponunt. Vide quæ diximus supra, vers. 11; Marcus, c. 4, 33, addit : *Prout poterant audire*, quod quidam interpretantur, accommodans sese ad auditorum captum, sensu menti Christi penitùs contrario; non enim, ut meliùs intelligerent; sed, ut non intelligerent, in parabolis loquebatur, ut vers. 13 et 14, explicatum est. Quod ergo ait Marcus *prout poterant*, nihil aliud significat, quàm Christum obscurè locutum esse, ut qui posset capere, caperet, ut ipse explicat alio loco, cùm similem parabolam proposuisset, infra, c. 19, 12, vel, ut Euthymius locum illum Marci interpretatur, *prout poterant*, id est, prout digni erant; non enim erant digni ut illis Christus apertè et sine parabolis loqueretur, ut vers. 13, significavit.

Vers. 35. — Ut adimpleretur. *Ut* hoc loco non significat causam, quam ob rem Christus per parabolas locutus sit; non enim ideò per parabolas loquebatur, ut Davidis dictum adimpleret; sed quia auditores indigni erant, quibus apertè loqueretur, ut vers. 11, 12 et 13, explicatum est. Nec vult evangelista docere Davidis prophetiam propriè à Christo impletam fuisse. Non enim erat prophetia; sed rerum præteritarum historia, de quâ David agebat; neque nomen משל, quo David usus est, hoc genus parabolarum significat eo loco, quibus hic Christus utebatur, quamvis utrumque genus Hebræi משל, id est, parabolam appellent; nam hic evangelista vocat parabolas, obscuras et similitudinibus adumbratas locutiones; illic David, Psal. 77, 2, cùm dicit : *Aperiam in parabolis*, aut *in parabolas os meum*, vocat חידות parabolas breves et acutas sententias, quas ἀινίγματα Græci nominant. Sed evangelista, ut solet, quod à Davide alio sensu dictum erat, non ad eumdem, sed ad similem sensum accommodavit, ut c. 2, 15, 17, explicavimus.

Vers. 33.—Simile est regnum, etc. Hæc parabola uti et præcedens progressum Ecclesiæ à tenuibus initiis et vim illius demonstrat. Abscondit; S. Chrysologus, serm. 99 : *Res de usu geritur, vir in agro sinapis arborem serit; domi mulier fermentum procurat, et panes præparat alimoniæ : quia virum foris exspectat labor, intus mulierem domestica cura constringit*. In farinæ satis tribus; tria sata efficiebant mensuram Ephi, quæ simul pinsi solebat, Genes. 18, vel ut aliis placet, Ephi tantùm capiebat, quantùm homo humeris suis portare poterat.

Vers. 34 et 35. — Et sine parabolis non loquebatur eis; idque ut plurimùm. Ut impleretur, ita ut illud impletum fuerit, quod, Psal. 77, scriptum est : *Aperiam in parabolis os meum*, mysteria nemini adhuc reserata.

Vers. 37. — Qui seminat. Hæc, quæ sequuntur usque ad versum 42, supra, vers. 24 et 25, exposita sunt.

Vers. 41. — Omnia scandala. Scandala vocat eos, per quos scandala venerunt, id est, zizania, et filios diaboli.

Et eos qui faciunt iniquitatem. Hebraismus : *Et omnes qui iniquitatem exercent*, et, ut ita dicam, *iniquitatis artem factitant*; magis enim habitus, quàm actus hebraïcâ phrasi significatur.

Vers. 42. — In caminum ignis. In Gehennam ignis, ut, c. 5, 22, 29, 30, et 10, 28, et infra, c. 18, 9.

Ibi erit fletus. Hæc explicata sunt, c. 8, 12.

Vers. 43. — Tunc. Cùm scandala sublata erunt; cùm zizania separata, quæ impediant, quominùs triticum appareat; cùm paleæ eventilatæ fuerint, quæ triticum tegebant, quominùs effulgeret, ut in parabolâ areæ declaratur supra, c. 3, 12, et Luc. 3, 17. Fulgor gloriam significat, ut in Christi transfiguratione apparet, c. 17, 2. Itaque beati soli, lunæ, et stellis comparari solent, ut ibidem : *Et splenduit facies ejus sicut sol*. Et Danielis 12, 3 : *Qui autem docti fuerint*, id est, qui benè sapienterque vitam suam gubernârint; hos enim Scriptura vocare solet מבינים habentes intellectum, sicut Galli, non eos, qui docti sunt, sed eos, qui moderati, sapientes appellantur : hi ergo, inquit Daniel, *fulgebunt, quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ, in perpetuas æternitates*, et 1 Cor. 15, 41, 42 : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum; stella enim ab stellâ differt in claritate; sic erit resurrectio mortuorum*.

Qui habet aures. Significat id quod dixerat, auditorum maximè interesse. Vide, c. 11, 15.

Vers. 44. — Simile est. Hanc parabolam non jam omnibus auditoribus; sed solis domi apostolis propositam à Christo fuisse nonnulli putant, ut colligitur ex vers. 36. Euthymius hoc loco; ego vero similius esse arbitror ante dictam fuisse unà cum superioribus; sed quia Apostoli non omnium parabolarum, sed zizaniorum, postquàm domum redierunt, explicationem petierunt, evangelistam post zizaniorum parabolam narrâsse, quomodò domum rediisset, et parabolam apostoli sibi explicari postulâssent. Idemque de omnibus, quæ hoc capite sequuntur, dicendum est. Hactenùs quatuor parabolis seminantis, grani sinapis, boni seminis, et mali, et fermenti duas regni cœlorum proprietates declaravit, quomodò diversum habeat in diversis hominibus effectum; et quomodò ex parvo initio magnum sumat incrementum; nunc pretium exponit, ut doceat quanti illud homines facere debeant, et quantâ quærere diligentiâ. Regnum cœlorum hoc loco eodem modo, quo in superioribus parabolis pro fide, Evangelio, Evangelicâ doctrinâ accipiendum existimo, ut Ambrosius, serm. 2, in Psal. 118; Euthymius, et Theophylactus. Etsi sunt, qui regnum cœlorum Christum vocari putent, ut Ireneus, lib. 4, c. 43, Hilarius, Athanas, q. 54, si tamen illius quæstiones sunt, Hieronym. in comment. et Vigilius, lib. 3, de Incarnatione. Sunt qui vetus et novum Testamentum, ut August., lib. 1 Quæst. evang., c. 15, et Beda, quod et Hieronymus approbat.

Thesauro, rei quæ æstimari non potest. Qui enim tantùm habent pecuniæ, ut numerari non possit, eos thesaurum habere dicimus. Ita D. Paulus, 1 Cor. 2, 9 : *Neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*.

Abscondito. Quia à seculo non erat auditum Isai. 64, 4, et 1 Cor. 2, 7 : *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram*.

Quem, qui invenit homo. Quisquis invenit; hominem pro quolibet homine, et pro notâ universali apud Hebræos poni sæpè monuimus.

Abscondit. Hoc non est necesse ad rem per parabolam significatam accommodare, quia, ut soleo dicere, non pars parabolæ, sed emblema est : nec dicitur, ut aliquid significet, sed ut parabolam impleat, et quia fieri solet, ut, qui thesaurum invenit, si statim tollere non possit, illum abscondat, ne, dum abit, ut fodiendi instrumenta quærat, alius eripiat : quinquàm Hieronym. et Beda eum, qui regnum cœlorum invenit, in corde suo dicunt abscondere, id est, fovere, servare, ne effluat; si quid significat, illud tantùm mihi videtur significare eum, qui regnum cœlorum, id est, Evangelium invenerit, occasionem tenere, ne elabatur, oportere; et omnem continuò adhibere diligentiam, ut illud obtineat. Hoc est, abscondere : non, ne alius inveniat, sed ne ipse perdat. Nam etsi, qui thesaurum invenit, ideò abscondit, ne alius inveniat, quia si alius invenerit, ipse perdet : non est in eo similis parabola regno cœlorum, quod non ideò alius perdet, quia alius invenit : ab omnibus enim et pariter inveniri, et æqualiter potest possideri. Quanquàm ita etiam aliquando Scriptura loquatur, quasi unus accipere non possit, nisi alius amittat. *Fracti*, inquit, *sunt rami, ut ego inserar*, Roman. 11, 19; et : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, Apocalyps. 3, 11, sed id accommodatè ad ramos arborum, et coronam regum dictum est : quia neque novus surculus in arborem inseri potest, nisi vetus frangatur ramus; neque unus coronam præripere, nisi alius amiserit.

Præ gaudio illius inventi.

Vendit universa quæ habet. Non significat emendum Evangelium, *gratis* enim, inquit, *accepistis, gratis date*, c. 10, 8, sed significat tanti æstimandum, ut qui invenerit, nihil non, ut illud obtineat, facere debeat; etiamsi omnia bona vendenda, etiamsi perdenda, etiamsi infamia subeunda, etiamsi amittenda vita. Cæterùm bona potiùs, quàm vitam, et honorem, aut aliud, si quid homines habent, nominavit, ut accommodatè ad hominum consuetudinem loqueretur, qui, dalo. Thesauro. Nunc pretium evangelicæ doctrinæ ostendit.

ut thesaurum habeant, omnia sua bona solent vendere. Denique nihil aliud hâc parabolâ significatur, quàm quod alio loco aliis dicit versis : *Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non est me dignus ; et qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus*, c. 17, 37. Res enim omnium charissimas nominavit, quas qui, cùm opus est, propter regnum cœlorum non abjicit, indignus, qui illud obtineat, judicatur.

Vers. 45. — Simile est regnum cœlorum homini negotiatori. Non homini, sed margaritæ regnum cœlorum simile est, sicut in præcedente parabolâ non homini invenienti, sed thesauro invento comparatum est : sed sensus est, idem accidere in inveniendo, acquirendoque regno cœlorum, atque si quis mercator bonas quærens margaritas unâ pretiosâ inventâ abeat, vendatque ut illam emat, universa quæ habet, ut supra explicavimus, c. 11, 16, 17. Nos verò homini negotiatori similes esse debemus, qui, cùm regnum cœlorum invenerimus, nullis simptibus, nullis laboribus, nulli omninò rei, ut illud habeamus, debemus parcere. Hæc enim parabola eandem prorsùs, atque præcedens, significationem habet; sola differt materia. Bonas, *καλους*, pulchras, in hoc enim genere mercium, quæ pulchræ sunt, eædem bonæ.

Margaritas. Speciem videtur unam pro toto genere posuisse ; id est, margaritam pro omni lapide pretioso. Margarita enim, aut alio genere margaritum tantùm, ut opinor, illam speciem unionis significat, quæ in conchyliis invenitur, quam omnes fere in Europâ nationes *perlam* appellant. Quamquam fieri potest, ut propterea margaritam potiùs quàm unionem, quod totum genus est, aut unam aliquam aliam unionis speciem nominaverit, quòd fere inter omnes pretiosos lapides margarita pretiosissima habeatur, quemadmodùm pretiosorum lapidum mercatorem ex præstantissimâ specie margaritarum appellamus mercatorem.

Vers. 47. — Simile est. Credibile mihi videtur hanc parabolam post illam superiorem de bono semine, et zizaniis à Christo propositam fuisse vers. 43. Sed evangelistam narrationis ordinem non tenuisse, quia eamdem prorsùs habet significationem ; et videmus reliquas, quæ ejusdem erant significationis, fuisse conjunctas ; ut parabolam grani sinapis cum parabolâ fermenti, vers. 31 et 33, et parabolam thesauri absconditi cum parabolâ pretiosæ margaritæ, vers. 44 et 45. Hoc autem loco regnum cœlorum, aut Evangelium, ut in superioribus parabolis, aut, quod eòdem redit, Ecclesiam possumus intelligere. Utrumvis intelligamus, magnum hinc contra novos hæreticos argumentum sumemus. Nam si Evangelium intelligamus, significat Christus non omnes, qui Evangelium, id est, fidem recipiunt, salvos futuros ; sed eos tantùm, qui boni fuerint pisces ; id est, qui non solùm fidem, sed bona etiam opera habuerint ; omnes enim pisces, id est, omnes Christiani, omnes fideles, sed illi mali, bi boni sunt ; contrà quam istorum hæresis docet omnes, qui fidem habuerint, salvos futuros esse. Si regnum cœlorum Ecclesiam inter, retemur, non jàm nos, sed D. pro nobis contra illos Aug. argumentabitur, qui Donatistas veteres istis novis similes hæreticos, qui in Ecclesiâ solos, sicut isti, bonos esse dicebant, non alio frequentius, non alio fortiùs argumento refellit, quam quòd Ecclesia sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti comparetur. Soleo dicere D. Augustinum nullum hæreticorum genus tam strenuè, atque Donatistas refutasse, et illos tot libros, quos adversùs illos composuit, non tam contra illos, quàm contra longè post futuros Lutheranos et Calvinistas composuisse : tantum opus esse, ut qui eos legit, pro Donatistarum, Calvinistarum, aut Lutheranorum nomen ponat.

Vers. 52. — Ideo. Cujus rei Christus, cùm dicit, *ideò*, causam reddat, facile non est dicere. Sunt, qui ad hunc modum exponant : *ideò*, quia intellexistis, subintelligendum, dico vobis, *omnis scriba doctus*, et reliqua. Responderat enim discipulos, *intellexistis hæc omnia?* et responderant, *etiam Domine*. Quia ergo intellexistis, illud etiam addit, *omnis scriba doctus*, etc. Sunt qui hoc modo : *ideò*, supple, rogavi, quia *omnis scriba doctus profert de thesauro suo nova et vetera*. Euthymius putat *ideò* esse, non causam hoc loco, sed affirmationem significare, quasi dicat, utique *omnis scriba doctus profert de thesauro suo nova et vetera*. Mihi Augustini sententia, lib. in Matth. c. 16, omnium maximè placet. Comparaverat Christus regnum cœlorum thesauro abscondito in agro ; rogaverat discipulos, num intellexissent ; responderant, *etiam*, adjicit, *ideo*, id est, quandoquidem regnum cœlorum thesauro simile est, debet omnis scriba doctus et nova, et vetera ex illo proferre.

Scriba. Doctor legis peritus, ut exposuimus c. 2, 4 ; evangelicum doctorem legali nomine scribam appellat. Euthymius existimat Christum sæpenùm scribam vocare ; sed verò similius est generaliem esse sententiam, quâ apostolis evangelici doctoris officium declarat.

Doctus in regno cœlorum. Græce, *eruditus in regnum cœlorum*. Non assentior iis qui putant hoc loco *εἰς* pro *ἐν* positum esse ; etsi non ignoro sæpè eas duas particulas alteram pro alterâ poni solere. Magis enim videtur convenire, ut vertamus in regnum cœlorum, id est, ad regnum cœlorum, quàm in regno cœlorum ; cùm de iis agatur, qui ad prædicandum regnum cœlorum educti sunt. Noster interpres videtur legisse *in τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν*, *in regno cœlorum*, nisi si quis malit dicere in Latinâ versione, *in regno* pro in regnum corruptè legi ; sed debebat alicujus veteris codicis auctoritate etiam probare.

Similis est homini patrifamilias. Quia sicut patrifamilias officium est domum suam corporali cibo ; ita evangelici doctoris populum Christianum spirituali

Vers. 52 et 54. — Nova et vetera, cuncta alendæ familiæ necessaria. In patriam suam, Nazareth ; synagogas, &c., synagogâ.

nutrire 1 Cor. 3, 2 : *Tanquàm parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.*

De thesauro sco. De penu : abusus est nomine thesauri ad significandum quidquid repositum, ac reconditum est.

Nova et vetera. Omnia ciborum genera, ut familiam suam, aut invitatos convivas alat ; id est, qui non parcè, non niserè, sed liberaliter omni ciborum varietate pro personarum et temporum qualitate familiam suam alit. Nova et vetera proferre, etsi mihi simile in scripturis exemplum non occurrit, Hebraico proverbio dictum videtur ; cui simile illud Gallicum est, *vivre, et sécum*. Significatur hâc parte parabolæ Evangelicum doctorem omni divinæ scientiæ, omni exemplorum, omni similitudinum genere instructum esse oportere ; ut omnes pro suo quemque capiti docere possit. Antiqui fere omnes auctores *nova et vetera*, novum, et vetus Testamentum intellexerunt, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, et Euthymius in hunc locum, et Augustinus, lib. Quæst. in Matth., c. 16, quos immeritò novi hæreticorum interpretes reprehendunt. Cùm enim sensum esse fateantur oportere doctorem evangelicum ab omni doctrinæ genere paratum esse ; unde eum melius, quàm ex novo, et veteri Testamento proferre potest? Noluerunt enim magni illi auctores dicere Christum vetus, et novum, quod nondùm erat, Testamentum significare voluisse : sed quod generaliter Christus de omni doctrinæ copiâ dixerat, id illi ad novum, et vetus Testamentum aptè, atque prudenter accommodârunt.

Vers. 54. — Et veniens in patriam suam, c. 9, 1, tres Christum patrias habuisse diximus : Bethlehem, in qua natus ; Nazareth, in quâ educatus ; Capernaum, in quâ frequenter versatus fuit. Hoc loco Nazareth omnes, quos legerim, interpretes intelligunt, Hieronymus, Chrysostomus, Euthym., Theophylactus. Quod etiam ex Lucâ probari potest, c. 4, 16 : *Venit, inquit, Nazareth ubi erat nutritus.* Eumdem enim illic à Lucâ, atque hic à Matthæo historiam narrari ne dubitandum quidem esse arbitror. Id etiam ex hoc loco colligitur, quia civibus ejus urbis, de quâ hic agitur, Christi fratres nominatim notos fuisse constat, vers. 55 ; c. 56, non autem fuisset, vel in Bethlehem, ubi tantum natus, vel in Capernaum, ubi tantum ad tempus commoratus fuerat, sed in Nazareth, ubi cognatos B. Mariæ, atque Joseph fuisse apparet. Deinde, quia, ut Chrysostomus argumentatur, in Capernaum multa Christus miracula fecerat, c. 11, 23. In Bethlehem nullum fecisse legimus, in hâc, quæ ejus hoc loco vocatur patria, nec multa, nec nullum ; sed pauca fecit, ut constat ex vers. 58, et ex Marco, c. 6, 5, erat ergo Nazareth.

Et docebat eos in synagogis. In ipsorum synagogâ ; pluralis enim numerus positus esse videtur pro singulari. Nec enim in parvo oppido multas fuisse synagogas credendum est. Nisi forte pluralis numerus hùc habet sensum, *docebat eos in synagogis*, id est, per singula sabbata in synagogâ, ut nomen synagogæ hoc in loco non locum, sed conventum significet, ut apud Græcos *ἐκκλησία*, apud Latinos concio. Marcus, c. 6, 2 : *Et facto sabbato cœpit in synagogâ docere* ; Lucas, c. 4, 16 : *et introivit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.* Totam historiam copiosius et distinctiùs narrat Lucas, surrexisse ad legendum, quod volentis in synagogâ aliquid docere signum erat, ut eo loco explicabimus ; traditum illi librum Isaiæ prophetæ, quem, cùm aperuisset, legisse locum illum, qui est, c. 61, 1 : *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me* ; quo lecto librum complevisse, ac resedisse, dixisseque *hodiè hæc prophetia impleta est in auribus vestris* ; cumque eorum incredulitatem coarguisset, quòd se civem suum, et prophetam non reciperent ; repletos fuisse irâ, et ejecisse eum extra civitatem, ut ex monte, supra quem eorum urbs ædificata erat, præcipitem darent.

Unde huic sapientia? Sciebant utique eum litteras non didicisse, ut dicunt Joan. 7, 15. *Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit?* Itaque credibile est eos sapientiam, et miracula, quæ in eo videbant, malis artibus tribuisse. Cùm enim omnes evangelistæ dicant eos ipsius doctrinam admiratos fuisse, simul etiam scandalizatos dicunt ; non potuerunt autem, cùm admirarentur, scandalizari, nisi credidissent, quæ dicebat, atque faciebat, diaboli operâ dicere, ac facere, ut illi, qui dicebant : *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, c. 9, 4 et 12, 24.

Et virtutes, miracula : fecerat ergo eorum illis Christus aliqua miracula ; ut narrat Marcus, c. 6, 5, sed pauca, ut ait Matthæus infra, versu 58.

Vers. 55. — Nonne hic est fabri filius? Joseph fabrum fuisse ex hoc loco manifestum est ; ejus enim filius Christus putabatur, Lucæ 3, 23. Qualis autem faber et incertum, et scitu non necessarium. Sunt, qui ferrarium fuisse putent, ut Hilarius et Ambrosius, 3 lib. in Lucam, et Beda in 3 caput Marci. Sunt, qui aurificem, ut Hugo Sunt, qui ærarium ; quod idem etiam Hugo videtur approbare. Sunt, qui ligoarium, ut Chrysostomus apud D. Thomam in 1 cap. Matthæi, et ipse D. Thomas in Comment. Quæ publica nunc opinio est, et antiquissimam fuisse constat, ut ex lib. de Infantiâ Salvatoris, licet apocrypho, colligitur, ubi miraculum in ligonariâ Joseph officinâ à Christo factum narratur ; et ex historiâ Sozom., l. 6, c. 2, ubi narratur Christianum quendam à gentili per derisum interrogatum, quid faceret filius fabri, respondisse, ferrum. Juliano imperatori fabricare ; et ex auctore Imperfecti, hom. 52 ; Marcus, c. 6, 3, fabrum Christum ipsum vocat. Non dicit ; sive quòd utrumque Nazarethani diceriat ; sive quòd ex communi loquendi consuetudine filius fabri faber etiam vocaretur. Itaque, quod à nonnullis non malis auctoribus dictum est Christum, antequàm prædicare inciperet, fabrilem artem exercuisse, valdè mihi videtur esse probabile ; sicut et Tyranno visum est ; quid enim tot triginta annos in Nazareth egisset? quanquam D. Augustinus, lib. 2, de Consensu Evangelist., c. 43, ideò fabrum

vocatum dicit, quòd, cùm fabri putaretur filius, faber etiam esse crederetur.

Vers. 56. — Et fratres ejus. Hæc à nobis explicata sunt supra, c. 12, 46.

Vers. 57. — Et scandalizabantur in eo. Impingebant in eum, tanquàm in lapidem, et corruebant. Hoc enim proprié est σκανδαλίζεσθαι scandalizari. Erat quippe *positus in ruinam, et in resurrectionem multorum*, Luc. 2, 34, erat *credentibus lapis electus, et angularis; non credentibus autem petra scandali, et lapis offensionis*, 1 Petri, 2, 8. Quomodò autem scandalizati fuerint in illo, diximus vers. 54.

Vers. 58. — Et non fecit ibi virtutes multas, multa miracula sicut alibi; cùm autem non multas fecisse dicit, aliquas fecisse indicat, ut et Marcus declarat, c. 6, 5, *et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*. Dicit autem non potuisse, non quòd non potuerit, sed quòd noluerit; dicimur enim aliquando facere non posse, quæ facere nolumus; ut de filiis Jacob dictum est, Genes. 37, 4, *nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, id est, nolebant, et rectè Gregorius Nazianzenus in quartâ de theologiâ oratione adnotavit. Noluit autem propter incredulitatem eorum; sive quia sciebat eos etiam conspectis miraculis non credituros; quemadmodùm nec Pharisæi crediderunt: sive quia indigni erant, quibus miracula plura fierent; qui malè ea quæ viderant, interpretabantur, dicentes, *unde huic virtutes?* Videmus Christum miracula facturum fidem eorum, quibus facturus erat, priùs exigere, supra c. 9, 28; Marc. 5, 36, et 9, 23: Lucæ 8, 50, quia minùs meriti habet fides, quæ miracula sequitur, quàm quæ præcedit; et indignus est, qui miracula videat, quisquis non aliter, quàm visis miraculis credit. Propterea Christus coram incredulis miracula non facit. Eadem ratio est, cur etiam hodiè, qui maximè miracula videre volunt, minimè videant; quia non credentes, sed de fide dubitantes videre volunt. Ita enim Herodes, qui, ut Lucas ait, c. 23, 8, longo tempore aliquod Christi miraculum videre voluit, videre non potuit, ut Gregorius, lib. 10 Moral., c. 17, notavit. Ita Pharisæis signum à Christo videre volentibus, respondetur, *generatio prava et adultera signum quærit et signum non dabitur ei*, cap. 12, 39. Videant ergo, qui miracula requirunt, quique, si non fiant, mirari solent; ne ipsorum culpâ non fiant; etsi videre miracula volunt, sine miraculis credant.

Vers. 57. — Et scandalizabantur in eo; offendebantur ob generis, ut iis videbatur, humilitatem. Nox est prophetæ sine honore, nusquam minùs est in honore. Videtur Christus Dominus tùm in civitatem suam tertiò venisse cum discipulis, ex quo ministerium suum inceperat. Consobrini ejus hoc loco et Marci cap. 6, recensentur, *Jacobus major*, episcopus Hierosolymitanus, cujus est epistola canonica; *et Joseph*, Græcè *Joses; et Simon* Cleophæ filius, *et Judas*, qui et Thaddæus. Et sorores ejus, cognatæ, fortè filiæ fratris Joseph. Aut certè Maria Cleophæ Mariæ soror, vel sponsi soror, quæ primùm Alphæo Jacobi et Josephi patri, tùm Cleophæ nupserat: cujus filii fuerunt Judas apostolus et Simeon secundus episcopus Hierosolymæ, adeò ut hi quatuor fuerint Christi Domini consobrini, iique interdùm dicuntur fratres, ex patribus Alphæo et Cleophâ. Ita Pezronius abbas in Historiâ evangelicâ, qui in eâ quoque est sententiâ Christum non statim ex urbe Capharnaum se Nazareth contulisse. Nam ex Marco, cap. 4 et 6, discimus Christum eo ipso die quo parabolas exposuit, in lacum unà cum discipulis esse profectum, ubi jussu suo tempestatem sedavit: tùm in regionem Gerasenorum appulit, legionem dæmonum ejecit, et statim citra lacum reversus est. Quare Matthæus videtur per anticipationem locutus, cap. 8, de sedatâ tempestate, et profectione ad Gerasenos.

CAPUT XIV.

1. In illo tempore, audivit Herodes Tetrarcha famam Jesus.

2. Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo.

3. Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant.

6. Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulásset eo.

8. At illa, præmonita à matre suâ: Da mihi, inquit, hic in disco, caput Joannis Baptistæ.

9. Et contristatus est rex: propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

10. Misitque et decollavit Joannem in carcere.

CHAPITRE XIV.

1. En ce temps-là, Hérode Tétrarque apprit ce qui se publiait de Jésus;

2. Et il dit à ses officiers: C'est Jean-Baptiste, c'est lui-même qui est ressuscité d'entre les morts; et c'est pour cela qu'il se fait par lui tant de miracles.

3. Car Hérode ayant fait arrêter Jean, l'avait fait mettre en prison, à cause d'Hérodiade, femme de son frère;

4 Parce que Jean lui disait: Il ne vous est pas permis d'avoir cette femme.

5. Hérode voulait le faire mourir, mais il appréhendait le peuple, parce que Jean était regardé comme un prophète.

6. Or, le jour de la naissance d'Hérode, la fille d'Hérodiade dansa au milieu de l'assemblée et plut à Hérode:

7. C'est pourquoi il lui promit avec serment de lui donner tout ce qu'elle lui demanderait.

8. Or elle, instruite auparavant par sa mère, lui dit: Donnez-moi tout présentement dans un bassin la tête de Jean-Baptiste.

9. Et le roi en fut fâché: néanmoins, à cause du serment et de ceux qui étaient à table avec lui, il commanda qu'on la lui donnât,

10. Et il envoya couper la tête à Jean dans la prison.

11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ.

12. Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud, et venientes nuntiaverunt Jesu.

13. Quod cùm audisset Jesus, secessit inde in navículâ, in locum desertum seorsùm: et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

14. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas.

16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc:

19. Et cùm jussisset turbam discumbere super fenum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt, et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.

22. Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

23. Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare: vespere autem facto, solus erat ibi.

24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25. Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

28. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navículâ, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum.

30. Videns verò ventum validum, timuit: et cùm cœpisset mergi clamavit, dicens: Domine, salvum me fac.

31. Et continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitásti?

32. Et cùm ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33. Qui autem in navículâ erant, venerunt, et adoraverunt eum dicentes: Verè Filius Dei es.

34. Et cùm transfretássent, venerunt in terram Genesar.

35. Et cùm cognovissent eum viri loci illius, misе-

11. Et sa tête fut apportée dans un bassin, et donnée à la jeune fille, qui la porta à sa mère.

12. Ses disciples vinrent ensuite prendre son corps, l'ensevelirent, et allèrent l'annoncer à Jésus.

13. Ce que Jésus ayant appris, il partit de ce lieu dans une barque, pour se retirer en particulier dans un lieu désert, et le peuple l'ayant su le suivit à pied de diverses villes.

14. Lorsqu'il sortit de la barque, ayant vu cette grande multitude de personnes, il en eut compassion, et il guérit leurs malades.

15. Le soir étant venu, ses disciples s'approchèrent de lui, et lui dirent: Ce lieu-ci est désert, et il est déjà bien tard; renvoyez le peuple, afin qu'ils s'en aillent dans les villages acheter de quoi manger.

16. Jésus leur dit: il n'est pas nécessaire qu'ils y aillent; donnez-leur vous-mêmes à manger.

17. Ils lui répondirent: Nous n'avons ici que cinq pains et deux poissons.

18. Et il leur dit: Apportez-les-moi ici.

19. Et ayant commandé au peuple de s'asseoir sur l'herbe, il prit les cinq pains et les deux poissons; et levant les yeux au ciel, il prononça sa bénédiction; puis rompant les pains, il les donna à ses disciples, et ses disciples, au peuple.

20. Ils en mangèrent tous, et furent rassasiés; et on remporta douze paniers pleins des morceaux qui étaient restés.

21. Or ceux qui mangèrent étaient au nombre de cinq mille hommes, sans compter les femmes et les petits enfants.

22. Aussitôt Jésus obligea ses disciples de monter dans la barque, et de passer avant lui à l'autre bord, pendant qu'il renverrait le peuple.

23. Et ayant renvoyé le peuple, il monta seul sur une montagne pour prier; et la nuit étant venue, il se trouva seul en ce lieu-là.

24. Cependant la barque était fortement battue des flots au milieu de la mer, parce que le vent était contraire.

25. Mais à la quatrième veille de la nuit Jésus vint à eux marchant sur la mer.

26. Lorsqu'ils le virent marcher sur la mer, ils furent troublés; et ils disaient: C'est un fantôme. Et ils crièrent de frayeur.

27. Aussitôt Jésus leur parla, et leur dit: Rassurez-vous; c'est moi: ne craignez point.

28. Pierre prenant la parole lui dit: Seigneur, si c'est vous, commandez que je marche à vous sur les eaux.

29. Et Jésus lui dit: Venez. Et Pierre descendant de la barque marchait sur l'eau pour aller à Jésus.

30. Mais sentant un grand vent il eut peur, et, commençant d'enfoncer, il s'écria: Seigneur, sauvez-moi.

31. Et aussitôt Jésus étendant la main le prit, et lui dit: Homme de peu de foi, pourquoi avez-vous douté?

32. Et étant montés dans la barque, le vent cessa.

33. Alors ceux qui étaient dans cette barque, s'approchant de lui, l'adorèrent, en lui disant: Vous êtes vraiment le Fils de Dieu.

34. Et ayant passé l'eau ils vinrent dans la terre de Génésar.

35. Et les habitants de ce lieu l'ayant connu, ils

vocatum dicit, quòd, cùm fabri putaretur filius, faber etiam esse crederetur.

Vers. 56. — Et fratres ejus. Hæc à nobis explicata sunt supra, c. 12, 46.

Vers. 57. — Et scandalizabantur in eo. Impingebant in eum, tanquàm in lapidem, et corruebant. Hoc enim proprié est σκανδαλίζεσθαι scandalizari. Erat quippe *positus in ruinam, et in resurrectionem multorum*, Luc. 2, 34, erat *credentibus lapis electus, et angularis; non credentibus autem petra scandali, et lapis offensionis*, 1 Petri, 2, 8. Quomodò autem scandalizati fuerint in illo, diximus vers. 54.

Vers. 58. — Et non fecit ibi virtutes multas, multa miracula sicut alibi; cùm autem non multas fecisse dicit, aliquas fecisse indicat, ut et Marcus declarat, c. 6, 5, *et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit*. Dicit autem non potuisse, non quòd non potuerit, sed quòd noluerit; dicimur enim aliquando facere non posse, quæ facere nolumus; ut de filiis Jacob dictum est, Genes. 37, 4, *nec poterant ei quidquam pacificè loqui*, id est, nolebant, et rectè Gregorius Nazianzenus in quartâ de theologiâ oratione adnotavit. Noluit autem propter incredulitatem eorum; sive quia sciebat eos etiam conspectis miraculis non credituros; quemadmodùm nec Pharisæi crediderunt: sive quia indigni erant, quibus miracula plura fierent; qui malè ea quæ viderant, interpretabantur, dicentes, *unde huic virtutes?* Videmus Christum miracula facturum fidem eorum, quibus facturus erat, priùs exigere, supra c. 9, 28; Marc. 5, 36, et 9, 23: Lucæ 8, 50, quia minùs meriti habet fides, quæ miracula sequitur, quàm quæ præcedit; et indignus est, qui miracula videat, quisquis non aliter, quàm visis miraculis credit. Propterea Christus coram incredulis miracula non facit. Eadem ratio est, cur etiam hodiè, qui maximè miracula videre volunt, minimè videant; quia non credentes, sed de fide dubitantes videre volunt. Ita enim Herodes, qui, ut Lucas ait, c. 23, 8, longo tempore aliquod Christi miraculum videre voluit, videre non potuit, ut Gregorius, lib. 10 Moral., c. 17, notavit. Ita Pharisæis signum à Christo videre volentibus, respondetur, *generatio prava et adultera signum quærit et signum non dabitur ei*, cap. 12, 39. Videant ergo, qui miracula requirunt, quique, si non fiant, mirari solent; ne ipsorum culpâ non fiant; etsi videre miracula volunt, sine miraculis credant.

Vers. 57. — Et scandalizabantur in eo; offendebantur ob generis, ut iis videbatur, humilitatem. Nox est prophetæ sine honore, nusquam minùs est in honore. Videtur Christus Dominus tùm in civitatem suam tertiò venisse cum discipulis, ex quo ministerium suum inceperat. Consobrini ejus hoc loco et Marci cap. 6, recensentur, *Jacobus major*, episcopus Hierosolymitanus, cujus est epistola canonica; *et Joseph*, Græcè *Joses; et Simon* Cleophæ filius, *et Judas*, qui et Thaddæus. Et sorores ejus, cognatæ, fortè filiæ fratris Joseph. Aut certè Maria Cleophæ Mariæ soror, vel sponsi soror, quæ primùm Alphæo Jacobi et Josephi patri, tùm Cleophæ nupserat: cujus filii fuerunt Judas apostolus et Simeon secundus episcopus Hierosolymæ, adeò ut hi quatuor fuerint Christi Domini consobrini, iique interdùm dicuntur fratres, ex patribus Alphæo et Cleophâ. Ita Pezronius abbas in Historiâ evangelicâ, qui in eâ quoque est sententiâ Christum non statim ex urbe Capharnaum se Nazareth contulisse. Nam ex Marco, cap. 4 et 6, discimus Christum eo ipso die quo parabolas exposuit, in lacum unà cum discipulis esse profectum, ubi jussu suo tempestatem sedavit: tùm in regionem Gerasenorum appulit, legionem dæmonum ejecit, et statim citra lacum reversus est. Quare Matthæus videtur per anticipationem locutus, cap. 8, de sedatâ tempestate, et profectione ad Gerasenos.

CAPUT XIV.

1. In illo tempore, audivit Herodes Tetrarcha famam Jesus.

2. Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo.

3. Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant.

6. Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulásset eo.

8. At illa, præmonita à matre suâ: Da mihi, inquit, hic in disco, caput Joannis Baptistæ.

9. Et contristatus est rex: propter juramentum autem, et eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

10. Misitque et decollavit Joannem in carcere.

CHAPITRE XIV.

1. En ce temps-là, Hérode Tétrarque apprit ce qui se publiait de Jésus;

2. Et il dit à ses officiers: C'est Jean-Baptiste, c'est lui-même qui est ressuscité d'entre les morts; et c'est pour cela qu'il se fait par lui tant de miracles.

3. Car Hérode ayant fait arrêter Jean, l'avait fait mettre en prison, à cause d'Hérodiade, femme de son frère;

4 Parce que Jean lui disait: Il ne vous est pas permis d'avoir cette femme.

5. Hérode voulait le faire mourir, mais il appréhendait le peuple, parce que Jean était regardé comme un prophète.

6. Or, le jour de la naissance d'Hérode, la fille d'Hérodiade dansa au milieu de l'assemblée et plut à Hérode:

7. C'est pourquoi il lui promit avec serment de lui donner tout ce qu'elle lui demanderait.

8. Or elle, instruite auparavant par sa mère, lui dit: Donnez-moi tout présentement dans un bassin la tête de Jean-Baptiste.

9. Et le roi en fut fâché: néanmoins, à cause du serment et de ceux qui étaient à table avec lui, il commanda qu'on la lui donnât,

10. Et il envoya couper la tête à Jean dans la prison.

11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ.

12. Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud, et venientes nuntiaverunt Jesu.

13. Quod cùm audisset Jesus, secessit inde in navículâ, in locum desertum seorsùm: et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

14. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas.

16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces.

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc:

19. Et cùm jussisset turbam discumbere super fenum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt, et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.

22. Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

23. Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare: vespere autem facto, solus erat ibi.

24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25. Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

28. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas.

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navículâ, ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum.

30. Videns verò ventum validum, timuit: et cùm cœpisset mergi clamavit, dicens: Domine, salvum me fac.

31. Et continuò Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicæ fidei, quare dubitásti?

32. Et cùm ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33. Qui autem in navículâ erant, venerunt, et adoraverunt eum dicentes: Verè Filius Dei es.

34. Et cùm transfretássent, venerunt in terram Genesar.

35. Et cùm cognovissent eum viri loci illius, misе-

11. Et sa tête fut apportée dans un bassin, et donnée à la jeune fille, qui la porta à sa mère.

12. Ses disciples vinrent ensuite prendre son corps, l'ensevelirent, et allèrent l'annoncer à Jésus.

13. Ce que Jésus ayant appris, il partit de ce lieu dans une barque, pour se retirer en particulier dans un lieu désert, et le peuple l'ayant su le suivit à pied de diverses villes.

14. Lorsqu'il sortit de la barque, ayant vu cette grande multitude de personnes, il en eut compassion, et il guérit leurs malades.

15. Le soir étant venu, ses disciples s'approchèrent de lui, et lui dirent: Ce lieu-ci est désert, et il est déjà bien tard; renvoyez le peuple, afin qu'ils s'en aillent dans les villages acheter de quoi manger.

16. Jésus leur dit: il n'est pas nécessaire qu'ils y aillent; donnez-leur vous-mêmes à manger.

17. Ils lui répondirent: Nous n'avons ici que cinq pains et deux poissons.

18. Et il leur dit: Apportez-les-moi ici.

19. Et ayant commandé au peuple de s'asseoir sur l'herbe, il prit les cinq pains et les deux poissons; et levant les yeux au ciel, il prononça sa bénédiction; puis rompant les pains, il les donna à ses disciples, et ses disciples, au peuple.

20. Ils en mangèrent tous, et furent rassasiés; et on remporta douze paniers pleins des morceaux qui étaient restés.

21. Or ceux qui mangèrent étaient au nombre de cinq mille hommes, sans compter les femmes et les petits enfants.

22. Aussitôt Jésus obligea ses disciples de monter dans la barque, et de passer avant lui à l'autre bord, pendant qu'il renverrait le peuple.

23. Et ayant renvoyé le peuple, il monta seul sur une montagne pour prier; et la nuit étant venue, il se trouva seul en ce lieu-là.

24. Cependant la barque était fortement battue des flots au milieu de la mer, parce que le vent était contraire.

25. Mais à la quatrième veille de la nuit Jésus vint à eux marchant sur la mer.

26. Lorsqu'ils le virent marcher sur la mer, ils furent troublés; et ils disaient: C'est un fantôme. Et ils crièrent de frayeur.

27. Aussitôt Jésus leur parla, et leur dit: Rassurez-vous; c'est moi: ne craignez point.

28. Pierre prenant la parole lui dit: Seigneur, si c'est vous, commandez que je marche à vous sur les eaux.

29. Et Jésus lui dit: Venez. Et Pierre descendant de la barque marchait sur l'eau pour aller à Jésus.

30. Mais sentant un grand vent il eut peur, et, commençant d'enfoncer, il s'écria: Seigneur, sauvez-moi.

31. Et aussitôt Jésus étendant la main le prit, et lui dit: Homme de peu de foi, pourquoi avez-vous douté?

32. Et étant montés dans la barque, le vent cessa.

33. Alors ceux qui étaient dans cette barque, s'approchant de lui, l'adorèrent, en lui disant: Vous êtes vraiment le Fils de Dieu.

34. Et ayant passé l'eau ils vinrent dans la terre de Génésar.

35. Et les habitants de ce lieu l'ayant connu, ils

runt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes malè habentes.

36. Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quicumque tetigerunt salvi facti sunt.

envoyèrent dans tout le pays, et on lui présenta tous les malades,

36. Le priant qu'il leur permît seulement de toucher le bord de son vêtement ; et tous ceux qui le touchèrent furent guéris.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — In illo tempore. Quidam tempus illud significari volunt, quo Apostoli in suâ legatione versabantur, quòd Marcus, c. 6, 14, et Lucas, c. 9, 7, hanc historiam statim post apostolorum missionem ponant. Sed obstat quòd cùm hæc acciderint, apostolos cum Christo fuisse constat infra, vers. 15. Itaque, ut D. Augustinus, lib. 2 de Consens. evang., c. 55, existimat, jam apostoli redierant.

Audivit. Quærunt multi qui fieri potuerit ut non prius audiret. — Respondent Chrysostomus et Theophylactus res sanctas ac bonas sæpè ad aures principum pervenire. Verum id quidem, sed si aliquam curiositatis aut pericli excitandi tumultûs speciem habere videantur, qualem Christi miracula nonnullam præbere poterant, si non religio at certè curiositas et ambitio quamprimùm ad illos perferri. Itaque aliam, cur nondùm Herodes audivisset, arbitror fuisse causam, quòd mors Joannis non multò post quam Christus prædicare cœpit, acciderit. Nam cùm jam in vinculis esset, ne ejus quidem discipuli Christi miracula aut vidisse videntur, aut audivisse ; propterea factis coram ipsis miraculis Christus illis dixit : *Euntes renuntiate Joanni quæ vidistis et audistis*, c. 11, 4.

Herodes, Antipas, magni Herodis filius, quo regnante natus est Christus, quique infantes occidit. Vide quæ diximus c. 2, 22.

Tetrarcha, Galilææ, ut Lucas, c. 3, 1, declarat. Cùm regnum in quatuor partes scinderetur, ut unicuique princeps unus præficeretur, quatuor partes *tetrarchiæ*, et principes *tetrarchæ* à Græcis vocabantur, ut veteres tradunt auctores. Postea factum ut etiamsi plures aut pauciores essent partes, eodem tamen nomine *tetrarchiæ* dicerentur, ut ex Strabone, lib. 12, et ex Plinio, lib. 5, cap. 18 et 21, potest intelligi. Quomodò autem Judæorum regnum, et in quot tetrarchias divisum fuerit, et quis cuique tetrarchia præfectus, c. 2, 22, satis exposuimus. Marcus, c. 6, 14, Herodem regem vocat, sicut et Matthæus infra, v. 9, non quòd verè rex esset, sed quòd tetrarchæ regiâ aut regi simili uterentur potestate ; itaque tetrarchias Cicero et Plinius regna vocant ; quemadmodùm Matth., c. 2, 22, Archelaum, cùm nunquàm verè rex fuerit, regem appellavit.

Vers. 1. — Herodes Antipas filius Herodis magni, cui regni paterni pars quarta obtigerat, ante annum duxerat in uxorem Herodiadem neptem Herodis magni, ex Aristobulo prognatam. Hæc Philippum conjugem fratris Herodis Antipæ, sed ex aliâ matre natum deseruerat, ut nuptias lege divinâ prohibitas cum Herode Antipâ contraheret. Quod Judæis omnibus magno fuit scandalo : id enim Levit. 18, omninò erat prohibitum. Propterea is fuit à Joanne graviter reprehensus ; in carcerem conjecit Joannem in arce Machærontâ, atque Herodiadis artibus die ipso natalis Antipæ nefi dictus est, uti in hoc capite Matthæus, à v. 3, ad 14, usque, Marcus, cap. 6, et Lucas, cap. 9, fusiùs referunt.

Vers. 2. — Pueris, id est, domesticis. Hic est Joannes Baptista, Lucas eum dubitâsse ait ; ac fieri potest ut primùm addubitaverit, tum id ipsum in animum induxerit suum : nisi fortè id legendum sit per interrogationem. Aut certè quæ Herodes et Judæi de resurrectione acceperant è Scripturis cum philosophorum quorumdam placitis de transmigratione animorum confundere potuerunt. Operantur, vox Græca efficaciam in miraculis patrandis designat. Illud præsùs stupendum videtur, Herodi ante Joannis mortem Jesum planè fuisse incognitum. Sed Chrysostomus præclarè advertit, homil. 49 in Matth., id solemne esse multis principibus, ut ad ea quæ ad Deum tantummodò et religionem spectant, non magnoperè attendant animum. Videre postea cupichat Jesum, merâ curiositate adductus.

Vers. 2. — Et ait pueris suis, famulis suis ; nam etsi nomen παῖς et filium et famulum significare possit, tamen Herodem non leginus filios habuisse. Lucas, c. 9, 7, 8, 9, non ipsum Herodem, sed alios Herodi dixisse ait : *Et audivit*, inquit, *Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat, eò quòd diceretur à quibusdam, quia Joannes surrexit à mortuis ; à quibusdam verò, quia Elias apparuit ; à quibusdam verò, quia unus de antiquis prophetis surrexit. Et ait Herodes : Joannem ego decollavi ; quis est autem iste de quo talia audio ?* Ubi duo sunt in quibus videtur à Matthæo Lucas dissentire. Primùm, quòd non Herodem, sed alios dixisse narret Joannem à mortuis surrexisse ; deinde, quòd videatur indicare Herodem non credidisse Joannem esse, cùm eum ipse decollâsset ; hic autem Herodes dicat, vers. 2 : *Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo*. Chrysostomus et Euthymius respondent, primùm non Herodem, sed homines vulgò dictitâsse Joannem à mortuis surrexisse, tuncque Herodem non credidisse, sed hæsitasse, dixisseque, ut ait Lucas : *Joannem ego decollavi ; quis est autem iste, de quo talia audio ?* Postea verò credidisse, et quasi aliis assentiendo dixisse : *Joannes Baptista ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo*, ut ait Matthæus. Idem Theophylactus videtur indicare, et Augustinus omninò probat, lib. 2 de Consensu evangelist., c. 45. Ejus rei aliquod ex hoc loco argumentum sumi potest ; propterea enim, ut Euthymius ait, non aliis, sed pueris suis dixit : *Joannes surrexit à mortuis*, quòd non auderet id palàm et coram aliis, etiamsi crederet, confiteri. Fieri etiam potest ut etiamsi crederet, fingeret se non credere, ne assentiri populi opinioni videretur, et ejus erga Joannem studium confirmare. Quod autem Augustinus ait, Matthæi hoc loco verba per interrogationem legi posse, quod si fiat, eumdem sensum atque verba Lucæ habitura ; et quod alii respondent Christum hoc loco non suâ, sed aliorum locutum esse personâ, minùs probo.

Operantur in eo, ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. Sunt qui ἐνεργεῖν patiendi signi cautione positum putent, ut σώζειν pro σώζεσθαι, et apud Latinos lavare pro lavari, ut sit sensus. ideò virtutes fiunt in illo, id est, per illum. Hebraico idiomate. Alii activè sumunt ; sed virtutes, non miracula, sed facultatem miracula faciendi intelligi volunt, quasi dicat, ideò donum faciendorum miraculorum miracula in eo operatur. Alii à sensu longiùs abeunt *virtutes* angelos interpretantes, qui in Joanne miracula ederent. Res mihi videtur facilis, ἐνεργεῖν nec

Ipse surrexit a mortuis. Sunt qui non veram, quâ anima in idem redit corpus, sed pharisaicam resurrectionem interpretentur, quâ anima ex uno egressa corpore migrat in aliud. Pharisæorum enim hæresim fuisse putant, quòd ex Pythagoræorum doctrinâ μετεμψύχωσιν crederent. Quod ex Josepho probant, lib. 2 de Bello Judaico, c. 7, et verò Hieronymus indicat nonnullos solitos hoc loco Pythagoræorum errorem confirmare. Sed nullo modo mihi persuadeo de eâ hic agi resurrectione ; sed de eâ potiùs, quâ et homines, qui hanc rumorem dissemînaverant, nonnullos à Christo suscitatos viderant, et in veteri Testamento mortuum illum ad tactum ossium Eliæi, 4 Reg. 13, 21, et filium Sareptanæ viduæ, 3 Reg. 17, 22, et filium Sunamitidis, 4 Reg. 4, 34, 35, surrexisse aut legerant, aut audiverant. Neque Josephus eam opinionem, ut mihi videtur, Pharisæis tribuit ; sed quam habent omnes ferè Judæi, non omnium mortuorum, sed tantùm bonorum animas in suâ quidem, sed meliorâ, et ideò quodammodò alia corpora in resurrectione reditura. Joannem ergo Judæi, et quia vir erat sanctus, et quia injustè occisus, facilè credebant surrexisse, ut Herodis scelus vindicaret ; Eliam verò veteri opinione, quam ut supra, c. 11, 14, docuimus, Christus videtur approbâsse ; quâ, propter Malachiæ, c. 4, 5, prophetiam, imbuti erant venturum Eliam. Propterea Joannem, quia mortuus erat, surrexisse ; Eliam, quia non mortuus, sed rapsus fuerat ; non surrexisse dicunt, sed apparuisse. Infra, c. 16, 14, ubi eadem de Christo hominum opinio recitatur. Jeremias etiam nominatur fortassè propter similitudinem spiritûs, et liberiatem homines reprehendendi, quam in Christo singularem, et nimimè in aliis doctoribus usitatam videbant ; *erat enim*, inquit, *docens eos, tanquam potestatem habens, et non sicut scribæ eorum et pharisæi*, c. 7, 29.

Ideo. Dubium quam rationem reddat, cur suscitatus Joannes miracula fac re credatur ; cùm vivens ut ait Joannes, c. 10, 41, signum nullum fecerit ; fortassè quòd sanctiores resurgere homines crederent, quàm morerentur ; aut quòd à Deo majore cum potestate ad puniendum Herodem missum putarent ; nam et bella, et exilium, et alias calamitates, quæ Herodi postea contigerunt, vulgò inter Judæos creditum est propter Joannis necem accidisse, ut lib. 18 Ant., c. 10, Josephus affirmat.

Vers. 3. — Uxorem fratris, nempe, Philippi à quo Herodes tetrarcha eam abduxerat.

passionem hoc loco, nec actionem transeuntem significat, sed pro verbo neutro positum est, idemque significat, quod apud Latinos vigere, apud philosophos in actu esse, quemadmodùm apud Aristotelem usurpari solet, ut τὸ ἐνεργείᾳ opponatur τῷ τὸ δυνάμει εἶναι. Sensus ergo est Joannem à mortuis suscitatum, propterea miracula in eo vigere, apparere, sese ostendere.

Vers. 3. — Propter Herodiadem uxorem Philippi, Magna est hic inter evangelistas, et Josephum, lib. 18 Antiq., c. 6, 7, 9, omninò discordia, quam Hieronymus, cæteriquæ veteres interpretes præterierunt, ex recentioribus autem eti m Josephum citantibus pauci admodùm attigerunt ; evangelistæ dicunt Herodiadem Philippi, Josephus alterius Herodis Herodis hujus fratris uxorem fuisse. Nam quod Calvinus dicit Josephum Herodis fratris Herodis magni, hujus autem Herodis, et Herodiadis patrui, et regis Chalcidis uxorem Herodiadem facere, puerilis est error ; cùm idem Josephus, c. 10 Herodem illum, cujus Herodiadem uxorem fuisse dicit, ejus Herodis, qui eam à marito subduxit, germanum fratrem appellet. Ad quæstionem ergo quidam respondent, Philippum cognomento Herodem etiam vocatum fuisse ; evangelistas nomine, Josephum cognomine eum appellâsse ; quòd si probarent facillimam solutionem invenissent. Alii Josephum, aut ignorantiâ, aut oblivione lapsum dicunt ; quod illi sæpè accidisse videtur. Ex duabus hisce solutionibus, quam probabiliorem judicabit, lector eliget ; modò illud teneat Josephum ex evangelistis ; non ex Josepho evangelistas emendandos. Nam, ut fingamus non divino, sed humano spiritu historiam composuisse ; tamen, et quia plures sunt, et quia res, quæ suo acciderant tempore, cos cripserunt ; multò majorem quam Josephus fidem, merentur. Altera hic inter auctores de Herodiade dissensio est. Josephus Aristobuli Herodis, et Philippi ex Herode magno fratris filiam foisse dicit. Hieronymus verò hoc loco, et Rufinus Eusebium vertens, lib. 1 Ecclesiast. Histor., c. 25, et Beda, et Strabus filiam fuisse Aretæ regis. Quâ in re non dubito, quin Rufinus primùm, deinde Rufinum Hieronymus, Hieronymum Beda et Strabus secutus erraverit. Cùm enim Eusebius Josephum imitatus Herodis pri rem uxorem Aretæ regis filiam fuisse diceret, Rufinus existimans eum de secundâ uxore Herodiade loqui, et Josephum, Hegesippumque non consulens, Herodiadis in versione explicandi causâ nom n addidit ; dùmque historiam vult explicare, vitiavit. Hieron mus Græcè, ut poterat, ac solebat, sed Latinè legens ex corrupto fonte errorem hausit ; ex illo alii derivârunt. Adeò facilè alienorum errorum contagionem trahimus ; dùm aliena opera condimus. In eo etiam Hieronym., Beda, et Strabus minimè sequendi, quod dicant, non ipsum Herodem fratris uxorem usurpâsse : sed Aretam Regem Arabum propter injuricitias, quas cum Philippo gerebat, filiam Herodiadem, quam illi nuptam dederat, abstulisse, et fratri ejus, ac rivali Herodi tradidisse. Josephus, lib. 18, c. 9, et Hegesippus, lib. 2, c. 12, sic narrant

historiam : Herodem, cùm Romam iret, à fratre Herode (secundùm Evangelistas Philippo) exceptum hospitio, dumque apud eum moraretur, ejus uxorem Herodiadem subornâsse ut sibi, postquam Româ rediisset, relicto fratre nuberet; ibique pactas inter eos fuisse nuptias. Itaque dubium non est, quod à multis tamen, tanquàm dubium, in utramque partem disputatur, quin vivente adhuc fratre Philippo ejus uxorem Herodes usurpaverit. Quanquàm veteres etiàm de eâ re auctores video dissentire. Nam Hieronym., Beda, et Strabus vivum adhuc Philippum fuisse putant. Tertul. verò, lib adversùs Marcionem 4, Chrys., Theophyl., et Euthym., hoc loco mortuum. August., lib. de Fide et Operibus, c. 19, dubium esse existimat, neque sciri posse. Sed hi auctores Josephum fortè non legerant.

Vers. 4. — Dicebat enim illi. Josephus, lib. 18 Antiq., c. 10, aliam causam reddit, cur Herodes Joannem occideri; quòd nimirùm timueri, ut in magnâ erat apud populares suos gratiâ, ne ad seditionem populum excitaret. Utrumque verum esse credibile est, et Herodem Herodiadis insidiis, atque rogatu Joannem occidisse, ut narrant evangelistæ; et eum rumorem ad placandum populum disseminâsse, Joannem contra se populum ad seditionem conatum commovere; quem vulgi rumorem Josephus secutus sit.

Vers. 5. — Et volens eum occidere. Marcus, c. 6, 19, 20, videtur prorsùs contrarium indicare. Herodiadem Joanni, ut eum de medio tolleret, insidiatam; Herodem verò, quia Joannem reverebatur, impedivisse. *Herodias*, inquit, *insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum, et sanctum; et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.* Unde colligitur Herodem non ideò Joannem in carcerem conjecisse, ut illum occideret, sed potiùs, ut ab Herodiadis insidiis indemnem servaret, placans hâc ratione iram impotentis mulieris, et spe secuturæ necis deludens. Euthymius respondet credibile esse principio quidem solam Herodiadem Joanni, ut sive per maritum, sive alio dolo eum interimeret, insidias tetendisse; Herodem autem, ut Marcus significat, obstitisse; postea verò Herodiadis victum precibus occidere voluisse; sed timuisse populum, qui ut prophetam eum habebat, ut scribit Matthæus.

Vers. 6. — Die autem natalis. Origenes, homiliâ in Matthæum 14; Hieronymus et Beda observârunt nullius justi viri, sed duorum tantùm sceleratorum hominum Herodis, et Pharaonis natalem diem in Scripturis celebrari. Calvinus tamen, quasi jurâsset

Vers. 6. — Saltavit filia Herodiadis. Hæc Salome dicta est è priori connubio cum Philippo nata. Qui Philippus non fuit tetrarcha Trachonitidis, sed alius Herodis M. filius ex Mariamne uxore. Hæc Salome postea nupsit Philippo Tetrarchæ ex Josepho, L. 18, cap. 7, qui cùm sine liberis obiisset, Aristobulo regi Chalcidis nupsit. Circa mensem februarium Joannis necem contigisse ex ipsâ rerum serie conjicit

se omnibus in rebus hæreticum esse, hunc morem non solùm excusat; sed etiam laudat. Hâc enim ratione gratias nos Deo agere, quòd in lucem ejus beneficio editi simus; et profiteri anteactam vitam inutiliter transegisse. Quis hæreticum non agnoscat spiritum? Pharaonis, et Herodis natales dies celebrari vult; Petri et Pauli, imò matris Dei; imò Christi natalem celebrari prohibet. Viventium natales, ubi ambitionis, et gloriæ plurimum est, agi laudat : mortuorum, qui Deo serviunt, et eo jam securi fruuntur, ubi nulla ambitio, nulla humana gloria esse potest, natales agi vetat. Conviviis homines nequissimos in lucem editos fuisse Deo gratias agendas esse docet; orationibus, et laudibus homines sanctissimos, et de Ecclesiâ Christi optimè meritos natos esse, si quis Deo gratias agat, superstitiosum putat. Superiorem vitam inutiliter nobis effluxisse comessando, et potando agnoscere sanctum est : jejunando et pœnitentiam agendo profanum, anile, papisticum. Quid ita? quia ipse dixit.

Saltante filia. Salome ex Philippo priore marito genitâ; propterea non vocat Herodis filiam, sed Herodiadis. Videtur Herodias hanc occasionem natalis diei Herodis observâsse; eâque de causâ filiam ad saltandum induxisse.

Vers. 8. — Præmonita, προβιβασθεῖσα, inducta, instigata, impulsa; non enim admonitionem solam, sed persuasionem, incitationem, vim insuper quamdam significat. Strabus existimat totam tragœdiam ab Herode fuisse compositam, ne sponte suâ, sed juramenti coactus religione Joannem videretur occidisse. Quod, quamvis perversus fuerit, et callidus, verum esse non credo; multò enim meliores prætextus homo acutus quærere, invenireque potuisset, et quia, ut versu sequenti dicemus, verè videtur caput Joannis puellâ petente doluisse, et quia valdè illi probrosum erat rogatu saltantis puellæ virum sanctum occidere, et non est vero simile hominem cautum, qui populum timebat, quique rationem minuendi quærebat sceleris, novo scelere augere voluisse.

Da mihi. Marcus, c. 6, 24, 25, addit : *Quæ cum exisset dixit matri suæ, quid petam? at illa dixit, caput Joannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petiit dicens : Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.*

Vers. 9. — Et contristatus est rex. Quare regem vocet, cùm rex non esset, vide supra vers. 1. Contristatum autem non verè, sed simulatè multi auctores putant, Hilarius, Hieron. et Strabus, quia, vers. 5, evangelista dixit voluisse Herodem Joannem occidere, sed populum timuisse; quomodò enim verè

Pezronius, anno Christi 32, adeò ut per 7 aut 8 menses Joannes carcere conclusus videatur. Hanc necem Joannis factam esse Macherontæ, et adeò iniquam Judæis esse visam testatur Josephus, ut Herodis exercitum post aliquot annos ab Aretâ rege Arabum penitùs deletum fuisse in pœnam hujus nefarii sceleris persuasum habuerint.

dolere potuit, si eum occidere volebat? Magis tamen Chrysost., Euthym. et Theophyl. probo sententiam, qui verè eum existimant doluisse. Nam etsi eum occidere volebat, tamen non poterat, quantumvis cæcus homo, non videre turpe sibi, et ignominiosum apud populum futurum, quod tanti tamque sancti, et admirandi prophetæ caput lascivæ puellæ saltationis præmium concessisset. Scio Romanarum rerum scriptores tradere Romanum nescio quem ducem mensæ accumbentem amicæ rogatu, quæ dicebat se nunquàm hominem jugulari vidisse, continuò unius ex proscriptis securi decussum caput ad mensam, ut amica videret, afferri jussisse. Sed cùm Herodem Evangelista contristatum fuisse dicat; non debemus, nisi probari possit, simulationem putare. Doluit ergo verè, non quòd Joannem occideret, quem jam ante occidere volebat; sed quòd ea ratione occideret, quæ suis rationibus minimè conveniret.

Propter jusjurandum tamen. Et hoc verè, ut puto, non simulatè. Tanta enim apud Judæos religio erat jurisjurandi, ut etiam, quæ contra fas jurata essent, non servare, nefas duceret, ut ex Josue juramento Gabaonitis præstito, Josue 9, 15, 18, 19, et Jephthe, Jud. 11, 35, manifestum est. Quæ rectè veteres auctores monuerunt non fuisse servanda, Orig., hom. in Matth. 14. Chrysost. hoc loco, Ambros., lib. 1 de Officiis, c. 50, Hieron. in commentariis. Quod Euthym. exemplo Davidis probat, 1 Reg. 25, 22, qui, cùm jurâsset se non reliquum usque in diem crastinam in domo Nabal mingentem ad parietem; iniquum juramentum admonitus, rogatusque ab Abigail non servavit, deque eâ re gratias Deo egit, vers. 32, 33 : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodiè te in occursum meum : et benedictum eloquium tuum, et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu meâ.*

Vers. 10. — Misitque. Carnificem, ut c. 2, 16, ubi eum hebraismum explicavimus. Marcus, c. 6, 27, explicatè dixit, *sed misso confestim speculatore jussit afferri caput Joannis in disco.* Hinc colligitur Herodem hoc convivium in arce Macheruntinâ celebrâsse, quæ in finibus Galilææ, et Arabiæ erat. In eâ enim arce scribit Josephus, lib. 18, c. 10, vinctum fuisse Joannem. Constat autem ex hoc loco, et multò etiam magis ex Marco hoc convivium eodem loco, in quo Joannes vinctus erat, celebratum fuisse.

Vers. 12. — Et accedentes discipuli ejus. Dubitari potest, quomodò discipuli Joannis in carcerem ingredi potuerint. Nonnulli putant corpus Joannis

Vers. 13. — Tum Jesus in Galilææ civitatibus verbum prædicabat : paulò ante miserat apostolos qui regnum Dei annuntiarent : jam ad eum redierant, cùm illi mors Joannis Baptistæ fuit annuntiata, et legationis suæ rationem reddiderant, uti ex c. 6 Marci discimus; et convenientes apostoli ad Jesum renuntiaverunt ei omnia quæ egerant. Christus itaque secessit unà cum apostolis in desertum Bethsaidæ, ex Lucæ, c. 9, v. 10. Hoc desertum ultra lacum Genezareth patebat. Christus Herodis sævitiam et Pharisæorum insidias vitare voluit, quòd nondùm venisset hora ejus. Aliam

ignominiosè fuisse projectum; quod nullâ historiâ, nullâ conjecturâ probare possunt. Alii aditum discipulis ad carcerem patuisse; nam ut ex c. 11, 2, perspicuum est, viventem adhuc Joannem, et vinctum visitabant. Hoc probabilius; illud etiam probabile petentibus discipulis corpus specie quâdam humanitatis facilè concessum, volebat enim Herodes populi, quem, ut ait evangelista, timebat, iram lenire. Hæreticorum interpretes hinc argumentantur non alium sanctorum corporibus honorem deberi, quàm sepulturæ : quia discipuli Joannis ejus corpus; non, ut nos, reliquias servaverunt; sed sepelierunt. Acuti sanè argumentatores : qui eâdem ratione probare potuerunt ne corpori quidem Christi, alium, quàm sepulturæ, honorem deberi, quia Joseph ejus discipulus non servavit; sed sepelivit, c. 27, 60. Atqui isti boni Ecclesiæ reformatores, qui ideò sepulturæ honorem sanctis tribui volunt; ne quis honor major tribuatur; ne hunc quidem illis honorem tribuunt; mortuos mortui noctu sepeliunt; non ut honorentur, sed ne fœteant; non ut homines, sed ut asinos, ut canes. Cæterùm benè est, quòd non contingit illis, nisi hæreticos sepelire, qui digni non sunt, ut aliâ, quàm asini sepultura, ut Scriptura de impio illo rege loquitur, sepeliantur.

Vers. 13. — Quod cum audisset Jesus. Quid dicatur Jesus audivisse, quamobrem inde secesserit, non satis inter interpretes constat. August., lib. 2 de Consens. Evangel., c. 45. Euthymius, et Theoph. ad mortem Joannis referunt. Chrysosto. verò, homil. 50, quod etiam probat Euthym., ad id quod, vers. 2, et apud Lucam, c. 9, 9, dictum est, Herodem dixisse : *Hic est Joannis Baptista, ipse surrexit à mortuis, et ideò virtutes operantur in eo;* et voluisse Christum videre. Augustini opinionem probabiliorem puto; sic enim hoc loco verba hærent, ut relativum, quod, non ad aliud, quàm ad Joannis mortem, quam discipuli Christo nuntiârunt, referri posse videatur, vers. 12, 13 : *Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus, et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu. Quod cum audisset Jesus, secessit inde.* At jam diù Joannes in vinculis fuerat, c. 11, 2, fuerat quidem jam diù in vinculis, sed non occisus.

Secessit inde. Quare? illud certum, quod Hieronymus et Chrysostomus admonuerunt, non metu; sed consilio, rationeque secessisse. Quo autem consilio, incertum est. Hieronymus, et Beda ideò secessisse putant, ne tyrannus homicidio homicidium

quoque hujus secessûs rationem Marcus affert, quòd discipuli ex suâ legatione fatigati rediissent, et requie indigerent, quam ibi consequi non poterant ob hominum frequentiam. Turbæ secutæ sunt eum pedestres de civitatibus; quocirca videtur Dominus non integrum lacum trajecisse, sed sinum ejus tantummodò, ac turbas pedibus juxta lacûs littora eò venisse : imò quidam prævenerunt ex Marci, cap. 6, adeò ut Christus et apostoli videantur paulisper in littore consedisse, priusquàm in desertum se conferrent.

cumularet, quasi Christum etiam, si apprehendere potuisset, occisurus esset, noluisse enim Herodi peccandi materiam suppeditare; itaque sese subtraxisse, fecisseque quod apostolis ipse præceperat: *Cùm vos persequentur in civitate istâ, fugite in aliam*, c. 10, 23. Chrysostomus verò, et Euthymius aliam afferunt causam, ne, si Herodis manus divinitùs, ut poterat, evaderet, Deum se esse declararet, quod nolebat tam citò notum esse. Aliam Theophylactus, ut fugiendo non phantasma, ut Marcionistæ, et Manichæi putaverunt; sed verum hominem, qui teneri, et occidi posset, se esse ostenderet. Veram ego causam fuisse arbitror, quam in simili exemplo Joannes reddit, c. 7, 30, quia *nondum venerat hora ejus*. Aliam etiam, cur secesserit Marcus rationem affert, c. 6, 31, quòd discipuli ex suâ legatione fatigati rediissent, et requiete indigerent, quam eo loco habere non poterant, ut propter hominum confluentium multitudinem cibum illis sumere non liceret. *Venite*, inquit, *seorsùm in desertum locum, et requiescite pusillum.*

In navicula. Cur non pedibus? ne, inquit Chrysost., turbæ eum sequerentur, quas fugere volebat. Alii, quia lacus in ulteriorem ripam trajiciendus erat. Quod ego nullo modo credo, quia disertis verbis Lucas dicit, c. 9, 10, venisse eum in desertum locum qui erat Bethsaidæ; Bethsaidam autem citra, non ultra lacum fuisse dubium non est; id est, in Galilæâ Herodis tetrarchiâ, ubi tunc Christus versabatur. Nam et Petrus, qui ex Bethsaidâ civitate erat, Joan. 1, 44, Galilæus erat, Matth. 26, 72, 73. Non ergo Christus totum lacum; sed sinum aliquem, aut potiùs promontorium lacûs trajecit, ut in alium remotum locum secederet. Cujus rei præter illud, quod ex Lucâ protulimus, certum etiam est argumentum, quòd, ut ait Matthæus, turbæ eum pedestres secutæ sunt. Nam quod nonnulli dicunt per aliquem pontem transire potuisse; vel non agi de turbis, quæ in Galilæâ erant, sed de iis, quæ ultra ripam in regione Gerasenorum habitabant, absurdum est. Etenim nec tantus lacus, quantùm Plinius, Straboque describunt, ponte jungi potuit, nec in Jordane ipso, qui in lacum influebat, pontem ullum præter pontem Tiberiadis fuisse, qui longè distabat, legimus; et turba quæ in ulteriore ripâ erat, exspectare venientem Christum potuit, sequi non potuit. Simile est, quod iidem dicunt, Bethsaidæ desertum apud Lucam appellari, non quòd prope Bethsaidam esset, sed quòd ultra lacum è regione Bethsaidæ, aut quòd Bethsaidæ esset; utrumque enim sine ullâ ratione dictum est. Solus Joannes, c. 6, 1, videri potest horum auctorum sententiam juvare, quòd dicat Christum abiisse trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; trajecit ergo ultra mare. Respondeo sensum esse eum venisse in eum locum, qui vulgò ultra mare Galilææ vocabatur, non quòd Christo ultra mare esset; sed quòd Judæis ex Ægypto venientibus ultra mare fuerat, unde perpetuò nomen retinuit, ut, c. 4, 15, multis probavimus exemplis. At quomodo Christus, ultra mare venisse dicitur, cùm ultra mare esset?—Respondeo, quia ex uno loco in alium transiit, qui propriè ultra mare vocabatur, quod quisquis, c. 4, 15, legerit, minimè mirum putabit. Nam et illic, qui loquebatur, propheta illum ipsum locum, ubi ipse erat trans Jordanem vocat, cùm illi non trans, sed citra Jordanem esset. Trajecit ergo Christus partem tantùm aliquam lacûs circum aliquod promontorium, quâ ratione factum est, cùm turbæ terrâ sequerentur, ut priùs ad locum, quò appulit, quàm ille pervenirent, ut ait Marcus, c. 6, 33, quia, etsi plerùmque citiùs mari quàm terrâ itur, tamen Christus promontorium circuibat, turbæ rectâ tendebant viâ.

Vers. 14. — Et exiens vidit turbam. Exiens è navi, quia, ut ait Marcus, turbæ eum prævenerant. Hieron. et Euthym. et ex recentioribus multi interpretantur, exiens à deserto, quia Lucas, c. 9, 11, dicit: *Et excepit illos*, quasi obviam illis exierit, et Joan., c. 6, 3: *Subiit ergo in montem, et ibi sedebat cum discipulis suis.* Quod ego ne probabile quidem esse arbitror; cùm Marcus apertè dicat turbas eum prævenisse. Nam quod ait Lucas Christum excepisse illos, non significat obviam ivisse. *Et excepit*, inquit, *eos, et loquebatur illis de regno Dei.* Quod et Marcus exposuit: *Et exiens vidit turbam multam, et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit eos docere multa.*

Vers. 15.—Accesserunt ad eum discipuli ejus. Videtur Leontius relativum *ejus* ad Joannem referre, de quo paulò supra mentio facta fuerat, quasi discipuli Joannis fuerint, qui ad Christum accedentes rogaverint, ut turbam dimitteret. Hinc enim manifestum esse dicit jam tum Joannis discipulos mortuo præceptore adhæsisse Christo. Sed ex Lucâ, c. 9, 12, perspicuum est eos, qui hoc Christo proposuère, duodecim Apostolos fuisse. Joan. 6, 6, videtur factum aliter narrare; ait enim Christum Philippo dixisse: *Unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem*, inquit, *dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus.* Facilis conjectura, primùm discipulos Christo subjecisse, ut Matthæus ait, uti turbas dimitteret; deinde Christum, ut narrat Joannes, tentandi causâ Philippum interrogâsse, *unde ememus panes, ut manducent hi?* ut Chrysostomus, Leontius et Theophylactus interpretantur. Duplex autem apud Joannem quæstio, cur Christus discipulos, et cur Philippum potiùs quàm alium interrogaverit. Ad priorem Joannes ipse videtur respondere, non interrogâsse ut disceret; *sciebat enim quid esset facturus*, sed ut tentaret. At hoc ipsum quæritur, cur tentare voluerit?

Vers. 14. — Exiens è navi. Vespere, inclinatâ die, quæ post meridiem jam processerat. Sequitur insigne miraculum de multiplicatione quinque panum, quod ab omnibus evangelistis enarratur. Joannes, c. 6, v. 4, tempus ipsum designat: *Erat autem proximum pascha Judæorum;* quare ineunte martio hoc factum videtur miraculum: nam eo anno Pascha die 25 martii contigisse existimat Pezronius: atque hinc necem Joannis Baptistæ circa mensem februarium evenisse colligit.

Amphylochius existimat quamvis minimè ignorantem, ad modum tamen ignorantis interrogâsse, ut se ad auditorum opinionem, et infirmitatem accommodaret; Augustinus, Beda et Rupertus, non ut ipse fidem discipuli cognosceret, quam nequaquàm ignorabat; sed ut illi suam incredulitatem ostenderet. Cyrillus Græcus, nàm Latinum à quibusdam alienis scriptis auctum lectorem moneo nunquàm à me citari, ideò putat interrogâsse, ut magis miraculum, quod facturus erat, illustraret. Ex ejus enim interrogatione consecutum fuisse, ut Philippus responderet ducentos denarios non sufficere ut panes emerent; et Andreas, esse quidem illic quinque panes, et duos pisces, sed quid ad tantam hominum multitudinem? Quò ergo plures panes Philippus et Andreas necessarios esse declarârunt, eò majus postea miraculum apparuisse. Chrysostomus, Theophylactus, Ammonius, Theodorus Heracleotes, et Mopsuest. voluisse Christum interrogando, ac respondendo ultrò, citròque discipulorum excitare fidem, eosque ad considerandum futurum miraculum attentiores reddere. Si enim de improviso, hâc cum discipulis disputatione non antegressâ, miraculum edidisset, minùs fuisset animadversum; cùm et hominum multitudo, et fames, et paucitas panum minùs fuisset disputando perspecta. Ad posteriorem quæstionem idem Chrysostomus, Theophylactus, Theodorus Mops. et Leontius respondent, propterea Philippum potiùs quàm alium interrogâsse, quia ille maximè omnium fide indigebat; eum enim fuisse, qui quasi in fide vacillans dixit, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*, Joan. 14, 8. Addit Joannes dixisse Andream fratrem Petri: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, et duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?* Quod Theodorus Mops., Leontius et Ammonius ideò dixisse putant, ne videretur velle sibi reservare. Notant verò Chrysost., Cyrillus, Theodorus Heracleotes, Leontius et Theophyl. aliquantò plus fidei Andream quàm Philippum ostendisse; videri enim spe aliquâ futuri miraculi dixisse hæc, scientem Elisæum panem aliquando multiplicâsse, perfectam tamen non habuisse fidem, cùm dicat: *Sed hæc quid sunt inter tantos?* quasi crederet posse quidem Christum multiplicare panes, sed ex pluribus plures, ex paucioribus pauciores posse facere. Mihi probabilius videtur, Andream, cum hæc dixit, nihil de miraculo cogitâsse. Docet nos Christus, ut ait Leontius, et Theodorus Mops. hoc exemplo nunquàm in rebus angustis desperare, sed in ipso semper confidere, qui panem nostrum, si quem habemus, augere; si non habemus, ex nihilo creare possit. Chrysost. verò et Theoph. ex hoc loco Manichæos refellunt, qui panem ab alio, nescio quo, malo Deo factum esse delirabant. Nec enim Christus multiplicare potuisset, si ab alio, quàm à se, et Patre suo fuisset factus. Adnotavit Euthymius Christum datâ operâ usque ad serum diei tempus sermonem traxisse, ut necessitas ejus, quod postea fecit, miraculi nota esset. Non decet cujusdam magni nominis Calvinistæ interpretationem silentio præterire. Scribit evangelicus doctor apostolos non charitate, sed tædio Christo suggessisse, ut turbas dimitteret, ut se labore, fastidioque liberarent. Profectò hoc Calvinistæ non fecissent. Hoc enim voluit bonus iste doctor significare se, suosque ministros plus quàm apostolos habere charitatis. Hujusmodi est hæreticorum spiritus; dolent, et, si quomodo possunt, negant apostolos fuisse sanctos, ut ipsi apostolis meliores esse videantur, nec intelligunt omnium hominum sceleratissimos apostolos esse oportuisse, ut novi isti apostoli eorum similes videri possent.

Vers. 16. — Date illis vos manducare. Joan. c. 6, 7, narrat respondisse Philippum, *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Unde colligit quidam hæreticorum interpres Christum, et apostolos ducentos denarios, id est, viginti ferè aureos coronatos habuisse. Nec enim monachis nostris mendicantibus; sed Calvinianis ministris similes erant, nummati, conjugati, compti, elegantes. Quod ex eodem spiritu atque illud, quod paulò ante commemoravimus, profectum est, maligno, perverso hæretico, diabolico, et præterea cæco; quis enim non videt propterea Philippum dixisse ducentos denarios non sufficere, quòd nec eos haberent, nec habere possent? Argumentatur enim non posse se tantam hominum multitudinem pascere, quòd ne ducenti quidem denarii satis sint, cum ipsi ne unum quidem fortassè denarium haberent. Si enim habuissent, jussisset utique Christus in panes expendi, nec miraculo opus fuisset. Quantò melius Theodorus Heracleota ex hoc loco voluntariam Christi, et discipulorum ejus paupertatem probat, qui ne ad emendos quidem cibos sibi necessarios satis habuerint pecuniæ. Ejus verba propter Calvinistas huc adscribam; Τῶν συνόντων αὐτῷ τὸ ἀφιλάργυρον, καὶ τὴν ἑκούσιον [illegible], οὐδ' ὅσον εἰς τὸ πρίασθαι τὰς ἀναγκαίας ἔχοντων τροφάς. Notat Leontius propterea non dixisse, ego illis cibum dabo, sed *date vos illis manducare*, ne arroganter de se loqui, et miraculum jactare videretur.

Vers. 17. — Non habemus hic nisi quinque panes. Joan. c. 6, 8, 9, ait: *Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri, est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos?* Dubitant autem interpretes, an panes illi apostolorum essent, quos illis puer portaret; an puer, ut venderet, attulerit. Chrysostomus, hom. 50, Leontius et Cyrillus, et Theophylactus apostolorum fuisse putant; Euthymius, et, ut videtur, Cyrillus, cui magis assentior, venales. Nam quod apostoli dicunt: *non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces;* non significant fuisse ipsorum; sed totam, quanta quanta erat, hominum multitudinem non nisi quinque panes, et duos pisces habuisse.

Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Jubet sibi panes afferri, inquit Chrysostomus et Leontius, ut ostendat se esse, qui totum nutrit terrarum orbem; neque ex horâ ullâ, aut tempore pendere; sed quo-

cumque tempore, et ex quâcumque materiâ posse, quotquot velit, panes facere. Non dicit Evangelista discipulos paruisse, sed ex sequentibus satis intelligitur. Quâ re Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Cyrillus, et Leontius egregium nobis documentum dari docent, ut hospitibus, et egenis etiam, quæ nobis necessaria sunt, liberaliter elargiamur, fore ut hâc ratione panis nobis crescat.

Vers. 19. — Et cum jussisset turbam discumbere. Marcus 6, 39, *præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundùm contubernia super viride fœnum*; fœnum enim copiosum erat, quia, ut Leontius, et Theophylactus admonuerunt, primum erat ver, cum proximum esset Pascha, ut ait Joannes, c. 6, 4; Lucas, 9, 14: *Facite eos discumbere per convivia quinquagenos*. Quod multis de causis verò simile est Christum fecisse, ut numerus hominum ex distributione magis appareret, eâque ratione miraculi magnitudo constaret, ut sine confusione apostoli omnibus ex panibus, et piscibus darent; ut omnes nemine præterito suo quisque ordine portionem acciperet. Aliam Cyrillus, et Leontius, in commentariis, et nescio quis alius sine nomine in Græcâ citatus catenâ, sed mysticam afferunt causam, tanquàm bestias super fœnum accumbere jussisse; quinque enim illos panes ordeaceos quinque legis Mosaicæ libros significâsse, quibus Judæi tanquàm ordeo, sine ullo delicato gustu, sine sensu, tanquàm animalia bruta, vescerentur. In quam sententiam multa quoque Rupertus scribit. Cyrillus verò reprehensionem esse putat, quasi dicat Christus: O tardi homines, et hebetes ad intelligendam virtutem meam, facite eos discumbere, ut non verbis, sed factis doceam vos quid possim facere. Idemque in Græcorum Catenâ scribit Apollinarius.

Aspiciens in cœlum, ut ostenderet se à Patre unà cum divinitate vim faciendorum miraculorum accepisse, Hilarius, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus; ut idem nos facere doceret, ut iidem dicunt auctores, Leontius et Ammonius; ut ostenderet unde nobis omnibus in rebus petendum auxilium, Hieronymus, et Beda; ut ostenderet se contrarium non esse Deo, ut idem Ammonius et Leontius tradunt: ut usque ad passionem, tanquàm homo Deum orans, principium hujus mundi lateret, quam causam solus reddit Ammonius. Aliam quoque Leontius rationem affert, ne Patre se majorem facere videretur, de quo dictum à Judæis fuerat, Psal. 77, 19: *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Adnotârunt etiam Chrysost., Leontius et Euthym., Christum non quotiescumque miracula fecit, in cœlum suspexisse; sed aliquando, ut hoc loco, et in Lazari suscitatione, Joan. 11, 41, et in oratione, quâ Patrem rogavit ut se clarificaret, Joan. 17, 1, ne si semper faceret, videretur non suâ, sed alienâ auctoritate miracula facere; si nunquàm, Patrem suum non recognoscere.

Benedixit. Calvinistæ interpretantur, gratias egit, quia quod Matthæus, Marcus, c. 6, 41, et Lucas, c. 9, 16, dicunt: Εὐλόγησεν, *benedixit*, Joannes, c. 6, 11, dixit καὶ εὐχαριστήσας, *et cùm gratias egisset*; et quod hic Matthæus et Marcus dicunt, εὐλόγησεν, *benedixit*, idem Matthæus, c. 15, 36, et Marcus, c. 8, 6, narrantes alterum miraculum de septem panibus dicunt, εὐχαριστήσας ἔκλασε, *et gratias agens fregit*. Rursùs, quod Matthæus, c. 26, 26, et Marcus, 14, 22, de sacramento Corporis Christi loquentes dicunt: εὐλογήσας, *benedixit et fregit*, Lucas, c. 22, 19, et D. Paulus, 1 Cor. 11, 24, dicunt, εὐχαριστήσας, *gratias egit et fregit*. Ex quibus locis omnibus illud perspicuum est idem esse εὐλογεῖν, *benedicere*, et εὐχαριστεῖν gratias agere; sed probandum hæreticis erat εὐλογεῖν, *benedicere*, accipi pro εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, non potiùs è contrariò εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, pro εὐλογεῖν, benedicere, quod nec probare conati sunt, nec, si maximè conentur, probare possunt. Nos contrà εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, poni pro εὐλογεῖν, *benedicere*, facilè probamus, primùm, quia gratiarum actio his in locis nihil, benedictio autem maximè ad rem pertinebat. Volebat enim Christus panem multiplicare, nondùm multiplicârat; non ergo Patri gratias agebat, quòd multiplicâsset, sed panem benedicebat, ut multiplicaretur. Deinde, quia, si gratias egisset, Patri utique, non pani egisset; at panem ipsum benedixisse dicitur, Luc. 9, 16, εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illis*; non ergo εὐλογεῖν, *benedicere*, accipitur pro εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, sed è contrario, εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, pro εὐλογεῖν, *benedicere*. Interpretantur illi εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illis*, id est, gratias super illos egit, quam illi interpretationem nullo exemplo probare possunt; nos ex ipsâ grammaticâ refutare possumus; si enim evangelista id dicere voluisset, non dixisset εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illis*, sed, εὐλόγησεν ἐπ' αὐτοῖς, benedixit in illis, aut ἐπ' αὐτοῖς super illos: at et Lucas dicit εὐλόγησεν αὐτούς, *benedixit illis*, et D. Paulus, 1 Cor. 10, 16: Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, *calix benedictionis, cui benedicimus*: ipsum enim benedicimus calicem. Simile est, quod idem D. Paulus ait 1 Tim. 4, 4, 5, cibum, quem sumimus, per verbum Dei sanctificari; accedit ergo aliquid cibo ex eo, quòd benedicatur. Benedictio igitur, et ad Deum, tanquàm ad auctorem, à quo petitur, dirigitur, et ad panem, tanquàm ad materiam benedictioni subjectam, quod non fieret, si benedictio pro gratiarum actione sumeretur. Præterea, quid causæ est, cur Christum non legamus panem benedixisse, nisi cùm in melius mutare, aut multiplicare voluit, cùm quotidiè sumeret cibum, nisi quia per benedictionem aliquam panibus, ut crescerent, et multiplicarentur, virtutem impressit, quemadmodùm, cùm primos parentes benedixit, Genes. 1, 28: *Crescite et multiplicamini, et replete terram*. Cùm ergo Christus suspexit in cœlum, et panes benedixit, Patrem oravit, ut suum in panes, quâ multiplicarentur, benedictionem infunderet. Et cùm dicitur apud Joannem εὐχαριστεῖν non significatur egisse gratias; sed gratiam Patris in panes, ut multiplicarentur, invocâsse: argumentum est, quòd veteres auctores Græci ecclesiastici transitivè, hoc verbo usi sint; vocant enim panem Eucharistiæ ἄρτον εὐχαριστηθέντα, ut Justinus, 2 Apolog. pro Christianis, et Irenæus, lib. 4, c. 34.

Et dedit discipulis suis, ut per eos quodammodò tanquàm ministros, miraculum fieret; quod, ut Hieronymus, et Beda scribit, significat populum Christianum per apostolos fuisse pascendum; vel ut testes certiores miraculi essent, quod suis manibus tetigissent, quemadmodùm ait Leontius, et Euthymius, vel, ut altiùs in memoriâ deligerent quod suis ipsi manibus contrectâssent, ut vult Theophylactus. Videtur mihi voluisse Christus miraculi gloriam à se in apostolos quodammodò transferre. Ubi multiplicati panes fuerint, utrùm in manibus Christi, an in manibus apostolorum; an in manibus, aut in ore sumentium Hilarius dubitat. Illud mihi certum penè videtur non fuisse in manibus, aut ore sumentium multiplicatos, quemadmodùm novi hæretici docent Eucharistiam non esse corpus Christi, nisi in ore sumentium. Sibi enim quodam modo homines satiati miraculum tribuissent. Hieronymus in manibus Christi; Chrysostomus, Leontius, et Euthymius in manibus apostolorum multiplicatos fuisse putant. Utrumque probabile; sed illud, ut mihi videtur, probabilius, primùm in manibus Christi, qui primus miraculi auctor erat, multiplicatos; frangendo enim multiplicâsse credibile est, et duodecim cophinos implevisse, quos apostoli duodecim ad suum quisque ordinem ferrent, sicut Sareptana illa vidua, 3 Reg. 17, 14, 15, 16, et illa altera de uxoribus prophetarum, 4 Reg. 4, 5, 6, hauriendo oleum multiplicavit: deindè verò in Apostolorum manibus, aut in ipsis cophinis crevisse, ita ut quantum ex corbibus, ut discumbentibus darent, detraherent; tantum divinitùs accresceret; sicut in lecytho illius viduæ factum est, ut quantum hauriebat, tantum rursùs emanaret, ita ut lecythus, ut ait Scriptura, non sit imminutus. Inde factum est ut Apostoli duodecim plenos cophinos, id est, quantum à Christo acceperant, tantum collegerint.

Vers. 20. — Et comederunt omnes. Tria hic ad miraculi evidentiam et probationem dicit evangelista. Primum omnes comedisse; secundùm saturatos fuisse; quod propterea evangelistam dixisse Leontius, Chrysostomus, et Theophylactus putant, ut miraculi veritatem ab ipsis, qui comederunt, probatam fuisse demonstraret, cùm priùs esurientes ipsa, et non opinione solâ saturati fuerint; tertium superfuisse duodecim cophinos. Duodecim autem cophinos superâsse propterea Hieronymus, Chrysostomus, et Theophylactus, et Euthymius existimant, quia duodecim erant apostoli, ut etiam Judas, inquit Chrysostomus, cophinum suum ferrat. Causam ego eam, quam superiore versu indicavi, fuisse suspicor, quòd priùs apostoli duodecim à Christo plenos cophinos accepissent, et decebat, ut boni beneficiorum Dei dispensatores tantum redderent, quantum accepissent. Quòd autem non integrorum panum, sed fragmentorum duodecim cophinos superare voluerit, eâdem ratione Chrysostomus factum existimat; si enim integri superfuissent panes, imaginarium miraculum videri poterat; cùm autem fragmenta superfuissent, manifestum erat turbam ex panibus verè comedisse. Quærit Chrysostomus, quam ob rem ex piscibus nihil superfuerit, cùm post resurrectionem ita legamus multiplicâsse pisces, ut permulti superaverint, Joan. 21, 11. Nihil respondet aliud quàm significare voluisse Christum, quòd nunc ex subjectâ materiâ pisces multiplicâsset, non impotentiâ ullâ suâ factum fuisse, cùm postea sine ullâ materiâ tam multos procreaverit pisces, ut saturatis discipulis multi superfuerint. Rectè, si illud, priùs quàm hoc, fecisset. Simplicius dixerim, primùm non constare, ar. nihil ex piscibus superfuerit; quin ego multum superfuisse credo, quamvis nec id evangelista dixerit, neque Christus piscium fragmenta jusserit colligi, satis esse ratus ad miraculi demonstrationem, ut panum fragmenta colligerentur. Deinde, ut nihil superfuerit ex piscibus, ideò non superfuisse, quia satis erat ad probandum miraculum, ut vel panes, vel pisces superessent. Voluit autem panes potiùs quàm pisces superare, quia cibus est omnium usitatissimus, et in quo maximè poterat apparere, quid in eo genere posset facere. Valet hoc ipsum ad mores; vult Deus panes, id est, res necessarias abundè nobis suppetere; pisces verò, id est, delicias minimè redundare.

Vers. 21. — Quinque millia hominum. Græcè, *quasi quinque millia*, quemadmodùm etiàm apud Marcum, c. 6, 44, et apud Joan., c. 6, 10, legitur. Noster interpres neque hic neque apud Marcum legit; apud Joannem autem legit. Quod attinet ad sententiam, nihil interest. Solent enim auctores sacri perfectum numerum ponere, etiamsi paulò minor aut major sit. Duo etiam hic sunt, quæ propterea narrat evangelista, ut miraculi commendet magnitudinem, quòd quinque hominum millia fuerint, et quòd mulieres, et pueros non numeraverit; quorum non quidem tantum, quantum virorum, quia longo itinere venerant; sed magnum tamen fuisse numerum credendum est, sive quia religiosiores, sive quia curiosiores viris fœminæ sunt. Notant Leontius, Cyrillus et Ammonius apud Joannem in Græcorum Catenâ citati, propterea evangelistas solos viros, non mulieres numerâsse, ut Judæorum consuetudini servirent, qui solos numerabant viros, quemadmodùm fecisse legimus Moysen. Id quoque morale esse, nihil apud Deum recenseri, et ullo in numero esse, nisi quod virile sit atque perfectum.

Vers. 22. — Et statim compulit. Joannes, c. 6, 16, contra videtur dicere discipulos non jussu quidem Christi, qui sese ab eorum oculis subtraxerat, sed proprio consilio, cùm eum eodem in loco usque ad vesperum exspectâssent, vidissentque non redire, conscendisse navim, ut navigarent in Capernaum, ubique eum quærerent. Utrumque factum esse credendum est, et Christum, antequàm se subduceret, præcepisse eis ut navigarent in Capernaum, et ipsos usque ad noctem exspectâsse sperantes rediturum: aut è contrario priùs compulisse discipulos navem ascendere, seque præcedere prætextu dimittendæ turbæ, quibus prosubducere. Et præcedere eum trans fretum, è Galilæâ exire, et Herodis insidias fugere

Vers. 21 et 22. — Quinque millia, Græcè, *quasi quinque millia*, uti et Marc. 6, 44. Compulit discipulos ascendere, quòd solus orare vellet, ac se populo

fectis ipsum in montem relictà turbâ fugisse, ut oraret. Sed Joannem hoc secundum narrâsse, primum præteriisse. Quare verò compulerit, ut se relicto prænavigarent, duæ ex evangelistis causæ colliguntur, altera ex Matthæo, versu sequenti, quia volebat solus orare, ideòque præmissis discipulis, et relictâ turbâ in montem solus ascendit. Altera ex Joanne, c. 6, 15, ubi propterea dicit solum in montem fugisse, quia sciebat fore ut turba veniret, ut se raperet, ac regem faceret. Volebat enim expeditus esse; et à totâ turbâ, et ab apostolis, ut cùm periculum immineret, momento temporis, ut postea fecisse credendum est, per aera permeans discipulos consequeretur. Videtur etiam eâ ratione sequenti miraculo occasionem præbere voluisse; nisi enim apostolos præmisisset, neque laborâssent illi fortassis in remigando; neque super mare ipse ambulâsset, neque Petrum jussisset ambulare, quæ omnia miracula uno facta sunt tempore. Aliam Chrysostomus, et Theophylactus afferunt causam, ut fragmenta panum, quæ superfuerant, secum portarent, ac soli inter se præteritum miraculum recognoscerent. Compulisse autem eos dicit evangelista, quia credibile est illos ab eo discedere noluisse, ut Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus adnotârunt. Atverò non eorum solùm erga Christum amori; sed communi etiam humanitati repugnare videbatur, ut discipuli magistrum solum inter homines ignotos, et quidem citra mare relinquerent, cùm ipsi essent ultra mare navigaturi; sed obediunt tamen, quia sciunt, nihil esse, quod Christus facere non possit.

Et præcedere eum trans fretum. In regionem Gerasenorum, quæ ultra lacum erat, ut constat ex versu 34. Itaque nunc non solùm partem unam lacûs, aut promontorium, ut ante adnavigârunt, sed totum penitùs lacum trajecerunt. Voluit enim Christus è Galilæâ fugere, et in oppositam Gerasenorum regionem venire, et ut Herodis insidias vitaret; et ut eorum declinaret studium, qui sibi eum regem facere volebant. Videri potest contrarium, quod Joannes scribit, c. 6, 17. Venisse discipulos trans mare in Capernaum. Neque satisfacit, quod Augustinus, lib. 2 de Consensu evangel., c. 48, respondet, Genesareth, quò eos Matthæus venisse dicit, esse propè Capernaum, quò Joannes dicit appulisse. Repugnat enim geographia, ex quâ manifestum est Genesareth in alterâ oppositâ lacûs parte esse. Idque ex superiore c. 8, 28, et 9, 1, colligitur; si duo illi inter se loci conferantur. Constat ex Joanne et discipulos, et Christum priùs venisse Capernaum, ibique præclaram illam de corpore, et sanguine suo disputationem habuisse, quam toto c. 6 Joannes describit. Constat miraculum hoc in mari factum tunc accidisse, cùm discipuli ex eo loco, ubi panes Christus multiplicaverat, in Capernaum noctu navigarent. Deinde ex Capernaum in Gerasenorum regionem ultra lacum navigâsse. Joannes ergo, quia volebat disputationem illam de corpore et sanguine narrare, reliquit profectionem in regionem Gerasenorum. Matthæus verò, et Marcus, cùm vellent solum miraculum in mari factum exponere, et quomodò iterùm Christus in terram Gerasenorum trajecisset, quæ autem in Capernaum acciderant, præterire, ita narrant historiam, ut significare videantur miraculum illud maris tunc accidisse, cùm in Gerasenorum terram discipuli navigarent. Eadem enim fuit navigatio, nisi quòd aliquanti-per in Capernaum commorati sunt, dùm de corpore et sanguine suo Christus disserebat.

Vers. 23. — Vesperæ; duplicem vesperam Judæi solent distinguere: prioris fit mentio, v. 15, ab horâ tertiâ de meridie incipit; hoc loco secunda vespera commemoratur sub occasum solis.

Vers. 23. — Ascendit in montem solus orare. Bis in montem ascendisse constat ex Joanne; primùm simul ut in desertum locum venit, c. 6, 3, *subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.* Deinde post factum miraculum, et postea quàm Apostolos dimisisset, ibidem vers. 15. *Jesus ergo cùm cognovisset, quia venturi erant, ut caperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Priùs fugerat, ut lateret; nunc fugit, ut oret.

Vers. 25. — Quarta autem vigilia noctis. Ultima, quæ matutina dicebatur, Exod. 14, 24, et 1 Reg. 11, 11. In quatuor partes militari arte distributam fuisse noctem, quæ quatuor vigiliæ, quòd vigiles quater mutarentur, vocatæ fuerint, nemo nescit; et in Scripturis sæpè etiam indicatur, Jud. 7, 11, 19; Thren. 2, 19; Lucæ 2, 8, et 12, 38. Triplicem igitur faciendi miraculi occasionem Christus exspectavit, ut discipuli essent in medio mari, ubi nullum humanum auxilium exspectare poterant; ut ventus contrarius esset, et navis magnis fluctibus jactaretur; et ultima noctis vigilia veniret, ut discipulorum fidem, patientiamque probaret; simul ut miraculi necessitatem apostoli cognoscerent; nec enim solebat sine necessitate, eâque cognitâ, atque perspectâ miracula facere. Hæc ferè eadem Leontius observavit; habentque, ut idem ille monet, utile documentum, non debere mirari nos, si, cùm rebus adversis conflictamur, non continuò divinum nobis auxilium adesse videatur; velle Deum nostram priùs patientiam experiri, certamenque nostrum, quasi spectatorem, contemplari in ultimâ vigiliâ, id est, cùm in extremum periculum adducti sumus. Idem Cyrillus scribit Alexandrinus, Joan. 6, 17.

Ambulans supra mare. Calvinus timens ne corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ posse esse videatur, nullum vult in eo miraculum esse factum, non ex utero virginis integrâ virginitate prodiisse; non, antequàm lapis removeretur, exiisse de sepulcro; non clausis ad discipulos ingressum januis; non factum invisibilem per medium eorum, qui prehendere volebant, evasisse; non super liquidas undas ambulâsse. Denique, ut unam defenderet hæresim, necesse illi fuit multas et inauditas hæreses excogitare. Dicit Christum non effecisse, ut grave suum corpus in liquidis aquis non mergeretur, sed aquas ita solidâsse, ut grave sustinerent corpus. Non audet homo impius, quod sentit palam dicere; sed ejus tamen sententia est Christum id facere non potuisse. Nec enim aliâ

de causâ fecisse negat, nisi quia potuisse facere non credit. Isto sanè modo et barbaræ gentes propè glaciale mare habitantes super mare ambulant, super mare currunt, super mare carpenta quadrigis ducunt. Isto modo majus illa, de quâ Maro, Æneid. 7, scribit, miraculum fecit:

Quæ mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Isto modo nec Petrus mergi potuit, nec timere. Solidum enim erat mare. Sed nescio utrum ineptius sit ista dicere, an refutare. Tantùm admonere lectorem volo, ne Hieronymi non benè intellectâ sententiâ fallatur. Cùm enim dicit hoc loco: *Tu præcipe, et illicò solidabuntur undæ*, non significat verè fuisse solidatas; sed perinde corpus sustinuisse, atque si solidæ et concretæ fuissent; addit enim: *Et leve fiet corpus quod per se grave est*; cùm nec aquæ solidatæ fuerint, nec corpus leve factum, sed effectum, ut grave corpus in liquidis, ac mollibus aquis non mergeretur. Eodemque modo intelligendum, quod hoc loco Leontius scribit: Ὡς Θεῷ [illegible]. Hoc enim miraculum fuit. Atque hoc sensu veteres auctores Justinus, q. 117, et D. Aug., ser. de Tempore, 159; Ambros., lib. 1 de Interpellat. Job, c. 5, interpretantur.

Vers. 26. — Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt. Hic etiam Calvinus apostolis, ut sibi videtur, major, de apostolis in mari periclitantibus, atque turbatis securus judicat. Crassi stuporis, et brutæ ignorantiæ fuisse dicit, quòd apostoli turbati fuerint, neque Christum super mare ambulantem agnoverint. Alius non minùs, sed non tam celebris hæreticus ingratitudinem et incredulitatem vocat. Apponam Hilarii verba, ut appareat, quid inter hæreticum, et Christianum spiritum intersit: *Et quia de Antichristi consuetudine ad omnem tentationum novitatem solliciti erant, etiam ad Domini adventum falsas rerum imagines, et subrepentia oculis figmenta metuentes.* Si hoc Calvinus fecisset, cùm illi primùm hæresis venit in mentem; si, cùm diabolus illi in Christi speciem transfiguratus apparuit, timuisset; hæreticus non fuisset. De re loquamur, si crassi erroris, et brutæ fuit ignorantiæ, quòd apostoli ad aspectum Christi super mare ambulantis turbati sunt; crassi etiam stuporis, et brutæ ignorantiæ fuit, quòd sanctissima Christi mater ad aspectum et salutationem angeli turbata est, Luc. 1, 29. Pœnitet me hoc exemplum posuisse verentem, ne isti, ut sunt pii, facilè concedant. Rogabo tamen eos, si tam crassus apostolorum stupor, si tam bruta ignorantia, si tam non ferenda ingratitudo, et incredulitas fuit, quid est quòd Christus, qui levioribus eos in rebus solet reprehendere, hìc non reprehendit? quid est, quod reprehendit Petrum, quòd timuerit; non reprehendit apostolos, quòd turbati fuerint? Illud etiam rogabo, quid est, quòd Christus apostolos non reprehendit, isti reprehendunt? nisi quia isti antichristi sunt? Nimis fortassis urgeo, sed licet apostolorum causam agenti adhuc urgere. Quid isti fortes hæretici fecissent, si fuissent in navi, et in mediis tenebris aliquem super mare ambulantem vidissent? præsertim, cùm non credant Christum, nisi conglaciato mari id facere potuisse? Opinor, non trepidâssent; quia neque Christum, neque spectrum esse credidissent; sed fuco oculos falli; sic enim solent miracula, quæ in Ecclesiâ fiunt, interpretari. At dicit Marcus c. 6, 52, Apostolos non intellexisse de panibus, quia *erat cor eorum obcæcatum;* facile fuisset bonis viris id in meliorem partem interpretari. Non enim significat ita cor eorum obcæcatum fuisse, ut paulò ante factum miraculum, quod omnes turbæ intellexerant, non intellexerint, sed adeò fuisse attonitos, et obstupefactos, ut non potuerint cogitare eum, qui paulò ante panes multiplicaverat, ambulare super mare potuisse; ut solet subitus horror aut eripere, aut impedire rationem.

Quia phantasma est, spectrum et visum vocant Latini, quidquid corporea apparet forma, quod corpus non sit, sive angelus, sive dæmon, sive alius spiritus sit. Ejusmodi spectra aliquando videri vulgaris opinio erat, ut colligitur ex Lucâ, c. 24, 37, et ex Actis Apost., c. 12, 15. Et quia aut nocuisse multis, aut nocere posse credebantur, apostoli timuerunt.

Vers. 28. — Si tu es. Hic etiam omnes hæretici Petrum multis modis reprehendunt, et quia dixit, *si*, quasi in fide dubitaverit; et quia voluit solus dimissis aliis ad Christum ire, quod alius hæreticus stultum fervorem, alius arrogantiam fuisse dicit. Hic quoque Hilarii et Hieronymi verba subscribam, ut, quid inter nostros, et hæreticorum interpretes sit discriminis, prudens lector cognoscat. *Et hoc*, inquit Hilarius, *in Petro considerandum est, fide eum cæteros anteiisse.* Hilarius singulari, et excellenti Petri fidei, isti infidelitati, stultitiæ et arrogantiæ tribuunt, quòd ad Christum super mare ire voluerit. Hieronymus autem sic scribit. *In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus*, quod cùm multis probâsset exemplis, addidit: *Eodem igitur fidei ardore, quo semper, nunc quoque cæteris tacentibus credit se posse facere per voluntatem magistri, quod ille poterat per naturam.* Satis nobis erat Hilarium et Hieronymum omnibus Calvinistarum interpretibus opponere: sed magistrum Christum audiamus. Ille quidem certè Petri desiderium et petitionem non reprehendit; sed potiùs concedendo probavit, non concessurus profectò, si arroganter, si sine fide petivisset, qui ab omnibus, quibus miracula faciebat, fidem exigebat. Neque reprehensionem prætermisisset, si eum reprehensione dignum judicâsset. Reprehendit enim paulò post, cùm, propterea quòd timuit, reprehensione dignum judicavit. Cùm ergo dicit *si tu es*, non dubitat de fide, sed de facto. Credebat enim posse Christum efficere ut ipse quoque super aquas ambularet, quod Calvinistæ non credunt, sed dubitabat, an Christus esset, qui loquebatur, an aliquis spiritus qui se Christum esse fingeret, quia sciebat aliquando Satanam se in angelum lucis transfigurare; et volebat probare spiritus, an ex Deo essent, quod Calvinistæ non faciunt. Si enim de fide, ut ait Theophylactus, dubitâsset, non dixisset: *Jube me ad te venire super*

aquas, volens loquentis verba factis probare. Sciebat enim posse quidem angelum et malum, et bonum sumptâ humanî corporis formâ ambulare super aquas, et Christi vocem imitari; sed aliis, ut idem facerent, præstare non posse.

Vers. 29. — Veni. Ideò Christus Petro, quod petit, concedit, ut se esse doceat, quod experiri Petrus volebat. Calvinus dignam suo, id est, hæretico spiritu rationem reddit, *ut*, inquit, *ejus stultitiam experientia ipsa redargueret, quod in mediis fluctibus mergeretur.* Itaque stultitiam vocat, quòd Petrus crediderit posse se jubente Christo super aquas ambulare: quod recitare opus fuit, ut hæreticus ab omnibus spiritus cognoscatur; refutare opus non est. Refellit Hieronymus hoc loco Marcionistarum, et Manichæorum errorem, qui Christum ex eo probabant non verum, sed phantasticum corpus habuisse, quòd supra aquas ambulaverit. Petrus enim auctore Christo idem fecit, qui verum tamen, non phantasticum corpus habebat. Fuerunt, ut ait in lib. de Baptismo, Tertullianus, qui dicerent Apostolos non alium baptismum recepisse, quàm quòd fuerint in hâc tempestate undis maris aspersi. Quibus his verbis respondet: *Aliud est aspergi, vel intercipi violentiâ maris; aliud tingi disciplinâ religionis.*

Vers. 30. — Videns verò ventum validum timuit. Hîc etiam hæretici invehuntur in Petrum, nec eâ, quâ Christus usus est, reprehensione contenti, severiorem in illum censuram stringunt. Non considerantes humanum esse præsentibus periculis commoveri. *Humana*, inquit Chrysostomus Petrum excusans, *hæc conditio est, ut difficultatibus nonnunquàm superatis succumbat in minoribus.* Quod etiam Elias sub Jezabel, et Moses in Ægypto passus est. Plus etiam excusat Theophylactus, *non omninò*, inquit, *dubitavit, qui clamavit, Domine, salvum me fac.*

Vers. 31. — Modicæ fidei. Magna quidem erat et singularis fides Petri, qui, quod Christus faciebat, se quoque eo juvante facere posse crediderat, qui se in mare ambulaturus miserat super aquas, sed præsenti periculo humano timore correptus est. *Si Apostolo Petro*, inquit Hieronymus, *de cujus fide, et ardore mentis supra diximus, qui confidenter rogaverat Salvatorem dicens: Domine, jube me venire ad te super aquas, quia paululum timuit, dicitur, modicæ fidei, quare dubitâsti? quid nobis dicendum est, qui hujus modicæ fidei, ne minimam quidem habemus portiunculam?* Dubitari potest, quam ob rem Christus permiserit aut mergi, aut timere. Respondent Chrysostomus et Theophylactus, ne tanto miraculo superbiret. Hieronymus verò his verbis: *Ardebat animi fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat. Paululùm ergo relinquitur tentationi, ut augeatur fides, et intelligat se non facilitate postulationis, sed potentiâ Domini conservatum.*

Vers. 32. — Et cum ascendissent. Christus et Petrus. Joannes, c. 6, 21, videtur significare Christum in navim non ascendisse. *Voluerunt*, inquit, *accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram.* Respondent Chrysostomus, et Theophylac. voluisse apostolos Christum in navim excipere, cum verò tunc noluisse, sed unà cum Petro magno spatio, ut ejus confirmaret fidem, super aquas ambulâsse; cùm verò prope terram essent, in navim ascendisse. Mihi non videtur Joannes significare voluisse non ascendisse Christum in navim, sed non fuisse opus, ut ascenderet; quia momento navis ad terram appulsa est. Quinque ergo uno tempore miracula facta sunt, Christus per aera, ut opinor, raptus apostolos consecutus est, super mare ambulavit, ut Petrus ambularet effecit, ventum et tempestatem compescuit, navim, simul atque in eam ascendit, momento ad terram appulit.

Vers. 33. — Qui autem in navicula erant. Chrysostomus, et alii ferè omnes interpretes apostolos intelligunt. Alii nautas et vectores, quos credibile est fuisse nonnullos. His magis assentior, quia quod sequitur, *venerunt, et adoraverunt eum dicentes, verè filius Dei es*, parùm mihi videtur apostolis convenire, qui jamdudùm credebant eum filium esse Dei. Itaque quod Joannes ait, c. 6, 22, non introisse Christum cum illis in navim, sed solos discipulos abiisse; non est intelligendum solos discipulos abiisse, ita ut nemo præter illos fuerit in navi; sed solos discipulos, id est, sine Christo.

Venerunt. Postquàm ad terram appulissent, ut indicat Marcus, c. 6, 54.

Verè filius Dei es. Non adoptione, sed naturâ; non ut virum justum, sed ut verum Deum confitentur. Eo nimirùm modo quo Pharisæi filium Dei esse negabant pro eodem accipientes filium Dei, atque Deum esse, Joan. 10, 33: *De bono opere non lapidamus te, sed quia tu cùm homo sis, facis te ipsum Deum*, cùm non se Deum sed Filium Dei esse dixisset, et Joan. 19, 7: *Nos legem habemus, et secundùm legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit*, et Matth. 27, 40: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Hæc enim omnia non de adoptione, de quâ dubium non erat, sed de naturâ intelliguntur. Nam Christum esse filium Dei, id est, virum justum, nemo dubitabat, neque si quis se eo modo filium Dei esse diceret, lege puniendus erat. Itaque valet contra Arianos hic locus. Adnotavit etiam Chrysostomus Christum eos qui se filium Dei appellabant, non reprehendisse, sed eorum potius opinionem multis coram factis miraculis confirmâsse.

Vers. 34. — Venerunt in terram Genesar, quæ ultra lacum erat, et unde lacus nomen acceperat; vide supra, vers. 22, et c. 8, 28.

Vers. 35. — Et cum cognovissent eum, rumore, inquit Hieronymus, *non facie.* Sed et facie multos eum cognovisse credibile est, quia jam ante ibi fuerat, et duos dæmoniacos curaverat, c. 8, 28. Quod autem dicunt nonnulli non eodem die quo Christus eò appulit, hæc, quæ narrat evangelista, accidisse; sed postquàm ejus adventus famâ percrebuisset, evangelistam verò res diversis gestas diebus copulâsse, non est incredibile. Illud mirum videri potest, cur nunc Genesareni tantâ aviditate Christum excipiant, cùm non multò ante de suis finibus ejecissent, c. 8, 34. Facilis responsio: Creverat miraculorum ejus fama, creverat, ut ait Chrysostomus, eorum fides. Hoc Christus non ignorabat. Itaque, qui priùs sciens eos non esse maturos ad recipiendum Evangelium, inde discessit, nunc maturos esse sciens, quasi ad messem rediit.

Vers. 36. — Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Quorum fidem evangelista, ut singularem, laudans declarat, eos Calvinus homo religiosus, quasi superstitiosos accusat, quòd ad tactum vestis Christi gratiam restringere videantur. Licet enim illi, cui hæresiarchæ esse licuit, quæ evangelistæ laudant, reprehendere. Non ergo significatur, ut iste novus propheta somniat, Genesarenos ad tactum fimbriæ Christi gratiam restrinxisse; sed tantam eorum fuisse fidem, ut crederent vel solo fimbriæ ejus tactu omnia morborum genera curari posse. Hoc enim sensu narrat evangelista rogâsse illos, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. An autem hæc vera, et eximia fides, an superstitio fuerit, meliùs, ut opinor, Christus factis, quàm Calvinus verbis declarabit. *Quicumque*, inquit evangelista, *tetigerunt, salvi facti sunt.* Miracula fidei, non superstitionis respectu fieri solent. Sed verendum est, ne Christum etiam Calvinus reprehendat, quòd Genesarenorum superstitionem factis miraculis confirmâsse videatur; et nos in similem errorem sanctorum reliquias venerandi induxisse. Hoc enim, si auderet, homo impudens diceret. Neque potest dicere, quod alibi eum dixisse memini, non esse hoc imitandum, quòd non ordinarium, sed extraordinarium sit exemplum. Ordinarium enim profectò est, quod quotiescumque fit, miraculum sequitur. Hîc, *quicumque tetigerunt salvi facti sunt*, c. 9, 20, 21; hæmorrhoissa tetigit, et curata est. Quid ergo est ordinarium, si hoc non est? Adjiciam, quod valdè Calvino doleat. Chrysostomus scribit hoc loco nos non solam fimbriam, sed totum Christi corpus in Eucharistiâ apud nos habere; si illi, qui fimbriam tangebant, sanabantur, quantò magis nos, si Christi corpus tangamus? Chrysostomi sententiam multis experientia miraculis confirmavit. Narrat Gregorius Nazianz. in oratione funebri pro sorore suâ Gorgoniâ eam tactu Eucharistiæ à gravissimo morbo fuisse curatam.

CAPUT XV.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis scribæ et pharisæi, dicentes:

2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant.

3. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

4. Honora patrem et matrem: et, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit:

6. Et non honorificabit patrem suum aut matrem suam: et irritum fecisti mandatum Dei propter traditionem vestram.

7. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens

8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.

9. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.

10. Et convocatis ad se turbis dixit eis; Audite, et intelligite.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

13. At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

14. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

15. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis?

17. Non intelligis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?

CHAPITRE XV.

1. Alors des scribes et des pharisiens de Jérusalem s'approchèrent de Jésus, et lui dirent :

2. Pourquoi vos disciples violent-ils la tradition des anciens? Car ils ne lavent point leurs mains lorsqu'ils prennent leurs repas.

3. Mais Jésus leur répondit : Pourquoi vous-mêmes violez-vous le commandement de Dieu pour votre tradition? Car Dieu a dit :

4. Honorez votre père et votre mère; et : Que celui qui dira des paroles outrageuses à son père ou à sa mère, soit puni de mort.

5. Et vous, au contraire, vous dites : Quiconque dira à son père ou à sa mère, Anathème soit à Dieu tout profit que vous tirerez de moi,

6. Celui-là ne doit point honorer son père ou sa mère : et ainsi vous avez rendu vain le commandement de Dieu par votre tradition.

7. Hypocrites, Isaïe a bien prophétisé de vous, disant :

8. Ce peuple m'honore des lèvres; mais son cœur est loin de moi;

9. Et c'est en vain qu'ils m'honorent, puisqu'ils enseignent des maximes et des ordonnances humaines.

10. Puis ayant appelé le peuple il leur dit : Écoutez, et comprenez.

11. Ce n'est pas ce qui entre dans la bouche qui souille l'homme; mais ce qui sort de la bouche, c'est ce qui souille l'homme.

12. Alors ses disciples s'approchant lui dirent : Savez-vous que les pharisiens, ayant entendu ce que vous venez de dire, s'en sont scandalisés?

13. Mais il leur répondit : Toute plante qui n'aura point été plantée par mon Père céleste sera arrachée.

14. Laissez-les; ce sont des aveugles qui conduisent des aveugles : si un aveugle en conduit un autre, ils tomberont tous deux dans la fosse.

15. Pierre prenant la parole, lui dit : Expliquez-nous cette parabole.

16. Jésus lui répondit : Quoi! vous avez encore vous-mêmes si peu d'intelligence?

17. Ne comprenez-vous pas que tout ce qui entre dans la bouche descend dans le ventre et est ensuite au lieu secret?

aquas, volens loquentis verba factis probare. Sciebat enim posse quidem angelum et malum, et bonum sumptâ humanî corporis formâ ambulare super aquas, et Christi vocem imitari; sed aliis, ut idem facerent, præstare non posse.

Vers. 29. — Veni. Ideò Christus Petro, quod petit, concedit, ut se esse doceat, quod experiri Petrus volebat. Calvinus dignam suo, id est, hæretico spiritu rationem reddit, *ut*, inquit, *ejus stultitiam experientia ipsa redargueret, quod in mediis fluctibus mergeretur.* Itaque stultitiam vocat, quòd Petrus crediderit posse se jubente Christo super aquas ambulare: quod recitare opus fuit, ut hæreticus ab omnibus spiritus cognoscatur; refutare opus non est. Refellit Hieronymus hoc loco Marcionistarum, et Manichæorum errorem, qui Christum ex eo probabant non verum, sed phantasticum corpus habuisse, quòd supra aquas ambulaverit. Petrus enim auctore Christo idem fecit, qui verum tamen, non phantasticum corpus habebat. Fuerunt, ut ait in lib. de Baptismo, Tertullianus, qui dicerent Apostolos non alium baptismum recepisse, quàm quòd fuerint in hâc tempestate undis maris aspersi. Quibus his verbis respondet: *Aliud est aspergi, vel intercipi violentiâ maris; aliud tingi disciplinâ religionis.*

Vers. 30. — Videns verò ventum validum timuit. Hîc etiam hæretici invehuntur in Petrum, nec eâ, quâ Christus usus est, reprehensione contenti, severiorem in illum censuram stringunt. Non considerantes humanum esse præsentibus periculis commoveri. *Humana*, inquit Chrysostomus Petrum excusans, *hæc conditio est, ut difficultatibus nonnunquàm superatis succumbat in minoribus.* Quod etiam Elias sub Jezabel, et Moses in Ægypto passus est. Plus etiam excusat Theophylactus, *non omninò*, inquit, *dubitavit, qui clamavit, Domine, salvum me fac.*

Vers. 31. — Modicæ fidei. Magna quidem erat et singularis fides Petri, qui, quod Christus faciebat, se quoque eo juvante facere posse crediderat, qui se in mare ambulaturus miserat super aquas, sed præsenti periculo humano timore correptus est. *Si Apostolo Petro*, inquit Hieronymus, *de cujus fide, et ardore mentis supra diximus, qui confidenter rogaverat Salvatorem dicens: Domine, jube me venire ad te super aquas, quia paululum timuit, dicitur, modicæ fidei, quare dubitâsti? quid nobis dicendum est, qui hujus modicæ fidei, ne minimam quidem habemus portiunculam?* Dubitari potest, quam ob rem Christus permiserit aut mergi, aut timere. Respondent Chrysostomus et Theophylactus, ne tanto miraculo superbiret. Hieronymus verò his verbis: *Ardebat animi fides, sed humana fragilitas in profundum trahebat. Paululùm ergo relinquitur tentationi, ut augeatur fides, et intelligat se non facilitate postulationis, sed potentiâ Domini conservatum.*

Vers. 32. — Et cum ascendissent. Christus et Petrus. Joannes, c. 6, 21, videtur significare Christum in navim non ascendisse. *Voluerunt*, inquit, *accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram.* Respondent Chrysostomus, et Theophylac. voluisse apostolos Christum in navim excipere, cum verò tunc noluisse, sed unà cum Petro magno spatio, ut ejus confirmaret fidem, super aquas ambulâsse; cùm verò prope terram essent, in navim ascendisse. Mihi non videtur Joannes significare voluisse non ascendisse Christum in navim, sed non fuisse opus, ut ascenderet; quia momento navis ad terram appulsa est. Quinque ergo uno tempore miracula facta sunt, Christus per aera, ut opinor, raptus apostolos consecutus est, super mare ambulavit, ut Petrus ambularet effecit, ventum et tempestatem compescuit, navim, simul atque in eam ascendit, momento ad terram appulit.

Vers. 33. — Qui autem in navicula erant. Chrysostomus, et alii ferè omnes interpretes apostolos intelligunt. Alii nautas et vectores, quos credibile est fuisse nonnullos. His magis assentior, quia quod sequitur, *venerunt, et adoraverunt eum dicentes, verè filius Dei es*, parùm mihi videtur apostolis convenire, qui jamdudùm credebant eum filium esse Dei. Itaque quod Joannes ait, c. 6, 22, non introisse Christum cum illis in navim, sed solos discipulos abiisse; non est intelligendum solos discipulos abiisse, ita ut nemo præter illos fuerit in navi; sed solos discipulos, id est, sine Christo.

Venerunt. Postquàm ad terram appulissent, ut indicat Marcus, c. 6, 54.

Verè filius Dei es. Non adoptione, sed naturâ; non ut virum justum, sed ut verum Deum confitentur. Eo nimirùm modo quo Pharisæi filium Dei esse negabant pro eodem accipientes filium Dei, atque Deum esse, Joan. 10, 33: *De bono opere non lapidamus te, sed quia tu cùm homo sis, facis te ipsum Deum*, cùm non se Deum sed Filium Dei esse dixisset, et Joan. 19, 7: *Nos legem habemus, et secundùm legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit*, et Matth. 27, 40: *Si filius Dei es, descende de cruce.* Hæc enim omnia non de adoptione, de quâ dubium non erat, sed de naturâ intelliguntur. Nam Christum esse filium Dei, id est, virum justum, nemo dubitabat, neque si quis se eo modo filium Dei esse diceret, lege puniendus erat. Itaque valet contra Arianos hic locus. Adnotavit etiam Chrysostomus Christum eos qui se filium Dei appellabant, non reprehendisse, sed eorum potius opinionem multis coram factis miraculis confirmâsse.

Vers. 34. — Venerunt in terram Genesar, quæ ultra lacum erat, et unde lacus nomen acceperat; vide supra, vers. 22, et c. 8, 28.

Vers. 35. — Et cum cognovissent eum, rumore, inquit Hieronymus, *non facie.* Sed et facie multos eum cognovisse credibile est, quia jam ante ibi fuerat, et duos dæmoniacos curaverat, c. 8, 28. Quod autem dicunt nonnulli non eodem die quo Christus eò appulit, hæc, quæ narrat evangelista, accidisse; sed postquàm ejus adventus famâ percrebuisset, evangelistam verò res diversis gestas diebus copulâsse, non est incredibile. Illud mirum videri potest, cur nunc Genesareni tantâ aviditate Christum excipiant, cùm non multò ante de suis finibus ejecissent, c. 8, 34. Facilis responsio: Creverat miraculorum ejus fama, creverat, ut ait Chrysostomus, eorum fides. Hoc Christus non ignorabat. Itaque, qui priùs sciens eos non esse maturos ad recipiendum Evangelium, inde discessit, nunc maturos esse sciens, quasi ad messem rediit.

Vers. 36. — Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Quorum fidem evangelista, ut singularem, laudans declarat, eos Calvinus homo religiosus, quasi superstitiosos accusat, quòd ad tactum vestis Christi gratiam restringere videantur. Licet enim illi, cui hæresiarchæ esse licuit, quæ evangelistæ laudant, reprehendere. Non ergo significatur, ut iste novus propheta somniat, Genesarenos ad tactum fimbriæ Christi gratiam restrinxisse; sed tantam eorum fuisse fidem, ut crederent vel solo fimbriæ ejus tactu omnia morborum genera curari posse. Hoc enim sensu narrat evangelista rogâsse illos, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. An autem hæc vera, et eximia fides, an superstitio fuerit, meliùs, ut opinor, Christus factis, quàm Calvinus verbis declarabit. *Quicumque*, inquit evangelista, *tetigerunt, salvi facti sunt.* Miracula fidei, non superstitionis respectu fieri solent. Sed verendum est, ne Christum etiam Calvinus reprehendat, quòd Genesarenorum superstitionem factis miraculis confirmâsse videatur; et nos in similem errorem sanctorum reliquias venerandi induxisse. Hoc enim, si auderet, homo impudens diceret. Neque potest dicere, quod alibi eum dixisse memini, non esse hoc imitandum, quòd non ordinarium, sed extraordinarium sit exemplum. Ordinarium enim profectò est, quod quotiescumque fit, miraculum sequitur. Hîc, *quicumque tetigerunt salvi facti sunt*, c. 9, 20, 21; hæmorrhoissa tetigit, et curata est. Quid ergo est ordinarium, si hoc non est? Adjiciam, quod valdè Calvino doleat. Chrysostomus scribit hoc loco nos non solam fimbriam, sed totum Christi corpus in Eucharistiâ apud nos habere; si illi, qui fimbriam tangebant, sanabantur, quantò magis nos, si Christi corpus tangamus? Chrysostomi sententiam multis experientia miraculis confirmavit. Narrat Gregorius Nazianz. in oratione funebri pro sorore suâ Gorgoniâ eam tactu Eucharistiæ à gravissimo morbo fuisse curatam.

CAPUT XV.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis scribæ et pharisæi, dicentes:

2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cùm panem manducant.

3. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

4. Honora patrem et matrem: et, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit:

6. Et non honorificabit patrem suum aut matrem suam: et irritum fecisti mandatum Dei propter traditionem vestram.

7. Hypocritæ, benè prophetavit de vobis Isaias, dicens

8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.

9. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.

10. Et convocatis ad se turbis dixit eis; Audite, et intelligite.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

13. At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

14. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

15. Respondens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis?

17. Non intelligis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur?

CHAPITRE XV.

1. Alors des scribes et des pharisiens de Jérusalem s'approchèrent de Jésus, et lui dirent :

2. Pourquoi vos disciples violent-ils la tradition des anciens? Car ils ne lavent point leurs mains lorsqu'ils prennent leurs repas.

3. Mais Jésus leur répondit : Pourquoi vous-mêmes violez-vous le commandement de Dieu pour votre tradition? Car Dieu a dit :

4. Honorez votre père et votre mère; et : Que celui qui dira des paroles outrageuses à son père ou à sa mère, soit puni de mort.

5. Et vous, au contraire, vous dites : Quiconque dira à son père ou à sa mère, Anathème soit à Dieu tout profit que vous tirerez de moi,

6. Celui-là ne doit point honorer son père ou sa mère : et ainsi vous avez rendu vain le commandement de Dieu par votre tradition.

7. Hypocrites, Isaïe a bien prophétisé de vous, disant :

8. Ce peuple m'honore des lèvres; mais son cœur est loin de moi;

9. Et c'est en vain qu'ils m'honorent, puisqu'ils enseignent des maximes et des ordonnances humaines.

10. Puis ayant appelé le peuple il leur dit : Écoutez, et comprenez.

11. Ce n'est pas ce qui entre dans la bouche qui souille l'homme; mais ce qui sort de la bouche, c'est ce qui souille l'homme.

12. Alors ses disciples s'approchant lui dirent : Savez-vous que les pharisiens, ayant entendu ce que vous venez de dire, s'en sont scandalisés?

13. Mais il leur répondit : Toute plante qui n'aura point été plantée par mon Père céleste sera arrachée.

14. Laissez-les; ce sont des aveugles qui conduisent des aveugles : si un aveugle en conduit un autre, ils tomberont tous deux dans la fosse.

15. Pierre prenant la parole, lui dit : Expliquez-nous cette parabole.

16. Jésus lui répondit : Quoi! vous avez encore vous-mêmes si peu d'intelligence?

17. Ne comprenez-vous pas que tout ce qui entre dans la bouche descend dans le ventre et est ensuite au lieu secret?

18. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt; et ea coinquinant hominem.

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, testimonia, blasphemiæ.

20. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

21. Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa, clamavit dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David : filia mea malè à dæmonio vexatur.

23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus, rogabant eum, dicentes : Dimitte eam, quia clamat post nos.

24. Ipse autem respondens, ait : Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.

25. At illa venit, et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me.

26. Qui respondens, ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

27. At illa dixit : Etiam, Domine : nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensâ dominorum suorum.

28. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illâ horâ.

29. Et cùm transisset inde Jesus, venit secùs mare Galilææ, et ascendens in montem sedebat ibi.

30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos : et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos :

31. Ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel.

32. Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit : Misereor turbæ, quia triduò jam perseverant mecum, et non habent quod manducent : et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in viâ.

33. Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jesus : Quot habetis panes? At illi dixerunt : Septem, et paucos pisciculos.

35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.

36. Et accipiens septem panes, et pisces, et gratias agens fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, et saturati sunt et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres.

39. Et dimissâ turbâ, ascendit in naviculam, et venit in fines Magedan.

18. Mais ce qui sort de la bouche part du cœur, et c'est là ce qui souille l'homme;

19. Car c'est du cœur que viennent les mauvaises pensées, les meurtres, les adultères, les fornications, les larcins, les faux témoignages, les blasphèmes.

20. Ce sont là les choses qui souillent l'homme; mais de manger sans avoir lavé ses mains, ce n'est point là ce qui rend l'homme impur.

21. Jésus étant parti de là se retira du côté de Tyr et de Sidon.

22. Et voilà qu'une femme chananéenne, qui était sortie de ce pays-là, s'écria, en lui disant : Seigneur, fils de David, ayez pitié de moi; ma fille est misérablement tourmentée par le démon.

23. Mais il ne lui répondit pas un mot. Et ses disciples s'approchant de lui le prièrent, en lui disant : Renvoyez-la, parce qu'elle crie après nous.

24. Il leur répondit : Je n'ai été envoyé qu'aux brebis perdues de la maison d'Israël.

25. Mais elle s'approcha et elle l'adora, disant : Seigneur, assistez-moi.

26. Il lui répondit : Il n'est pas juste de prendre le pain des enfants pour le donner aux chiens.

27. Elle lui répliqua : Il est vrai, Seigneur; mais les petits chiens mangent au moins des miettes qui tombent de la table de leurs maîtres.

28. Alors Jésus lui dit : O femme! votre foi est grande. Qu'il vous soit fait comme vous le désirez. Et sa fille fut guérie à l'heure même.

29. Jésus étant sorti de là, vint près de la mer de Galilée; et, étant monté sur une montagne, il s'y assit.

30. Et de grandes troupes de peuple vinrent l'y trouver, ayant avec eux des muets, des aveugles, des boiteux, des estropiés, et beaucoup d'autres malades. Et ils les mirent aux pieds de Jésus, et il les guérit;

31. De sorte que ces peuples étaient dans l'admiration voyant que les muets parlaient, que les boiteux marchaient, que les aveugles voyaient; et ils rendaient gloire au Dieu d'Israël.

32. Or, Jésus ayant appelé ses disciples, leur dit : J'ai compassion de ce peuple, parce qu'il y a déjà trois jours qu'ils demeurent continuellement avec moi, et ils n'ont rien à manger; et je ne veux pas les renvoyer qu'ils n'aient mangé, de peur que les forces ne leur manquent en chemin.

33. Ses disciples lui répondirent : Comment pourrions-nous trouver dans ce désert assez de pain pour rassasier tant de peuple?

34. Jésus leur demanda : Combien avez-vous de pains? Ils lui dirent : Sept, et quelques petits poissons.

35. Alors il commanda au peuple de s'asseoir sur la terre.

36. Et prenant les sept pains et les poissons, et rendant grâces, il les rompit, et les donna à ses disciples; et ses disciples les donnèrent au peuple.

37. Et ils mangèrent tous, et furent rassasiés: et on remporta sept corbeilles pleines des morceaux qui étaient restés.

38. Or, le nombre de ceux qui mangèrent était de quatre mille hommes, sans compter les femmes et les petits enfants.

39. Et ayant renvoyé le peuple, il monta sur une barque, et vint aux confins de Magédan.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Tunc. Cùm tot fecisset miracula, Chrysostomus hom. 52, Joan. c. 7, 1, videtur docere Christum, cùm hoc accidit, jam in Galilæam rediisse. *Post hæc*, inquit, *ambulabat Jesus in Galilæâ; non enim volebat in Judæâ ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.*

Ab Jerosolymis. Per omnes tribus, inquit Chrysostomus, et Euthymius, et Leontius, erant Scribæ et Pharisæi dispersi; sed omnium arrogantissimi erant Jerosolymitani, quòd in principe habitarent civitate, et omnium sapientissimi haberentur. Meliùs dixissent, per omnes civitates, aut per omnia loca, ut Theophylactus dicit, quàm per omnes tribus, quia tribus tunc non erant nisi duæ, quæ soluæ ex Babylonico redierant exilio. De scribis et Pharisæis vide quæ diximus, c. 2, 4. Quod quidam dicunt hos à concilio Jerosolymitanorum scribarum et Pharisæorum, ut Christum tentarent, missos fuisse, credibile, et eorum ingenio atque consuetudini recte convenit. Nam et c. 22, 16, discipulos suos cum Herodianis eodem animo ad Christum miserunt.

Vers. 2. — Quare discipuli tui? Marcus, c. 7, 2, ex præsenti discipulorum facto accusationis materiam arripuisse narrat : *Et cùm vidissent*, inquit, *quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt.*

Transgrediuntur traditionem seniorum. Non dicunt, inquit Chrysostomus, hom. 52, legem transgredi quia nihil de eâ re lex præcipiebat; sed traditionem seniorum, quæ partim erant præter legem a Deo datam, et nihil ad pietatem conferentes, partim contra legem. *Lavant*, crebras enim manuum lotiones induxerant, etiam inter edendum. Hujusmodi *traditiones* legis erant explicationes quædam à doctoribus legis factæ, quas *legem* oris vocitabant.

Vers. 3. — Quare et vos transgredimini mandatum Dei. Querelam leve solidâ reprehensione repellit, quòd præceptum Dei de colendis parentibus per suas traditiones violarent.

Vers. 5 et 6. — Munus quodcumque, quod Deo vovi, æquè tibi proderit, ac si tibi dedissem. Sic egenis parentibus nullam ferebant opem. Alii aliter hunc locum exponunt ex cap. 7 Marci : *Et ultra non dimittis eum quidquam facere patri suo*; id videtur colligi, Pharisæorum hoc fuisse dogma, ut filii aliquid donarent parentibus, sed non quantùm pietas erga parentes Christum ejusque discipulos gravent invidiâ. Nec dicunt : Quare tu non lavas manus, cùm credibile sit, non magis Christum quàm discipulos lavare solitum? sed : *Quare discipuli tui*, aut quia non sunt ausi illum accusare, aut quia discipulos accusantes mordacius eum accusare videbantur, sicut, c. 9, 14, non dicunt : Quare tu non jejunas? sed : *Quare discipuli tui non jejunant?*

Vers. 3. — Quare et vos? Nihil de traditione lavandi manus dicit, ne, si laudaret, approbare, si non laudaret, vituperare videretur, et sine necessitate in invidiam incurreret, ut Chrysost. et Euthymius adnotarunt.

Vers. 4. — Honora patrem et matrem. Verum est, quod hoc loco Hieronymus scribit, et ab eo mutatus est Beda, honorem in Scripturis non tam in salutationibus et officiis deferendis, quàm eleemosynis ac munerum oblatione sentiri, ut 1 Tim. 5, 3 : *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt*; id est, ecclesiasticis eleemosynis ale, et eodem capite, vers. 17 : *Qui benè præsunt, presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo et doctrinâ*; id est, majore præmio quàm cæteri. Id etiam ex hoc loco colligitur; nam honori parentum opponit dicere illis : *Munus, quodcumque est ex me, tibi proderit*, id est, nihil illis dare. Multò etiam clariùs ex Marco, c. 7, 12 : *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri.* Facere ergo aliquid patri suo et matri, id est, illos juvare, est illos honorare.

Qui maledixerit. Non citat Christus totam legem, nec unam, sed duas. Nam *honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, est Exod. 20, 12; sed posteriora omisit verba, quia ad rem non pertinebant. *Qui maledixerit patri suo aut matri morte morietur*, est c. 21, 16, quod quam ob rem Christus adjecerit, cùm hic non de verbis, sed de rebus agatur, meritò potest dubitari. Chrysostomus ideò putat addidisse, ut doceret quanti apud Deum sit præceptum parentes honorandi quando, qui solo eos verbo ladit, capite punitur. Beda verò existimat, sicut in priore membro *honorandi* verbum non eum qui in verbis, sed eum qui in rebus consistit, honorem significat, ita verbum *maledicendi*, non injuriam quæ verbis, sed quæ factis fit, negando parentibus debitum auxilium, significare. Sed manifestum est ex usu legis *maledicendi* verbum propriè accipi debere. Itaque probabilior est Chrysostomi sententia.

Vers. 5. — Munus quodcumque est ex me, tibi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PRODERIT. Quia perdifficilis locus est, feret æquo animo lector ut omnes bonorum auctorum interpretationes referamus. Primùm quidem non eodem modo ab omnibus legitur; sed quidam ita legunt, ut plena, alii ita ut ecliptica, id est, defectiva sit oratio. Qui plenam et perfectam orationem esse putant, sic legunt atque interpretantur : *Quicumque dixerit*, id est, quilibet dicere poterit, *munus, quodcumque est ex me, tibi proderit*, id est, quod Deo offero, tibi etiam prodest, quemadmodùm si tibi darem. Ita Hugo inter alias, quas ponit expositiones, et nonnulli recentiores interpretes. Quàm interpretationem Græca verba recipere non possunt, quia non est ἕκαστος unusquisque, sed ὃς ὅς quisquis, quod aliquid requirit sibi respondens. Qui deficientem orationem esse dicunt, alii uno tantùm loco, quia illud *quicumque* nihil habet, quod sibi respondeat, ut ejus natura postulat; alii duobus, et eo quem modo diximus : et quia in nomine, *munus*, substantivum verbum desiderari putant, ut sit sensus *munus est*, id est, Deo consecratum, quidquid ex meis bonis tibi prodesse poterat. Ergo quidam jam olim sic interpretati sunt, ut refert Chrysostomus. Nihil tibi debeo, sed si quid tibi ex rebus meis emolumenti provenit, id *munus est*, id est, non debito, sed dono tibi do. Alii sic : *Munus, quodcumque est ex me, tibi proderit?* per interrogationem, aut admirationem legentes, q. d, minimè, ut citat D. Thomas in catenâ. Alii : *Quicumque dixerit, munus* (est) *quodcumque ex me tibi proderit*, id est, quidquid ex rebus meis prodesse tibi poterat, jam est à me Deo consecratum. Quem ad sensum Chrysostomus, Euthymius, et Theophylactus interpretantur. Nisi quod Theophylactus dicit Scribas et Pharisæos solitos filiis persuadere, ut omnia bona sua templo offerrent, ut si quid postea parentes peterent, respondèrent se dare non posse, quia omnia jam erant Deo consecrata. Quod Judæis hominibus, avarissimis persuaderi potuisse credibile non est, præterquàm quòd, si id fecissent, ne ipsi quidem bonis suis uti potuissent. Chrysostomus verò et Euthymius putant mentiri solitos filios dicentes se, quod parentes petebant, Deo obtulisse; ne illis darent; atque ita duplici impietate et Deum, et parentes simul fraudâsse. Quod etsi fortassè credibile est fecisse aliquos, tamen credibile non est scribarum, et Pharisæorum consilio fecisse, quia nulla erat causa, neque avaritia, neque religionis species, quam ob rem id scribæ, et Pharisæi persuadere conarentur; sed multiplex, ut diximus, impietas. Christus autem reprehendit, quod scribæ et Pharisæi populum facere docebant; et est per se vero simile nihil eos, qui videri religiosissimi volebant, nisi religionis specie docuisse. Hieronymus duas affert expositiones; una est hæc : *Vos autem dicitis, quicumque voluerit, quod parentibus* datùrus erat, Deo offerre, immunis erit. Quæ interpretatio non satis cum Christi verbis congruit; altera : *Quidquid Deo oblaturus eram, in tuos, ô pater, cibos convertimo*. Quod et Beda sequitur. Sed non est credendum hoc scribas et Pharisæos dicere docuisse; hoc enim non erat, non honorare parentes; sed queri quòd fraudato Deo eos honorarent; cùm Christus ideò scribas et Pharisæos accuset, quòd potiùs prætextu honorandi Deum parentes docerent non honorare; sicut statim sequitur : *Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam*. Augustinus autem, lib. 1 Quæst. evangelic., c. 16, sic exponit : *Quicumque dixerit*, id est, dicere poterit *patri suo, munus quodcumque est ex me*, id est, quod pro me Deo offerre consuevisti, *tibi prosit*, id est, tibi habe, pro te offer, non pro me, ego jam ætatem habeo, ut, cùm voluero, pro me ipse offeram. Quæ interpretatio, præterquàm quòd verbis coactè insidet; etiàm si bonè cum verbis conveniret, ad rem non esset. Non enim scribæ et Pharisæi docebant ne parentes pro filiis offerrent. Alii ad hunc modum : *Munus, quodcumque est ex me, tibi proderit?* id est, an si tibi dem, quod Deo consecrare destinavi, prodesse tibi poterit? minimè, quin potiùs obesset, quia rebus sacris abuterère, Hugo. Quod non omninò malè convenit, nisi quòd interrogatio ista in nullis, quod sciam, legitur libris; et non videtur admodùm vero simile scribas et Pharisæos per interrogationem præcepta sua tradidisse. Paulus Burgensis homo suo tempore doctissimus, nostro non indoctus, ex lib. נדרים, id est, de votis, qui inter Thalmudicos habetur, Judæorum traditionem fuisse docet, ut quisquis vellet vel generaliter et absolutè, vel specialiter respectu hujus, vel illius, aut omnia, aut quædam ex suis bonis devoret, ita ut illi, cujus respectu devota essent, illis uti non liceret. Sed non video, quomodo illud, *tibi proderit*, possit interpretari. Vir quidam nostro tempore multarum sanè litterarum et singularis diligentiæ similem quamdam ex alio traditionum libro, in quem se incidisse dicit, interpretationem profert; duo fuisse inter alia apud Judæos ex traditione votorum genera; alterum privatæ continentiæ, quo sibi quisque cibo, aut potu interdiceret; alterum quo quis adhibito jurejurando negabat se alterum adjuturum, sive patrem, sive fratrem, sive quempiam alium. Id appellari נדר הנאה votum utilitatis. Vovendi formam fuisse אי אם סונר voveo si, cui adjungebatur voti materia; gravissimum vovendi genus fuisse, cùm juramentum adhibebatur; adhibebatur autem aut per templum, aut per altare, aut per munus, quod super altare erat, ut Christus indicat, c. 23, 16. Sic ergo interpretatur, ac verba distinguit ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, munus, si in me juvaberis, id est, juro per munus, fore ut nunquàm à me juveris. Quæ interpretatio, quia ex Judæorum traditionibus, de quibus hìc Christus agit, deprompta est, mirificè mihi placeret, nisi una tantùm obstaret syllaba, ὃ, quæ non invenio, quâ ratione cum hâc possit expositione convenire. Neque credendum præterea est scribas et Pharisæos præcepisse, ut quisquam juraret se parentes non juvaturum, et illa

tes, aut eorum necessitas exigebat. Locus est obscurior, qui Christi temporibus erat apertior. Est enim sententia tum nota, quæ non tota profertur. TIBI PRO-

DERIT, seu prosit. Præceptum de colendis parentibus implet. NON HONORIFICABIT, etsi non juvet eum.

verba : *Quicumque dixerit*, et illa : *Et non honorificabit patrem suum*, nescio quomodò possit hìc auctor interpretari. Itaque dùm aut istam meliùs intelligo, aut aliam meliorem invenio Strabi, Hugonis, et Lyrani opinionem probo. Qui ad hunc modum interpretantur : *Munus quodcumque ex me* (proficiscetur, id est, quodcumque obtulero Deo) *tibi proderit*, perinde ac si tibi dedissem; præstat ergo Deo offerre, quàm tibi dare. Cum hâc enim interpretatione rectè omnis sententia, et verba omnia conveniunt, et ex Marco, c. 7, 11, 12, valdè confirmatur : *Vos autem dicitis, si dixerit homo patri, aut matri, Corbam, quod est donum, quodcumque ex me tibi profuerit, et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri*. Cùm enim dicit : *Ultra non dimittitis quidquam facere patri suo aut matri*, apertè indicat dicendo *munus, quodcumque est ex me, tibi proderit*, aliquid fecisse, aut se facturum promisisse, tantùm abest ut per ea verba juraverit nihil se patri, aut matri boni facturum. Jubet ergo patrem filius ex scribarum et Pharisæorum traditione esse contentum, ut pro se, et illo offerat sacrificium, et nihil amplius requirat. Ii autem, pro quibus sacrificium offerebatur, sacrificio, nisi holocaustum esset, vescebantur. Itaque hâc etiam ratione pater, minùs quidem quàm oportebat; sed tamen quoquo modo juvabatur. Reliquum est videre, quomodò implenda sit oratio. Duo loci sunt vacui; primùm ille *quicumque*, quem rectè omnes ferè interpretes sic explendum putant, culpâ vacabit, innocens erit, præcepto de honorandis parentibus satisfaciet. Deinde ille δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, *donum quodcumque ex me*, quem noster interpres addito verbo substantivo, *est*, satis implevit; sed clarius esset, si diceremus, quodcumque ex me proficiscetur, aut profectum fuerit.

ET NON HONORIFICABIT PATREM SUUM, AUT MATREM. Quidam hæc non scribarum et Pharisæorum, sed Christi verba esse putant, sicut illa apud Marcum, c. 7, 12 : *Et ultra non dimittitis quidquam facere patri suo, aut matri* : ut sit sensus, sic fit vobis auctoribus, ut nemo honorificet patrem suum, aut matrem. Sed non dubito quin scribarum et Pharisæorum verba sint. Itaque sensus est : *Quicumque dixerit patri suo, aut matri : Munus, quodcumque est ex me, tibi proderit*, culpâ vacabit, et poterit non honorare aliâ in re patrem suum, aut matrem, vel etiamsi non aliâ in re honoraverit patrem suum, aut matrem.

VERS. 7. — HYPOCRITÆ. Dubium non est scribas et Pharisæos hypocritas fuisse; sed dubium esse potest, quam ob rem Christus hoc loco hypocritas vocet, cùm non de hypocrisi, sed de perversâ agatur doctrinâ. Respondet Euthymius, quia, cùm diligentissimi legis observatores videri vellent, legem tamen propter traditiones suas transgrediebantur.

BENÈ PROPHETAVIT DE VOBIS. Non loquebatur Isaias de scribis tantùm et Pharisæis; sed de toto populo

VERS. 9. — SINE CAUSA, Gr., frustrà, et sine ullo fructu. Hunc locum perperàm detorquent novatores contra constitutiones ecclesiasticas : cùm eâdem ratione principum leges vel optimè constitutas convel-

Judæorum, et non de eo, qui futurus erat, sed de eo qui tunc erat. Itaque non sunt propriè vaticinantis verba; sed accusantis. Accommodat tamen Christus ad Scribas, et Pharisæos, quasi dicat adeò id, quod Isaias de toto populo Judæorum, qui tunc erat, accusando dixerat, in Scribas, et Pharisæos convenire; ut non præsentem accusâsse populum; sed de futuris scribis et Pharisæis prophetâsse videatur, ut supra, c. 13, 35.

VERS. 8. — POPULUS HIC. Græcè legitur : *Appropinquat mihi populus hic ore suo, et labiis me honorat; cor autem eorum longè abest à me*, sicut apud Isaiam, c. 29, 13. Septuaginta verterunt, nisi quòd apud Septuaginta non est στόματι αὐτῶν, ut hoc loco; sed αὐτοῦ, nec τιμᾷ, sed τιμῶσι, nulla tamen injuria sententiæ. Appropinquare Deo, est Deum colere, ut Psal. 148, 14 : *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi*, id est, qui illum colit; appropinquantes enim vocat, quos proximis verbis sanctos appellaverat; sicut è contrario longè esse à Deo est illum non colere. Sensus ergo est : Populus hic labiis colit me, corde non colit. Noster interpres priora verba non legit, neque quisquam, quod sciam, Latinus, aut Græcus auctor præter recentiores Euthymium et Theophylactum; et est vero simile Christum ex Isaiâ eo tantùm decerpsisse, quæ pertinebant ad causam de quâ agebatur. Agebatur autem de honore.

VERS. 9. — SINE CAUSA AUTEM. Hebraicè apud prophetam non est, *sine causâ*, sed : *Et est timor eorum adversùs me*, id est, me timent, colunt me; nam apud Hebræos timere Deum est Deum colere; qui autem non, ut Deus docet, sed pro suo arbitrio Deum colit, frustra et sine fructu colit. Itaque Septuaginta sententiam explicandi causâ addiderunt μάτην, frustra, et : *Timor eorum adversùs me*, verterunt : Σέβονταί με, *colunt me*, quos Matthæus secutus est.

DOCENTES DOCTRINAS MANDATA HOMINUM. Doctrinas quæ non sunt Dei, sed hominum mandata; sic humanas vocat traditiones, quæ præceptis Dei contrariæ sunt, *præcepta hominum docta*, id est, ab hominibus inventa ac tradita. Septuaginta, sicut et Latinus interpres, legentes, ut opinor, aliis punctis, *doctrinam*, verterunt, additâ explicationis causâ conjunctione : Διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας, *docentes præcepta hominum, et doctrinas*. Evangelista verba transposuit, nisi fortassè scriptorum negligentiâ transposita sunt, quemadmodùm multis in locis factum fuisse in Lectionibus veteris novique Testamenti adnotavimus. Clamant hoc loco Calvinistæ novi hæretici hanc in nos sententiam convenire, qui humanis traditionibus plus quàm Dei verbo tribuamus; stupidi nimirùm homines, neque quid sit verbum Dei, neque quid humanæ traditiones intelligunt. Nam et verbum Dei scripto definiunt, et omnes non in sacris Litteris scriptas traditiones humanas appellant. Quod utrumque non mo-

lant. Itaque mandata hominum vocat Dominus quæ pietati nihil conferunt, aut quæ legi divinæ adversantur.

dò falsò, sed etiam absurdè et imperitè dictum est. Nam, quæ D. Paulus, 2 ad Thess., 2, 15, servari jubet, verbum Dei erant; sed scripta non erant; et hæc ipsa quæ nunc scripta sunt, antequàm scriberentur, Dei verbum erant, servanda erant, credenda erant; scripta non erant. Traditionum igitur tria sunt genera: primum earum quas Deus ipse tradidit, sed nemo scripsit; Ecclesia tamen semper observavit, et ad nos vivâ voce transmisit; qualis est, ut baptizentur infantes, quod Calvinistæ faciunt, sed nullo verbi testimonio probare possunt etsi nobis propriè, quia probare possumus, traditio non est. Has ego non modò humanas, sed ne ecclesiasticas quidem traditiones appellaverim, quia licèt per Ecclesiam traditæ, non ab Ecclesiâ, sed à Deo constitutæ sunt; sicut Scripturam sacram, licèt ab Ecclesiâ conservata et tradita sit, nemo ecclesiasticam traditionem appellat. Secundum earum quas Ecclesia non solùm tradidit, sed etiam instituit, qualis est Dominicæ diei observatio, et Quadragesimæ jejunium, à carnibus certis diebus abstinere. Quas, qui humanas vocat traditiones, vehementer errat, et quid Ecclesia sit ignorat. Nec enim hominibus, sed Spiritu sancto Ecclesiam gubernante auctore institutæ sunt; sicut vehementer erraret, quisquis decretum illud apostolorum, Act. 15, 20, ut Christiani à sanguine et suffocato abstinerent, humanam vocaret traditionem. *Visum enim est*, inquiunt, vers. 28, *Spiritui sancto, et nobis*. Atqui illud non divinum, sed ecclesiasticum præceptum erat; omnis enim congregata Ecclesia definierat. Quare quidquid postea Ecclesia eodem modo congregata definivit, eodem loco habendum est. Nec enim Spiritus sanctus minùs Ecclesiæ quàm apostolis et promissus et exhibitus fuit; quin etiam magis, quia apostolis non propter ipsos, sed propter Ecclesiam, Ecclesiæ non propter apostolos, sed propter ipsum datus est, ut eam doceret omnem veritatem, et cum eâ maneret usque ad consummationem seculi. Itaque non minùs nunc Ecclesiam gubernat, quàm tunc apostolos gubernabat. Tertium genus est earum quæ neque à Deo, neque ab Ecclesiâ, sed aut à republicâ aut à privatis hominibus institutæ sunt; earumque duo sunt genera, alterum earum quæ nec præceptis, nec consiliis Dei contrariæ sunt; alterum earum, quæ sunt contrariæ: de prioribus Christus hic non agit; sed tota potiùs Scriptura docet ut eas observemus, si ab iis qui auctoritatem habent, institutæ sint, quia debemus illis *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam obedire*, Rom. 13, 5. Tantùm agit de iis quæ, nisi præceptum Dei violetur, servari non possunt; quales erant illæ scribarum et Pharisæorum, de quibus dicit vers. 6: *Et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

VERS. 11. — NON QUOD INTRAT IN OS COINQUINAT HOMINEM. Non dixit, inquit Chrysostomus, cibos non coinquinare, etsi id intelligebat; sed quod intrat per os, quod de sordibus illotarum manuum, de quibus agebatur, intelligi poterat; ne si cibos diceret, vehementer offenderentur; in tantâ enim religione ciborum delectus habebatur, ut etiam post resurrectionem Petrus illis uti recusaverit, Act. 10, 14. Omnibus in locis Calvinistarum perversitatem et ignorantiam mirari soleo, hoc autem loco usque adeò eorum stupiditatem et cæcitatem miror, ut omni prorsùs sensu carere mihi videantur; solum gustum excipio, quem delicatum sanè habent, et subtiliter inter carnem et pisces discernentem; cujus causam optimi patroni majore quàm religionis curâ defendunt. Valdè appositè, inquit Calvinus, adversùm nos hunc locum citari posse. Quid ita? *Quia putatis*, inquit, *quod intrat per os hominem coinquinare*. Allucinaris, rabbi. Nam eos qui id sentiunt, aut Judæos, ut scribas illos et Pharisæos, contra quos Christus disputabat; aut hæreticos similes tui, ut Manichæos esse existimamus. Nec alio modo quàm Christus sensit et docuit, sentimus ipsi atque docemus. Quod facilè, si hunc locum excutiamus atque versemus, apparebit. Quid enim Christus dicit? *Quod intrat per os non coinquinat hominem.* Fingam me contra Christum disputare, ut sensus appareat, et isti, si oculos habent, videant. Si quod intrat per os non coinquinat hominem, ebrietas ergo non coinquinat hominem; nam vinum, ut opinor, per os intrat. Si quod intrat per os, non coinquinat hominem, intemperantia cibi non coinquinat; nam et cibus per os intrat. — Respondebunt, ut arbitror, si benè responderint, quod intrat per os, non coinquinare hominem naturâ suâ, *quia omnis creatura Dei bona est*, 1 Tim 4, 4; sed intemperantem animum, qui plus cibi aut potûs sumit quàm ratio præscribit, hominem coinquinare. Ita prorsùs est, nosque idem dicimus, quod intrat per os, non coinquinare hominem; scimus enim omnem creaturam Dei bonam, sed inobedientem animum, qui contra Ecclesiæ præceptum, cui Deus obedire jussit, cibum sumit, hominem inquinare. At Ecclesia non potest, inquiunt, bonos naturâ suâ cibos

VERS. 11. — NON QUOD INTRAT IN OS COINQUINAT, nisi fortè ob intemperantiam, aut scandalum, idque ratione circumstantiarum. SED QUOD PROCEDIT EX ORE; Marcus, *ex homine*: Matthæus ad retinendam antithesim posuit *ex ore*. Itaque synecdoche est, os pro homine, et os cordis rectè intelligitur. Unde subdit, *homicidia, adulteria, fornicationes*, ut falsam quorumdam Judæorum opinionem rejiciat, qui simplicem fornicationem inter peccata non annumerabant. Hinc primo loco posuit cogitationes malas, simul ostendens omnium scelerum fontem. Quod cùm minùs intelligerent discipuli, postea Christus iis exposuit, v. 17, 18 et 19. *Quia omne quod in os intrat*; Marcus, *et non intrat in cor ejus*, quod animum non afficit. Cùm discipuli ex vultu Pharisæorum colligerent illos hinc offendi, idque forsan ipsi ægrè ferrent, quòd eorum magister tam liberè Pharisæos increparet, Christus illis respondens, ait: *Omnis plantatio*, etc., doctrina omnis à Deo non profecta delebitur. Sic Pharisæorum doctrina exstinguetur aliquando, Christiana religio perpetuò futura est: quia hæc Deum habet auctorem, non item illa. Vel omnis plantatio ad Pharisæos refertur, de quibus minimè curandum est. Nam melius est ut scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur, ut ait Gregorius. Ex scandalo accepto, non dato angi non oportere hinc liquet: tametsi infirmorum magna est habenda ratio, iique sunt instruendi, cùm ex ignorantiâ vel bonæ actiones illos offendunt.

prohibere. Id nunc videamus. Sanguis et pullus columbinus suffocatus bonus sanè naturâ suâ cibus est. Ecclesia tamen prohibuit illis uti, Act. 15, 20. Caro bonus naturâ suâ cibus est; atqui D. Paulus carne sibi interdicit in æternum, ne fratrem scandalizet, ita ut, si vescatur, non cibi naturâ, sed charitatis defectu inquinari se putet, 1 Cor. 8, 13. Omnis creatura Dei bona est; tamen si quis ægrotus, medico prohibente, et certum vitæ periculum prædicente, vino utatur, quis dubitet eum non quidem vini naturâ, sed inobedientiæ inquinari voluntate? Potest ergo non jam dico Ecclesia, sed medicus hos vel illos cibos, hunc vel illum ægrotis potum prohibere. Qui jejunium indicit, cibum utique certo tempore prohibet; atqui non modò Ecclesia catholica, sed Calvinistarum etiam Satanica synagoga, cùm aliqua molienda proditio est, cùm rex insidiis appetendus, cùm de regno deturbandus, cùm crudelissima et sceleratissima bella movenda, cùm plurimus innocentum fundendus est sanguis, jejunium indicit. Quid ergo? potuit Ecclesia apostolorum tempore sanguinem et suffocatum, tum cùm minimè prohiberi debere videbantur, id est, cùm abroganda, non confirmanda vetus lex erat, prohibere, ut suaviùs abrogaretur; et non poterit nunc meliore de causâ, ut caro dometur, certis diebus carnem delicatissimum cibum prohibere! Potuit D. Paulus, ne vel minimum fratrem offenderet, carnem sibi in perpetuum prohibere; et non poterit Ecclesia, ne nos caro nostra pejus offendat, non jam in perpetuum, sed ad breve tempus carnem nobis prohibere! Potest medicus propter salutem corporis, non poterit Ecclesia propter salutem animæ! Potest hæreticorum synagoga, ut malè agat, non poterit Dei Ecclesia, ne malè agat! Legant Augustinum, qui Manichæis hoc ipsum, quod illi objiciunt Catholicis, objicientibus, lib. 30 contra Faustum, c. 5, ita respondet: *Et christiani non hæretici, sed Catholici edomandi corporis causâ propter animam ab irrationabilibus motibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent, vel semper sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes.* Hæc nostra sententia est, nos illi Catholici sumus; Calvinistæ illi hæretici.

SED QUOD PROCEDIT. Nec omne quod procedit ex ore coinquinat hominem; nec omne quod coinquinat, ex ore procedit. Nam laudes Dei ex ore procedunt, et non coinquinant; sed potiùs justificant hominem, et malæ nefariæque cogitationes, quas solus apud se animus versat, hominem inquinant, ex ore verò non procedunt. Sed sensus est ea quæ coinquinant hominem, et per os intrant, aut exeunt, non ideò coinquinant, quia intrant, sed quia exeunt, et non quia exeunt tantùm ex ore, nam et cibus aliquando ex ore per vomitum redditus exit, sed quia ex inquinato corde procedunt. Itaque ipse cibus et potus, qui aut immoderatè, aut contra Ecclesiæ præceptum sumptus est, non intrando, sed exeundo coinquinat. Exit autem, cùm intemperans et inobediens animus prodit in opus, et cibum et potum aut immodicum, aut contra Ecclesiæ mandatum non solùm vult sumere; sed sumit, et in os mittit. Intrando ergo cibus exit; et non quia intrat, sed quia exit, hominem inquinat. Cur igitur Christus hoc tam obscurè dictum addidit? Puto voluisse eum antithesi intrandi et procedendi uti, et fortassè alludere ad calumniatoriam scribarum et Pharisæorum interrogationem, ut obliquè ostenderet non suos discipulos manuum illotarum sordibus; sed ipsos malignis et calumniatoriis verbis inquinari.

VERS. 12. — SCANDALIZATI SUNT, quia videbatur, ut indicat Chrysost., contra ciborum delectum lege præscriptum loqui, legemque ipsam abrogare.

VERS. 13. — OMNIS PLANTATIO. Plantationem vocat plantam ipsam. Plantam autem multi honique auctores doctrinam interpretantur, ut Theophilus Alexandrinus, epistolâ 1 paschali; Hilarius, Theophylactus, et Euthymius in Commentariis. Alii homines bonam, aut malam habentes voluntatem, plantas bonas, vel malas esse, ut Athanasius in Epistolâ de Synod. Ariminens. et Seleucens., Hieronymus hoc loco, Prosper, lib. 1 de Vocatione gent., c. 2, Augustinus, lib. 1, Quæst. evangelic., c. 17, Beda. Alii utrumque et homines, et doctrinam, ut Chrysostomus. Non dubito, quin homines ipsos, id est, scribas et Pharisæos plantam Christus appellet, sicut versu sequenti cæcos et duces cæcorum appellavit. Nos aliquando bonæ, aliquando malæ plantæ sumus; Deus nos bonas plantas facit, nos ipsi facimus malas, Jerem. 2, 21: *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodò conversa es mihi in pravum, vinea aliena?* Sensus ergo est eos, qui, cùm plantati sint à Deo vinea electa, in vineam pravam versi sunt; aut qui se ipsi vineam pravam ab initio plantaverunt, diù vigere et fructum ferre non posse; itaque exscindendos esse, et in ignem æternum mittendos, ut supra de arbore malâ dixit, c. 3, 10, et 7, 19. In hanc sententiam Origenes, hom. 1 in Jeremiam, et Hieronymus exponunt. Itaque nihil aliud voluit Christus dicere, quàm illos, tanquàm homines perditos et profligatos esse dimittendos, quia non spiritum Dei, sed suum sensum traditiones quæ sequebantur; ideòque Christi verba spiritûs plena capere non poterant; sicut statim dicit, vers. 14: *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum*, et, ut Joan. 6, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quidam interpretes novi ad prædestinationem et reprobationem referunt; quod ne D. quidem Augustinus fecit; nec ego illis assentiri possum; excusaret enim potiùs illos Christus quàm accusaret, si diceret dimittendos esse, quia reprobati erant, nec aliter quàm faciebant, poterant facere, et fortassè non omnes illi reprobati erant, fortassè aliqui postea ex illis crediderunt. Certè cùm Christus reprobatos fuisse non dixerit, temerarium est dicere. Dimittendos ergo non tanquàm reprobatos, sed tanquàm cæcos esse dicit. Possunt autem qui cæci sunt illuminari; nam et alii multi cæci erant, et illuminati sunt; et eradicandos esse intelligit non absolutè, sed si non convertantur, si arbor bona esse noluerint, ut supra dixit,

c. 12, 33 : *Facite arborem bonam, et fructum ejus bonum*, et sicut paterfamilias diù exspectavit ut ficus illa, quam in vineâ suâ plantatam habebat, fructum ferret, id est, bona fieret, Luc. 13, 7.

Vers. 14. — Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Cæci sunt omnes hæreticorum doctores, et cæcorum duces. Hinc ergo colligitur non solùm magistros, sed etiam qui eos sequuntur in foveam cadere, nec ignorantiâ excusari posse.

Vers. 15.—Respondens autem. Hebraismus respondere, pro exordiri ad loquendum, ut c. 11, 25.

Petrus. Petrus, inquit Chrysostomus, ut omnium ardentissimus solet cæteros anteire. Existimat autem Theophylactus Petrum rectè quæ Christus dixerat intellexisse; sed ignorantiam simulâsse, quia sciebat contra legem esse, et non audebat apertè dicere, cupiebatque ut Christus magis explicaret, ne auditores offenderentur. Hieronymus et Euthymius, reverà non intellexisse, sed putâsse parabolam esse, quæ non erat, eò magis, ut ait Euthymius, quòd, ut scribit Marcus, c. 7, 16, eodem hoc loco epiphonemate, quo in fine parabolarum uti solebat, usus est : *Si quis habet aures audiendi, audiat*; Petrum quidem non intellexisse ex Christi responso manifestum est : *Adhuc et vos sine intellectu estis?* Quòd autem parabolam vocaverit, non continuò sequitur eam existimâsse propriè esse parabolam; potuit enim propter obscuritatem quam sermo Christi cum parabolis communem habebat, parabolam appellare. Marcus scribit, c. 7, 17, non Petrum, sed discipulos id interrogâsse, cùm in domum Christus introisset. Euthymius respondet Petrum exorsum, alios deinde secutos esse. Malo dicere esse syllepsim, quâ quod unus interrogavit, omnes dicuntur interrogâsse, aut quia ille unus nomine omnium interrogavit, quod est valdè probabile, cùm non dicat : Edissere mihi, sed : *Edissere nobis parabolam hanc*; aut quia, si pro se tantùm interrogavit, solet Scriptura per hanc figuram plures ponere pro uno, cùm omnes ejusdem sunt generis, sicut hic omnes, ut Petrus, discipuli erant, ut, c. 26, 8, Matthæus scribit, effuso unguento indignatos fuisse discipulos, cùm ex Joann. 12, 4, manifestum sit solum Judam indignatum fuisse, et c. 27, 44, latrones, qui cum Christo crucifixi erant, blasphemâsse dicuntur, cùm ex Lucâ, c. 23, 39, 40, unum tantùm blasphemâsse constet, ab altero verò non blasphemante Christum, sed confitente fuisse reprehensum. Nec obstat quòd Christus non de uno, sed de pluribus loquens statim dicit : *Adhuc et vos sine intellectu estis?* Nam et Matth. 26, 10, et Marc. 14, 6, cùm solus Judas contra illam mulierem, quæ unguentum effuderat, murmurâsset, Christus de pluribus loquens dixit : *Sinite eam*, et : *Quid molesti estis huic mulieri?*

Vers. 17. — Non intelligitis. Scribit Hieronymus profanos nescio quos homines Christum, tanquàm philosophiæ ignarum, accusâsse, quòd dixerit, quidquid per os sumitur, in secessum abire; cùm aliquid remaneat, quo hominis corpus alatur. Id scilicet Christus nesciebat quod nemo nescit. Loquitur igitur non philosophicè, non subtiliter, sed populariter, nam quia minimum remanet, ita loquitur, quasi nihil significet remanere. Quanquàm si et ipsi volueremus argumentari, nihil probabimus remanere, quia quod remanet, non jam cibus, sed substantia humani corporis est. Sed ista tanquàm futilia relinquamus. Illud quæri dignum est quale hoc sit argumentum quo utitur Christus : Quod intrat per os primùm in ventrem, deinde in secessum vadit, non ergo coinquinat hominem. Non enim apparet, quomodò conclusio ex antecedente colligatur.—Respondeo Christum ponere, tanquàm per se notum, hoc principium, nihil posse hominem coinquinare, nisi cor hominis, quod fons totius hominis est, aut quod in corde hæret, vel ex eo procedit; ut versu 18 et 19 declarat : *Quæ autem de ore procedunt, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem.* Ex eo ergo quòd cibus non exit ex corde, nec in eo hæret, sed in ventrem abit, et in secessum emittitur, rectè colligit non posse hominem inquinare.

Vers. 18.—Quæ autem procedunt de ore. De ore dicit procedere non solùm verba, quanquàm ea maximè propriè ex ore procedunt; sed etiam facta, et quidquid in actum exit, quia omnia opera in corde primùm concipiuntur, unde non videntur nisi per os exire posse, quod unicum cordis foramen est; et quia ita plerùmque naturaliter fit ut primùm quæ factori sumus, animo concipiamus, deinde eloquamur ore, ad extremum perficiamus. Itaque opera per verba ex corde procedunt. Fit quidem aliquando ut nihil loquentes faciamus, sed Christus non spectavit nisi quod plerùmque fieri sciebat. Ideò dicit, quod sequitur :

Vers. 19.—De corde exeunt cogitationes. Exeunt, quia inde manant, quamvis non semper in verba erumpant, aut facta.

Homicidia, adulteria. Hæc et quæ sequuntur eo modo ex ore procedunt, quo superiore versu explicavimus.

Vers. 21.—In partes Tyri et Sidonis. Duæ erant, et gentiles, et maritimæ civitates, vicinæque Galilææ septentriones versùs, ut c. 11, 21, exposuimus. Non satis compertum videtur esse an in regionem ipsam gentilium ingressus sit Christus, quanquàm id ferè omnes putant interpretes; an solùm venerit in fines Galilææ et Phœniciæ, ubi Tyrus et Sidon sitæ erant. Nam unâ quidem ex parte non videtur vero simile Christum fecisse quod apostolos facere prohibuerat, c. 10, 5 : *In viam gentium ne abieritis*; præsertim cùm Christus solos Judæos, apostoli etiam gentes aliquando docturi essent. Aliâ ex parte Marcus, c. 7, 24, videtur significare in ipsam gentilium regionem ingressum

Vers. 21 et 22. — Secessit in partes Tyri, in tribum *Aser*, quò nondùm venerat. Miserere. Hæc mulier constantiâ, humilitate, fervore, fide ipsâ impetravit filiæ sanitatem, eaque gentium vocationi præludere visa est, et exemplo suo Judæos confundere.

esse. *Et inde*, inquit, *surgens abiit in fines Tyri et Sidonis, et ingressus in domum neminem voluit scire, et non potuit latere.* Sed nec ex hoc quidem loco satis colligitur. Nam quod idem Marcus dicit versu 31, venisse *per Sidonem ad mare Galilææ*, vitiosè legitur *per Sidonem*, ut multi interpretes adnotaverunt. Itaque potiùs credo ingressum non fuisse in terram gentilium. Cur autem eò venerit quæri potest. Marcus, c. 7, 24, videtur indicare ideò venisse ut lateret, *et neminem*, inquit, *voluit scire, et non potuit latere.* Unde satis manifestum est eum, cùm eò venisset, latere voluisse; an autem ideò venerit ut lateret incertum. Chrysostomus, homilià 53, existimat ideò venisse, quia paulò ante legis cæremonias ciborumque observationes abrogâsse videbatur, voluisseque ad gentiles veniendo docere, non esse jam Judæum et Græcum, ut Petrus simul atque vidit linteum omnium animalium genere plenum, quo edoctus est, nullam jam ciborum differentiam adhibendam esse, jussus est ad Cornelium hominem gentilem ire, Act. 10, 19, 20. Alii ideò se eò recepisse, quia Judæi ejus doctrinam recipere noluerant, sicut Paulus, et Barnabas dixerunt, Act. 13, 46 : *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Ita Hieronymus, Beda et Theophylactus, nisi quòd Theophylactus non existimat, docendi causâ venisse; sed, ut opinor, latendi; Euthymius verò quiescendi.

Vers. 22.—Et ecce mulier Chananæa. Marcus, c. 7, 26, vocat Syrophœnissam, quod nihil Matthæo repugnat. Nam ipsi Tyrii et Sidonii Syrophœnices erant. Unam enim partem Syriæ fuisse Phœniciam Plinius, libro 5, c. 12 et 20, et Strabo, libro 6, auctores sunt. Phœniciam autem eam fuisse oram, ubi Tyrus et Sidon erat, iidem docent. Vocati sunt composito nomine Syrophœnices, quòd Syrii Phœniciam occupâssent, ut plerique putant, sicut Gallogræci et Celtiberi dicti sunt; aut, quod alii dicunt, ego quoque probabilius esse arbitror, quia alii erant Phœnices, qui non in Syriâ, sed in Africâ habitabant, qui Libyo-Phœnices, id est, Phœnices Lybiæ habitatores, sicut illi Syrophœnices, id est, Phœnices habitatores Syriæ dicti sunt. Inde Africani Pœnorum, quasi Phœnicum aut Phœnorum nomen acceperunt. Solent enim meridionales et occidentales gentes ex litterâ Ph., quâ mirum in modum orientales delectantur, aspirationem tollere, sicut pro Philistinis, Palæstinos dicimus. Inde Punica lingua manavit, quam Hebraicæ confinem fuisse Hieronymus et Augustinus sæpè testantur. Difficilius dictu est cur eam mulierem Matthæus Chananæam appellaverit. Sunt qui putent eam civem fuisse Canæ majoris, quæ urbs in Phœnicià erat contermina tribui Aser, Josue 19, 28, quod mihi non displicet. Nam quod quidam objiciunt illam Canam apud Josue scribi per ϸ, id est, per *c* nostrum non aspiratum, apud Matthæum verò mulierem Chananæam per aspirationem appellari, parùm me admodùm movet : passim enim solent Septuaginta et evangelistæ, dùm Græcè scribunt, Hebraicas litteras permutare. Juvat etiam hanc opinionem, quòd eam Canam in finibus Phœniciæ, et Galilææ fuisse constet, et ea mulier à finibus illis egressa dicatur. Quanquàm communis sententia probabilis est, vocatam esse Chananæam, vel quia Phœnices ex terrâ Chanaan ingredientibus Hebræis ejecti fuerant, vel, ut alii volunt, quia posteri erant Cham filii Noe, cujus primogenitus filius Sidon vocabatur, Genes. 10, 15, quem urbis Sidonis fundatorem fuisse ferunt. Quanquàm scriptores profani alium ejus urbis auctorem fuisse tradunt. Adnotavit Chrysostomus ideò evangelistam Chananæam fuisse expressisse, quò admirabilior ejus fides appareret; habebantur enim Chananæi apud Judæos omnium gentium maximè impii. Eodem consilio Marcus expressit fuisse Ἑλληνίδα, *Græcam*, id est, gentilem, ut noster vertit interpres; solent enim omnes gentiles in sacris Litteris novi præsertim Testamenti Græci vocari, et Judæis opponi, quamvis neque linguâ, neque genere Græci sint, Act. 9, 29, et 18, 4; Rom. 1, 16, et 2, 9, 10, et 3, 9, et 10, 12; 1 Cor. 1, 22, 24; Gal. 3, 28.

Miserere mei. *Mei* dicit, ut magis Christum moveat quàm si diceret, *filiæ meæ*. Aut, ut Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius putant, quia ejus filia sine sensu jacebat; ipsa verò utriusque, et suum, et filiæ sentiebat dolorem.

Fili David. Cur ita Christus ab iis potissimùm qui aliquod ab eo beneficium postulabant appellaretur, dixiamus c. 1, 2. Hanc autem mulierem, etsi Judæa non erat, credendum est propter Judæorum vicinitatem, aut de prophetiis, quibus Christus filius Davidis futurus dicebatur, inaudivisse aliquid, aut cognovisse certè ita vulgò à Judæis, qui in illum crederent, appellari.

Vers. 23. — Qui non respondit ei verbum, ne sibi, inquiunt Hieronymus, et Beda, contrarius esse videretur, quia, c. 10, 5, discipulis dixerat : *In viam gentium ne abieritis*, sicut respondet versu sequenti : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israel.* Mihi ob alias etiam duas causas videtur tacuisse, et ut mulieris fidem constantiamque proderet, aut aliis potiùs, ut ait Chrysostomus, patefaceret. Magnæ enim fidei et singularis fuit contemptum et ne verbo quidem dignam judicatam perseverare; et ut ostenderet se non spontè, sed quodam modo invitum, et importunis mulieris precibus coactum miraculorum gratiam gentibus impertiri, cùm non esset missus nisi ad oves quæ perierant domûs Israel.

Dimitte eam, concedendo quod petit; rogabant enim pro illâ, ut ait Euthymius; et est vero simile ab ipsâ muliere, ut pro se rogarent, fuisse rogatos. Nec enim Christo faciunt injuriam, ut Calvinistæ delirant, qui ad Christum per sanctos adeunt.

Quia clamat post nos. Hoc mihi videntur dicere : Concede illi quod petit, saltem propter improbitatem hanc et fidem ejus exerceret, eamque in exemplum proponeret.

Vers. 25. — Non respondit ei verbum, ut constantiam et fidem ejus exerceret, eamque in exemplum proponeret.

tem, ut tu ipse in illâ parabolâ amici intempestâ nocte panes ab amico petentis docuisti, Luc. 11, 8; quod Hieronymus dicit, ideò apostolos pro eâ regâsse, ut molestiâ liberarentur, duriusculè dictum videtur. Marcus, c. 7, 25, dicit eam in domum, ubi Christus erat, ingressam ad pedes ejus procidisse, quod videtur huic loco esse contrarium, ubi significatur eam Christum per viam cum cæteris secutam esse, et à tergo clamâsse. Augustinus, lib. 2 de Consensu evangel., c. 49, respondet prunum in domum ingressam, ubi erat Christus, et ad ejus pedes procidisse, dixisseque, *miserere mei*, ut ait Marcus. Christum verò nullo reddito responso domo exisse, eamque secutam fuisse, et post eam clamâsse, ut ait Matthæus. Hoc ex Marco facilè colligitur, qui narrat Christum, simul atque in eam regionem venit in domum ingressum, latereque voluisse, nec potuisse tamen; scisse enim statim mulierem Syrophœnissam, et ad ejus pedes procidisse. Itaque, quod alii dicunt, priùs hanc mulierem cum cæteris viam Christum secutam fuisse, et posteà clamâsse, discipulosque dixisse: *Dimitte illam, quia clamat post nos*; tunc in domum ingressum, ut illi secreto in loco concederet quod petebat, eamque ad ejus pedes accidisse, nequaquàm probo.

Vers. 24. — Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. Absurdissimus est, et maximè impius, Christoque ingratus Calvinistarum error Christum non omnium hominum causâ venisse aut mortuum fuisse, sed prædestinatorum solùm, quem alio copiosiùs loco refutabimus. Nam ex hoc quidem loco errorem suum confirmare non possunt, cùm dicat se non propter prædestinatos, verùm propter solos Judæos missum fuisse. Quin hinc nos refutare possumus; dicit enim se propter solos Judæos missum esse, cùm non omnes prædestinati, sed maxima pars reprobati essent; non ergo propter solos prædestinatos missus est. Dicit ergo se non esse missum, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israel, aut quia primùm ad eas venerat, sicut Paulus dicit: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei*, Act. 13, 46, ut ait Ambrosius in Psalm. 43, et Gaudentius, tractatu 7 in Exodum, et Cyrillus Alexand., libro 5 in Isaiam, et Hieronymus, et Beda in Commentariis, aut quia non venerat, ut præsentiam suam, prædicationem, et miraculorum gratiam exhiberet, nisi Judæis; gentibus enim non ipse per se, sed per apostolos suos, et prædicaturus Evangelium, et miracula facturus erat, ideòque à D. Paulo minister circumcisionis appellatur, Rom. 15, 8, ut Hilarius et Augustinus, tractatu in Joan. 31 et 47 existimant. Ideò Judæos vocat oves, ut supra explicavimus, c. 10, 6. Gentiles canes, vers. 26. Cur autem noluerit præsentiam suam aliis gentibus, quàm Judæis exhibere, facilis est ratio, quia, ut ait August., tract. in Joan. 31, solis Judæis propter fidem Abrahæ promissio venturi Messiæ facta erat, ut c. 1, 1, disputavimus. Itaque neque in regionem Tyri et Sidonis venit, ut prædicaret, aut ut miracula faceret, sed potiùs, ut lateret, si cò tamen venit, ut versu 21 disseruimus; neque hoc miraculum, quasi ex instituto et suscepto consilio; sed quasi precibus et importunitate mulieris coactus fecit, ut diximus vers. 23, et tanquàm panem cani non dedit, sed projecit, aut ne projecit quidem, sed illi excidit, ut mica de mensâ, ut vers. 27, exponemus.

Vers. 26. — Non est bonum, καλὸν, honestum, decens, conveniens.

Sumere. Eripere.

Panem. Panem vocat gratiam miraculorum, de quâ agebatur, et generaliter gratiam evangelicam, quæ solis quodammodò Judæis, quibus ex fœdere Abrahæ promissa erat, debebatur.

Filiorum. Judæos filios appellat, quia illis ipse loco patris erat, sicut Exodi, 4, 22, vocat filium suum primogenitum Israel.

Et mittere, καὶ βαλεῖν, projicere, in ipso enim projiciendi verbo vis est, quâ significatur, non esse delicatum filiorum panem tam malè collocandum, quasi non ratione et consilio distribueretur, sed projiceretur temerè. Habent canes panem suum minùs delicatum quàm filii; res naturales, sol, luna, pluvia, et cætera idem genus canum, id est, gentilium panis sunt, quæ providentiâ quidem Dei, sed generali, minùsque accuratâ dispensantur, et omnibus in communi, sicut porcis glandes, projiciuntur: Evangelica gratia, quæ supra naturam est, panis est filiorum non projiciendus temerè, sed majore consilio, rationeque distribuendus.

Canibus. Canes filiis opponit, quia quamvis utrorumque paterfamiliàs curam habeat; tamen filiorum inprimis, multòque majorem, quàm canum habet. Credibile est consuevisse Judæos omnes alias gentes כלבים canes appellare, sicut Græci vocabant barbaros. Nam ex illis, ut opinor, cùm in Hispaniâ essent, Hispani didicerunt Mahumetanos, et Æthiopes canes appellare. Illud certè constat homines vilissimos per contemptum ita vocare consuevisse, ut 2 Reg. 3, 8; et 16, 9; et 4 Reg. 8, 13; Marcus, c. 7, 27, ait dixisse Christum: *Sinè priùs saturari filios*, quibus verbis spem aliquam mulieri dedisse videbatur, fore ut aliquando illi concederet quod petebat; sciebat utique non saturandos filios, sed panem cœlestem oblatum contemptim rejecturos; sed mysterium est: neque, quod culpâ Judæorum accidit, sed quod divino consilio, et ex fœdere cum Abrahamo inito fieri debuit, explicavit.

Vers. 27. — Etiam Domine. Omnes ferè interpretes observarunt ναὶ *etiam* non esse contradicentis, sed approbantis; sed non facilè apparet, quomodò mulier Chananæa argumentetur, et quâ ratione conveniat particula causalis *nam et catelli*. Si enim concedit verum esse, quod Christus dixerat, non esse bonum sumere panem filiorum, et canibus projicere; non potuit colligere catellos comedere de micis, etsi reverà comedunt; et, si id dicere volebat, potiùs debuit dicere *sed* quàm *nam*. *Etiam Domine, sed tamen catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum*, id est, quamvis non sit bonum sumere panem filiorum, et illis dare, tamen permittunt domini eos de micis, quæ de mensâ cadunt, comedere. Qui propiùs mihi videntur sensum attigisse, sic exponunt, *etiam Domine*; nam catelli quidem non comedunt ex pane filiorum, sed ex micis. Quod multis tamen de causis mihi non placet; primùm quia in hâc interpretatione multa necessariò, et coactè supplenda sunt, ut hæc, nam catelli quidem non comedunt ex pane filiorum; sed comedunt ex micis, quæ cadunt; quod uno verbo dicere potuisset, *etiam Domine*, sed tamen catelli comedunt de micis. Deinde, quia hâc ratione perit omnis acrimonia, et omnis argutia, et subtilitas disputationis, quæ tanta tamen fuit, ut quodammodò coegerit exclamare Christum, ὦ mulier, magna est fides tua. Sic igitur interpretor, vocaverat Christus Chananæam canem; arripuit mulier ex verbo contumelioso, ut Chrysostomus adnotavit, argumentum, et subtiliter causam suam probat. *Etiam Domine*, id est, sim sanè canis, *nam et catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum*, itaque si canis sum, de micis saltem edere debeo. Ergo idem valet hoc loco, ναὶ, *etiam*, atque quod vulgò disputantes dicere solemus, cùm adversarius aliquid dicit, quod maximè nobis adversari putat; nos autem existimamus causam nostram maximè juvare, indeque argumentamur, hoc est, quod volo, me esse canem, nam et catelli comedunt de micis, quæ cadunt de mensâ dominorum suorum. Hilarius putat esse vim in nomine diminutivo, *catelli*, quasi Christus canem appellaverit, ipsa minùs se, quàm canem, nempe catellam esse fateatur. Sed ubique et versu 26, et hìc diminutivum est, τὰ κυνάρια *catelli*, et in eo ipso gratia est, et subtilitas argumenti, quod idem prorsùs verbum, quo Christus usus fuerat, mulier arripiat, quamvis noster interpres illic canes, hìc catellos verterit. Si qua verbi supradicti vis est, hæc potiùs est, ut Christus non dixerit κυνάς canes, sed κυνάρια, catellos, ut pusillos, et nullius utilitatis, ac pretii canes significaret, quibus multò minùs, quàm magnis illis, qui aliquid utilitatis afferunt, filiorum panis projiciendus est: mulier verò non, ut se minùs quàm canem esse confiteretur; sed ut melius, et, ut vulgò dicunt, ad hominem argumentaretur, eodem usa sit verbo.

De micis. Micas vocat minora, et minùs frequentia miracula, ut Theophylactus adnotavit, quasi dicat, non peto à te, ut passim hìc, sicut apud Judæos miracula facias, ut cæcos cures, mortuos exsuscites; sed unum tantùm, et minùs naturâ suâ difficile, ut dæmonem à filiâ meâ expellas.

Quæ cadunt. Respondet hoc verbum illi, quo Christus usus fuerat, βαλεῖν projicere, illique opponitur, quasi dicat, non rogo, ut ex professo, ut apud Judæos, miraculum facias, sed ut obiter: non quasi dederis, ac ne projeceris quidem, sed quasi tibi excideris; quemadmodùm solent ex mensâ divitum micæ cadere.

De mensa. Mensam vocat gratiarum omnium, ut ita dicam, copiam, quæ erat in Christo; sicut mensa divitum omni ciborum genere referta esse solet. *In ipso* enim *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

Dominorum suorum. Dominos suos, inquit Chrysostomus, Judæos vocat, quos Christus filios appellaverat, quod magnæ tribuit humilitati. Potiùs Christum ipsum Dominum vocare credo; sed loquitur pluraliter propter canes, quorum suum quisque dominum habet.

Vers. 28. — Ὦ mulier, magna est fides tua. Vox admirantis. Observatione autem dignum est, nullius hominis fidem nisi gentilium admiratum fuisse Christum, ut hujus mulieris, et illius centurionis, c. 8, 10. Major enim gentilium, quàm Judæorum fides. Quo autem modo admiratio in Christum cadere potuerit, illic disputavimus.

Vers. 32. — Convocatis discipulis suis. Ut sua, ut indicat Hieronymus, consilia cum illis communicaret. Videtur etiam mihi voluisse Christus eorum explorare fidem, et futuri miraculi occasionem captare, ut discipulorum confessione constaret, non esse panem, unde tanta turba pasci posset. Semper enim observamus Christum nunquàm sine magnâ, compertâque necessitate miracula fecisse. Quam etiam ob rem triduum, antequàm sequens miraculum faceret, expectavit, ut si quid ciborum secum alioqui tulissent, consumeretur, quemadmodùm Chrysostomus, et Euthymius monnerunt. Idem etiam Chrysostomus, et post Theophylactus adnotârunt non suggessisse nunc discipulos Christo, ut turbas dimitteret, ut in pagos irent, et cibos emerent, quemadmodùm fecerant, c. 14, 15, quòd jam aliquantùm fide profecissent, et quòd viderent omnes alacres esse, et audiendi aviditate tamen non sentire.

Quia triduo jam perseverant mecum. Sunt, qui putent totum triduum, aut omnes, aut plerosque fuisse jejunos, quod magnus jejunii magister Calvinus non virtuti, sed aeri subtiliori tribuendum existimat; nos enim crasso sub aere natos tam diuturnum jejunium ferre non posse. Quasi verò, quò subtilior aer est, non eò edaciores homines reddat. Sed non vult, ut opinor, Gallos prætextu crassi aeris jejunare. Legimus non solùm apud Orientales, sed etiam apud Europæos multò longiora jejunia: tamen ex hoc loco aut omnes, aut aliquos per triduum jejunâsse colligi non potest. Tantùm colligitur tunc, cùm hæc Christus dixit, fuisse jejunos; quia dicit, *et dimittere eos jejunos nolo*; consumpserant enim, ut ait Euthymius, quidquid secum attulerant sibi. Quæ sequuntur usque ad

Græcè, *cùm gratias egisset*: simul gratias agebat, et benedicebat.

versum 38, supra exposuimus, c. 14, à versu 15 usque ad 21.

Vers. 39. — In fines. Quidam Græci codices legunt εἰς τὰ ὅρη in montes, parùm emendatè pro τὰ ὅρια in terminos.

Magedan. Marcus, c. 8, 10, dicit venisse in partes *Dalmanutha*. Quam credibile est vitiosam esse lectionem, legendumque, ut hoc loco, *Magedan*, quemadmodùm Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis legit, et ut Augustinus, lib. 2 de Consens. Evang., c. 51, et Beda, Marci 8, testantur plerosque suo tempore codices habuisse. Argumentum nonnullum est, quod *Dalmanutha* alibi in Scripturâ non legatur, nec apud

Vers. 39. — Magedan, aut *Magadan*, Græcè, *Magdala*; ita forte à Syris vocabatur. Marcus, c. 8, ut

CAPUT XVI.

1. Et accesserunt ad eum pharisæi et sadducæi tentantes, et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis.

2. At ille respondens, ait illis : Facto vespere dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum :

3. Et manè : Hodiè tempestas, rutilat enim triste cœlum.

4. Faciem ergo cœli dijudicare nôstis : signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit.

5. Et cùm venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

6. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete à fermento pharisæorum et sadducæorum.

7. At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia panes non accepimus.

8. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis?

9. Nondùm intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot copinos sumpsistis?

10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis?

11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete à fermento pharisæorum et sadducæorum?

12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrinâ pharisæorum et sadducæorum.

13. Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis?

14. At illi dixerunt : Alii, Joannem-Baptistam : alii autem, Eliam : alii verò, Jeremiam, aut unum ex prophetis.

15. Dicit illis Jesus : Vos autem, quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus filius Dei vivi.

17. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

ullum, quod sciam, profanum auctorem reperiatur : Magedan autem, aut, ut Græcè hoc loco est, *Magdala* lib. 1 Reg., c. 17, 20, legamus, quamvis incertum sit utrum unus idemque sit locus. Tamen si legamus *Dalmanutha*, nullam propterea existimandum est esse repugnantiam; nam aut, ut aiunt Augustinus et Beda, sub diverso nomine idem locus significatur; aut, ut alii conjiciunt, alterum regionis, alterum urbis nomen est; aut utrumque urbis, sed utraque urbs vicina erat, ita ut, qui in fines unius veniret, in fines etiam alterius venisse diceretur; sicut supra versu 21, dicitur venisse Christus in partes Tyri et Sidonis.

partes *Dalmanuthæ;* duo erant vici inter Juliadem et Gerasam siti et vicini ultra lacum Genezareth.

CHAPITRE XVI.

1. Alors les pharisiens et les sadducéens vinrent à lui pour le tenter; et ils le prièrent de leur faire voir dans le ciel quelque prodige *qui les assurât qu'il était le Christ et le Messie.*

2. Mais il leur répondit : Le soir vous dites : Il fera beau demain, car le ciel est rouge;

3. Et le matin vous dites : Il y aura aujourd'hui de l'orage, car le ciel est sombre et rougeâtre.

4. Vous savez donc juger les apparences du ciel : et vous ne savez point reconnaître les signes des temps! Cette race corrompue et adultère demande un prodige; et il ne lui en sera point donné d'autre que celui du prophète Jonas. Et, les ayant quittés, il s'en alla.

5. Or ses disciples, étant passés au-delà du lac, avaient oublié de prendre des pains.

6. Et Jésus leur dit : Avez soin de vous garder du levain des pharisiens et des sadducéens.

7. Mais ils pensaient, et disaient entre eux : C'est parce que nous n'avons point pris de pains.

8. Ce que Jésus connaissant, il leur dit : Hommes de peu de foi, pourquoi vous entretenez-vous ensemble de ce que vous n'avez point de pains?

9. Ne comprenez-vous point encore, et ne vous souvient-il point que cinq pains ont suffi pour cinq mille hommes, et combien vous en avez remporté de paniers?

10. Et que sept pains ont suffi pour quatre mille hommes, et combien vous en avez remporté de corbeilles?

11. Comment ne comprenez-vous point que ce n'est pas du pain que je vous ai dit : Gardez-vous du levain des pharisiens et des sadducéens?

12. Alors ils comprirent qu'il ne leur avait pas dit de se garder du levain des pains, mais de la doctrine des pharisiens et des sadducéens.

13. Jésus étant venu aux environs de Césarée de Philippe, interrogea ses disciples, et leur dit : Que disent les hommes qu'est le Fils de l'homme?

14. Ils lui répondirent : Les uns disent Jean-Baptiste; les autres, Elie; les autres, Jérémie ou l'un des prophètes.

15. Jésus leur dit : Et vous, qui dites-vous que je suis?

16. Simon-Pierre prenant la parole lui dit : Vous êtes le Christ, le fils du Dieu vivant.

17. Jésus lui répartit : Vous êtes bienheureux, Simon, fils de Jona; car ce n'est point la chair et le sang qui vous ont révélé ceci, mais mon Père qui est dans le ciel.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

19. Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

20. Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati à senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere.

22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens : Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.

23. Qui conversus, dixit Petro : Vade post me, Satana : scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

24. Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?

27. Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

28. Amen dico vobis : Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

18. Et moi je vous dis que vous êtes Pierre, et que sur cette pierre je bâtirai mon Eglise; et les portes de l'enfer ne prévaudront point contre elle.

19. Et je vous donnerai les clefs du royaume des cieux; et tout ce que vous lierez sur la terre sera aussi lié dans le ciel, et tout ce que vous délierez sur la terre sera aussi délié dans le ciel.

20. Alors il défendit à ses disciples de dire à personne qu'il fût Jésus-Christ.

21. Dès lors Jésus commença à découvrir à ses disciples, qu'il fallait qu'il allât à Jérusalem, qu'il y souffrît beaucoup de la part des sénateurs, des princes des prêtres, et des docteurs de la loi; qu'il y fût mis à mort, et qu'il ressuscitât le troisième jour.

22. Et Pierre l'ayant tiré à part, commença de le reprendre, en lui disant : Ah, Seigneur, que cela soit loin de vous! Il ne vous arrivera rien de tel.

23. Mais Jésus se retournant, dit à Pierre : Retirez-vous de moi, Satan; vous m'êtes un sujet de scandale, parce que vous ne goûtez point les choses de Dieu, mais celles des hommes.

24. Alors Jésus dit à ses disciples : Si quelqu'un veut venir après moi, qu'il renonce à lui-même, qu'il se charge de sa croix, et qu'il me suive.

25. Car celui qui voudra sauver sa vie la perdra; et celui qui perdra sa vie pour l'amour de moi la retrouvera.

26. En effet, que sert à un homme de gagner tout le monde, et de perdre son âme? ou par quel échange pourra-t-il la racheter?

27. Car le Fils de l'homme doit venir dans la gloire de son Père avec ses anges, et alors il rendra à chacun selon ses œuvres.

28. Je vous dis en vérité, il y en a quelques-uns de ceux qui sont ici qui ne mourront point qu'ils n'aient vu le Fils de l'homme venir en son règne.

COMMENTARIA.

Tres primos versus hujus capitis, aut etiam quatuor indicat Hieronymus in plerisque codicibus non haberi. Omnes tamen et Græci et Latini auctores legunt, et apud Marcum, c. 8, 11, leguntur; nec verosimile est utroque in loco additos fuisse. Potest aliquem movere, quòd, c. 12, 38, eadem jam evangelista narrásset. Sed nihil vetat sæpè scribas et Pharisæos non eosdem, sed aliàs alios eadem interrogâsse. Præterquàm quòd illic scribæ et Pharisæi; hic Pharisæi et Sadducæi interrogâsse dicuntur, et illic non eâ de causâ Christum convenisse, sed in mediâ cum Christo disputatione respondisse : *Volumus à te signum videre*; hic accessisse dicuntur, quasi eam ob causam ad Christum venerint, ut signum ab eo de cœlo peterent.

Vers. 1. — Pharisæi et Sadducæi. De Pharisæorum et Sadducæorum sectis, c. 3, 7, disputavimus. Notandum hic tantùm est quomodò duæ maximè contrariæ hæreticorum sectæ Pharisæi et Sadducæi inter

Vers. 1. — Tentantes, ut periculum facerent potentiæ ejus, et eum calumniarentur si id quod petebant non efficeret.

se conveniant, ut Christum impugnent. Pharisæi enim et Sadducæi immortales inter se inimicitias gerebant, ut non modò ex Josepho, sed etiam ex Lucâ, Act. 23, 6, intelligitur. Sic olim Pilatus et Herodes, cùm inimici essent, ut Christum irriderent, amici facti sunt, Luc. 23, 12. Sic nunc Lutherani et Calvinistæ hæretici maximè inter se contrarii adversùs Ecclesiam catholicam, id est, corpus Christi conspirare solent. *Semper enim Christus*, ut ait Tertullianus, *inter duos latrones crucifigitur.*

Ut signum de cœlo ostenderet eis. Hæc exposuimus c. 12, 38.

Vers. 2. — Facto vespere. Quia signum de cœlo petierant, ex cœlestibus signis probat non debere eos de cœlo signum petere. Vespertinum ruborem serenitatis, matutinum pluviæ signum esse longa experientia omnes homines docuit, nec opus est de eâ re longiùs philosophari.

Vers. 3. — Faciem ergo cœli. Græcè legitur : *Hypocritæ, faciem cœli cognoscitis*, quod et Lucas legit c. 12, 54. Vocat autem hypocritas hoc loco, ut ait Euthymius, quia sapientes videri volebant, cùm essent

versum 38, supra exposuimus, c. 14, à versu 15 usque ad 21.

Vers. 39. — In fines. Quidam Græci codices legunt εἰς τὰ ὅρη in montes, parùm emendatè pro τὰ ὅρια in terminos.

Magedan. Marcus, c. 8, 10, dicit venisse in partes *Dalmanutha*. Quam credibile est vitiosam esse lectionem, legendumque, ut hoc loco, *Magedan*, quemadmodùm Hieronymus in lib. de Locis Hebraicis legit, et ut Augustinus, lib. 2 de Consens. Evang., c. 51, et Beda, Marci 8, testantur plerosque suo tempore codices habuisse. Argumentum nonnullum est, quod *Dalmanutha* alibi in Scripturâ non legatur, nec apud

Vers. 39. — Magedan, aut *Magadan*, Græcè, *Magdala*; ita forte à Syris vocabatur. Marcus, c. 8, ut

CAPUT XVI.

1. Et accesserunt ad eum pharisæi et sadducæi tentantes, et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis.

2. At ille respondens, ait illis : Facto vespere dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cœlum :

3. Et manè : Hodiè tempestas, rutilat enim triste cœlum.

4. Faciem ergo cœli dijudicare nôstis : signa autem temporum non potestis scire? Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit.

5. Et cùm venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

6. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete à fermento pharisæorum et sadducæorum.

7. At illi cogitabant intra se, dicentes : Quia panes non accepimus.

8. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis?

9. Nondùm intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot copinos sumpsistis?

10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis?

11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete à fermento pharisæorum et sadducæorum?

12. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrinâ pharisæorum et sadducæorum.

13. Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis?

14. At illi dixerunt : Alii, Joannem-Baptistam : alii autem, Eliam : alii verò, Jeremiam, aut unum ex prophetis.

15. Dicit illis Jesus : Vos autem, quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus, dixit : Tu es Christus filius Dei vivi.

17. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.

ullum, quod sciam, profanum auctorem reperiatur : Magedan autem, aut, ut Græcè hoc loco est, *Magdala* lib. 1 Reg., c. 17, 20, legamus, quamvis incertum sit utrum unus idemque sit locus. Tamen si legamus *Dalmanutha*, nullam propterea existimandum est esse repugnantiam; nam aut, ut aiunt Augustinus et Beda, sub diverso nomine idem locus significatur; aut, ut alii conjiciunt, alterum regionis, alterum urbis nomen est; aut utrumque urbis, sed utraque urbs vicina erat, ita ut, qui in fines unius veniret, in fines etiam alterius venisse diceretur; sicut supra versu 21, dicitur venisse Christus in partes Tyri et Sidonis.

partes *Dalmanuthæ;* duo erant vici inter Juliadem et Gerasam siti et vicini ultra lacum Genezareth.

CHAPITRE XVI.

1. Alors les pharisiens et les sadducéens vinrent à lui pour le tenter; et ils le prièrent de leur faire voir dans le ciel quelque prodige *qui les assurât qu'il était le Christ et le Messie.*

2. Mais il leur répondit : Le soir vous dites : Il fera beau demain, car le ciel est rouge;

3. Et le matin vous dites : Il y aura aujourd'hui de l'orage, car le ciel est sombre et rougeâtre.

4. Vous savez donc juger les apparences du ciel : et vous ne savez point reconnaître les signes des temps! Cette race corrompue et adultère demande un prodige; et il ne lui en sera point donné d'autre que celui du prophète Jonas. Et, les ayant quittés, il s'en alla.

5. Or ses disciples, étant passés au-delà du lac, avaient oublié de prendre des pains.

6. Et Jésus leur dit : Avez soin de vous garder du levain des pharisiens et des sadducéens.

7. Mais ils pensaient, et disaient entre eux : C'est parce que nous n'avons point pris de pains.

8. Ce que Jésus connaissant, il leur dit : Hommes de peu de foi, pourquoi vous entretenez-vous ensemble de ce que vous n'avez point de pains?

9. Ne comprenez-vous point encore, et ne vous souvient-il point que cinq pains ont suffi pour cinq mille hommes, et combien vous en avez remporté de paniers?

10. Et que sept pains ont suffi pour quatre mille hommes, et combien vous en avez remporté de corbeilles?

11. Comment ne comprenez-vous point que ce n'est pas du pain que je vous ai dit : Gardez-vous du levain des pharisiens et des sadducéens?

12. Alors ils comprirent qu'il ne leur avait pas dit de se garder du levain des pains, mais de la doctrine des pharisiens et des sadducéens.

13. Jésus étant venu aux environs de Césarée de Philippe, interrogea ses disciples, et leur dit : Que disent les hommes qu'est le Fils de l'homme?

14. Ils lui répondirent : Les uns disent Jean-Baptiste; les autres, Elie; les autres, Jérémie ou l'un des prophètes.

15. Jésus leur dit : Et vous, qui dites-vous que je suis?

16. Simon-Pierre prenant la parole lui dit : Vous êtes le Christ, le fils du Dieu vivant.

17. Jésus lui répartit : Vous êtes bienheureux, Simon, fils de Jona; car ce n'est point la chair et le sang qui vous ont révélé ceci, mais mon Père qui est dans le ciel.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

19. Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

20. Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus.

21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati à senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertiâ die resurgere.

22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens : Absit à te, Domine, non erit tibi hoc.

23. Qui conversus, dixit Petro : Vade post me, Satana : scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

24. Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?

27. Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.

28. Amen dico vobis : Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

18. Et moi je vous dis que vous êtes Pierre, et que sur cette pierre je bâtirai mon Eglise; et les portes de l'enfer ne prévaudront point contre elle.

19. Et je vous donnerai les clefs du royaume des cieux; et tout ce que vous lierez sur la terre sera aussi lié dans le ciel, et tout ce que vous délierez sur la terre sera aussi délié dans le ciel.

20. Alors il défendit à ses disciples de dire à personne qu'il fût Jésus-Christ.

21. Dès lors Jésus commença à découvrir à ses disciples, qu'il fallait qu'il allât à Jérusalem, qu'il y souffrît beaucoup de la part des sénateurs, des princes des prêtres, et des docteurs de la loi; qu'il y fût mis à mort, et qu'il ressuscitât le troisième jour.

22. Et Pierre l'ayant tiré à part, commença de le reprendre, en lui disant : Ah, Seigneur, que cela soit loin de vous! Il ne vous arrivera rien de tel.

23. Mais Jésus se retournant, dit à Pierre : Retirez-vous de moi, Satan; vous m'êtes un sujet de scandale, parce que vous ne goûtez point les choses de Dieu, mais celles des hommes.

24. Alors Jésus dit à ses disciples : Si quelqu'un veut venir après moi, qu'il renonce à lui-même, qu'il se charge de sa croix, et qu'il me suive.

25. Car celui qui voudra sauver sa vie la perdra; et celui qui perdra sa vie pour l'amour de moi la retrouvera.

26. En effet, que sert à un homme de gagner tout le monde, et de perdre son âme? ou par quel échange pourra-t-il la racheter?

27. Car le Fils de l'homme doit venir dans la gloire de son Père avec ses anges, et alors il rendra à chacun selon ses œuvres.

28. Je vous dis en vérité, il y en a quelques-uns de ceux qui sont ici qui ne mourront point qu'ils n'aient vu le Fils de l'homme venir en son règne.

COMMENTARIA.

Tres primos versus hujus capitis, aut etiam quatuor indicat Hieronymus in plerisque codicibus non haberi. Omnes tamen et Græci et Latini auctores legunt, et apud Marcum, c. 8, 11, leguntur; nec verosimile est utroque in loco additos fuisse. Potest aliquem movere, quòd, c. 12, 38, eadem jam evangelista narrásset. Sed nihil vetat sæpè scribas et Pharisæos non eosdem, sed aliàs alios eadem interrogâsse. Præterquàm quòd illic scribæ et Pharisæi; hic Pharisæi et Sadducæi interrogâsse dicuntur, et illic non eâ de causâ Christum convenisse, sed in mediâ cum Christo disputatione respondisse : *Volumus à te signum videre*; hic accessisse dicuntur, quasi eam ob causam ad Christum venerint, ut signum ab eo de cœlo peterent.

Vers. 1. — Pharisæi et Sadducæi. De Pharisæorum et Sadducæorum sectis, c. 3, 7, disputavimus. Notandum hic tantùm est quomodò duæ maximè contrariæ hæreticorum sectæ Pharisæi et Sadducæi inter

Vers. 1. — Tentantes, ut periculum facerent potentiæ ejus, et eum calumniarentur si id quod petebant non efficeret.

se conveniant, ut Christum impugnent. Pharisæi enim et Sadducæi immortales inter se inimicitias gerebant, ut non modò ex Josepho, sed etiam ex Lucâ, Act. 23, 6, intelligitur. Sic olim Pilatus et Herodes, cùm inimici essent, ut Christum irriderent, amici facti sunt, Luc. 23, 12. Sic nunc Lutherani et Calvinistæ hæretici maximè inter se contrarii adversùs Ecclesiam catholicam, id est, corpus Christi conspirare solent. *Semper enim Christus*, ut ait Tertullianus, *inter duos latrones crucifigitur.*

Ut signum de cœlo ostenderet eis. Hæc exposuimus c. 12, 38.

Vers. 2. — Facto vespere. Quia signum de cœlo petierant, ex cœlestibus signis probat non debere eos de cœlo signum petere. Vespertinum ruborem serenitatis, matutinum pluviæ signum esse longa experientia omnes homines docuit, nec opus est de eâ re longiùs philosophari.

Vers. 3. — Faciem ergo cœli. Græcè legitur : *Hypocritæ, faciem cœli cognoscitis*, quod et Lucas legit c. 12, 54. Vocat autem hypocritas hoc loco, ut ait Euthymius, quia sapientes videri volebant, cùm essent

insipientissimi ; quales hodiè sunt Calvinistæ, qui sibi omnium mortalium sapientissimi videntur, cùm omnium, meo judicio, insipientissimi sint. Quæ enim major insipientia, quàm homines, qui Christiani dici viderique volunt, sapientiam meredulitate metiri ! Nos enim, qui simplices, qui tardi, qui fatui et insipientes nabemur, si nihil nisi quod humana ratio persuadet crederemus, sapientissimi apud illos haberemur. Tota hujus loci difficultas in eo est, quâ ratione Christus argumentationem concludat. Quidam sine interrogatione legentes, ut Chrysostomus et Theophylactus, ad hunc modum argumentum explicant : Faciem quidem cœli cognoscere potestis ; signa autem temporum (adventûs mei) cognoscere non potestis ; non enim primus meus adventus ex cœlestibus signis solis ac lunæ, sed ex prophetiis et miraculis, quæ facio, cognosci debet. *Non venit regnum Dei cum observatione, sed regnum Dei intra vos est*, Luc. 17, 20, 21. Alii per interrogationem, ut Hilarius, Hieronymus, Beda et Euthymius : Si faciem cœli cognoscitis, id est, signa serenitatis et pluviæ, quod difficilius est et incertius, quomodò signa temporum adventûs mei, quæ tot prophetiis consignata, tot à me miraculis comprobata sunt, cognoscere nescitis ? Confirmat hanc interpretationem Lucas, c. 12, 56 : *Hypocritæ, faciem cœli et terræ nôstis probare, hoc autem tempus quomodò non probatis?* Nam etsi illic turbis, hìc Phariseis et Sadducæis loquitur, credibile tamen est eodem utrobique modo Christum argumentatum ; à majore scilicet ad minus, quod alii à minore ad majus vocant. Utraque interpretatio probabilis.

Vers. 4. — Generatio. Hæc à nobis, c. 12, 34, explicata sunt.

Vers. 5. — Et cum venissent discipuli ejus. Cùm solverent, ut venirent ; tunc enim cùm proficiscerentur, obliti sunt panes secum accipere. Quærit Hieronymus quomodò oblivisci potuerint, cùm paulò ante, c. 15, 37, septem sportas plenas facto miraculo collegerint ? Respondet eos panes secum tulisse, sed, cùm discederent, oblitos fuisse eos accipere. Vero similius mihi videtur septem illas sportas discipulos, aut suâpte sponte, aut jussu Christi in pauperes distribuisse. Itaque obliti sunt panes accipere, id est, emere. Illud Hieronymo concedere non possum, ea quæ sequuntur in ipso mari inter navigandum accidisse, quia diserte scribit Lucas, c, 12, 1, multis circumstantibus turbis, ita ut sese conculcarent, cœpisse Christum discipulis dicere : *Attendite à fermento Pharisæorum.*

Vers. 4. — Signum non dabitur ei. Signa adventûs mei à prophetis prædicta, ut tempus à Daniele definitum, cap. 9, locum nativitatis à Michæâ designatum, miracula à prophetis omnibus prænuntiata, quæ Christus discipulis Joannis ex Isaiâ, ut signa manifesta suæ missionis protulit. Nisi Jonæ prophetæ, signum illud fuit resurrectio Christi. Duplex signorum genus iis exhibuit, unum Phariseis, alterum Sadducæis ; illis prophetarum oracula, quæ jàm impleri cœperant. Usus est illorum studio in prænuntiandis aeris mutationibus, quo tempus rebus suis faciendis opportunum observabant, cùm interim negligerent, quæ ad

Trans fretum, in Bethsaidam, ut ait Marcus, c. 8, 22.

Vers. 6. — Qui dixit illis. Græcè : *Jesus autem dixit illis.* Noster interpres aut pro, ὁ δὲ Ἰησοῦς legit ὅς, aut antecedens per relativum expressit, quod scepissimè solet in veteri præsertim Testamento facere, ut in Idiomatis observavimus.

Intuemini, ὁράτε, videte. Aliud enim est videre, quàm intueri ; sicut apud Græcos, aliud βλέπειν quàm ὁρᾶν, videt enim aliquando, qui non intuetur, hoc autem sensu Latini videre dicunt, non intueri, id est, animum advertere. Noster interpres catachresi usus est, quâ et Græcè de eâdem re loquens utitur Marcus, c. 8, 15 : Ὁρᾶτε καὶ βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης, *videte et cavete à fermento.*

A fermento. Hilarius et Hieronymus legis observationem fermentum vocari putant. Quod non convenit cùm eo quod postea Christus dicit, c. 23, 2 : *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi ; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite.* Jubet enim Mosis doctrinam observari. Potiùs ergo ea Phariseorum et Sadducæorum doctrina intelligitur, quâ hæretici erant, legemque corrumpebant, et quam, c. 15, 5, 6, Christus reprehenderat. Nam de doctrinâ intelligendum ex vers. 12 perspicuum est. Quanquàm, quod Lucas dicit, c. 12, 1 : *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*, contrarium videri potest. Respondere possumus, quod et Beda videtur indicare, ipsam Phariseorum et Sadducæorum doctrinam hypocrisim appellàsse, quia aliud docebant, aliud faciebant ; aut quia omnis eorum doctrina ad hypocrisim spectabat. Major est quæstio, quo modo Christus hoc loco jubeat ab eorum doctrinâ cavere, cùm, c. 23, 2, doceat facere quæcumque dicunt. — Respondeo illic agere de scribis et Phariseis super cathedram Mosis sedentibus, id est, Mosis legem explicantibus, quod dùm faciunt, ipsis credendum est ; hìc autem non de lege Mosis, sed de proprio eorum fermento, id est, de hæreticâ doctrinâ, à quâ cavere jubet. Nemo tamen colligat audiendos esse hæreticorum magistros, et cùm sacris Litteris consentanea docent, sequendos, cùm sua miscent, refellendos ; quod multi hoc tempore, qui Catholici videri volunt, dicere solent. Illi enim, quibus hoc Christus dicebat, alios tunc præceptores non habebant, et illi ipsi nondùm exauctorati erant ; nondùm tanquàm hæretici declarati. Nunc autem cùm tot catholicos doctores habeamus : cùm Lutherani et Calvinistæ à Deo et Ecclesiâ, tanquàm perniciosissimi hæretici declarati sint, non magis etiam, cùm vera salutem pertinebant. Sadducæis verò, qui negabant resurrectionem corporum, Jonæ figuram in signum resurrectionis suæ dedit.

Vers. 6. — Cavete a fermento Pharisæorum. Hinc occasionem cepit Dominus discipulos admonendi ne prava Phariseorum dogmata admitterent. Ili quidem in suâ origine nihil habebant damnabile, sed sanctioris vitæ institutum profitebantur. Unde Pharisæi quasi à vulgo separati dicebantur : Sed postea traditiones hominum, et vanas observationes induxêre, et per hypocrisim se plebi insinuârunt. Hâc metaphorâ *fermenti* voce Judæi uti solent in malam partem.

dicunt, audiendi sunt, quàm diabolus, cùm Christum Filium Dei esse confitetur. Non magis debet homo catholicus hæreticum, quàm mulier pudica impudicum amatorem etiam honesta loquentem audire.

Pharisæorum et Sadducæorum. Marcus, c. 8, 15, addit, *et Herodis*, aut, ut in aliis codicibus legitur, *Herodianorum*. Unde manifestum est aliquam etiam Herodianorum aut Herodis sectam fuisse. De sectis enim hìc agitur, cùm Sadducæi nominentur, quos certum est hæreticos, aut plus etiam quàm hæreticos fuisse, et ex versu 12 appareat agi de falsâ corruptâque doctrinâ. Uter autem Herodes fuerit ejus sectæ auctor, magnusne ille Antipatri filius, qui ultimus regnavit, an Herodes Antipas ejus filius Galilææ tetrarcha, et quam doctrinam invexerit, incertum est ; nihil enim de eâ re, quod sciam, aut in sacris Litteris, aut in profanis auctoribus legitur. Nisi quòd conjecturâ ex iis quæ de Herode rege Josephus scribit impensè Romanis studente, suspicor eum auctorem hujus fuisse sectæ ; ex gradatione verò ipsâ quâ utitur evangelista, qui Herodem ultimo loco ponit, ejus sectam nihil aliud fuisse quàm meram hypocrisim, quâ se ad omnem religionem regendi causâ accommodabat ; quales nunc sunt quos politicos appellamus, homines aut nullam religionem habentes, aut omnem religionem simulantes. Sed de hâc re, c. 22, 16, plura dicemus.

Vers. 7. — At illi cogitabant, non solùm quomodò Christi verba intelligerentur, sed etiam quid acturi essent, cùm panes non accepissent. Hoc enim est διελογίζοντο, *disceptabant*, id est, consultabant, sollicitique erant. Propterea eos Christus reprehendit, quòd non recordarentur duorum tam insignium miraculorum, quibus paucis panibus paulò ante tot hominum millia sattiaverat.

Vers. 8. — Sciens autem Jesus, eorum cogitationes. Præcedentium miraculorum oblivionem, ut ait Chrysostomus, declarandis ipsorum cogitationibus, id est, novo miraculo illis exprobrat.

Vers. 9. — Quinque panum in quinque millia hominum. Græcè, *quinque illos panes quinque millium* (hominum), id est, qui in quinque millia hominum distributi sunt. Eodem modo versu sequenti :

Vers. 10. — Neque septem panum, et quatuor millium hominum. Græcè : *Neque septem illos panes quatuor millium* (hominum), id est, qui in quatuor hominum millia multiplicati sunt. Noster scilicet interpres sententiam, non verba aut grammaticam vertit.

Vers. 13. — In partes Cæsareæ Philippi. Duas fuisse Cæsareas nemo nescit. Alteram veterem, quæ antea Stratonis turris vocabatur ; ab Herode autem rege amplificata, multisque visendis operibus exornata ad promerendam gratiam Augusti Cæsaris, Cæsarea appellata est, ut auctor est Josephus, lib. 1 de Bello Judaico, c. 16, et lib. 15 Ant., c. 13, et Hieronymus hoc loco. Ea autem, ut iidem auctores docent, ad littus maris Mediterranei inter Doram et Joppem sita erat. Alteram recentiorem in Phœnicià ad radicem montis Libani, unde Jordanis fluvius erumpebat, quæ priùs Paneas dicebatur, quam Philippus Herodis Magni filius, et Trachonitidis regionis tetrarcha, Luc. 3, 1, 2, auctam ornatamque in honorem Tiberii Cæsaris Cæsaream etiam vocari jussit ; postea rex Agrippa, ut Neroni adularetur, Neroniadem appellavit, ut Josephus scribit, lib. 20 Ant., c. 8. Quod in commentariis ad hunc locum Hieronymus dicit nunc Paneadem vocari non est, ut opinor, oblivione dictum historiæ ; sed est vero simile ejus tempore deleto fucato illo et adulatorio nomine Cæsareæ, vetus Paneadis vocabulum recepisse. Cæsarea ergo Philippi dicta est, quia à Philippo Tetrarchâ sic fuerat appellata, et ut ab alterâ Herodis Cæsareâ distingueretur.

Et interrogabat discipulos. Marcus, c. 8, 27, scribit hoc in viâ accidisse, Lucas verò, c. 9, 18, cùm solus esset orans. Euthymius respondet simul iter fecisse et orâsse ; quod ut verum sit, tamen vero simile non est, simul orâsse et discipulos interrogâsse, longumque cum illis sermonem ultrò citròque contulisse. Probabilius quod dicit Augustinus, lib. 2 de Consens. Evangelist., c. 55, in ipsâ viâ antequàm ad locum quò tendebat perveniret, solum in aliquem ad orandum locum à viâ divertisse ; finitâ autem oratione cœpisse pergere, atque tunc discipulos interrogâsse quem se homines esse dicerent. Itaque, quod Lucas ait, cùm solus oraret, ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον κατὰ μόνας, sic interpretatur, postquàm solus orâsset, sicut Hispani eâdem prorsùs phrasi dicunt : *In faciendo orationem*, id est, simul atque orationem fecisset ; potestque hebraismus esse, quo *in* aliquando idem valet, quod *postquàm*, ut Psal. 125, 1 : *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, id est, postquàm convertit, aut cùm convertisset. Fingamus eo loco Latinum interpretem vertisse, *cùm converteret Dominus*, sicut hoc loco similem phrasim ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον κατὰ μόνας, vertit, *cùm esset solus orans*, non dubium esset ex hebraismo, quin deberemus interpretari, *postquàm convertisset* ; ergo et hìc interpretabimur, *postquàm fuisset solus orans*, id est, postquàm solus orâsset.

Quem dicunt. Multi Latini codices et Græci plerique habent : *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Triplex enim lectio reperitur : prima : *Quem dicunt homines esse filium hominis?* secunda : *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* tertia : *Quem me dicunt homines esse?* Primo modo omnes ferè codices Latini et omnes auctores legunt. Secundo modo Epiphanius in Ancorato, Theophylactus, et, ut vide-

Vers. 13. — Cæsareæ, quæ urbs sita est ad radices montis Libani. Syromacedones eam *Paneada* antè appellârunt, à Deo *Pan*, quem in speluncis vicinis colebant. Philippus tetrarcha hanc instauraverat et in honorem Tiberii Cæsaream vocaverat : ut Cæsarea ad mare Mediterraneum posita, quæ ante turris Stratonis dicebatur, ab Herode seniore in honorem Augusti eo nomine fuerat insignita. Interrogabat discipulos suos, non ut disceret quid aliis videretur, sed ut eos doceret quis esset.

tur, etiam Hilarius. Tertio Chrysostomus, hom. 55. Non dubito primam lectionem, quæ vulgaris et communis est, multò esse meliorem; eorumque conjecturam valdè probo, qui existimant primùm ita scriptum fuisse : *Quem dicunt homines esse filium hominis?* aliquem deinde Græcum, ut moneret Christum de se loqui ad marginem apposuisse, *me*, postea aliquem alium correctionem esse putàsse, itaque in contextum transtulisse, cœptumque esse legi : *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Postremò alium, cùm alterutrum redundare judicaret, sustulisse *filium hominis*, quod erat obscurius, reliquisse, *me*, quod erat clarius. Scio quo modo multi, qui utrumque legunt, interpretentur, aut sine interrogatione per appositionem; aut per interrogationem hoc modo : *Quem me dicunt homines esse? filium hominis?* quod utrumque absurdum mihi videtur, secundùm absurdius. Non enim solet se Christus honorifice, sed humiliter filium hominis appellare, nec aliter quàm de se per tertiam personam loquens. Cujus rei tot sunt exempla, quoties se filium hominis appellat. Notanda etiam antithesis. Christus rogat : *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Petros respondet : *Tu es filius Dei vivi.* Unde apparet legendum hoc loco esse, *filium hominis*, ut antithesis constet. Videtur enim Christus datâ operâ contemptissimo vocabulo se *filium hominis* appellàsse, ut discipulorum fidem exploraret, occasionemque præberet illis, quod sentiebant, etiamsi nihil de ipso supra hominem sentirent, liberè dicendi. Quare, quod hæreticus quidam interpres Græcum articulum exprimens vertit : *Quem dicunt homines esse illum filium hominis?* putidum judico. Non enim Christus, ut se Messiam illum à prophetis prædictum, sed contrario prorsùs consilio, ut se maximè abjiceret, et quasi humi prostratus sententiam exciperet, *filium hominis* dixit.

Homines, vulgò, quem hebraismum sæpè jam exposuimus, ut c. 5, 13, et Lucas ipse explicat. Nam quod dicit Matthæus : *Quem dicunt homines esse filium hominis;* ille dicit, c. 9, 18 : *Quem me dicunt esse turbæ?* Nec est contrarium, quòd hic dicat dixisse Christum : *Quem dicunt homines esse filium hominis*, illic verò, *quem me esse dicunt?* Matthæus enim, ut probavimus, verba, Lucas sensum expositionemque recitavit.

Vers. 14. — Alii Joannem Baptistam. Cur alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam esse existimaverint, diximus supra, c. 11, 4, et 14, 2. Quod autem quidam ex Josepho Ben-Gorionis afferunt, ut probent Jeremiam esse venturum, apocryphum est, sicut totus ille auctor fabulosissimus.

Vers. 15. — Vos autem, quem esse dicitis? Manifesta antithesis est, *vos autem*. Putat Hieronymus

Vers. 14. — Alii, etc., ut Herodes cum suis : vivente adhuc Joanne nondùm Jesus erat adeò celebratus et cognitus.

Vers. 16. — Filius Dei vivi, non adoptione, sed generatione, ac Deus de Deo. Petrus de filio hominis interrogatus agnoscit filium hominis esse filium Dei : sic Nestorii hæresim in antecessum destruxit, unum Christum apostolos, tanquàm plusquàm homines hominibus opposuisse. *Prudens*, inquit, *lector, attende quòd ex consequentibus, textuque sermonis apostoli nequaquàm homines, sed dii appellantur. Cùm enim dixisset : « Quem dicunt homines esse filium hominis, » subjecit : « Vos autem, quem me esse dicitis? » Ego non homini*bus tanquàm deos; sed vulgo tanquàm homines non vulgares opponi credo, quod et Chrysostomus indicat : *Vos*, inquit, *qui mecum semper versantes, plura me fecisse vidistis, qui meo nomine complures virtutes ipsi quoque fecistis, quem me esse dicitis?*

Vers. 16. — Respondens Petrus. Cur potiùs Petrus quàm alii responderit, multas rationes veteres auctores afferunt : prima est, quòd Petrus omnium fuerit princeps, ut Chrysostomus ait, hom. 55; secunda, quòd ardentioris fuerit fidei, ut Hilarius et Hieronym. in cap. 14, 28, docuerunt; tertia, quòd quasi os apostolorum fuerit, qui pro omnibus loqui soleat, quemadmodùm D. Chrysost. hoc loco, et D. August. solent appellare; nam et Joan., 6, 68, cùm Christus omnibus discipulis dixisset : *Numquid et vos vultis abire?* Petrus respondit : *Ad quem ibimus? verba æternæ vitæ habes.* An autem in hoc loco pro se tantùm, an pro omnibus responderit, vers. 18 dicemus.

Tu es Filius Dei vivi. Filium Dei vocat naturâ, non adoptione. Adoptione enim omnes confitebantur Filium esse Dei, quandoquidem virum justum et prophetam putabant. Certissimum autem argumentum est, quòd Petrus Christum Filium Dei vivi appellans Joanni, Eliæ, Jeremiæ et prophetis opponat, quos certum est filios Dei fuisse adoptione, Christum ergo non adoptione, sed naturâ Filium Dei appellat. Itaque rectè veteres auctores ex hoc loco Christi divinitatem probaverunt, ut Hilarius in Commentariis, et lib. 6 de Trinitate; et Athanas., sermone 3 contra Arianos, et in Epist. de Sententiâ, Dion. Alexand. contra Arianos.

Vivi. Deum vivum appellat Scripturarum more, ut ab idolis distinguat, quæ res mortuæ sunt, ut Hieronym., Beda, Euthym., annotaverunt. D. Basil. in hom. de Pœnitentiâ legit : *Filium Dei excelsi.* Rectè autem notavit Theophyl. adjectum fuisse articulum Græcum nomini filii, ut significaretur non qualiscumque, sed unicus ille et naturalis Filius.

Vers. 17. — Simon. Ita priùs vocabatur, cap. 10, 2.

Bar-Jona. Bar-Jona dictum est per contractionem pro Bar-Johanna, quod Chaldaicè filium Johannis significat, quemadmodùm Joan. 21, 15, appellatur. Simili contractione usus est Lucas, c. 5, 30.

Quia caro et sanguis. Carnem et sanguinem vocat homines carne et sanguine constantes. Opponit enim homines Deo; *sed Pater meus*, inquit, *qui in cœlis est*,

et eumdem filium hominis et filium Dei professus. Non solùm ut cæteris promptior et fervidior ita respondit, sed ut caput visibile Ecclesiæ destinatum, et sublimius sentiens quàm qui Christum filium Dei antè professi erant, ita respondit.

Vers. 17. — Bar-Jona, filius Joannis : nam Johanna contrahitur in Jona ex usu illorum temporum.

ut ad Galat. 1, 16. Continò non acquievi carni et sanguini; et Joan. 1, 13 : *Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ita solet Scriptura homines carnalia sapientes appellare, et Deo, aut divina sapientibus opponere, ut 1 ad Corinth. 15, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Ita etiam sapientia et prudentia carnis appellatur, Rom. 8, 6, 7.

Vers. 18. — Et ego. Elegans antithesis, Græcè etiam efficacior, σὺ εἶ. *Sed et ego*, dico tibi, quasi dicat : Tu, qui homo es, Filium Dei vivi me esse dixisti; ego verò, qui Filius Dei vivi sum, dico te esse Petrum, id est, vicarium meum, quem Filium Dei esse confessus es. Nam Ecclesiam meam, quæ super me ædificata est, super te etiam, tanquàm super secundarium quoddam fundamentum ædificabo.

Tu es Petrus. Sunt qui putent nondùm antea Petrum vocatum fuisse, sed nomen tantùm illi fuisse promissum, Joan. 1, 42 : *Tu*, inquit, *vocaberis Cephas.* Probabilius tamen, quod lib. 2 de Consens. evang. dicit August., jam inde à principio vocationis suæ sic appellatum, ut Marci 3, 16, et Lucæ 6, 14, manifestum est. Itaque cùm Christus illi dixit, Joan. 1, 42 : *Tu vocaberis Cephas*, nomen illi imposuit, quasi diceret : Deinceps non vocaberis Simon, sed Cephas, id est, Petrus, sicut Deus Abrahamo per futurum etiam loquens nomen imposuit, Genes. 17, 5 : *Nec ultrà*, inquit, *vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.*

Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sunt inter veteres auctores, qui interpretentur, *super hanc petram*, id est, super hanc fidem, aut super hanc fidei confessionem, quâ me Filium Dei vivi esse dixisti, ut Hilar., lib. 6 de Trinitate, et Gregorius Nyssenus in lib. contra Judæos, et Chrysost., hom. 55, in hunc locum, et orat. 2 adversùs Judæos, et Cyrillus Alexandrinus, dial. 4 de Trinitate, auctor Commentariorum in Epistolas D. Pauli, qui Ambrosio tribuuntur, in c. 4 Epistolæ ad Galat. Longiùs etiam à sensu recedens D. August. interpretatur, tract. in Joan. 27 et 124, et serm. 13 de Verbis Domini secundùm Matth. : *Super hanc petram*, id est, super me ipsum, quia petra erat Christus, Corinth.

Vers. 18. — Et super hanc petram. Allusio est ad confessionem Petri, cui hæc velut merces redditur à Christo, quòd sit *Petrus* seu *petra* : hæ quippe voces apud Hebræos et Syros rem eamdem significant. Ego te Petrum, seu petram voco, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* quæ præcedunt et sequuntur, ad Petrum referuntur, tanquàm explicatio quædam nominis à Christo impositi. Dominus confessionem Petri insigni prærogativâ remunerat. Christus quidem est petra solidissima Ecclesiæ, lapis angularis, et fundamentum principale. Sed caput ministeriale, et visibile constituit Petrum, cui potestatis sæ ministerium tradidit, idque meritò fidei tam vivæ, et confessionis adeò gloriosæ illi concessum est, ut ædificium Ecclesiæ visibile, et in omnes ætates duraturum visibili quoque fundamento et firmo superstrueretur, quod ad Petri successores pertineret Christus quidem solus est pastor, solus est fundamentum : Si quidem *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod*

10, 4. Et quia *fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, 1 Corinth. 3, 11. Origenes verò, tract. in Matth., *super hanc petram*, id est, super omnes homines eamdem fidem habentes. Quas interpretationes aliter, quàm præ se ferunt, intelligendas Calvinistæ multò avidiùs quam veritatem amplexi sunt : ne, si Ecclesiam super Petrum ædificatam fuisse fateantur, Romanum pontificem caput, aut fundamentum Ecclesiæ cogantur eâdem ratione confiteri. Cæteros auctores paulò post interpretabimur. Nunc nihil magis à sensu Christi alienum cogitari potuit, quàm ut dicere voluerit super seipsum, aut super aliam rem quàm super Petrum fundaturum Ecclesiam. Primùm, quis non videt pronomen demonstrativum *hanc* positum esse loco relativi, perinde ac si dixisset : Tu es petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam? Petrus enim, et petra idem sunt. Nam quod Calvinus dicit non sine causâ evangelistam orationem variàsse, cùmque dixisset : *Tu es Petrus*, secundo loco non dixisse super Petrum, sed *super hanc petram*, ut aliam petram quàm Petrum significaret, puerile et ridiculum est. Nec enim Matth. Græcè, sed Hebraicè, aut Chaldaicè, et Syriacè lingua, ut in præfatione probavimus, Evangelium scripsit. Quibus linguis ista generis differentia, quæ Græcè et Latinè est inter Petrum et petram, non reperitur, sed uno eodemque nomine sive Hebraicè, sive Syriacè Christus dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quemadmodùm si Latinè Petrus non Petrus, sed petra vocaretur, et Christus dixisset : Tu es petra, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, nemo profectò sanæ mentis intelligere potuisset aliam petram, aut alium hominem, quàm Petrum ipsum demonstrare; super illum ergo Ecclesiam Christus ædificavit. Dubitabit aliquis, cur si non Matthæus, Matthæi tamen Græcus interpres illam nominum, et generis distinctionem adhibuerit. — Respondeo in promptu rationem esse, quia quamvis Græcè petra et πέτρος genere masculino, et πέτρα femininо dicatur, tamen Petrus, quia vir erat non petra femininо, sed Petrus masculino nomine vocandus erat. Secundo autem loco, ubi de ædificii fundamento agebatur, non Petrum, sed petram dixit, quamvis idem utrumque nomen significaret, quia in ejusmodi ædificiis nomen petræ femininum magis est

positum est, quod est Christus, 1 Cor. 3, 11. Sed participatione quâdam ministerii alii sunt postores, et alii fundamenta. Apocal. 21, v. 12. Apostoli dicuntur esse fundamenta novæ civitatis. Particula conjunctiva, uti et pronomen demonstrativum, *hanc*, manifestè ostendunt Christum loqui de Petro. Adversus eam, scilicet Ecclesiam. Qui perversis doctrinis homines infecerunt, ut hæretici, ii portas inferni hominibus in errorem inductis aperiunt : sed stabit semper Ecclesia Petræ firmitate fundata, et conatus omnes diaboli irriti futuri sunt. Quidquid urbis, aut societatis defensioni utile est, id per metaphoram portæ nomen assumere potest. *Qui confregit portas æreas* : per eas quippe partes firmissimæ civitatis designantur. Præcipuus earum usus est, ut apertæ liberum civibus præbeant aditum, et claudantur adversùs hostium impetus. Ecclesiæ perpetuitas his vocibus omninò designatur.

usitatum. Πέτρος enim et Atticum, et rarum est. Præterea cui dubium est Christum his verbis aliquid magnum et singulare tanquàm fidei confessionis præmium Petro concedere, aut promittere voluisse? Quid autem concessisset, si tantùm illi dedisset nomen, ut Petrus vocaretur? Imò ne nomen quidem dedisset; nam, ut paulò ante probavimus, jam Petrus appellabatur: his ergo verbis, *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, significat hanc se illi eximiam, et singularem dignitatem concessurum, ut super eum Ecclesiam suam ædificaret, id est, eum Ecclesiæ caput constitueret, summque in ea vicarium faceret. Deinde ex verbis consequentibus, *et tibi dabo claves regni cœlorum*, perspicuum est hæc etiam verba, de quibus disputamus, ad Petrum pertinere; absurdum enim est tam paucis verbis rerum, aut personarum mutationem fieri. Quemadmodùm ergo dicit: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ita dicit, *super hanc petram*, id est, super te, ædificabo Ecclesiam meam. Idem enim diversis verbis, diversisque metaphoris illi concedit, ut ipsius in Ecclesiâ vicarius sit, quam dignitatem priùs fundamenti, cùm dicit *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, deinde principis, aut capitis in Ecclesiâ suâ, cùm quasi civitatis claves tradidit, metaphora declarat; sicut ipse Christus et fundamentum, et caput Ecclesiæ est, quibus duobus nominibus atque metaphoris non dux, sed una eademque res significatur. Quæret aliquis, cur ergo Christus non apertè, et uno verbo dixit *super te* ædificabo Ecclesiam meam? Responsio est facilis, ne locutionis gratia et energia periret, quæ in eo consistebat, ut cùm de Ecclesiâ Christus, tanquàm de ædificio aliquo ageret, accommodatè ad ædificium loqueretur: non fuisset autem accommodatè locutus, si dixisset, super te ædificabo Ecclesiam meam, quia ædificia non super homines, sed super petras fundari solent: quod et D. Hieronym. admonet. Præterea, si sensus esset *super hanc petram*, id est, super hanc fidem, aut super meipsum *ædificabo Ecclesiam meam*, maximè propter adversatiorum rationem, qui existimant Petrum non pro se tantùm, sed pro omnibus apostolis respondisse: *Tu es Christus filius Dei vivi*, quod fatear nonnullos etiam auctores veteres putasse Chrysostom., Hieronym. hoc loco, et August. sermone decimo tertio de Verbis Domini secundùm Matth. Sed hos auctores paulò post reverenter interpretabimur. Nunc Calvinistarum opinionem refutamus. Si enim pro omnibus Petrus loquebatur, cur non omnibus à Christo dictum est: Beati estis, quia caro et sanguis non revelavit vobis? etc. Cur non omnibus mutata nomina sunt? Cur non omnibus dictum: Vobis dabo claves regni cœlorum? Deindè cùm omnes Christus interrogàsset, cur non omnes responderunt? præsertim cùm paulò ante interrogante eo, quem se homines esse dicerent, non solus Petrus, sed omnes, aut quicumque voluerunt, responderint, alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Hieremiam, aut unum ex prophetis: meliùs ergo omnes alii senserunt auctores Petrum pro se uno respondisse, non quòd alii idem non crederent, ac dicturi etiam fuissent, nisi Petrus prævenisset, sed quòd Petrus majore fide in confessionem primus eruperit. Atque hoc tantùm indicare auctores illi voluerunt, qui dixerunt illum pro omnibus respondisse, quique eum os apostolorum appellaverunt. Ad hæc conveniebat utique, ut quemadmodùm Christus apostolos duodecim ad duodecim patriarcharum similitudinem elegerat; ita unum veluti Abrahamum eligeret, qui propter majorem fidem omnium caput, et ut Abrahamum veteris, ita ille evangelicæ Ecclesiæ fundamentum esset: paria enim in utroque sunt omnia; fide Abrahamus excelluit, et Petrus: nomen Abrahamo, quia pater multarum gentium futurus erat mutatum est, Genesis 17, 5, et Petro, quia omnium Christianorum futurus erat pater et caput. Illa etiam unica ratio, ob quam hæretici Ecclesiam super Petrum fundatam fuisse negant, quòd non potuerit aliud fundamentum poni *præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, 1 Cor. 3, 11, falsa omninò est. Nam idem D. Paulus ad Ephes. 2, 20; apostolos et prophetas Ecclesiæ fundamentum appellat *superædificati*, inquit, *super fundamentum apostolorum et prophetarum*. Nam quòd fidem hæretici exponunt, *super fundamentum apostolorum, et prophetarum*, id est, super eorum fidem atque doctrinam, perversa omninò interpretatio est. Addit enim Apostolus, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Quibus verbis significat in Ecclesiâ, sicut in cæterorum ædificiorum fundamentis multos esse lapides: primum et maximum, atque angularem Christum, quo alii omnes imitantur; secundarios verò apostolos et prophetas, qui et ipsi quidem super primum fundati sint: sed tamen aliorum Christianorum sunt fundamentum, quod D. Joan. in Apocalypsi, cap. 21, 14, disertis verbis, et nullam jam hæreticorum interpretationem recipientibus explicavit; *et murus*, inquit, *civitatis* (de Ecclesiâ loquens) *habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum agni*. Cur ergo D. Paulus non potiùs dixit nos super Christum, quàm super apostolos et prophetas ædificatos? Promptum est respondere, quia nos longiùs à Christo, quàm ab apostolis et prophetis in Ecclesiæ ædificio positi sumus. Christus enim primo loco primus lapis, et angularis: super Christum apostoli et prophetæ: super apostolos et prophetas nos ædificati sumus. Denique super ipsum Petrum Ecclesiam ædificatam fuisse omnes prorsus, præter hæreticos, veteres auctores docuerunt. Quorum sententias etsi alii diligenter investigatas retulerunt, tamen quia res est hoc tempore maximi momenti, non præteribo, locos solùm indicabo, verba ipsa si quis desideraverit, apud auctores leget. Ita ergo Clemens Romanus in epistolâ ad Jacobum; ita Hippolytus in libro de Consummatione mundi; ita Dionysius in epistolâ ad Timotheum; ita Tertull. in libro de Præscriptionibus, et in libro de Pudicitiâ; ita Cyprianus in epist. ad Jubaianum, et in epist. ad Cornelium; ita Origenes, homil. 5 in Exodum; ita Epiphanius in Anchorato; ita Gregorius Nazianz. in orat. de

Moderatione in disputationibus servandâ; ita Basilius in hom. de Pœnitentiâ, et lib. 2 adversùs Eunomium; ita Ambrosius, sermone 47 de Fide Petri, et serm. 68 de Natali Petri et Pauli, et in hymno, qui in Ecclesiâ decantatur:

Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente culpam diluit,

quem hymnum à D. Ambrosio fuisse compositum testatur August. lib. Hieron. in epist. ad Marcellam adversùs Montanum, et lib. 1 contra Jovinianum; ita auctor Commentarior. in epist. D. Pauli, qui vulgò Ambrosio tribuuntur, ad Galat. 2; ita Leo, serm. 2 de Petro et Paulo, et in epist. ad episcopum Viennensem, et in epist. ad Geminianum; ita totum Calcedonense concilium; ita Juvencus; ita Psellus apud Theodoretum, lib. 3 in Cantica; ita denique illi ipsi auctores senserunt, qui contra sensisse perhibentur. Nam idem Hilarius, eodem lib. 6 de Trinitate, ubi dicit Christum super fidem Petri Ecclesiam ædificàsse, his verbis scribit: *Et post sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesiæ subjacens, et claves regni cœlestis accipiens*. Et in Commentariis in Psal. 131: *Tanta*, inquit, *ei religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni janitorem, et in terreno judicio judicem cœli Satanæ comitio nuncuparet*; et canone 16 in Matth.: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret*; et Chrysost., homil. 2 in psal. 50: *Audi denique, quid Petro dixerit Christus columnæ, et fundamento fidei, qui ob robur confessionis vocatus est Petrus dicente Domino: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; et Cyrillus, lib. 2 in Joan., cap. 12: *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, vocabulo ipso communè significans, quòd in eo tanquàm in petrâ, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam*; et August., serm. 49 de Verbis Domini secundùm Joannem, *dicit*, inquit, *Petro, in quo uno format Ecclesiam: Petre, amas me*, et lib. 1 Retractationum, cap. 21, aliorum auctorum, qui Ecclesiam super Petrum fundatam dixerant sententiam non improbat. Ex quo apparet hos auctores, qui *super hanc petram*, id est, super hanc fidem exponendum esse dixerant, aliter quàm hæretici intelligunt, interpretandos esse. Commodissima autem interpretatio mihi videtur, si dicamus eos dicere voluisse super fidem, et confessionem Petri Ecclesiam ædificatam, id est, super Petrum propter fidem et confessionem quemadmodùm et omnes alii censerunt auctores. Hujusmodi enim phrasibus vulgò etiam utimur, ut dicamus in unius hominis fide fundatam esse rempub., id est, in uno homine propter ipsius fidem. Quemadmodùm D. Ambrosius, in lib. de Resurrectionis fide dixit super aquas non Petri corpus, sed fidem ambulàsse; quia non corpus, sed fides effecit, ut super aquas ambularet. Certè ex ipsorum verbis manifestum est eos, quod nunc hæretici negant, negare noluisse Petrum esse fundamentum Ecclesiæ. Dicet aliquis, si omnes alii non solùm apostoli, sed etiam prophetæ, ut ait D. Paulus, fundamentum Ecclesiæ sunt, quid his verbis singulariter Petro concessum est: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. — Resp. hoc illi concessum esse, ut inter omnes prophetas et apostolos primùm post Christum Ecclesiæ fundamentum sit, et locum illius absentis teneat. Nam his verbis aliquid uni Petro singulare concessum esse satis à nobis supèrà probatum est. Cùm autem alii etiam fundamentum sint, nihil aliud concedi potuit, quàm ut secundus post Christum fundamenti lapis esset, et eo modo, quo Christus, id est, ita ut in eo non una tantùm pars, sed tota Ecclesia niteretur. Hoc interest, quòd Christus suâ, Petrus Christi virtute fundamentum est; et Christus nullo alio, Petrus verò alio, id est, Christo nititur fundamento.

Ecclesiam meam. Ecclesiam Christus suam vocat indicans sè Deum esse, et Dominum Ecclesiæ, ut rectè Theophylactus annotavit.

Et portæ inferi. Per portas inferi omnem diaboli potentiam significari dubium non est; illud verò dubium quare per portas potentia significetur; et quare non proprio nomine potentiam, sed metaphoricè portas Christos appellaverit, utrumque facilè conficitur. Loquebatur de Ecclesiâ, tanquàm de civitate aliquâ Christus. Solent autem munitissima pars urbium esse portæ, ut Psal. 147, 13: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te*; et quia urbes plerumque per portas expugnari consueverunt, ut Genes. 22, 17, et 24, 60: *Et possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, id est, hostium suorum urbes expugnabit; et Judicum, 5, 8: *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit*; et 3 Reg. 8, 37: *Si afflixerit eum inimicus ejus portas obsidendo*. Propterea ergo diaboli potentiam, non potentiam, sed portas inferi appellavit. At *cur inferi* dixit, et non potiùs diaboli, qui Ecclesiæ hostis est, sicut Moyses dixit *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*? Id etiam facile, quia sicut de Ecclesiâ, ita etiam de inferno, ubi diabolus dominatur, tanquàm de urbe aliquâ loquitur, sicut Psal. 106, 16: *Qui contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit*. Hæc enim duæ illæ sunt civitates, altera Dei, diaboli altera, de quibus D. Augustinus suos scripsit libros.

Non prævalebunt, οὐ κατισχύσουσι, id est, non vincent, aut non superabunt. Quorum verborum sensus non videtur mihi esse, quem omnes, præter Hilarium, quos legisse memini, auctores putant. Omnes enim existimant sensum esse fore ut diaboli potentia Ecclesiam quidem exerceat, nunquàm verò vincat, nunquàm opprimat. Quæ sententia, etsi vera est, tamen est parva, et locum, ac verba Christi non implet. Majus enim quiddam videtur Christus significare voluisse. Nec enim solent portæ vincere, sed resistere; itaque non potuit offendendi, sed defendendi vis per portas significari. Sensus igitur, nisi fallor, est fore ut Ecclesia super petram à Christo fundata omnem diaboli potentiam expugnet, ita ut nullâ arte, nullis

viribus possit resistere. Hoc enim multò majus est, et verbis magis consentaneum : portas enim inferi non prævaluturas adversùs Ecclesiam Hebraica phrasis est; *poterunt adversùs illam*, id est, non poterunt illi resistere. Hunc sensum Hilarium secutum apparet, *quæ* (Ecclesia scilicet) *infernas leges, et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret.* Veteres auctores per portas inferi, id est, diaboli potentiam, alii hæreses, ut Epiphanius in Anchorato; alii vitia, ut Ambrosius in libro de Bono mortis, cap. 12, et in Commentariis in cap. 9 Lucæ; alii utrumque, ut Origenes, tract. 1 in Matth., Hieronymus et Beda; alii blasphemias hæreticorum, et eorum adversùs Ecclesiam persecutiones, ut Euthymius; alii omnes Ecclesiæ persecutiones, ut Theophylactus, intelligunt. Præstat non restringere sententiam, sed generaliter omnem diaboli potentiam interpretari.

Adversus illam. Origenes, tractatu 1 in Matth., et Chrysostomus, hom. 55, putant relativum vel ad petram, vel ad Ecclesiam referri posse; sed non dubito, quin ad Ecclesiam referatur, quod et iidem auctores probabilius, et alii omnes verum putant; quanquàm propterea significat Christus portas inferi adversùs Ecclesiam non prævaluras, quia supra petram ædificata est, sicut supra, cap. 7, 24, 25, dixit: *Omnis, qui audit verba hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram.* Nisi quòd illic significatur domum illam pluviæ, fluminibus et ventis restitisse; hic verò Ecclesiam non solùm inferno restituram, sed illum etiam expugnaturam esse, quia super firmam petram fundata est. Agitur enim de Ecclesiâ et inferno, tanquàm de duabus, ut jam monuimus, urbibus, aut arcibus inter se vicinis, atque pugnantibus; quarum, quæ meliùs fundata est atque munita, alteram expugnat.

Vers. 19. — Et tibi dabo claves. Clavis per metaphoram appellatur potestas aperiendi, atque claudendi regni cœlorum, ut Lucæ 11, 52 : *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis.* Quam potestatem alia statim metaphora ligandi, atque solvendi declarat. In quo autem hæc potestas consistat, de eo inter nos, et novos hæreticos Lutheranos, et Calvinistas hoc tempore disputatur. Illi enim non aliâ ratione homines cœlum aperire, ligare, et solvere; peccata aut remittere, aut retinere putant, quàm docendo, aut remissa jam esse, aut fore, ut, si quis Evangelio crediderit, illi remittantur. Nova, inaudita, et prorsùs absurda sententia. Isto enim modo nihil aliud Christus Petro concessis clavibus regni cœlorum dedit, quàm quod ante illum Scribæ, et Pharisæi etiam habebant, cap. 23, 2 : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite;* et Lucæ 11, 52 : *Væ vobis, qui tulistis clavem scientiæ.* At jam satis à nobis probatum est Christum non solùm plus, quàm Scribis et Pharisæis; sed plus etiam, quàm cæteris apostolis Petro dare voluisse; aliquid ergo per clavium potestatem supra docendi potestatem significatur. Præterea docendi potestatem non solis Christus apostolis, sed Septuaginta etiam duobus discipulis dedit in c. 10 Luc., vers. 1; claves autem, et ligandi, atque solvendi potestatem solis apostolis : non ergo eadem est clavium, ligandi, et solvendi, quæ docendi potestas. Præterea docendi potestatem jam Christus apostolis dederat, cap. 10, 7. Clavium autem et ligandi, solvendique potestatem non dederat; non est igitur eadem. Nam quod Calvinus dicit isto loco non dedisse Christum apostolis generalem ubique, sed specialem ad tempus in solis Judæorum urbibus docendi potestatem; et falsum est, et, si verum esset, nihil efficeret. Jam enim eo loco probavimus generalem docendi facultatem etiam tunc apostolis fuisse concessam, sed usum ad tempus fuisse restrictum, ne in viam gentium abirent, quia non conveniebat priùs gentibus Evangelium, quàm Judæis, quibus promissum fuerat, prædicari. Et ut fingamus specialem tantùm potestatem illis datam fuisse, quid ad præsentem quæstionem? Certè si idem est docere, atque remittere peccata, ubicumque, et quandocumque docere poterant, poterant et peccata remittere; at videmus potestatem illis docendi tunc datam fuisse, potestatem verò remittendi peccata datam non fuisse; distincta igitur potestas est. Videmus etiam hoc loco, ubi claves conceduntur; et ligandi, atque solvendi peccata facultas datur, nullam de docendo mentionem fieri : contra verò, cap. 28, 19, et Marci 16, 15, ubi jubentur apostoli omni creaturæ Evangelium prædicare, nullam mentionem de clavibus, nullam de ligando, et solvendo factam esse. Nam, quod Joannes ait, cap. 20, 22, 23, Christum, cùm apostolos mitteret, dixisse : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etsi sub idem dictum est tempus, non tanquàm idem dictum est : propterea enim, ut alia multa, Joannes, tanquàm ab aliis prætermissa evangelistis commemorat. Illud etiam non minimum est argumentum, quòd potestatem remittendi peccata aliâ Christus cæremoniâ, quàm docendi potestatem apostolis dederit. Nam cùm potestatem peccata remittendi dedit, dicitur in apostolos insufflâsse, dixisseque : *Accipite Spiritum sanctum.* Cùm autem docendi facultatem dedit, neque insufflâsse, neque Spiritum sanctum dedisse dicitur : diversa igitur docendi, atque peccata remittendi potestas est. Ad hæc, si non aliter homines hominibus peccata remittunt, quicumque alium docebit, etiamsi mulier

Vers. 19. — Tibi dabo claves. Non solum remittendi peccata potestatem, quæ communis fuit omnibus apostolis, sed primatum in Ecclesiæ regimine, qui ad successores Petri pertinet, ut firmum sit ac stabile illud regimen. Et quodcunque ligaveris, aliâ utique metaphorâ quâ excellentiam illius potestatis declarat. Vincula sunt peccata quæ remittuntur, pœnæ satisfactoriæ injunctio, aut relaxatio legitima, leges et præcepta quæ fideles obligant.

sit, peccata remittet, quod et inauditum, et absurdissimum est. Præterea si docere est solvere, id est, peccata remittere, non docere erit ligare, id est, peccata retinere. Itaque omnes homines, qui non docent, ligandi, id est, peccata retinendi potestatem habent. Quo quid absurdius? Præterea, si docere esset solvere, et non docere ligare, non dedisset Christus apostolis ligandi potestatem, cùm eos jusserit docere omnem creaturam, id est (si istorum sententia vera est), omnes homines solvere, neminem ligare. Quorsùm igitur ligandi potestas, si nemo ligandus erat? sequitur etiam ex istorum sententiâ Christi falsam esse sententiam. Nam si solvere est docere, non quæcumque apostoli solverunt super terram, soluta fuerunt et in cœlo; quot enim homines benè docuerunt, quibus non credentibus peccata in cœlo soluta non sunt? Imò quot etiam crediderunt, et benè docti, benèque credentes damnati sunt? Scio aliam esse istorum hæresim, neminem benè credentem damnari posse; sed istud monstrum alio loco debellabimus. Denique quos in Scripturâ ligatos fuisse legimus, nec docendo, necnon docendo ligati sunt. Ligavit Paulus Corinthium illum, 1 cor. 5, 5. Ligavit hæreticos illos, 1 Tim. 1, 20, non docendo, sed Satanæ tradendo, cùm benè ante docuisset; sicut nunc ipsos hæreticos, quibuscum disputamus, Ecclesia Catholica excommunicando, id est, Satanæ tradendo ligat. Exempla verò ligandi, quæ Calvinus proponit, risum mihi legenti movent : Paulus, inquit, et Barnabas Judæos ligaverunt, Actorum 13, 46, cùm dixerunt : *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Et Actorum 18, 6, cùm prædicante D. Paulo Judæi, qui Corinthi erant, credere noluissent : *Contradicentibus*, inquit, *eis, et blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos : Sanguis vester super caput vestrum, mundus ego ex hoc ad gentes vado.* Quis enim istas non rideat ineptias? scilicet D. Paulus excutiendo vestem homines ligavit. Fallor, nisi cùm Christus apostolos jussit in eos, qui se non recepissent, pulverem etiam pedum suorum excutere, ex Calvini sententiâ ligandi illis dedit potestatem. Si aliquid argumentum non esset, suâ iste error novitate refelleretur. Cui enim antequàm isti nascerentur, aut potiùs hæretici fierent, venerat in mentem? Fuerunt Novatiani hæretici istorum similes, qui clavium potestatem Ecclesiæ non datam negarent; sed ad certorum tantùm peccatorum remissionem restringerent; argumentabantur, ut ait Ambrosius, libro de Pœnitentiâ, cap. 2, non posse hominem peccata remittere; sed tam subtiles non fuerunt, ut istam Calvinistarum rationem, quâ non apostoli tantùm; sed omnes etiam mulieres in religione mediocriter institutæ facilè peccata remittant, excogitarent. Quomodò senserint omnes, qui post Christum fuerunt, Catholici auctores, peccata per claves Ecclesiæ remitti, prolatis eorum testimoniis explicandum esset, si quis eorum aliter quàm per Pœnitentiæ sacramentum id fieri dixisset; sed ubi nemo contradicit, opus non est testibus. Verba tantùm Tertulliani, lib. de Pœnitentiâ ponam; *Præsbyteris advolvi et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere; hæc omnia exomologesis, ut pœnitentiam commendet, de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* Hâc ratione, non docendo peccata remittebantur. Ponam et Cypriani in sermone de Lapsis : *Confiteantur singuli, quæso, fratres, delictum suum, dùm adhuc, qui deliquit in seculo est, dùm admitti ejus confessio potest, dùm satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud hominem grata est*; et alio loco reprehendens eos, qui cùm publica peccata commisissent, confessi non erant : *Quantò*, inquit, *et fide majores, et timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli scelere constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitârunt, hoc ipsum apud sacerdotes dolenter, et simpliciter confitentur.* Itaque confessione, et pœnitentiâ, non doctrinâ, peccata remittuntur. Hactenùs unus est hæreticorum de hoc loco error refutatus. Secundus est, quòd negent aliquid his verbis Petro datum esse, quòd non omnibus pariter apostolis datum sit; id nunc refutandum est, non de illis disputando verbis *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, de quibus satis supra disputavimus, probavimusque; hoc singulariter fuisse Petro concessum, ut Ecclesia super illum ædificaretur. De his verbis nunc agimus *tibi dabo claves regni cœlorum.* Quibus ego verbis, contra hæreticorum, et nonnullorum Catholicorum opinionem, Ecclesiæ principatum Petro datum esse contendo, non quòd Catholici illi datum negent sed quòd non hic, sed illis præcedentibus verbis *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, datum putent : claves verò non singulariter Petro, sed omnibus communiter apostolis fuisse collatas. Ego verò, ut jamdiù in theologicis scholis docuisse memini, utriusque verbis eumdem arbitror Ecclesiæ principatum Petro fuisse concessum. Primùm enim hoc phrasis significat. Solent enim domûs, aut urbis claves penes eum esse, qui in domo, vel civitate princeps est. Itaque per claves in Scripturâ principatus significatur, ut apud Isaiam, cap. 22, 22 : *Et dabo clavem domûs David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat*, id est, supremam illi in regno David potestatem dabo. Super humerum autem dixit, cùm claves non super humerum, sed in zonâ gestari soleant, duas, ut sæpè in Scripturâ fieri solet, confundens metaphoras idem significantes; alteram clavium, alteram sceptri, quarum utraque summum declarat imperium : quia ergo sceptrum super humerum gestari solet, dixit se claves domûs David super humerum ejus positurum, sicut apud eumdem Isaiam, c. 9, 6, cujus *principatus super humerum ejus.* Eodem sensu dicitur Christus, Apocal. 1, 18, habere claves mortis et inferni, id est, dominus esse vitæ et mortis, et c. 3, 7, habere clavem David, qui aperiat et nemo claudat; qui claudat et nemo aperiat. Hoc igitur sensu claves

Petro datæ sunt, id est, suprema secundùm Christum in Ecclesiâ potestas, ut claudat et nemo aperiat; aperiat et nemo claudat; id est, ut quæ solverit, nemo ligare; quæ ligaverit, nemo solvere possit. Unde potestas Romani Pontificis ad reservandos, quos vocant, casus efficacissimè probatur. Id etiam inde colligo, quòd soli Petro hoc loco dicatur, *tibi dabo claves regni cælorum*, et ita dicatur, tanquàm aliis dandæ non essent, quia solus respondit: *Tu es filius Dei vivi*, sicut soli dictum est: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Diversis enim metaphoris alterâ fundamenti, alterâ clavium unus idemque principatus significatur, et una alterius explicatio est. Non nego cæteros apostolos suas etiam claves, id est, ligandi, solvendique potestatem habuisse, quemadmodùm omnes veteres auctores docent, dicentes, claves omnibus datas fuisse; sed nego has, de quibus hic agitur, claves habuisse, et nego eas, quas habuerunt, quasque omnes semper Catholici verè quidem, sed alio tamen sensu claves appellarunt, in sacris usquàm literis claves vocari. Firmissimum etiam est argumentum, quod cùm Christus aliis apostolis infra, cap. 18, 18, et Joan. 20, 23, ligandi, solvendique potestatem dedit, nullam de clavibus mentionem fecit. Solus ergo Petrus eas claves habuit, quibus ita aperiebatur, ut nemo claudaret; ita claudebatur, ut nemo aperiret; sicut in domo etiamsi aut omnes, aut multi suas habeant claves, solus tamen dominus et domi omnes, et secretas habet, quibus cùm vult, ita claudit, ut nemo aperire; ita aperit, ut nemo possit claudere. Notavit hoc ipsum Origenes, tract. in Matth. 1. Sed veram, solidamque sententiam nimis subtiliter probando perdidit. Ait enim plus Petro, quàm cæteris apostolis concessum fuisse. Hoc benè probat, quia cæteris apostolis dictum est: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*. Petro verò: *Quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis*, quasi Petrus in omnibus cœlis, alii apostoli in uno solvendi potestatem acceperint. Hoc nimis subtiliter. Tertius Calvinistarum hoc loco error est, hanc potestatem, quæ Petro data est, ejus successoribus non item datam esse. Itaque quamvis concedatur Petrum Ecclesiæ principatum habuisse, inde tamen probari non posse eumdem principatum ejus habere successores, et quidem id ipsum, in lib. de Pudicitiâ, Tertullianus dicere videtur, hanc potestatem soli Petro *personaliter*, ut ejus utar verbo, fuisse concessam. Sed benè est, quòd id Tertullianus non Catholicus, sed hæreticus dixit, cùm jam ab Ecclesiâ ad Montanistarum castra transfugisset. Admonet enim Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, librum illum de Pudicitiâ à Tertulliano adversùs Ecclesiam fuisse conscriptum: confirmat ergo magnoperè opinionem nostram, quòd nemo id unquàm, nisi hæreticus, id est, Calvinistarum similis, dixerit. Nam et Montanistæ Calvinistarum in hoc similes erant, quòd et illi se Spiritum sanctum habere faterentur, ut ex eodem Tertulliani libro satis apparet. Probavimus idem per claves, et per petram, super quam Ecclesiam Christus ædificavit, significari. Quis tam sit amens, ut credat Christum Ecclesiam immortalem super mortalem hominem ædificâsse, quo mortuo Ecclesiam corruere necesse esset? Non ergo super solum Petrum, sed super illum, et super omnes ejus successores Ecclesiam fundavit; qui quoniam defuturi nunquàm sunt, Ecclesia non corruet. Idem de clavibus idem, ut diximus, significantibus dicendum est. Præterea quorsùm Christus soli Petro, non autem ejus successoribus daret? Constituebat enim Ecclesiam, instituebat officia, quæ vel imprudentissimus quisque non in personarum honorem, sed in ejusdem Ecclesiæ utilitatem instituisset. Tandiù igitur erant, quamdiù Ecclesia ipsa, duratura, maximèque illud, quòd, ut omnium maximum, ita omnium erat maximè necessarium principis Ecclesiæ, qui ejus fundamentum futurus erat. Itaque, ut alia officia minora in posteros transferendà non essent, tamen hoc transmitti ad successores necesse erat, atque ita omnes veteres auctores docuerunt. Quartus etiam est error, quòd negant Romanum Pontificem esse Petri successorem; nec enim aut Petrum unquàm Romæ fuisse, aut, si fuisset, propterea colligi posse quicumque Romanus sit Pontifex ejus esse continuò successorem. Hunc errorem, quia locus propius non est, non hic aliter refutabimus, quàm ut jubeamus illos contra totum terrarum orbem pugnare. Nemo enim ante illos neque Catholicus, neque hæreticus auctor fuit, qui non affirmaverit et Petrum Romæ mortuum, et Romanos Pontifices ejus successores esse. *Pugnabit* ergo, ut ait Sapiens, *pro illo orbis terrarum contra insensatos*, Sap. 5, 21. Quintus error est, quòd putant necessarium esse, ut Romani Pontifices Petro doctrinâ, et moribus similes sint, ut ejus successores dici possint, quâ ratione necesse etiam erat, ut Matthias Judæ, cui successit, similis esset, quòd dici sine risu non potest. Necesse etiam erat, ut Judas aliis similis esset apostolis, ut eamdem atque illi, apostoli dignitatem retineret. At apostolus esse non desiit etiam tunc cùm fur esset, et loculos haberet, etiam tum cùm in mensâ discumbens de vendendo Christo cogitaret, etiam tum cùm vendidisset, antequàm suspensus creparet medius, ut significat Petrus Actorum 1, 18. Quemadmodùm ergo Matthias, quia in Judæ locum electus est, quamvis multò illo melior, verus successor ejus fuit; ita Judas, si in Matthiæ locum electus fuisset, quamvis multò illo pejor, ejus fuisset tamen successor. Fingamus Romanum aliquem Pontificem talem esse, qualem isti in suis concionibus solent pingere: fingamus esse Judam; successor tamen Petri esse non desinit.

Et quodcumque ligaveris. Hæc etiam metaphora est, quâ idem, quod duabus superioribus, significatur, supremam remittendi, aut retinendi peccata potestatem Petrum habuisse; nec enim eodem sensu, quo Petro, atque aliis apostolis dictum interpretor, *quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis*; etsi video omnes auctores præter Origenem in eâdem fuisse sententiâ: sed eo sensu, quo super solum Petrum Ecclesia ædificata est, quo soli datæ sunt claves, ut ita liget, ut nemo solvere; ita solvat, ut nemo ligare possit. Quod iisdem argumentis probari potest, quibus supra probavimus Ecclesiam super Petrum ædificatam, solique claves, id est, Ecclesiæ principatum datum esse. Quæri autem solet in quo ligandi et solvendi potestas sita sit. D. Thomas in Commentariis tres de eâ re errores vitandos esse monet. Primus est eorum, qui arroganter videntur existimâsse posse sacerdotes quemlibet pro suo arbitrio ligare, aut solvere, et quidquid jure, vel injuriâ fecerint, ratum in cœlo futurum esse. Et verò si quis in sola verba animum figat, id videbuntur præ se ferre: *Quodcumque*, inquit, *ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis*. At non ita est. Tantùm enim voluit Christus Petro imprimis, deinde cæteris apostolis vices suas in terris dare, ut facerent, quod ipse, si in terris esset, facturus erat, et eodem modo, quo facturus erat, ut ligandos ligarent, solvendos solverent. Hoc tantùm excepto, quòd Christus propria, apostoli aliena, id est, Christi virtute ligaturi erant, aut soluturi. Ex eo ergo ipso, quòd suas illis vices tradit, intelligit debere eos, non pro ipsorum, sed pro suo ipsius judicio vel solvere, vel ligare; ita ut, quemadmodùm rectè Cyprianus, epist. 52 ad Antonianum, ait, judicaturo Christo nemo præjudicet. Hoc est, quod theologi dicunt, clave non errante. Secundus error est, ligare aut solvere nihil aliud esse, quàm homines aut jam à Deo ligatos, aut jam solutos declarare, sicut in veteri lege sacerdotes leprosos neque faciebant, neque curabant; sed aut verè leprosos, aut verè à leprâ curatos declarabant, quemadmodùm videtur hoc loco Hieronymus docere, ex quo nonnulli theologi eamdem hauserunt opinionem, ut Rabanus, quem D. Thomas citat, et quidam de scholâ posteriores, quos Calvinistæ, ut solent scabrosa consectari, libenter secuti sunt. Sed hic error ex hoc ipso loco refutatur. Si enim non aliter sacerdotes, aut peccata solverent, aut ligarent, non dixisset Christus: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis*, sed quæcumque soluta erunt in cœlis, solvetis super terram. Cùm autem è contrario dicat, quæcumque solvetis super terram erunt soluta et in cœlis, apertissimè significat prius ab apostolis super terram, quàm à Deo in cœlis esse solvenda. Atque hoc fuit munus apostolis dignum Christi personam referentibus, ut quemadmodùm, cùm Christus ipse in terris versabatur, quæcumque solvebat super terram, solvebantur à Patre et in cœlis; ita eo in cœlum recepto quidquid apostoli super terram solverent, et ab eo in cœlis solveretur. Nec verò existimo aliam fuisse Hieronymi sententiam, aut eum hunc errorem confirmare: sed illum tantùm priorem, de quo jam diximus, refutare voluisse. Tertius error est, cùm in peccato sint duo, culpa, et reatus pœnæ æternæ, ab utroque hominem per contritionem absolvi æternâ pœnâ in temporalem commutatâ; sacerdotes verò, cùm absolvunt, nihil aliud facere, quàm aliquid de illâ ipsâ temporali pœnâ minuere. Hoc etiam facilè refellitur; dicit enim Christus

apud Joannem 20, 23: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, sacerdotes igitur non à pœnâ solùm, sed à culpâ etiam absolvunt. Nec id magis mirum videri debet per sacramentum pœnitentiæ, quàm per sacramentum Baptismi posse facere sacerdotes; quemadmodùm D. Ambrosius adversùs Novatianos disputans, lib. 1 de Pœnitentiâ, c. 2, docuit. Potest objici sacerdotes, cùm ligant, non facere homines peccatores, sed declarare; ergo et cùm absolvunt, non facere justos, sed justos jam esse, et à peccatis absolutos testificari. — Resp. non benè sequi, quia potestas ligandi, et solvendi non est propter justos, sed propter peccatores apostolis data. Nam eos, qui justi, id est, soluti sunt, Deus ligari non vult. Eos autem qui peccatores, id est, ligati sunt, solvi cupit, si digni; vel ligari, si indigni sint: propterea non possunt sacerdotes eodem modo ligare, atque solvere; sed solvunt verè solvendo, ligant non solvendo, id est, quemadmodùm Joannes loquitur, non faciendo, sed retinendo peccata.

Super terram. Sunt qui colligant ex hoc loco Ecclesiæ potestatem ad ligandum, atque solvendum ad mortuos non pertinere, quia super terram, id est, sub Ecclesiæ jurisdictione non sunt, ut ait Strabus auctor Glossæ, quam vocant, ordinariæ; quod, an verum sit, non est hic locus subtiliter disputandi, tantùm dico ex hoc loco colligi non posse; illud enim *super terram*, non est ad eos, qui ligantur, aut solvuntur, sed ad eos, qui ligant, vel solvunt, referendum; quasi dicat Christus, quidquid vos super terram habitantes solveritis, aut ligaveritis, solutum, vel ligatum erit à Deo, qui habitat in cœlis; aut brevius, quidquid solutum, vel ligatum fuerit à vobis hominibus, solutum et ligatum erit à Deo. Nam per terram homines, per cœlos Deus significatur, estque elegans antithesis, quâ propter summam distantiam, quæ inter cœlum et terram est, potestas apostolis data commendatur. Quemadmodùm si quis princeps alicui diceret, quidquid vel apud hostes egeris, ratum habebo, indicans quantoperè illi confidat, et quàm amplam illi concedat potestatem. Minùs enim solemus habere ratum, quod nostro nomine per alium fit, nobis procul absentibus, quàm quod præsentibus, aut propè commorantibus nobis fit. Solent enim servi, quò longiùs dominus abest, eò majore uti licentiâ, sicut parabolâ illâ Evangelicâ significatur, Matthæi 24, 48, 49, ubi malus ille servus regis ait: *Moram facit dominus meus venire, et cœpit percutere conservos suos, et manducare, et bibere cum ebriosis*. Duo tamen certa, fixaque esse debent; alterum, Ecclesiam potestatem habere etiam mortuos excommunicandi, id est, jus privandi suffragiis, quod ex D. Cypriano, epist. 66, et Augustino semper factum fuisse constat; alterum, hanc Ecclesiam habere potestatem, ut eos, qui in purgatorio sunt, suffragiis suis liberare possit. Porrò hic locus est, ex quo Confessionis Ecclesiasticæ usus apertissimè probatur. Nam non potuit hæc potestas apostolis data sine peccatorum cognitione exerceri; nec peccata, quia plerùmque occulta sunt, sine propriâ ejus, qui peccavit, confessione co-

gnosci. Itaque ex hoc loco omnes veteres auctores confessionis ac pœnitentiæ usum collegerunt, ut Cyprianus, in sermone de Lapsis; Athanasius, homiliâ in illa verba : Ite in castellum quod contra vos est; Basilius in epistolâ ad Amphilochium. Addo etiam, Christum his verbis non solùm potestatem absolvendi apostolis tradidisse, sed etiam confitendi præceptum omnibus dedisse Christianis. Sensus enim est, non solùm fore ut, quidquid apostoli solverint in terrâ, et ipse solvat in cœlo, sed præterea significat, nihil se soluturum, aut ligaturum in cœlo, nisi quod ejus apostoli, aut eorum successores aut solverint, aut ligaverint super terram. Dat enim illis suam ipsius potestatem, ut pro se Ecclesiam gubernent. Itaque quicumque peccatorum solutione indigebant, vult, ut ad apostolos, vel eorum successores, tanquam ad seipsum, si in terris esset, veniant, et ab illis peccata confessi solutionem petant. Quemadmodùm si ille in terris versaretur neminem à peccatis absolveret, nisi sua priùs peccata confiteretur : sed ille, quia Deus, sine sacramento; apostoli, quia homines erant, non nisi per sacramentum, tanquàm Christi manum, solvere poterant. Hoc tale est, quemadmodùm si quis princeps aliquem pro se in longinquam provinciam gubernatorem mittens illi diceret, quidquid egeris, probatum habebo, eo ipso ejus provinciæ hominibus præceptum daret, ut quicumque aliquid litis haberent, ad illum tanquàm ad seipsum venirent, et coram illo causas suas agerent : non quòd se potestate suâ spoliaverit, quominùs possit et ipse cùm velit causas cognoscere, et de rebus omnibus judicare : sed quòd ordinariæ potestatis usum in gubernatorem transtulerit, extraordinariæ sibi reservàverit. Sic intelligo Christum ordinariam suam potestatem in Apostolos transtulisse, extraordinariam sibi reservàsse. Ordinaria enim remedia in Ecclesiâ ad remittenda peccata sunt ab eo instituta sacramenta, sine quibus homines peccata remittere non possunt, Christus potest, sed extraordinariè, et multò rariùs facit, quàm per sacramenta. Noluit igitur homines extraordinariis remediis remissionis peccatorum confidere, quæ et rara sunt, et incerta : sed ordinaria, et, ut ita dicam, visibilia sacramentorum quærere remedia. Quare sicut Baptismi et Eucharistiæ, ita confessionis et Pœnitentiæ præceptum dedit.

Vers. 20. — Ut nemini dicerent. Cur Christus tam sæpè vetuerit vulgari, quæ faciebat, quæque ipsum Deum esse declarabant, diximus, c. 8, 4; c. 9, 30; cur autem hoc loco id vetuerit, Marcus, c. 8, 30; et Luc. in c. 9, 22; et hoc ipso loco Matth., vers. sequenti, docent. Omnes enim hi tres evangelistæ narrant Christum statim atque Petrus illum filium Dei vivi confessus esset, exponere cœpisse, quomodò Jerosolymis multa passurus, ac moriturus esset, ex quâ narrationis consequentiâ colligitur ideò noluisse, ut apostoli se filium Dei esse promulgarent, ne, qui id audivissent, si post eum morientem vidissent, infirmitate carnis ejus offensi fidem perderent. Nam eo in cruce pendente non nullos ex iis, qui eum filium Dei esse audiverant, dixisse legimus : *Si filius Dei es, descende de cruce*, infra, c. 27, 40. Noluit ergo Christus, ut quod se moriente paucis accidit, omnibus accideret. Hanc rationem Chrysostomus, Hieronymus et Beda afferunt. Duplex autem occurrit quæstio, altera cur, supra, c. 10, 7, miserit apostolos regnum Dei prædicare, quod nihil aliud erat, quàm adventus filii Dei; altera cur ipse tam sæpè, aut se filium Dei, aut Deum patrem suum appellaverit, si nolebat, ut se filium esse Dei homines scirent. Hæreticus interpres, qui missionem illam temporalem tantùm fuisse respondet, nihil mihi ad rem videtur respondere. Quid enim refert aut temporalem, aut perpetuam missionem fuisse, si adventum filii Dei prædicabant? Origenes, tract. 1 in Matth., respondet apostolos, non Christum, sed regnum Dei prædicàsse. Hieronymus è contrariò prædicàsse quidem Christum, sed non Jesum, id est, docuisse illum virum esse justum, prophetam, inaudita miracula facientem, Messiam à Deo promissum; sed non docuisse illum esse filium Dei vivi, id est, verum et naturalem Deum, qualem nunc Petrus confessus est; quia id ne ipsi quidem tunc Apostoli fortassis intelligebant; hoc autem loco prohibuisse, ne se Jesum Christum esse dicerent, ut in plerisque legitur exemplaribus, neque, ut nonnulli putant, abundat. Nam Jesus Dei, quia servatorem significat; Christus hominis nomen est. Placet mihi hæc ratio, quemadmodùm et Ambrosio, in c. 9 Lucæ, et Euthymio video placuisse. Illud certum nunquàm Christum ante passionem suam apostolis præcepisse, ut se filium Dei esse prædicarent; ipse verò nunquàm satis aperte se filium esse Dei in publico declaravit, quia, cùm aliquando offensi nonnulli essent quòd Deum patrem suum appellàsset, eorum opinionem ambiguitate nominis ludificavit. *Nonne*, inquit, *scriptum est in lege vestrâ : Ego dixi : Dii estis vos; si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, quem potest sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum?* Joan. 10, 34, 35, 36.

Vers. 21. — Exinde. Interpretatio Hieronymi est, *exinde*, id est, cùm passus fuero. Sed manifestum est indicare evangelistam voluisse Christum ex eo tempore, quo Petrus illum filium Dei esse confessus fuerat, cœpisse de futurâ suâ morte verba facere, et non semel, sed sæpiùs apostolos monere, quod futurum erat, quasi dicat, ex eo tempore non tenuit Christus secretam futuram passionem suam, sed palàm, apertèque de eâ loquebatur. Potest quæri cur ex eo tempore potiùs quàm ante. Causa in promptu est, quàm et Chrysostomus, et Euthymius, et Theophylactus indicant; quia ante nondùm satis ab apostolis, tanquàm filius Dei naturalis, aut cognitus, aut publicâ confessione pronuntiatus fuerat : et verendum erat ne si de futuræ mortis suæ ignominiâ mentionem faceret, offenderentur ei aut discederent, aut à cursu fidei retardarentur. At cur postea? Eâdem nimirùm de causâ quia cùm eum filium Dei confessi fuissent, idonei videbantur, ut futuræ mortis illis mysterium explicaretur. Atque adeò necessarium erat, ut id fieret, ne postea, si non præmoniti patientem Chri-

stum viderent, de ejus divinitate dubitarent, quemadmodùm Theophylactus observavit. Idem enim alibi in simili fecit causâ Joannis 16, 1 : *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, absque synagogis facient vos.* Aliam etiam alii rationem afferunt, ut discipulos suos Christus futuro exemplo suo ad patientiam præmuniret, quemadmodùm ex versu 24 colligitur. *Si quis*, inquit, *vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Ita Petrus, Epistolâ 1, c. 2, 21, inquit : *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Oportebat. Non absolutè, sed posito Patris decreto, quo hominum genus per mortem filii sui constituerat liberare, pati, moriique eum oportebat. Quo sensu ipse apud Lucam dixit, cap. 24, 46 : *Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die.*

Vers. 22. — Et assumens eum. Καὶ προσλαβόμενος, quod omnes interpretantur segregans, aut subducens eum, quasi ausus non fuerit coram aliis Christum increpare. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Beda et Euthymius. Ego semper existimavi phrasim esse Hebraicam similem Gallicæ, quâ, cùm significare Galli volunt aliquem erga alium increpatione usum fuisse, solent dicere : *Il le vous a pris*, sensusque convenit optimè, sed non audeo affirmare verum esse, quia non possum idoneis exemplis usum phrasis Hebraicæ confirmare, quanquàm observavi in Numeris, cap. 16, 1, verbum לקח, id est, accipere positum esse pro loqui, aut alloqui incipere; sicut hoc ipsum verbum παραλαμβάνειν infra, c. 20, 17. ויקח קרח et accepit Core, quod Septuaginta verterunt *et locutus est Core* : quibus hæc interpretatio non placet, illa fortassè placebit, mihi certè non displicet παραλαμβάνειν, aut προσλαμβάνειν, id est, assumere, vel accipere sæpè in apostolicis scriptis significare misereri, ut ad Romanos 14, 1 : *Infirmum autem in fide προσλαμβάνεσθε, assumite*, id est, misereminì; et cap. 15, 7 : *Propter quod*, inquit, προσλαμβάνεσθε ἀλλήλους, assumite, aut, ut noster vertit interpres, *suscipite invicem*, id est, mutuâ alii in alios utimini misericordiâ. Hic etiam sensus benè congruit, ut Petrus, auditâ futurâ Christi passione, commiseratione commotus, hoc est, assumens, eum cœperit dehortari. Quem sensum videtur Hieronymus secutus esse, assumens, inquit, illum in affectum suum.

Cœpit increpare. Non reprehendentis, sed amici consulentis more, ut Beda et Euthymius annotârunt. Nam quod Calvinistarum interpretes insolentibus verbis Petrum reprehendunt, quasi stultè voluerit Christum à morte, ex quâ salus nostra pendebat, revocare, suo illi more faciunt, Petri fidem elevant, ut plus ipsi, quàm ille, fidei habere videantur : sed si isti fidelissimi homines illic fuissent, vix fortassè quidquam credidissent; et, si ex eorum ingenio licet facere conjecturam, qui omnibus in rebus aut sensum, aut, cùm se maximè humo attollunt, rationem, non fidem sequi solent, Christum, ut opinor, irrisissent. Aliâ modestiâ de Petro Chrysostomus et Hieronymus hoc loco loquuntur. Nimirùm quemadmodùm paulò ante, vers. 16, Christum filium Dei vivi esse dicens majorem, quàm cæteri Apostoli, fidem ostendit; ita nunc illum majorem erga eumdem Christum amorem demonstrare.

Absit a te, Domine. Non potuit noster interpres meliùs vertere, quòd Græcè est ἵλεώς σοι, id est, propitius tibi, ad verbum, ubi alii sub intelligendum putant, sis; alii, sit Deus; ego, neutrum. Non enim dubito quin Græcus Matthæi interpres ex Septuaginta eam phrasim fecerit mutuatus. Solent autem Septuaginta duobus in locis vertere ἵλεώς σοι, propitius tibi, aut cùm Hebraicè est *pax vobis*, ut Genes. 43, 23, aut cùm est *prohibitio*, id est, absit, ut 1 Reg. 14, 45, et 20, 2, 9; vox ergo abominantis est, et ne id eveniat, quod dictum est, deprecantis.

Vers. 23. — Qui conversus, id est, respiciens, ut Marcus, c. 8, 33, exponit, *qui conversus*, inquit, *et videns discipulos suos comminatus est Petro.* Fortassè Hebraismus est, quo contraria responsio significatur, quasi dicat evangelista Petrum objurgàsse Christum quòd pati vellet; Christum verò è contrario objurgàsse Petrum, quòd se pati nollet, ut Psalmo 70, 20 : *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, et malas, et conversus vivificàsti me, et de abyssis terræ iterùm reduxisti me.* Illud enim *conversus* iterationem et vicem contrariam significat, quemadmodùm si diceret : Tu me priùs occidisti, idemque me postea è contrario vivificàsti; et Psal. 84, 7 : *Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te*, id est, quemadmodùm tu priùs nos occidisti, ita nunc idem è contrario vivificabis.

Vade post me. Hebraica phrasis propriè significat *sequere me*, quemadmodùm et Hilarius interpretatur. Quasi dicat : Potiùs deberes sequi, imitarique passionem meam, quàm me ab eâ revocare. Simili etiam sententiâ Origenes, tractatu 1 in Matth., et Hieronymus in Commentariis interpretantur, *vade post me*, id est, sequere potiùs meam sententiam, quam tuam, quemadmodùm et D. Aug., sermone 13 de Verbis Domini secundùm Matth. videtur intellexisse. Vertit enim *redi post me*. Sed hoc loco dubium non est, quin oratio sit facessere jubentis, quemadmodùm Satanæ idem Christus dixit, cap. 4, 10 : *Vade post me, Satana.* Nam quod superiores auctores annotârunt, diabolo non dixisse *vade post me*, sed tantùm *vade*; Petro autem dixisse *post me*, non satis est firmum, et quia idem significat *vade*, et *vade post me*, et quia etiam

Vers. 23. — *Satanas* significat adversarium, qui resistit in re aliquâ : *Non est Satan, neque occursus malus*, 3 Reg. 5, 4. Non sapis ea quæ Dei sunt : humana sapis, nec consilium Dei intelligis, dùm mortem et opprobria reformidas, quæ futura sunt salutis humanæ instrumenta. Cùm discipulorum animos firmàs-

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE DE MADRID

cap. 4, 10, quemadmodùm illic annotavimus, in multis Græcis codicibus legitur *post me*.

Satana. D. Hilarius veritus est existimare Satanæ nomen Petro tributum. Itaque sic verba distinguit *vade post me*, ut hactenùs cum Petro Christus loquatur, deinde quasi ad diabolum qui eam Petro opinionem suggereret, ut ipsum, ne moreretur, impediret, conversus dicat : *Satana scandalum es mihi*. Quod eò magis miror, quòd idem Hilarius in Commentariis in Psalmum 151, Petrum ipsum dicat Satanam appellatum. Neque de eo alius quisquam dubitavit. Meritò admirari aliquis potest, quod et D. Augustinus, sermone 15 de Verbis Domini secundùm Matth., admiratur, cur Christus tam brevi intervallo eumdem Petrum, et beatum, et Satanam appellavit. Respondet Hieronym. nondùm Ecclesiam super illum ædificatam fuisse, propterea errâsse, propterea Satanam vocari potuisse. Respondent August. et Theophylactus beatum, cùm non caro et sanguis, sed Pater, qui in cœlis est, illi revelavit ; Satanam, cùm non ea, quæ Dei, sed quæ hominum erant, sapiebat, vocatum fuisse. Impudentes nostri temporis hæretici sunt, qui in hunc solum titulum Romanum Pontificem Petro successisse dictitant. Si, inquiunt, Petrum Christus Satanam appellavit, quo nomine Romanum Pontificem appellavisset ? Respondeo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Rogoque vicissim eos, si Petrum Apostolorum principem Satanam appellavit, quo nomine Lutherum, quo nomine Calvinum non hæreticos tantùm, sed perniciosissimos hæresiarchas appellâsset ? Non ergo Petrum Satanam, quasi proprio diaboli, sed quasi communi adversarii nomine vocavit, quia sibi pro omnibus hominibus mori volenti adversabatur. At cur tam acriter reprehendit ? non tam quòd Petri culpa, si qua tamen fuit, quàm quòd rei, de quâ agebatur, magnitudo merebatur.

Vers. 24. — Tunc. Antequàm Petrum reprehenderet, ut mihi videtur ex Lucâ colligi, qui hæc verba ante Petri reprehensionem posuit, c. 9, 23, quamvis Chrysostomo et Theophylacto secùs videatur.

Discipulis. Lucas ait. *Dicebat autem ad omnes*, et Marcus, cap. 8, 34 : *Et convocatâ turbâ cum discipulis suis dixit eis* ; quam evangelistarum dissensionem duobus modis interpretor, aut Christum præsentibus turbis, et quasi testibus advocatis id dixisse solis apostolis ; aut præcipuè apostolis dictum voluisse ; turbam verò, quæ aderat, quod Apostolis diceretur, sibi dictum putâsse.

Si quis velit. Rectè Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus admonuerunt liberum ex his verbis arbitrium confirmari.

Abneget semetipsum. Quid sit seipsum abnegare, variè interpretes exponunt. Hieronymus et Beda hoc loco, et Gregorius, homil. 10 in Ezechielem, existimant nihil aliud esse seipsum abnegare, quàm veterem hominem exuere, induere novum. *Tunc*, inquit Beda, *nos abnegamus, cùm vitamus, quod per vetustatem fuimus, et amittimur, quò per novitatem vocamur*. Sed manifestum est hoc loco non de moribus, sed de moribus agi, ut vers. 25 declaratur. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Melius Chrysostomus, quid sit nos ipsos abnegare ex aliorum abnegatione admonet intelligendum. Alios abnegare est illos contemnere, atque deserere, nullam eorum habere rationem, nullam curam, pro nihilo eorum vitam ducere. Hoc idem est seipsum abnegare nullam sui habere rationem ; vitam suam, cùm opus est, pro Christo contemnere, ut vers. 25 declaratur. Vocat enim *seipsum* non animam, sed vitam corporis quam contemnere oportet ut anima vivat : quia qui *voluerit animam suam*, id est, vitam corporis *salvam facere, perdet eam*, id est, vitam animæ ut cap. 10, 38, 39 explicavimus.

Vers. 26. — Animæ verò suæ detrimentum patiatur. Id est, animâ verò suâ mulctetur, metaphora de foro sumpta, in quo si quis de possessione aliquâ, quantumvis locupleti et de vitâ litigaret, nihil lucraretur, si possessionem quidem obineret, sed vitam perderet. Nam et hoc loco de judicio agitur ; sequitur enim statim vers. 27 : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundùm opera sua*.

Aut quam dabit commutationem. Compensationem pro animâ suâ, id est, pro vitâ suâ ; metaphora etiam est, aut à judicio, aut à bello sumpta ; nam et in judicio aliquando, qui capite damnatus est, pecuniæ magnitudine vitam redimit, aut quia vita corporis quoquo modo pecuniâ æstimari potest ; aut quia pecuniâ judices corrumpuntur : at pro æternâ animæ vitâ nulla in Dei judicio pecunia, nulla compensatio dari potest, neque Deus, qui judex futurus est, corrumpi muneribus. Et in bello solent homines, cùm victi sunt, vitam pretio à victoribus emere ; sed in judicio vitam animæ emere non poterunt. Quam enim commutationem dabunt pro animâ suâ ? Iudit ergo Christus nominis ambiguitate, et tacitè à vitâ corporis ad animæ vitam argumentatur. Utramque enim nomen *animæ* significat, sicut vers. præcedenti, et cap. 10, 38, 39, quasi dicat, quemadmodùm pro vitâ corporis in bello, vel in judicio nullam satis dignam compensationem quisquam dare potest, ita et multò minùs pro vitâ animæ. Quòd autem dicit *homo*. Hebraismus est pro *quisquam*. Sic enim solent Septuaginta vertere ubi est Hebraicè איש, id est, vir, qui pro *quispiam* apud illes ponitur, ut Judicum 2, 21, et 4, 20 ; Ruth. 3, 3 ; et 1 Reg. 17, 25, et 24, 20 ; et 4 Reg. 18, 21.

Vers. 27. — Filius enim hominis. Putat D. Hieronymus hoc ad consolandos discipulos Christum dixisse ; potiùs credo propterea addidisse hoc, quia de commoda, et ea maximè quæ propter me patietur : alludit quoque ad genus mortis quod perpessurus erat.

animæ commutatione mentionem fecerat, quæ ex forensi judicio translata fuerat. Probat enim his verbis nullam pro animâ commutationem dari posse, quia non quilibet judex, sed filius hominis ad judicandum venturus est ; neque quolibet modo, sed in gloriâ Patris sui, et cum angelis suis venturus est, ita ut honorum nostrorum non indigeat. Cur autem filius hominis appelletur, diximus, cap. 8, 20.

In gloria Patris sui. *In* pro *cum* ex Hebræorum idiomate ; gloriam autem non suam, sed Patris sui vocat : vel quia, etsi ipsius erat, Pater tamen illi unà cum naturâ donarat, vel, ut Chrysostomus, et Euthymius existimant, ut significet illam sibi communem esse cum Patre. Nam et angelos statim non Patris, sed suos vocat. Qui autem angelorum dominus erat, verus Deus erat, communemque cum Patre habebat gloriam : sed dicitur in gloriâ venturus, quasi tunc in gloriâ non esset : quia quamvis eamdem tunc gloriam haberet, tamen tunc occultabat, postea ostensurus erat.

Et tunc reddet unicuique. Hæc verba, cap. 10, 41, exposuimus.

Vers. 28. — Sunt quidam de hic stantibus, id est, ex iis, qui hic adsunt, ut cap. 6, 5, docuimus st. nili verbum in sacris Litteris non semper statum corporis, sed aliquando solam præsentiam significare, sicut et Hispani stare pro adesse solent dicere.

Qui non gustabunt mortem. Id est, non morientur ; hebraismus, qualis apud Lucam, c. 9, 27 ; Joannem, cap. 2, 52 ; et apud D. Paulum ad Hebræos 2, 9 ; quamvis Hebræi potiùs soleant dicere *videre mortem*, quàm *gustare*, psalmo 88, 49 : *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem*. Cæterùm quia videre apud Hebræos significat experiri, quod apud Græcos melius dicitur γεύεσθαι, gustare, quàm videre ; solent ita loqui scriptores Ecclesiastici. Hoc Ambrosius, in c. 9 Lucæ de morte animæ intelligendum putat, quasi dicat Christus nonnullos illic esse, qui condemnandi non erunt, cùm filius hominis venerit ; aut qui peccaturi amplius non sunt, donec filium hominis venientem videant ; quod coactum admodùm est.

In regno suo. Quid Christus hoc loco per regnum suum intelligat, interpretum sententiæ mirum in modum variant. Nonnulli de ultimo judicio interpretantur, de quo vers. præcedenti dixerat : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui*, idque videtur esse valdè consequens, sed quomodò aliqui ex iis, qui astabant, usque ad diem judicii morituri non essent, id non satis est consequens. Quidam de Joanne Evangelistâ id dictum volunt, quem credunt mortuum non esse, quod apud alium auctorem, quàm apud Strabum non invenio, neque Scripturæ consentaneum est ; ipse enim Joannes videtur, cap. 21, 23, hanc de se vulgò conceptam opinionem refutare. Alii de tempore illo, quod post Christi resurrectionem fuit, interpretantur, id enim, quia tunc gloriosus resurrexit, regnum Dei vocari solet, ut infra, cap. 26, 29 ; et Marci 14, 25 ; et Lucæ 22, 29, 30, quod plerisque novis interpretibus placuisse video ; mihi verò nullo modo placet, et quia id Christus regnum Dei, quia jam diabolus victus erat, sed non regnum suum, qui nondùm in gloriâ suâ venerat, appellare solet, et quia, si id diceret, nihil diceret. Quid enim magni erat nonnullos ex discipulis suis morituros non esse, priusquàm ipsum resurgentem viderent, cùm non nonnulli, sed omnes viderint : hoc autem loco cùm dicit : *Sunt quidam de hic stantibus*, minimè obscurè significat non omnes discipulos, sed paucos tantùm, et electos eosque singulari privilegio regnum illud suum, de quo loquebatur, priusquàm morerentur, visuros esse. Itaque vera est omnium veterum auctorum interpretatio ; Origenis, tractatu, in Matth. ; Hilarii, canone 16 ; Chrysostomi ; Hieronymi ; Bedæ ; Theophylacti ; et Euthymii in Commentariis ; Ambrosii, in cap. 9 Lucæ ; Augustini, in caput epistolæ ad Galatas ; Remigii apud D. Thomam, regnum Dei Christi transfigurationem appellari, quam non omnes, sed solus Petrus, Jacobus, et Joannes, antequàm morerentur, videre meruerunt, quod vel ex eo probari potest, quòd statim omnes evangelistæ subjungant sex post diebus Christum eorum tribus illis apostolis fuisse transfiguratum ; præterquàm quòd si nec de tempore judicii, nec de tempore resurrectionis, ut probatum est, intelligi potest, necesse est, ut de transfiguratione intelligatur. Nam quod Beda, et Gregorius, apud D. Thomam, de Evangelii, Ecclesiæque propagatione interpretantur, alienum videtur. Vocat ergo Christus transfigurationem regnum suum, non quia propriè regnum, sed quia futuri regni imago erat. Potest autem meritò dubitari, cur Christus, tanquàm magni aliquid dicat, nonnullos ex circumstantibus morituros non esse, antequàm ipsios viderent regnum, si per regnum suum transfigurationem intelligebat, quæ sexto post die facta est ; quo tempore non solùm tres illi, qui viderunt, sed omnes etiam apostoli superstites erant. Respondeo id ad futurum longè post regnum esse referendum, de quo vers. præcedenti locutus fuerat : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui*, ante cujus regni visionem non mori magnum profectò quiddam erat : sed illud ipsum regnum tres illi apostoli non in ipso, sed in figurâ ; non præsens, sed per transeuntem ostensum viderunt.

Vers. 24. — Abneget semetipsum, propriam scilicet voluntatem ; quatenùs Dei voluntati repugnat, et tollat crucem suam : potienter ferat hujus vitæ in-

Vers. 28. — Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. An de transfiguratione suâ post paucos dies futurâ loquitur ? An de Ecclesiæ regno post Jerosolymæ et synagogæ destructionem ? An demùm de regno gloriæ suæ, quod post resurrectionem est adeptus, cùm in cœlum gloriosus ascendit ? Hæc quidem omnia commodè intelligi possunt.

CAPUT XVII.

1. Et post dies sex, assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum :

CHAPITRE XVII.

1. Six jours après, Jésus prit avec lui Pierre, Jacques et Jean son frère, et les mena à l'écart sur une haute montagne ;

cap. 4, 10, quemadmodùm illic annotavimus, in multis Græcis codicibus legitur *post me*.

Satana. D. Hilarius veritus est existimare Satanæ nomen Petro tributum. Itaque sic verba distinguit *vade post me*, ut hactenùs cum Petro Christus loquatur, deinde quasi ad diabolum qui eam Petro opinionem suggereret, ut ipsum, ne moreretur, impediret, conversus dicat : *Satana scandalum es mihi*. Quod eò magis miror, quòd idem Hilarius in Commentariis in Psalmum 151, Petrum ipsum dicat Satanam appellatum. Neque de eo alius quisquam dubitavit. Meritò admirari aliquis potest, quod et D. Augustinus, sermone 15 de Verbis Domini secundùm Matth., admiratur, cur Christus tam brevi intervallo eumdem Petrum, et beatum, et Satanam appellavit. Respondet Hieronym. nondùm Ecclesiam super illum ædificatam fuisse, propterea errâsse, propterea Satanam vocari potuisse. Respondent August. et Theophylactus beatum, cùm non caro et sanguis, sed Pater, qui in cœlis est, illi revelavit ; Satanam, cùm non ea, quæ Dei, sed quæ hominum erant, sapiebat, vocatum fuisse. Impudentes nostri temporis hæretici sunt, qui in hunc solum titulum Romanum Pontificem Petro successisse dictitant. Si, inquiunt, Petrum Christus Satanam appellavit, quo nomine Romanum Pontificem appellavisset ? Respondeo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Rogoque vicissim eos, si Petrum Apostolorum principem Satanam appellavit, quo nomine Lutherum, quo nomine Calvinum non hæreticos tantùm, sed perniciosissimos hæresiarchas appellâsset ? Non ergo Petrum Satanam, quasi proprio diaboli, sed quasi communi adversarii nomine vocavit, quia sibi pro omnibus hominibus mori volenti adversabatur. At cur tam acriter reprehendit ? non tam quòd Petri culpa, si qua tamen fuit, quàm quòd rei, de quâ agebatur, magnitudo merebatur.

Vers. 24. — Tunc. Antequàm Petrum reprehenderet, ut mihi videtur ex Lucâ colligi, qui hæc verba ante Petri reprehensionem posuit, c. 9, 23, quamvis Chrysostomo et Theophylacto secùs videatur.

Discipulis. Lucas ait. *Dicebat autem ad omnes*, et Marcus, cap. 8, 34 : *Et convocatâ turbâ cum discipulis suis dixit eis* ; quam evangelistarum dissensionem duobus modis interpretor, aut Christum præsentibus turbis, et quasi testibus advocatis id dixisse solis apostolis ; aut præcipuè apostolis dictum voluisse ; turbam verò, quæ aderat, quod Apostolis diceretur, sibi dictum putâsse.

Si quis velit. Rectè Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus admonuerunt liberum ex his verbis arbitrium confirmari.

Abneget semetipsum. Quid sit seipsum abnegare, variè interpretes exponunt. Hieronymus et Beda hoc loco, et Gregorius, homil. 10 in Ezechielem, existimant nihil aliud esse seipsum abnegare, quàm veterem hominem exuere, induere novum. *Tunc*, inquit Beda, *nos abnegamus, cùm vitamus, quod per vetustatem fuimus, et amittimur, quò per novitatem vocamur*. Sed manifestum est hoc loco non de moribus, sed de moribus agi, ut vers. 25 declaratur. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Melius Chrysostomus, quid sit nos ipsos abnegare ex aliorum abnegatione admonet intelligendum. Alios abnegare est illos contemnere, atque deserere, nullam eorum habere rationem, nullam curam, pro nihilo eorum vitam ducere. Hoc idem est seipsum abnegare nullam sui habere rationem ; vitam suam, cùm opus est, pro Christo contemnere, ut vers. 25 declaratur. Vocat enim *seipsum* non animam, sed vitam corporis quam contemnere oportet ut anima vivat : quia qui *voluerit animam suam*, id est, vitam corporis *salvam facere, perdet eam*, id est, vitam animæ ut cap. 10, 38, 39 explicavimus.

Vers. 26. — Animæ verò suæ detrimentum patiatur. Id est, animâ verò suâ mulctetur, metaphora de foro sumpta, in quo si quis de possessione aliquâ, quantumvis locupleti et de vitâ litigaret, nihil lucraretur, si possessionem quidem obineret, sed vitam perderet. Nam et hoc loco de judicio agitur ; sequitur enim statim vers. 27 : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundùm opera sua*.

Aut quam dabit commutationem. Compensationem pro animâ suâ, id est, pro vitâ suâ ; metaphora etiam est, aut à judicio, aut à bello sumpta ; nam et in judicio aliquando, qui capite damnatus est, pecuniæ magnitudine vitam redimit, aut quia vita corporis quoquo modo pecuniâ æstimari potest ; aut quia pecuniâ judices corrumpuntur : at pro æternâ animæ vitâ nulla in Dei judicio pecunia, nulla compensatio dari potest, neque Deus, qui judex futurus est, corrumpi muneribus. Et in bello solent homines, cùm victi sunt, vitam pretio à victoribus emere ; sed in judicio vitam animæ emere non poterunt. Quam enim commutationem dabunt pro animâ suâ ? Iudit ergo Christus nominis ambiguitate, et tacitè à vitâ corporis ad animæ vitam argumentatur. Utramque enim nomen *animæ* significat, sicut vers. præcedenti, et cap. 10, 38, 39, quasi dicat, quemadmodùm pro vitâ corporis in bello, vel in judicio nullam satis dignam compensationem quisquam dare potest, ita et multò minùs pro vitâ animæ. Quòd autem dicit *homo*. Hebraismus est pro *quisquam*. Sic enim solent Septuaginta vertere ubi est Hebraicè איש, id est, vir, qui pro *quispiam* apud illes ponitur, ut Judicum 2, 21, et 4, 20 ; Ruth. 3, 3 ; et 1 Reg. 17, 25, et 24, 20 ; et 4 Reg. 18, 21.

Vers. 27. — Filius enim hominis. Putat D. Hieronymus hoc ad consolandos discipulos Christum dixisse ; potiùs credo propterea addidisse hoc, quia de commoda, et ea maximè quæ propter me patietur : alludit quoque ad genus mortis quod perpessurus erat.

animæ commutatione mentionem fecerat, quæ ex forensi judicio translata fuerat. Probat enim his verbis nullam pro animâ commutationem dari posse, quia non quilibet judex, sed filius hominis ad judicandum venturus est ; neque quolibet modo, sed in gloriâ Patris sui, et cum angelis suis venturus est, ita ut honorum nostrorum non indigeat. Cur autem filius hominis appelletur, diximus, cap. 8, 20.

In gloria Patris sui. *In* pro *cum* ex Hebræorum idiomate ; gloriam autem non suam, sed Patris sui vocat : vel quia, etsi ipsius erat, Pater tamen illi unà cum naturâ donarat, vel, ut Chrysostomus, et Euthymius existimant, ut significet illam sibi communem esse cum Patre. Nam et angelos statim non Patris, sed suos vocat. Qui autem angelorum dominus erat, verus Deus erat, communemque cum Patre habebat gloriam : sed dicitur in gloriâ venturus, quasi tunc in gloriâ non esset : quia quamvis eamdem tunc gloriam haberet, tamen tunc occultabat, postea ostensurus erat.

Et tunc reddet unicuique. Hæc verba, cap. 10, 41, exposuimus.

Vers. 28. — Sunt quidam de hic stantibus, id est, ex iis, qui hic adsunt, ut cap. 6, 5, docuimus st. nili verbum in sacris Litteris non semper statum corporis, sed aliquando solam præsentiam significare, sicut et Hispani stare pro adesse solent dicere.

Qui non gustabunt mortem. Id est, non morientur ; hebraismus, qualis apud Lucam, c. 9, 27 ; Joannem, cap. 2, 52 ; et apud D. Paulum ad Hebræos 2, 9 ; quamvis Hebræi potiùs soleant dicere *videre mortem*, quàm *gustare*, psalmo 88, 49 : *Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem*. Cæterùm quia videre apud Hebræos significat experiri, quod apud Græcos melius dicitur γεύεσθαι, gustare, quàm videre ; solent ita loqui scriptores Ecclesiastici. Hoc Ambrosius, in c. 9 Lucæ de morte animæ intelligendum putat, quasi dicat Christus nonnullos illic esse, qui condemnandi non erunt, cùm filius hominis venerit ; aut qui peccaturi amplius non sunt, donec filium hominis venientem videant ; quod coactum admodùm est.

In regno suo. Quid Christus hoc loco per regnum suum intelligat, interpretum sententiæ mirum in modum variant. Nonnulli de ultimo judicio interpretantur, de quo vers. præcedenti dixerat : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui*, idque videtur esse valdè consequens, sed quomodò aliqui ex iis, qui astabant, usque ad diem judicii morituri non essent, id non satis est consequens. Quidam de Joanne Evangelistâ id dictum volunt, quem credunt mortuum non esse, quod apud alium auctorem, quàm apud Strabum non invenio, neque Scripturæ consentaneum est ; ipse enim Joannes videtur, cap. 21, 23, hanc de se vulgò conceptam opinionem refutare. Alii de tempore illo, quod post Christi resurrectionem fuit, interpretantur, id enim, quia tunc gloriosus resurrexit, regnum Dei vocari solet, ut infra, cap. 26, 29 ; et Marci 14, 25 ; et Lucæ 22, 29, 30, quod plerisque novis interpretibus placuisse video ; mihi verò nullo modo placet, et quia id Christus regnum Dei, quia jam diabolus victus erat, sed non regnum suum, qui nondùm in gloriâ suâ venerat, appellare solet, et quia, si id diceret, nihil diceret. Quid enim magni erat nonnullos ex discipulis suis morituros non esse, priusquàm ipsum resurgentem viderent, cùm non nonnulli, sed omnes viderint : hoc autem loco cùm dicit : *Sunt quidam de hic stantibus*, minimè obscurè significat non omnes discipulos, sed paucos tantùm, et electos eosque singulari privilegio regnum illud suum, de quo loquebatur, priusquàm morerentur, visuros esse. Itaque vera est omnium veterum auctorum interpretatio ; Origenis, tractatu, in Matth. ; Hilarii, canone 16 ; Chrysostomi ; Hieronymi ; Bedæ ; Theophylacti ; et Euthymii in Commentariis ; Ambrosii, in cap. 9 Lucæ ; Augustini, in caput epistolæ ad Galatas ; Remigii apud D. Thomam, regnum Dei Christi transfigurationem appellari, quam non omnes, sed solus Petrus, Jacobus, et Joannes, antequàm morerentur, videre meruerunt, quod vel ex eo probari potest, quòd statim omnes evangelistæ subjungant sex post diebus Christum eorum tribus illis apostolis fuisse transfiguratum ; præterquàm quòd si nec de tempore judicii, nec de tempore resurrectionis, ut probatum est, intelligi potest, necesse est, ut de transfiguratione intelligatur. Nam quod Beda, et Gregorius, apud D. Thomam, de Evangelii, Ecclesiæque propagatione interpretantur, alienum videtur. Vocat ergo Christus transfigurationem regnum suum, non quia propriè regnum, sed quia futuri regni imago erat. Potest autem meritò dubitari, cur Christus, tanquàm magni aliquid dicat, nonnullos ex circumstantibus morituros non esse, antequàm ipsios viderent regnum, si per regnum suum transfigurationem intelligebat, quæ sexto post die facta est ; quo tempore non solùm tres illi, qui viderunt, sed omnes etiam apostoli superstites erant. Respondeo id ad futurum longè post regnum esse referendum, de quo vers. præcedenti locutus fuerat : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui*, ante cujus regni visionem non mori magnum profectò quiddam erat : sed illud ipsum regnum tres illi apostoli non in ipso, sed in figurâ ; non præsens, sed per transeuntem ostensum viderunt.

Vers. 24. — Abneget semetipsum, propriam scilicet voluntatem ; quatenùs Dei voluntati repugnat, et tollat crucem suam : potienter ferat hujus vitæ in-

Vers. 28. — Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. An de transfiguratione suâ post paucos dies futurâ loquitur ? An de Ecclesiæ regno post Jerosolymæ et synagogæ destructionem ? An demùm de regno gloriæ suæ, quod post resurrectionem est adeptus, cùm in cœlum gloriosus ascendit ? Hæc quidem omnia commodè intelligi possunt.

CAPUT XVII.

1. Et post dies sex, assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum :

CHAPITRE XVII.

1. Six jours après, Jésus prit avec lui Pierre, Jacques et Jean son frère, et les mena à l'écart sur une haute montagne ;

2. Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos: et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

6. Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas, et timuerunt valdè.

7. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, et nolite timere.

8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.

9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primùm venire?

11. At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est et restituet omnia.

12. Dico autem vobis quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis.

13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptistâ dixisset eis.

14. Et cùm venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et malè patitur: nam sæpè cadit in ignem, et crebrò in aquam.

15. Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.

16. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula et perversa! quousque ero vobiscum? usquequò patiar vos? Afferte huc illum ad me.

17. Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illâ horâ.

18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secretò, et dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit: et nihil impossibile erit vobis.

20. Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium.

21. Conversantibus autem eis in Galilæâ, dixit illis Jesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum:

22. Et occident eum, et tertiâ die resurget. Et contristati sunt vehementer.

2. Et il fut transfiguré devant eux; son visage devint brillant comme le soleil; et ses vêtements blancs comme la neige.

3. Et voici qu'ils virent paraître Moïse et Elie, qui s'entretenaient avec lui.

4. Alors Pierre prenant la parole, dit à Jésus: Seigneur, nous sommes bien ici: faisons-y, s'il vous plaît, trois tentes; une pour vous, une pour Moïse, et une pour Elie.

5. Lorsqu'il parlait encore, une nuée lumineuse vint les couvrir; et il sortit de cette nuée une voix qui fit entendre ces paroles: Celui-ci est mon Fils bien-aimé, dans lequel j'ai mis toute mon affection: écoutez-le.

6. Les disciples entendant cela, tombèrent le visage contre terre, et furent saisis d'une extrême frayeur.

7. Et Jésus s'approchant, les toucha, et leur dit: Levez-vous, et ne craignez point.

8. Alors levant les yeux, il ne virent plus que Jésus seul.

9. Lorsqu'ils descendaient de la montagne, Jésus leur fit ce commandement, et il leur dit: Ne parlez à personne de ce que vous venez de voir, jusqu'à ce que le Fils de l'homme soit ressuscité d'entre les morts.

10. Ses disciples alors l'interrogèrent, et lui dirent: Pourquoi donc les scribes disent-ils qu'il faut qu'Elie vienne auparavant?

11. Jésus leur répondit: Il est vrai qu'Elie doit venir et qu'il rétablira toutes choses.

12. Mais je vous déclare qu'Elie est déjà venu; et ils ne l'ont point connu; mais ils l'ont traité comme il leur a plu. Ils feront souffrir de même le Fils de l'homme.

13. Alors les disciples comprirent que c'était de Jean-Baptiste qu'il leur avait parlé.

14. Lorsqu'il fut venu vers le peuple, un homme s'approcha de lui, se jeta à genoux à ses pieds, et lui dit: Seigneur, ayez pitié de mon fils qui est lunatique, et qui souffre cruellement, car il tombe souvent dans le feu, et souvent dans l'eau.

15. Je l'ai présenté à vos disciples, mais ils n'ont pu le guérir.

16. Sur quoi Jésus commença de dire: O race incrédule et dépravée! jusqu'à quand serai-je avec vous? jusqu'à quand vous souffrirai-je? Amenez-le moi ici.

17. Et Jésus ayant menacé le démon, il en sortit; et l'enfant fut guéri au même instant.

18. Alors les disciples s'approchèrent de Jésus, et lui dirent: Pourquoi, nous, n'avons-nous pu chasser ce démon?

19. Jésus leur répondit: A cause de votre incrédulité. Car je vous le dis en vérité, si vous aviez de la foi comme un grain de sénevé, vous diriez à cette montagne: Transporte-toi d'ici là; et elle s'y transporterait; et rien ne vous serait impossible.

20. Mais on ne chasse ces démons que par la prière et par le jeûne.

21. Or, lorsqu'ils étaient dans la Galilée, Jésus leur dit: Le Fils de l'homme doit être livré entre les mains des hommes;

22. Ils le feront mourir, et il ressuscitera le troisième jour; et cela les affligea extrêmement.

23. Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24. Ait: Etiam. Et cùm intrâsset in domum, prævenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?

25. Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii.

26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum: et eum piscem qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me et te.

23. Etant venus à Capharnaüm, ceux qui recevaient le tribut des deux drachmes, vinrent à Pierre, et lui dirent: Votre maître ne paie-t-il pas le tribut?

24. Il leur répondit: Oui. Et étant entré dans le logis, Jésus le prévint, et lui dit: Simon, que vous en semble? De qui est-ce que les rois de la terre reçoivent les tributs et les impôts? est ce de leurs propres enfants, ou des étrangers?

25. Des étrangers, répondit Pierre. Jésus lui dit: Les enfants en sont donc exempts.

26. Mais afin que nous ne les scandalisions point, allez-vous-en à la mer, et jetez-y votre ligne; et le premier poisson que vous tirerez de l'eau, prenez-le, et lui ouvrez la bouche; vous y trouverez un statère, que vous prendrez, et que vous leur donnerez pour moi et pour vous.

COMMENTARIA

Vers. 1. —Post dies sex. Idem tempus ponit Marcus, c. 9, 2; Lucas verò, cap. 9, 28, post octo ferè dies id factum dicit, quod Hieronym., Chrysost., Beda, Theophyl., Euthym., hoc loco, et August., libro 2 de Consensu evang., cap. 56, ita solvunt, Matthæum et Marcum eum diem quo superiora gesta fuerant, non numerasse, Lucam verò numerâsse. Potest et aliò modo solvi, Lucam non præcisè, sed confusè notâsse tempus, ideòque dixisse ferè.

Assumpsit. Multa hìc quæri possunt: Primò, cur Christus transfigurari voluerit; ad quam quæstionem Hilarius, Chrysostomus et Euthymius respondent, id fecisse ut discipulos mentione futuræ mortis suæ mœrentes consolaretur. Theophylactus verò, ut probaret, quod superiore capite, vers. 27, dixerat, se in Gloriâ Patris sui venturum esse; quod utrumque probabilius est, quàm quod hæreticorum interpretes dicunt, voluisse ostendere se non invitum, sed sponte suâ moriturum, cùm tantam haberet gloriam. Alia quæstio est, cur non sit coram omnibus discipulis transfiguratus? Ratio ex vers. 9 facilè colligitur, ubi præcipit tribus illis apostolis, qui ipsius gloriam conspicati fuerant, ut nemini visionem illam dicerent, donec filius hominis à mortuis resurgeret. Noluit ergo Christus gloriam suam evulgari ob eas causas quas illic explicabimus. Tertia est, cur tribus, non pluribus, non paucioribus gloriam suam ostenderit? Ideò, ut opinor, quia volebat futuræ suæ gloriæ testes aliquos existere; *in ore autem duorum, aut trium testium stabit omne verbum*, Deuter. 19, 15, et Matth. 18, 16. Adde quòd ita accidit, ut tres haberet discipulos secretorum suorum maximè capaces; hos enim tres ad res magis secretas solebat adhibere, ut apparet ex Marco, c. 14, 33. Quarta, cur his potiùs quàm aliis ostenderit, cujus rei una modò exposita est ratio. Alia verò est, quòd Petrus et primus apostolorum esset, et maximè ipsum amaret; Joannem verò ipse amaret maximè, Jacobus autem post Petrum ex primis esset, et fide ardentissimus. Itaque primus omnium ab Herode pro Christo occisus est, Actor. 12, 2: quam rationem Origenes, tractatu 5 in Matthæum, Ambrosius, in cap. 9 Lucæ, August. in cap. 2 Epistolæ ad Galatas, Hieronymus, Theophylactus et Euthymius in Commentariis reddunt. In eo autem Ambrosius, et Augustinus memoriâ sunt lapsi, quòd existimaverint hunc Jacobum fratrem illum Domini fuisse, cùm evangelistæ fratrem illum Joannis Zebedei filium fuisse dicant.

In montem excelsum. Quis hic mons fuerit Evangelistæ non dicunt, neque ullus, quod sciam, satis antiquus et gravis auctor; vulgò tamen jamdiù invaluit opinio eum fuisse Thabor, quem D. Hieronymus, in Locis Hebraicis, in medio Galilææ campo esse dicit mirâ rotunditate sublimem. Sive is, sive alius mons fuerit, quæri videtur posse, cur, ut gloriam suam demonstraret; in montem ascenderit; ratio una ejus rei ex Lucâ, cap. 9, 28, colligitur; dicit enim ascendisse ut oraret; solebat autem Christus orandi causâ in montem ascendere, ubi et solitudo major est, et cœli conspectus liberior, ut Marci 6, 46, et Lucæ 6, 12. Quod autem Luc. dicit ascendisse ut oraret, non ita intelligendum arbitror, quasi eâ tantùm ascenderit causâ; sed quia solebat in omnibus majoribus rebus orationem præmittere: antequàm gloriam suam ostenderet, oravit, et est vero simile, cùm ab apostolis discederet non dixisse se transfigurationis, sed orationis causâ in montem ascendere, ne remanentibus invidiæ occasionem relinqueret. Accedit quòd plerùmque Dei gloria in montibus, qui cœlo propinquiores sunt, et ab hominibus remotiores, non in vallibus ostenditur; sic enim Mosi in monte Sina Dei majestas apparuit, Exodi 19, 11, et erat illa res, ut ait Hilarius, figura transfigurationis.

magnam habet probabilitatem, quòd Christus prope Cæsaream Philippi versaretur, cùm Petro promisit claves regni cœlorum, nec videtur hinc recessisse. Cæsarea autem ad radices montis Libani, vel potiùs Antilibani sita est. Marcus post historiam transfigurationis, et mox subsecutam Lunatici curationem statim hæc subjicit: *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam*, adeò ut quæ superiùs narrantur, non videantur facta in Galilæâ.

Vers. 1. — Et post dies sex, post sex integros dies, et partem utriusque extremi. Hinc Lucas, c. 9, post dies ferè octo id factum ait. Et ducit eos in montem excelsum seorsum: communis est opinio montem illum fuisse Thabor. Fr. Lucas Bragensis existimat hunc montem fuisse Libanum, priori opinioni id favet, quòd in Galilæâ hæc transfiguratio facta videatur. Nam in hoc capite, v. 21, id habemus: *conversantibus autem eis in Galilæâ*: Thabor in medio Galilææ situs est: sed posterior opinio ex superiori capite

Vers. 2. — Et transfiguratus est. Patidè mihi videtur hæreticus quidam interpres transtulisse, *et transformatus est*, cùm Græcum verbum μετεμορφώθη, non magis transformari quàm transfigurari significet, et transformandi verbum nec magis usitatum, quàm transfigurandi Latinis sit, quo sæpè Plinius, Quintilianus et Suetonius utuntur et periculosam includat ambiguitatem. Potest enim et ad externam figuram, et ad essentialem, quam vocant, formam referri, cùm manifestum sit, ut Hieronymus admonet, Christum non corporis sui naturam, sed externam tantùm speciem figuramque mutavisse.

Sicut sol. Omnia ferè Græcorum exemplaria legunt, ὡς τὸ φῶς, sicut lux : nostrum interpretem legisse constat ὡς ἥλιος, *sicut sol*, quemadmodùm et in nonnullis Græcis codicibus legitur; eamque lectionem omninò probandam existimo, et quia Marcus, cap. 9, 3, ita etiam scribit, et quia Hilarius, et omnes veteres auctores ita legunt, et quia comparatio similior et magis est usitata; non enim, quæ alba sunt, solemus lumini, sed nivi comparare; splendida lumini comparamus; beatorum autem gloria albis vestibus significari solet, ut Apocalypsis, cap. 1, 14, et 3, 4, 5, 18, et 4, 4, et 6, 11, et 7, 9, 13, et 19, 14. Fuerunt nostro tempore viri eruditissimi duo, qui existimaverunt apostolos in transfiguratione Christi vidisse divinitatem. In quam sententiam et plurimos auctores veteres, et ecclesiasticum hymnum, quasi ita sentiat Ecclesia, proferre solent :

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, solium, interminum,
Antiquius cœlo et Chao.

Minimè tamen illis assentior, neque ullum veterem auctorem ita sensisse credo, et ita sentire periculosum esse arbitror. Nam omnes illi, qui citantur veteres auctores, nihil aliud dicere voluerunt, quàm apostolos Christi divinitatem, id est, divinitatis signum oculis conspexisse. Argumentabantur enim adversùs Arianos, ut Christi divinitatem inde probarent, et in illo ipso hymno, quem proferunt, ecclesiastico id etiam explicatur :

Quicumque Christum quæritis,
Oculos in altum tollite;
Illic licebis visere
Signum perennis gloriæ.

Non igitur Christus divinitatem suam, quæ corporeis oculis videri non potuit, sed divinitatis speciem et corporis gloriam ostendit, quemadmodùm et hoc loco Hieronymus indicat, et D. Thomas in Theologiæ Summâ, 3 p., q. 45, art 1, ad 1, salutiliter explicavit: quam legere, qui subtiliora desiderant, theologi debent.

Vers. 3. — Moyses et Elias. Cur voluerit Christus aliquos ex alio mundo suæ transfigurationis testes adesse, meritò quæri potest. Hilarius respondet, ut resurrectionis fides suscitato Moyse confirmaretur; cæterùm non de resurrectione, sed de futuro Christi regno quæstio erat. Itaque duabus de causis interfuisse arbitror : altera, ne ros apostolis ficta videretur; altera, ut futurum Christi regnum ad virum repræsentaretur, sub cujus adventum Judæos testes mittendos esse testatur Joannes, in Apocalypsi, c. 11, 3. Cur autem hos potiùs duos quàm alios voluerit adesse, omnes veteres auctores hanc causam fuisse putant, ut per Moysem lex, per Eliam prophetæ significarentur, legemque et prophetas in Christum tendere, in eoque terminari docerentur. Tertullian., lib. adversùs Marcionem 4, hinc Marcionistas rejiciens, Christum legi et prophetis non esse contrarium, Hilar., Chrys., Hieron., Beda, et Euthym. hoc loco, et Ambros., in cap. 9 Lucæ, et August. in lib. de quinque Hæresibus, cap. 7. Alias idem Chrysost. et Euthym. rationes adferunt, quia multa uterque et Moyses et Elias miracula fecerat, et quia alii dicebant Christum esse Eliam, alii unum ex antiquis prophetis, Moysen autem antiquissimus fuit; et ut ostenderet vitæ et mortis se dominum esse, qui et adhuc viventem Eliam, et jam mortuum Moysen testes excitaret. Simile est, quod Hieronymus dicit, scribis et Pharisæis, signum de cœlo petentibus, et de cœlo Eliâ devocato, et de inferno suscitato Moyse signum dare voluisse. Alii, ut Moysis mansuetudinem, Eliæque zelum discipuli imitarentur, ut Euthymius exponit; Tertull. autem, in lib. adversùs Praxeam putat impletum esse quod Deus promiserat in Numeris, cap. 12, 8, se cum Moyse ore ad os locuturum esse. Verissimam ego causam, cur Moyses et Elias apparuerint, esse arbitror, quam doctus quidam nostri temporis interpres indicavit, quòd voluerit Christus futuri adventûs sui imaginem repræsentare; ante secundum autem ejus adventum Moyses et Elias venturi sint, quemadmodùm ex Apocalypsi, c. 11, 3, 4, 5, 6, haud obscurè colligitur : *Et dabo*, inquit, *duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis; hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini stantes, et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum, et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ut non pluat diebus prophetiæ ipsorum*, quibus verbis Elias : *Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plagâ, quotiescumque voluerint*, quibus verbis Moyses apertè describitur. Solet quæri, an verè apparuerint. Ita quidem omnes, quos ego quidem legi, auctores sentiunt. Strabum, et D. Thomam excipio; quorum ille, in Commentariis, in cap. 9 Lucæ existimat non verè ipsos, sed ipsorum imagines apparuisse : hic verò, in Commentariis ad hunc locum, Eliam quidem, quia mortuus non erat, verè adfuisse; Moysem autem, quia mortuus erat, non verum et integrum; sed ejus tantùm animam non proprio, sed alieno aliquo assumpto corpore apparuisse. Probabilius quòd omnes alii sentiunt auctores, utrumque verum, utrumque integrum fuisse. Nec enim conveniebat, ut mendacio veritas probaretur; et erat rationi consentaneum, ut quemadmodùm Christus non falsam, et adumbratam, sed veram, et expressam gloriam ostendebat; sic non falsis, et imaginariis, sed veris confirmaretur testibus. Quæritur etiam à quibusdam, quomodò apostoli Moysem, et Eliam, quos nunquàm viderant, cognoscere potuerint. Respondet Euthymius in antiquis Hebræorum libris eorum formas fuisse descriptas, vel ex traditione cognitum vulgò fuisse, quâ fuissent formâ. Theophylactus verò ex colloquiis, quæ inter se miscebant, ab apostolis cognitos fuisse putat : nam fortassè, inquit, Moyses dicebat : Tu es cujus ego passionem occiso agno, et celebrato Pascha præfiguravi; Elias verò : Tu es, cujus ego resurrectionem suscitato viduæ filio significavi. Scribit quidem Lucas, c. 9, 30, 31, sermones illos inter se aliquos miscuisse, non de his tamen rebus; *sed dicebant*, inquit, *excessum ejus, quem completurus erat in Hierusalem*, ideò, ut opinor, ut quod Christus de suâ futurâ morte paulò ante prædixerat, confirmarent, et apostoli offendi desinerent. Fieri etiam potest, quod alii dicunt, ut interna Dei inspiratione cognoverint. Narrat idem Lucas Petrum, et qui cum eo erant, gravatos fuisse somno, quem Chrysostom. non verum somnum, sed stuporem interpretatur, quod verò valdè simile est; quomodò enim in tantâ glorià dormirent? Nisi fortassè interim, dùm Christus orabat, dormire cœperint, quemadmodùm passionis tempore fecerunt, cap. 26, 40, 43, idque divino permisso, ut interim et Moyses et Elias venirent, et sese Christus transfiguraret. Quod et Lucas indicat dicens : *Et exigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo.*

Vers. 4. — Respondens. Hebraismus est respondere pro loqui, ut sæpè jam explicavimus.

Faciamus hic tria tabernacula; de se, et aliis apostolis mentionem non facit, de solo Christo, Moyse, et Eliâ sollicitos. Dubitatur à quibusdam, cur tabernacula facere voluerit, et in eo loco manere. Respondent Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius metu Judæorum id cogitâsse, atque dixisse, ne Christus, quemadmodùm paulò ante dixerat, in eorum manus traderetur; quasi in summo monte latere posset, et si opus esset, à Moyse et Eliâ defendi, quorum alter Ægyptios et Amalechitas : alter duos, aut tres centuriones cum ipsorum militibus devocato cœlitùs igne consumpserat. Sed hæc cogitatio vix Petro videtur digna. Vera igitur causa fuit, quam Petrus ipse indicat dicens : *Bonum est nos hic esse.* Bonum enim non utile, aut tutum, ut auctores illi interpretantur, sed jucundum vocat, quemadmodùm Galli dicunt, *il fait beau être ici.* Placuerat enim illi gloriosus ille Christi, Moysis, et Eliæ status, in quo eos permansuros credebat, si semper in monte commorarentur. Aliam videtur causam, cap. 9, 33, Lucas indicare; ait enim Petrum hoc dixisse, cùm vidisset Moysem et Eliam discessisse, quasi eos discedere doleret, vellletque ibi semper manere. Marcus, cap. 9, 6, et Lucas, cap. 9, 33, annotant Petrum nescisse quid diceret : unde Calvinistæ more suo occasionem arripiunt Petrum imprudenter accusandi, quasi Moysem et Eliam Christi collegas, illique pares facere voluerit; quod ne in mentem quidem illi venit; neque propterea evangelistæ dixerunt illum, quid diceret, nescivisse, quòd quidquam contra fidem locutus sit, sed quòd rude et quasi puerile desiderium magni amoris signum declaraverit, non considerans illis, qui tam gloriosi essent, opus non esse tabernaculis. Non autem consideravit, quia propter gloriæ magnitudinem, quam conspexerat, obstupefactus erat : *Erant enim*, inquit Marcus, *timore exterriti.* Juvat videre quanto verius, quamque meliore spiritu D. Ambros, quàm Calvinus Petri factum interpretetur. Is, in c. 9 Lucæ his verbis scribit : *Bonum est, inquit, nos hic esse. Hinc et illic : Dissolvi, et cum Christo esse multo melius. Nec tantùm contentus non tollum affectu, sed etiam factorum devotione præstantior ad exæstificanda tabernacula tria impiger operarius communis obsequii ministerium pollicetur. Et quamvis nesciret quid diceret, tamen pollicebatur officium : in quo non inconsulta pœnitentia, sed præmatura devotio fructum pietatis accumulat. Nam quod ignorabat, conditionis fuit : quod promittebat, devotionis.*

Vers. 5. — Ecce nubes lucida. In nube solere Dei majestatem ostendi innumeris locis patet. Exodi. 16, 10; et 19, 9, 16; et 24, 15, 16; et 33, 9, 10; et 34, 5; et 40, 32, 33, 34, 36. Unde et David dicit, Psalm. 107, 5 : *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*; et Christus ad demonstrandam majestatem suam dicitur ad judicium in nubibus cœli venturus esse, infra, cap. 24, 30, 26, 64. Cur id fiat, facilis conjectura est; nubes res est cœlestis; decla-

Unde apostoli viderunt Moysen et Eliam nubem subeuntes : ita ut ambo sublati in nubem ex apostolorum oculis evanuerint. Et ecce vox, extra nubem erant apostoli.

ratur ergo per nubem divina majestas, ut verus Deus, qui loquitur, cœlique dominator non falsus, non terrenus esse significetur. Atque hæc fuit causa, cur hoc loco nubes descenderit, ut vox illa, quæ audita est : *Hic est filius meus dilectus*, non alius, quàm Dei esse crederetur, quemadmodùm Euthymius animadvertit. Illa etiam fortassis, quam refellit Ambros, ut apostoli Dei loquentis majestatem interpositâ nube ferre possent ; nàm eamdem ob causam Moysi per nubem locutum legimus. Annotârunt Chrysost. et Theophylactus hanc nubem lucidam fuisse, non qualis in veteri Testamento esse solebat, caliginosam ; quia Deus non ad terrendum, sed ad docendum descendebat. Laudo allegoriæ subtilitatem sed potiùs propterea lucidam fuisse credo, ut rei, quæ agebatur, id est, Christi gloriæ, transfigurationique conveniret.

Et ecce vox de cœlo dicens. Recte Chrysost. observavit hanc vocem, postquàm Moyses et Elias discesserunt emissam fuisse, ut dubium non esset non ad alium quàm ad solum Christum esse referendam.

Hic est filius meus. Ambros. et Hieronym. existimant in pronomine *hic* emphasim esse, quasi dicat, non Moyses, non Elias, sed hic est filius meus. Idem hæreticorum interpretes, sed perverso animo dicunt, ut Petrum, quasi Moysem, et Eliam Christo æquantem carpant. Ego emphasim quidem in eo pronomine, sed aliam esse arbitror. Neque enim apostoli dubitabant non Moysem, non Eliam, sed Christum filium esse Dei vivi, cùm paulò ante, cùm nondùm Christi gloriam vidissent, id Petrus confessus esset. Itaque non opus erat ut Christus à Moyse et Eliâ cœlesti voce discerneretur. Hæc igitur est emphasis, *hic*, id est, quem fulgentem, ut solem ; quem gloriosum vidistis, est filius meus. Non enim hæc vox ad docendos discipulos Christum esse filium Dei missa est : sed ad docendum, qualis venturus esset, et confirmandum, quod cap. 16, 27, Christus dixerat : *Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui* et ad comprobandam Petri confessionem vers. 16 : *Tu es Christus filius Dei vivi*, ut aliis futuri regni Christi certior esset testis, quemadmodùm ipse testatur, 2 Epist., cap. 1, 18 : *Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto*. Hunc locum supra tractavimus, cap. 3, 17.

Ipsum audite. Constituit, aut esse indicat Christum legislatorem, cui obediendum sit. Audire enim hoc loco Hebræorum more significat obedire. Sic Psal. 2, 6 : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*. Tertul., lib. 4 contra Marcionem ad hunc modum interpretatur, *ipsum audite*, id est, non Moysem, neque Eliam, quasi hoc loco lex, et prophetæ abrogatæ

Vers. 6. — Ceciderunt, quia humana fragilitas, ait Hieronymus, conspectam majoris gloriæ ferre non sustinet.

Vers. 8. — Levantes oculos, ne si Moyses et Elias perseverâssent cum Domino, Patris vox videretur incerta, cui potissimùm daret testimonium, ait idem sint. Calvinistæ verò hæc verba in memoriâ figenda esse monent, ne alium, quàm ipsum Christum audiamus. Boni sanè consiliarii, quorum consilium utinam diligentiùs sequeremur, ne ullos unquàm hæreticos audiremus : nullum enim illi auditorem haberent.

Vers. 6. — Ceciderunt in faciem suam. Ineptè quidam Calvinistarum interpres exponit apostolos auditâ voce in terram adorabundos cecidisse : id enim Hebraicam phrasim significare נפל על פני *cadere in faciem*. Quod, ut plerùmque verum sit ; semper tamen verum non est ; Nam, 1 Reg. 17, 49, Goliath *in faciem cecidisse* dicitur non adorans, sed moriens, et Daniel, cap. 8, 17, et 10, 9, etiam dicitur *in faciem cecidisse* non adorabundus, sed visione perterritus et obstupefactus. In hunc autem locum ea phrasis convenire non potest ; quia statim evangelista, vers. 7, declarat, quare ceciderant. *Et timuerunt*, inquit, *valdè, et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis : Surgite, et nolite timere*. Unde manifestum est eos exanimes, aut semianimes fuisse ; propterea enim dicitur eos Christus tetigisse ; sicut solemus, ut ad se redeant, exanimes tangere. Timore ergo, non veneratione ceciderunt. At quare timebant ? Quis loquentem Deum non timeat ? *Vocem tuam*, inquit, *audivi, et timui, et vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis : vox Domini concutientis desertum*, Psal. 28, 4, 5, 7. *Leo rugiet, quis non timebit ?* id est, si rugierit, Amos 3, 8.

Vers. 9. — Et descendentibus illis de monte, præcepit eis. Alterum relativum abundat ex Hebræorum idiomate. Latinè dicendum erat, et descendentibus illis de monte, præcepit.

Nemini dixeritis visionem hanc. Hunc locum supra, cap. 16, 20, explicavimus. Probabile est quòd Hieronymus et Beda indicant, prohibuisse, ne in populum evulgarent ; nihil enim incommodi sequi poterat, si id alii apostoli scirent, et illud commodi, ut magis in fide confirmarentur ; ut autem omnis populus sciret, id sequebatur incommodi, ut cap. 16, 20, exposuimus, ut qui ejus audivissent gloriam, si postea confixum viderent, quasi falsâ gloriæ famâ decepti fuissent, à fide deficerent, ut Chrysost., Euthymius, Hieronym., Beda, et Theophylactus putant. Probabilius tamen, et evangelistis magis consentaneum videtur nec cæteros quidem apostolos scire voluisse : dicit enim Marcus, cap. 9, 10, verbum apud se tres illos apostolos contulisse ; et Lucas, cap. 9, 36 : *Et ipsi*, inquit, *tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex iis, quæ viderant*.

Donec filius hominis a mortuis resurgat. Cur non ante dici voluerit, supra exposuimus. Cur autem postea voluerit sciri, in promptu ratio est, quia illud incommodum, quod ante sequebatur, tunc sequi non

Hieronymus.

Vers. 9. — Nemini dixeritis visionem. Pergit Hieronymus : Non vult hoc in populos prædicari, ne et incredibile esset pro rei magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret.

poterat, et quia tunc totis velis evangelium erat prædicandum.

Vers. 10. — Quid ergo scribæ dicunt. Quorsùm hoc apostoli interrogent, difficultate non caret. Calvinistarum interpretes malignè et impiè interpretantur propterea hoc apostolos dixisse, quia non credebant Christum esse Messiam, de suo, ut opinor, ingenio apostolos judicantes. Hieronym., quia putabant eum jam in gloriâ venisse, cùm eum transfiguratum vidissent, et tamen Eliam discessisse. Ego ex proximis Christi verbis *donec filius hominis à mortuis resurgat*, occasionem eos sumpsisse arbitror id interrogandi. Quia enim dixerat *donec à mortuis resurgat*, se citò moriturum significaverat ; siquidem indicabat post ejus resurrectionem apostolos adhuc superstites dicturos esse, qui diù ætate jam grandes vivere non poterant. Ergo non intelligentes resurrectionis mysterium, ut docent evangelistæ, existimabant Christum antequàm moreretur in gloriâ illâ, de quâ locutus fuerat, venturum esse, ut redderet unicuique secundùm opera sua. Nam venturum esse post mortem animo comprehendere non poterant. Quia igitur putabant Christi adventum instare, videbantque Eliam nondùm venisse, eo saltem modo, quo venturus esse dicebatur, ut cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres revocaret, omniaque restitueret (nam in transfiguratione non tam venisse, quàm apparuisse videbatur), interrogant quomodò scribæ dicant ante ejus adventum Eliam esse venturum. Non erat ea privata scribarum opinio, sed omni Judæorum populo communis. Verùm, quia scribæ legis doctores erant, eamque traditionem, ut verosimile est, populo solebant explicare, illis eam attribuunt : quemadmodùm si quis apud nos de plebe dicat ; quomodò hoc, vel illud concionatores dicant, cùm id non concionatores modò, sed Christiani omnes, et Scriptura ipsa dicat : sed illitterati homines, qui Scripturam non legunt, omnia solent doctoribus aut concionatoribus attribuere.

Vers. 11. — Elias quidem venit. Tempus præsens ex vulgari loquendi more pro futuro positum est, aut potiùs pro infinito cum verbo debitum significante, quasi dicat : Elias quidem venire debet, aut Eliam quidem venire oportet. Sicut infra, vers. 24 : *Magister vester non solvit didrachma ?* id est, nonne debet solvere ? et Joan. 21, 23 : *Exigit sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur*, id est, moriturus non esset, aut mori non deberet. Christus affirmat Eliam venturum esse : Calvinistæ tamen, ut sibi videntur, sapientiores Christo non credunt : nosque quia id credimus simplices putant : et quod ait Christus Eliam venturum esse, de Joanne intelligendum esse dicunt : quemadmodèm idem Christus vers. sequenti videtur exponere : ferant tamen æquo animo, qui se spiritum Dei habere putant, simplicitatem nostram, ut Scripturæ potiùs quàm ipsorum sapientiæ fidem habeamus. Primùm quidem Christus non dicit Eliam jam venisse, sed venturum esse : nam quod vers. sequenti jam venisse dicit, non de eo Eliâ, quem hic venturum dicit, sed de Joanne Baptistâ loquitur, qui in spiritu, et virtute Eliæ jam venerat : et ex eo ipso, quòd de Joanne per præteritum, de Eliâ per futurum, aut per præsens loco futuri positum tempus loquitur, colligere debuerunt voluisse Christum docere præter Joannem, qui in spiritu Eliæ jam venerat, ipsum verum Eliam venturum esse ; deinde, quia addit, *et restituet omnia*, quod Joannes non fecit. Nam quòd isti interpretantur Joannem omnia restituisse, quia Christum prædicavit, qui omnia restituit, ineptum est. Nam isto quidem modo omnes, qui Christum prædicaverânt, omnia restituerunt. At manifestum est Christum Eliam aliis omnibus opponere, quasi solus post ipsum omnia restituerit. Quod autem dicit eum omnia restituturum, non malè quidem exponunt, quasi paraphasis sit verborum Malachiæ, cap. 4, 6 : *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum*. Etsi ego alium potiùs arbitror esse sensum, ut Elias omnia dicatur restituturus esse ; partim quia multa ipse per se restituit : partim, multòque magis, quia signum restitutionis omnium, id est, consummationis seculi futurus est, quod in Joannem convenire non potest. Præterea Malachiæ testimonium apertum est cap. 4, 5 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis*. Manifestum enim est prophetam de die judicii magno, et horribili loqui, ante quem Elias venturus promittitur ; non ergo de Joanne, sed de vero Eliâ id est intelligendum. Præterea auctor Ecclesiastici, cap. 48, 10, de Eliâ ipso loquens, et ad Malachiæ testimonium alludens, *qui inscriptus*, inquit, *est in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob*. Quemadmodùm et hoc loco Christus dixit, *et restituet omnia*. At liber, inquiunt Calvinistæ, non est canonicus. Id hæreticè et sine ratione dicunt : sed fingamus ita esse, certè ex eo intelligitur antiquissimâ traditio, quam Christus iisdem verbis confirmaverit, verum Eliam venturum esse. Præterea Joannes in Apocalypsi, cap. 11, 3, 6, tam apertè scribit Moysen et Eliam esse venturos, ut nemo non solùm sine te-

Vers. 10. — Cùm Eliam unà cum Moyse discedentem vidissent apostoli, neque id conciliare possent cum iis quæ acceperant à doctoribus de Eliâ venturo, qui Messiæ adventum anteverteret, Christum interrogant. Quid ergo, etc. Christus Dominus Malachiæ prophetiam iis exposuit, atque id futurum docuit, ut Elias posteriori adventui præcurreret. Et restituet omnia, Judæos scilicet in Ecclesiam adducendo, ut Enoch gentiles. Pharisæi autem et scribæ negabant Messiam advenisse, quòd nondùm venisset Elias, iique primum adventum cum secundo confundebant. Judæorum libri, ait vir doctus, R. Simo, ubique Eliæ adventum ante Messiam insinuant, qui eos edoceat quid faciendum sit.

Vers. 11 et 12. — Restituet omnia, cuncta in ordinem disponet. Jam venit. Quasi diceret : Eliam vultis Messiæ adventum prævertere, jam is venit, nimirùm Joannes Baptista in spiritu Eliæ. Quæcumque voluerunt. Hinc colligimus insidiis et invidiâ Pharisæorum Joannem traditum et occisum fuisse.

meritate, sed nec sine impudentiâ negare possit : *Et dabo*, inquit, *duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Quos qui futuri sunt, statim describit : *Hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat, diebus prophetiæ ipsorum.* Quis non videt Eliam? *et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plagâ, quoticscumque voluerint.* Quis non videt Moysem quasi digito demonstrari? Accedit, quòd ut vers. 3 docuimus, hæc ratio potissima fuit, cur Moyses et Elias potiùs quàm alii ex prophetis Domini transfiguratioui interfuerunt, quia voluit Christus futurum suum adventum tribus illis apostolis ante oculos ponere, et quia in secundo adventu suo Moyses, et Elias sunt præmittendi, ut ejus viam, quemadmodum in priori adventu Joannes fecit præparent, adesse eos voluit. Denique hæc omnium veterum auctorum opinio fuit; de Eliâ quidem constantissima, ac nemine dissentiente, quemadmodum supra, cap. 2, 4, probavimus : de Moyse minùs constans : nam secundum secundi adventûs Domini testem alii Moysem, alii Enoch futurum esse tradiderunt. Objicimat Calvinistæ, quòd versu sequenti Christus dicit : *Elias jam venit, et non cognoverunt eum*, et vers. 13 : *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptistâ dixisset eis.* Respondeo nos non ignorare Christum de Joanne Baptistâ locutum fuisse, et Joannem venisse in spiritu et virtute Eliæ, ut Angelus apud Lucam, cap. 1, 17, testatus est : sed affirmamus Christum non negare propterea, sed disertis potiùs verbis confirmare etiam Eliam ante secundum adventum suum esse venturum. Cùm autem dixit : *Elias jam venit*, tantùm voluit significare, quod attinet ad effectum, id est ad signum prioris adventûs, et ad pœnitentiæ prædicationem, quod utrumque in secundo adventu Elias facturus est cum jam venisse, quia in priori adventu Joannes utrumque præstiterat, quia sicut de secundo adventu Malachias dixit : *Ecce ego mitto Eliam prophetam*; sic de priori advento, et de Joanne Baptistâ dixerat, cap. 3, 1 : *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Voluit ergo Christus dicere non per id stare, quominùs Judæi crederent; sed quia perversi et obstinati erant. Elias enim ille, qui ante primum adventum promissus fuerat, id est, Joannes jam venerat. Quemadmodùm c. 11, 14, dixit : *Et si vultis credere, ipse est Elias.*

VERS. 15. — QUIA LUNATICUS EST. Marcus, c. 9, 17, mutum, et vers. 25, surdum fuisse dicit. Lucas verò, c. 9, 39, dæmoniacum fuisse declarat. Unde sequitur non fuisse, ut nonnulli putant, naturalem; sed à dæmone invectum morbum. Cur ergo lunaticus app llatur? Quidam utrumque fuisse existimant, et naturâ aut morbo lunaticum, et à dæmone vexatum. Verosimilius, quòd Chrysostomus scribit homil. 58, neque naturâ, neque morbo, sed dæmonis arte, ac vexatione lunaticum fuisse; nam quem Marcus surdum et mutum spiritum, quem Lucas dæmoniacum, Matthæus lunaticum appellavit. Quam verò ob rem quosdam dæmon lunaticos faciat, multas diversi auctores rationes adferunt; Origenes, tractatu 4 in Matthæum, Chrysostomus, homil. 58, Hieronymus in commentariis in c. 4 Matth., vers. 24, ut lunam Dei creaturam infamet, quasi morborum causa sit. Quod non tam mirabile est, quàm hæreticorum putant interpretes. Experientia enim docet, quanto studio persuadere dæmones conentur nonnullas creaturas plus, quàm illis natura concessit, habere virtutis. Beda verò et Euthymius, ut creatorem ipsum in invidiam et odium adducant, hominesque illum blasphement. Non est etiam illa improbabilis conjectura id aliquando dissimulandi et la tendi causâ dæmonem facere. Lucas videtur indicare dæmonem in hoc adolescente non perpetuò manere solitum, sed aliquando exire, aliquando redire; quod et Christus apud Marcum, cap. 9, 25, videtur significare, cùm dicit dæmoni : *Exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.*

VERS. 16. — ET OBTULI EUM DISCIPULIS TUIS, ET NON POTUERUNT CURARE EUM. Verosimile est hunc hominem, dùm Christus cum tribus discipulis in monte versaretur, filium suum reliquis discipulis obtulisse, ut Hilarius annotavit, illud durissculè addens, quemadmodùm olim populum, dùm Moyses in monte maneret; ità nunc discipulos dùm Christus in monte versaretur, fidem perdidisse. Nam, ut minorem quam debebant fidem habuerint, ut Christus, vers. 20, videtur significare : fidem tamen certè non perdiderunt. Simile quiddam videtur Chrysost. indicare dicens propterea discipulos dæmonem illum ejicere non potuisse, quia apostolorum columnæ non aderant; sed fidem eos perdidisse non dicit. Totam historiam Marcus, c. 9, 14, apertiùs et copiosiùs scribit, cùm Christus ex monte descendisset, invenisse discipulos et scribas, magnâ circumfusâ turbâ, disputantes, interrogâ-sque eos, quidnam id esset, de quo inter se disceptarent : hunc unus ex turbâ respondisse, vers. 17 et 18 : *Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, attidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et exsecit, et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt.* Ex quâ narrationis serie colligi videtur posse scribas de eâ ipsâ re cum Christi discipulis disceptâsse exprobrantes, quòd dæmonem illum ejicere non potuissent, ac fortasse dicentes inanem esse, et delusorium potestatem, quam se à Christo ad pellendos dæmones, aliaque miracula patranda jactarent accepisse. Putant autem Chrysost., Hieron., Theoph. et Beda hunc hominem tacitè apud Christum ejus discipulos accusâsse. Id de

VERS. 14. — LUNATICUS, sic dicuntur vexati à dæmone certis lunæ temporibus.

VERS. 16. — QUOUSQUE ERO VOBISCUM? Non quòd tædio superatus sit, ait Hieronymus, mansuetus ac mitis : sed quòd in similitudinem medici, si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat, usquequò accedam ad domum istam; quousque artis perdam industriam, me aliud jubente, te aliud perpetrante? Hæc verba non ad apostolos, sed ad patrem lunatici, et ad Judæos diriguntur.

homine Judæo facilè credi potest; sed benignùs interpretari possumus eum; non ut discipulos accusaret, sed, ut dæmoniis malignitatem, malique gravitatem exaggeraret, dixisse eos ejicere non potuisse.

VERS. 17. — O GENERATIO INCREDULA. Omnes ferè auctores existimant Christum hoc non de discipulis, sed de patre adolescentis, et de toto Judæorum genere dixisse ut Hilarius, Chrysost., Hieron., Beda, Strabus, Theophyl. et D. Thomas in commentariis. Quod valdè probabile est; ait enim Marcus, c. 9, 19 : *Ille autem*, id est, Christus, *respondens ei*, id est, patri adolescentis, *dixit : O generatio incredula.* Itaque patrem ipsum adolescentis et cæteros illius similes Judæos generationem appellavit. Argumentum etiam non minimum est, quòd ibidem, vers. 22, pater adolescentis Christo dicat : *Sed si quid potes, adjuva nos*, quasi de Christi potestate dubitaret, et quòd vers. 25, Christus responderat : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, quemadmodùm Chrysost. et Theophyl. observaverunt. Quidam tamen solis discipulis dictum putant, ut Origenes, tract. 4 in Matthæum : alii ad utrosque, et ad discipulos, et ad cæteros Judæos referunt; ut Lyranus. Monuerunt Hieronymus, Beda, Strabus, et D. Thomas hæc verba non esse indignantis, sed vitia reprehendentis.

USQUEQUO ERO VOBISCUM? Chrysostomo, Euthymio et Theophylacto non assentior, qui existimant Christum his verbis significâsse se moriendi teneri desiderio, ut à Judæorum pravitate liberaretur; potiùs enim credo verba esse salutem Judæorum desiderantis, et magistri de discipulorum moribus, et tarditate quærentis, sicut apostolis dixit, Joan. 14, 9 : *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe*, etc.

VERS. 18. — ET INCREPAVIT. Græcè ἐπετίμησεν αὐτῷ, id est, imperavit illi. Utrumque enim, et increpare, et imperare, et comminari significant, quemadmodùm Græcus auctor Euthymius, et in verborum proprietatibus observandis diligentissimus hoc loco, et supra, cap. 16, 22, admonuit. Imperandi autem significatio magis, quàm increpandi convenit in hunc locum : quod Marcus explicavit dicens Christum imperâsse dæmoni dicendo : *Ego præcipio tibi, exi ab eo.* Itaque quod Hieron., Beda et Theophyl. dubitant, quò pronomen illud referatur, ad dæmonem, an ad adolescentem, sine causâ dubitant : nam et ex eo Marci loco, et ex eodem capite, vers. 21, et ex Luca, cap. 9, 42 perspicuum est non ad adolescentem, sed ad dæmonem esse referendum.

VERS. 20. — PROPTER INCREDULITATEM VESTRAM. Ante patris adolescentis, omniumque Judæorum incredulitatem publicè reprehenderat : nunc apostolorum incredulitatem non publicè, sed privatim, ut eorum auctoritati consulat, reprehendit. Incredulitatem autem, ut ego quidem interpretor, non infidelitatem, aut minimam etiam fidem : magnam enim apostolos habuisse credendum est : sed fidem minorem, quàm habere apostolos tam diù cum Christo versatos tot, tantisque visis miraculis oportebat. Propterea enim eos Christus reprehendit. Credibile etiam est, quod Chrysost., Hieron., Beda, Strabus, Theophylact. et D. Thom. existimant apostolos non solùm propter suam, sed etiam propter parentis adolescentuli incredulitatem dæmonem expellere non potuisse; quod ex Marco colligitur ubi Christus patri dicit : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, quasi indicans propter ejus incredulitatem non potuisse apostolos priùs ejicere.

SI HABUERITIS FIDEM. Chrysostomus et Euthymius fidem miraculorum, non eam, quâ Christiani sumus, intelligunt : itemque nostri temporis hæretici, quorum errorem miror, nonnullos doctos etiam et catholicos interpretes, dùm parùm cautè hæreticorum scripta legunt, imprudenter secutos esse. Nolo in eodem errore Chrysostomum et Theophylactum ponere, quia scio eos tam bono, quàm hæreticos malo animo idem dixisse; hæreticos, ut multas fides, cùm nullam haberent, fabricarentur; Chrysostomum verò, et Theophylactum, ut discipulorum culpam elevarent, ne viderentur illam ipsam fidem, quâ Christiani sumus, non habuisse. Calvinistarum errorem, cap. 9, 2, copiosè, et, nisi fallor, efficaciter refutavimus. Idem quoque ex hujus loci circumstantiis re utari potest. Primùm, quia minimè dubium est, quin Christus, dùm hoc dicit, apostolos reprehendat, et eorum incredulitatem accuset, quemadmodùm Marci 16, 14, eorum incredulitatem dicitur exprobrasse, *quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.* Nemo autem reprehendi potest, quòd fidem miraculorum non habeat. Est enim donum Dei, non ex humanâ, sed ex divinâ solùm pendens voluntate : quod non iis, qui volunt, quemadmodùm ea fides, quâ Christiani sumus; sed iis, quibus Deus vult, concedi solet; iis etiam aliquando qui Christianam non habent fidem, quemadmodùm prophetia, et aliorum miraculorum dona, sicut supr., c. 7, 22, disseruimus : quare non magis reprehendi apostoli potuerunt, quòd fidem miraculorum non haberent, ut fingamus aliquam esse distinctam miraculorum fidem, quàm quòd non haberent donum prophetiæ. Præterea eodem modo patris adolescentis, quo apostolorum incredulitatem Christus reprehendit. Incredulitas autem illa, quam in patre reprehendebat, non miraculorum; sed christianæ fidei opponebatur, quia de Christi divinitate, potentiâque dubitabatur; ergo et in apostolis non fidei miraculorum; sed christianæ defectum reprehendit. Deinde quia hoc non solùm reprehendendo, sed etiam exhortando, Christus dicit, ut statim sequitur : *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis.* Nemo autem quemquam

VERS. 19. — PROPTER INCREDULITATEM, id est, fidem minorem quàm oporteret. GRANUM SINAPIS, fervens et acre : ad captum eorum se demittens rei omninò spiritali molem tribuit.

VERS. 20. — HOC GENUS NON EJICITUR NISI PER ORATIONEM ET JEJUNIUM. Eos consolatur quòd puerum eorum tantâ multitudine sanare non potuerint : videtur Christus de peculiari aliquo genere dæmonum obstinatiore loqui.

exhortatur, ut donum miraculorum habeat, sicut neque, ut habeat prophetiam, aut linguarum donum, quia id non in nostrâ situm est potestate. Denique manifestum est de eâdem fide Christum loqui, de quâ 1 ad Cor. 13, 2 loquitur D. Paulus; ad hunc enim locum alludit : *Si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* D. autem Paulum non de fide miraculorum (quanquàm de eâ etiam Calvinistæ eum locum interpretantur), sed de Christianâ, quæ una ex tribus theologicis virtutibus est, loqui ex versu 13, perspicuum est : *Nunc*, inquit, *manent, fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.*

Sicut granum sinapis. Omnes ferè et veteres, et novi auctores, ut Origenes, tract. in Matthæum 4, Hieron., Beda et Strabus, alicubi etiam D. August. fidem hic non magnitudine, sed efficacitate et acrimoniâ comparari putant : quasi dicat Christus, si habueritis fidem tam ardentem, tam vehementem, tam efficacem, quàm granum sinapis est, *dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit.* Quod etsi à multis summisque auctoribus probatum est, difficultate non caret. Primùm, quia non solemnis res ardentes, et efficaces : sed parvas grano sinapis comparare, ut supra, cap. 13, 31, 32. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est omnibus seminibus.* Res verò ardentes, et efficaces igni potiùs, quàm grano sinapis comparari solent : sicut Evangelium comparatur Luc. 12, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Deindè quia si propter acrimoniam, et ardorem grano sinapis fides comparetur, non fuit necesse dicere : *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis*; sed : Si habueritis fidem, sicut sinapi, ut natura, et effectus, non exiguitas significaretur. Cùm autem non sinapi, sed granum sinapis dictum sit : manifestum est non vim, et naturam; sed parvitatem significatam fuisse. Præterea non obscura antithesis est inter granum sinapis, et montem; illam rem minimam, hanc maximam. Voluit enim Christus dicere vel minimam fidem, quale granum sinapis est, vel maximum montem posse transferre : de fidei igitur magnitudine, aut parvitate, non de efficacitate agitur. Non quòd non etiam efficacitas inde colligatur : sed quòd non efficacitate; sed exiguitate grano sinapis fides conferatur. Accedit quòd, etsi videri potest exiguum, magnum tamen apud me argumentum est, quia ex Christi ingenio, et majestate sumitur. Si dicere voluisset : Si habueritis fidem tam ardentem, quàm granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit : sensus quidem verus esset : sed vulgaris, humilis, abjectus, inefficax, et magnitudine ingenii Christi minimè dignus. Quid enim gratiæ, aut acuminis habet : Si habueritis ardentem fidem, montes transferetis? scimus enim quem propter ardorem solere magna pondera propellere. Minimam autem fidem, id est, grano sinapis similem ingentem montem posse transferre, id et gratiam propter antithesim, et acumen propter inspe-ratam sententiam habet. Confirmat me aliquorum antiquissimorum auctorum judicium, quos testatur Hieronymus ita sensisse. Itaque quod Origenes, Hieronymus, Beda, et Strabus existimant hic non minimam, sed maximam potiùs fidem grano sinapis comparari, quam D. Paulus omnem, id est, totam, integram, et perfectam fidem appellet, sententiæ hujus loci mihi videtur esse contrarium. Video, quid objici mihi possit, quidque omnes, qui contra sentiunt, auctores moverit. Certum est D. Paulum 1 ad Cor. 13, 2, ad hunc locum alludere voluisse, atqui non de minimâ, sed de maximâ fide loquitur, *si habuero*, inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam.* Respondeo eamdem fidem diverso respectu, et à Christo minimam, et à D. Paulo maximam appellari : minimam quidem à Christo ad eam, quam apostolos tam diù cum ipso versatos habere oportebat; non enim significat apostolos ne minimam quidem habere fidem, quippe magnam habebant, qui ipsum paulò ante filium Dei confessi fuerant; sed reprehendentis more utitur hyperbole, et exaggeratione, quasi dicat : Si minimam fidem habueritis, id est, tantam, quantam habere deberetis, non majorem, diceretis monti huic : Transi hinc, et transiret. Quemadmodùm homini alioqui ingenioso, minùs tamen, quod dicimus, intelligenti objurgantes dicere solemus : Si vel minimum habueres ingenium, hoc intelligeres. Non enim significamus eum ne minimum quidem ingenii habere; sed minùs habere, quàm ut hoc intelligeret, oporteret : hoc ergo sensu Christus minimam fidem appellavit. D. autem Paulus eamdem fidem comparatione ejus, quam aut ipse, aut alii vulgò habebant, maximam vocat, quia nemo dùm eò pervenisse videbatur fidei, ut montes verbo transferre posset. Hinc intelligitur, necessarium non esse, ut omnis, qui minimam fidem habet, transferat montes. Neque verò omnis, qui maximam habet. Nam apostolos si non tunc, at certè postea tantam illam fidem, quantam in illis tunc Christus desiderabat, ut montes transferre possent, habuisse credendum est. Nec tamen montem illos ullum transtulisse leginus. Etsi, quod Chrysost., Euthym. et Theophylact. scribunt, probabile esse non nego eos, id aliquando fortasse fecisse; sed sacris Litteris mandatum non esse, quia nec omnia Christi miracula, ut ait D. Joannes, scripta sunt. Recte idem auctores dicunt, si non apostolos, apostolicos tamen viros id præstitisse alludentes, ut opinor, ad notam Neocæsariensis Gregorii historiam, qui, ut Eusebius lib. 7, cap. 25, auctor est, ut Ecclesia quædam ædificaretur, montem, qui obstabat, in alium locum transposuit. Cur autem id apostoli non fecerint, prudenter fidem auctores respondent, quia necesse non fuit. Nec enim apostoli, sicut nec Christus, omnia quæ potuerunt : sed quæ oportebat, quæque necesse erat facere, fecerunt; necessitatis autem regula Dei gloria est; ea cùm postulat, miracula facienda, cùm non postulat, prætermittenda sunt. Hieronym. et Beda in Commentariis, et D. August., lib. 1 Quæst. Evang., c. 29, allegoricè explicârunt qui superbiam humanam, quam apostoli transtulerunt atque superârunt, per montem intelligunt.

Et nihil impossibile erit vobis. Non docet quid illis, sed quid fidei possibile sit; sicut Marci 9, 23 : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Fides enim quasi Dei manus est, quidquid Deus potest, fides potest, et ii qui fidem habent possunt, quia non suis sed Dei manibus operantur. Nec propterea sequitur, ut annotat D. Thom., eos esse, dicique posse omnipotentes : omnipotens enim dicitur non quisquis omnia potest, sed quisquis suâpte naturâ et virtute potest, qualis solus est Deus.

Vers. 21. — Hoc autem genus. Athanasius in lib. de Virginitate, Chrysost., et D. Thom. in hujus loci Commentariis existimant non unum aliquod certum, sed omne dæmoniorum genus significari, quòd ejusmodi sunt omnes, ut non nisi per orationem et jejunium expelli possint. Verùm multa dæmonia apostoli non oratione et jejunio : sed nominis Christi invocatione pepulerant, Lucæ 10, 17 : *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Loquitur ergo Christus de certo aliquo dæmoniorum genere, in quo expellendo plus sit, quàm in aliis difficultatis : ita ut orationem etiam, atque jejunium oporteat adhibere. Quod autem id genus sit, incertum; Hieronym. hoc loco, et Leo, sermone 2 de Jejunio septimi mensis, existimant nequissimum dæmoniorum genus significari. Alii antiquissimum, id est, quod diù hominem possederit, quasi ut difficilius est diù inveteratos, quàm recentes curare morbos; ita etiam sit difficilius eos dæmones, qui diù, quàm qui brevi tempore in homine fuerint, expellere. Ideò putant interrogâsse Christum apud Marcum, cap. 9, 21, quantùm temporis esset, ex quo hoc illi accidisset. Mihi obstinatissimum et ferocissimum genus dæmonum videtur indicari : loquitur enim Christus de dæmone tanquàm de aliquo hoste arcem custodiente, qui, quò ferocior et obstinatior est, eò difficiliùs pelli potest, sicut Lucæ, 11, 21 : *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet.* Hoc mihi colligi ex effectu videtur; fecerat hic dæmon adolescentem illum lunaticum, mutum, et surdum, quales obstinatissimi homines esse solent, cerebri phantastici, superbi, qui nihil rogantibus respondeant, precibus surdi. Disputavimus de hâc re, cap. 22, ubi ex hoc loco diversa dæmonum esse genera docuimus.

Nisi in oratione et jejunio. Errant hæreticorum interpretes existimantes orationem et jejunium non nisi tanquàm cautes, quibus fides acuitur, desiderari : solâ enim fide dæmonem pelli, cæteraque fieri miracula. Quod si verum esset, sufficiebat superior illa sententia, vers. 20 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc, et transibit.* Nunc autem manifestum est Christum fidem, orationem, et jejunium, tanquàm tria distincta remedia, proposuisse. Fateor et orationem fidem, et jejunio orationem excitari, sed non propterea neque orationis, neque jejunii ullæ sunt partes. Similis eorumdem error est, jejunium nihil habere meriti, quod jam olim similis ipsorum hæreticus Jovinianus dixerat, quem Hieronymus confutavit. Quid ergo ad pellendum dæmonem jejunium valet? Nam quid fides, quid oratio valeat, obscurum non est. Respondeo, quid valet crapula ad alliciendum, ac detinendum dæmonem? Quemadmodùm ergo crapula delectatur, ita jejunium ferre non potest. Fides credendo, oratio petendo, jejunium tacendo, sed flagellando, et urendo dæmonem pellit. Quemadmodùm hostes non solùm tormentis, aut jaculis, sed etiam fame pelluntur. Dubium inter interpretes est, uternam orare ac jejunare debeat, is ne qui dæmonem pellit, an is à quo pellitur : sunt enim, qui putent Christum significare eum, à quo pellendus dæmon est, jejunare debere. Alii utrumque, ut Chrysostom., Euthymius, et Theophylactus. Non dubito utriusque jejunium, orationemque juvare : sed Christus de eo tantùm, qui dæmonem expellit, mihi videtur loqui; docet enim apostolos, quemadmodùm hoc dæmoniorum genus ejicere debeant.

Vers. 22. — Conversantibus autem illis in Galilæa, ἀναστρεφομένων δὲ αὐτῶν, vel conversantibus, vel revertentibus, ambiguum enim est. Sed meliùs credo nostrum interpretem conversantibus reddidisse, quia jam diù Christus in Galilæâ versabatur : neque Evangelistæ postea dixerunt eum exivisse. Nam ex Phœnicià, quò supra Matthæus, cap. 15, 21, dixerat ivisse, jam diù redierat : et constans opinio est eum in Galilæâ fuisse transfiguratum; ergo sensus est, cùm adhuc in Galilæâ versarentur, antequàm inde exirent. Postea enim exiverunt, ut in Judæam venirent, et Lazarum Christus suscitaret. Joan. 11, 14, 15.

Vers. 24. — Accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum. Chrysostom., Hieronym., Beda, Theophylact. et Euthym. existimant, propter miraculorum Christi magnitudinem reverentiæ causâ ausos non fuisse ad Christum accedere. Quod probabilius videtur esse, quàm quod iidem probabile etiam esse putant, eos fortasse malitiosè ad Petrum potiùs, quàm ad Christum accessisse, ut ex eo faciliùs elicerent, num Christus tributum Cæsari solveret, ut, si negaret, occasionem caperent accusandi. Cur autem ad Petrum potiùs quàm ad alium discipulum accesserunt, vers. 27 dicemus. Didrachmum autem argenteæ monetæ genus erat idem prorsùs valens, atque duo Hispanica regalia, duo Italici julii, decem solidi Gallici hoc quidem tempore. Nam regale Hispanicum drachmam unam argenti pendit : et didrachmum duas, ut nomen indicat, drachmas continebat; sicut tridrachmum tres, tetradrachmum quatuor, id est, siclum Hebraicum. Siclus enim Judæorum tantùm pendebat, quantùm quatuor Hispaniça regalia, et quantùm francus Gallicus, quem Henricus III cudit. Quod autem tributum id fuerit, non omnibus convenit. Hilarius existimat illud fuisse, quod Exodi 30, 13, nitide tributa exigebant. Capharnaum verò in ditione erat Philippi tetrarchæ. Vespasianus é debellatis Judæis hoc tributum ab iis postea solvi jussit.

Vers. 25. — Didrachma, seu dimidium sicli. Hoc tributum non Romanis, sed templo solvebatur ex Josepho, l. 18, c. 12, didrachma quod more patrio Deo solent offerre. Nec Romani in Galilæâ et Trachonitide tributa exigebant. Capharnaum verò in ditione erat Philippi tetrarchæ. Vespasianus é debellatis Judæis hoc tributum ab iis postea solvi jussit.

singuli Judæi solvere singulis annis in templum jussi sunt, *hoc*, inquit, *dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur domino.* Et quidem pondus, et pretium rectè convenit; nam, ut diximus, tetradrachmum, id est, quatuor drachmæ siclum efficiebant; unde sequitur didrachmum, id est, duas drachmas dimidium sicli effecisse, quod singuli Judæi majores viginti singulis annis pendere jubentur. Ex eo autem Exodi loco Lyrani opinio à multis jam refutata apertè convincitur. Putat enim didrachmum solidum fuisse Gallicum, id est, duodecim, ut ipse vocat, parvos Turonicos; cùm Moyses dicat siclum viginti obolos habuisse; constat autem obolum unum idem fuisse, atque solidum Gallicum. Nam, ut diximus, ex ipso pondere certum est francum unum, unum siclum pependisse, sicut quatuor Hispanica regalia, et francum viginti solidos, sicut siclum viginti obolos habere. Itaque didrachmum, quod Lyranus unum tantùm solidum habuisse putat, decem solidos habebat. Plura de hâc re non dicimus, quia multi de eâ auctores copiosè dit genterque tractaverunt; tantùm pretium pecuniæ ad usum nostri temporis accommodavimus. Quod ideo dicimus, ut ne quis miretur, si apud alios legerit didrachmum septem solidos, apud nos decem habere. Tunc enim Hispanicum regale, quæ drachma argenti est; tribus solidis cum semisse æstimabatur, nunc æstimatur quinque. Chrysostomus verò, Euthymius, et Theophylactus existimant hoc fuisse tributum, quod Judæi jussi sunt Domino dare Numerorum 3, 46, 47, propter eos primogenitos, quibus cæteræ tribus Leviticam excedebant. Quod ne probabile quidem est. Illud enim tributum non nisi semel, et non nisi à primogenitis, et non nisi à ducentis septuaginta tribus solutum est, quibus tunc inventæ sunt reliquæ tribus Levitarum tribum superare. Itaque multò verior est Hieronymi et Bedæ sententia, qui existimant hoc vectigal illud esse, quod Augustus Judæis imposuit, cùm jussit, ut universus orbis describeretur, Lucæ 2, 1, verosimilis ejus rei conjectura est, quòd Vespasianus expugnatis postea Hierosolymis tantùm Judæis tributi imposuerit, quantùm ante templo solvebant, ut Josephus, libro 7 de Bello Judaico, c. 26, auctor est, et est credibile Vespasianum illud ipsum tributum, quod Augustus imperaverat, et à quo sese Judæi rebellando exemerant, illis ubicumque, ut ait Josephus, terrarum essent, reposuisse. Atque hoc fortassè dicere Hilarius voluit Christum illud solvisse tributum, quod Judæi templo solvebant, quasi non Cæsari, sed patri suo solverit.

Vers. 25. — Etiam. Respondet Petrus affirmanter, antequàm consulat Christum. Unde colligitur, aut metu eum ita respondisse, ne si negare, aut dubitare videretur, publicanos offenderet, quasi Christus ex eorum numero esset, qui, ut postea accusatus est, negabant tributum dari Cæsari, aut quia de Christi voluntate non dubitabat, aut quia sciebat Christum aliis annis solitum solvere, quod multò est probabilius. Cùm enim publicani interrogant, *magister vester non solvit didrachma?* sensus est, non solet solvere? est enim verbum non actionem, sed consuetudinem significans, qualia in Scripturâ multa notavimus. Unum satis erit exemplum Joannis 4, 9: *Non coutantur Judæi Samaritanis*, id est, non solent uti. Petrus autem respondet *etiam*, confirmans Christum solitum solvere. Cur ergo evangelistæ hujus tantùm anni solutionis meminerunt? ut miraculum, quod propter solutionem factum est, exponerent.

Reges terræ. Quod Christus Petrum prævenit, ejusque cogitationem novit, magnum per seipsum miraculum fuit. Videtur autem Christus non convenienter Petrum interrogare: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filiis, an ab alienis?* quia videtur indicare, aut se terreni regis esse filium, et quidem Cæsaris, siquidem eâ ratione probare vult se non debere Cæsari solvere tributum; aut tributum illud non Cæsari, sed Deo, cujus ipse filius erat, datum fuisse. Respondeo eum à minori ad majus argumentari, ut D. Chrysostom. annotavit, quasi dicat: Si filii Regis terreni illi tributum non debent; ego qui Dei regis Regum filius sum, nulli regi debeo. Potuit etiam alludere ad originem illius tributi, quod petebatur, quæ, ut diximus, ea fuit, ut templo, id est, Deo solveretur, quemadmodùm Hilarius, et Theophylactus existimant. Disputant nonnulli, an reverà Christus, tanquàm homo, tributum debuerit: Respondent debuisse, quia D. Paulus testatur illum per omnia nobis, excepto peccato, similem factum fuisse, et hoc loco, non tanquàm hominem, sed tanquàm Deum argumentari se à tributo liberum esse. Id, an dici possit, doctiores viderint; ego quidem non dixerim. Objici potest, quòd Christus non de se tantùm, sed etiam de Petro loqui videatur, et quòd dicat plurali numero liberos esse filios, et quòd paulò post addat: *ut autem non scandalizemus eos.* Priori ratione non moveor, quia certum est Christum de se, tanquàm de naturali Dei filio, locutum esse; qualis Petrus non erat. Itaque non potuit eum filiorum nomine comprehendere; sed locutus pluraliter est, quia de omnibus generaliter regum filiis loquebatur. Secundâ magis moveor, quare videtur mihi Christus significare voluisse nec se, nec discipulos suos tributum debere; se, quia filius Dei erat; discipulos suos, quia ipsius familiares, et domestici censebantur. Et non solùm regum filii; sed eorum etiam domestici à tributis liberi sunt. Quod autem quidam disputant, utrùm omnes Christiani, quia filii adoptione Dei, aut quia quodammodò Christi familiares sunt, tributis soluti sint, ne locum quidem ullum dubitationis habere puto. Nam etsi Christiani adoptione filii sunt Dei, Christique nomen gerunt, tamen ejus domestici, ut apostoli non sunt; et D. Paulus ad Roman. 13, 7, Christianos jubet suum cuique reddere, cui honorem, honorem; cui tributum, tributum. Neque D. Augustinus, qui in eam sententiam citari solet, lib. 1 Quæst. evangelicarum, c. 25, ita sensit. Majore probabilitate potuissent Hieron. allegare, qui ita ad hunc locum scripsit: *Ille ero nobis*

et crucem sustinuit, et tributa reddidit; nos pro illius honore tributa non reddimus, et quasi filii regis à vectigalibus immunes sumus. Sed aut allegoricè loquitur, quòd tributum, ut ante solebamus, diabolo non solvamus; aut de solis agit Ecclesiasticis, qui ipsius tempore Christianis jam imperatoribus à vectigalibus immunes erant.

Vers. 27. — Ut autem non scandalizemus eos. Non fuisset datum sed acceptum, ut theologi vocant, scandalum, sed id ipsum, cùm facilè posset, vitare voluit. Itaque, quod theologi vulgò dicunt scandalum datum, non acceptum esse vitandum, non est pro certâ ac perpetuâ regulâ accipiendum. Nam et Christus hoc loco, D. Paulus ad Rom. 14, 21, et 1 ad Cor. 8, 13, etiam scandalum acceptum fugiendum putaverunt; cùm idem Christus, supra, c. 15, 14, vitare noluerit, sed contemnendum putaverit: *Sinite*, inquit, *illos, cæci sunt, et duces cæcorum;* quemadmodùm Chrysostomus, et Euthymius annotârunt. Idem respondent id Christum pro ratione temporis, et aliarum circumstantiarum fecisse. Illic enim gloria Dei postulabat, ut propter Pharisæorum scandalum à docendâ veritate non desisteret: eadem gloria hic postulabat ut, cùm facilè posset solvere tributum, publicanos non offenderet, et malevolis Judæis criminandi occasionem non daret. Nam et cùm semper tributum solvisset, tamen accusatus est postea, quòd tributa Cæsari solvere prohiberet, Lucæ, 23, 2. Idemque nobis faciendum esse monent.

Et tum piscem, qui primus ascenderit. Magnum hoc fuisse miraculum certum est; sed meritò Hieronym. dubitat, in quâ re fuerit; utrum in eo, quòd sciverit Christus, quis esset ille piscis, qui in ore staterem haberet: an in eo, quòd sciverit illum primum omnium ascensurum esse: an quòd fecerit ipse, ut ille primus ascenderet: an quòd in eo, qui primus ascendit, staterem ipse solo verbo formaverit. Quod postremum mihi videtur probabilius, quia non solent pisces, si quando staterem, aut aliam pecuniam deglutiunt, eam in ore habere, sed in ventre. Itaque ille piscis, si staterem illum ipse accepisset, non in ore, sed in ventre habuisset. Nam quod nonnulli discrunt, quemadmodùm Theophylactus recitat; staterem illum non pecuniam fuisse, sed margaritam, quam pisces habere solent, simile vero non est: quia nec margaritæ in ore, sed in ventre; nec in piscibus, qui reti capiuntur, sed in solis conchyliis, quæ urinatores à scopulis maris manibus avellunt, reperiri solent.

Staterem. Stater apud Græcos idem erat, atque siclus apud Judæos, eademque est Hebraici, et Græci nominis origo; utrumque enim pondus significat. Itaque idem erat stater, et tetradrachmum, id est, duo didrachma; propterea jubet Christus pro se, et pro Petro staterem dari, quia unusquisque didrachmum, id est, dimidium sicli pendere debebat.

Pro me, et te. Quare pro Petro potiùs, quàm pro aliis apostolis dari tributum jusserit, solet hic disputari. Chrysostom. et Euthym. respondent tributum illud à solis primogenitis fuisse solvendum; Petrum autem primogenitum fuisse. Quæ opinio præterquàm quòd versu præcedenti refutata est, ex eo etiam refutari potest, quòd inter alios etiam apostolos aliquos fuisse primogenitos credendum est. Melior est altera illa ratio, quam fidem auctores, et Hieronymus adferunt, propterea Christum pro se et Petro solvisse, quòd apostolorum caput esset. Scio hanc rationem nostris hæreticis non placere; sed multò profectò est, quàm illa, quam ipsi adferunt, probabilior, ideò pro Petro solvisse Christum, quòd in ejus diversaretur domo. Nam cap. 8, 14, apertè probavimus Petrum in Capharnaum domum non habuisse. Alii existimant solum Petrum cum Christo tunc non fuisse, cùm de aliis discipulis mentio non fiat: aut propterea pro illo solvisse, quia illum tantùm publicani adierant. Inepti verò hic hæretici sunt, qui hinc Romani Pontificis primatum refellunt, et Ecclesiæ immunitatem tollunt, quòd Petrus tributum solverit. Nam istâ quidem ratione nec Christus quidem Ecclesiæ caput esset: solvit enim tributum; at solvit, cùm non deberet; nec Petrus, ut antè probavimus, debebat. Et non considerant Petrum, si nunc inter Christianos reges in vivis esset, Ecclesiamque gubernaret, solutorum non fuisse. Alia à veteribus auctoribus quæstio proponitur: quare Christus, cùm loculos haberet, et mulieres religiosæ, quæ illum ex Judæâ sequebantur, necessaria ei suppeditarent, non ex suis loculis, sed ex pisce tributum solvit? Ratio quam Hieronymus reddit, noluisse Christum bona pauperum in tributum convertere, à paucis probata est. Nam, quæ in loculis erant, ad omnia necessaria mittebantur, et tributum solvere, quando ita Christus volebat, unum erat ex necessariis. Chrysostom. et Euthym. putant Christum ostendere voluisse se, etiamsi tributum solveret, et terræ et maris dominum esse, quandoquidem ex mari ipse tributum acciperet. Magis altera ratio, quam iidem reddunt, mihi placet: Ita Christum tributum solvere voluisse, ut nec publicanos offenderet, nec suum perderet privilegium, dùm non ex suo, sed ex invento solveret. Quanquàm ego veram suspicor esse rationem, quòd tunc alii discipuli, qui loculos gestabant, non adessent, et cùm nollet publicanos offendere, ad solvendum tributum miraculum fecerit.

CAPUT XVIII.

1. In illâ horâ accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum?

2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

CHAPITRE XVIII.

1. En ce même temps, les disciples s'approchèrent de Jésus, et lui dirent: Qui pensez-vous qui est le plus grand dans le royaume des cieux?

2. Et Jésus appelant un petit enfant, le mit au milieu d'eux,

singuli Judæi solvere singulis annis in templum jussi sunt, *hoc*, inquit, *dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur domino.* Et quidem pondus, et pretium rectè convenit; nam, ut diximus, tetradrachmum, id est, quatuor drachmæ siclum efficiebant; unde sequitur didrachmum, id est, duas drachmas dimidium sicli effecisse, quod singuli Judæi majores viginti singulis annis pendere jubentur. Ex eo autem Exodi loco Lyrani opinio à multis jam refutata apertè convincitur. Putat enim didrachmum solidum fuisse Gallicum, id est, duodecim, ut ipse vocat, parvos Turonicos; cùm Moyses dicat siclum viginti obolos habuisse; constat autem obolum unum idem fuisse, atque solidum Gallicum. Nam, ut diximus, ex ipso pondere certum est francum unum, unum siclum pependisse, sicut quatuor Hispanica regalia, et francum viginti solidos, sicut siclum viginti obolos habere. Itaque didrachmum, quod Lyranus unum tantùm solidum habuisse putat, decem solidos habebat. Plura de hâc re non dicimus, quia multi de eâ auctores copiosè dit genterque tractaverunt; tantùm pretium pecuniæ ad usum nostri temporis accommodavimus. Quod ideo dicimus, ut ne quis miretur, si apud alios legerit didrachmum septem solidos, apud nos decem habere. Tunc enim Hispanicum regale, quæ drachma argenti est; tribus solidis cum semisse æstimabatur, nunc æstimatur quinque. Chrysostomus verò, Euthymius, et Theophylactus existimant hoc fuisse tributum, quod Judæi jussi sunt Domino dare Numerorum 3, 46, 47, propter eos primogenitos, quibus cæteræ tribus Leviticam excedebant. Quod ne probabile quidem est. Illud enim tributum non nisi semel, et non nisi à primogenitis, et non nisi à ducentis septuaginta tribus solutum est, quibus tunc inventæ sunt reliquæ tribus Levitarum tribum superare. Itaque multò verior est Hieronymi et Bedæ sententia, qui existimant hoc vectigal illud esse, quod Augustus Judæis imposuit, cùm jussit, ut universus orbis describeretur, Lucæ 2, 1, verosimilis ejus rei conjectura est, quòd Vespasianus expugnatis postea Hierosolymis tantùm Judæis tributi imposuerit, quantùm ante templo solvebant, ut Josephus, libro 7 de Bello Judaico, c. 26, auctor est, et est credibile Vespasianum illud ipsum tributum, quod Augustus imperaverat, et à quo sese Judæi rebellando exemerant, illis ubicumque, ut ait Josephus, terrarum essent, reposuisse. Atque hoc fortassè dicere Hilarius voluit Christum illud solvisse tributum, quod Judæi templo solvebant, quasi non Cæsari, sed patri suo solverit.

Vers. 25. — Etiam. Respondet Petrus affirmanter, antequàm consulat Christum. Unde colligitur, aut metu eum ita respondisse, ne si negare, aut dubitare videretur, publicanos offenderet, quasi Christus ex eorum numero esset, qui, ut postea accusatus est, negabant tributum dari Cæsari, aut quia de Christi voluntate non dubitabat, aut quia sciebat Christum aliis annis solitum solvere, quod multò est probabilius. Cùm enim publicani interrogant, *magister vester non solvit didrachma?* sensus est, non solet solvere? est enim verbum non actionem, sed consuetudinem significans, qualia in Scripturâ multa notavimus. Unum satis erit exemplum Joannis 4, 9: *Non coutantur Judæi Samaritanis*, id est, non solent uti. Petrus autem respondet *etiam*, confirmans Christum solitum solvere. Cur ergo evangelistæ hujus tantùm anni solutionis meminerunt? ut miraculum, quod propter solutionem factum est, exponerent.

Reges terræ. Quod Christus Petrum prævenit, ejusque cogitationem novit, magnum per seipsum miraculum fuit. Videtur autem Christus non convenienter Petrum interrogare: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum, à filiis, an ab alienis?* quia videtur indicare, aut se terreni regis esse filium, et quidem Cæsaris, siquidem eâ ratione probare vult se non debere Cæsari solvere tributum; aut tributum illud non Cæsari, sed Deo, cujus ipse filius erat, datum fuisse. Respondeo eum à minori ad majus argumentari, ut D. Chrysostom. annotavit, quasi dicat: Si filii Regis terreni illi tributum non debent; ego qui Dei regis Regum filius sum, nulli regi debeo. Potuit etiam alludere ad originem illius tributi, quod petebatur, quæ, ut diximus, ea fuit, ut templo, id est, Deo solveretur, quemadmodùm Hilarius, et Theophylactus existimant. Disputant nonnulli, an reverà Christus, tanquàm homo, tributum debuerit: Respondent debuisse, quia D. Paulus testatur illum per omnia nobis, excepto peccato, similem factum fuisse, et hoc loco, non tanquàm hominem, sed tanquàm Deum argumentari se à tributo liberum esse. Id, an dici possit, doctiores viderint; ego quidem non dixerim. Objici potest, quòd Christus non de se tantùm, sed etiam de Petro loqui videatur, et quòd dicat plurali numero liberos esse filios, et quòd paulò post addat: *ut autem non scandalizemus eos.* Priori ratione non moveor, quia certum est Christum de se, tanquàm de naturali Dei filio, locutum esse; qualis Petrus non erat. Itaque non potuit eum filiorum nomine comprehendere; sed locutus pluraliter est, quia de omnibus generaliter regum filiis loquebatur. Secundâ magis moveor, quare videtur mihi Christus significare voluisse nec se, nec discipulos suos tributum debere; se, quia filius Dei erat; discipulos suos, quia ipsius familiares, et domestici censebantur. Et non solùm regum filii; sed eorum etiam domestici à tributis liberi sunt. Quod autem quidam disputant, utrùm omnes Christiani, quia filii adoptione Dei, aut quia quodammodò Christi familiares sunt, tributis soluti sint, ne locum quidem ullum dubitationis habere puto. Nam etsi Christiani adoptione filii sunt Dei, Christique nomen gerunt, tamen ejus domestici, ut apostoli non sunt; et D. Paulus ad Roman. 13, 7, Christianos jubet suum cuique reddere, cui honorem, honorem; cui tributum, tributum. Neque D. Augustinus, qui in eam sententiam citari solet, lib. 1 Quæst. evangelicarum, c. 25, ita sensit. Majore probabilitate potuissent Hieron. allegare, qui ita ad hunc locum scripsit: *Ille ero nobis*

et crucem sustinuit, et tributa reddidit; nos pro illius honore tributa non reddimus, et quasi filii regis à vectigalibus immunes sumus. Sed aut allegoricè loquitur, quòd tributum, ut ante solebamus, diabolo non solvamus; aut de solis agit Ecclesiasticis, qui ipsius tempore Christianis jam imperatoribus à vectigalibus immunes erant.

Vers. 27. — Ut autem non scandalizemus eos. Non fuisset datum sed acceptum, ut theologi vocant, scandalum, sed id ipsum, cùm facilè posset, vitare voluit. Itaque, quod theologi vulgò dicunt scandalum datum, non acceptum esse vitandum, non est pro certâ ac perpetuâ regulâ accipiendum. Nam et Christus hoc loco, D. Paulus ad Rom. 14, 21, et 1 ad Cor. 8, 13, etiam scandalum acceptum fugiendum putaverunt; cùm idem Christus, supra, c. 15, 14, vitare noluerit, sed contemnendum putaverit: *Sinite*, inquit, *illos, cæci sunt, et duces cæcorum;* quemadmodùm Chrysostomus, et Euthymius annotârunt. Idem respondent id Christum pro ratione temporis, et aliarum circumstantiarum fecisse. Illic enim gloria Dei postulabat, ut propter Pharisæorum scandalum à docendâ veritate non desisteret: eadem gloria hic postulabat ut, cùm facilè posset solvere tributum, publicanos non offenderet, et malevolis Judæis criminandi occasionem non daret. Nam et cùm semper tributum solvisset, tamen accusatus est postea, quòd tributa Cæsari solvere prohiberet, Lucæ, 23, 2. Idemque nobis faciendum esse monent.

Et tum piscem, qui primus ascenderit. Magnum hoc fuisse miraculum certum est; sed meritò Hieronym. dubitat, in quâ re fuerit; utrum in eo, quòd sciverit Christus, quis esset ille piscis, qui in ore staterem haberet: an in eo, quòd sciverit illum primum omnium ascensurum esse: an quòd fecerit ipse, ut ille primus ascenderet: an quòd in eo, qui primus ascendit, staterem ipse solo verbo formaverit. Quod postremum mihi videtur probabilius, quia non solent pisces, si quando staterem, aut aliam pecuniam deglutiunt, eam in ore habere, sed in ventre. Itaque ille piscis, si staterem illum ipse accepisset, non in ore, sed in ventre habuisset. Nam quod nonnulli discrunt, quemadmodùm Theophylactus recitat; staterem illum non pecuniam fuisse, sed margaritam, quam pisces habere solent, simile vero non est: quia nec margaritæ in ore, sed in ventre; nec in piscibus, qui reti capiuntur, sed in solis conchyliis, quæ urinatores à scopulis maris manibus avellunt, reperiri solent.

Staterem. Stater apud Græcos idem erat, atque siclus apud Judæos, eademque est Hebraici, et Græci nominis origo; utrumque enim pondus significat. Itaque idem erat stater, et tetradrachmum, id est, duo didrachma; propterea jubet Christus pro se, et pro Petro staterem dari, quia unusquisque didrachmum, id est, dimidium sicli pendere debebat.

Pro me, et te. Quare pro Petro potiùs, quàm pro aliis apostolis dari tributum jusserit, solet hic disputari. Chrysostom. et Euthym. respondent tributum illud à solis primogenitis fuisse solvendum; Petrum autem primogenitum fuisse. Quæ opinio præterquàm quòd versu præcedenti refutata est, ex eo etiam refutari potest, quòd inter alios etiam apostolos aliquos fuisse primogenitos credendum est. Melior est altera illa ratio, quam fidem auctores, et Hieronymus adferunt, propterea Christum pro se et Petro solvisse, quòd apostolorum caput esset. Scio hanc rationem nostris hæreticis non placere; sed multò profectò est, quàm illa, quam ipsi adferunt, probabilior, ideò pro Petro solvisse Christum, quòd in ejus diversaretur domo. Nam cap. 8, 14, apertè probavimus Petrum in Capharnaum domum non habuisse. Alii existimant solum Petrum cum Christo tunc non fuisse, cùm de aliis discipulis mentio non fiat: aut propterea pro illo solvisse, quia illum tantùm publicani adierant. Inepti verò hic hæretici sunt, qui hinc Romani Pontificis primatum refellunt, et Ecclesiæ immunitatem tollunt, quòd Petrus tributum solverit. Nam istâ quidem ratione nec Christus quidem Ecclesiæ caput esset: solvit enim tributum; at solvit, cùm non deberet; nec Petrus, ut antè probavimus, debebat. Et non considerant Petrum, si nunc inter Christianos reges in vivis esset, Ecclesiamque gubernaret, solutorum non fuisse. Alia à veteribus auctoribus quæstio proponitur: quare Christus, cùm loculos haberet, et mulieres religiosæ, quæ illum ex Judæâ sequebantur, necessaria ei suppeditarent, non ex suis loculis, sed ex pisce tributum solvit? Ratio quam Hieronymus reddit, noluisse Christum bona pauperum in tributum convertere, à paucis probata est. Nam, quæ in loculis erant, ad omnia necessaria mittebantur, et tributum solvere, quando ita Christus volebat, unum erat ex necessariis. Chrysostom. et Euthym. putant Christum ostendere voluisse se, etiamsi tributum solveret, et terræ et maris dominum esse, quandoquidem ex mari ipse tributum acciperet. Magis altera ratio, quam iidem reddunt, mihi placet: Ita Christum tributum solvere voluisse, ut nec publicanos offenderet, nec suum perderet privilegium, dùm non ex suo, sed ex invento solveret. Quanquàm ego veram suspicor esse rationem, quòd tunc alii discipuli, qui loculos gestabant, non adessent, et cùm nollet publicanos offendere, ad solvendum tributum miraculum fecerit.

CAPUT XVIII.

1. In illâ horâ accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cœlorum?

2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum,

CHAPITRE XVIII.

1. En ce même temps, les disciples s'approchèrent de Jésus, et lui dirent: Qui pensez-vous qui est le plus grand dans le royaume des cieux?

2. Et Jésus appelant un petit enfant, le mit au milieu d'eux,

3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.

4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.

7. Væ mundo à scandalis : necesse est enim ut veniant scandala : verùmtamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te : bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

11. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat.

12. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis : nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit?

13. Et si contigerit ut inveniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam, magis quàm super nonaginta novem quæ non erraverunt.

14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

17. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.

19. Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.

20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?

22. Dicit illi Jesus : Non dico tibi ; Usque septies, sed : Usque septuagies septies.

5. Et leur dit : Je vous dis en vérité que si vous ne vous convertissez, et si vous ne devenez comme de petits enfants, vous n'entrerez point dans le royaume des cieux.

4. Quiconque donc s'humiliera, comme cet enfant, celui-là sera le plus grand dans le royaume des cieux.

5. Et quiconque reçoit en mon nom un enfant comme celui-ci, c'est moi-même qu'il reçoit.

6. Mais celui qui scandalise un de ces petits qui croient en moi, il vaudrait mieux pour lui qu'on lui attachât au cou une meule de moulin, et qu'on le jetât au fond de la mer.

7. Malheur au monde, à cause des scandales; car c'est une nécessité qu'il arrive des scandales : mais malheur à l'homme par qui le scandale arrive.

8. Et si votre main ou votre pied vous est un sujet de scandale, coupez-les, et les jetez loin de vous : il vaut mieux pour vous que vous entriez dans la vie, n'ayant qu'un pied ou qu'une main, que d'en avoir deux, et être précipité dans le feu éternel.

9. Et si votre œil vous est un sujet de scandale, arrachez-le, et le jetez loin de vous : il vaut mieux pour vous que vous entriez dans la vie n'ayant qu'un œil, que d'en avoir deux, et être précipité dans le feu de l'enfer.

10. Prenez bien garde à ne mépriser aucun de ces petits, car je vous déclare que dans le ciel leurs anges voient sans cesse la face de mon Père qui est dans les cieux.

11. Car le Fils de l'homme est venu sauver ce qui était perdu.

12. Si un homme a cent brebis, et qu'une seule vienne à s'égarer, que pensez-vous qu'il fasse alors? ne laisse-t-il pas les quatre-vingt-dix-neuf sur les montagnes, pour aller chercher celle qui s'est égarée?

13. Et s'il arrive qu'il la trouve, je vous dis en vérité qu'elle lui cause elle seule plus de joie que les quatre-vingt-dix-neuf qui ne se sont point égarées.

14. Ainsi votre Père qui est dans les cieux ne veut pas qu'aucun de ces petits périsse.

15. Que si votre frère a péché contre vous, allez lui représenter sa faute en particulier entre vous et lui; s'il vous écoute, vous aurez gagné votre frère.

16. Mais s'il ne vous écoute pas, prenez encore avec vous une ou deux personnes, afin que tout soit confirmé par l'autorité de deux ou trois témoins.

17. Que s'il ne les écoute pas, dites-le à l'Eglise; et s'il n'écoute pas l'Eglise, qu'il vous soit comme un païen et un publicain.

18. Je vous le dis en vérité, tout ce que vous lierez sur la terre, sera lié dans le ciel : et tout ce que vous délierez sur la terre, sera délié dans le ciel.

19. Je vous dis encore, que si deux d'entre vous s'unissent ensemble sur la terre, quelque chose qu'ils demandent, elle leur sera accordée par mon Père qui est dans les cieux.

20. Car en quelque lieu que se trouvent deux ou trois personnes assemblées en mon nom, je m'y trouve au milieu d'eux.

21. Alors Pierre s'approchant de Jésus, lui dit : Seigneur, combien de fois pardonnerai-je à mon frère, lorsqu'il aura péché contre moi? Sera-ce jusqu'à sept fois?

22. Jésus lui répondit : Je ne vous dis pas : Jusqu'à sept fois, mais : Jusqu'à septante fois sept fois.

23. Ideò assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cùm autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios : et tenens, suffocabat eum, dicens : Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè, et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me :

33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

23. C'est pourquoi le royaume des cieux est comparé à un roi qui voulut faire rendre compte à ses serviteurs.

24. Et ayant commencé à le faire, on lui en présenta un qui lui devait dix mille talents.

25. Mais comme il n'avait pas le moyen de les lui rendre, son maître commanda qu'on le vendît, lui, sa femme et ses enfants, et tout ce qu'il avait pour satisfaire à cette dette.

26. Ce serviteur se jetant à ses pieds, le conjurait, en lui disant : Seigneur, ayez un peu de patience, et je vous rendrai tout.

27. Alors le maître de ce serviteur, touché de compassion, le laissa aller, et lui remit sa dette.

28. Mais ce serviteur étant sorti, trouva un de ses compagnons qui lui devait cent deniers; il le prit à la gorge, et l'étouffait, en lui disant : Rends-moi ce que tu me dois.

29. Son compagnon se jetant à ses pieds, le conjurait, en lui disant : Ayez un peu de patience, et je vous rendrai tout.

30. Mais l'autre ne voulut point; et il s'en alla, et le fit mettre en prison, jusqu'à ce qu'il eût payé tout ce qu'il lui devait.

31. Les autres serviteurs ses compagnons voyant cela, en furent extrêmement affligés, et vinrent instruire leur maître de tout ce qui s'était passé.

32. Alors son maître l'ayant fait venir, lui dit : Méchant serviteur, je vous avais remis tout ce que vous me deviez, parce que vous m'en aviez prié;

33. Ne fallait-il donc pas que vous eussiez aussi pitié de votre compagnon, comme j'avais eu pitié de vous?

34. Et son maître tout en colère, le livra entre les mains des bourreaux, jusqu'à ce qu'il eût payé tout ce qu'il lui devait.

35. C'est ainsi que vous traitera mon Père qui est dans le ciel, si chacun de vous ne pardonne à son frère du fond du cœur.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — In illa hora. Sub idem tempus, Hebraismus est frequenter usurpatus. Marcus, c. 9, 33, Christum eos prævenisse dicit, rogàsseque, quid in viâ tractavissent, tractaverant autem, *quis eorum esset major*. Lucas verò, c. 9, 46, vidisse cogitationes eorum, et non quidem interrogàsse, sed accersito puero dixisse : *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me suscipit; et qui susceperit me, suscipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est*. De quâ specie discordiæ nihil dixit hunc locum tractans, lib. 2, de Cons. Evangelistarum, c. 61, Augustinus. Respondent Chrys. et Euthym. apostolos de eâ re non semel; sed sæpè contendisse; primùm in viâ, deinde domi, cùm Petrum vidissent in tributi solutione sibi fuisse prælatum; postremò cùm interrogati à Christo fuissent, quid in viâ tractavissent. primùm ergo Christus apostolos, quid tractavissent, interrogavit : tunc verò apostoli videntes suas cogitationes, contentionesque patefactas Christum interrogaverunt, quod interrogare priùs non audebant, *quis eorum esset major*. Disputatur hoc loco, quâ occasione id apostoli rogaverint. Hieronym., Beda, et Euthym. existimant occasionem fuisse, quòd vidissent Christum pro se ac Petro solvere tributum. Quod nonnulli ideò non probant, quia ex Marco, c. 9, 33, constet eos in viâ, antequàm venirent Capharnaum, e' tributum solveretur, eâ de re cogitâsse; sed jam diximus ex Chrysostomo et Euthymio eos sæpè, et diversis de causis in eam venisse cogitationem. Itaque tributum pro Petro datum non illis eam cogitationem ingeneravit, sed genitam auxit. Alias etiam priùs occasiones habere potuerunt, quòd vidissent Petrum cum duobus aliis in montem cum Christo ascendisse, illi datas fuisse claves regni cœlorum, c. 16, 19, ut idem Chrysostomus et Euthymius scribunt. Alii aliam reddunt causam, quæ mihi non displicet, quòd audivissent Christum de morte suâ sæpè mentionem facere, quasi proxima jam esset, et cogitarent, quis eo mortuo ejus quodammodo hæres, id est, ejus vicarius futurus esset. Id enim consuetudini ac moribus hominum valdè consentaneum est, qui morituris de successione cogitantes astare solent, et idem videmus

Vers. 1. — In viâ contenderant inter se apostoli, quis eorum esset major : nondùm enim intelligebant quodnam illud esset regnum cœlorum, idque fingebant animo, ut quoddam hujus mundi imperium. Itaque vocati à Domino et interrogati quâ de re in viâ contendissent, hi vicissim à Domino petierunt, quis major esset in regno cœlorum. Hujus contentionis occasio hinc videtur orta, quòd superiori capite Christus se moriturum et tertiâ die resurrecturum dixisset : hinc propè adfuturum hoc regnum in animam induxerant. In regno cœlorum, quod splendidum fore et gloriosum nùm cùm Judæis opinabantur.

apostolos instante Christi passione fecisse, Lucæ 22, 24.

Quis putas *vic ἄρα*; Quis tandem? aut quisnam in regno cœlorum major futurus est? Comparativum pro superlativo ponitur ex Græcorum consuetudine. Et verbum præsens est pro futuro : quasi dicant, quis nostrûm maximus in regno cœlorum futurus est?

In regno cœlorum. Quidam regnum cœlorum cœlum ipsum, et cœlestem gloriam vocari putant, ut Chrysostomus et Euthymius, quod videtur ex versu 3, probari posse : *Nisi*, inquit, *conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Credibile enim est de eodem regno cœlorum, de quo Apostoli interrogaverant respondisse Christum. Probabilius tamen est regnum cœlorum hoc loco Ecclesiam appellari. Primùm propter occasiones, quibus Apostoli, ut id interrogarent, moti sunt, quòd viderent omnibus in rebus Petrum præferri, et cogitaverunt omnium in Ecclesiâ caput futurum esse. Deinde ex Christi reprehensione : non enim dubium est, quin eorum ambitiunculam reprehenderit. Velle autem in cœlo omnium maximum esse, charitas erat, non ambitio; in Ecclesiâ verò primum esse velle, cæterisque præesse id meritò fuit, tanquàm ambitiosum, reprehendendum. Id etiam ex versu 5, unde contraria probatur opinio, confirmari potest. Voluit enim Christus dicere eum, qui in præsenti regno cœlorum, id est, in Ecclesiâ minimus esset, cum maximum haberi, ideòque in cœlo futurum maximum. Itaque Lucas de præsenti Ecclesiæ regno loquens, c. 9, 48 : *Qui minor*, inquit, *est inter vos omnes, hic major est.* Ludit ergo Christus nominis ambiguitate, cùm dicit : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, quemadmodùm multis locis annotavimus eum facere solere.

Vers. 2. — Et advocans Jesus parvulum. Qui infans ut fuisse putant, propterea quòd Marcus, c. 9, 35, dicit Christum eum, quemadmodùm Græcè est, in ulnas suscepisse, falli videntur. Nam et major infante in ulnas tolli potuit, et qui advocatus fuit, grandiusculus erat, quia ambulare poterat. Puerum ergo, non infantem; sed innocentem Christus vocavit, et in medio constituit, ut quemadmodùm Chrysost. observavit, non solùm verbis; sed rebus etiam ipsis præsentibus humilitatem, simplicitatemque doceret.

Vers. 3. — Nisi conversi fueritis. Malè quidam ex hoc loco colligere videntur apostolos tunc in statu mortalis peccati fuisse, propterea quòd dicat Christus : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, quasi tunc non tales essent, ut intrare possent. Nihil enim aliud significare Christus voluit, quàm non posse eos in regnum cœlorum intrare, nisi simplicitate et humilitate similes essent pueris, quod non ita intelligendum est, quasi omninò æqualis in omnibus humilitas, atque simplicitas illi, quæ in pueris est, desideretur. Quis enim in regnum cœlorum intraret? sed proponitur maximum humilitatis exemplum, non ut ad illud omninò perveniamus : sed ut accedamus, quàm proximè possimus; sicut jubemur esse perfecti; sicut Pater noster cœlestis perfectus est, c. 5, 48. Neque significatur Apostolos non tantam habere humilitatem, ut in regnum cœlorum intrare possint : sed ostenditur quid illis sit necessarium, ut si non habent, comparent : si habent, conservent. Quod autem dicit, *Nisi efficiamini*, non significat eos tales non esse, sed alludit ad eorum ætatem, qui cùm grandes jam essent, deberent pueri fieri, sicut Joannis, 3, 3, Nicodemo dixit : *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* At Christus apostolorum ambitionem reprehendit. Fatemur; sed non continuò sequitur eam ambitionem fuisse tantam, ut mortale peccatum esset, et ab ingressu regni cœlorum impediret : potuit enim esse veniale : et ejusmodi fuisse pium, et religiosum est credere. Denique aut istâ, aut aliâ meliori ratione excusandi apostoli sunt, ut Chrysost. excusat; non accusandi, ut facere hæretici solent. Jubet nos Christus non omnibus in rebus; sed in simplicitate, humilitate, innocentiâ similes esse pueris, sicut D. Paulus, 1 ad Cor. 14, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ parvuli estote*, quemadmodùm Clemens Alexandrinus, lib. 1 Pedagogi, cap. 5, et D. Ambros., serm. 19, interpretantur.

Vers. 5. — Et qui susceperit unum parvulum talem. Quorsùm hæc Christus dicat dubitare lector potest : sed id facilè ex precedentibus, et consequentibus intelligitur. Vult probare eum majorem, qui minimo similior est : quia sibi puer similimus est, et ipsius personam gerit; id autem probat, quia qui puerum suscipit, ipsum suscipit : suscipere verò est non solùm, ut quidam interpretantur, domo eum excipere, sed quovis benevolentiæ genere prosequi, et uno verbo benefacere, sicut in judicio dicturus est, *quamdiù uni de fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*, cap. 25, 40. Marcus et Lucas hoc solùm narrant dixisse Christum, cætera quæ Matthæus scribit, prætermittunt. Ideo, ut opinor, quia hæc summa rei erat.

Vers. 6. — Qui autem scandalizaverit. Argumentum est à contrario, ut Chrysostomus, et Theophylactus monuerunt; scandalizare autem hoc loco non significat, ut alias, malum præbere exemplum, sed injuriâ aliquem afficere, quemadmodùm Chrysostomus, Euthym. et D. Thom. adnimadverterunt. Quod ex antithesi manifestum est. Suscipere enim parvulos, et scandalizare inter se opponuntur. Suscipere, ut diximus, est benefacere, ergo scandalizare malefacere, id est, afficere injuriâ. Parvulos verò hic appellat non jam ætate; qualis ille erat, quem in exemplum proposuerat; sed moribus : quia addit, *qui in me credunt*, il enim sunt, quibus injuria plerùmque fieri solet, quòd homines simplices et abjecti habeantur.

Mola asinaria. Plerique molam asinariam vocare putant inferiorem molam, quæ Græcè ὄνος, id est, asinus dicitur, et superiore major esse solet. Perspicuum enim est Christum prægrandem molam significare voluisse. Id mihi propterea non placet, quia Christus non Græcè, sed Syriacè loquebatur, ubi ea nominis ambiguitas locum non habet. Itaque Hilarii, canone 18, et Ambrosii, sermone 10, interpretationem sequor, asinariam molam vocatam esse, quam asinus ad multas res commolendas circumagere solet. Quæ ideò asinaria dicta est, ut à trusatili, id est, ab eâ quam homines vi brachiorum circumferunt, distingueretur. Eam autem Christus proposuit, quia multò major quàm trusatilis esse solet. Adnotat Hieronymus hoc inter veteres Judæos usitatum fuisse supplicium, sicut nunc homines nefarios, ac detestabiles sepultură indignos judicantes in flumen mergimus. Fortè Christus ad superbiam, contra quam loquebatur, allusit, sicut cap. 11, 23, dixit : *Et tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes.* Quod autem D. Augustinus, libro 1 Quæst. evangelicarum, cap. 24, molam asinariam peccatorum pondus, quo homines deprimuntur, esse dicit, allegoricum est.

Vers. 7. — Væ mundo a scandalis. Ita Græcè locutus est, quemadmodùm, si Latinè diceremus, magnum mundo periculum à scandalis imminet. Mundum autem nonnulli eos intelligunt, qui scandali auctores sunt, quasi eorum Christus vicem doleat : non enim qui patiuntur, sed qui faciunt scandala, miseri sunt. Magis Hilario, Chrysostomo, Euthymio, et Theophylacto subscribo, mundum vocari eos, qui in mundo sunt, quos paulò ante parvulos appellaverat, et de quibus dixerat, *qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis.* Quia enim de eorum scandalo mentionem fecerat, addit multa illis scandala imminere. In eo Chrysostomo, Euthymio, et Theophylacto non assentior, quòd existiment ideò hoc dixisse Christum, ut eos, qui scandalizandi erant, reprehenderet; quemadmodùm paulo ante eos, qui scandalum erant præbituri, reprehenderat. Non enim solùm scandalizare, sed etiam scandalizari peccatum esse, quia infirmitatis est. Cæterùm, ut aliquando scandalizari peccatum sit, ut cùm Pharisæi Christi miraculis scandalizabantur, ea interpretatio apta non est, quia, ut ex iisdem auctoribus versu præcedenti docuimus, scandalizare hoc loco non significat scandalum præbere, sed injuriam facere. Pati autem injuriam nulla culpa, sed magna virtus est. Itaque non reprehendens sed miserans Christus dicit : *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala.* Necesse esse dicit, non absolutè, sed hominum perversitate consideratâ, ut Chrysost., Hierony. Beda, Euthym., obscurè licèt, videntur indicare. Illud etiam Chrysostomus, ac Euthymius admonent, non quia Christus prædixit, scandala ventura esse : sed quia ventura erant, Christum prædixisse. Objiciet aliquis adversativam illam particulam : *Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*, indicare hunc esse sensum, quamvis necessarium sit scandala venire, non propterea, qui scandalum fecerit, culpâ vacare. Respondeo non eum, sed similem esse sensum. Quamvis alioqui scandalum venturum esset, non propterea, qui illud facit, culpâ carere. Quemadmodùm quamvis Saûl moriturus erat, non idcircò, qui illum occidit, culpâ vacavit.

Verumtamen væ homini illi. Multi veteres auctores hominem illum Judam vocari putaverunt, ut Philasterius, in hæresi eorum, qui Judæ proditionem laudabant, et D. Hieronym. et Beda, in hujus loci commentariis, et Ambrosius, aut, ut ego arbitror, Remigius in Commentariis in cap. 11 epistolæ 1 ad Cor.; sed manifestum est generaliem esse sententiam.

Vers. 8. — Si autem manus tua. Docet quanto studio scandala vitare debeamus, usque adeò ut manus abscindenda, oculus, si scandalizaverit, eruendus sit. Hanc sententiam, totumque hunc versum, atque sequentem, cap. 5, 29, 30, exposuimus.

Vers. 10. — Angeli eorum. Probat non esse parvulos offendendos, aut contemnendos, cùm Deo tantæ sint curæ, ut apud eum angelos habeant à quibus custodiantur. Ex hoc loco, et aliis nonnullis communis opinio de angelis custodibus nata est. Primùm quidem ex Scripturis constat singulis regnis atque provinciis etiam infidelium singulos angelos esse præpositos, Danielis 10, 13. 20. Quod et veteres auctores ferè omnes, maximèque Romanus Clemens, lib. 2 Recognitionum, et Clemens alter Alexandrinus, lib. 6 Stromatum, Chrysost., homiliâ 61 in Matthæum, et Theodoretus, oratione 10 in Danielem colligunt, ex Deuteronomio, c. 32, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*, secuti Septuaginta versionem, qui pro filiis Israel angelos Dei reddiderunt, quasi sensus esset unicuique provinciæ ac popolo unum angelum esse præfectum. Illud etiam constat Apocalysis 2, 8, 12, 18, et 3, 1, 7, et 14,

Vers. 7. — Væ mundo a scandalis, id est, quæ mundus bonis creat. Necesse, ea quippe est bonorum et malorum permixtio, ut vitari vix possint. Sed Deus illa scandala in Ecclesiæ et electorum bonum convertit.

Vers. 8 et 10. — Si pes tuus scandalizat te, id est, tibi est ruinæ occasio. Ne contemnatis, id nos admonet Christus, ut eos revereamur, quorum tutelæ angeli sunt præpositi, quippe exitium animabus illatum ulciscuntur. Quin et illud animo reputandum propter eorum salutem Verbum Dei incarnatum fuisse, nec velle quemquam eorum perire.

unicuique Ecclesiæ unum angelum, à quo quodammodò gubernetur datum esse, ut Hilarius, in Psalmum 124, et Gregorius Nazianzenus, in oratione habitâ coram centum quinquaginta episcopis, et Hieronym., in c. 1 Ecclesiast., et auctor Commentariorum in Epistolas ad Cor., qui falsò Hieronymo tribuuntur, epistolâ 1, c. 11. Illud etiam non perpetuâ traditione solùm, sed plusquàm probabilibus Scripturæ testimoniis semper est creditum, singulos Christianos singulos angelos bonos habere, quorum curæ commissi sint. Sic enim hoc loco Christus loquitur, quasi de re compertâ, et quasi cùm certum sit singulos homines angelum aliquem habere, parvulorum, id est, justorum angelos aliorum angelis præferat. Idem ex Genesi, c. 48, 16, colligitur. *Angelus*, inquit Jacob, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum*; et Actorum 12, 15, ex communi procul dubio opinione de Petro, cùm è carcere ab angelo, nimirùm suo, liberatus esset, foresque notæ domûs intempestâ nocte pulsaret, dictum est non Petrum, sed angelum ejus esse. Hactenùs omnes veteres auctores consentiunt, Justinus, quæstione 30 earum, quas gentes Christianis proponebant, Lactantius, lib. 2, c. 15, et Basilius, in Psalmum 33, et 58, et in c. 8 Isaiæ, et in lib. 3 contra Eunomium, de Spiritu sancto, Chrysostomus, hoc loco, et auctor Operis Imperfecti, homil. 40, et Hieronym. in c. 66 Isaiæ, et in commentariis hujus loci, et Theodoretus, lib. 5 divinorum Decretorum, et grat. 10 in Danielem, et Isidorus, lib. 1 de summo Bono, c. 12, et Origenes, quàm plurimis in locis, de cujus singulari sententiâ postea dicemus. Longiùs theologi quidam nec mali, neque recentissimi progressi sunt, ut etiam Christum angelum custodem habuisse dixerint, de quo Lucæ 22, 43, dictum est: *Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum*. Sed hoc et paradoxum est, et Christo vero Deo minimè dignum. Habet quidem angelos, à quibus sibi ministretur, non à quibus custodiatur. Calvinistæ tamen, ut sapientissimi suo judicio sunt, nihil credunt, tantùm dicunt omnes angelos omnium hominum esse custodes, *quia*, ut ait D. Paulus ad Hebræos 1, 14, *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Sed sinamus eos suâ uti impudentiâ. De eo à nonnullis dubitatum est an omnibus hominibus, etiam non Christianis, dati sint angeli. Origenes enim, tractata in Matthæum 6, et auctor Imperfecti, hom. 5, videntur existimâsse solis baptizatis datos esse. Sed et omnium aliorum auctorum contraria sententia est, et ea ex Scripturâ et ratione refutatur. Nam si infideli Græcorum et Persarum regno angelus præfectus est, et singulis etiam Græcis et Persis hominibus aliquem datum esse angelum credendum est; majorem enim hominum quàm regnorum Deus curam habet. Et non solùm Christianorum, sed omnium omninò hominum salutem quærit, in quâ procurandâ angelorum utitur ministerio, quia *omnes administratorii sunt spiritus propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Illud etiam apud auctores minùs est certum, an singuli homines non solùm unum, à quo defendantur, sed etiam malum, à quo impugnentur, angelum habeant. Sed tamen et hoc ipsum antiquissimâ traditione non Christianorum modò, sed etiam Hebræorum traditum est, ut scribit rabbi Moses, libro 3 More, c. 25. Quam traditionem ex antiquo libro Pastoris, et ex Epistolâ Barnabæ, quam olim inter Christianos in magnâ auctoritate fuisse legimus, veteres auctores probare solent, ut Origenes, homilià 10 in Lucam, et lib. 3 de Principiis, c. 2, et Cassianus, collatione 8, c. 17, et collat. 13. c. 12, et Beda, in cap. 12 Act. Apostolorum. Confirmant eamdem traditionem Gregorius Nyssenus in vitâ Mosis, et auctor Imperfecti, homil. 5 in Matthæum. Potest aliquod ejus rei vestigium in Scripturâ notari; nam D. Paulus datum sibi dicit angelum Satanæ, qui se colaphizet. Quod et si aliis modis intelligi potest, potest et hoc; et credibile est diabolum dæmoniorum principem in administratione regni sui Deum imitari; et quemadmodùm Deus singulis hominibus singulos angelos præponit, ita eum opponere singulos dæmones. Videtur autem Christus, cùm dicit: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, aliquid singulare parvulorum angelis attribuere, quasi cæteri minores sint, et quasi illi faciem Dei videant, alii non videant. Et quidem Origenes, homil. in Lucam 35, hinc suum confirmat errorem quasi angeli etiam beati propter negligentiam custodiendorum hominum suam aliquando beatitudinem amittant, quasi sensus sit aliorum hominum angelos aliquando videre faciem Dei, aliquando non videre, quia aliquando homines bene, aliquando male custodiunt, parvulorum autem angelos semper videre, quia bene semper custodiunt. Cùm ergo parvuli diligentiùs quàm cæteri homines ab angelis custodiantur, offendendos contemnendosve non esse. Chrysost. etiam existimat aliquid singulare parvulorum angelis tribui, et non omnes faciem Dei videre, sed eos qui supremi ordinis sunt, significarique hoc loco parvulorum curam supremis angelis commissam esse. Credo ego certè aliquid discriminis inter parvulorum et cæterorum hominum angelos indicari; sed nec illud, quod Origenes, nec illud, quod Chrysost. putat; sed majores esse parvulorum quàm aliorum hominum angelos. Quod ne quis niretur, intelligas hoc loco parvulos non pueros, sed homines justos appellari, quorum Deum curam majorem quàm aliorum hominum habere tota Scriptura testatur. Majores autem, et honorabiliores esse parvulorum quàm aliorum hominum angelos ex effectu probat, quia semper vident faciem Dei; non quòd alii angeli non videant, sed quòd eâ phrasi Hebræi significent Deo aliquem esse propinquum et familiarem. Sumpta enim est ex aulæ consuetudine metaphora, ubi quò quis honoratior est, eò propinquior est regi, eòque frequentiùs in ejus conspectu versari solet. Ita loquitur regina Saba de servis Salomonis, 3 Reg. 10, 8: *Beati viri tui, et beati servi tui hi qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam*. Notavit Gregorius, et D. Bernardus, sermone 5 de Dedicatione Ecclesiæ, colligi ex hoc loco posse, quod omnes postea theologi docuerunt, angelos quòcumque eunt, suam secum beatitudinem ferre, id est, semper faciem Dei videre. Faciem autem Dei per metaphoram Christus appellavit splendorem essentiæ divinæ, sicut facies, aut potiùs vultus hominis est, in quo persona tota resplendet.

VERS. 11. — VENIT ENIM FILIUS HOMINIS SALVARE QUOD PERIERAT. Secundum hic est argumentum, quo probat Christus contemnendos non esse parvulos, quando quidem propter eorum salutem filius hominis venit. Simile argumentum apud D. Paulum legimus, 1 ad Cor. 8, 11: *Et peribit infirmus in tuâ conscientiâ frater, propter quem Christus mortuus est!* Loquitur autem Christus ex hominum opinione, qui existimant eos qui maximè justi sunt, quia abjectos et humiles vident, maximè esse peccatores, sicut Pharisæi cæco illi, qui à Christo curatus fuerat, dixerunt, Joannis 9, 34: *In peccatis natus es totus, et tu doces nos!* Nec cùm hoc Christus dicit, indicat cæteros homines non periisse: sed tantùm significat se propter peccatores venisse; ita ut si quis peccator non esset, propter eum venturus non fuisset; quemadmodùm, c. 9, 12, dixit: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*; ubi copiosiùs totum hunc locum explicavimus.

VERS. 12. — SI FUERINT CENTUM OVES. Tertium est argumentum, quo bonus Pastor exemplo pastorum probat pluris se facere parvulorum, id est, eorum qui peccatores habentur, quàm aliorum hominum salutem. Nec quidquàm in hâc parabolâ difficile est; nec enim, ut paulò ante diximus, significatur aliquos fuisse homines qui non erraverunt; sed tantùm propter eos qui erraverunt, Christum venisse. De eo autem inter interpretes magna disceptatio est, quæ illæ nonaginta novem sint oves quæ non erraverunt. Vetustissimi auctores angelos bonos dixerunt esse. Oves enim Dei esse omnes creaturas rationales, ex quibus aliæ, id est, homines erraverint; aliæ, id est, angeli non erraverint. Ita sensisse videtur Irenæus, libro 3, c. 21 et 39, et Origenes, homil. 2 in Genesim, et homil. 7 in Josue, et Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 15, et Hilarius, hoc loco, et Ambrosius, in Apologiâ Davidis, c. 5, et Gregorius, homiliâ 34 in Evangelia, et Theophylactus. Cujus opinionis et hoc loco Hieronymus meminit, et Athanasius, q. 2. Sed dubium non est quin de solis hominibus Christus loquatur, nisi, quod absurdissimum est, cum Origene dicamus etiam propter angelos qui peccaverunt, advenisse. Sensus igitur est non quidem eum reliquisse nonaginta novem oves quæ non erraverunt, ut unam, quæ sola erraverat, quæreret; sed tanti vel unius hominis salutem facere, ut si tantùm centum essent homines, quorum unus tantùm erravisset, nonaginta novem relicturus esset, ut illum unum quæreret: quemadmodùm boni pastores facere solent. Magnum ipsius erga nos charitatis indicium, magnum argumentum ad eorum refellendam opinionem, qui etiamsi homines non peccàssent, Christum venturum fuisse docere solent. Itaque, versu 14, non concludit Christus sic, se nonaginta novem oves quæ non erraverant, ut unam, quæ erraverat, quæreret, reliquisse; sed *sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis*.

VERS. 14. — SIC, id est, sicut pastor ille non patitur vel minimam ex suo grege ovem perire, sed magis ejus quæ periit, quàm earum quæ non perierunt, salutem amat, *sic non est voluntas Patris vestri*, ut vel minimus ex iis pereat. intelligitur enim comparatio, sicut in propositâ parabolâ, quæ latet in unâ illâ syllabâ *sic*, quasi dicat: Sic minùs vult Deus perire minimos istos, quàm maximos illos. Idem alterâ parabolâ filii perditi apud Lucam, c. 15, 24, 32, declaratur. Quòd autem dicit: *Ante Patrem vestrum*, hebraismus est ex regum edictis sumptum, quæ ab eorum conspectu, ut firma habeantur, dicuntur prodiisse. Loquitur enim de divinâ voluntate, tanquàm de aliquo decreto. *Ante Patrem* autem *vestrum*, potiùs, quàm ante meum dixisse arbitror, ut accommodatè ad id de quo agebat loqueretur: agebat verò de Dei erga homines amore et misericordiâ, quod utrumque Patris est proprium.

VERS. 15. — SI AUTEM PECCAVERIT IN TE FRATER TUUS. Fratrem generaliter vocat omnem christianum; de aliis enim non agit, ut constat ex versu 17: *Dic Ecclesiæ*; et: *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Nam ethnicum et publicanum fratri opponit; et Ecclesia de iis non judicat qui foris sunt, 1 ad Corinth. 5, 12; propriè tamen illum quem versu 10 pusillum appellavit, nunc fratrem vocat, docetque eum, si quid fortè peccaverit, non severè et tanquàm hostem, sed misericorditer et tanquàm fratrem esse tractandum, sicut eum filius hominis tractat qui venit, ut salvaret quod perierat.

IN TE. Quidam hæreticorum interpretes exponunt, privatim, et te solo sciente; tunc enim privatim secretèque eum qui peccavit esse corrigendum. Nam eos qui publicè peccant, publicè arguendos docet D. Paulus, 1 ad Timotheum, 5, 20. Deberent interpretationem aliquo exemplo probare, *in te* idem esse, atque privatim. Potuissent dicere hebraismum esse, qualem Psalmo 50, 6, legimus: *Tibi soli peccavi*, id est, secretò, teque solo sciente; sed repugnat huic inter-

VERS. 11 et 12. — Ingentem suum in homines amorem exemplo pastoris exprimit Christus. Nam pastor optimus innumerabiles angelorum in cœlo exercitus reliquit ut naturam humanam quæ perierat, repararet, de cujus salute majorem capit lætitiam, quàm de angelorum in bono perseverantiâ.

VERS. 15. — SI PECCAVERIT IN TE FRATER TUUS, id est, si te læserit, aut peccando scandalum fecerit. A scandalis quæ proximo bona spiritalia adimunt, ad eas descendit injurias, quæ honori, aut bonis corporis vim afferunt; satisfaciendi necessitatem in eo qui læsit, et paratum ad ignoscendum animum in eo qui læsus est, exigit CORRIPE, famæ illius consule, et peccatum corrige; seorsùm antè monendus est, quàm deferatur ad Ecclesiam. Consimile quid Levit. c. 19, v. 17, præcipitur, ut omne odium inter privatos delestur.

pretationi D. Lucas, c. 17, 3 : *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, increpa illum : si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Loquitur ergo Christus non de eo qui secretò, sed de eo qui contra nos peccat. Repugnat et Petri interrogatio infra, vers. 21 : *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* De quibus autem peccatis hoc intelligendum sit, meritò quæri potest, quia quædam ejusmodi videntur esse, ut non sit qui peccat privatim corrigendus. Origenes, tractatu in Matthæum 6, de solis venialibus sive contra nos, sive contra Deum factis interpretatur. Hilarius, Chrysostomus, Hieronym., Ambrosius, in c. 17 Lucæ, Augustinus, sermone 16 de Verbis Domini secundùm Matthæum, Theophylactus, et Euthymius, de Mortalibus; sed de his tantùm quæ contra nos, non de iis quæ contra Deum fiunt; nam ea non esse dissimulanda. Credo ego de omni peccatorum genere, sive contra nos, sive contra Deum agi. Spectandum enim est Christi consilium, ut peccantem non acerbè accusemus, sed benignè corrigamus. Dixit autem : *Si peccaverit in te*, quia tunc acerbi, tunc acres, tunc diserti reprehensores esse solemus, cùm eos qui contra nos peccaverunt, objurgamus. Et voluit sapientissimè Christus ibi nobis frenum injicere, ubi maximùm periculum erat ne præcipites ageremur; tamen ex unâ peccatorum specie totum genus intelligendum est, nisi si quid aliunde obstat, quominùs fraterna correctio sit habenda. Dubitari potest cur non dixerit : *Si peccaverit in te frater tuus*, dimitte illi, sicut aliis locis dicere solet, c. 5, 23, 24 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo*; et c. 6, 14 : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra*. Respondeo in hâc affirmatione : *corripe eum inter te et ipsum*, tacitam negationem delitescere; perinde enim est ac si dicat : Si peccaverit frater tuus, ne continuò eum accuses, ne continuò eum ad Ecclesiæ judicium deferas; priùs peccatum corrige. An autem omnis in quem peccatur, vel qui peccatum alterius novit, et an in omni peccati genere eum qui peccavit corrigere debeat, ex theologorum regulâ judicandum est, quæ ex verbis Christi colligitur; *si*, inquit, *te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Cùm ergo spes est spiritualis lucri, corrigendus est frater; cùm non est, aut accusandus coram Ecclesiâ, si fructus speretur; aut Domino relinquendus, si non speretur.

Vers. 16. — Adhibe tecum adhuc unum, vel duos. Dubium cur testes post primam admonitionem adhiberi velit. Quidam propterea, inquiunt, ut severior sit reprehensio, et pudere eum qui peccavit, propter præsentiam testium incipiat. Alii, ut constet testibus eum qui corrigit, suo functum officio, ut Euthym. Alii, ut si se non correxerit, is qui admonet, testes habeat, ut eum coram Ecclesiâ possit accusare, quemadmodùm multi novi interpretes exponunt. Alii, ut qui corrigit, faciliùs ei qui peccavit persuadeat eum peccavisse, cùm id non ipse solus sed duo etiam aut tres testes affirment, ut Chrysostomus, August., sermone illo 16 de Verbis Domini, et Theophylactus interpretantur. Hoc probabilius. In hanc enim sententiam legis testimonia ex Deuteronomio Christus inducit : *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Hoc tantùm interest, quòd in Deuteronomio Deus terrere eâ lege voluit, c. 17, 6, et 19, 15, ne quis uno tantùm teste, sed, ut minimùm, duobus vel tribus condemnaretur; hic autem Christus dicere voluit duos, vel tres testes ad faciendam fidem satis esse. Utrum autem duo vel tres testes simul, an separatim, primùm unus, deindè secundus aut duo, postremò tertius aut tres adhiberi debeant, non satis est explicatum. Et quidem Hieronym. primùm unum, deinde alterum, postremò tertium adhibendum putat. Sed ex fine cur adhibendi sunt, et ex sententiâ Deuteronomii, quam Christus in probationem citat, perspicuum est, non esse separatim, sed simul, vel duos vel tres testes, ut minimùm, adhibendos. Non enim in ore unius, sed in ore duorum vel trium stabit omne verbum.

Vers. 17. — Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, id est, si ne illis quidem crediderit, tunc tibi licebit ad Ecclesiæ judicium fratrem deferre; audire enim hoc loco pro obedire ponitur ex hebraismo, ut sæpè aliàs. Quidam ex hæreticorum interpretibus nomine Ecclesiæ hoc loco prorsùs absurdè Judæorum synagogam intelligunt. Nam nusquàm synagoga in novo Testamento Ecclesia vocatur, quemadmodùm D. August., in Epistolam ad Roman. et in Psalmum 81, observavit; et statim versu sequenti de eâ Ecclesiâ loquens, cur peccatorem deferendum esse diverit, *quæcumque*, inquit, *alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo;* potestas autem ligandi, atque solvendi non Judæorum synagogæ, sed Christianorum Ecclesiæ data est, deinde, cùm id Christus non Judæis, sed apostolis dicat, dubitare non possumus de Ecclesiâ, non de synagogâ dictum esse. Alii ex eodem hæreticorum grege Ecclesiam quidem christianam intelligunt; sed omnem Christianorum multitudinem interpretantur. Id etiam absurdum, et quia omni multitudini dici non potest, et quia, si posset, nihil ju-

Vers. 16. — Si autem te non audierit ; hic est secundus correptionis gradus; adhibendi sunt testes. Stabit omne verbum : ut de re ipsâ constet, ac duorum testium testimonio revinci possit. Cùm scilicet peccatum pluribus potest innotescere, saltem per iterationem facti, ut exponit August., in Regulâ. Nam si crimen est occultum, quod tu solus scias, nec iterentur, quomodò adhibebis testes, ut coram iis moneas, et quâ utilitate, cùm palam sit negaturus, et te odio magis sit habiturus ob injuriam? Sunt tamen peccata quædam occulta Ecclesiæ, vel reipublicæ perniciosa, quæ sunt pensitanda.

Vers. 17. — Dic Ecclesiæ. Tertius est correptionis gradus, cùm in detrimentum communitatis damnum cedit, nec locus est secretæ admonitioni, nec spes ulla correctionis; tum enim ei qui curam gerit Ecclesiæ, denuntiandum. Quartus erit correptionis gradus, ejectio ab Ecclesiâ, seu excommunicatio, si Ecclesiam non audierit. Tum eo loco habendus est, quo Judæi solebant ethnicos et publicanos.

varet; quid enim imperiti artifices, quid feminæ peccatori facerent? Deinde quia illi proculdubiò Ecclesiæ dici voluit, cui statim dixit : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo*; hoc autem non omni multitudini, sed solis apostolis, cum quibus Christus loquebatur, et iis qui in eorum locum successuri erant, dictum est. Præterea quia ne apud ipsos quidem Judæos omnis populi multitudo, sed soli seniores et archisynagogi excommunicare consueverant, ut nonnulli etiam eorumdem hæreticorum interpretes annotaverunt. Denique perpetuus usus Ecclesiæ docet hujusmodi homines non ad totam multitudinem, sed ad eos qui ligandi et solvendi potestatem habent, esse deferendos; qui, quia Ecclesiæ gubernatores sunt, et totius Ecclesiæ personam repræsentant, Ecclesia vocantur, quemadmodùm D. Chrysost. et Euthym. monuerunt. Sic enim et magistratus qui rempublicam gerunt, respublica vocantur, et quod ab illis fit, à republicâ factum esse dicitur. Quod ergo D. Paulus 1 ad Cor. 5, 3, 4, dicit : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi, ut præsens, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis tradere hujusmodi Satanæ*, et quod ex Tertull., in Apologetico, nonnulli proferunt solitum fuisse, ut in Christianorum congregationibus de peccatoribus judicaretur, nihil hunc juvat errorem. Illud enim solùm inde colligitur coram multitudine, sed non à totâ multitudine judicia exerceri consuevisse. Nam et D. Paulus discrè dicit se, non autem totam Corinthiorum ecclesiam scelestum illum hominem Satanæ tradidisse. Alter hæreticorum interpres, qui hoc loco pro Ecclesiâ rempublicam vertit, ridendus est, non refutandus. Quanquàm istæ ridiculæ ineptiæ periculosæ sunt, quæ Ecclesiam in rempublicam, et ut dicam clariùs, in politicam hominum nihil credentium congregationem vertunt. Colligitur ex hoc loco Ecclesiam visibilem esse, quam nostri etiam hæretici invisibilem, aut potiùs nullam nobis faciunt. Quia enim Ecclesiæ judicium reformidant, videri posse nolunt.

Sit tibi, sicut ethnicus et publicanus. Alludit ad consuetudinem Judæorum, qui ab ethnicorum et publicanorum, quos pro publicis peccatoribus habebant, consuetudine abstinebant. Itaque sensus est eos qui Ecclesiæ judicio non obediunt, non aliter quàm si ethnici essent, esse vitandos. Quod duabus de causis fieri jubet Christus, et ut qui ejusmodi sunt, cùm se alienatos ab Ecclesiâ viderint, resipiscant, ut ait D. Paulus ad Corinth. 5, 5, ut spiritus salvus fiat; et ne qui sani sunt eorum consortio contagionem trahant, ut eodem loco, versu 11, indicat D. Paulus *cum hujusmodi nec cibum sumere*, et ad Titum 3, 10, 11 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correctionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est*. Et D. Joannes, 2 Epistolâ, vers. 10, 11 : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit ei, ave, communicat operibus ejus malignis*. Ejusmodi sunt omnes quos excommunicavit Ecclesia; excommunicatorum verò maximè hæretici, hæreticorum maximè Calvinistæ, quorum sermo, ut cancer, multò magis serpit, quàm eorum, de quibus id, 2 ad Timoth. 2, 17, dixit D. Paulus.

Vers. 18. — Quæcumque alligaveritis. Origenes, et Theophylactus, et Anastasius, q. 2 in Scripturam, nescio etiam an Chrysost. (obscurè enim dicit), hæc verba ad omnes prorsùs Christianos existimant pertinere, decepti, ut opinor, contextu consecutioneque verborum : quia enim dixerat paulò Christus ante : *Si peccaverit in te frater tuus*, et nunc dixit : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*, putaverunt hæc verba ad eos solos contra quos peccatum est, pertinere, quasi sententia sit : Si illis injuriam remiseritis, Deus etiam remittet; si non remiseritis, non remittet. Eumdem errorem Calvinistarum interpretes hausisse non contenti majore auxerunt errore, quasi nullam Christus apostolis potestatem, ac nec Petro quidem ipsi dederit, quam non omnibus Christianis concesserit. Sic quidam eorum qui apud eos doctissimi habentur, in hunc locum scribunt. Veteres illi auctores, etsi in interpretatione hujus loci magis allegoricè quàm propriè locuti sunt, quasi unusquisque possit alteri, dùm illi parcit, peccata solvere, tamen apostolis singularem propriè ligandi atque solvendi potestatem datam fuisse non negaverunt, sed docuerunt. Facilè error utercque refutatur; perspicuum enim est Christum eum contra quem peccatum est, testes et Ecclesiam distinguere, et soli Ecclesiæ dicere : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo*; Deinde cùm dicit : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, quis non videt Ecclesiam ab eo qui ad Ecclesiam peccatorem detulit, distingui, sensumque esse : Si Ecclesiæ ligandi non obediverit, sit tibi, contra quem peccavit, quique eum detulisti, tanquàm ethnicus et publicanus? alius ergo est, qui injuriam accipit, alius qui ligat et solvit. Illa major quæstio, an de solâ externâ, et, ut ita dicam, politicâ Ecclesiæ potestate hic agatur, ut quidam, nescio an satis catholici, videntur existimare. Dubium non est quin et de externâ et de internâ ligandi potestate Christus loquatur, cùm dicat : *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*, id est, apud Deum; quod enim apud Deum ligatur et solvitur, non solùm extrinsecùs et hominum opinione, sed etiam intrinsecùs et revera ligatur et solvitur. Adde quòd, qui aliter interpretantur, Christi consilium non intelligunt; voluit enim Ecclesiæ tribunal ultimum esse, ad quod essent peccatores, cùm aliud non esset emendationis remedium, deferendi. Ideòque summam illi tribuit potestatem; teriùs in foro conscientiæ absolvendo, aut retinendo peccata, seu in foro exteriori per excommunicationem, soluta sint, aut ligata in cœlo.

summam autem non tribuisset, si majorem illi non dedisset quàm omnis respublica jure suo habet, ut homines perniciosos mittat in exilium, quod in Ecclesiâ est excommunicare. Quid autem sit ligare et solvere, et quomodò hinc confessionis præceptum necessariò colligatur, c. 16, 19, exposuimus. Illinc, quæ hic desiderabuntur, petenda erunt. Poterit aliquis objicere ex hoc loco colligi, aut non agi hic nisi de externâ excommunicandi potestate, non autem de potestate absolvendi in sacramento Pœnitentiæ; aut, si de sacramento Pœnitentiæ agitur, aliud è contrario sequi, neminem posse, qui sacerdos non sit, excommunicare; quod Ecclesiæ usu falsum esse convincitur. — Respondeo propriè de sacramento Pœnitentiæ Christum agere, et excommunicandi potestatem partem esse potestatis per sacramentum Pœnitentiæ ligandi atque solvendi. Nam quisquis auditum pœnitentem non absolvit, privatim quodammodò excommunicat, quia sacramentorum perceptione eum privat, quamvis quia ea excommunicatio secreta est, excommunicatio vocari non solet. Qui autem, cùm sacerdotes non sint, excommunicant, aliâ id ratione faciunt, nempe quia superiores sunt, et ecclesiasticam habent jurisdictionem, publicum peccatorem et Sacramentorum participatione et Ecclesiæ suffragiis privant. Itaque communi usu excommunicatio vocatur.

Vers. 19. — Iterum dico vobis. Non videntur primâ specie benè hæc verba cum superioribus cohærere. Hilar., Chrysost., Hieronymus, Euthymius et Theophylactus eò pertinere putant, ut Christus concordiam de quâ loqui cœperat cùm dixit : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum*, magis commendaret, dicens tantùm valere concordiam, ut quotiescumque duo ad aliquid à Deo petendùm conspiravissent, obtenturi essent. Potiùs existimo Christum à minori ad majus argumentari voluisse : Si quidquid duo petierint, Deus illis concedit, quantò magis Ecclesiæ judicium ratum habebit; quod et D. Gregorius, lib. 7 Registri, epist. 110, videtur indicàsse. Atque hoc est quod dicit : *Iterùm dico vobis*, quasi dicat : Non solùm quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, sed, quòd amplius est, etiam vobis promitto, fore ut quidquid duo de vobis communi consensu petierint, consequantur. At non agebatur de oratione, dicet aliquis, sed de ligandi solvendique potestate; quorsùm ergo de oratione subjecit : *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo?* Respondeo, propterea id subjecisse, ut ostenderet fore ut Deus numquàm eos in judicando, id est, in ligando atque solvendo errare pateretur, si suo nomine judicarent, quia quidquid suo nomine à Patre petierint, fiet illis, sicut Joan. 14, 13, et 16, 23 : *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Sunt qui putant propterea Chri-

Vers. 19. — Iterum dico vobis, etc.; non solùm id vobis promitto, sed, quod amplius est, id quoque efficiam, ut quidquid per me et propter me petieritis, stum de oratione hæc addidisse, quia intelligebat apostolos, et quicumque ligandi et solvendi haberent potestatem, nunquàm eâ nisi præmissâ oratione usuros esse, quâ oratione peterent, ut Deus sibi gratiam daret rectè justèque judicandi. Quod mihi non displiceat.

Si duo ex vobis. Hæc verba miris modis exposita sunt. Origenes, tract. in Matthæum. 6, ad virum et uxorem refert, qui, ut ait D. Paul. 1 Cor. 7, 5, si ab usu conjugii orationis causâ abstinere consenserint, quidquid petierint, impetrabunt. Alii ad animam et corpus, ut eodem loco idem Origenes, et Athanasius, quæstione 61, et Ambros., de Institutione virginis, c. 2, et in caput 14 Lucæ, Hieron., Beda, et Theophylactus in Commentariis, quasi quidquid sine ullo malo affectu, id est, carne adversùs spiritum non repugnante, facilè sint consecuturi; sed hoc ipse Hieronymus allegoricum esse fatetur. Alii referunt ad solos apostolos, ut Chrysost. et Euthym. Alii ad reprehensum et reprehendentem, ut Anastasius, quæst. 74; alii ad omnes Christianos, quia sequitur : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, quia generalis videtur esse sententia.

Super terrâm : propterea addidit, *super terram*, ut cœlo terram opponeret, significaretque eos, quamvis in terrâ essent, longèque à cœlo distarent, ibi tamen, cùm orarent, exaudiendos esse, quemadmodùm similem sententiam, c. 16, 19, explicavimus.

De omni re. Etiamsi generaliter, et universè loquatur, non adeò generaliter intelligenda sententia est, ut existimemus fore ut quidquid petierimus sive bonum, sive malum, sive honestum, sive inhonestum, simus impetraturi. Ponit enim tanquàm rem certam, quod et apud viros bonos, quasi naturæ lege positum est, non nisi honesta petenda esse; quòd autem dicit *de omni re*, non ideò dicit ut bona et mala; sed ut parva, et magna; ut facilia et difficilia comprehendat. Cur autem non semper, quod petimus, obtineamus, et quibus conditionibus hujusmodi promissiones intelligendæ sint, c. 7, 7, docuimus.

Vers. 20. — Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo. Confirmatio est aut superioris versûs, quâ rationem reddit, cur, quidquid duo consentientes petierint, impetraturi sint, quia ipse nimirùm in medio eorum est, et quasi ipsorum ore pro illis loquitur : aut versûs 18, quâ probat fore ut quidquid ligaverint super terram, sit ligatum et in cœlo, et quidquid solverint super terram, sit solutum et in cœlo, quia ipse in medio eorum est pro illis ligans, aut solvens. Hilarii, Chrysostomi et Theophylacti interpretatio coacta est, qui congregari nihil aliud esse putant, quàm, quod paulò ante dixit, consentire, id est, amicitiâ propter Christum conjungi. Cùm enim Christus dicat *ibi sum in medio eorum*, perspicuum est eum de cœtu, et consessu agere, in quo se tanquàm judicem medium sedere significat. Alludi. autem, ut opinor, ad Judæorum consuetudi-

id fiat vobis, cùm ea petieritis quæ ad salutem spectant, idque meo nomine.

nem, qui in congregationibus, id est, synagogis judicium exercebant. Difficilius dictu est, quid sit in nomine Christi congregari. Alii enim in nomine Christi, id est, propter Christum interpretantur, ita ut qui congregantur, nihil aliud quàm Christum et gloriam ejus quærant, ut Chrysostom. et Euthym. Alii invocato nomine Christi, quod et videtur meliùs convenire, quòd de oratione agebatur. Hæretici verbo Dei omnia metiuntur, cùm omnia contra verbum Dei dicant : In nomine, inquiunt, Christi congregari, est secundùm verbum Dei ad decernendum aliquid ex solis Scripturis convenire. Sed istæ verbi Dei jactationes jam nos movere desierunt, scientes idem dicere omnes hæreticos consuevisse. Mihi accommodatè ad id, de quo agitur, et ad consuetudinem locutionis, nomine Christi congregari nihil aliud videtur esse, quàm ejus auctoritate, ejusque personam gerentes convenire, sicut D. Paul., 1 ad Cor. 5, 4, dicit se in nomine Christi, id est, Christi auctoritate, atque virtute, ut statim declarat, Corinthium illum Satanæ tradidisse; et sicut apostolos legimus in nomine Christi baptizàsse, et miracula fecisse. Itaque cùm ii, qui auctoritatem in Ecclesiâ judicandi habent, ad judicandum conveniunt, eo ipso in nomine Christi dicuntur convenire. Neque necesse est ut nihil aliud quàm Christum quærant; quotus enim quisque id faceret? Præterquàm quòd nunquàm constare posset, utrùm, qui congregati essent, in nomine Christi convenissent. Quis enim præter Deum hominum cognoscit voluntates? Quod autem hæretici ex eo judicandum esse dicunt, utrùm in nomine Christi convenerint, si nihil nisi ex verbo Dei constituerint, perverso faciunt judicio. Non enim, quia nihil nisi ex verbo Dei decernunt, in nomine Christi convenerunt : sed quia in nomine Christi convenerunt, nihil nisi ex verbo Dei possunt decernere. Priùs enim in nomine Christi conveniunt, quàm aliquid decernant. Et qui in Christi nomine non convenerunt, possunt aliquando ex verbo Dei omnia decernere. Itaque incertam nobis hæresim, et fallacem regulam tradunt, quæ si vera esset, nunquàm sciri posset, an aliquod concilium in nomine Christi convenisset. Nam ad examinandum, utrùm aliquid non ex verbo Dei decrevisset, alio concilio opus esset; et ad examinandum an illud alterum aliquid dixisset præter verbum Dei, rursùs opus altero : sic nusquàm fides nostra gradum figeret.

In medio eorum. Quod Origenes, Chrysost. et Euthym. annotârunt non dixisse Christum *ibi, ero*; sed, *ibi sum*, ut ostenderet se jam esse præsentem, haud scio, quàm probabile. Illud potiùs explicandum, quid sit Christum esse *in medio eorum*. Hilarius ita videtur exponere, quasi nihil aliud sit, quàm in illis per gratiam habitare. Sed isto modo in omnibus justis est, quamvis congregati non sint : Christum verò aliter se in medio congregatorum, quàm in medio aliorum, qui congregati non sunt, esse significat. Alii interpretatur esse *in medio eorum*, id est, pro illis petere, pro illis orare. Ego non solùm auxilium, sed etiam auctoritatem significari arbitror, quasi dicat, ego in medio eorum, tanquàm supremus judex sedeo, eorum sententiam confirmans, quam in meo nomine pronuntiant, sicut David dixit Psal. 81, 1 : *Deus stetit in synagogâ deorum*, id est, judicum, *in medio autem deos dijudicat*. Solet hoc testimonium ad probandam Conciliorum auctoritatem adduci, quod non hæretici modò, sed nonnulli etiam Catholici fieri posse negant, quia et de oratione, non de decernendi potestate; et de duorum, vel trium, non de justi concilii congregatione agebatur. Ili licèt ingeniosi homines sunt, sentire tamen vim argumenti non videntur, quod à minori ad majus inde deducitur. Si enim, cùm duo vel tres ecclesiastici judices in nomine Christi ad judicandum de re aliquandò non magnâ conveniunt, Christus affirmat se in medio eorum esse, quomodò non erit, cùm non duo, vel tres non de re parvâ, sed de fide, de religione, de hominum salute, de totius Ecclesiæ gubernatione omnes Ecclesiæ judices, id est, episcopi conveniunt? Ut D. Gregorius, lib. 7 Registri, c. 110, argumentatur. Objicit aliquis, ergo et provincialium, ut vocant, conciliorum ex hoc loco eodem modo, atque generalium prehatur auctoritas. Nam et in illis non duo, vel tres, sed multi episcopi congregantur. Concedo id ita esse, modò provincialia concilia in Christi nomine congregentur : tunc autem in ejus nomine congregantur, cùm ejus auctoritate conveniunt : tunc ejus auctoritate conveniunt, cùm Romani Pontificis ejus vicarii auctoritate convocantur et confirmantur, sine quâ, quia congregari non possunt, nec Christi nomine convenire possunt, ideòque non negamus, cùm in Christi nomine non conveniunt, errare posse.

Vers. 21. — Tunc accedens Petrus. Quid Petrum moverit, ut hanc Christo quæstionem proponeret, non satis apparet. Hieron. occasionem fuisse putat, quòd Christus dixisset, versu 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, et ipsum*; meritò enim dubitàsse Petrum, quoties peccanti contra se fratri injuriam remittere oporteret. At Christus non de injuriæ remissione; sed de fraternâ correptione locutus fuerat. Chrysost. et Euthym. existimant Petrum, quasi gloriabundum, et misericordiæ opinionem captaturum hoc interrogàsse : putàsse enim se magni aliquid dicere, quòd septies peccanti fratri vel dubitando esse diceret remittendum. Mihi ex verbis Christi Lucæ 17, 4, occasionem interrogationis videtur accepisse, *et si septies*, inquit, *in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Nam hæc verba quamvis Matth. silentio prætermiserit, credibile tamen est tunc dixisse Christum, cùm dixit : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum*; hæc enim cum illis Lucas copulavit. Quanquàm D. Augustinus alio tempore ea, quæ Lucas narrat, dicta fuisse putat, 2 lib. de Consensu evangelistarum, c. 61, sed præstat credere evangelistam alio loco, et alio ordine narràsse, quàm Christum alio tenore dixisse.

Usque septies. Quod Christus infinitè dixerat, Petrus definitè intellexit. Septies enim, id est, quotie

scumque peccavisset, fratri offensionem esse remittendam Christus significaverat. Nam septenarium numerum pro infinito, atque incerto poni solere notum est. Proverbiorum 24, 16: *Septies in die cadet justus, et resurget*, id est, quotiescumque ceciderit, resurget, quia Dominus eum non deseret.

Vers. 22. — Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Numerum infinitum in denarium conversum, et per eumdem multiplicatum magis infinitum reddidit. Quanquam reipsa idem est, *usque septies*, et *usque septuagies septies*, cum utrique numerus numeri negationem, id est, innumerabilitatem significet, quemadmodum si diceret: Non solùm dico tibi, ut innumerabilibus vicibus nimirum fratri remittas: sed etiam innumerabiliter innumerabilibus. In quam sententiam Chrysostomus et Euthymius interpretantur. Quemadmodùm Genesis 4, 24: Deus dixit: *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies*, ad quem locum indicat Hilarius hic Christum allusisse, ut quemadmodùm pœna, ità et venia in infinitum extenderetur, *quia ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*, Rom. 5, 20. Id, ut Hieronymus et Beda annotaverunt, de fratre septuagies septies contra nos eodem die peccante intelligendum est, quod perspicuum est ex Luca: *Si*, inquit, *septies in die peccaverit in te, et septies conversus fuerit dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Quâ sententiâ non docentur sacerdotes absolutionem sæpè peccantibus temerè dare, sed docentur offensi semper ad ignoscendum parati esse. Illud videtur habere difficultatem, quomodò Christus apud Lucam dicat: *Si conversus fuerit, dimitte illi*, quasi significet non debere nimirum remittere, nisi priùs eum, qui nos offendit, pœnituerit. Quod omni Scripturæ prorsùs contrarium est: certissima enim est regula: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; et: *Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*, supra c. 6, 12, 15. Quod quidam nobilissimus hæreticorum interpres respondet, duobus modis nos offensas remittere, aut ignoscendo, aut de eo, qui nos offendit, bonam habendo existimationem, novum commentum est. Nam bonam opinionem habere idem commentum est. Nam bonam opinionem habere idem esse, quod injuriam remittere, quis unquàm cogitavit? Duobus ergo modis injuriam remittimus, et dum ei, à quo sumus offensi, non malè volumus, quod semper, etiamsi eum non pœniteat, facere debemus, ut Deus nobis nostra debita dimittat: aut dum eum non accusamus. Nam non accusare, non deferre, non puniendum curare, parcere est. Atque hoc modo intelligendum est quod Christus significat, non debere nos peccanti fratri parcere, nisi eum priùs pœniteat. Hoc enim agebat, ut diceret, non esse fratrem ad Ecclesiam deferendum, nisi si priùs privatim, deinde coram duobus, vel tribus testibus admonitus, obstinatus in peccato perseveràsset.

Vers. 23. — Ideo. Potiùs dicendum fuisse videtur, *quia*, quàm *ideò*: sed aut διὰ τοῦτο ponitur ὅτι, id est, *propterea*, pro, *quia*; sicut aliquando apud Hebræos כֵּן pro כִּי, aut est subintelligendum ideò hæc dici, quia simile est regnum cœlorum homini regi: aut, ideò dico vobis simile esse regnum cœlorum homini regi, id est, regi cuidam, quem hebraismum multis jam locis adnotavimus. Quod autem dicit simile esse regnum cœlorum homini regi, perinde est, ac si diceret idem in regno cœlorum accidere, atque si aliquis rex rationem cum servis suis ponere cœpisset, quemadmodùm c. 11, 16, exposuimus: nec enim regnum cœlorum, id est, Ecclesia: sed qui regni cœlorum dominus est, regi comparatur. Quid sibi tota velit parabola, ex versu 35 colligitur, nempe Deum nobis peccata non esse remissurum, nisi nos fratribus offensas remittamus: cùm potiùs nos illis, quàm nobis Deum remittere æquum sit; nam nos homines summus similes illis; ille Deus dissimilis nobis, peccata contra Deum nostra, et innumerabilia, et infinitè gravia; peccata contra nos fratrum et pauca, et plerumque levia. Sunt autem in hâc parabolâ, ut in omnibus aliis, quemadmodùm sæpè monuimus, quædam necessaria, et tanquàm propriè parabolæ partes: quædam, quasi emblemata, et ad ornatum parabolæ, et explelionem adjecta. Necessariæ igitur hujus parabolæ partes sunt rex, duo servi, alter, cui dominus debitum dimisit; alter, cui alius servus demittere debitum noluit: deinde debitum decem millium talentorum, quod alter servus regi debebat, et debitum centum denariorum, quod alter servus debebat alteri. Emblemata autem sunt, primum, quod versu 25 dicitur regem jussisse uxorem, et liberos ejus, qui decem millia talenta debebat, venumdari; hoc enim non est ita ad rem, de quâ agitur, accommodandum, quasi significetur fore, ut uxor propter maritum, liberi propter patrem condemnentur; sed aut ad ornatum hæc sunt, aut ò tantùm valent, ut gravissima pœna significetur, qualis est ea, quâ secundùm leges civiles non solùm is, qui peccavit; sed ejus etiam uxor, et liberi condemnantur: quod et apud Hebræos usitatum fuisse ex 4 Regum 4, 1, manifestum. Emblema etiam est, quod versu 31, dicitur, *videntes autem conservi, quæ fiebant, contristati sunt valdè, et venerunt et narraverunt domino suo*. Non enim significatur sanctos, id est, servos Dei eos accusare, qui fratribus suis injurias non remittunt; sed ideò additum est, quia ità inter homines fieri solet, ut alii servi alios apud dominum accusent.

Vers. 24. — Decem millia talenta. Talentorum varia fuisse genera nemo nescit. Christum de eo loqui credibile est, quod apud Judæos erat usitatum, noluit dimittere. Sed usque; non quòd redeant dimissa peccata, sed duriùs ille punietur ob malè mœrorem animum, æternas dabit pœnas ob inhumanitatem. Hoc ad eos inprimis spectat qui morti proximi veniam petunt, sed ubi convaluêre tanti beneficii immemores inopinâ morte opprimuntur.

quodque sexcentos aureos nummos valuisse creditur; ut diligenies harum rerum scriptores tradiderunt. Itaque decem millia talentorum summam sexagies centum millium aureorum nostrorum efficiunt. Nihil refert verum talenti pretium ad justum æstimare; illud refert, ut intelligamus ingentem hoc loco pecuniæ summam significari. Ingens autem erit summa, si vel minimo pretio talentum æstimetur.

Vers. 28. — Centum denarios. Denarium in veteri Testamento non legimus; fuisse tamen monetam apud Judæos post Babylonicum exilium, quæ ℥ denarius sumpto ex Latinis nomine vocaretur, Chaldæus Paraphrastes, 4 Regum 7, 5, 5, et Elias Thesbit., auctores sunt. Alii Hebræi tradunt alium apud eos aureum, alium argenteum fuisse denarium. Argenteum, qui probabilissimè loquuntur, sex obolos habuisse dicunt Attico, id est, quinque Gallicos solidos, aut regale unum Hispanicum; hoc enim rectè convenit cum eo quod c. 20, 2, dicitur, convenisse patremfamiliàs cum operariis ex denario, ut in vineâ suâ laborarent. Itaque centum denarii paulò plus, quàm octo aureos nostros efficiebant, quæ minima erat summa, ut propterea servus debitorem suum suffocaret. Quidquid denarius valuerit, illud certum valdè exiguum debitum significari.

Vers. 34. — Quousque redderet, id est, semper, ut Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus interpretantur: non enim significatur fore ut qui damnati sunt pœnas aliquando persolvant, et quasi reddito debito liberentur, qui Origenistarum error fuit; sed fore ut nunquàm liberentur, nisi pœnas persolvant, quas, quia persolvere nunquàm poterunt, nunquàm liberabuntur. Nec significatur Deum remissa jam peccata propter sequens peccatum in quæstionem revocare atque punire; sed hoc tantùm, quod Christus agebat, Deum iis qui fratribus suis peccata non remiserunt, peccata non remissurum. Quanquàm, quod optimus theologus D. Thomas dixit, remissa peccata novo peccato supervenienie propter ingratitudinem quodammodò puniri, verum est; non quòd jam remissa puniantur, sed quòd, si remissa non essent, sequens peccatum minùs graviter puniretur, quia minùs fuisset ingratus is cui priora peccata remissa non essent, si aliud peccatum addidisset.

Vers. 34. — Tradidit eum tortoribus, ut eas subeat pœnas, quibus obnoxii erant qui creditores fraudaverant.

CAPUT XIX.

1. Et factum est cùm consummàsset Jesus sermones istos, migravit à Galilæâ, et venit in fines Judææ trans Jordanem.

2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi.

3. Et accesserunt ad eum pharisæi, tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quàcumque ex causâ?

4. Qui respondens, ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? et dixit:

5. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ.

6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?

8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est;

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis im-

CHAPITRE XIX.

1. Jésus ayant achevé ces discours, partit de Galilée, et vint aux confins de la Judée, au-delà du Jourdain.

2. Et de grandes troupes le suivirent; et il guérit leurs malades au même lieu.

3. Et les pharisiens vinrent à lui, pour le tenter, et ils lui dirent: Est-il permis à un homme de renvoyer sa femme pour quelque cause que ce soit?

4. Il leur répondit: N'avez vous point lu que celui qui créa l'homme au commencement, créa un homme et une femme, et qu'il dit:

5. Pour cette raison, l'homme quittera son père et sa mère, et il demeurera attaché à sa femme; et ils ne seront plus tous deux qu'une même chair?

6. Ainsi ils ne sont plus deux, mais une seule chair. Que l'homme donc ne sépare point ce que Dieu a uni.

7. Ils lui dirent: Pourquoi donc Moïse a-t-il ordonné de donner à sa femme un acte de répudiation, et de la renvoyer?

8. Il leur répondit: C'est à cause de la dureté de votre cœur, que Moïse vous a permis de renvoyer vos femmes; mais cela n'a pas été ainsi dès le commencement.

9. Aussi je vous déclare que quiconque renvoie sa femme, si ce n'est pour cause d'inconduite, et en épouse une autre, commet un adultère; et que celui qui épouse celle qu'un autre a renvoyée, commet un adultère.

10. Ses disciples lui dirent: Si la condition d'un homme est telle à l'égard de sa femme, il n'est pas avantageux de se marier.

11. Il leur dit: Tous n'entendent pas cette parole, mais ceux à qui il a été donné.

12. Car il y a des eunuques qui sont nés tels dès le ventre de leur mère; il y en a qui ont été faits eunuques par les hommes; et il y en a qui se sont rendus eunuques eux-mêmes pour gagner le royaume des cieux. Qui peut comprendre ceci, le comprend.

13. Alors on lui présenta de petits enfants, afin

scumque peccavisset, fratri offensionem esse remittendam Christus significaverat. Nam septenarium numerum pro infinito, atque incerto poni solere notum est. Proverbiorum 24, 16: *Septies in die cadet justus, et resurget*, id est, quotiescumque ceciderit, resurget, quia Dominus eum non deseret.

Vers. 22. — Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Numerum infinitum in denarium conversum, et per eumdem multiplicatum magis infinitum reddidit. Quanquam reipsa idem est, *usque septies*, et *usque septuagies septies*, cum utrique numerus numeri negationem, id est, innumerabilitatem significet, quemadmodum si diceret: Non solùm dico tibi, ut innumerabilibus vicibus nimirum fratri remittas: sed etiam innumerabiliter innumerabilibus. In quam sententiam Chrysostomus et Euthymius interpretantur. Quemadmodùm Genesis 4, 24: Deus dixit: *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies*, ad quem locum indicat Hilarius hic Christum allusisse, ut quemadmodùm pœna, ità et venia in infinitum extenderetur, *quia ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*, Rom. 5, 20. Id, ut Hieronymus et Beda annotaverunt, de fratre septuagies septies contra nos eodem die peccante intelligendum est, quod perspicuum est ex Luca: *Si*, inquit, *septies in die peccaverit in te, et septies conversus fuerit dicens, pœnitet me, dimitte illi*. Quâ sententiâ non docentur sacerdotes absolutionem sæpè peccantibus temerè dare, sed docentur offensi semper ad ignoscendum parati esse. Illud videtur habere difficultatem, quomodò Christus apud Lucam dicat: *Si conversus fuerit, dimitte illi*, quasi significet non debere nimirum remittere, nisi priùs eum, qui nos offendit, pœnituerit. Quod omni Scripturæ prorsùs contrarium est: certissima enim est regula: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*; et: *Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra*, supra c. 6, 12, 15. Quod quidam nobilissimus hæreticorum interpres respondet, duobus modis nos offensas remittere, aut ignoscendo, aut de eo, qui nos offendit, bonam habendo existimationem, novum commentum est. Nam bonam opinionem habere idem commentum est. Nam bonam opinionem habere idem esse, quod injuriam remittere, quis unquàm cogitavit? Duobus ergo modis injuriam remittimus, et dum ei, à quo sumus offensi, non malè volumus, quod semper, etiamsi eum non pœniteat, facere debemus, ut Deus nobis nostra debita dimittat: aut dum eum non accusamus. Nam non accusare, non deferre, non puniendum curare, parcere est. Atque hoc modo intelligendum est quod Christus significat, non debere nos peccanti fratri parcere, nisi eum priùs pœniteat. Hoc enim agebat, ut diceret, non esse fratrem ad Ecclesiam deferendum, nisi si priùs privatim, deinde coram duobus, vel tribus testibus admonitus, obstinatus in peccato perseveràsset.

Vers. 23. — Ideo. Potiùs dicendum fuisse videtur, *quia*, quàm *ideò*: sed aut διὰ τοῦτο ponitur ὅτι, id est, *propterea*, pro, *quia*; sicut aliquando apud Hebræos כֵּן pro כִּי, aut est subintelligendum ideò hæc dici, quia simile est regnum cœlorum homini regi: aut, ideò dico vobis simile esse regnum cœlorum homini regi, id est, regi cuidam, quem hebraismum multis jam locis adnotavimus. Quod autem dicit simile esse regnum cœlorum homini regi, perinde est, ac si diceret idem in regno cœlorum accidere, atque si aliquis rex rationem cum servis suis ponere cœpisset, quemadmodùm c. 11, 16, exposuimus: nec enim regnum cœlorum, id est, Ecclesia: sed qui regni cœlorum dominus est, regi comparatur. Quid sibi tota velit parabola, ex versu 35 colligitur, nempe Deum nobis peccata non esse remissurum, nisi nos fratribus offensas remittamus: cùm potiùs nos illis, quàm nobis Deum remittere æquum sit; nam nos homines summus similes illis; ille Deus dissimilis nobis, peccata contra Deum nostra, et innumerabilia, et infinitè gravia; peccata contra nos fratrum et pauca, et plerumque levia. Sunt autem in hâc parabolâ, ut in omnibus aliis, quemadmodùm sæpè monuimus, quædam necessaria, et tanquàm propriè parabolæ partes: quædam, quasi emblemata, et ad ornatum parabolæ, et explelionem adjecta. Necessariæ igitur hujus parabolæ partes sunt rex, duo servi, alter, cui dominus debitum dimisit; alter, cui alius servus demittere debitum noluit: deinde debitum decem millium talentorum, quod alter servus regi debebat, et debitum centum denariorum, quod alter servus debebat alteri. Emblemata autem sunt, primum, quod versu 25 dicitur regem jussisse uxorem, et liberos ejus, qui decem millia talenta debebat, venumdari; hoc enim non est ita ad rem, de quâ agitur, accommodandum, quasi significetur fore, ut uxor propter maritum, liberi propter patrem condemnentur; sed aut ad ornatum hæc sunt, aut ò tantùm valent, ut gravissima pœna significetur, qualis est ea, quâ secundùm leges civiles non solùm is, qui peccavit; sed ejus etiam uxor, et liberi condemnantur: quod et apud Hebræos usitatum fuisse ex 4 Regum 4, 1, manifestum. Emblema etiam est, quod versu 31, dicitur, *videntes autem conservi, quæ fiebant, contristati sunt valdè, et venerunt et narraverunt domino suo*. Non enim significatur sanctos, id est, servos Dei eos accusare, qui fratribus suis injurias non remittunt; sed ideò additum est, quia ità inter homines fieri solet, ut alii servi alios apud dominum accusent.

Vers. 24. — Decem millia talenta. Talentorum varia fuisse genera nemo nescit. Christum de eo loqui credibile est, quod apud Judæos erat usitatum, noluit dimittere. Sed usque; non quòd redeant dimissa peccata, sed duriùs ille punietur ob malè mœrorem animum, æternas dabit pœnas ob inhumanitatem. Hoc ad eos inprimis spectat qui morti proximi veniam petunt, sed ubi convaluêre tanti beneficii immemores inopinâ morte opprimuntur.

quodque sexcentos aureos nummos valuisse creditur; ut diligenies harum rerum scriptores tradiderunt. Itaque decem millia talentorum summam sexagies centum millium aureorum nostrorum efficiunt. Nihil refert verum talenti pretium ad justum æstimare; illud refert, ut intelligamus ingentem hoc loco pecuniæ summam significari. Ingens autem erit summa, si vel minimo pretio talentum æstimetur.

Vers. 28. — Centum denarios. Denarium in veteri Testamento non legimus; fuisse tamen monetam apud Judæos post Babylonicum exilium, quæ ℥ denarius sumpto ex Latinis nomine vocaretur, Chaldæus Paraphrastes, 4 Regum 7, 5, 5, et Elias Thesbit., auctores sunt. Alii Hebræi tradunt alium apud eos aureum, alium argenteum fuisse denarium. Argenteum, qui probabilissimè loquuntur, sex obolos habuisse dicunt Attico, id est, quinque Gallicos solidos, aut regale unum Hispanicum; hoc enim rectè convenit cum eo quod c. 20, 2, dicitur, convenisse patremfamiliàs cum operariis ex denario, ut in vineâ suâ laborarent. Itaque centum denarii paulò plus, quàm octo aureos nostros efficiebant, quæ minima erat summa, ut propterea servus debitorem suum suffocaret. Quidquid denarius valuerit, illud certum valdè exiguum debitum significari.

Vers. 34. — Quousque redderet, id est, semper, ut Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus interpretantur: non enim significatur fore ut qui damnati sunt pœnas aliquando persolvant, et quasi reddito debito liberentur, qui Origenistarum error fuit; sed fore ut nunquàm liberentur, nisi pœnas persolvant, quas, quia persolvere nunquàm poterunt, nunquàm liberabuntur. Nec significatur Deum remissa jam peccata propter sequens peccatum in quæstionem revocare atque punire; sed hoc tantùm, quod Christus agebat, Deum iis qui fratribus suis peccata non remiserunt, peccata non remissurum. Quanquàm, quod optimus theologus D. Thomas dixit, remissa peccata novo peccato supervenienie propter ingratitudinem quodammodò puniri, verum est; non quòd jam remissa puniantur, sed quòd, si remissa non essent, sequens peccatum minùs graviter puniretur, quia minùs fuisset ingratus is cui priora peccata remissa non essent, si aliud peccatum addidisset.

Vers. 34. — Tradidit eum tortoribus, ut eas subeat pœnas, quibus obnoxii erant qui creditores fraudaverant.

CAPUT XIX.

1. Et factum est cùm consummàsset Jesus sermones istos, migravit à Galilæâ, et venit in fines Judææ trans Jordanem.

2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi.

3. Et accesserunt ad eum pharisæi, tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quàcumque ex causâ?

4. Qui respondens, ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos? et dixit:

5. Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ.

6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

7. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?

8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: et qui dimissam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est;

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis im-

CHAPITRE XIX.

1. Jésus ayant achevé ces discours, partit de Galilée, et vint aux confins de la Judée, au-delà du Jourdain.

2. Et de grandes troupes le suivirent; et il guérit leurs malades au même lieu.

3. Et les pharisiens vinrent à lui, pour le tenter, et ils lui dirent: Est-il permis à un homme de renvoyer sa femme pour quelque cause que ce soit?

4. Il leur répondit: N'avez vous point lu que celui qui créa l'homme au commencement, créa un homme et une femme, et qu'il dit:

5. Pour cette raison, l'homme quittera son père et sa mère, et il demeurera attaché à sa femme; et ils ne seront plus tous deux qu'une même chair?

6. Ainsi ils ne sont plus deux, mais une seule chair. Que l'homme donc ne sépare point ce que Dieu a uni.

7. Ils lui dirent: Pourquoi donc Moïse a-t-il ordonné de donner à sa femme un acte de répudiation, et de la renvoyer?

8. Il leur répondit: C'est à cause de la dureté de votre cœur, que Moïse vous a permis de renvoyer vos femmes; mais cela n'a pas été ainsi dès le commencement.

9. Aussi je vous déclare que quiconque renvoie sa femme, si ce n'est pour cause d'inconduite, et en épouse une autre, commet un adultère; et que celui qui épouse celle qu'un autre a renvoyée, commet un adultère.

10. Ses disciples lui dirent: Si la condition d'un homme est telle à l'égard de sa femme, il n'est pas avantageux de se marier.

11. Il leur dit: Tous n'entendent pas cette parole, mais ceux à qui il a été donné.

12. Car il y a des eunuques qui sont nés tels dès le ventre de leur mère; il y en a qui ont été faits eunuques par les hommes; et il y en a qui se sont rendus eunuques eux-mêmes pour gagner le royaume des cieux. Qui peut comprendre ceci, le comprend.

13. Alors on lui présenta de petits enfants, afin

poneret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos;

14. Jesus verò ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum.

15. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde.

16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; non falsum testimonium dices;

19. Honora patrem tuum et matrem tuam; et diliges proximum sicut teipsum.

20. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi à juventute meâ; quid adhuc mihi deest?

21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me.

22. Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones.

23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum.

24. Et iterùm dico vobis: Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.

25. Audito autem hîs, discipuli mirabantur valdè dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?

26. Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.

27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?

28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

29. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

30. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

qu'il leur imposât les mains, et qu'il priât pour eux. Et ses disciples les reprenssaient avec des paroles rudes.

14. Mais Jésus leur dit: Laissez là ces enfants, et ne les empêchez pas de venir à moi, car le royaume du ciel est pour ceux qui leur ressemblent.

15. Et leur ayant imposé les mains, il partit de là.

16. Et voici, quelqu'un s'approchant lui dit: Bon maître, quel bien faut-il que je fasse pour gagner la vie éternelle?

17. Jésus lui répondit: Pourquoi me demandez-vous ce qui est bon? Il n'y a que Dieu seul qui soit bon. Au reste, si vous voulez entrer dans la vie, gardez les commandements.

18. Et il lui dit: Quels commandements? Jésus lui repartit: Vous ne tuerez point; vous ne commettrez point d'adultère; vous ne déroberez point; vous ne porterez point de faux témoignage;

19. Honorez votre père et votre mère et aimez votre prochain comme vous-même.

20. Le jeune homme répondit: J'ai gardé tous ces commandements dès ma jeunesse; que me reste-t-il encore à faire?

21. Jésus lui dit: Si vous voulez être parfait, allez, vendez ce que vous avez, et le donnez aux pauvres, et vous aurez un trésor dans le ciel; venez, et suivez-moi.

22. Le jeune homme entendant ces paroles, s'en alla tout triste, parce qu'il avait de grands biens.

23. Alors Jésus dit à ses disciples: Je vous dis en vérité qu'il est bien difficile qu'un riche entre dans le royaume des cieux.

24. Je vous le dis encore une fois: Il est plus aisé qu'un chameau passe par le trou d'une aiguille, qu'il ne l'est qu'un riche entre dans le royaume des cieux.

25. Ses disciples entendant cela, en furent fort étonnés; et ils disaient: Qui pourra donc être sauvé?

26. Jésus les regardant, leur dit: Cela est impossible aux hommes, mais tout est possible à Dieu.

27. Pierre prenant la parole, lui dit: Voici que nous avons tout quitté, et que nous vous avons suivi; quelle sera donc notre récompense?

28. Jésus leur répondit: Je vous dis en vérité, que pour vous qui m'avez suivi, lorsqu'au temps de la régénération le fils de l'homme sera assis sur le trône de sa gloire, vous serez aussi assis sur douze trônes, et vous jugerez les douze tribus d'Israël.

29. Et quiconque aura quitté pour moi sa maison, ou ses frères, ou ses sœurs, ou son père, ou sa mère, ou sa femme, ou ses enfants, ou ses terres, en recevra le centuple, et il aura pour héritage la vie éternelle.

30. *Vous aurez peut-être de la peine à vous persuader que les pauvres pécheurs comme vous, puissent devenir les juges de ce qu'il y a de plus grand dans le monde;* mais plusieurs qui avaient été les premiers, seront les derniers, et plusieurs qui avaient été les derniers seront les premiers.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Cum consummasset Jesus sermones istos. Hæc verba duobus modis posse videntur intelligi, vel cùm hæc fecisset, vel cùm hæc dixisset, ut omnes interpretantur. Significatur autem parabola, quæ extremo capite superiore exposita est.

Migravit a Galilæa. Hilarius legit, *in Galilæam*, sensu contrario. Sed minimè dubium est Christum in Galilæâ tunc fuisse; itaque non in Galilæam, sed à Galilæa migrare potuit. Præterquàm quòd Lucas dixit ideò migravisse, ut veniret in Jerusalem, c. 9, 51. Quære, quod Hilarius existimat non in Judæam, sed in fines Judææ venisse Christum, ne probabile quidem est. Quæritur ab interpretibus utrùm eadem sit historia, quæ hîc à Matthæo, et quæ à Marco, c. 10, 1, et

Vers. 1. — Venit in fines Judææ, trans Jordanem, non in Judæam, sed *in fines Judææ*, in Peræam nempe è regione Jericho, uti ex Marci c. 10 discimus; sed eò tamen non pervenit nisi post festum Tabernaculorum, adeò ut Capharnaum et Galilæam non amplius rediturus omninò reliquerit mense augusto, paucis post transfigurationem dichus, atque in confinibus Galilææ et Judææ prædicaverit usque ad festum Tabernaculorum, quod circa 19 septembris eo anno celebratum fuisse existimat Petzonius. Post festum Tabernaculorum urbem Hierosolymam adiit, ubi multa cum Judæis disseruit, quæ à Joanne referuntur; in Peræam postea se recepit. Non enim vita illius in tuto erat Hierosolymæ, neque in Judæâ, neque in Galilæâ, ubi erat Herodes Antipas, qui Sephoris Galilææ in urbe habitabat. Quare in Peræam se contulit, ubi nondùm Evangelium annunciatum fuerat; sed priùs quasi iter agendo in Galilæa et Judæa finibus ea fecit et dixit quæ à Lucâ, à cap. 9, v. 51, ad caput usque 14, prosequitur, quæque suis locis exponentur. Nunc se-

à Lucâ, 9, 51, et à Joanne, c. 7, 1, 2, narratur. A Matthæo et Marco eamdem omnes narrari concedunt, de aliis duobus evangelistis dubitatur, quia uterque multa postea commemorat, quæ post hunc Christi in Judæam adventum fieri non potuerunt. Ego de Lucâ non dubito, quin eamdem narret historiam, primùm, quia hanc Christi in Judæam profectionem ultimam fuisse constat, tum quia aliam post hanc evangelistæ non narrant; tum quia id Christus, c. 16, 21, et c. 17, 22, indicavit, dicens se ascensurum in Jerusalem, ibique passurum, quasi de proximâ morte suâ loqueretur. Lucas autem de ultimâ etiam loquitur: *Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem.* Quòd ergo multa postea idem Lucas commemoret, quæ ante hanc profectionem facta fuerant, mirum videri non debet, cùm passim videamus evangelistas rerum gestarum ordinem non tenere. De Joanne idem nonnulli putant eamdem historiam recitare, quod ego persuadere mihi non possum, primùm, quia apud Joannem, eodem c. 7, versu 6, Christus dicit tempus suum nondùm venisse; hic autem apud Matthæum contrarium jam bis significavit, instare tempus passionis suæ; deinde quia apud Joannem, vers. 9 et 10, Christus dicitur solus in Judæam ascendisse, cùm hic dicantur non solùm discipuli, sed multa etiam turba illum secuta fuisse; postremò, quia profectio illa, de quâ ibi loquitur Joannes, ultima non fuit, cùm idem postea, c. 11, 7, dicat Christum ut Lazarum suscitaret, in Judæam iterùm venisse.

Et venit in fines Judææ. Hilarius, ut paulò ante diximus, existimat Christum in Judæam ingressum non fuisse; sed ad solos Judææ et Galilææ fines pervenisse; idemque Chrysostomus et Euthymius arbitrantur. Quidam è contrario priùs Hierosolymam venisse putant, deinde ex Hierosolymâ in fines Judææ et Galilææ rediisse; nullâ, ut mihi videtur, probabili ratione, cùm ita jam narret evangelista, ut non obscurè declaret eum ex Galilæâ in fines Judææ rectà venisse, nullasque eum turbas secutas esse. Venit ergo in fines Judææ, ut Hierosolymam veniret; sed fecit evangelista ejus loci mentionem, ut circumstantiam loci ubi miraculum quod narraturus erat factum fuerat explicaret; *et curavit*, inquit, *eos ibi*.

Trans Jordanem. Utraque, et Judæa, et Galilæa non trans, sed citra Jordanem erat; sed dicitur esse trans Jordanem venientibus ab Ægypto in terram Chanaan, quemadmodùm, c. 4, 15, exposuimus.

Vers. 2. — Et curavit eos ibi. Non significat omnes qui secuti fuerant, sed omnes qui ægrotabant, nec eos ipsos fortassis omnes, sed eos tantùm, qui digni erant, curatos fuisse; sicut c. 14, 14. Marcus, c. 10, 1, scribit Christum eos qui se secuti fuerant, ibi docuisse, quod Matthæus prætermisit; sed quamvis Marcus non dixisset, ex Christi consuetudine poterat intelligi, qui vix sine doctrinâ miracula faciebat. Conjungebat enim semper facta cum verbis, ut Chrysostomus, et Euthymius adnotaverunt.

Ibi, id est, in finibus Galilææ, et Judææ; noluit enim ut Galilæi, qui se secuti fuerant, extra patriam suam egrederentur, aut, ut auctor Imperfecti, homil. 32, indicavit, ne Judæi, ut calumniatores erant, dicerent ipsum jactantiæ causâ magnam post se hominum multitudinem trahere.

Vers. 3. — Et accesserunt. Non satis expressum est an eodem in loco ad Christum accesserint Pharisæi; est tamen probabilius, quia id narrationis consecutio et apud Matthæum, et apud Marcum videtur indicare. Atque ita Chrysostomus et Theophylactus existimant.

Quacumque ex causa. Non dixerunt an liceret uxorem dimittere aliquâ ex causâ, sed quâcumque ex causâ. Nam aliquâ de causâ licere non dubitabant, ut Origenes tractatu in Matthæum 7, Hieronym. et Beda observaverunt. Dubitatur à quibusdam, quâ occasione hanc Pharisæi quæstionem proposuerint. Nonnulli occasionem fuisse putant, quòd Christus, c. 11, 13, dixisset: *Prophetæ, et lex usque ad Joannem*, quasi legem jam abrogatam significaret, voluerintque Pharisæi experiri num id, dùm ad quæstionem responderet, fateretur. Hæc causa et nimis remota, et parùm propria mihi videtur; et quia jamdiù Christus id prædixerat, et quia, ut id experirentur, multas alias de lege quæstiones proponere potuerunt. Theophylact. hanc quæstionis causam reddit, quòd Christus, c. 5, 32, dixisset: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Auctor Imperfecti, homil. 32, quia homines carnales erant, de nuptiis eos interrogàsse, quemadmodùm, qui valetudinarii sunt, semper loquuntur de medicinâ. Probabile etiam est, quod alii dicunt, fortassè eam quæstionem fuisse tunc inter Judæos agitatam, ut illa etiam

riem narrationis Matthæi retexamus. Itaque post festum Tabernaculorum cùm in ejus necem Judæi conjurâssent, ultra Jordanem se recepit, et versùs Bethabara, non procul Jericho, ubi Joannes baptizaverat per duos menses usque ad festum Encæniorum, ibi commoratus ad finem usque novembris. Hinc Joannes, cap. 10, 40 docet eum *abiisse iterùm trans Jordanem*, quòd jam ante esset profectus; non enim in Judæâ moratus est. In Peræam itaque secutæ sunt eum turbæ.

Vers. 3. — Si licet homini dimittere uxorem suam, etc. Christi responsio matrimonii leges ad primam sui institutionem revocat. Deus enim uni viro unam destinavit uxorem, non plures; is adeò indissolubilem inter eos societatem constituit.

erat, quam eâdem de causâ Christo proposuerunt, utrùm liceret tributum dare Cæsari, c. 22, 17. Solent enim alio tempore alias urgere quæstiones. Digna etiam Pharisæorum ingenio conjectura est, propterea eos hanc potiùs quæstionem quàm aliam proposuisse, quòd cùm omnes attingeret, invidiæ plena esset.

Vers. 4. — Non legistis. Respondet Christus exprobrans illis legis, cujus se scientiâ jactabant, ignorantiam, ut c. 12, 3, 5, etiam fecerat, ibique Euthymius observavit. Marcus scribit Christum eos interrogâsse : *Quid vobis præcepit Moyses?* quod videtur huic loco esse contrarium. Respondet Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 62, Marcum non verba Christi, sed voluntatem exprimere voluisse. Credibile etiam est utrumque, et quod Matthæus, et quod Marcus narrat, Christum dixisse, sed priùs interrogâsse Pharisæos : *Quid vobis præcepit Moyses*; eos verò respondisse Moysem permisisse uxorem libello repudii dato dimittere. Tunc subjecisse Christum, quod Matthæus scribit : *Non legistis, quòd, qui fecit hominem ab initio, masculum, et fœminam fecit eos*, etc. Deinde Pharisæos iterùm objecisse, quod ait Matthæus, vers. 7 : *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* Non respondet Christus ad quæstionem directè; sed producens Scripturæ testimonium, facit, ut Deus, aut Moyses, cujus Pharisæi doctrinam gloriosè sectabantur, pro se tacitè respondeant, ut Chrysostomus et Euthymius animadvertunt, illud etiam notantes, ex factis et ex verbis Dei Christum ad quæstionem respondisse; ex factis, cùm dicit : *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos?* ex verbis, cùm dicit, versu 5 : *Et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ.*

Qui fecit, ὁ ποιήσας, id est, creator.

Masculum et fœminam fecit eos. Quærendum hoc loco est, in quo hujus argumenti vis posita sit. Quidam in sexu sitam esse volunt, quasi ex diverso sexu Christus argumentetur non debere unum virum nisi unam habere uxorem, quòd ex utroque, quasi ex duabus imperfectis partibus, ut Plato quodam loco scribit, unus perfectus homo fiat. Quam interpretationem D. Augustinus, lib. 14 de Civitate, c. 22, secutus videtur. Omnes alii interpretes non in sexu, sed in numero vim esse putant, quasi Christus ita argumentetur : Si Deus voluisset unum virum plures habere uxores, non unam tantùm, sed plures feminas initio fecisset. Ita Chrysostomus, Hieronym., auctor Imperfecti, Beda, Theophylactus, Euthym., Strabus. Vidi ego aliquando à quodam Calvinistarum ministro de hâc quæstione compositum librum, an liceret unum virum plures uxores, non unam quidem post aliam, sed eodem tempore habere; erat autem scriptus per dialogum, in quo, qui non licere dicebat, ita defendebat causam, ut facilè eum appareret prævaricari; et quasi sponte victum succumbere. Adduxerat hunc locum, ut probaret non licere; respondebat nihil hinc colligi posse, quòd non idem posset concludi de omnibus animalibus, quæ initio non nisi mas et femina facta sunt. Hanc responsionem bellus ille minister existimabat refutari non posse; eò nimirùm impudentiæ progressi sunt, ut non solùm castitatis votum, sed ipsam etiam castitatem tollant; nec mâ contenti uxore plures habere volunt. Paria illis, ut merebantur, uxores fecerunt. Scio enim eas aliquando disputâsse, et, ut audio, quæstionem ad ministros retulisse, an uni etiam uxori liceret plures habere viros. Ergo satis Christianis esse debet Christum hoc argumento usum fuisse, ut necessarium credatur; præsertim quòd in aliis generibus animantium non constat unum tantùm marem, unamque feminam Deum initio condidisse. Potest aliquis objicere idem argumentum valere posse, ut probetur ne mortuâ quidem priore uxore aliam ducere licere. — Respondeo ideò non valere, quia prima et secunda una reputantur, quia una item caro est.

Vers. 5. — Et dixit, Deus; de eo enim loquebatur. Dubitat Hilarius quomodò Christus dicat hoc Deum dixisse, cùm non Deus, sed Adamus dixerit, Genes. 2, 24. Respondent Augustinus, lib. 9 de Genesi ad litteram, c. 19, et Theophylactus, et Euthymius in Commentariis, Adamum, tanquàm prophetam, Spiritu Dei hoc dixisse, Deumque ore ipsius locutum fuisse.

Propter hoc dimittet homo. Hominem posuit Latinus pro viro, sicut Græcus ἄνθρωπον pro ἄνδρα, quemadmodùm et infra, versu 10.

Patrem et matrem. Admirabilis est, et minimè probabilis Hugonis et quorumdam recentium auctorum interpretatio, quam et divi Augustini esse putant, sensum esse : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ*, id est, cum omnibus præter patrem et matrem conjugium poterit copulare. Quomodò enim vir patrem suum in uxorem acciperet? de solo enim viro sermonem esse manifestum est, etiamsi idem sit de uxore per consequentiam intelligendum. Alii interpretantur : *Relinquet patrem, et adhærebit uxori suæ*, id est, magis uxorem suam amabit, quàm patrem et matrem; sicut lib. 3 Esdræ, c. 4, 25, dicitur; sed etsi hoc fortassè verum est, non est ad locum accommodatum; ubi non de amore, sed de cohabitatione et de matrimonii vinculo agitur. Itaque sensum esse arbitror : *Relinquet patrem et matrem*, id est, discedet à parentibus, ut cum uxore habitet, quemadmodùm usus ipse interpretatur. Solent enim liberi usque ad nuptias cum parentibus habitare, post nuptias à parentum domo discedere, et vir uxorem, uxor virum sequi; quemadmodùm eodem libro 3 Esdræ, c. 4, 20, dictum est : *Homo patrem suum relinquit, qui nutrivit illum, et suam vejionem, et ad mulierem se conjungit.*

Vers. 5. — Et erunt duo in carne una; Gr., *in carnem unam*; in Hebræo : *Et erunt in carnem unam*; Septuaginta addiderunt, *duo*, et sensus ipse id exigit; nam dictum erat : *Et adhærebit uxori suæ*, non uxoribus. Hebræi sæpè carnis nomine totum hominem intelligunt.

Et adhærebit uxori suæ. Monuit Chrysost. tria hoc loco esse, quæ magnam vim habeant : primum relinquere patrem, et matrem; secundum adhærere, id est, non quoquo modo conjungi, sed penitùs adglutinari uxori suæ, hoc enim Latinè est adhærere, Græcè κολληθήναι, Hebraicè דָּבַק; tertium : *Et erunt duo in carne unâ.*

Et erunt duo in carne una, εἰς σάρκα μίαν, *in carnem unam*, Hebr., *ad carnem unam*, id est, ut sint una caro, ut explicatur versu sequenti, sicut Genesis 2, 7, factus esse dicitur Adam in animam viventem, id est, homo vivens, et versu 22 : *Ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem*, id est, utesset mulier. Quomodò autem vir et mulier dicantur una esse caro, de eo disputatur. Hieron. et Beda, ut D. Th. in Catenâ et in Commentariis ad hunc locum interpretatur, ad liberos referunt, quia ex viro et uxore genitus filius una utriusque communis est caro. Alii ad corporum conjunctionem, quemadmodùm D. Paulus 1 ad Cor. 6, 16, videtur interpretari, *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*. Alii ad amorem mutuum, de quo D. Paulus ad Ephesios 5, 28 : *Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit.* Alii ad potestatem quam vir in uxorem, uxor in virum habet, tanquàm in propriam carnem, ut D. Paul. 1 ad Corinth 7, 4, dicit. Alii, quorum ego sententiam maximè probo, unam carnem esse interpretantur esse unum hominem; carnem enim ab Hebræis pro toto homine poni notum est. Significat ergo Christus virum et uxorem non duos esse homines, sed unum, uxorem veluti corpus, virum veluti spiritum et animam esse. Itaque non magis debere virum ab uxore, quàm animam à corpore separari.

Vers. 6. — Itaque jam non sunt duo, sed una caro, id est, non jam duo sunt homines, sed unus.

Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Non dixit, quos Deus conjunxit, sed *quod Deus conjunxit*, ut non tanquàm de duobus, sed tanquàm de uno corpore loqueretur, quia paulò ante dixerat : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Notavit D. Chrysostomus Christum ex lege naturali et divinâ matrimonii vinculum probavisse. Naturalis consistit in facto, quòd Deus uni viro unam fecerit mulierem; divina in verbis, quibus Deus præcepit ut homo relinqueret patrem et matrem, et adhæreret uxori suæ, quibus verbis videtur Deus uxorem viro inseparabiliter copulâsse, ut ait Sapiens, Proverbiorum 19, 14 : *Domus et divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.*

Vers. 7. — Quid ergo Moyses mandavit. Marcus, cap. 10, 4, non dicit Pharisæos respondisse Moysem mandâsse, sed permisisse. È contrario verò Matthæus dicit Christum dixisse Moysem non mandâsse, sed permisisse; Marcus autem scribit dixisse Christum : *Quid vobis præcepit Moyses?* Hæc quæstio ex iis quæ paulò supra diximus, facilè solvitur. Primùm enim credibile est Christum interrogâsse eos quid de eâ re Moyses præcepisset; illos verò respondisse Moysem permisisse uxorem dimittere; tunc Christum matrimonii originem explicâsse, et Scripturæ testimonium produxisse, ut probaret non esse dimittendam; iterùm Pharisæos objecisse quomodò Moyses mandâsset uxorem dimittere, utentes mandati, non permittendi verbo, ut argumentationi vim adjicerent; Christum verò respondisse, non jam præcipiendi, sed permittendi usum verbo; *ad duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses.* Atque hoc modo nulla inter evangelistas dissensio est.

Vers. 8. — Ad duritiem cordis vestri permisit vobis Moyses. Corrigit Christus Pharisæorum verbum; illi dixerant, *mandavit*; Christus dicit, *permisit.* Ex quo vel uno loco, si alii non essent, Calvinistarum error confutaretur, qui in Deo nollam permissionem agnoscunt, et theologorum distinctionem inter voluntatem Dei absolutam et permittentem ridere solent. Nam quod hoc loco Moyses permisisse dicitur, Deus utique permisit; nihil enim Moyses agebat, nisi ex divino præcepto. Cur ergo dixit Moysem potiùs quàm Deum permisisse, cùm è contrario, versu 5, non Moysem neque Adamum, sed Deum dixisse dixerit : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem.* — Respondeo voluisse Christum et argumento et responsioni vim adaugere; ideò, cùm argumentabatur non licere uxorem dimittere, non dixit aut Adamum aut Moysem, sed Deum dixisse : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem*; quamvis ea verba et Adamus pronuntiaverit, et Moyses scripserit : cùm autem respondet Pharisæorum argumento non vult dicere Deum, sed Moysem permisisse; quasquàm Deus etiam permiserat. Ita intelligendi sunt multi auctores, qui ita hunc locum interpretantur, quasi Christus significaverit non Deum, sed Moysem hoc permisisse, et quasi Deum, quem ipse citaverat, Moysi, quem citaverant Pharisæi, opponere voluerit, ut Hieron., Beda, Strabus, D. Thomas, Hugo. Multæ hoc loco quæstiones sunt. Prima, quibus de causis in veteri lege uxorem dimittere licuerit. Tertull. 4, adversùs Marcionem libro, non nisi ob fornicationem ut nunc existimat licuisse : sic enim interpretatur, quod in Deuteronomio, c. 24, 1, scriptum est : *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem*, id est, propter fornicationem; hoc tantùm interesse, quòd tunc dimissâ propter fornicationem uxore aliam ducere licebat, modò non licet. Origen., Chrys. hoc loco, et omnes alii auctores, quos legisse memini, non solùm ob fornicationem : sed multis etiam aliis de causis licuisse putant; idque est multò meo judicio probabilius. Primùm, quia, si ob solam fornicationem licuisset, nullus Pha-

Vers. 7 et 8. — Christus Dominus apertè distinguit quæ illi confundebant. Repudio conditionem necessariam præscripsit Deus per Moysen, non illud præcepit. Et ad duritiem cordis vestri, neque Adamo, neque patriarchis illud permisit divortium. Sæpè vox illa *præcepit*, aut *mandavit*, permissionem tantummodò significat.

risæorum quæstioni locus fuisset; nimis enim impudenter interrogâssent, an quâcumque ex causâ uxorem dimittere liceret; si solâ fornicationis causâ licuisset. Cùm autem interrogent, an quâcumque ex causâ liceat; haud dubium est quin certi sint multis de causis licere. Id etiam intelligitur ex Christi responso: sic enim respondit ut voluerit Mosis permissionem restringere, ut cùm ante multis de causis liceret, jam non nisi ob fornicationem liceat. Probatur etiam ex verbis Deuteronomii. Cùm enim dicit: *Si non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ*, perspicuum est non loqui de fornicatione, propter quam non dimittebatur uxor, sed lapidabatur. Deinde quia in libello repudii significabatur mulierem adulterium non commisisse; eâ enim potissimùm de causâ jussus est dari, ut mulieris honos salvus esset, possetque alteri viro, si vellet, nubere. Non ergo ob fornicationem tantùm, sed alias etiam ob causas dimittebatur. Quæ autem causæ fuerint incertum. Lyranus in commentariis in c. 24 Deuteronomii duas recitat opiniones: alteram, licuisse propter omnem rem turpem, ut propter contagiosos morbos, vel aliquid simile, quod matrimonii conjunctionem præcessisset: alteram, licuisse etiam ob omnes causas matrimonio contrarias, etiamsi matrimonio supervenissent, ut si mulier venefica esset, aut liberorum interfectrix, quod et Origenes tractatu 7 in Matthæum videtur approbare: quamvis de lege evangelicâ potiùs quàm Mosaicâ loquatur. Secunda quæstio est, quo sensu Judæis permissum fuerit uxorem dimittere, an ita, ut dimittendo non peccarent; an ita ut peccarent quidem, sed lege non punirentur. Notavit insignis theologus D. Thomas quatuor modis permitti aliquid: aut quod bonum est, sed non præceptum, ut vendere omnia, et dare pauperibus permissum esse dicitur, quia bonum est, et non imperatum: aut quia minus bonum est, cujus majus bonum non est præceptum; sicut dicitur matrimonium esse permissum, quia virginitas, quæ majus est bonum non est præcepta: aut quia malum est; sed non impeditur, sicut Deus dicitur omnia peccata permittere; quia, cùm impedire possit, impedire non vult: aut quia malum quidem est, sed lege non punitur, sicut permisit Deus Judæis cum alienigenis usuram exercere, quia non statuit in lege adversùs eos, qui eam exercerent, ullam pœnam. Alio etiam modo permitti dicitur, quod, cùm malum sit, dum ab eo, qui dispensandi potestatem habet, fieri permittitur, malum esse desinit, quemadmodùm permissum fuit Osee prophetæ filios fornicationis suscipere, Osee 1, 2. Quidam ergo uxorem dimittere, aut hoc postremo modo; aut tanquàm minus bonum existimant permissum fuisse Judæis certis de causis uxores dimittere. Alii non tanquàm minus bonum; sed tanquàm minus malum, ita ut peccarent quidem uxorem dimittendo, sed non punirentur. Utrumque probabile est, et bonos utraque opinio auctores habet: prior auctorem Imperfecti, et D. Thom.: posterior Tertullianum, lib. de Monogamiâ, Origenem, tractatu 7 in Matthæum, Chromatium in Commentariis in c. Matth. 5, Hieronym., Bedam, Euthym. et Theophylactum hoc loco; nisi malè intelligendo fallor. Mihi durum videtur dictu Judæos post tam amplam, et luculentam Dei permissionem dimittendis uxoribus peccavisse; præsertim cùm, antequàm Christus explicaret, non satis ex verbis Deuteronomii compertum esse posset, utrùm permissio an præceptum esset; et ut constaret esse permissionem, certè non constabat tanquàm rem malam permitti, quod satis esse videbatur; ut, qui eâ uterentur, culpâ vacarent. Quod autem ex hoc loco objici potest, quòd Christus dicat ad duritiem cordis eorum hoc fuisse permissum, facilè etiam solvi potest; potuit enim propter duritiem cordis permitti, ita tamen, ut peccatum esse desineret. Tertia quæstio est, quibus cæremoniis et cautionibus libellus repudii dari soleret. Ab Hebræis decem recitantur. Prima erat, ut uxor nusquàm discederet, nisi volente marito, hoc enim ipsum in libello repudii exprimebatur. Secunda erat, ut libellus, quemadmodùm dicitur in Deuteronomio, in manu uxoris traderetur. Tertia erat, ut scriberentur, ut minimùm, nomina duorum testium. Quarta, ut exprimerentur tres generationes viri, et tres mulieris, ut paulò post ex libelli formâ intelligetur. Quinta, ut scriberetur libellus litteris rotundis, distinctis, atque perspicuis; ita ut una aliam non attingeret, ne quod scripturæ vitium irreperet. Sexta, ut si inter scribendum aliqua atramenti guttula in chartam decideret, libellus auctoritatem non haberet, aliusque denuò scriberetur. Septima ut in libello nullum rasuræ vestigium appareret, ne suspectus esset vitii. Octava, ut charta longior esset, quàm latior. Nona, ut omnes testes qui aderant, suum quisque sigillum adhiberent. Decima, ut maritus diceret: *Accipe libellum repudii, et esto à me abjecta, et cuicumque viro permissa.* Forma autem libelli repudii erat hæc: *Ego Rabbi N, filius Rabbi N, filii Rabbi N, filii Rabbi N, die primâ mensis secundi anni N à creatione mundi, in tali loco, ex animi mei consensu, et sine ullâ coactione repudiavi N, filiam Rabbi N, filii Rabbi N, filii Rabbi N, et dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis, et signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, et abeat quòcumque velit, et nemo possit illi prohibere juxta constitutiones Moysi, et Israel.*

Vers. 9. — Dico autem vobis. Marcus, c. 10, 10, scribit hoc Christum solis discipulis dixisse, cùm

Vers. 9. — Nisi ob fornicationem, aut gravius aliud crimen. Mœchatur, quod videtur ad novam legem pertinere, et revocare matrimonium ad primam sui institutionem: nam si in veteri lege licebat plures ducere uxores, priori retentâ, cur non etiam dimissâ? Adulterium uxoris divortium excusare potest, sed secundas nuptias non efficit legitimas, quamdiù ambo conjuges vivunt. Quamobrem exceptio illa: *Nisi ob fornicationem*, ad divortium omninò pertinet, quod immediatè præcedit, non ad integram propositionem,

se jam domum recepissent. — Respondet Euthymius, quod probabile videtur, bis hoc dixisse Christum: primùm omnibus in commune, ut Matthæus significat; deinde privatim discipulis domi, et quidem vero simile est, quod Matthæus, versu 10, ait, dixisse Christo discipulos: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*, non publicè coram omnibus; sed privatim et secreto in loco dixisse, sicut proponere solebant separatim, cùm aliquid de ejus concionibus dubitabant. Tunc ergo interrogatus à discipulis Christus eadem verba iteravit, quamvis Matthæus non narret, addiditque, quod de eunuchis narrat Matthæus, tacet Marcus. Difficilis hic locus est, et magnam nobis cum hæreticis controversiæ materiam præbuit. Summa quæstionis est, an quod hic Christus dicit licere fornicationis causâ uxorem dimittere, ita intelligendum sit, ut et dimittens, et dimissa possit secundas inire nuptias. Tres de hâc re opiniones invenio: prima est utrique licere, et dimittenti et dimissæ, et innocenti et sonti; in quo errore non solùm Lutherani et Calvinistæ sed scriptores etiam quidam Catholici versantur. Secunda est innocenti licere, reo non licere, quemadmodùm ex Calvinistis nonnulli aliorum hæresim temperantes dixerunt, ut minùs ipsi hæretici viderentur. Legimus nonnullos auctores veteres in eâ fuisse sententiâ, Tertullianum, lib. 4 contra Marcionem, Ambrosium, aut, ut ego arbitror, Remigium in Commentariis in priorem Epistolam ad Corin., c. 7; nam eos commentarios Ambrosii non esse, qui et illos, et Ambrosii legit scripta, dubitare non potest. Scribit etiam Origenes hoc loco quosdam suâ ætate catholicos antistites permisisse iis quorum uxores adulterium admisissent, ut illis dimissis, ducerent alias, idemque in concilio Eliberino concessum fuit, si Gratianus fideliter recitat, 31, q. 1, c. *Si qua mulier*, et in concilio I Aurelianensi, c. 10. Tertia est, quam semper Ecclesia secuta est, et ultimo Tridentino concilio ita est nostro tempore confirmata, ut nemini jam catholico dubitare liceat, Christum ita permisisse adulteram uxorem dimittere, ut nec uxori liceat alii nubere viro, neque viro aliam uxorem ducere, quamdiù vixerit uterque. Quam ego sententiam non solùm propter Ecclesiæ definitionem, quæ sola homini christiano satis esse debet; sed etiam propter argumentorum, quibus probari potest, momenta adeò veram judico, ut mirari satis non possim inventos esse qui aliter senserint. Primùm hæc sententia antiquiores, plures, meliores habet auctores. In canone 47 Apostolorum absolutè et generaliter excommunicaturis, qui uxore dimissâ aliam duxerit non adhibitâ exceptione, nisi fornicationis causâ dimisisset, quæ adhibita profectò fuisset, si cùm eâ de causâ dimissa esset, aliam ducere liceret. Idem Evaristus, epistolâ 2, et Clemens Alexandrinus, lib. 2 Stromatum, sine ullâ exceptione docent, et Origenes, tractatu 7 in Matthæum, episcopos illos qui suo tempore permittebant, tanquàm rerum ecclesiasticarum imperitos reprehendit. Sic sentit Chrysost., homil. in Matthæum 17, et Hieronym., hoc loco, et in Epitaphio Fabiolæ, et Innocentius I in Epistolâ ad Exuperium Tolosanum episcopum, c. 4, et D. Augustinus duobus de hâc re scriptis libris de adulterinis Conjugiis ad Pollentium, et Isidorus, lib. 2 de Officiis, c. 19, et Beda, melior auctor quàm Remigius, in Commentariis in c. 10 Marci. Sic jam olim definivit concilium Milevitanum, canone 17, et concilium Africanum, si tamen diversum est, canone 69, et Forojuliense, canone 10, et Nannetense, canone 10. Itaque decreta illa concilii Eliberini et Aurelianensis, quæ in contrariam partem adduximus, aut apocrypha sunt, et spuria, aut ita intelligenda, ut marito, qui ob adulterium uxorem dimisit, liceat alteram ducere, non quidem vivente, sed mortuâ priore. Dicet aliquis: Quid opus erat, ut id permitteretur, cùm dubium non esset quin illi liceret? — Respondeo id expressum fuisse ad declarandam differentiam inter maritum et uxorem adulteram, quæ loco pœnitentiæ jubebatur aliquando etiam marito mortuo à nuptiis abstinere; ne quis ergo idem de marito intelligeret, explicatum est, ut maritus, si vellet, aliam duceret; sed intelligendum ex communi lege ecclesiasticâ, mortuâ priore. Præterea ex eâ ratione, quâ hoc loco Christus usus est, aut nihil probatur, aut hæc sententia probatur; primùm argumentatur Deum non plures, sed unam tantùm feminam uni fecisse viro, inde colligit non debere plures habere, id est, unam dimittere, et aliam ducere, quæ ratio idem omninò valet, ut probetur etiam propter fornicationem uxore dimissâ aliam ducere non licere; nec enim refert quâ de causâ dimissa sit, cùm eadem semper aliam non ducendi causa maneat, quòd uni viro una tantùm femina facta sit. Præterea quia Christus non solùm multas illas causas, quibus Judæi uxores dimittebant, ad unam fornicationem revocavit; sed etiam libellum repudii omninò sustulit, quem non nisi propter Judæorum duritiem concessum fuisse dicit. Post Christum autem inter Christianos nunquàm auditum est libellum repudii datum fuisse. Atqui idem erat libellum repudii dare, et posse virum aliam uxorem ducere, uxorem alii viro nubere; ergo hanc iterùm uxorem ducendi, et iterùm nubendi potestatem sublato libello repudii sustulit Christus, quæ una ratio, si aliæ deessent, satis superque hanc sententiam corroboraret. Deinde si dimissæ ob fornicationem uxori alii viro nubere

quæ repudium et novum matrimonium complectitur. Christus Dominus quæ apud Judæos invaluerat duplicem consuetudinem condemnat, unam repudiandi uxorem quâcumque ex causâ; hanc verò licentiam ad adulterium restringit, et accurata ejus responsio id exigebat, ut exceptio fornicationis ad ipsum repudium pertineret. Alteram quoque consuetudinem novi incundi matrimonii damnat; priorem, c. 5: *Omnis qui dimiserit uxorem suam facit eam mœchari*; posteriorem hoc loco: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur, et qui dimissam duxerit, mœchatur*, quòd prius matrimonium adhuc perstet, nec divortio solvatur quoad vinculum matrimonii, sed tantùm quoad thorum, seu cohabitationem. Idem docet Marci c. 10, et Lucæ c. 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

liceret, sequeretur, quod absurdissimum est, melioris esse conditionis mulierem, quæ ob adulterium, quàm quæ ob morbum, aut aliquâ aliâ de causâ citra culpam dimissa sit, cùm adulteræ vivente adhuc priore marito alias nuptias inire liceret, alteri non liceret. Deinde dubium non est quin propterea Christus concesserit uxorem adulteram dimittere, ne cogerentur mariti cum adulterâ doloris plenam vitam agere, cùm uxor ipsa indignam se adulterando reddidisset, ut cum eâ maritus habitaret; hæc autem ratio non eò usque pertinet, ut marito aliam uxorem ducere licere possit; satis enim est, ut liceat priore liberari. Itaque, quod hæretici solent objicere, nihil Christum maritis concessisse, si non aliter uxores adulteras dimittere concessit, quàm ut sine uxore manerent, ineptum est, et hominum pluris caruem quàm honorent vitæque tranquillitatem æstimantium. Viri enim boni pro magno ducunt beneficio, quod sibi liceat malâ carere uxore, quamvis aliam ducere non liceat; imò hoc ipsum, quòd non liceat alteram ducere, qui prudentiores sunt beneficii loco habent: quemadmodùm qui naufragium semel fecerunt, quòd sibi iterum mare tentare non licet. Majus bonum est non posse malam uxorem invenire, quàm invenire aliquam bonam posse. Malam autem non invenire non potest, nisi qui uxorem ducere non potest. Illa etiam ratio, quam Hieronymus affert, multùm habet ponderis, si maritis liceret dimissis adulteris uxoribus alias ducere, quotidiè, qui novas uxores appeterent, contra priores adulteria confingerent, ut illis repudiatis alias haberent. Itaque non restrinxisset Christus veteris legis disciplinam, sed relaxâsset. Nam ne in veteri quidem lege huic mutandarum uxorum libidini tantùm loci erat, cùm adultera non dimitteretur, sed occideretur. Istâ verò ratione, quam hæretici commiuiscuntur, licentiam Christus maritis præbuisset uxores quotidiè mutandi; quam enim facilè est, si quis animum attendat, aut verum in uxore adulterium, aut probabile deprehendere! quàm facile fingere! Prorsùs mihi spiritum Christi non cognoscere, ejusque mentem non intelligere videntur ii qui ad hunc modum ejus verba interpretantur. Quis enim non videt Christum, cùm velit Evangelicam disciplinam maximè restringere, et matrimonii vinculum indissolubile esse docere, non solùm non debuisse potestatem facere maritis dimissis adulteris uxoribus alias ducendi; sed frænum potiùs illis injicere, ut si nollent uxore carere, adulteras paterentur, et corrigere conarentur, non repudiare? Voluntas enim Christi erat, ut maritus etiam adulteram uxorem non dimitteret; sed ut ejus dolori consuleret, permisit, non præcepit, ut dimittere, si vellet, posset. Illud etiam, quod Hieronym. observavit, hanc sententiam magnoperè confirmat, quòd Christus non duxerit, si dimissa nupserit, mœchatur: *sed, qui dimissam duxerit, mœchatur*. Cujus rei non alia potuit esse causa, quàm quòd Christus de uxore etiam propter fornicationem dimissâ loqueretur, de quâ, quia jam adultera erat, noluit dicere mœchatur, quia nihil novi dixisset: sed dixit fore, ut quicumque eam duceret, mœcharetur; ut significaret nec dimissæ licere alteri viro nubere; neque alteri viro uxorem eam ducere. Ad hæc dubitandum non est, quin oporteat hunc locum ex aliis Scripturæ locis, in quibus de eâdem re agitur, explicare: in aliis autem locis semper absolutè dicitur non licere uxori dimisse nubere, ut apud eumdem Matthæum supra, c. 5, 32: *Ego autem dico vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, adulterat*; quo loco probabimus illud verbum, *qui dimissam duxerit, adulterat*, sine exceptione intelligendum esse. Præterea Marcus, et Lucas hanc ipsam narrantes historiam sine ullâ exceptione dixerunt, quicumque dimissam duxerit, mœchari. Marcus c. 10, 11: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam*, ubi non potest excogitari alia causa, cur Matthæus excéperit fornicationem; Marcus verò non excéperit, nisi quia Matthæus voluit explicare aliquando licere uxorem dimittere, si nimirum adultera sit; Marcus autem docere voluit nunquàm licere aliam uxorem ducere: etiamsi prior propter adulterium dimissa sit. Illud etiam in verbis Marci observatione dignum est, quòd dicat *adulterium committit super eam*, id est, contra eam; hebraismus enim est, quia עַל utrumque significat, et *super*, et *contra*, quod ideò Marcus dixit, ut indicaret non magis marito licere, dimissâ uxore adulterâ, alteram ducere, quàm uxore contrà ipsum adulterium committente contra illam adulterium committere, non enim licet in hoc genere facere paria. Lucas verò, c. 16, 18, generaliter etiam dixit: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam à viro ducit, mœchatur*. Fingamus Matthæum Evangelium non scripsisse, profectò ex verbis Marci et Lucæ alium sensum elicere non possemus, quàm nunquàm licere marito, quâcumque de causâ uxorem dimisisset, alteram ducere; nunquàm licere uxori, quâcumque de causâ dimissa esset, alteri nubere; nec ullas dubitationi locus esset. Nunc Matthæus scripsit, sed scripsit obscurè, ita ut de ejus sensu atque interpretatione, inter nos, et hæreticos disceptetur; quis non intelligit hominis esse prudentis Matthæi obscurum locum ex Marci, et Lucæ perspicuis verbis interpretari? scripsit post Matthæum, ut creditur, Marcus, et Lucas; credibile profectò est eos, quod obscurè Matthæus dixerat, perspicuè, et sine ullâ ambiguitate dicere voluisse: dixerunt autem nunquàm viro dimissâ uxore alteram ducere licere: hoc igitur tenendum, quod sine ambiguitate, et quasi interpretationis loco dictum est. Matthæi autem testimonium ex aliorum duorum evangelistarum explicatione intelligendum. Contra facere; quemadmodùm hæretici faciunt, aut nullius, aut perversi, et distorti judicii est. Scripsit etiam post Matthæum D. Paulus epistolam ad Romanos, et ad Cor. In utrâque hanc quæstionem tractat; nunquàm adhibet exceptionem, sed ad Rom. 7, 3, generaliter dicit: *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*; et 1 ad Cor. 7, 10, 11: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Explicat D. Paulus Christi sententiam, de quâ hoc loco disputamus; quis dubitat exceptionem adhibituram fuisse, si ulla fuisset exceptio, quâ dimissæ uxori nubere alteri viro liceret. Nunc autem generaliter, universè et absolutè dicit, ut maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Loquitur autem de uxore propter adulterium à viro discedente, quâ solâ causâ discedere licebat; alioqui non reliquisset D. Paulus in ejus potestate, ut separata à viro, sed innupta maneret, aut ut viro suo reconciliaretur, sed diversis verbis præcepisset, ut rediret ad virum, cùm illi non liceret ob aliam causam, quàm ob adulterium à viro separatam vivere. Ergo illam ipsam mulierem, quæ à viro ob adulterium discesserat; jubet non ex suâ, sed ex Christi sententiâ aut innuptam vivere, aut priori viro reconciliari. Denique si sensus hujus loci esset, quem esse hæretici putant, ut verba Matthæi conjuncta intelligantur, *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit mœchatur, et qui dimissam duxerit, mœchatur*, quasi sententia sit, qui dimiserit uxorem suam ob aliam causam, quàm ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur: si verò ob fornicationem dimiserit, et aliam duxerit, non mœchatur; et quicumque ob aliam causam, quàm ob fornicationem dimissam duxerit, mœchatur; qui autem ob fornicationem dimissam duxerit, non mœchatur: Si hic, inquam, esset sensus, sequeretur imperfectam esse sententiam; Christus tantùm dicit: *Qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur*; quod hæreticorum judicio intelligitur, si ob aliam causam dimiserit; sed alteram non duxerit; hoc enim Christus non explicavit, quod in primis explicandum erat. Nostrâ autem interpretatione perfecta et absoluta sententia est. Nam si ob aliam causam, quàm ob fornicationem dimiserit, quamvis aliam non duxerit, mœchatur, quia uxorem suam mœchari facit, ut cap. 5, 32, explicatur. Si autem ob fornicationem dimiserit, et alteram duxerit, etiam mœchatur; non quia adulteram dimisit, sed quia alteram duxit. Itaque verbum *mœchatur* hoc loco et ad eum, qui ob aliam causam, quàm ob fornicationem uxorem dimisit, et ad eum, qui, cùm ob fornicationem dimiserit, alteram duxerit, referendum est, tanquàm si diceret: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur, id est, facit eam mœchari, et quicumque alteram duxerit (quâcumque de causâ priore dimissâ) mœchatur, id, est, adulterium contra priorem uxorem committit, ut Marcus, interpretatur. Objiciet aliquis, si hic esset sensus debuisset evangelista dicere, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et qui aliam duxerit, mœchatur; non autem dixisse, et qui aliam duxerit, sed *et aliam duxerit*.—Respondeo ex Hebræorum consuetudine ἀπὸ κοινοῦ relativum præcedens esse repetendum; cætera, quæ ad hujus loci interpretationem desiderari possunt, supra, c. 5, 32, explicata à nobis sunt.

Vers. 10.—Si ita est. Ambrosius, in exhortatione ad virgines, Hieronym., Chrysost. et Euthym. hoc loco istud *ita est* ad hunc modum intelligunt, *si ita est*, ut non liceat viro, nisi adulterii causâ, uxorem dimittere. Gregorius verò Nazian. in oratione, quâ edisserit hæc verba, Pharisæorum verba esse dicit, aut errore memoriæ, aut, quod magis credo, significans apostolos ea ex Pharisæorum consuetudine, et sensu dixisse. Mihi sensus hic videtur esse, *si ita est*, ut etiam ob adulterium uxore dimissâ aliam ducere non liceat, non expedit nubere. Credibile enim est, quod magis novum erat, magisque difficile magis apostolos commovisse. Quod autem uxore etiam adulterii causâ dimissâ, aliam ducere non liceret, multò magis novum, atque difficile videri poterat, quàm quòd non ob aliam causam, quàm ob adulterium uxorem dimittere liceret. Præsertim cùm etiam nunc in quæstione versetur, an in veteri lege aliâ de causâ, quàm adulterii dimitti posset.

Causa ἡ αἰτία, negotium, aut jus conjugale, quasi dicat, si ita inter virum et uxorem se habet res, aut si hoc jure, si hâc lege vir uxorem ducit, ut eâ etiam adulterii causâ dimissâ aliam ducere non possit, præstat nullam uxorem ducere. Theophylact. auctor est quosdam ad hunc modum exposuisse, *si ita est causa hominis cum uxore*, id est, si propter uxorem dimissam vir reus factus est, uxorem ducere non expedit. Græcum enim verbum αἴτιον reatum proprié significat.

Hominis. Hominem Latinus posuit pro viro sicut Græcus ἀνθρώπου, pro ἀνδρός, ut supra versu 5, quemadmodùm apparet ex antithesi, *cum uxore*.

Non expedit nubere. *Nubere*, dixit Latinus interpres pro uxorem ducere contra consuetudinem Latini sermonis Græci verbi ambiguitatem secutus; quia γαμεῖσθαι utrumque significat, et uxorem ducere, et nubere. Hoc autem loco non nubere, sed uxorem ducere significat, quia non de uxore, sed de viro agitur; neque de uxorum, sed de virorum conditione apostoli querebantur, *si ita*, inquiunt, *est causa hominis cum uxore*. Itaque novorum hæreticorum versionem non probo, qui hoc loco pro γαμεῖσθαι matrimonio contrahere transtulerint; non enim generaliter de matrimonio, id est, de ducendo uxorem, et de nubendo, sed de virorum conditione in ducendis uxoribus agitur. Calvinus, ut solet, non solùm hoc loco falsus interpres, sed impius etiam, et adversùs apostolos blasphemus est; vocat enim illos stultos, ingratos, impios; homo scilicet pius, quia existimavit apostolos hoc ideò dixisse, quòd homines omninò carnales essent, et nuptiarum multitudine insatiabiles; tam longè nimirum ab eorum mente, quàm ab eorum sanctitate distabat. Tantùm enim abest, ut propterea

Hinc Dominus occasionem sumit commendandæ virginitatis.

id apostoli dixerint, ut contrario omninò animo fuerint. Nam cùm Christus dixisset adulterum esse, qui etiam ob adulterium uxore dimissâ alteram duceret; collegerunt, quod res erat, quodque Christus responso suo comprobavit, non expedire omninò uxorem ducere: quandoquidem adeò usitatum esset adulterium, ut vix invenienda uxor esset, quæ futura non esset adultera, quâ dimissâ manendum viro sine uxore esset. Itaque præstare ab initio usque ad finem vitæ sine uxore manere, et matrimonii molestiis, et adulteræ uxoris zelotypia liberum esse.

Vers. 11. — Non omnes capiunt verbum hoc. Non assentior iis interpretibus, qui existimant Christum neque approbare, neque improbare Apostolorum dictum, quòd uxorem ducere non expediat: probat enim, et maximè quidem probat; vultque eos ob perfectionis adducere, ut, quoi verbis dixerant, moribus ac rebus præstent. Et, ut solemus vulgò dicere, indicat eos plus dixisse quàm intelligebant. Quod autem dicit *non omnes capiunt verbum hoc*, ita ferè omnes exponunt, tanquàm si sensus esset, non omnes, quod dicitis, præstare possunt, id est, uxore carere, quia non omnes castitatis donum habent; sed quibus datum est: quemadmodùm D. Paulus, 2 ad Corin. 6, 15, jubet dilatari Corinthios, ut majorum Dei donorum capaces sint. Itaque *non capere* hoc loco significat non esse capacem tantæ virtutis, ut sine uxore vivere quis possit. Hunc sensum Origen., tractatu in Matthæum 7, Gregorius Nazianz. oratione in hæc verba, et Ambros. in exhortatione ad virgines secuti sunt. Quam interpretationem adduci non possum, ut sequar; quia cùm Christus versu sequenti dicit, *qui potest capere, capiat*, minimè dubium est, quin *capere* dicat pro intelligere, ut eo loco probabimus; ergo et hic, cùm dicit *non omnes capiunt*, sensus est non omnes intelligunt, non omnes animo comprehendunt. Accedit, quòd additur, *verbum hoc*, quod etsi aliquando rem omnem significat, tamen naturâ suâ non accipitur, nisi pro sermone; nec debemus aliter, nisi aliquid nos cogat, interpretari; hic nihil cogit; sermonem autem capere, nihil aliud est, quàm intelligere. Sensus igitur est, non omnes hoc verbum intelligunt; atque ita Epiphanius, quem hujus expositionis auctorem habeo adversùs Manichæos hæresi 66, interpretatur. Accedit, quòd ita Christus loqui consuevit, ut Joannis 8, 37. *Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Poterit aliquis objicere, quod sequitur, *sed quibus datum est*; unde colligi videtur posse non de intelligentiâ, sed de castitatis dono agi. — Respondeo etiam intelligentiam donum esse Dei, ut idem Christus apud Joannem, c. 6, 44, declarat, *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum*; agebat enim contra eos, qui ea, quæ dicebat propterea non credebant, quia non intelligebant. Itaque necesse non est hoc loco de castitatis dono disputare: sed quia omnes interpretes disputant, et quia nolo quemquam meis

Vers. 11. — Non omnes capiunt verbum istud. Contineantiam esse peculiare Dei donum non omnibus datum insinuat.

interpretationibus addictum esse, et quia hoc testimonio hæretici impudenter abutuntur, dicam obiter, quid veteres senserint auctores. Gregorius Nazianz. in oratione ad hunc locum, et Chrysost., homil. 64 in Matthæum donum castitatis nihil aliud esse videntur existimare, quàm propensionem quamdam naturalem, quâ alii aliis ad castitatem magis apti, ad libidinem minus proclives sunt; ita ut non difficulter uxore careant. Alii omnes auctores præter naturalem propensionem, aut etiam contra illam divinam gratiam esse putant: sed iidem docent omnibus volentibus, petentibus et obtinere conantibus eam dari, quemadmodùm Origenes, tractatu 7 in Matth. et D. Ambros., lib. 3, de Virginibus, et auctor Imperfecti homil. 32, Hieronym., Beda, Theophylact. et Euthym., solus divus Augustinus docere solet non omnibus, sed quibusdam tantùm donum illud conferri; sed tamen ex iis, quæ divus Augustinus admonavit, in lib. de Continentiâ, c. 1, ipsius opinio refutari, aliorum probari potest. Monuit D. Paulus, 1 ad Cor. 7, 7. cùm dixit: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic*, non solùm de virginitate, sed etiam de matrimonio locutum esse. Donum autem matrimonii omnibus volentibus datur, ergo et donum virginitatis, et castitatis: hoc tantùm interest, quòd difficilius hoc, quàm illud obtinetur, majoremque conatum requirit. Abusi hoc loco sunt Manichæi ut probarent diversas esse in hominibus naturas, alios ita factos, ut uxore carere non possent; alios ita, ut non possint habere, ut Hieronym. hoc loco indicat, et Philastrius in hæresi Abstinentium; sed hoc opus non est refutare. Abutuntur et Lutherani, et Calvinistæ, ut probent impios esse (sic enim loquuntur) qui non certi de dono Dei continentiam profitentur; non enim omnes habere. Apud illos non solùm non omnes, sed nemo prorsùs habet; certè non apparet. Hactenùs enim hominem Lutheranum, aut Calvinistam perpetuam servâsse virginitatem monstrum inauditum est. Non ergo id hæretici agunt, quod agere se simulant, ut Dei gratiam commendent, dùm eam non omnibus, sed quibusdam tantùm dari dicunt; sed illud potiùs, ut omnes homines ab evangelicâ perfectione, et puritate ad suas revocent sordes, malintque homines adulteros esse, quàm virgines. Cur enim eos, qui virginitatem profitentur, impios appellant: eos verò, qui adulteriis omnia permiscent, nunquam impios appellaverunt? Pudet me recitare, quod primum eorum magistrum Lutherum dicere, profiterique non puduit, non magis posse virum sine uxore, quàm sine cibo, ac potu vivere; utrumque enim rem esse naturalem, et necessariam. Epicurum illum, qui solâ voluptate beatitudinem æstimabat, nihil tam epicureum dixisse legimus; et porci, si loqui scirent, dicere non auderent. Dicebat olim simile quiddam Aetius rem Veneream χρείαν necessitatem appellans, ut auctor est adversùs illum scribens Epiphanius. Hoc si ita est, satis apparet non solùm non omnibus: sed nemini prorsùs hoc à Deo donum dari, ut sine uxore vivat. Nam et quidam ex eodem porcorum grege, magnus

tamen apud illos habitus doctor, Catholicis dicentibus hanc servandæ castitatis gratiam, etsi certò nescimus nos habere, tamen posse orationibus obtineri; respondet perinde esse, ac si profiteremur nunquàm nos cibum et potum sumpturos esse, dicentes à Deo nos precibus impetraturos, ut sine cibo, potuque viveremus. Constat igitur horum doctorum hanc esse sententiam nos non magis sine uxore, quàm sine cibo, et potu vivere posse. Unde sequitur, primùm neminem debere sine matrimonio vivere velle, aut experiri, ne Deum tentare videatur. Itaque quod Christus vers. 12, dicit esse eunuchos quosdam, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, istorum opinione locum non habet; nemo enim se propter regnum castrare potest magis, quàm cibo, et potu carere. Deindè licere maritis, si eorum uxores ægrotæ sunt, longiore præsertim tempore, aut alias uxores ducere, aut alias mulieres inire: quemadmodùm si quis omni cibo, potuque careat, licet undecumque poterit arripere, et vitam sustentare. Tertio loco sequitur, si maritus aut uxor diù absit, etiamsi in vivis sit, licere alteri conjugi alias adire nuptias: quo enim modo tam diù sine cibo et potu vivet? Hoc postremum Calvinistæ absurdum esse non ducunt; sed usu potiùs probant, et in quodam eorum Conciliabulo decretum est licere uxori, si maritus, nescio quàm diù abfuerit, alteri nubere. Hæc est Calvinistarum doctrina quam expedit in vulgus indicari, in lucemque proferri, ut omnes eorum impietatem cognoscant.

Vers. 12. — Sunt enim eunuchi. Non satis apparet, quorsùm hanc eunuchorum distinctionem Christus subjecerit. Quidam ex hæreticorum interpretibus putant voluisse declarare, quod paulò ante dixerat, quibusnam datum sit, ut capiant verbum hoc. Major verò magister Calvinus ita exponit, quasi præcedentibus verbis Christus dicere voluerit omnes necessariò debere uxorem ducere, nisi impii esse vellent, exceptis iis, quibus Deus revelaverit posse cœlibes vivere: qui autem illi sint, qui à matrimonii obligatione sint immunes, nunc Christum his verbis declarare. Itaque Calvini sententiâ uxorem ducere non solùm naturâ suâ necessarium est, sed divinum etiam præceptum: uxorem autem non ducere non consilium; sed Dei dispensationem esse putat. *Audiat hæc æther*, audiant omnes, et horreant. Quanto meliore spiritu, et judicio Chrysost. existimavit Christum his verbis docere voluisse possibile esse, quod tunc vulgò (nunc à Calvinistis impossibile) putabatur posse aliquos, imò quicumque conarentur; gratia enim omnibus præsto est; tam castè vivere, quàm si eunuchi essent: propterea enim Christum non quocumque modo; sed explicatis tribus eunuchorum generibus apostolorum dictum confirmavit, non expedire uxorem ducere, idque haud difficile fieri posse, si quis se-

Vers. 12. — Tria eunuchorum distinguit genera; nam alii ita nati sunt, alii ex necessitate, et vi extrariâ, alii demùm ex voluntate suâ propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat; qui possunt perpetuam servare continentiam, seu ex voto, ipsum propter regnum cœlorum castrare vellet, id est, carnem non secare, sed domare. Proponit ergo, ut sit Hilar., tria eunuchorum genera, quosdam à naturâ, quosdam ab hominibus, quosdam à seipsis factos; quorum primi et culpâ et merito careant: secundi culpam, si suo consensu exsecti sint: tertii meritum habeant.

Qui semsos. Duplex in hoc verbo vis est: altera, quâ liberum arbitrium significatur, quo se quisque, Dei adjuvante gratiâ, castrare potest, id est, castum efficere, quemadmodùm Chrysost. annotavit: nam et castrandi verbum inde à Latinis dictum arbitror: altera, quâ significatur id non sine carnis repugnantiâ fieri, ut Gregorius Nazianzenus observavit. Itaque, quod Calvinistæ dicunt, ridiculum est. Primùm, neminem debere continentiam experiri, nisi certus sit se à Deo continentiæ donum habere: secundò, quisquis continentiæ donum habet, certò scire se habere: quemadmodùm, qui fidem habet, certò se habere novit. Hæc enim et falsa sunt, et inter se pugnant. Nam eum, qui continentiæ donum habet, certò scire se habere, tam falsum et hæreticum est, quàm quod Calvinistæ docent, eum, qui gratiam Dei habet, certò scire se eam habere. Nam donum continentiæ gratia quædam est. Et exemplum fidei, quod afferunt, est falsum, et si verum esset, tamen esset ineptum: falsum quidem, quia, qui fidem habet, non scit, sed credit se fidem habere; ipsâ enim fide, non aliâ cognitione id novit: per fidem autem non scimus, sed credimus: et quisquis fidem scientiam appellat, fidem perdit, quia ex divinâ, et Christianâ fide humanam facit: ineptum autem, quia etiamsi quisquis fidem habet, necessariò sciret se habere, non continuò sequeretur quisquis donum habet continentiæ, id etiam scire; quia fides cognitio quædam est, donum autem continentiæ non est cognitio; itaque perinde isti boni theologi argumentantur, atque si dicerent, quisquis visum habet, certò scit se visum habere; ergo quisquis bonum sanguinem habet, certò scit se bonum sanguinem habere. Pugnantia autem dicunt, quia nemo, nisi experiendo scire potest, an castitatis donum habeat; experiri autem, ut isti volunt, non priùs debet, quàm de dono castitatis certus sit.

Propter regnum cœlorum. Hæretici exponunt *propter regnum cœlorum*, id est, propter Evangelium, ut illi nimirùm serviant. Timent enim, ne ex hoc loco meritum colligamus. Sed istâ eorum ratione soli Ecclesiæ doctores, id est, episcopi et presbyteri, castrare sese deberent, quos illi inprimis conjugatos esse volunt, et quidem hactenùs nullum apud eos ministrum novimus, qui etiam isto modo, id est, ut evangelio licèt falso, serviret, sese castraverit. Sensus ergo est *propter regnum cœlorum*, id est, ad regnum cœlorum promerendum, ut Origenes, Hilarius, Chrysost., auctor Imperfecti, et Euthym. interpretan-

seu ex devotione, opus præstantissimum exerunt omni concupiscentiæ usu detracto. Divinâ adjuti gratiâ ita se gerunt, ac si à naturâ facti essent ad matrimonii usum inhabiles, aut à vi quâdam extrariâ.

tur. Generaliter enim de omnibus, non de solis apostolis et Evangelii doctoribus loquitur Christus. Solent dicere Calvinistæ cœlibatum non magis esse meritorium, quàm jejunium, quod per se nec bonum, nec malum est : sed quatenùs ad orandum conducit. Exemplum arripio, si jejunium per se nec bonum, nec malum est; ergo intemperantia, cui jejunium opponitur, nec bona, nec mala est. Atqui intemperantia per se est mala ; jejunium igitur per se est bonum, et cœlibatus, quandoquidem eamdem utriusque rationem esse putant. Et ut per se hæc bona non sint, non sequitur meritoria non esse ; non enim solùm meremur, dùm ea facimus, quæ per se bona sunt, sed etiam, dùm ea, quæ ad id, quod per se bonum est, aliquid juvant. Cujus rei in hoc ipso capite manifestum est argumentum. Nam omnes divitias abjicere, sicut eas retinere, per se nec bonum, nec malum est : tamen propter regnum cœlorum eas abjicere non solùm alicujus, sed etiam singularis, et excellentis meriti esse ex singulari præmio perspicuum est, nos, inquit, *qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*, infra, vers. 27, et 28.

Qui potest capere capiat. Calvinus suam secutus impietatem ad hunc modum exponit, ut Christus docere voluerit minimè spernendum esse conjugii usum, nisi cæcâ temeritate nos in exitium velimus præcipites dare. Nam discipulis, inquit, quos videbat sine judicio ruere, manum injicere oportuit. Itaque bonus iste Evangelicæ perfectionis interpres non putat Christum, quod Apostoli dixerant, approbare : sed reprehendere, eosque temerarios, ac cæcos fuisse significat, quòd existimaverint bonum esse uxorem non ducere. Hæc autem verba *qui potest capere capiat*, non exhortantis, sed prohibentis esse interpretatur, quasi dicat Christus, vos existimatis bonum esse uxore carere : ego autem veto, ne quisquam id facere tentet, nisi certus sit se id capere posse, id est, sine uxore vivere. Ipse, ut opinor, diabolus, si commentarios scripsisset non potuisset pejore spiritu, et sensu Christi sensui magis contrario verba ejus interpretari. Quis enim non videt voluisse Christum homines ad castitatem, et cœlibis vitæ perfectionem quasi proposito præmio cohortari? Calvini verbis verba Hieronymi opponamus, ut quemadmodùm dicere soleo, quid inter Catholicum, et hæreticum spiritum intersit ex comparatione lector agnoscat. Ille contra Jovinianum, id est, contra patrem Calvini, lib. 1, scribit : *Præponit ἀγωνοθέτης præmium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, et clamat, qui sitit veniat ad me, et bibat, qui potest capere, capiat.* Ergo, ut concedamus capiendi verbum hoc loco non pro intelligere; sed pro apprehendere, et obtinere positum esse, quemadmodùm Hieronymus, Chrysost., Theophylact. et Euthym. existimant; tamen inde potiùs sequeretur non prohibentis, sed exhortantis esse verba : loquitur enim Christus, quemadmodùm Hieronym. indicat, tanquàm agonotheta præmium manu tenens, et in stadio currentes clarâ voce cohortatur, *qui potest capere, capiat*, quibus verbis non significat non omnes posse capere : sed alludit ad stadium, unde metaphora sumpta est, in quo omnes quidem currunt : sed unus accipit bravium, 1 ad Cor. 9, 24. Nos autem jam supra monuimus *capere*, hoc loco idem significare atque intelligere : nihil enim aliud voluit Christus dicere, quàm quod aliàs, cùm de re aliquâ egit gravi, dicere consuevit, *qui habet aures audiendi, audiat*, ut supra c. 11, 15, et c. 13, 9, 43; et Marci 4, 9, 23, et 7, 16; et Lucæ 8, 8.

Vers. 13. — Tunc. Posthac, non enim constat, an statim post superiora hoc factum sit : nam Lucas multa in medio narrat, et nolumus sententiam plus justo restringere. Quanquàm auctor Imperfecti non dubitat statim interpretari.

Oblati sunt ei parvuli. Ex Lucâ, c. 18, 15, perspicuum est non solùm pueros parvulos fuisse, sed etiam infantes προσέφερον αὐτῷ τὰ βρέφη, et offerebant illi infantes. Nimirùm cùm videret populus omnes adultos, qui ad Christum accedebant, magnis aut sanctitatis, aut aliarum rerum cumulari beneficiis, cœpit et illi infantes offerre; ut quatenùs ea ferebat ætas, beneficiorum Christi participes fierent. Non enim, ut sanarentur, sicut adulti : sed, ut spiritualem aliquam gratiam perciperent, illi offerebantur, ut statim explicat evangelista.

Ut eis manus imponeret et oraret. Id est, ut impositis super eis manibus eis benediceret, benèque precaretur. Hebræorum consuetudinem fuisse, ut qui majores erant, et aliquâ pollebant divinâ gratiâ, manuum impositione inferioribus benedicerent, constat ex Genesi 48, 14, 15, hâc ergo ratione adducti parentes infantes ad Christum afferebant, ut impositis manibus illis benediceret. Unde ecclesiastica consuetudo nata est, ut laici, ac præsertim pueri à sacerdotibus, et episcopis etiam extra ecclesiam benedicantur, quam consuetudinem auctor Imperfecti commendat.

Discipuli autem increpabant eos. Id est, prohibebant, ut Euthym. interpretatur ; id enim significat etiam verbum ἐπετίμησε, ut supra alio loco monuimus. Dubium quare discipuli parentes prohibuerunt ad Christum accedere, et illi infantes offerre. Chrysost., auctor Imperfecti., Euthym. et Theophyl., ideò prohibuisse putant, quòd eam ætatem indignam judicarent, ut ad Christum accederet : quasi Christi minueretur dignitas, si in benedicendis pueris occuparetur. Itaque tanquàm de honore, et dignitate magistri solliciti, pueros arcebant. Probabilius hoc est, quàm quod Hieronym. et Beda dicunt; non quòd nollent eis salvatoris et manu, et voce benedici, sed quòd necdum habentes plenissimam fidem putarent eum hominum offerentium importunitate lassari. Nam quod Christus subjecit : *Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum*, Chrysostomi videtur interpretationem confirmare.

Vers. 14. — Sinite parvulos venire ad me. Par-

Vers. 15. — Ut manus ei imponeret, more tum usitato : nam Judæi manus imponebant benedicturi.

vulos vocat et per ætatem infantes, et per simplicitatem morum adultos, ut statim explicat dicens : *Talium est regnum cœlorum.* Propterea enim non dixit horum ; sed *talium est regnum cœlorum*, ut non solùm ætate pueros ; sed etiam moribus pueris similes comprehenderet, ut Origenes, Hieronym., August. lib. de Peccatorum Meritis, c. 19, Beda, Theophylact. et Euthym. monuerunt. Quod Lucas magis expressit c. 18, 17, addens : *Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.* Non habent aliud Calvinistæ testimonium, quo infantes baptizandos esse probent, quàm quod Christus dicat : *Sinite parvulos venire ad me.* Nam illud fortissimum, et apertissimum, quo semper Ecclesia, ut infantes baptizaret, adducta est, *nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, illi non de baptismo, sed de doctrinâ interpretantur : ita fit, ut dùm hæretici esse volunt, et Ecclesiæ catholicæ resistere, scipsos exarment, et Anabaptistis, qui infantes baptizandos esse negant, resistere non possint. Nam etsi ex hoc loco aliquid argumenti colligitur, quemadmodùm et D. Bernardus, epist. 250, colligit : tamen non adeò firmum est, ut tam certè, tamque necessarii ad salutem dogmatis fundamentum esse possit.

Vers. 15. — Et cum imposuisset eis manus. Dixerat evangelista, vers. 13, oblatos Christo fuisse pueros, ut manus illis imponeret, et oraret; dicit nunc manus illis imposuisse, sed orâsse non dicit ; cujus rei causam Orig. fuisse putat, quòd Christus manus imposuerit, non autem oraverit : quia infantes impositionis manuum capaces erant : orationis, quam intelligere non poterant, non erant ; opinio minimè probabilis. Nam opus non erat, ut infantes orationem intelligerent, ut ejus participes esse possent : quemadmodùm nunc opus non est, ut verba, quibus baptismus confertur, intelligant, ut baptismi fructum percipiant : at in manuum impositione oratio etiam comprehenditur. Nec enim sola manuum impositio sine orationc, ac benedictione unquàm adhibebatur, et Marcus, c. 10, 16, id expressit, *et complexans eos, et imponens manus super illos benedicebat eos.*

Vers. 16. — Et ecce unus, εἷς, unus, pro τις quidam positum est ; sicut et Galli loqui solent. Lucas, c. 18, 18, principem fuisse scribit, id est, primarium, ut interpretor, virum ; quia, ut ait Matthæus, versu 22, divos admodùm erat. Videntur multi veteres auctores hunc adolescentem cum illo legisperito, de quo Lucas scribit c. 10, 25, lapsi memoriâ confudisse : nam hunc legisperitum fuisse dicunt, ut Hieronym., Ambros. in c. 18, Lucæ, et Cyrillus Alexandrin. 2, lib. Thesauri, c. 4. Melius D. Basilius in hom. contra divites avaros non solùm non putat legisperitum fuisse : sed legisperito illi, de quo Lucas scripsit, opponit, quòd ille tentandi causâ, hic discendi ad Christum accesserit. Et verò si legisperitus fuisset, id potiùs expressissent evangelistæ, quàm alias circumstantias, quas videmus eos magno studio declarâsse, ut quòd princeps fuerit, quòd dives, quòd adolescens. Putant iidem auctores, tum etiam Epiphanius in Anchorato, et hæresi 69, hunc etiam adolescentem non bono, ac simplici, sed tentandi animo ad Christum adiisse, quam opinionem et D. Basil. in eo loco, quem paulò ante annotavimus, et Chrysost. et Euthym. in hujus loci commentariis meritò mihi videntur, magnisque commentariis refutare : primùm quia, ut Marcus, cap. 10, 17, declarat, valdè reverenter, et suppliciter genua subinde flectens ad Christum accessit, quod superbi illi, et inflati scribæ, et Pharisæi, qui tentaturi Christum adibant, facere non solebant. Deinde quid quoties aliquis tentandi causâ Christum interrogat, evangelistæ solent exprimere; de hoc verò adolescente nihil tale significârunt. Tertiò, quia rogat, quid adhuc sibi desit, ut ad vitam æternam pervenire possit. Quartò, quia, cùm Christus illi dixisset : *Vade, et vende, quæ habes, et da pauperibus*, tristis discessit : nulla autem tristitiæ causa fuisset, si malo simulatoque animo Christum interrogâsset. Itaque multò melius hinc Chrysost. quàm Hieronym. ad probandam suam opinionem argumentatur. Addo ego, quod, qui tentandi causâ Christum interrogabant, non solebant de seipsis, suâque salute : sed de lege, deque rebus controversis et curiosis quæstionem proponere, ut, an liceat tributum dare Cæsari, an liceat quâcumque ex causâ uxorem dimittere; quod sit maximum legis mandatum ; cujus illa mulier in resurrectione futura sit uxor, quæ, dùm viveret, septem fratres maritos habuisset. Hic autem adolescens non curiosa, non subtilia, non supervacanea rogat : sed sibi necessaria, *quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?*

Magister bone. Utitur honorificâ præfatione ad captandam Christi benevolentiam. Alii Christum Rabbi, id est, magistrum aliquid interrogaturi appellabant, ille ut majorem animi propensionem ostenderet, magistrum bonum appellavit.

Vers. 17. — Quid me interrogas de bono? Græcè in omnibus ferè libris est, τί με λέγεις ἀγαθόν; quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus : atque ita legit Origen. tractatu in Matthæum, 7; Hilarius; Chrysost., auctor Imperfecti in hunc locum, et Gaudentius, tractatu 7 in Exodum. Noster interpres legit τί με ἐρωτᾷς περὶ ἀγαθοῦ; *Quid me interrogas de bono?* quemadmodùm in nonnullis etiam nunc Græcis codicibus legitur, et ut Hieronym. hoc loco, et D. Augustin., lib. 1 de Trinitate, c. 13, legunt. Origen. utramque lectionem ponit. Verùm eorum conjecturam nequaquàm probo, qui utroque modo Christum dixisse putant ; priùs quidem : *Quid me dicis bonum?* quia dixerat adolescens *magister bone* : deinde *quid me interrogas de bono?* si ita legamus, non significat, quid

Vers. 17. — Quid me interrogas de bono? unus est bonus Deus; Gr. : *Quid me dicis bonum? unus bonus Deus*, naturâ et per essentiam ; cur me bonum dicitis, cùm me Deum esse non credatis, qui solus bonus est? Ambrosius in hunc locum : *Non ergo bonum se negat, sed Deum signat.*

me interrogas, quid boni facturus sis? sed, quid me interrogas bonum appellans?

Unus est bonus Deus. Objiciebant Ariani Catholicis hunc locum, ut probarent Christum non esse Deum, quod videtur his verbis à bonitate, divinitateque seipsum excludere, ut scribit Epiphanius adversùs Arianos, hæresi 69, et Cyrillus Alexand., lib. 2, Thesauri, c. 1; et D. Basilius in epistolâ ad Amphilochium, et D. Ambros. in Commentariis in c. 18 Lucæ, et D. Augustinus, lib. 3, contra Maximinum Arianorum episcopum, c. 23. Omnes respondent Christum non negare se bonum esse, ac Deum. Nam et homines, et angelos, et multa alia præter Deum suo quodam modo bona esse manifestum est, et multis Scripturæ exemplis probat Epiphan., sed dicit neminem bonum esse præter Deum, eo modo, quo Deus bonus est, id est, per se, et naturâ suâ; quemadmodùm dixit D. Paul. 1 ad Timot. 6, 16, solum Deum habere immortalitatem, cùm et angelos, et animos nostros immortales esse constet: quia nemo præter Deum naturâ suâ, id est, non alterius participatione immortalis est: quemadmodùm in quæstionibus Christianis propositis Justinus explicavit. Itaque etsi Christus Deus non fuisset, bonus tamen fuisset: et quemadmodùm se à bonitate non excludit dicendo *unus est bonus, Deus*, ita non excludit à divinitate: quinimò his verbis, ut paulò post explicabimus, maximè indicat se esse Deum. Cur ergo ita Christus adolescenti respondit? Ratio, quam Calvinus affert, inepta est, et ad Arianorum errorem accedit, ut, inquit, ostenderet suam doctrinam à Deo profectam esse. Nam neque id Christus voluit ostendere, sed potiùs dicere se esse Deum; et, si voluisset, non benè eâ ratione ostendere potuisset. Alii voluisse Christum adolescentem illum, quasi nimium operibus legis confidentem, ab illis avellere, et ad fidem in se adducere; quod facit, dùm indicat se non solùm magistrum bonum, sed etiam bonum Deum esse: ita Origenes videtur significare tractatu in Matthæum 8; ita certè Epiphan. adversùs Arianos, et Cyrillus lib. 2, Thesauri, c. 1, interpretantur. Quod dicunt Christum voluisse significare se esse Deum, vehementer probo: quod dicunt adolescentem in operibus legis confidisse, et ab illis cum Christum voluisse revocare, non probo; nec illi mihi videntur benè probare. Vera igitur causa, cur ita Christus responderit, ea mihi videtur esse, quam auctor Imperfecti, homil. 33; Hier. in Commentariis, Gaudent. tractatu 7, in Exodum, Augustin. lib. 1 de Trinitate, cap. 15; et lib. 3, contra Maximinum, cap. 23, Beda, Theophylact. et Euthym. hoc loco afferunt, quòd adolescens ille, etsi bonam, non tamen satis magnam, atque perfectam de Christo habebat opinionem. Manifestum enim est conatum illum fuisse quam magnificentissimis titulis Christum ornare, ut ejus iniret gratiam; et videmus tamen non nisi magistrum bonum appellàsse, quasi nihil de illo supra sentiret. Nam si Deum esse credidisset, aut Deum suum, aut certè Dominum appellàsset: voluit ergo Christus sciens eum bono animo de suâ salute consulere ejus adjuvare fidem, atque perficere, eòque interrogando perducere, ut se non tantùm magistrum bonum; sed Deum etiam bonum esse crederet, propterea ex ejus ore verbum arripuit, ut doceret tantùm illi opus esse, ut ea, quæ dixerat, benè intelligeret. Vocaverat Christum magistrum bonum, docet illum Christus neminem bonum esse, præter Deum, ut probet se Deum esse, si bonus est, quemadmodùm ille ipse nesciens, quid diceret, confessus erat. Fateor ambiguitatem in verbo esse: nam aliter magister bonus, aliter Deus bonus appellatur: sed hæc ipsa ambiguitas gratiam argumentationi affert: sic enim Christus argumentatur, quasi non intelligat, quid inter magistrum bonum, et Deum bonum intersit. Annotavimus aliis locis solitum fuisse Christum ambiguitate verborum ludere, ut supra, c. 8, 22: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Quæret aliquis, cur Christus non eodem modo aliis responderit, quos credibile est aliquando aut similibus, aut iisdem titulis usos fuisse. Ratio mihi videtur esse: quòd hic adolescens ita eum magistrum bonum appellaverit, quasi existimaret aliquem ei titulum tribuere singularem, quem alii tribuere non solebant: voluit ergo Christus ejus opinionem arripere, docereque non satis magnum sibi titulum tribuisse, se enim non solùm magistrum bonum; sed Deum etiam bonum esse.

Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Perniciosissima, et menti Christi omninò contraria est interpretatio Calvini; sic enim exponit, quasi Christus bonum illum, et simplicem adolescentem deludere voluerit; quemadmodùm si quis interroganti, quâ viâ Romam iretur, eximeros lndos ostenderet Sic enim putat Christum respondisse: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, non quòd mandatorum observatio vitæ æternæ via esset, sed potiùs diverticulum, quo à vitâ æternâ homines aberrarent: juvenem enim illum observatione legalium præceptorum inflatum fuisse, atque confisum, quæ tantùm abest, ut homines ad vitam æternam ducerent, ut ab eâ potiùs retardaret. Duplex error; alter, quem jam refutavimus, quòd existimet illum adolescentem in legalium præceptorum observatione confidisse; nec enim confidebat, qui præter illa quærebat aliquid, quod faciendo in vitam æternam ingrederetur: alter, quòd putet Christum de legalibus agere præceptis; de quibus enim agat, statim ipsemet exponit: *Non homicidium facies*, etc., quæ præcepta non legalia, sed evangelica sunt: quisquis autem legalia esse putat, legem ignorat: si enim legalia fuissent, nùs cum ipsâ lege fuissent abrogata; tantùm verò abest ut abrogata fuerint, ut tunc cœperint maximè vigere, cùm cœpit lex maximè mori; ut Christus, c. 5, explicavit. Legalia igitur ea tantùm, quæ cum lege perierunt, ut Circumcisio, cæteræque cæremoniæ ac sacramenta. Verùm vitæ æternæ viam Christus ostendit, à quâ longissimè Calvinus aberravit. Nam nec viam illam legis adolescens ignorabat: nec eam Christus ostendisset, qui ideò venerat, ut eâ abolitâ novam homines viam docerct; velitque nolit Calvinus merita hinc bonorum

operum apertissimè probantur: nec enim mandata ideò tantùm via vitæ æternæ vocantur, quòd per ea, sed etiam quòd propter ea ad vitam æternam homines veniant, ut c. 25, 34, 35, manifestum est: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurii enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me.* Neque hæc Christi sententia, ut Calvinus putat, nobis adversatur: quasi hinc colligatur nulla alia præcepta, præter decem Decalogi, nullasque traditiones esse ad salutem necessarias; eodem enim argumento colligeret ad salutem necessarium non fuisse, ut Christiani Apostolorum constitutiones observarent, et à sanguine, suffocatoque abstinerent, Actorum 15, 20, eodem argumento colligeret nulla esse in Evangelio necessaria sacramenta; nec enim in Decalogo continentur. Melius objicere potuisset; si mandatorum observatio, ut Christus significat, ad salutem satis est, fidem non esse necessariam. Respondeo Christum tantùm respondisse ad quæstionem adolescentis: *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* propterea non docet, quid credere debeat; sed quid facere: inter ea autem, quæ ad consequendam vitam æternam faciendo erant, sola mandatorum observatio sufficiebat, in quibus et parentum, et Ecclesiæ mandata, traditionesque comprehenduntur. Nam cùm in quarto præcepto jubemur parentes honorare jubemur illis obedire: cùm autem illis jubemur obedire, jubemur obedire omnibus, qui parentum nobis loco esse debent, quales reges sunt, et magistratus, multò verò magis Ecclesia; quin potiùs ex hoc loco maximum adversùs Calvinistas sumitur argumentum, ut probetur malè eos diligere solâ nos fide justificari, et sanctos fieri, quia sola aliquando fides inter justificationis causas nominatur. Nam quemadmodùm hic cùm sola mandatorum observatio causa salutis esse dicitur, non excluditur fides; sed tantùm significatur inter ea quæ facienda sunt, satis esse mandata servare: ita, cùm sola fides inter justificationis et salutis nostræ causas nominatur, opera non excluduntur, sed tantùm ostenditur, inter ea quæ non facienda, sed cognoscenda sunt, satis esse credere, fidemque nobis, licèt obscuram, et quodammodò cæcam cognitionem instar omnis scientiæ omniumque doctrinarum esse oportere.

Vers. 18.—Quæ? Hieronymus, qui hunc adolescentem tentandi causâ venisse putat, non simpliciter, sed fraudulenter interrogàsse dicit, quænam essent illa mandata; quasi dissimulaverit scire se quod maximè potuit scire: sed hanc opinionem versu 16 refutavimus, et ex ipso verborum contextu perspicuum est, eum propterea interrogàsse, quænam ea mandata essent, quòd ad Christum, tanquàm ad novum aliquem et maximum magistrum venisset, ut aliquid ab eo supra legem disceret; nam legis mandata non solùm sciebat, sed etiam observaverat, ut versu 20 probabimus. Interrogat ergo, *quæ?* putans fore ut Christus aliqua præter legem, præceuta sibi tradat.

Non homicidium facies. Proponit illi Christus præcepta Decalogi non omnia, sed secundæ tantùm tabulæ; nec ea quidem ordine, sed prout sese offerebant: nec enim id agebat, ut totum Decalogum memoriter et ad verbum recitaret; sed ut sententiam proponeret. Potest quæri cur primæ tantùm tabulæ mentionem non fecerit. Respondet Euthymius, propterea quòd primæ tabulæ observatio in occulto, id est, in animo lateat; secundæ autem tabulæ manifesta sunt opera, non occidere, non mœchari, etc. Non probo rationem, nec enim Christus adolescentem arguere, ut quidam putant, sed, ut nos supra probavimus, docere voluit; nec docere quomodò bonus esse videretur, sed quomodò bonus ac justus esset: nec enim hypocritam, sed christianum facere volebat. Vera mihi videtur fuisse ratio, quòd quicumque secundam tabulam observat, et primam observet, quemadmodum D. Paulus ait ad Romanos 13, 9, 10: *Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut teipsum; plenitudo ergo legis est dilectio.* Propterea et Christus hic, et D. Paulus illic, volentes mandatorum observationem proponere, secundæ tantùm tabulæ meminerunt. Dicet aliquis eâdem ratione, ac multò etiam majore primam tantùm tabulam proponere debuisse, quia et qui primam observat, secundam observat; qui enim Deum diligit, omnia, quæ Deus præcipit, facit: estque prima tabula multò brevior quàm secunda, ut eò magis videatur, tanquàm omnium præceptorum summa proponi debuisse. — Respondeo isthæc omnia vera esse; sed tamen faciliùs esse proximum diligere quàm Deum, ut D. Joannes 1 Epistolâ, cap. 4, 20, argumentatur; *qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodò potest diligere?* Solet ergo Scriptura sacra ad observationem nos mandatorum Dei per secundam tabulam, tanquàm per magis facilem, magis planam, magis nobis notam viam deducere.

Vers. 19.—Diliges proximum tuum sicut teipsum. Nimis audax Origenis, tractatu in Matthæum 8, conjectura est, hæc verba ab aliquo esse addita, propterea quòd apud alios evangelistas non legantur. Præstabat existimare ab aliis prætermissa, quemadmodùm solent non omnia semper dicta factaque Christi commemorare. Est ergo quasi brevis complexio, quâ omnia quæ Christus recitaverat, uno verbo comprehenduntur, quâli et D. Paulus ad Rom. 13, 9, 10, et ad Galat. 5, 14, usus est. Nec enim unum est præceptum; sed omnium præceptorum summa ex Levitico, c. 19, 18.

Vers. 20.—Omnia hæc custodivi a juventute mea. Hilar., canone in Matthæum 19, auctor Imperfecti, homil. 25, Ambros., in Commentariis in c. Lucæ 18, D. August., epistolâ 89, Hieronym. et Beda, hoc loco, et nonnulli, ut opinor, Græci quorum Theophylactus opinionem recitat, existimârunt hunc adolescentem, cùm dixit se omnia mandata à juventute suâ serva-

visse, fuisse mentitum. Multò magis D. Basilii, Homiliâ contra divites avaros, et Chrysostomi atque Euthymii probo sententiam, eum dixisse, quod res erat; nec enim sine causâ narrat Marcus, cap. 10, 21, Christum, hoc audito, eum dilexisse; quod profectò non fecisset, si simulator fuisset, quòd Christum omnia scientem latere non potuit. Quod autem Calvinus respondet dilexisse eum, sicut diligit Deus res omnes naturales, quia naturâ suâ bonæ sunt, ridiculum est: nam isto quidem modo non solùm omnes homines, sed omnes etiam dæmones diligit. Perspicuum autem est evangelistam aliquem Christi erga hunc adolescentem propter mandatorum observationem singularem amorem significare voluisse; quo amore non solùm non alios peccatores, sed ne illum quidem ipsum, antequàm id audivisset, prosequeretur; non quòd id prius ignoraret, aut quòd non priùs eum diligeret; sed quòd ostenderet se more hominum ex ejus responso, quod ante ignoraret, didicisse, et quem ante non diligebat, diligere cœpisse. Quod ad confirmationem sententiæ nostræ satis est. Magis etiam ridiculum, quod idem Calvinus Catholicis ex hoc loco colligentibus peccatorem posse se per bona opera, et mandatorum observationem ad justificationem disponere; ea enim bona quæ facit, antequàm justificetur, suo quodammodò Deo grata esse, ac, ut theologi vocant, meritoria de congruo, respondet eodem modo ranas et culices mereri, quia ea quæ faciunt, naturaliter bona sunt, eaque Deus amat. Jam enim docuimus Christum hunc adolescentem non tantùm propter naturalem bonitatem, sicut omnes communiter homines, sed propriè propter mandatorum observationem, quæ naturalis non est, singulariter amasse.

Vers. 21. — Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus. Perversa etiam hoc loco et maligna interpretatio Calvini, qui existimat Christum non seriò et ut perfectionis consilium daret, sed cautè, ut adolescentis hypocrisim detegeret, hoc illi dixisse. Quia enim, inquit, mentitus est, dicens se mandata omnia observâsse, voluit Christus ut palàm omnes intelligerent non ita esse, proponens illi unum tantùm præceptum, ex quo, an proximum diligeret, appareret, ut venderet omnia, et daret pauperibus, sciens eum facturum non esse, atque ita ejus mendacium deprehendendum. Multi sunt hic ejus errores: primus est, quòd illum adolescentem mentitum putet, quem superiore versu refutavimus. Hic dignus erat venià, nec error appellandus, quia multi, ut diximus, et graves auctores in eadem fuerunt opinione; nisi illi catholico, Calvinus hæretico animo dixisset; non, ut aliquid eorum auctoritati tribueret, quos si scivisset ita sensisse, contrarium fortassè, ut solet, dicturus fuisset; sed ut evangelica consilia, quæ illi probârunt maximè, et secuti sunt, non solùm ipse non sequeretur, sed etiam refutaret, et quantùm

Vers. 21.— Si vis perfectus esse. Marcus et Lucas: *Unum tibi deest*, quòd addictus sis divitiis, hoc tibi deest ad salutem.

in se esset, penitùs tolleret. Secundus est, quòd nullum prorsùs consilium esse putet, et hoc ipsum, quod Christus adolescenti dixit, ut sua omnia venderet, et daret pauperibus, seque sequeretur, non consilium, sed præceptum esse dicat, quod ante illum nemo cogitaverat. Est genus quoddam Pelagianorum, qui olim docere videbantur neminem salvum esse posse nisi omnia venderet, et daret pauperibus, quasi non consilium, sed præceptum hoc esset, non tam ab Augustino, epistolâ 89, paucis verbis refutati sunt, quam, ut insani, ab omnibus irrisi. Etverò quis non videt consilium illud esse, quod, cùm bonum sit, imperatum tamen non est; alioquin et perpetuam servare virginitatem præceptum esset, quia bonum esse D. Paulus testatur. At hoc Calvinus, ut opinor, non concedet: Nam si præceptum est, servari ergo ab omnibus debet; et qui non servant, salvi esse non possunt. Itaque eò Calvinus suo errore ducatur necesse est, ut affirmet, quod olim Eustathii in concilio Gangrensi condemnati affirmabant, neminem, qui uxorem haberet, salvum esse posse, et, quod stulti illi Pelagiani dicebant, neminem posse ad vitam æternam pervenire, nisi omnia venderet, et pauperibus daret. Deinde quis tam obtusus est, ut non animadvertat, quàm exquisitis studiosè verbis præcepta Christus, consilia que distingnat? Cùm de præceptis loquitur, non dicit: Si vis perfectus esse, serva mandata; sed: *Si vis ad vitam ingredi*; cùm verò de consilio, non dicit, si vis ad vitam ingredi; sed, *si vis perfectus esse*. Præterea mandatorum observationi, tanquàm præmium proponit vitam æternam; *si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, serva mandata*; observationi verò consiliorum non vitam æternam, sed *thesaurum in cœlo*, id est, vitæ æternæ majores divitias pollicetur. Et non solùm beatum esse, sed beatorum principem et judicem; *sedebitis*, inquit, *et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*. Non possum ego melioribus verbis quàm Augustinus, sermone 61 de Tempore, aut probare, aut explicare evangelica consilia: *Aliud*, inquit, *est consilium, aliud præceptum. Consilium datur, ut virginitas conservetur, ut à vino et carnibus abstinentur, ut vendantur omnia, et pauperibus erogentur; præceptum verò datur, ut justitia custodiatur, ut omnis homo divertat à malo, et faciat bonum. Denique de virginitate dicitur: Qui potest capere capiat; de justitiâ verò non dicitur: Qui potest facere, faciat, sed: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excindetur, et in ignem mittetur. Consilium qui libenter audierit, et fecerit, majorem habebit gloriam; præceptum qui non impleverit, nisi pœnitentia subvenerit, pœnam evadere non poterit.* Et rursùs, in lib. de sanctâ Virginitate, c. 14: *Præcepto*, inquit, *quisquis non obtemperat, reus est et debitor pœnæ; proindè quia uxorem ducere vel nubere peccatum non est; si autem peccatum esset, præcepto vetaretur, propterea præceptum Domini de virginibus nullum est; sed quoniam devitatis remissive peccatis adeunda est vita æterna, in quâ est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ varium est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse; sed vovisse ac reddidisse sit laudis*: « *Consilium, inquit, do, tanquàm misericordiam* « *consecutus à Deo, ut fidelis essem,* » 1 Cor. 7, 25; et ejusdem libri c. 50: *Nec enim sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest: Non nubes; illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiunt ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur; in illis Dominus debitum imperat vobis; in hoc autem, si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis*; et sermone 18 de Verbis Apostoli: *Quid jubes, ne adulteræ simus? hoc præcipis; amando te plus facimus quàm jubes.* « *De virginibus,* « *ait Apostolus,* 1 Cor. 7, 25, *præceptum Domini non* « *habeo.* » *Ergo quare hoc faciunt.* « *Consilium autem* « *do.* » *Illæ autem mentes, quibus terrenæ nuptiæ vilescunt, quæ terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeò acceptaverunt præceptum, ut non vocaverint consilium.* Eant Calvinistæ, et negent ullum esse consilium, dicant opera supererogationis sophistarum esse commentum. Nos enim Christum et D. Paulum consiliorum ac præceptorum doctores atque asserto res; Christi verò ac D. Pauli D. Augustinum, omnesque omninò veteres auctores interpretes habemus. Calvinistæ, quia evangelica consilia servare nolunt, esse non credunt, aut se credere dissimulant, et objiciunt illud tritum, quod Christus ait apud Lucam: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus*, c. 17, 10. Illum locum in commentariis in Lucam, si Dominus juverit, explicabimus: nunc tantùm dicimus illum Calvinistis adversari maximè: primùm, quia docent neminem omnia præcepta servare posse; Christus autem ostendit nos posse servare cùm dicit: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis*; deinde quia ex illis ipsis verbis colligitur posse nos ultra præcepta aliquid facere. Hùc enim tota aspectabat parabola ut doceret Christus eum, qui non facit, nisi quæ sibi præcepta sunt, non majorem gloriandi occasionem habere, quàm servum qui domino suo tantùm ministravit. Indicat ergo tunc gloriari nos posse, cùm ultra præcepta aliquid etiam boni fecerimus; facere igitur possumus. Expressum est exemplum in D. Paulo. Præceperat Christus, ut Evangelium prædicaret, non præceperat, sed tanquàm consilium in medio reliquerat, ut qui Evangelium prædicarent, de Evangelio non viverent; dicit se, si Evangelium prædicaverit, nullam gloriam habere; necessitatem enim, id est, præceptum sibi incumbere; gloriam autem suam esse, ut *Evangelium prædicans sine sumptu ponat evangelium*, 1 ad Cor. 9, 15, 16, 18. Objicit etiam Calvinus, quòd Abrahamo, Genesis 17, 1, à Deo dictum sit: *Ambula coram me, et esto perfectus*, cùm illi non consilia, sed præcepta servanda traderentur, quasi inde sequatur evangelicam perfectionem non in consiliorum, sed in præceptorum observatione sitam esse. Respondeo pueriles esse ignorantiæ nescire inter legalem aut naturalem et Evangelicam perfectionem distinguere. Tertius error est, quòd existimet satius esse bona sua retinere, et paulatim ex illis pauperes juvare,

quàm simul illis erogare. Hoc quidem non præceptum, sed consilium est, non tamen Christi, sed hominum avarorum, qui hoc solent prætextu divitias suas retinere; eumdemque Vigilantii olim errorem fuisse adversùs illum Hieron. scribit, idemque, in lib. de ecclesiasticis Dogmatibus, c. 71, Gennadius indicavit. Non Calvinus, non Vigilantius, sed Christus est, qui adolescenti consilium dedit, ut si perfectus esse vellet, non post longas inducias, sed statim, nec paulatim, sed simul omnia, quæ haberet, venderet, ac pauperibus daret, seque nudum nudus quoque sequeretur.

NOTA EDITORUM.

Alia est ejusdem loci expositio ad v. 10, cap. 17, S. Lucæ, quâ Maldonatus hæreticorum errorem oratione majori ex promissis insequitur, ac scopum à Domino intentum egregiè admodùm explanat. Ad illa nempe Christi verba: *Sic et vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus*, hæc habet eximius interpres: « Tria Calviniani his verbis significari dicunt. Primum non posse nos plus facere quàm præceptum est, nullum opus, ut vocant theologi, *supererogationis*, quia quidquid facimus, aut facere possumus, multis nominibus debemus Deo, quemadmodùm servus ille nihil fecit, nec facere potuit, nisi quod debuit. Incredibilis excitas non videntium ex hoc loco id colligi non posse, contrarium verò posse. Nam ubi, quæso, aut dicit, aut indicat Christus nihil nos plus facere posse quàm debeamus? Quia servus ille non fecit? At si non fecit, facere profectò potuit. Nam si non potuisset, non utique dixisset, dominum illi gratiam non habuisse, quia nihil fecisset, nisi quod facere debebat, indicans gratiam illi, si plus fecisset, habiturum; quod non indicàsset, nisi plus facere potuisset. Itaque ex parabolâ non colligitur, quod hæretici volunt, contrarium verò colligitur. Minùs etiam illud, magis hoc colligitur ex conclusione. Non enim concludit Christus: Sic vos non potestis facere, plusquàm præceptum est vobis, quod concludendum erat, si, quod isti boni interpretes Scripturarum volunt, dicere voluisset; sed concludit: *Sic et vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus*; quod cùm dicit, indicat haud dubiè posse nos plus facere aliquando, quàm nobis præceptum sit; quod si fecerimus, servi utiles erimus. Objicimus rationem, nos, quanti quanti sumus, Dei esse, sicut mancipium domini sui est, quidquid est, nihil ergo facere posse, quod Deo, etiam si nullum præceptum esset, non aliis nominibus debeamus, propterea servum, non *mercenarium*, sed *mancipium* interpretantur. Et quidem veteres reperiuntur auctores, qui hoc idem, sed alio opinor sensu dicere videantur, Chrysostomus, homil. 54 ad populum Antiochen., et Ambrosius in Commentariis ad hunc locum: *Sicut*, inquit, *tu non solùm non dicis servo tuo: Recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, et gratias ei non agis, ita nec in te potitur Dominus unius usum esse operis, aut laboris; quia dùm vivimus, debemus semper*

operari. Ergo agnosce te esse servum plurimis obsequiis defæneratum. Non te præferas, quia filius Dei diveris; agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Nec te jactes, si benè servisti, quod facere debuisti. Obsequitur sol, obtemperat luna, servunt angeli. Hæc ut intelligantur, adhibenda distinctio, quam et Euthymius animadvertit. Alia Deo debemus, quia ab eo nobis data; alia, quia præcepta. Nec enim tam severè voluit Deus agere nobiscum, ut quidquid illi jure debebamus, exigeret; si spectes, quid ab eo acceperimus, omnia illi debemus, quia nihil non accepimus; si spectemus quid nobis præceperit, non debemus omnia: multa infirmitati nostræ concessit, decem tantùm præcepta nobis dedit. Potuit jure suo à nobis exigere ut omnes virginitatem servaremus; potuit, ut omnia quæ haberemus distribueremus in pauperes; nam et hæc omnia ipse nobis dederat, et poterat reposcere jure suo; sed noluit, quia *ipse cognovit figmentum nostrum* (Psal. 102, 14), ut sæpè solet Chrysostomus dicere. Cùm ergo facimus aliquid boni, quod præceptum nobis non est, plus quidem facimus quàm præcepti jure debemus, non plus quàm, si Deus summo nobiscum jure agere voluisset, deberemus. Nam et à mancipiis suis solent aliquando domini, non quidquid jure possunt, exigere, sed quod mediocri studio atque labore facere possunt; tantùm ut sibi quotidiè lucri afferant, aut tantùm ut in vineâ suâ laborent; si quid præterea facere possint, sibi faciant. At urgent hæretici Deum à nobis quidquid jure suo exigere potuit, reipsâ exegisse. Quid enim fecisse reliqui, qui à nobis exegit, ut se ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus diligeremus? qui enim minùs quàm potest facit, cum non totis utique viribus amare. — Respondeo illud non speciale, sed generale præceptum esse; nec enim in Decalogo continetur; quare accommodatè ad præcepta Decalogi, quæ propriè præcepta sunt intelligendum. Totis igitur viribus Deum diligimus, quando totis viribus in decem præceptorum observationem incumbimus. Ex totâ animâ diligimus, quando parati sumus vitam potiùs effundere, quàm præceptum Dei ullum violare, etiamsi alia bona, quæ præcepta non sunt, quæque facere possemus, facere nolimus. Atque hâc eâdem ratione secundus eorum error, quem ex hoc loco confirmare solent, refutatur. Dicunt nos ne id quidem, quod præceptum nobis est, posse perficere; nec enim posse ex totis viribus Deum diligere, quod nobis utique præceptum est. Ridiculus error, et ipse sese refellens. Quid enim est totis viribus Deum diligere, nisi quantùm possumus diligere? ut illis omnia, quæ volunt, disputandi causâ concedamus. At cui debium esse potest, posse nos diligere, quantùm possumus? Si enim non possumus, quomodò possumus? et si possumus, quomodò non possumus? Præterquàm quòd, ut modò declaravimus, diligere Deum totis viribus non est diligere quantùm omninò possumus, sed quantùm possumus efficere ne ejus transgrediendis præceptis eum offendamus. Tertius error est, qui majore videtur ex hujus parabolæ conclusione probabilitate colligi; nullam nobis deberi mercedem, etiamsi præcepta omnia ad perfectum observaverimus. *Numquid*, inquit, *gratiam habebit servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?* et: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*, v. 9, 10. Et verò magnum hic locum omnibus auctoribus negotium facessit. Doceamus priùs ex eo non colligi, quod hæretici colligere conantur. Primùm quidem in parabolâ non dicitur: Numquid mercedem dabit illi? Sed: *Numquid gratiam habebit servo illi?* gratiam, quæ minùs quàm merces videtur esse, multò plus quàm merces est, nempe corollarium mercedis, quod propter gnaviter à servo navatam operam supra pactum conventum superadditur; quæ ideò gratia, non merces appellatur, quia non ex pacto et jure, sed ex domini liberalitate, moralique, ut vulgò dicitur, honestate debetur; debetur tamen. Nam quæro an dominus ille, qui in parabolâ proponitur, servo, qui in agro primùm toto laboraverat die, dum cœnanti sibi noctu ministravit, nullam pro labore mercedem solvit? Quis neget? Negat Calvinus, sed aliter probare non potuit quàm fingens servum illum mancipium fuisse pecuniâ emptum, non hominem mercede conductum. Quod ille figmentum ne conjecturâ quidem ullâ probare potest; et nos ex perpetuâ Scripturæ consuetudine servos mercenarios appellantis, et ex verbis ipsis hujus loci refutamus. Cùm enim dicit: *Numquid gratiam habebit servo illi?* indicat de eo se loqui servo, cui dominus gratiam habere soleat; non solet autem mancipio, sed mercenario gratiam habere; præsertim si, ut ego quidem puto, χάριν ἔχειν, *gratiam habere*, hoc in loco est præter constitutam mercedem aliquid dare. Nam etsi gratiam habere tam Græcè quàm Latinè ad solum animum referri solet, sicut gratiam referre, et Græcè χάριν ἀποτίνειν, aut ἀποδιδόναι, ad remunerationem, tamen arbitror hoc loco esse tapinosin, quâ uti vulgò solemus, plus quàm dicimus insinuantes: Hoc si feceris, gratiam habebo, indicans dico me non habiturum modò, sed etiam relaturum gratiam. Cùm ergo Christus in parabolâ non significet dominum illum, de quo loquebatur, mercedem servo suo non soluturum, sed non habiturum gratiam, id est, nihil præter mercedem daturum esse, nec, cùm dicit in conclusione: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis*, significat nullam nos propter præceptorum observationem mercedem habituros; sed nihil habituros præter mercedem eam, quæ observantibus præcepta constituta atque promissa est. Nam præceptorum quidem observationi certam in cœlo mercedem respondere universa Scriptura docet supra, c. 6, 23, 35; Matthæi. 5, 12, et 10, 41, 42; Marc. 9, 41, 1 Cor. 3, 8, 14, et 2 Epistolâ Joan. 8, Apocalypsis 11, 18, et 22, 12. Quid ergo est: *Dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus?* Sunt qui non tam verè quàm humilitatis causâ dictum interpretari videantur, quasi id tantùm Christus agat, ut doceat nos non afferri animo, cùm omnia quæ præcepta nobis sunt servaverimus; fecisse enim tantùm quod debebamus, quin humiliter de nobis sentire oportere, existimareque aut nihil nos fecisse, aut nullâ dignos esse mercede, cùm nihil, nisi quod debe-

bamus facere, fecerimus. In hanc sententiam hoc testimonio sæpè utuntur veteres auctores, Origenes, homil. 12 in Josue, Cyprian., lib. 5, Epistolâ 6, et lib. 3 ad Quir., c. 51, Chrysostom., in serm. de Pœnitentiâ et Confessione, Hieron. in Epistolâ ad Ctesiphont. contra Pelagianos, Bernard., sermone 4 in Psal. 90, et Epistolâ 142, Theophylactus in Commentariis, et Cyrillus apud D. Thomam. Alii, ut Beda et Lyranus hoc loco, servos nos etiam cùm omnia fecerimus, inutiles existimare debere, quia nihil Deo utilitatis attulimus, qui bonorum nostrorum non indiget. Cæterùm non id, opinor, agebatur, ut probaretur nihil nos utilitatis Deo afferre posse; sed nihil nobis præter constitutam debito ministerio deberi mercedem. Nam servus quidem ille, qui in parabolâ proponitur, aliquid domino suo utilitatis attulit. Et si nos nullam Deo utilitatem afferre possumus, non impotentiâ nostrâ, qui aliquid certè facimus, sed Dei nullâ re indigentis naturâ fit. Neque concludit Christus: *Dicite: Servi inutiles sumus*, quia nihil Deo utilitatis attulimus; sed quia *quod debuimus facere fecimus*, quod aliud esse dubium non est. Aliam etiam idem Beda interpretationem affert: *Servi inutiles sumus*, quia etsi aliquid mercedis meriti sumus, minùs tamen meruimus quàm nobis dabitur, si labor noster, mercesque æquâ lance pensentur, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (Roman. 8, 18). Neque hic videtur esse sensus: nam non propterea dominus ille servo suo gratiam non habuit, quia minùs quàm promissa requirebat merces, sed quia non magis laboraverat. Et nos non jubemur dicere: Cùm omnia fecimus quæ nobis præcepta sunt, *servi inutiles sumus*, quia minùs meruimus quàm nobis datur, sed quia *quod debuimus facere fecimus*. Quo ergo sensu hoc loco servi inutiles appellentur, ex propositâ parabolâ intelligendum est. Quod enim in parabolâ est servo illi nullam à domino deberi gratiam, hoc procul dubio in parabolæ conclusione est servum inutilem esse, cùm eadem sententia, aliis tantùm verbis hoc pro illo ponatur. Gratia autem in parabolâ non significat mercedem ex pacto pro exhibito labore ac ministerio servo promissam, debitamque, sed mercedis cumulum atque corollarium, quo servi qui plus quàm debebant laboraverunt, donari solent. Idem ergo est servos inutiles esse, cùm fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, non quidem nihil præceptorum observatione meruisse; sed nihil meruisse præter mercedem, quæ præceptorum observationi respondet. Vult igitur Christus non gloriari nos, cùm præcepta servavimus, quia etsi mercedem nostram meriti sumus, tamen nihil singulare, nihil egregium et eximium fecimus, nihil quod non quilibet servus facere debuerit. Nec tam est laudabile quòd id fecerimus, quàm vituperabile esset si non fecissemus. Non solet laude gloriâque videri digna nisi quæ egregia et singularia sunt. Quemadmodùm supra, Lucæ c. 6, v. 32, dixit Christus: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia?* Utique diligentes se diligere, virtus aliqua est dignaque mercede, sed quia communis, non singularis virtus est, digna non est gratiâ. *Nam et peccatores diligentes se diligunt*, ut ibi subjungitur. Eodem sensu dicebat D. Paulus, 1 Corinth. 9, 16, 18: *Nam etsi evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Quæ est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans sine sumptu ponam Evangelium.* Dicit se, si evangelizet, neque gloriam, neque mercedem habere, non quòd mercedem pro evangelizandi munere non habeat, cùm alio loco de eodem loquens dicat: *Unusquisque secundùm suum laborem propriam mercedem accipiet*, 1 Corinth. 3, 8, sed quòd nullam singularem gloriam mercedemque mereatur, cùm necessitas illi incumbat. Quæ ergo ejus gloria, quæ singularis et propria merces erat? ut *Evangelium prædicans, sine sumptu* poneret *Evangelium*; cùmque posset ex Evangelio vivere, ut omnes apostoli faciebant, eâ tamen potestate non uteretur. Cujus interpretationis Bernardum auctorem invenio, qui, nisi fallor, ita hunc locum in tractatu de Præcepto et Dispensatione videtur intellexisse, unde multa iis contraria, quæ hinc hæretici, falsò colligunt, verè colliguntur. Primùm posse nos non solùm quæ præcepta sunt omnia, sed plus etiam quàm nobis præceptum est facere, quod opus *supererogationis* appellatur. Quod et D. Paulus affirmat se fecisse, eamque gloriam suam vocat, et nos omnes posse facere Christus hic non obscurè indicat. Cùm enim dixit: *Cùm feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus*, ostendit nos posse plus etiam quàm præceptum est facere, et servos utiles esse, sicut potuit servus ille plus facere quàm fecit, plusque quàm debuit; quod si fecisset, gratiam illi dominus habuisset. Deinde exhortandos esse homines ad observanda evangelica consilia; nam ad ea nos Christus hic exhortatur. Sic enim dicit: *Cùm feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus*, tanquàm diceret: Nolite solâ præceptorum observatione esse contenti; pergite porrò, et consilia etiam mea servate. Sicut adolescenti illi dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende universa quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Denique quemadmodùm præceptorum observationi merces justa respondet, ita observationi consiliorum cumulatam quamdam mercedem, id est, *mensuram bonam et confertam, coagitatam et supereffluentem* respondere, quæ gratia hic, à D. autem Paulo gloria et merces appellatur.

Et habebis thesaurum. Valdè risi, cùm apud magnum quemdam hæreticorum interpretem hanc expositionem legerem, ne, inquit, putaret sibi deperdita esse bona, si illa pauperibus daret, adjunxit præcepti hujus utilitatem. Per imitationem autem loquitur ob id quòd hic adolescens non simpliciter bona sua, sed thesauri loco possidebat. Quasi dicat: Putas te thesaurum habere, quia dives es, majorem habebis in cœlo, si me audieris. Quæ omnia propterea hæreticus iste dicit, ne merita bonorum operum, quæ hinc manifestissimè colliguntur, colligi posse videantur; propterea paucis verbis multos errores complexus est: quòd præcepium vocet, quod consilium est; quòd propterea putet Christum vitam æternam thesaurum appellâsse, ut ad adolo-

scentis opinionem alluderet, qui magnum se habere thesaurum arbitraretur; quòd nolit sensum esse propter relicta, et pauperibus data bona thesaurum in cœlo illum habiturum, ne merita concedere videatur. Primum errorem satis paulò ante refutavimus. Secundum non magnoperè opus est ejus refutare, quia quisquis aliquid habet judicii, facilè reprehendet, et ridebit. Quis enim tam hebes est, ut non animadvertat voluisse Christum ad mercatorum consuetudiem alludere, qui uno loco minorem pecuniæ summam dare solent, ut in alio longè distante majorem recipiant? Propterea ergo vitam æternam thesaurum appellavit, quòd hic bona reponantur, ut illic aucta inveniantur: sicut solet quotidiè crescere thesaurus, cùm ab aliquo reconditur: quemadmodùm, c. 6, 20, Christus dixit: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, neque furantur.* Agebat autem de eleemosynâ, sicut hoc loco, significatque eum, qui dat eleemosynam, quasi in cœlum thesaurum transmittere, sicut Salomon dixit, Proverbiorum 19, 17: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Ex illo ergo superiori loco, non ex hæreticorum interpretatione hic est intelligendus. Præterea quis non animadvertit voluisse Christum hominem divitem, et, ut vero simile est, deditum lucro spe majoris lucri, quâ ejusmodi homines capi solent, ad regnum cœlorum allicere? quasi dicat; etiam si multa habeas bona; multò tamen plura, majoraque recipies, si ea pauperibus dederis. Itaque tantum abest, ut voluerit Christus ad thesaurum, quem se adolescens habere arbitraretur alludere, ut potiùs voluerit significare illum nihil habere, si ea, quæ habebat, cum regni cœlorum divitiis comparantur; illam enim, ut dives sit, tamen thesaurum non habere, quem non nisi reges, nec illi quidem omnes habent: in cœlo autem thesaurum habiturum. Thesaurum ergo regni cœlorum opibus adolescentis non æquiparat; sed opponit: quemadmodùm si quis exiguis possessionibus ingentes totius mundi opes opponat. Præterea illud Christus significat eum majorem in cœlo gloriam habiturum, si evangelica consilia, quàm si sola præcepta secutus fuerit. Nam qui præcepta sola sequuntur, singuli singulos tantùm denarios accipiunt, ut sequenti cap., versu 9 et 10, explicatur: illum autem, si præter præcepta, quæ jam servaverat, hoc etiam consilium amplexus fuerit, ut omnia sua bona pauperibus tribuat: non tantùm denarium: sed ingentem etiam thesaurum accepturum esse. Atque hinc etiam tertius error refutatur: ex hoc enim sensu, quem proprium ac genuinum esse constat, manifestum est homines per eleemosynas, et proinde per omnia opera bona vitam æternam promereri. Idem enim, imò majus quiddam hoc loco significatur, quàm apud Lucam, cap. 16, 9: *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Nam et illic de eleemosynis agitur, et facere sibi amicos nihil aliud est, quàm eorum amicitiam, gratiamque promereri. Atque hoc sensu omnes veteres doctores interpretantur. Cyprian., lib. de Opere et Eleemos., negotiatorem cœlestis gratiæ, et comparatorem salutis æternæ distractis omnibus rebus suis pretiosam margaritam, hoc est, vitam æternam Christi cruore pretiosam de quantitate patrimonii sui dicit debere mercari, et Hilar.: *Jactură*, inquit, *terrenæ substantiæ cœlorum opes emendæ sunt;* et Chrysost., homil. in Matthæum 64: *Nam quoniam magna illi cura de pecuniis erat, et quandoquidem ipsum cunctis demandari rebus consulebat, ut ostendat non amissarum bona sua: sed tanto plura, majoraque inventurum, quanto terrâ cœlum præstabilius est, retributionis præstantiam thesaurum appellavit, et simul stabilitatem, atque incorruptibilitatem præmii, ut fieri poterat, humano verbo significanter expressit.* Ad eumdem modum Chromatius, in commentariis in c. 6 Matthæi.

Et veni, sequere me. Tria Christus adolescenti facienda præscripsit, ut omnia bona sua venderet, ut confectam pecuniam pauperibus daret, ut se sequeretur, quod ultimum omnium summa erat. Nam et Socrates, ut ait Hieronymus et alii multi philosophi divitias contempserunt; sed quia Christum secuti non sunt, nihil illis profuit. Quomodò autem Christus intelligat *sequere me*, minùs certum est, quàm vulgò videtur existimari. Clemens Alexand., lib. Stromatum 4; Hieronymus, hoc loco, aliique nonnulli interpretes de Christi imitatione dictum intelligunt, quod et ex Marco, 10, 21, videtur confirmari, ubi in quibusdam Græcis codicibus legitur ἆρας τὸν σταυρὸν, *tollens crucem*: sed verbum illud, *veni*, indicat Christum non de imitatione solùm, sed de corporali etiam comitatu agere, invitareque eum, ut se sequatur, quemadmodùm Apostoli, et familiares discipuli sequerentur. Quod autem Marcus ait *tollens crucem*, si eam lectionem admittimus, contrarium huic interpretationi non est. Nam Apostoli et discipuli maximè crucem ferebant, qui Christum non animo tantùm, verùm etiam pedibus proximi sequebantur.

Vers. 22. — Abiit tristis. Hæretici interpretantur propterea tristem abiisse, quia victus, atque confusus conscientiâ suâ fuerat, quòd mandata non servavisset: quemadmodùm se paulò ante jactaverat: sed hanc interpretationem, jam versu 20 refutavimus. Tristis ergo abiit, quia, cùm mandata servavisset, non existimabat quidquam sibi tam arduum, quàm Christus dixit, ad consequendam perfectionem superesse, ut vendenda sibi omnia bona essent, et pauperibus distribuenda. Denique rationem, cur tristis discesserit, expressit Evangelista, *erat enim habens multas possessiones.* Facilius enim est pauca quàm multa bona derelinquere.

Vers. 23. — Dives. Marcus, c. 10, 23, et Lucas, 18, 24, pro divite dicunt, qui pecunias habet, non difficilis divitibus non confidere in divitiis. Facilius est camelum. Benè vertit Vulgata, *camelum*: nam κάμιλος per iota, significat *rudentem*, aut funem crassiorem; proverbium erat tùm apud Judæos usitatum, cùm rem impossibilem esse affirmabant, idque in vetustioribus eorum libris occurrere testatur Ilicardus Simo.

Vers. 23 et 24. — Quæ sequuntur sententiæ, ex hâc ipsâ exponi debent: nam impossibile rectiùs per difficile, quàm vice versâ intelligitur. Res est valdè

quantascumque, sed magnas pecunias intelligentes: de divitibus enim Christus, ut Matthæus explicavit, loquebatur.

Difficile intrabit in regnum cœlorum. Marcus scribit Christum circumspexisse, dixisseque: *Quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt:* quod utrumque ad sententiæ commendationem et exaggerationem pertinet. Circumspexisse enim ad postulandam attentionem rem maximè necessariam dicturus videtur, et eâdem de causâ usus admiratione: *O quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Potest dubitare lector, quorsùm hoc de adolescente Christus dicat, et quorsùm apostolis; cùm adolescentem à præceptorum observatione, nec à regni cœlorum ingressu; sed à solâ evangelicæ perfectionis consecutione divitiæ retardaverint. Responsio est facilis, Christum ex adolescente, qui propter divitias à consiliis evangelicis deterritus fuerat, occasionem accepisse de divitibus in universo genere disputandi, quomodò à vitâ æternâ propter divitias retardentur.

Vers. 24. — Et iterum dico vobis. Marcus, c. 10, 24, scribit, antequàm hoc Christus diceret, discipulos miratos fuisse; unde horum verborum sensus colligendus est, quia enim Apostoli mirabantur, quasi nimis dura esset ac severa sententia; respondit Christus eam etiam, atque etiam exaggerans, et severiorem reddens; atque hoc est, quod ait, *iterum dico vobis*, quasi dicat, non solùm, quod modò dixi, verum est; sed amplius etiam vobis dico *facilius esse camelum per foramen acûs transire, quàm divitem introire in regnum cœlorum.*

Facilius est camelum. Absurditas, ut videbatur, aut potiùs admirabilitas hujus sententiæ in causâ fuit, ut quidam cameli nomine nauticum funem, quo anchoræ alligantur, intelligerent: quasi absurdum esset camelum prægrandem, et deformem belluam per foramen acûs introire: funis autem cum acu analogiam aliquam haberet, quia solet filum, aut funiculus per foramen acûs induci, et auctore Suidâ Græcum nomen κάμηλος id etiam significat. Sic Theophyl. interpretatur, et nonnulli alii, ut opinor, Græci, ut refert Euthym. Alii pejùs in urbe Jerosolymitanâ portam quamdam fuisse fingunt, quæ foramen acûs appellaretur, adeò humilem, ut cameli per eam, nisi exonerati, ingredi non possent. Isti interpretes non animadvertunt, quò absurdior videtur, eò veriorem oportere esse sententiam: propterea enim Christus dixit facilius esse camelum introire per foramen acûs, quàm divitem in regnum cœlorum, quia camelum per foramen acûs introire maximè absurdum, et impossibile erat; et volebat significare maximè absurdum, et impossibile esse, ut dives in regnum cœlorum introiret, sicut paulò post, versu 26: *Hoc*, inquit, *apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Itaque quâ ratione moti sunt, ne camelum animal intelligerent; eâ maximè moveri debuerunt, ut animal interpretarentur, quemadmodùm Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, auctor Imperfecti, Juvencus, lib. 3 Hist. evang.; Sedulius, lib. 4 Carminum, interpretantur. Syrus etiam interpres vertit גַּמְלָא, quod non potest, nisi camelum animal significare. Erat autem hæc proverbialis vulgò locutio, quâ cùm aliquid significabatur, impossibile esse, dicebatur facilius camelum per foramen acûs introire posse, quàm id fieri, quemadmodùm et Thalmudistæ sæpè loquuntur, ut multi jam viri docti annotaverunt. Est autem hyperbole, et exaggeratio, qualis in ejusmodi proverbiis esse solet. Itaque disputare quomodò difficilius sit divitem in regnum cœlorum, quàm camelum per foramen acûs introire, inanis est operæ: cùm sententiæ summam esse constet valdè esse difficile divitem in regnum cœlorum introire, nec sit necesse, ut difficilius sit, quàm ut camelus per foramen acûs introeat, quia, ut diximus, proverbialis hyperbole est. Illud majoris, ut arbitror, est operæ pretii investigare, cur potiùs de divitiis, quàm de aliis rebus hoc dictum sit, cùm multæ sint aliæ, quæ hominis salutem magis impediunt, ut ambitio, libido, iracundia. Ratio, ut ego quidem existimo, est; quia cæteræ res, etsi aliquos magis, tamen plerosque minùs impediunt, divitiæ verò ferè omnes retardant, quia omnes avaritiæ student, à minore usque ad majorem, Isaiæ 56, 11, et Jeremiæ 6, 13, et 8, 10, et de ipsis Evangelii prædicatoribus loquens D. Paulus ad Philipp. 2, 21, dixit: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Jesu Christi.*

Vers. 25. — Quis ergo poterit salvus esse? Quasi dicant, cùm omnes divitiis incumbant, et dives in regnum cœlorum introire non possit, quis salvus esse poterit? Marcus, c. 10, 26, ait apostolos hoc dixisse πρὸς ἑαυτούς inter se ipsos, id est, tacitè, ita ut ipsi soli audire possent, quod ideò notandum putavi, quia ex eo vers. 26 intelligendus est.

Vers. 26. — Aspiciens. Propterea, ut arbitror, Christus discipulos aspexit, ut indicaret se eorum cognovisse cogitationes, sermonesque, quamvis secretos, intellexisse; eò enim pertinet, quod Marcus, ut paulò ante annotavimus, scripsit apostolos hos inter se tantùm sermones mussitâsse.

Apud homines hoc impossibile est. Omnes evangelistæ in eo conveniunt, ut priori loco docent difficile esse divitem intrare in regnum cœlorum: secundo loco dicant impossibile esse. Quod magnum est argumentum eos non sententiam tantùm: sed verba etiam Christi recitâsse, Christumque voluisse sententiam suam magis exaggerando confirmare. Primùm enim simpliciter dixit difficile esse divitem in regnum cœlorum introire: secundo loco dixit facilius esse

Vers. 26. — Apud Deum omnia possibilia sunt. Potest Deus gratiæ suæ vi cupiditatem illam, abusum, corruptionem ab ipsis divitiis divellere, et contemptum earum impertiri.

camelum introire per foramen acûs. Tertio impossibile omninò esse, sed apud homines, non apud Deum.

Vers. 27. — Tunc respondens Petrus, id est, verba facere exorsus, eo hebraismo, quo, ut sæpè notavimus, respondere dicitur, quicumque loquitur, quamvis nemini interroganti, aut loquenti respondeat. Quanquàm hoc loco Petrus videri potest Christo priùs locuto respondisse.

Ecce nos reliquimus omnia. Causam cur hoc Petrus interrogaverit, nonnulli fuisse putant, quòd Christus adolescenti dixisset : *Vade, et vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* : Petrus verò de se, deque aliis apostolis dubitaverit, quale essent præmium habituri, quia, etsi sua omnia reliquerant, tamen nec vendiderant, nec pauperibus dederant; ita ut non viderentur Christi satisfecisse consilio, nec digni esse, ut promissum adolescenti in cœlo thesaurum consequerentur. Secùs, ut mihi videtur, potiùs apparet voluisse Petrum significare se aliosque apostolos fecisse jam, quod Christus ab adolescente illo postulaverat, quemadmodùm Origen., Hieronym., et Chrysost., existimant. Cur ergo dubitabat, *quid erit nobis?* cur non credebat se, cæterosque apostolos thesaurum in cœlo habituros? quia thesaurum Christus ideò adolescenti promiserat, quia possessiones multas relicturus erat; apostoli verò paucas, et exiguas, aut etiam nullas reliquerant; ideò thesaurum in cœlo sperare non audent : sed quia aliquem in cœlo gradum sperant, interrogant qualis, quantusve futurus sit. Nec illud probo, quod interpretes illi absolutè et sine exceptione pronuntiant apostolos bona sua non vendidisse, nec dedisse pauperibus. Nam etsi id in Scripturâ expressum non est, tamen est credibile, et apostolorum virtuti, perfectionique consentaneum aut omnes, aut aliquos vel omnia, vel aliqua ex iis quæ habebant, vendidisse, ac dedisse pauperibus, qui verò non vendiderunt, propinquis suis, quia verè pauperes erant, reliquisse, idque ex Petri interrogatione haud improbabili conjecturâ colligitur, cùm enim rogat : *Ecce nos reliquimus omnia; quid ergo erit nobis?* quamvis non dicat vendidimus, et pauperibus dedimus; intelligi tamen vult, quia significat se omnia fecisse, quæ Christus ab adolescente postulabat. Quemadmodùm versu sequenti Christus respondit : *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me.* Quamvis non dicat eos sua omnia reliquisse, intelligitur tamen. Dicet aliquis, quomodò Petrus, et reliqui apostoli fecerant, quod ab adolescente Christus requirebat, siquidem pauca quædam, et vilia reliquerant; ille autem possessiones multas, quas habebat, relinquere jubebatur. Respondet alicubi D. Gregorius, et ejus verbis Bernard., in declamatione in hæc verba : *Multum deseruit, qui voluntatem habendi dereliquit. A sequentibus tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt.*

Vers 28. — Vos qui secuti estis me. Non dicit reliquistis omnia; sed dicendo, quod majus erat, quod erat minus, intelligit, ut D. Hieronym. indicavit.

Vers. 27. — Reliquimus omnia. August., Epist. ad Paulinum : *Revera omnia contemnit, qui non solùm quantùm potuit, sed etiam quantùm voluit, habere contemnit.*

In regeneratione. D. Hilarius, et auctor Imperfecti, homil. 33, regenerationem baptismum interpretantur. Sic enim apud D. Paulum appellari ad Titum 3, 5, aut tempus, quo baptismus frequentandus erat post Christi resurrectionem, quasi dicat fore ut apostoli, cùm Ecclesia florere cœperit, in magnâ sint, sicut ipse, auctoritate. Sed manifestum est regenerationem hoc loco extremum judicium appellari, sive quia tunc totus mundus renovandus est, et quodammodò regenerandus, ut ait Joan., in Apocal., c. 21, 1 : *Vidi cœlum novum, et terram novam*, et vers. 5 : *Ecce nova facio omnia*, et D. Petrus, in secundâ epistolâ, cap. 3, 13 : *Novos verò cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus*, et Isaias, cap. 65, 17 : *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam*, et c. 66, 22 : *Sicut cœli novi, et terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum*, et D. Paulus ad Romanos 8, 21 : *Ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* : sive quia tunc mortalitatem exuti, induti verò immortalitatem regenerandi quodammodò homines sumus, ut D. Paulus ait, 2 ad Cor. 5, 4, *nam et, qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eò quòd nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur, quod mortale est, à vitâ*; et ad Philip. 3, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Sic D. Augustinus, libro 3 contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 5, et libro 4, cap. 11, et libro 2 contra Julianum, et Gregorius, libro 4 Moralium, cap. 23; Theophylactus et Euthymius, in commentariis, et D. Bernardus, in Declamatione, quam in hunc locum scripsit, et Gaudentius in Præfatione in Exodum.

Cum sederit filius hominis. D. Hilarius et auctor Imperfecti, qui per, regenerationem Baptismi vigorem et gloriam intelligunt, sedere filium hominis interpretantur non in tribunali ad judicandum; sed ad dexteram Patris, ubi paulò post resurrectionem in cœlum ascendens sedere cœpit. Chrysostomus verò, Euthymius, et Theophylactus, etsi id de judicio interpretantur; tamen non existimant ullam sedem neque Christi, neque apostolorum; sed solam gloriam, majestatemque significari, in quâ Christus, et secundùm illum Apostoli apparituri sunt. Non agi hic de Christi ad dexteram Patris sessione manifestum est, omnesque præter Hilarium, et auctorem Imperfecti interpretes dicunt, cùm de judicio Christus loquatur : *Sedebitis*, inquit, *et vos, judicantes duodecim tribus Israel* : quales autem et Christi, et apostolorum futuræ sint sedes, nec certum est, et est fortassè curiosum inquirere, et aliquid definire velle temerarium; sed temerarium non est conjecturas, quò nos ducunt, probabiliter sequi. Hanc igitur ego secutus et Christi et Apostolorum sedes nubes futuras arbitror, quia ubique Scripturam video dicere Christum in nube venturum, ut infra, cap. 24, 30. et 26, 64, et Apocalypsis 1, 7, et est vero simile in eâdem nube, quâ venturus est, sessurum esse. Id etiam ex alio loco Apocalyp. colligitur, c. 14, 14 : *Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, et in manu suâ falcem acutam.* De Christo enim loquitur Joan., cùm filium hominis appellet, et de extremo judicio, ut falx in manu sedentis declarat. Apostolorum autem sedes futuras esse similes indicat hoc loco Christus, *sedebitis*, inquit, *et vos super sedes duodecim*; quasi dicat, sicut ego, ita et vos sedebitis. De numero sedium dubitari potest, quomodò duodecim futuras esse dicat, cùm constet Judam unum è duodecim apostolis sessurum non esse. Itaque si undecim tantùm sedebunt, tantùm undecim erunt sedes. Si præter undecim apostolos, qui sessuri sunt, etiam Paulus, et Barnabas, qui postea ad Apostolatum extraordinarjè vocati fuerunt, sedebunt, non duodecim, sed tredecim erunt sedes. Respondent D. Augustinus, libro 20 de Civitate, cap. 5, et Beda, in Commentariis ad hunc locum, numerum certum, et finitum pro incerto, et infinito positum esse : quasi dicat, sedebitis unusquisque super sedem suam. Sed quia duodecim erant apostoli, qui-buscum loquebatur, dixit, super duodecim sedes, quasi etiam Judas sessurus esset; non quòd putaret esse sessurum; sed quòd si in officio perstitisset, sicut alii, sessurus fuisset : quemadmodùm D. Chrysostomus annotavit. Loquitur enim Christus, ut theologi dicunt, secundùm præsentem justitiam, et non tam de personis quàm de personarum statu : quasi dicat apostolorum officium hoc habere propositum præmium, ut qui eo benè functus fuerit, super sedem in judicio sessurus sit, et cæteros judicaturus.

Judicantes. Non displicet interpretatio Hieronymi, etsi nonnullis displicere video, qui judicare hoc loco accipit pro condemnare. Quo autem modo judicaturi apostoli sint, vix nobis compertum esse potest : quemadmodùm magni quidam theologi dixerunt. Communis multorum opinio est eos non aliter, quàm per comparationem judicaturos, quia illis credentibus cæteri Judæi credere noluerunt, quemadmodùm viri Ninivitæ surgent in judicio contra generationem hanc, quia in prædicatione Jonæ pœnitentiam egerunt; hæc autem generatio Christo prædicante noluit agere pœnitentiam, et regina Austri dicitur Judæos condemnatura, quia *venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plusquàm Salomon hic*, cap. 12, 41, 42, sic Hieronym., auctor Imperfecti, et alii plerique interpretantur. Nonnulli verò theologi, quia plus apostolis hoc loco, quàm Ninivitis, et reginæ Austri Christus videtur promittere voluisse, dixerunt apostolos judicaturos non per comparationem solùm, sed tanquàm ministros, et quasi præcones Christi ejus sententiam promulgantes. Alii judicaturos esse tanquàm Christi consiliarios, sicut ii, qui judici assident, dicuntur etiam judicare. Quod eò mihi minùs placet, quod ab hæreticorum interpretibus profectum video, et *quis consiliarius ejus fuit?* mihi illud certum videtur esse apostolos non per comparationem tantùm, sed modo aliquo honorificentiore esse judicaturos, quia per comparationem non solùm justi omnes, sed multi etiam peccatores, et injusti magis injustos judicabunt, sicut Ninivitæ Judæos; et manifestum est aliquid hic apostolis tribui, quod non solùm injustis, sed ne justis quidem omnibus concessum sit. Quis autem ille honorificentior modus sit, mea hæc est opinio, quam neminem sequi ego; apostolos judicaturos, tanquàm doctores, tanquàm testes accusantes quodammodò eos, qui sibi Evangelium prædicantibus, et salutis viam docentibus credere noluerunt : condemnabunt enim eos convincentes eorum incredulitatem, dicentesque fecisse se, ut illi crederent, et salvi essent, quidquid potuerunt. Quemadmodùm de Moyse Christus dicit, Joannis 5, 45 : *Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses.* Moysen enim dicit eos accusare, non quòd verbis accenset; sed quòd nec illi credere, nec ejus legem servare voluerint. Idem de apostolis dicit, quia sicut Moyses veteris Testamenti legislator, et doctor; ita apostoli novi doctores fuerunt. Quod ergo illic dicit accusare, hic dicit judicare. Ergo et Moyses, dicet aliquis, sedebit super sedem, et duodecim tribus judicabit? fortassè; quid enim absurdi est? tamen non sequitur necessariò; quia Christus hunc honorem non omni doctori concedit; sed illis, qui relictis omnibus rebus se propter Evangelium pauperes secuti sunt. Quid ergo, an soli apostoli sedebunt? Origenes, tractatu in Matthæum 8; D. August., lib. 20 de Civitate, c. 5; Cyrilli Alexandrini, in Commentariis in c. 60 Isaiæ, opinionem probabilem esse non nego, eamque secutus sum aliquando, omnes, qui idem fecerint, id est, propter Evangelium bona sua vendiderint, et pauperibus dederint, eumdem esse honorem habituros. Sed mihi videtur esse hic honor promissus non solùm, quia Evangelii doctores; sed quia primi fuerunt, per quos promulgatum est Evangelium; quemadmodùm non omnes, qui veterem legem docuerunt; sed solus, qui primus docuit.

Duodecim tribus Israel. Similis huic oritur quæstio, cur duodecim tantùm tribus apostoli dicantur judicaturi; cùm tredecim essent tribus, si Levitica etiam numeretur; quæ haud dubiè est judicanda, et non solis Judæis; sed etiam gentibus Evangelium prædicaretur, ex quibus multi obstinati non crediderunt. His etiam Augustinus, et Beda respondent, numerum certum pro incerto positum. Id probo; rationem quam afferunt, non probo, quia, inquiunt, duodenarius numerus perfectionem universitatemque significat : quasi sensus sit universos homines judicaturos. Cur enim potiùs duodenario, quàm septenario, aut denario usus est numero, qui et ipsi universitatem solent significare? Causam ergo fuisse arbitror, quòd Christus accommodatè ad eos, quibuscum loquebatur, et ad eos, de quibus loquebatur, locutus sit. Loquebatur cum apostolis, qui duodecim erant; loquebatur de Judæis, inter quos erat, et ad quos inprimis venerat, et, cum quibus volebat apostolos comparare : quasi si eos illis præferret, omnibus præferret. Judæorum

autem, etsi tredecim re quidem ipsâ erant tribus, tamen quia Levitica quasi exempta ex numero erat, et Deo primogenitorum loco data, non numerabatur : quasi non jam ad homines, sed ad Deum pertineret : ideòque duodecim tantùm tribus solebant nominari. Intelligit ergo Christus non solùm duodecim apostolos, sed etiam tredecim Paulo et Barnabæ numeratis, excluso verò Judâ, esse judicaturos non solùm duodecim tribus, sed omnes etiam gentes, quibus Evangelium prædicaverunt. Alia etiam est ratio, cur duodecim tribus nominaverit : quia gentes, quæ Evangelio crediderunt, quasi in populum Judaicum insertæ sunt, et veluti civitate donatæ, ut non jam gentes, sed Judæi, id est, confitentes, credentesque appellarentur in duodecim tribus coptatæ, sicut disputat D. Paulus ad Romanos 11, 17, 19 et 24 : *Cum elevater*, inquit, *esses*, id est, gentilis, *insertus es in illis*, id est, in populum Judaicum ; et rursùs : *Fracti sunt rami, ut ego inserar*, id est, Judæi non credentes gentiles reputati sunt, ego gentilis cùm essem, credendo Judæus factus sum. Hæc eadem est causa, cur D. Joannes in Apocalyp. omnium prædestinatorum numerum ad duodecim tribus Israel revocaverit : *Ex tribu*, inquit, *Judâ duodecim millia signati*, etc. ; c. 7, 5, et in portis cœlestis Jerusalem, quam c. 21, 12, describit, nomina duodecim tribuum Israel scripta se vidisse dixerit. Itaque Theophylacti et Euthymii non probo sententiam, qui existimant apostolos solos esse Judæos judicaturos.

Vers. 29. — Et omnis qui reliquerit. Chrysost., auctor Imperfecti, et Theophylactus putant hanc esse sententiam, ut omnes, qui idem fecerunt, eumdem honorem recipiant. Origenes verò, cujus opinionem probabiliorem arbitror, existimat Christum de alio inferiori hominum gradu disserere voluisse. Dixerat ante de iis, qui omnia sua bona vendidissent, dedissentque pauperibus, seque pauperes facti secuti essent : dicit nunc de iis, qui non omnia quidem sua aut vendiderint, aut pauperibus dederint, aut se in similitudinem apostolorum secuti fuerint, sed tamen propter se aliquid reliquerint, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut uxorem, aut liberos, aut domum, aut agrum ; illis enim non tantum quidem, quantum apostolis honorem pollicetur : sed magnum tamen præmium promittit, fore ut centuplum accipiant, et vitam æternam possideant. De uxore, quomodò propter Christum relinqui possit, nonnulli dubitant, quia dissolvi non potest matrimonium. Respondet Chrysostom. et Euthymius ita dictum esse, *qui reliquerit uxorem, centuplum accipiet*, etc., sicut dictum est c. 10, 39, et 16, 25 : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Non ergo vult Christus matrimonium dissolvi, sed vult se uxori præferri, et, si uxor virum impedit, quominùs Christum sequatur, uxorem relinqui, non matrimonio dissoluto, sed facto divortio. Vult, ut maritus potiùs uxorem quàm Christum perdat ; vult spiritualia carnalibus anteponi, ut Fulgentius, epistolâ 2 de statu viduali, interpretatur. Quanquàm et de matrimonii inter gentes dissolutione interpretari possumus quorum alter si factus christianus sit, alterque fieri christianus nolit, neque cum christiano sine religionis injuriâ habitare, christianus potest non christianum dissoluto matrimonio derelinquere, ut 1 ad Cor. 7, 15, docet D. Paul., sed generalis sententia ad unam speciem restringi non debet.

Centuplum accipiet, id est, infinitis partibus plura ac meliora, sicut dixit D. Paul. ad Rom. 8, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Numerus ergo finitus pro infinito positus est, ut constat ex Lucâ, c. 18, 30, qui non centuplum, sed *multò plura* accepturum dixit. Idem Lucas et Marcus, c. 10, 30, addiderunt, *nunc in tempore hoc*, quod verbum, ut ait Hieronym., Millenariis antiquis hæreticis occasionem præbuit suum errorem confirmandi, futuros post resurrectionem mille annos, quibus justi pro singulis rebus quas in hâc vitâ reliquissent, centenas essent accepturi, quos Hieronymus ita refellit : *Non intelligentes*, inquit, *quòd, si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo ; ut, qui unam pro domino dimiserit, centum recipiat in futuro*. Itaque idem Hieronym., et cum secutus Beda, bonaque pars posteriorum interpretum sensum esse putant fore *ut qui carnalia*, ut Hieronymi verbis utar, *pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiat, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur*. Quibus repugnat quod Marcus dicit non solùm centuplum in hoc seculo accepturum, sed etiam explicat quibus in rebus accepturus sit : *domos*, inquit, *et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros*. Propterea Origenes, auctor Imperfecti, Theophyl. et Euthym., interpretantur centuplum in hoc seculo accepturum, quia omnia inter Christianos communia quodammodò charitas facit ; omnes enim viros fratres esse, omnes feminas sorores, omnia bona communia, ut inter primos Christianos fuisse legimus Actorum 4, 35. At quomodò communes uxores, quæ inter Christianos maximè sunt propriæ ? Quanquàm dici potest charitate omnes uxores communes esse, quia ita omnes Christianos in Domino sicut viros suos diligunt. Sed ego tamen aliter interpretor centuplum recepturum, *et domos, et fratres, et matres, et filios*, etc., non quòd ista recepturus sit ; sed Christum, qui ei instar est omnium, quique nobis et pater, et mater, et frater, et soror, et uxor, et liberi, et domus, et possessio esse debet, sicut ipsemet docuit c. 12, 49, 50 : *Ecce mater mea et fratres mei ; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror, et mater est*. Adnotavit D. Bernard., in declamatione in hunc locum, hoc Christum apostolis non dixisse, propterea quòd domos et agros, quos non relicturus magna et multa est accepturus. *Centuplum accipiet* non in bonis temporalibus, sed in cœlesti delectatione, et in firmâ spe æternæ beatitudinis.

Vers. 26. — Centuplum accipiet, multò plura est accepturus, tranquillitatem videlicet animi, spem magnam salutis, internas consolationes ; parva et pauca

habebant, non reliquissent. At certè patrem et retia, quæ habebant, reliquerant, et ad primum verbum vocantem Christum secuti fuerant, c. 4, 22. Propterea ergo hoc illis non dixit, quia majora fecerant, illisque majora promiserat ; *sedebitis*, inquit, *et vos super sedes duodecim*, etc.

Vers. 30. — Multi autem erunt novissimi primi. Non apparet quorsùm hoc Christus adjunxerit. Chrysost. et Euthym. existimant ideò addidisse, ut homines ad sequendam evangelicam perfectionem proposito singulari præmio magis accenderet. Aliam etiam nobis causam suspicari licet, ne Apostoli nimiâ securitate confiderent ; propterea quòd omnium primi vocati fuissent ; sed sic currerent, non quasi in incertum, sic pugnarent, non quasi aerem verberantes ; sed castigarent corpus suum, et in servitutem redigerent, ne, cùm aliis prædicarent, ipsi reprobi efficerentur, ut de se ait D. Paulus, 1 ad Cor. 9, 26, 27. Quæ autem esset horum verborum sententia, nemo dubitare posset, nisi eam, ut solent, hæreticorum interpretes, pervertissent, dicentes prævidisse Christum futuros multos, id est, omnes Catholicos, qui operibus bonis confiderent, illisque existimarent se vitam æternam promereri, ideòque primos inter Christianos se esse ducerent ; in judicio autem omnium ultimi futuri essent, id est, à regno cœlorum penitùs excludendi ; arroganter enim Petrum meritis confisum dixisse : *Ecce nos reliquimus omnia*. Non erat dignus tam absurdus error confutatione ; sed expedit ut lector hæreticorum interpretum perversitatem investigat. Primùm, cùm Christus dicit : *Erunt primi novissimi*, manifestum est non appellare primos eos qui aut opinione suâ, aut dignitate et meritis primi sunt ; sed qui primi vocati fuerunt, et ad vineam domini venerunt, ut subjectâ statim parabolâ declarat, c. 20, 16. Isti autem boni interpretes primos vocari putant, qui aut meritis primi sint, aut primi sibi esse videantur ; perinde prorsùs atque si nigrum album interpretentur. Deinde istorum opinione omnes *primi erunt novissimi*, id est, omnes à regno cœlorum excludentur, quia omnes, qui putant se vitam æternam mereri, primi sunt, et omnes à regno cœlorum excludentur ; at Christus non dicit omnes ; sed *multi erunt primi novissimi*, indicans aliquos, qui primi fuerunt, primos etiam, cùm denarius solvetur, futuros esse. Itaque non potuerunt isti quidquam dicere magis Christi menti et consilio contrarium ; denique Christus non dicit multos primos futuros nullos in regno cœlorum, id est, excludendos esse ; sed futuros novissimos, id est, minores multis, qui post illos venerunt. Loquitur enim de iis qui omnes denarium acceperunt ; sed qui ultimi venerant primo loco, ut sequenti parabolâ declaratur. Nam quod Basilius putat, in Reg. brevior., interr. 255, cùm dictum est, cap. seq. 14, operario illi querenti : *Tolle quod tuum est, et vade*, jussum esse in infernum ire, meritò nemini, quod sciam, probatum est ; sed scilicet apud Calvinistas istud est egregium Scripturæ interpretem esse Apostolos accusare, Christi mentem torquere, sensumque pervertere.

Vers. 30. — Multi erunt primi novissimi, quod fortè ad eos pertinet qui omnia reliquerunt actu, non affectu ; vel potiùs, multi qui nunc opibus præstant, erunt vilissimi, et contra Judæi qui se populum Dei jactabant, infimo loco futuros insinuat.

CAPUT XX.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

4. Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter.

6. Circa undecimam verò exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis totâ die otiosi ?

7. Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam.

8. Cùm serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.

9. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi ; acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

CHAPITRE XX.

1. Le royaume des cieux est semblable à un homme, père de famille, qui sortit dès le point du jour, afin de louer des ouvriers pour sa vigne.

2. Et étant convenu avec les ouvriers de leur donner un denier pour leur journée, il les envoya à sa vigne.

3. Il sortit de même sur la troisième heure ; et en ayant vu d'autres qui se tenaient dans la place sans rien faire ;

4. Il leur dit : Allez-vous-en aussi à ma vigne, et je vous donnerai ce qui sera juste :

5. Et ils s'y en allèrent. Il sortit encore sur la sixième et sur la neuvième heure, et il fit la même chose.

6. Enfin il sortit sur la onzième heure ; et en ayant trouvé d'autres qui se tenaient là, il leur dit : Pourquoi demeurez-vous là tout le long du jour sans travailler ?

7. C'est, lui dirent-ils, que personne ne nous a loués. Et il leur dit : Allez-vous-en aussi à ma vigne.

8. Or le soir étant venu, le maître de la vigne dit à son intendant : Appelez les ouvriers, et payez-les en commençant depuis les derniers jusqu'aux premiers.

9. Ceux donc qui étaient venus sur la onzième heure, s'étant approchés, reçurent chacun un denier.

10. Ceux qui avaient été loués les premiers, venant à leur tour, s'imaginèrent qu'on leur donnerait davantage ; mais ils ne reçurent néanmoins que chacun un denier ;

autem, etsi tredecim re quidem ipsâ erant tribus, tamen quia Levitica quasi exempta ex numero erat, et Deo primogenitorum loco data, non numerabatur : quasi non jam ad homines, sed ad Deum pertineret : ideòque duodecim tantùm tribus solebant nominari. Intelligit ergo Christus non solùm duodecim apostolos, sed etiam tredecim Paulo et Barnabæ numeratis, excluso verò Judâ, esse judicaturos non solùm duodecim tribus, sed omnes etiam gentes, quibus Evangelium prædicaverunt. Alia etiam est ratio, cur duodecim tribus nominaverit : quia gentes, quæ Evangelio crediderunt, quasi in populum Judaicum insertæ sunt, et veluti civitate donatæ, ut non jam gentes, sed Judæi, id est, confitentes, credentesque appellarentur in duodecim tribus coptatæ, sicut disputat D. Paulus ad Romanos 11, 17, 19 et 24 : *Cum elevater*, inquit, *esses*, id est, gentilis, *insertus es in illis*, id est, in populum Judaicum ; et rursùs : *Fracti sunt rami, ut ego inserar*, id est, Judæi non credentes gentiles reputati sunt, ego gentilis cùm essem, credendo Judæus factus sum. Hæc eadem est causa, cur D. Joannes in Apocalyp. omnium prædestinatorum numerum ad duodecim tribus Israel revocaverit : *Ex tribu*, inquit, *Judâ duodecim millia signati*, etc. ; c. 7, 5, et in portis cœlestis Jerusalem, quam c. 21, 12, describit, nomina duodecim tribuum Israel scripta se vidisse dixerit. Itaque Theophylacti et Euthymii non probo sententiam, qui existimant apostolos solos esse Judæos judicaturos.

Vers. 29. — Et omnis qui reliquerit. Chrysost., auctor Imperfecti, et Theophylactus putant hanc esse sententiam, ut omnes, qui idem fecerunt, eumdem honorem recipiant. Origenes verò, cujus opinionem probabiliorem arbitror, existimat Christum de alio inferiori hominum gradu disserere voluisse. Dixerat ante de iis, qui omnia sua bona vendidissent, dedissentque pauperibus, seque pauperes facti secuti essent : dicit nunc de iis, qui non omnia quidem sua aut vendiderint, aut pauperibus dederint, aut se in similitudinem apostolorum secuti fuerint, sed tamen propter se aliquid reliquerint, aut patrem, aut matrem, aut fratres, aut sorores, aut uxorem, aut liberos, aut domum, aut agrum ; illis enim non tantum quidem, quantum apostolis honorem pollicetur : sed magnum tamen præmium promittit, fore ut centuplum accipiant, et vitam æternam possideant. De uxore, quomodò propter Christum relinqui possit, nonnulli dubitant, quia dissolvi non potest matrimonium. Respondet Chrysostom. et Euthymius ita dictum esse, *qui reliquerit uxorem, centuplum accipiet*, etc., sicut dictum est c. 10, 39, et 16, 25 : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Non ergo vult Christus matrimonium dissolvi, sed vult se uxori præferri, et, si uxor virum impedit, quominùs Christum sequatur, uxorem relinqui, non matrimonio dissoluto, sed facto divortio. Vult, ut maritus potiùs uxorem quàm Christum perdat ; vult spiritualia carnalibus anteponi, ut Fulgentius, epistolâ 2 de statu viduali, interpretatur. Quanquàm et de matrimonii inter gentes dissolutione interpretari possumus quorum alter si factus christianus sit, alterque fieri christianus nolit, neque cum christiano sine religionis injuriâ habitare, christianus potest non christianum dissoluto matrimonio derelinquere, ut 1 ad Cor. 7, 15, docet D. Paul., sed generalis sententia ad unam speciem restringi non debet.

Centuplum accipiet, id est, infinitis partibus plura ac meliora, sicut dixit D. Paul. ad Rom. 8, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Numerus ergo finitus pro infinito positus est, ut constat ex Lucâ, c. 18, 30, qui non centuplum, sed *multò plura* accepturum dixit. Idem Lucas et Marcus, c. 10, 30, addiderunt, *nunc in tempore hoc*, quod verbum, ut ait Hieronym., Millenariis antiquis hæreticis occasionem præbuit suum errorem confirmandi, futuros post resurrectionem mille annos, quibus justi pro singulis rebus quas in hâc vitâ reliquissent, centenas essent accepturi, quos Hieronymus ita refellit : *Non intelligentes*, inquit, *quòd, si in cæteris digna sit repromissio, in uxoribus appareat turpitudo ; ut, qui unam pro domino dimiserit, centum recipiat in futuro*. Itaque idem Hieronym., et cum secutus Beda, bonaque pars posteriorum interpretum sensum esse putant fore *ut qui carnalia*, ut Hieronymi verbis utar, *pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiat, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur*. Quibus repugnat quod Marcus dicit non solùm centuplum in hoc seculo accepturum, sed etiam explicat quibus in rebus accepturus sit : *domos*, inquit, *et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros*. Propterea Origenes, auctor Imperfecti, Theophyl. et Euthym., interpretantur centuplum in hoc seculo accepturum, quia omnia inter Christianos communia quodammodò charitas facit ; omnes enim viros fratres esse, omnes feminas sorores, omnia bona communia, ut inter primos Christianos fuisse legimus Actorum 4, 35. At quomodò communes uxores, quæ inter Christianos maximè sunt propriæ ? Quanquàm dici potest charitate omnes uxores communes esse, quia ita omnes Christianos in Domino sicut viros suos diligunt. Sed ego tamen aliter interpretor centuplum recepturum, *et domos, et fratres, et matres, et filios*, etc., non quòd ista recepturus sit ; sed Christum, qui ei instar est omnium, quique nobis et pater, et mater, et frater, et soror, et uxor, et liberi, et domus, et possessio esse debet, sicut ipsemet docuit c. 12, 49, 50 : *Ecce mater mea et fratres mei ; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror, et mater est*. Adnotavit D. Bernard., in declamatione in hunc locum, hoc Christum apostolis non dixisse, propterea quòd domos et agros, quos non relicturus magna et multa est accepturus. *Centuplum accipiet* non in bonis temporalibus, sed in cœlesti delectatione, et in firmâ spe æternæ beatitudinis.

Vers. 26. — Centuplum accipiet, multò plura est accepturus, tranquillitatem videlicet animi, spem magnam salutis, internas consolationes ; parva et pauca

habebant, non reliquissent. At certè patrem et retia, quæ habebant, reliquerant, et ad primum verbum vocantem Christum secuti fuerant, c. 4, 22. Propterea ergo hoc illis non dixit, quia majora fecerant, illisque majora promiserat ; *sedebitis*, inquit, *et vos super sedes duodecim*, etc.

Vers. 30. — Multi autem erunt novissimi primi. Non apparet quorsùm hoc Christus adjunxerit. Chrysost. et Euthym. existimant ideò addidisse, ut homines ad sequendam evangelicam perfectionem proposito singulari præmio magis accenderet. Aliam etiam nobis causam suspicari licet, ne Apostoli nimiâ securitate confiderent ; propterea quòd omnium primi vocati fuissent ; sed sic currerent, non quasi in incertum, sic pugnarent, non quasi aerem verberantes ; sed castigarent corpus suum, et in servitutem redigerent, ne, cùm aliis prædicarent, ipsi reprobi efficerentur, ut de se ait D. Paulus, 1 ad Cor. 9, 26, 27. Quæ autem esset horum verborum sententia, nemo dubitare posset, nisi eam, ut solent, hæreticorum interpretes, pervertissent, dicentes prævidisse Christum futuros multos, id est, omnes Catholicos, qui operibus bonis confiderent, illisque existimarent se vitam æternam promereri, ideòque primos inter Christianos se esse ducerent ; in judicio autem omnium ultimi futuri essent, id est, à regno cœlorum penitùs excludendi ; arroganter enim Petrum meritis confisum dixisse : *Ecce nos reliquimus omnia*. Non erat dignus tam absurdus error confutatione ; sed expedit ut lector hæreticorum interpretum perversitatem investigat. Primùm, cùm Christus dicit : *Erunt primi novissimi*, manifestum est non appellare primos eos qui aut opinione suâ, aut dignitate et meritis primi sunt ; sed qui primi vocati fuerunt, et ad vineam domini venerunt, ut subjectâ statim parabolâ declarat, c. 20, 16. Isti autem boni interpretes primos vocari putant, qui aut meritis primi sint, aut primi sibi esse videantur ; perinde prorsùs atque si nigrum album interpretentur. Deinde istorum opinione omnes *primi erunt novissimi*, id est, omnes à regno cœlorum excludentur, quia omnes, qui putant se vitam æternam mereri, primi sunt, et omnes à regno cœlorum excludentur ; at Christus non dicit omnes ; sed *multi erunt primi novissimi*, indicans aliquos, qui primi fuerunt, primos etiam, cùm denarius solvetur, futuros esse. Itaque non potuerunt isti quidquam dicere magis Christi menti et consilio contrarium ; denique Christus non dicit multos primos futuros nullos in regno cœlorum, id est, excludendos esse ; sed futuros novissimos, id est, minores multis, qui post illos venerunt. Loquitur enim de iis qui omnes denarium acceperunt ; sed qui ultimi venerant primo loco, ut sequenti parabolâ declaratur. Nam quod Basilius putat, in Reg. brevior., interr. 255, cùm dictum est, cap. seq. 14, operario illi querenti : *Tolle quod tuum est, et vade*, jussum esse in infernum ire, meritò nemini, quod sciam, probatum est ; sed scilicet apud Calvinistas istud est egregium Scripturæ interpretem esse Apostolos accusare, Christi mentem torquere, sensumque pervertere.

Vers. 30. — Multi erunt primi novissimi, quod fortè ad eos pertinet qui omnia reliquerunt actu, non affectu ; vel potiùs, multi qui nunc opibus præstant, erunt vilissimi, et contra Judæi qui se populum Dei jactabant, infimo loco futuros insinuat.

CAPUT XX.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

4. Et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterùm autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter.

6. Circa undecimam verò exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis totâ die otiosi ?

7. Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam.

8. Cùm serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.

9. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi ; acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

CHAPITRE XX.

1. Le royaume des cieux est semblable à un homme, père de famille, qui sortit dès le point du jour, afin de louer des ouvriers pour sa vigne.

2. Et étant convenu avec les ouvriers de leur donner un denier pour leur journée, il les envoya à sa vigne.

3. Il sortit de même sur la troisième heure ; et en ayant vu d'autres qui se tenaient dans la place sans rien faire ;

4. Il leur dit : Allez-vous-en aussi à ma vigne, et je vous donnerai ce qui sera juste :

5. Et ils s'y en allèrent. Il sortit encore sur la sixième et sur la neuvième heure, et il fit la même chose.

6. Enfin il sortit sur la onzième heure ; et en ayant trouvé d'autres qui se tenaient là, il leur dit : Pourquoi demeurez-vous là tout le long du jour sans travailler ?

7. C'est, lui dirent-ils, que personne ne nous a loués. Et il leur dit : Allez-vous-en aussi à ma vigne.

8. Or le soir étant venu, le maître de la vigne dit à son intendant : Appelez les ouvriers, et payez-les en commençant depuis les derniers jusqu'aux premiers.

9. Ceux donc qui étaient venus sur la onzième heure, s'étant approchés, reçurent chacun un denier.

10. Ceux qui avaient été loués les premiers, venant à leur tour, s'imaginèrent qu'on leur donnerait davantage ; mais ils ne reçurent néanmoins que chacun un denier ;

11. Et accipientes murmurabant adversùs patrem familiàs.

12. Dicentes : Hi novissimi unà horà fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstûs.

13. At ille respondens uni eorum, dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ?

14. Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo facere ? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?

16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi : multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

17. Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, et ait illis :

18. Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte,

19. Et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, et tertiâ die resurget.

20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis adorans, et petens aliquid ab eo.

21. Qui dixit ei : Quid vis ? Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo.

22. Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? Dicunt ei : Possumus.

23. Ait illis : Calicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister ;

27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus :

28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis.

29. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa.

30. Et ecce duo cæci sedentes secùs viam, audierunt quia Jesus transiret, et clamaverunt, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.

31. Turba autem increpabat eos, ut tacerent : at illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David.

32. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis ?

33. Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri.

11. Et en le recevant, ils murmuraient contre le père de famille,

12. En disant : Ces derniers n'ont travaillé qu'une heure, et vous leur avez donné autant qu'à nous qui avons porté le poids du jour et de la chaleur.

13. Mais il répondit à l'un d'eux : Mon ami, je ne vous fais point de tort ; n'êtes-vous pas convenu avec moi d'un denier ?

14. Prenez ce qui vous appartient, et vous en allez ; pour moi, je veux donner à ce dernier autant qu'à vous.

15. Ne m'est-il donc pas permis de faire ce que je veux ? et votre œil est-il mauvais, parce que je suis bon ?

16. Ainsi les derniers seront les premiers, et les premiers seront les derniers ; car beaucoup sont appelés, mais peu sont élus.

17. Or Jésus s'en allant à Jérusalem, prit en particulier ses douze disciples, et il leur dit :

18. Voilà que nous allons à Jérusalem ; et le Fils de l'homme sera livré aux princes des prêtres et aux scribes, qui le condamneront à mort.

19. Et le livreront aux gentils, afin qu'ils le traitent avec dérision, qu'ils le fouettent et le crucifient : et il ressuscitera le troisième jour.

20. Alors la mère des enfants de Zébédée s'approcha de lui avec ses fils, et l'adora, en témoignant qu'elle voulait lui demander quelque chose.

21. Il lui dit : Que voulez-vous ? Elle lui répondit : Ordonnez que mes deux fils que voici soient assis dans votre royaume, l'un à votre droite, et l'autre à votre gauche.

22. Mais Jésus répondit : Vous ne savez ce que vous demandez ; pouvez-vous boire le calice que je dois boire ? Nous le pouvons, lui dirent-ils.

23. Jésus leur repartit : Il est vrai que vous boirez le calice que je boirai, mais pour ce qui est d'être assis à ma droite ou à ma gauche, ce n'est point à moi à vous le donner, mais ce sera pour ceux à qui mon Père l'a préparé.

24. Les dix autres ayant entendu ceci, s'indignèrent contre les deux frères.

25. Mais Jésus les appela à lui, et leur dit : Vous savez que les princes des nations dominent sur elles ; et que ceux qui sont les plus puissants parmi eux les traitent avec empire.

26. Il n'en doit pas être de même parmi vous ; mais que celui qui voudra être le plus grand parmi vous soit votre serviteur ;

27. Et que celui qui voudra être le premier parmi vous soit votre esclave ;

28. Comme le Fils de l'homme, qui n'est pas venu pour être servi, mais pour servir, et pour donner sa vie pour la rédemption de plusieurs.

29. Lorsqu'ils sortaient de Jéricho, il fut suivi d'une grande troupe de peuple.

30. Et deux aveugles, qui étaient assis le long du chemin, ayant entendu dire que Jésus passait, se mirent à crier : Seigneur, fils de David, ayez pitié de nous.

31. Et comme le peuple les reprenait pour les faire taire, ils se mirent à crier encore plus haut, en disant : Seigneur, fils de David, ayez pitié de nous.

32. Alors Jésus s'arrêta ; et les ayant appelés, il leur dit : Que voulez-vous que je vous fasse ?

33. Ils lui dirent : Seigneur, que vous nous ouvriez les yeux.

34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt et secuti sunt eum.

34. Jésus étant donc ému de compassion à leur égard, leur toucha les yeux, et au même moment ils recouvrèrent la vue, et le suivirent.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, id est, ita se habet regnum cœlorum, quemadmodùm si quis paterfamiliàs exiret primo mane conducere operarios in vineam suam. Non enim regnum cœlorum homini comparat, sed domui patrisfamiliàs, homines operarios, et negotium negotio simile esse dicit, id est, quod accidit in regno cœlorum, et quod accidit in vineâ patrisfamiliàs ; quemadmodùm, c. 11, 16, ex Hugone explicavimus, qui id optimè omnium, et nescio an primus adnotavit. Regnum autem cœlorum hoc loco, aut solam militantem Ecclesiam, ut plerique, aut militantem simul et triumphantem, ut nonnulli, interpretari possumus. Nam in militante operarii conducuntur, in triumphante denarius solvitur. Tota parabola, quæ usque ad versum 16 extenditur, facilis est ; duo tantùm in illâ sunt quæ difficultatem habent : alterum, quò tota spectet parabola, id est, quorsùm proposita sit ; alterum, quæ sint ejus partes necessariæ, et veluti propriæ, quæ ad sensum aliquid conferant, et quomodò intelligendæ. Hæc igitur duo nunc explicabimus, et necesse non erit usque ad versum 16, ut solemus, verba percurrere. Hæretici cùm variis modis exponant quorsùm tota parabola tendat, et quis sit, ut ipsi loquuntur, illius scopus, nemo eorum scopum attigit. Nonnulli dicunt nihil aliud Christum declarare voluisse, quàm æqualem futuram omnium beatorum gloriam, quia non propter merita, sed gratis dabitur, quemadmodùm videtur versu 10 significari, ubi eumdem omnes operarii denarium accipiunt. Credo istos non tam certo animi sensu hoc dixisse, quàm metu, ne, si non dicerent, omnes ex hoc loco, ut verba præ se ferunt, merita probarent, et voluerunt veritatem impudentiâ prævenire. Bene est quòd ista interpretatio magno ipsorum magistro Calvino non placuit. Quanquàm ideò, ut opinor, non placuit, ut perniciosiorem adhiberet, et suum de reprobatione errorem confirmaret, quasi nihil aliud probare Christus voluerit, quàm Deum posse et solere reprobare pro suo arbitrio quos vult. Sunt etiam inter Catholicos qui hùc tantùm spectare parabolam putent, ut probet Christus Deum præter omnium opinionem aliis plus, aliis minùs quàm sperabant daturum esse. Mihi non videtur alio interprete quàm ipso evangelistâ opus esse. Dixerat, c. præcedenti extremo : *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi ;* adjecit statim parabolam ; ergo hoc est quod totâ parabolâ significare ac probare voluit, multos, qui primi fuissent, novissimos, multos, qui novissimi, primos futuros esse. Id etiam ex conclusione parabolæ versu 16 perspicuum est, ubi concludendo eadem repetit verba : *Sic*, inquit, *erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Firmat hanc opinionem, quòd in Græcis codicibus, et nonnullis etiam manuscriptis Latinis, initio capitis, causalis particula ponatur ad hunc modum : *Simile enim est regnum cœlorum homini patrifamiliàs ;* unde perspicitur Christum per hanc parabolam præcedentem illam sententiam probare voluisse : *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Itaque non debuit caput hoc 20 à præcedente distingui, ne inchoata abrumperetur sententia, sed versu potiùs sequenti 17, ubi novum argumentum Christus orditur. Verùmtamen quisquis primus capita distinxit, hoc non animadvertit. Non opus esset hâc tam benè confirmatâ sententiâ hæreticorum interpretationem refutare, nisi publicè interesset Ecclesiæ, ut eorum ignorantiam simul et malignitatem omnes cognoscerent. Tantùm abest ut docere Christus voluerit, quòd illi fingunt, æqualem omnium beatorum futuram gloriam, quia non meritis, sed gratis datur ; ut contrarium omninò probare voluerit non omnium gloriam æqualem futuram esse, quia non gratis, sed meritis datur : quod autem datur meritis, non æqualiter omnibus, sed aliis plus, aliis minùs, pro cujusque meritis, datur. Id ita esse primùm ex propositione, ad quam probandam inducta parabola est, planè intelligitur. Propositio verò est : *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Ibi autem de meritis et præmiis agebat ; unde ejus propositionis occasio sumpta est. Dixerat enim Christus adolescenti : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*, hoc meritum est, *et habebis thesaurum in cœlo*, hoc præmium est. Dixerat Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te ; quid ergo erit nobis ?* præmium utique pro meritis postulat. Responderat Christus : *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*, præmium utique promittit. Adjunxit et generalem sententiam : *Quicumque reliquerit domum, vel fratres, etc.*, et hoc meritum est, *centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*, et hoc præmium. Adjecit continenter : *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi ;* significat ergo propterea multos primos novissimos futuros esse, quia quamvis primi venerunt ad vineam, minùs tamen laboraverunt, ideòque minorem mercedem meruerunt. Deinde ipsum initium parabolæ hæreticos refellit : *Exiit*, inquit, *primo mane conducere operarios ;* operarius enim est, qui propter mercedem, quam labore suo meretur, laborat, et *conducere* verbum justitiæ, id est, meriti et mercedis, est. Conducimus sia, fidelis quisque est velut palmes ; operarii vocantur et conducuntur, prophetæ et apostoli ; procurator domûs est Christus ipse, qui unicuique operario mercedem tribuit.

Vers. 1. — Simile est. Gr. : *Simile est enim ;* superioris sententiæ quasi ratio redditur. Paterfamiliàs Deus est, forum mundus, in quo ante vocationem Dei omnes erant penè otiosi et inutiles ; vinea est Eccle-

enim pactâ pro meritis mercede ; et versu 21 : *Conventione autem*, inquit, *factâ cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.* Conventionem ex denario facere justitia utique est, non solùm gratia. Præterea, versu 4 : *Ite*, inquit, *et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis*, non potuit profectò apertiùs meriti et mercedis justitiam declarare. Atqui hic, ut postea dicemus, minùs quàm primis operariis promittit, cum quibus ex denario diurno conventionem fecerat. Propterea non denarium, sed quod justum fuerit, illis promittit. Ad hæc, versu 13, 14, operario de mercede conquerenti œconomus respondet : *Amice, non facio tibi injuriam ; tolle quod tuum est, et vade.* Quid est : *Non facio tibi injuriam*, nisi : Quod justum erat, tibi dedi? Quid est : *Tolle quod tuum est*, nisi : Tolle quod justum est, tolle quod tibi debetur, tolle quod meruisti, et vade? Fingamus nullam esse ad probandam hanc sententiam conjecturam, tota ipsa parabola proboret, tota perpetuum esset argumentum ; comparat enim Deum patrifamilias, homines operariis, Ecclesiam vineæ, gloriam denario diurno ; quemadmodùm ergo operarii in vineâ laborantes denarium diurnum propriè vereque merentur, ita qui in Ecclesiâ Dei laborant, verè merentur vitam æternam. Finis ergo parabolæ est mercedem vitæ æternæ non tempori quod quis laboravit, sed labori et operi quod fecit, respondere. Sæpè enim fieri ut aliquis unâ horâ tantùm laboret, quantùm alius toto die, ideòque æqualem mercedem, id est, eumdem denarium accepturum esse, eodem planè sensu quo Sapiens dixit, c. 4, 13 : *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, id est, cùm brevi tempore vir justus vixerit, tantùm fecit boni, quantùm multi, qui longo tempore vixerunt : propterea non debere quemquam antiquitate vocationis suæ gloriari ; *erunt enim multi primi novissimi, et novissimi primi.* Potest aliquis objicere : Cur ergo idem omnibus denarius datus est, quo videtur æqualitas gloriæ significari? — Respondeo : Quia Christus tantùm volebat probare plus aliquem breviori tempore, quàm alium longiore laborare. Cur ergo non plus denario dedit iis qui undecimâ horâ venerunt, siquidem novissimi primi futuri erant? — Respondeo eos in eo fuisse cæteris prælatos, quòd, cùm novissimi venissent, primi omnium denarium acceperunt. Eumdem igitur acceperunt denarium, quia tantùm unâ horâ, quantùm cæteri totâ die laboraverant ; primi autem acceperunt, quia hoc ipsum egregiæ fuit laudis, quâ primum locum inter eos quibus merces solvebatur, meruerunt, quòd tantùm unâ horâ, quantùm alii multis laborâssent. Nam æquale opus æqualem mercedem, major diligentia et brevius tempus primum locum meruit. Objici etiam potest, quod versu 14 dicitur : *Volo autem et huic novissimo dare, sicut tibi*, et versu 15 : *Aut non licet mihi quod volo facere?* quibus verbis videtur significari denarium non ex merito et justitiâ, sed ex solâ patrisfamiliâs voluntate datum esse. — Respondeo non eam fuisse causam, cur paterfamiliàs ita responderit, sed quia voluit personæ decorum servare, non conveniebat autem personæ patrisfamiliâs, ut vili operario declararet cur tantùm novissimis quantùm primis daret ; sed tanquàm dominum dicere : *Sic volo, sic jubeo.* Nam et prudentes domini, servis rationem quærentibus cur hoc vel illud jubeant, etiamsi intimam habeant consiliorum suorum rationem, non solent tamen rationem reddere, sed pro ratione suam exponere voluntatem ; cur jubes? quia volo. Adde quòd noluit prudens paterfamiliàs conquerentem operarium pudore suffundere ; quod utique fecisset, si rationem illi exposuisset cur tantùm novissimis quantùm primis daret, quia tantùm minùs, quantùm illi laboravissent. Hoc enim fuisset ejus et aliorum qui primi venerant, negligentiam obliquè submotare, quod et Chrysostomus observavit. Pertinet ad hunc locum, quod apositè Theophylactus, in Commentariis in Epistolam ad Rom., c. 9, 19, annotavit, solere Deum, cùm agit cum hominibus non malignis et indocilibus, factorum suorum rationem reddere ; cùm autem agit cum malignis et querulis, suam solam allegare voluntatem, quia digni non sunt ut rationem illis Deus reddat. Hujus rei in Scripturâ infinita sunt exempla, quorum nonnulla Theophylactus recitat ; hoc autem unum est : nam quia iste operarius præter rationem et malignè quærebatur, non aliter illi paterfamiliàs respondet, quàm : *Tolle quod tuum est, et vade ; volo autem et huic novissimo dare sicut tibi* ; et : *An non licet mihi quod volo facere?* Cùm tamen præcedenti capite, cùm Christus cum apostolis et aliis docitioribus ageret, causam explicaverit cur aliis minus, aliis majus detur præmium. Nam servantibus tantùm mandata proposuit vitam æternam, versu 17 ; vendenti autem omnia quæ haberet, et pauperibus danti, seque apostolorum more sequenti promisit thesaurum in cœlo, id est, majorem et excellentiorem gloriam, versu 21, majorem adhuc apostolis, quia non solùm omnia reliquissent, sed Evangelii etiam primi promulgatores futuri essent ; *sedebitis*, inquit, *et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*, versu 28. Minorem verò, qui pauciora reliquissent ; *qui reliquerit*, inquit, *domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit*, versu 29. Hactenus exposuimus quis hujus parabolæ finis esset, in quem omnis ejus sententia dirigeretur. Reliqua altera difficultas est, quæ sint ejus propriæ partes, ac necessariæ, et quid quæque significet. Nam, ut sæpè monuimus, et hoc loco Chrysostomus docet, in omni parabolâ sunt quædam, quasi propria ejus membra atque necessaria, sine quibus stare sententia non possit ; alia quasi adjuncta, et, ut ego vocare soleo, emblemata, vel ad explicandam, vel ad ornandam parabolæ narrationem. In hâc ergo parabolâ octo ego partes necessarias esse arbitror : prima est paterfamiliàs, qui ad vineam suam operarios conduxit. Hunc plerique Deum interpretantur, cujus vinea est, et de quo Christus dicit : *Pater meus agricola est*, Joan. 15, 1, et, ut altera parabola declarat, cap. sequenti, versu 28 et 33, et Marci 12, 1, et Lucæ 13, 6, et sicut Deus apud prophetas populum suum vineam suam passim appellat, ut Isaiæ 3, 14, et 5, 1, 2, 3, 4, 5, 7, et 27, 2, et 32, 12, et Jeremiæ 2, 21, et 12, 10, et Ezechielis 17, 6, 7, 8, et Joelis 1, 7, 12. Sic Irenæus interpretatur libro 4, cap. 70, et Athanasius, aut quisquis auctor est, quæstione 52, et Gregorius, homilià 19 in Evangelia, et Beda in Commentariis ad hunc locum. Alii Christum intelligunt, qui semper in hunc mundum, quasi in forum exierit, ut in vineam suam conduceret operarios ; eum enim fuisse, qui olim patriarchis apparebat, et prophetis loquebatur. Ita Hilarius, canone in Matth. 20, et auctor Imperfecti, homilià 34, et Theophylactus hoc loco. Utramque probabile. Secunda parabolæ pars est dies, cujus mane paterfamiliàs in forum exivit, et cujus vespere mercedem operariis solvit ; hanc igitur diem plerique putant totum significare tempus, quod inter initium, et finem mundi interjectum est, ut Irenæus, lib. 4, cap. 70 ; Origenes, tractatu in Matthæum 10 ; Hilarius, canone 20 ; Optat. Milevit., lib. 5 contra Parmenianum ; auctor Imperfecti, homil. 34 ; Gregorius, hom. 19 in Evangelia ; Beda hoc loco : quam opinionem illud confirmat, quòd certum sit per vesperam tempus ultimi judicii significari, quo unicuique denarius, id est, merces secundùm opera reddendus est ; sic ergo vespera ejus diei, quia tempus ultimi judicii ; mane erit mundi initium. Totus verò dies, quidquid interjacet temporis. Alii non totum hoc seculum, sed tempus, quod est à primo adventu Christi ad secundum, diem de quo hic agitur, esse putant, ut Athanasius, quæstione 52. Alii uniuscujusque hominis ætatem ejus esse diem, ut Christus significat cùm dicit, *ambulate, dùm lucem habetis*, Joan. 12, 35, et *me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est ; venit nox quando nemo potest operari*, c. 9, 4, noctem cujusque mortem appellat ; sic Hieronymus et Chrysostomus intelligunt ; et eam sententiam magis etiam, quàm alteram Origenes videtur approbare. Ego quidem certè magis probo, quia, ut paulò post dicturi sumus, non refert ad consilium Christi, quâ quisque mundi ætate ; sed quâ ætatis suæ parte vocatus sit. Tertia pars est vinea, quam nonnulli justitiam, et mandata Dei interpretantur, quæ, ut colant homines, vocantur, ut Irenæus, lib. 4, cap. 70, Chrysostomus, auctor Imperfecti, et Euthymius, hoc loco. Alii totum mundum, ut Athanasius, quæstione illâ 52. Alii cujusque animam, quam jubetur excolere, ut Theophylactus. Alii Ecclesiam, ut Origenes, et Gregorius, homiliâ in Evangelia 19, hoc postremum probabilius. Quarta pars est hora prima, tertia, sexta, nona, et undecima, quid quæque significat. Auctores, qui totum diem universam mundi ætatem interpretantur, horam primam fuisse dicunt ab Adam usque ad Noe, tertiam à Noe usque ad Abraham ; sextam ab Abrahamo usque ad Moysem ; nonam à Moyse usque ad Christum ; undecimam à Christo usque ad finem mundi, quò videtur alludere D. Joann., cùm dicit novissimam horam esse, 1 Epist., cap. 2, 18 ; sic Hilarius, auctor Imperfecti, Gregorius, Beda, et Theophylactus, quam opinionem et Hieronymus recitat ; sed non probat. Alii diversas horas, diversas cujusque hominis ætates esse intelligunt, primam horam esse infantiam, tertiam puberiatem, sextam ætatem virilem, nonam ætatem in senectutem inclinatam, undecimam decrepitam. Nam nonnulli à primâ infantiâ, et ab utero matris vocari solent, ut Samuel, Jeremias, Joannes Baptista ; alii aliis ætatibus. Sic D. Basilius, in Regulis brevioribus, interrogatione 224 ; D. Hieronymus, Beda, et Euthymius, hoc loco, et Fulgentius, epistolâ 7, quam opinionem et Theophylactus probat. Ego non dubito, quin diversæ horæ non diversas mundi, sed diversas cujusque hominis ætates significent, quia, ut diximus, hâc tota spectat parabola, ut Christus doceat alios plùs minori tempore, quàm alios majore laborare : ut autem hoc probet nihil refert, quâ mundi ætate ; sed quo ætatis suæ tempore quisque vocetur. Quæ autem sit prima, quæ tertia, quæ sexta, quæ nona, quæ undecima hora non arbitror esse subiliter inquirendum, ne nimis sententia restringi videatur. Nam quod Christus diversas horas nominaverit, id ad parabolæ significationem necessarium est, quia docere volebat plus alios breviori tempore, quàm alios longiore laborare. Quòd autem, has quinque horas nominaverit, id non necessariò, sed ex consuetudine fecit, et ut parabolam ornaret. Solebant enim veteres Judæi, sicut et multæ aliæ gentes, totum diem à solis ortu usque ad occasum in duodecim æquales partes distribuere, quas horas appellabant, sicut Christus apud Joannem, c. 11, 9, dicit : *Nonne duodecim sunt horæ diei?* quæ eodem die æquales erant, diversis verò diebus inæquales : sicut omnes inter se dies inæquales sunt. Itaque prima hora erat diei, quâ sol oriebatur, tertia media inter solis ortum, atque meridiem utrinque æqualiter distans, sexta meridies, nona media inter meridiem, et solis occasum tribus utrinque horis distans. Undecima, unâ horâ ante solis occasum. Dividebant rursùm totum diem in quatuor partes, quarum unaquæque tribus constabat horis, sicut noctem in quatuor vigilias distribuebant, quarum unaquæque tres horas continebat. Hæc est causa, cur frequentiùs in Scripturâ hora prima, tertia, sexta, et nona, quàm cæteræ diei

Vers. 2. — *Denarius* vitam æternam significat ; cùm dispares sint meritis, omnes tamen sunt beati ; non quòd omnium sit par felicitas. Ex hâc parabolâ hæc colliguntur, 1° bona opera esse vitæ æternæ meritoria : *Vocà operarios et redde illis mercedem* ; 2° temporis diuturnitatem, molestiæ et laboris magnitudinem ad majorem mercedem per se non valere ; nisi major adsit charitas.

Vers. 6. — Gentiles novissimâ horâ vocantur ; nam dies singuli in duodecim horas erant divisi, adeò ut horæ æstate essent longiores.

Vers. 11. — Murmurabant. In cœlo nullus erit obmurmurationi locus ; neque ulla erit querelæ causa ; hoc murmur Judæis adversùs gentiles convenit.

horæ nominentur; quia præcipuas diei partes efficiebant : propterea etiam eas Christus hoc loco nominavit, ut quidquam novi mysterii significaret, nisi quod jam diximus, alios priùs, alios posteriùs à Deo vocari. Cur ergo, dicet aliquis, non quatuor, sed quinque horas nominavit? in promptu est responsio, quia voluit initium primæ, quartæ partis diei, et finem ultimæ explicare, ut doceret alios initio vitæ sæc, alios sub finem vitæ vocari. Quinta pars est forum, in quod paterfamiliàs dicitur exisse, ut conduceret operarios; per quod rectè Origenes et auctor Imperfecti intelligunt totum mundum, qui extra Ecclesiam est, in quo homines toti sunt, aut otiosi, aut secularibus negotiis occupati, et inde in Ecclesiam, tanquàm in vineam, vocantur. Sexta pars est denarius, qui idem omnibus datus, quo non est dubium salutem, ac vitam æternam significari, in eoque auctores omnes consentiunt. Solus D. Basilius, in brevioribus Regulis, interrogatione 255, ita videtur interpretari, quasi denarius præmium aliquod hujus vitæ significet, quo etiam, qui damnantur, donari soleant; sic enim, ut diximus, exponit illud, quod versu 14 dicitur : *Tolle quod tuum est, et vade*, quasi operarius ille accepto temporali aliquo præmio, quod meruerat, in infernum mittatur. Sed id jam diximus non magnam speciem habere probabilitatis. Potest dubitari cur denario potiùs, quàm alteri pecuniæ generi vitam æternam comparaverit. Respondet Irenæus, libro 4, c. 70, propterea quòd denarius imaginem regis haberet, et qui salvi erunt, conformes fient imagini filii Dei, ut D. Paulus ad Romanos 8, 29 : *Et reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, Philippenses, 3, 21. Et quidem hoc scitum, sed allegoricum; nec aliam ego causam fuisse arbitror, cur potiùs denarium, quàm aliam pecuniam nominaverit; quàm, ut accommodatè ad consuetudinem loqueretur. Est autem credibile usitatam tunc operariorum in singulos dies mercedem fuisse denarium, qui, ut c. 18, 28, diximus, quinque aut sex obolos, id est, Gallicos solidos continebat. Quærit Chrysostomus quid causæ fuerit, cur paterfamiliàs cum solis illis, quos primo mane conduxit, ex denario conventionem fecerit; cum aliis autem conventionem non fecerit; sed tantùm dixerit : *Et quod justum fuerit, dabo vobis*. Credò etiam in eâ re vulgarem consuetudinem secutum esse Christum; non enim solemus certam mercedem pangere, nisi iis operariis, quos mane conducimus, ut toto laborent die; si qui seriùs veniunt, quasi nihil eo die lucraturi sint, nihil certi pollicemur; tantùm promittimus aliquid nos illis daturos esse : hoc est, quod ait, *et quod justum fuerit dabo vobis*. Quærit etiam idem, et Euthym. cur Deus non omnes statim primo mane vocet. Respondent omnes vocari, sed non omnes venire velle, quod et Origenes indicat; argumentum est ejus rei, quòd paterfamiliàs, quotquot in foro invenit, conduxerit; omnes ergo primo mane Deus vocat : quemadmodùm et per prophetam dicit : *Locutus sum ad vos mane consurgens, et loquens, et non audistis*, Jeremiæ 7, 13; et rursùm : *Mane consurgens contestatus sum, et dixi : Audite vocem meam, et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam*, Jeremiæ 11, 7, 8; et iterùm : *Ego autem locutus sum ad vos de mane consurgens, et loquens, et non obedistis mihi*, Jeremiæ, 35, 14. Quam ob rem, quod operarii illi responderunt, versu 7, *quia nemo nos conduxit*, excusationis causâ, non verè dictum esse Chrysostomus putat, quod valdè mihi probabile videtur. Solet enim Christus in parabolis personarum mores exprimere : mos autem pigrorum, et desidum est ad hunc modum sese semper excusare : quemadmodùm si robustum adolescentem mendicantem quis roget, cur non laborando potiùs quàm mendicando victum quærat; promptus, et affirmans respondet, nihil aliud optare se, sed herum non invenire, quem ideò non invenit, quia non quærit, quia laborare non vult. Cur ergo paterfamiliàs eos non reprehendit, quòd se mentientes excusent? Respondet Chrysostomus noluisse eos accusare, et tristitiâ afficere, ut faciliùs alliceret. Facilior responsio erit patremfamiliàs, etsi Deum significabat, hominem tamen fuisse, non Deum. Itaque scire non potuit an operarii mentirentur : Christus autem narravit, quæ verisimile erat, et operarios excusationis causâ dixisse, et patremfamiliàs respondisse. Septima pars est, vespera diei, quando denarius solvitur, quâ nemo dubitat finem mundi, et ultimi judicii tempus declarari. Illud videtur non convenire, quòd supra diximus diem non totum hoc seculum, sed uniuscujusque hominis ætatem significare : quod si verum est, non potest vespera finis mundi, sed mors uniuscujusque esse. Respondeo hæc, quamvis diversa esse videantur, in idem redire; quia enim usque ad finem mundi aliqui homines erunt, et uniuscujusque vita dies est, uniuscujusque mors vespera, ultima vespera erit finis mundi, cùm omnes, qui adhuc vivent, simul morientur, aut rapientur in aera cum Christo, ut D. Paulus ait, 1 ad Thessalon, 4, 17. Octava pars est, quòd paterfamiliàs jubeat in solvendâ mercede ab iis, qui ultimi venerant, incipere, hoc ad parabolæ significationem maximè pertinet. Significatio autem facilis est; præferuntur enim novissimi, et fiunt primi, quia tantùm unâ horâ, quantùm alii toto die laboraverunt : quemadmodùm initio explicavimus. Nam quod Chrysost. indicat, propterea id præcepisse patremfamiliàs, ut declararet se iis, qui unâ tantùm horâ laboraverant, non ex debito, sed ex liberalitate suâ dare denarium, verbis ipsius patrisfamiliàs contrarium est : *Ite*, inquit, *et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis*. Sic enim dixit non solùm iis, quos horâ tertiâ, versu 4, sed etiam iis, quos horâ undecimâ, id est, una horâ ante solis occasum conduxit, versu 7, ut in Græcis codicibus legitur, et si non legeretur, ex versu 4 esset intelligendum. Hæc sunt, quæ in hâc parabolâ necessariam habent significationem. Cætera emblemata sunt, et circumstantiæ non necessariæ, quas quisquis discutere voluerit, nullum faciet operæ pretium : quale est quòd

Vers. 15. — Oculus tuus nequam, invidus est et malus, phrasi Hebraicâ; an illis meam benignitatem invides?

quinque horæ diei nominantur, quòd quidam in foro otiosi inventi sunt, quòd conducti non fuerint, quòd paterfamiliàs procuratorem dicatur habuisse; nec enim in regno cœlorum, de quo parabola proposita est, quærendum esse arbitror, quis sit procurator; quanquàm Christus videri possit, qui mercedem solvet, quemadmodùm scribit Isaias, c. 40, 10, et 62, 11; et Joannes in Apocalypsi, c. 22, 12 : *Ecce venio citò, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Quanquàm Irenæus, lib. 4, c. 70, Spiritum sanctum dispensatorem hujus esse dicit, qui dividit singulis dona, s cut vult, ut D. Paulus ait, 1 ad Cor. 12, 11. Emblema etiam est, quòd denarius potiùs quàm aliud pecuniæ genus proponitur, et quòd, qui primi venerant, accepto denario murmuraverunt : nec enim significatur aliquos ex iis, qui vitam æternam accepturi sunt, murmuraturos esse, propterea quòd alii in eâ gloriam accipiant : nec enim in cœlo ulla est murmuratio; sed aut nihil significatur, tantùmque eam ob causam id narratum est, quòd ita in similibus causis fieri soleat, et ut narrationis decorum servaretur; aut significaretur, ut Chrysostom. ait, adeò magnam mercedem multos, qui ultimi venerunt, accepturos, ut si fieri posset, ut beati murmurarent, ob mercedis magnitudinem murmuraturi essent. Simile quod versu 14 et 15 dicitur : *Volo autem huic novissimo dare, sicut et tibi, et an non licet mihi in meis facere, quod volo?* Sic enim Græcè legitur, et ad hunc modum Latinam versionem corrigendam puto. Quibus verbis, ut supra disputavimus, non indicatur Deum pro suâ tantùm voluntate, nullâque habitâ justitiæ ratione vitam nobis æternam datarum esse : sed dicitur, quia credibile est ita responsurum fuisse patremfamiliàs, si alii operarii sine ullâ causâ murmurassent; aut, si quam hoc habet significationem, illud tantùm significat non debere Deum quam ob rem aliis plus, aliis minus mercedis dederit, rationem nobis reddere. Hæc, ut diximus, et si quæ sunt alia generis ejusdem, si quis ad aliquid significandum volet subtiliter trahere, non solùm operam perdet; sed in periculum etiam incurret multa aut falsa, aut ridicula, aut certè aliena comminiscendi; quisquis enim, quod non est quærit, aliquando sibi fingit quòd illud quod quærit esse videatur, et mavult falsum incurrere quàm nihil. Frenandum autem humanum ingenium est, ne suâ subtilitate intemperanter et in rebus supervacaneis abutatur.

Vers. 16. — Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Mirum videri potest cur hanc sententiam Christus adjunxerit, cùm minimè præcedenti congruere videatur. In superiore enim parabolâ de iis tantùm dictum est, qui omnes salvi futuri sunt; omnes enim denarium, id est, vitam æternam acceperunt; hic autem agit de iis qui, cùm vocati fuerint, non omnes simul salvi, sed plerique damnantur. Hoc vix apud ullum interpretem explicatum invenio; sed ita tamen existi-

Vers. 16 et 17. — Novissimi. Eos sic vocat, non quibus pars minor, sed quibus nulla felicitas futura est. *Multi enim sunt vocati*; quamvis multi sint vocati, mo voluisse Christum ex unâ specialique sententiâ aliam et generalem concludere. Probaverat per parabolam non omnes æqualem mercedem recepturos esse; sed futuros multos primos novissimos, multos novissimos primos esse, quia non omnes qui vocati veniunt ad vineam, eâdem diligentiâ laborant; concludit nunc generaliùs non omnes qui vocati sunt mercedem accepturos, quia plerique vocati venire nolunt; quemadmodùm supra ex Origenis, Chrysostomi et Euthymii sententiâ declaravimos. Sic Christus in præcedenti cap., versu 25, ex occasione unius adolescentis, qui divitiis suis impeditus, evangelica consilia sequi noluerat, generalem sententiam de omnibus divitibus, et non jam de consiliorum, sed de præceptorum observatione, concludit difficile esse divitem in regnum cœlorum introire. Non ergo significatur non omnes esse vocatos; omnes enim vocat, qui ideò venit in hunc mundum, ut peccatores vocaret ad pœnitentiam, cap. 9, 13; omnes enim peccatores erant; omnes vocavit, *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, 1 ad Timoth. 2, 4; omnes vocavit, qui pro omnibus mortuus est. Cur ergo non dicit omnes, sed *multos* vocatos esse? quia omnes multi sunt, et voluit multos paucis opponere, non omnes nullis, sicut D. Paulus ad Rom. 5, 19 : *Sicut*, inquit, *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi*. Nam per unius hominis inobedientiam non solùm multi, sed etiam omnes peccatores constituti fuerant, sicut idem Paulus paulò ante, versu 12, dixerat : *Et ita in omnes homines mors pertransiit*; et versu 18 : *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem*; propterea ergo dixit paulò post per unius hominis inobedientiam multos esse peccatores constitutos, ut multos opponeret uni, et non solùm sententiæ, sed etiam orationi elegantiam adhiberet. Eodem modo hoc loco dicit Christus multos vocatos, paucos electos, per multos, omnes intelligens. Id ex alterâ parabolâ nuptiarum, quam c. 22 proponit, perspicuum est, ubi non solùm omnes ad nuptias vocati, sicut et claudi, cæci, et quotquot in plateis erant, sed compulsi etiam intrare. Et tamen eodem modo parabolam concludit : *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, ubi certum est multos non omnibus, sed paucis opponere. Omnes enim vocati fuerant.

Vers. 17. — Et ascendens. Multis locis in vetere Testamento Rabbinorum commentum refutavimus, qui putant Jerusalem altissimum totius orbis terrarum locum esse, ideòque ire in Jerusalem ascendere esse, quòd undique eo ascendatur. Nam si de loco sitûque loquuntur, nullus est in rotondo terræ corpore altero altior; si de monte, multi sunt longè eliam altiores. Solet ergo Scriptura dicere ascendere in Jerusalem, vel quia una ejus pars in monte Sion posita erat, vel quia Hebræi, et multò magis Chaldæi et Syri, quorum primi et novissimi dicuntur respectu Dei et hominum; multi judicio hominum primi erunt, coram Deo novissimi. Ascendens, ex civitate Ephrem, Joan. 11.

linguâ Christus loquebatur, ascendere dicunt pro ire. Marcus, c. 10, 32, sic narrat : *Erant autem in viâ ascendentes Jerosolymam, et præcedebat eos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant.* Ubi et Christi ad mortem euntis alacritas, et apostolorum admiratio timorque significatur. Mirabantur Christum tam erecto, fidentique animo Jerosolymam ire, ubi se multa passurum sæpè dixerat, c. 16, 21, et 17, 12; timebant illi, ac sibi. Præcedebat autem Christus, ut viam apostolis ad crucem ostenderet, doceretque, quàm prompti, cùm opus esset, obire mortem deberent, sicut D. Paulus verus Christi discipulus docebat, Act. 21, 13: *Ego enim non solùm alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu*, quemadmodùm Orig. observavit.

ASSUMPSIT, segregavit, ut c. 16, 22; noluit enim discipulis coram omnibus dicere, ne res evulgata aut impediretur, aut mors ab ipso videretur procurata. Possumus etiam interpretari παρέλαβε, aggressus est eos alloqui. Hoc enim verbum etiam significat, ut illic docuimus, et ea significatio rectè convenit in hunc locum.

VERS. 18. — ECCE. Videtur hæc particula hoc loco tempus jam instans indicare.

VERS. 19. — ET TRADENT EUM GENTIBUS, Pilato et cæteris Romanis. Est autem antithesis inter Judæos et gentes, quasi inter amicos et hostes; quasi dicat : Non erunt contenti Judæi filium hominis ipsi per se suppliciis afficere; sed hostibus eum tradent, ut graviùs etiam crucietur et interficiatur. Illis enim non licebat interficere quemquam, Joan. 18, 31; scribit Lucas, c. 18, 34 : *Et ipsi nihil horum intellexerunt*, quod non ita intelligendum est, quasi Christi verba non intellexerint, quibus significaverat se ad mortem progredi; sed ita ut mortis ejus mysterium non comprehenderint, neque cognoverint morte suâ Christum salutem universo hominum generi allaturum, quemadmodùm prudenter D. Chrysostomus animadvertit. Si enim verba non intellexissent, nec mirati fuissent Christum euntem, neque mortis periculum timuissent, ut Marcus scribit, cap. 10, 32. Potest aliquis dubitare cur hæc Christus Jerosolymæ appropinquans apostolis dixerit. Respondet Chrysostomus, ut eos ad patientiam et animi constantiam præmuniret; quâ etiam de causâ sæpè eos ante præmunierat, ut c. 16, 21, et c. 17, 12.

VERS. 20. — TUNC, id est, cùm videret ejus mortem instare; ambit enim veluti morituri hominis hæreditatem. Accedendi namque ad Christum, et honoris primum filiis suis locum in regno petendi occasio fuit, quòd paulò ante de proximâ suâ morte locutus esset Christus, ut Hieron., Beda et Euthym. observaverunt.

MATER FILIORUM ZEBEDÆI, Salome, ut annotat auctor Imperfecti, et ut ex Matthæi Marcique comparatione colligitur. Nam quam Matthæus, cap. 27, 56, vocat matrem filiorum Zebedæi, Marcus, c. 15, 40, appellat Salomem. Qui fuerint filii Zebedæi inter apostolos, supra dixit evangelista, cap. 10, 3; Marcus, cap. 10, 35, scribit ipsos filios Zebedæi ad Christum accessisse, dixisseque : *Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis*, quod etsi videtur esse, non est tamen contrarium, quia dixisse dicuntur quod per matrem suam, non per se dixerunt, ut Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 64, et Chrysostomus, homiliâ 66, respondent. Simile exemplum habuimus supra, c. 8, 5, ubi Matthæus dicit centurionem quemdam ad Christum accessisse, rogâsseque ut servum suum paralyticum sanaret, cùm Lucas, c. 7, 3, non ipsum centurionem, sed pro eo amicos suos accessisse, rogâsseque dixerit. Dubium an apostoli matrem sollicitaverint, atque suaserint ut hunc sibi à Christo honorem peteret; quasi faciliùs mulier, et, ut multi existimant, Christo cognata (sororem enim beatæ Virginis fuisse credunt) esset, quidquid peteret, impetratura, et filii pudorem, atque aliorum apostolorum invidiam effugerent; quasi non ipsi, sed pro ipsis mater, ut cæteris præponerentur, petivisset. Sic multi sentiunt auctores, August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 64, Chrysost., auctor Imperfecti, Theophylact., Euthym., hoc loco, et Gregorius, hom. in Evangelia 27. Alii matrem per se pro filiis sollicitam nullius eorum impulsu petivisse credunt, ut Hilarius, canone in Matth. 20, et Ambros., lib. 5 de Fide, c. 3, quod valdè mihi probabile videtur nolenti de apostolis malè judicare. Nam aliorum auctorum argumentum, quo matrem à filiis submissam probant, quòd non illi, sed filiis Christus respondeat, versu 22 : *Nescitis quid petatis*, et rursùm : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* facilè solvi potest, propterea illis respondisse, non quòd illi per matrem, sed quòd pro illis mater petivisset. Placet etiam mihi pietas Ambrosii atque Hieronymi, qui matrem ipsam excusant. Ambros. quidem his verbis : *Considerate*, inquit, *quæ cum filiis et pro filiis petat; mater est utique, cui pro filiorum honore sollicitæ immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæva, studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis, quando vel juvanda vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, et voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerit filiorum.* At paulò infra : *Et si error*, inquit, *est, pietatis tamen error est; nesciunt enim materna viscera patientiam; et si voti avara, tamen venerabilis cupiditatis, quæ non pecuniæ est avida; sed gratiæ. Nec inverecunda petitio, quæ non sibi, sed liberis consulebat. Matrem considerate, matrem cogitate.* Hieronym. autem sic : *Postulat mater filiorum Zebedæi errore muliebri, et pietatis affectu, nesciens quid peteret*; quin etiam inter eos auctores qui filios matrem subornâsse dicunt, auctor Imperfecti sic eos excusat, quòd nihil temporale, nihil carnale, nihil ambitiosum, sed solam spiritualem perfectionem postulaverint; quod et de matre dicit Ambros. Si peccandum est, præstat in hanc partem cum tam bonis auctoribus, quàm cum hæreticis in contrariam peccare semper apostolos accusantibus.

ADORANS, προσκυνοῦσα, *inclinans se*, aut genua flectens, quod eò pertinebat, ut Christi sibi gratiam benevolentiamque conciliaret.

ET PETENS ALIQUID. Aliquid hoc loco non diminutionem, sed incrementum potiùs videtur significare, quasi dicat : Petens magnum quiddam ab eo; sic enim Græci loquuntur εἶναί τι, *esse aliquid*, id est, esse magnum; sicut et Galli solent dicere : Videtur sibi aliquid esse, id est, magnus esse vir, quemadmodùm Paulus loquitur Actorum 23, 17 : *Adolescentem hunc perduc ad tribunum; habet enim aliquid indicare illi*, id est, rem magni momenti. Hanc ob causam, ut opinor, exposuit evangelista illam adorabundam accessisse, ut indicaret voluisse magnum aliquid postulare. At cur non statim dixit quid postulaverit? quia voluit rem, ut gesta erat, exponere; illa autem initio non declaravit quid vellet petere, sed generaliter rogavit Christum ut quidquid peteret sibi concederet, ut intelligitur ex Marco, c. 10, 35 : *Volumus ut quodcumque petierimus facias nobis*. Illa enim verba, ut paulò ante docuimus, quamvis filiis Marcus attribuat, non à filiis, sed à matre dicta sunt. Accessit ergo supplicabunda mulier, dixitque : Volo, aut rogo, ut quidquid petiero mihi concedas; solent enim qui aliquid volunt petere, quod an impetraturi sint dubitant, non statim quid sibi dari velint declarare, ne, si declaraverint, sibi negetur; sed generaliter atque confusè dicere : Quiddam habeo quod te rogem; sed velim mihi priùs te facturum promittas; quemadmodùm mater Salomonis, lib. 3 Regum, c. 2, 20, filium rogat : *Petitionem unam parvulam ego deprecor à te; rogo, ne confundas faciem meam.*

VERS. 21. — QUID VULTIS? *Mater*, inquit Hieronymus, *postulat, et Dominus discipulis loquitur, intelligens preces ejus ex filiorum descendere voluntate.* Sed jam diximus potiùs filiis, non matri respondere, quia etsi non eorum impulsu, tamen pro eis mater postulaverat.

DIC. Hebraismus, pro jube, statue; sicut c. 8, 8 : *Tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.*

UT SEDEANT. Nonnulli auctores, in quibus Euthymius, existimant motam fuisse eam mulierem, ut hoc peteret, ex verbis Christi, cap. 19, 28 : *Sedebitis et vos super sedes duodecim.* Cùm enim intellexisset omnes apostolos in regno Dei circùm Christum sessuros esse, optabat ut duo filii sui proximi illi assiderent, alter ad dexteram, alter ad sinistram. Putat etiam Euthymius Petrum timuisse, quem videbat omnibus in rebus cæteris apostolis anteponi.

VERS. 22. — NESCITIS QUID PETATIS. Plerique ita interpretantur, quasi propterea dicat eos nescire quid petant, quia non spiritualia, sed carnalia petebant, quasi Christus more regum temporaliter esset regnaturus, et principes viros habiturus aliquos qui sibi assiderent; quorum eò quisque esset honoratior, quò propriùs se sederet. Alii diverso penitùs sensu non carnalia, sed spiritualia petivisse; tamen propterea Christum dixisse : *Nescitis, quid petatis*, quia rem majorem melioremque petebant quàm existimabant, quemadmodùm Chrysost., Euthym. et Theophyl. exponunt. Alii bonum quidem et spirituale eos petivisse, ut cæteris apostolis virtute ac meritis antecellerent; sed non eo ordine quo debebant, quia petebant ante victoriam triumphum, ut exponit auctor Imperfecti, quam interpretationem videntur illa verba confirmare : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* quasi viam illis demonstret, quà ad dexteram et sinistram suam ponerentur. Nescitis ergo quid petatis, quia, etsi quod petitis bonum est, tamen non intelligitis triumphum ante victoriam nec dari posse, nec promitti. Alii : Bonum quidem petitis, sed non benè intellectum; putatis enim occupari precibus posse, cùm ejusmodi sit, ut non petentibus, sed merentibus dari possit. Omnes istæ interpretationes probabiles; probabilissima postrema.

POTESTIS BIBERE CALICEM, QUEM EGO BIBITURUS SUM? Hæreticorum interpretes, qui hoc ad calicem Eucharistiæ referendum existimant, omninò mihi videntur delirare; quis enim calicem illum bibere non potest? Dubium igitur non est quin Christus passionem suam et mortem calicem appellet, ut c. 26, 39, et Marc. 14, 36, et Luc. 22, 42, et Joan. 18, 11. Cur autem passio ac mors calix appelletur, minùs compertum. Chrysost., Euthym., et Theophylact., ideò vocari putant calicem, quòd eam Christus non minùs libenter obierit, quàm si poculum vini biberet. Parùm conveniens Christo metaphora, præterquàm quòd istâ ratione sola Christi mors, non aliorum, calix appellaretur. Credo ergo metaphoram ex antiquâ consuetudine ductam, quâ solebat damnatis ad mortem poculum veneno plenum porrigi, ut eâ ratione vitam finirent; quemadmodùm Athenis Socrati ab Areopagitis datum legimus; inde factum, ut mors ipsa, et supplicium calix, sive poculum appellaretur, ut Psal. 115, versu 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo*, id est, mortem libens, et nomen Domini invocans subibo, ut hoc loco Origenes et Hieronymus interpretantur. Sequitur etiam : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Scio aliam etiam esse in Scripturis metaphoram calicis ex vetere deductam more, quo inter Judæos paterfamiliâs, aut quisquis in convivio honoratissimus erat, vinum pro suo arbitrio temperabat, et unicuique convivæ alii plùs, alii minùs distribuebat. Itaque aliis melior, aliis pejor portio contingebat. Quâ ratione factum est, ut uniuscujusque hominis sors, quæ à Deo immittitur sive bona, sive mala, calix appelletur; bona, ut Psalm. 15, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis*; et Psalm. 22, 5 : *Impinguâsti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quàm præclarus est?* Mala, ut Psalm. 10, 7 : *Pluet super peccatores laqueos; ignis, sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum*; et Psalm. 74, 9 : *Hunc humiliat, et hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.*

VERS. 21. — UT SEDEANT, in regno illo quod terrenum fore existimabant.

VERS. 22. — CALICEM BIBERE, ferre tormenta, quæ ego passurus sum; ea est una assequendi quod cupitis ratio. POSSUMUS, nec poterant tamen; nondùm enim eas acceperant vires, quibus Christum sequerentur usque ad mortem, et biberent calicem passionis ejus.

et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fœx ejus non est exinanita; et Isaiæ. 51, 17 : *Elevare, elevare, consurge Jerusalem, quia bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potâsti usque ad fæces.* Simile est exemplum apud Jeremium, cap. 25, 15, et cap. 51, 7, et Threnorum, 4, cap. 21 ; et apud Ezechielem, cap. 23, 31, 32, 33. Marcus cap. 10, 38, ait addidisse Christum, *et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* quod alia metaphora significat : nam et baptismus pro passione et morte poni solet, ut Lucæ 12, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodò coarctor* ; et 1 ad Cor. 15. 29 ; *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* id est, qui pro defendendâ mortuorum resurrectione appetunt mortem. Unde factum ut et martyrium baptismus appelletur. Metaphora, ut opinor, sumpta est ab iis, qui, ut moriantur, in mare submerguntur. Græcè enim baptizari idem est atque submergi. Itaque quod Origines, Chrysostom., Theophylactus dicunt propterea Christum mortem suam Baptismum appellavisse, quòd sicut per mortem, sic et per Baptismum peccatorum expiatio facienda esset, non probo : minùs etiam, quod auctor Imperfecti dicit metaphoram à lanâ rubeo colore tinctâ sumptam esse ; sic enim Christi mortem sanguine fuisse rubeam. Quod autem Christus rogat apostolos, an possent calicem bibere, quem ipse bibiturus esset, non ignarus rogat : sed hominum more, qui triumphum petentem rogare solent, an possit hostes debellare. Ostendit autem illis viam, quâ ad eum honorem, quem petunt, pervenire possint ; ostendit verò et verbis, et exemplo ; verbis, cùm rogat : *Potestis bibere calicem ;* exemplo, cùm dicit : *Quem ego bibiturus sum?* præcepit enim, tanquàm bonus dux ad pugnam invitans, ut ait auctor Imperfecti, Sic D. Paulus ad Philippens. 2, 5, 6, 7, 8, 9 : *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo ; humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum ;* et ad Roman. 8, 17 : *Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, iâ tamen compatimur, ut et conglorificemur ;* et 2 ad Timot. 2, 5 : *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit ;* et versu 12 : *Si sustinebimus, et conregnabimus.*

POSSUMUS. Multi auctores existimant, quemadmodùm temerè et ambitiosè honorem petiverant ; ita quoque temerè ambitiosèque respondisse se posse calicem bibere, ut Chrysostomus, Theophylactus, et Euthym. Alii, quemadmodùm paulò ante, quod nesciebant, postulaverant ; ita nunc, quod non intelligebant, promisisse ; non quòd non intelligerent Christum de morte locutum fuisse : sed quòd nescirent, quid esset mori ; et dulce bellum inexpertis. ut auctor Imperfecti interpretatur. Malo ego credere nec temerè, nec inscienter : sed amanter, et verè respondisse se paratos esse, ut pro Christo morerentur, ut postea exitus docuit. Nam quod hæreticus nobis objicit interpres paulò post initio pugnæ omnes apostolos diffugisse, facilè excusari potest, propterea fugisse, quòd nihil Christum jam comprehensum juvare possent, quod et Calvinus, ut erat homo prudens, facturus, ut opinor, fuisset. Et tamen Joannem alterum ex duobus filiis Zebedæi usque ad crucem legimus secutum fuisse Christum.

VERS. 23. — CALICEM QUIDEM MEUM BIBETIS. Disputant Origenes, Hieronymus, et Chrysostomus quomodò filii Zebedæi calicem biberint, cùm Jacobum quidem ab Herode occisum legamus, Actorum 12, 2. Joannem verò occisum non legamus : quin ne mortuum quidem esse aliqui putant, ut refert Euthymius. Respondent iidem auctores, et Beda Joannis exilium loco martyrii fuisse, et quòd Romæ in oleum fervens injectus fuerit, ut Tertullianus, in libro de Præscriptionibus adversùs hæreticos, auctor est. Itaque non voluntatem martyrio : sed martyrium voluntati defuisse. Potest faciliùs, meo quidem judicio, reponderi, cùm Christus dicit, *calicem quidem meum bibetis*, non prædicere fore ut pro se oppetant mortem : sed tantùm significare hoc se illis posse concedere, ut calicem suum bibant : ut autem ad dexteram, et sinistram suam sedeant, concedere non posse, nisi quibus paratum est à patre suo ; videtur enim hæc duo inter se opponere ; concedere, ut calicem bibant, et dare, ut ad dexteram, vel sinistram sedeant.

SEDERE AUTEM AD DEXTERAM MEAM, ET SINISTRAM NON EST MEUM DARE VOBIS, SED QUIBUS PARATUM EST A PATRE MEO. Hoc loco frequenter Arianos usos fuisse legimus, ut Christi auctoritatem probarent minorem esse, quàm patris, ut auctor est Epiphan., hæresi 69 ; et Idacius Clarius, c. 14, et Ambros., lib. 5 de Fide, c. 5 ; et August., lib. 1 de Trinitate, c. 12, et Cyrillus, lib. 10 Thesauri, c. 5, cui objectioni tribus modis iidem auctores respondent. Quidam eorum dicebant hoc Christum non tanquàm Deum, sed tanquàm hominem, ut multa alia, dixisse, quale est illud : *Pater major me est*, Joan. 14, 28. Ita D. August. Alii, ut Ambros., pronomen illud *meum*, cùm Christus dicit, *non est meum dare vobis*, non potestatem, sed officium significare. Itaque non indicat Christus se id facere non posse, sed non esse officii sui, ut id faciat, quia non venerat in hunc mundum, ut coronas daret, sed ut invitaret ad pugnam. Hoc est dictum subtiliter, et verè ; sed non videtur proprius esse verborum sensus. Proprius est ille, quem idem Ambros., Epiphan. et Cyrill., iisdem in locis, et Chrysost., homil. 66, et D. Hieronym., in Commentariis ad hunc locum, exposuerunt, Christum non negare suæ potestatis, atque officii esse concedere, ut aliquis ad dexteram, vel sinistram suam sedeat ; sed tantùm negare non esse suæ potestatis et officii illis dare, sed solis his, quibus à patre suo paratum esset.

VERS 23 — SED QUIBUS, nisi his quibus PARATUM EST A PATRE MEO ; et si vox, *vobis*, in Græco deest, et in Syriaco : *Non est meum*, quatenùs homo sum.

Summa est non fieri comparationem inter Christum, et patrem, ut Ariani putabant, quasi pater possit, Filius verò non possit : sed comparationem fieri inter personas, quibus hujusmodi honor dari potest, quòd non omnibus, sed quibus à patre paratus est, concedi possit. Hæc est vis ejus pronominis *vobis*, quasi dicat : *Non est meum dare vobis*, propterea quòd petitis, aut propterea quòd cognati mei estis, *non est meum dare vobis*, qui non âm meruistis, sed *quibus paratum est à patre meo*, id est, qui meruerint, et ut Remigius apud D. Thom. interpretatur, non est meum dare superbis et ambitiosis, quales vos estis ; sed humilibus, quibus paratum est à patre meo, quod Chrysost., Euthym., et Theophyl. accommodato admodùm exemplo declarant : Si quis, inquiunt, rex auream coronam ei, qui in stadio currendo cæteros vinceret, proposuisset, eamque manu teneret ; aliquis verò ex iis, qui non solùm non vicissent, sed ne cucurrissent quidem, coronam ab eo peteret, rectè responderet, currere quidem poteris, coronam autem non est meum dare tibi, sed quibus parata est, id est, vincentibus ; non enim significaret se dare non posse, cùm ipsius sit ; sed dare non debere, nisi vincentibus, quibus eam destinâsset. Alio exemplo Cyrillus utitur : Si quis à justo aliquo judice aliquid peteret injusti, meritò responderet, non possum hoc facere, non quòd non posset ; sed quòd non debeat. Hinc sequitur, quàm necessarium sit pronomen illud *vobis* ad implendam exprimendamque sententiam, quod in plerisque Græcis codicibus non legitur ; nec ullus, quod sciam, Græcus auctor, et antiquus legit, nec inter Latinos D. Augustinus, lib. 1 de Trinit., c. 12. Satis enim est veterem legisse interpretem, legisse Hieronymum, et Ambrosium, et sententiam requirere. Quanquàm si non legatur, non propterea mutatur sensus. Nam Chrysost., Cyrill., Theophil. et Euthym. qui non legerunt, in eamdem tamen sententiam interpretantur. Rectè verò doctus quidam, et pius nostri temporis interpres observavit, si non legatur pronomen *vobis*, Græcam dictionem ἀλλὰ, *sed*, pro εἰ μὴ, *nisi*, accipi debere, ut apud Marcum, c. 9, 8, et 2 ad Cor. 2, 5, ut sit sensus : *Sedere autem ad dexteram meam, et sinistram non est meum dare, nisi quibus paratum est à patre meo.* His autem verbis tantùm abest, ut significet Christus non suum esse officium præmia distribuere, ut potiùs officii sui esse declaret. Cùm enim dicit non esse suum omnibus dare, sed merentibus, et dignis judicem, se, præmiorumque distributorem futurum esse indicat, ut apud Joannem, c. 5, 22 : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, et apud Lucam, c. 22, 29, 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel*, sicut et c. præcedenti, vers. 28, apostolis promisit fore ut sederent super sedes duodecim, quasi ipse hoc illis concessurus esset. Cur ergo, dicet aliquis, ad junxit : *Sed quibus paratum est à patre meo*, quasi sibi patrem opponat. Respondeo non sine causâ non dixisse, non est meum dare vobis, sed patris mei ; sed dixisse : *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo*, ne significaret se quidem dare non posse, patrem posse ; sed se dare aliis non posse, quàm quibus à patre suo paratum esset, ut rectè D. Chrysost. annotavit. Nam auctor Imperfecti, qui, homil. 35, ita exponit : *Non est meum dare vobis*, sed Patris, quia suspectus est hæresis Arianæ, hoc loco audiendus non est. Cur ergo dixit : *Quibus paratum est à Patre meo*, potiùs quàm, quibus paratum est à me, quasi plus Patri quàm sibi auctoritatis tribuat? Facilis responsio, id per usitatam in sacris Litteris attributionem factum esse, in quibus, etsi omnia opera externa, ut theologi dicunt, tribus personis communia sint ; tamen quædam uni, quædam alteri personæ, tanquàm propria soleant attribui ; ut potentia et providentia Patri, sapientia Filio, gratia ac dona Spiritui sancto. Quia ergo paratum esse est esse prædestinatum ; prædestinatio autem est genus quoddam providentiæ, Patri potiùs quàm Filio tribuitur ; nec enim legimus in Scripturâ Filium aut Spiritum sanctum, sed solum patrem quemquam prædestinâsse.

SED QUIBUS PARATUM EST. Mira Chrysostomi interpretatio, quam et Theophylact. refert, et probat ; *quibus paratum est*, id est, nullis, quasi nemo, neque homo, neque angelus eò pervenire possit, ut ad dexteram vel sinistram Christi sedeat, qui, ut ait D. Paulus ad Ephes. 1, 20, 21 : *Constituit eum ad dexteram patris in cœlestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Mirabilis etiam Hilarii, *quibus paratum est à patre meo*, id est, Moysi et Eliæ : quorum alter ad dexteram, alter ad sinistram meam sessuri sunt. Mirabilis Euthymii, *quibus paratum est*, id est, Petro et Paulo, qui plus omnibus laborabunt. Manifestum enim est nullos certos homines Christum indicare voluisse, nec personas, sed merita notare.

VERS. 24. — ET AUDIENTES DECEM, INDIGNATI SUNT DE DUOBUS FRATRIBUS. Auctor Imperfecti, et Euthym. non minoris ambitionis fuisse putant, quòd decem indignati sint, quàm quòd duo primum locum postulaverint. Pie tamen eos Chrysost. excusat, quòd nondùm Spiritus sanctus in ipsos effusus fuisset, quo postea omnia hujusmodi humana vitia purgata sint.

VERS. 25. — VOCAVIT EOS AD SE. Apparet duos filios Zebedæi cum matre suâ separatim et clam, ne alii discipuli intelligerent, ad Christum adîsse, primumque ab eo honoris locum postulâsse ; cæteros tamen apostolos subindisse sermones aut ex Christi verbis fecisse conjecturam quòd duo filii Zebedæi à Christo petivissent, cœpisseque inter se murmurare. Vocat ergo eos Christus, et docet se eorum cogitationes tum : simul docet discipulos non aliud spectare oportere quàm salutem subditorum, et eorum utilitati servire.

VERS. 25. — DOMINANTUR EORUM, earum gentium, cum potestate et ambitione ; ac subi de monet sacerdotum imperium benignum esse oportere, et medes-

sermonesque, quamvis tacitos, cognovisse, et sicut aliorum petitionem, ita ipsorum indignationem corrigit.

Scitis. Perinde est ac si dicat : An nescitis hoc quod facitis, proprium esse ambitiosorum principum, nec omnium quidem, sed gentium, apud quas non virtus, non justitia, non dignitas, sed ambitio, sed vis, sed tyrannis regna et principatus obtinet, et ubi principes, non quæ suis populis, sed quæ sibi utilia et honorifica sunt, quærunt? ut videtur Euthymius interpretari. Non ergo reges ac principes de medio tolli, quemadmodùm multi nostro tempore hæretici ex hoc loco collegerunt, cùm D. Paulus, ad Rom. 13, 1, et ad Titum 3, 1, et D. Petrus, Epistolâ 1, 2, 13, 14, omnem magistratum et potestatem à Deo esse doceant, illique, etiamsi malus sit, obediendum esse. Multò verò minùs ecclesiasticam tollit auctoritatem, quâ et D. Petrus, Actorum 5, 5, 10, etiam Ananiâ et Saphirâ interficiendis severè usus est, et D. Paul. 1 ad Cor. 5, 5; et 1 ad Timoth. 1, 20, in hominibus perniciosis Satanæ tradendis, quamque Timotheo commendat, c. 4, versu 12. *Nemo adolescentiam*, inquit, *tuam contemnat*. Tantùm monet non debere apostolos, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocati sunt, gentilium principum ambitionem et tyrannidem imitari; propterea non quoslibet, sed gentium principes nominavit, qui magis ambitiosi crudelesque solebant esse, quàm Judæorum. qui et dabantur à Deo, et ejus timore religioneque in officio continebantur. Quemadmodùm Petrus, 1 Epistolâ, c. 5, 3, admonet eos qui Ecclesiam gubernant, ne in clerum dominentur. Denique tales esse apostolos vult, qualem se D. Paulus describit 2 Epistolâ ad Cor., c. 12, 14, 15 : *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos : nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissimè impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licèt plus vos diligens, minùs diligar.*

Dominantur eorum, in eas. Noster interpres et Græcismum et Hebraismum secutus est : Græcismum, quòd eorum dixerit pro in eos; Hebraismum, quòd non grammaticum, sed naturale secutus sit genus.

Vers. 28.—Et dare animam suam redemptionem pro multis. Declarat quid debeant boni Ecclesiæ pastores facere; *bonus* enim *pastor ponit animam suam pro ovibus suis*, Joannis 10, 11, 14. Collegerunt ex hoc loco Augustini tempore quidam hæretici, quos Prædestinatianos antiquitas appellavit, idemque nostro tempore Calvinistæ dicere coguntur, si suum de reprobatione errorem tueri volunt, Christum non pro omnibus natum, non pro omnibus mortuum esse, sed pro solis, qui salvi futuri erant, prædestinatis, ut Arnobius, vel quisquis alius auctor fuit eorum Commentariorum in Psalmos, qui falsò Arnobio tribuuntur, Psalmo 146, et Faustus, lib. 2 de libero Arbitrio, c. 14 et 16. In eodem errore, Lotharii tempore, fuit Godeschalcus in Galliâ, ut, in lib. adversùs Prædestinatianos, Hincmarus Rhemensis episcopus scribit, et, ut videtur, Remigius Lugdunensis, in lib. contra tres epistolas trium episcoporum Galliæ. Quod et ex aliis locis similibus comprobabant, ut infra, c. 26, 28 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; et ad Hebræos, 9, 28 : *Sic et Christus semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata*. Qui error non solùm absurdus est, sed maximo Christi beneficio, et liberalissimæ charitati maximè etiam ingratus, aliisque perspicuis Scripturæ testimoniis refutatur. Quid enim apertius quàm quod dicit D. Paulus, 1 ad Timoth. 2, 6 : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, et 2 ad Cor. 5, 14, 15 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut et, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Cur ergo Christus hoc loco, sicut et apud Marcum, c. 10, 45, non dixit se venisse, ut daret animam suam in redemptionem pro omnibus, sed *pro multis?* Cur dixit sanguinem suum *pro multis* effundi? Cur dixit D. Paulus eum *ad multorum exhaurienda peccata* oblatum esse? Probabilis est responsio quorumdam, omnes multorum nomine significatos, quia πολλοὺς *multos* Græci vocant non tam nomine numerali quàm infinito; quemadmodùm Latini omnes homines multitudinem appellant. Sed magis credo voluisse Christum non voluntatem suam, sed mortis suæ fructum declarare : nam si ejus quidem voluntatem spectes, pro omnibus hominibus, nemine excepto, mortuus est, ut illis Scripturæ testimoniis, quæ paulò superiùs adduximus, declaratur. Si spectes fructum, non ad omnes pervenit, sed ad multos, quia non omnes percipere voluerunt; sicut videmus Christum aliquando pro omnibus hominibus etiam reprobis orare, ut pro iis qui se crucifixerant, Lucæ 23, 34, ut declaret velle se, idque optare omnes salvos fieri; aliquando non orare nisi pro prædestinatis, ut apud Joannem, c. 17, 9 : *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi.* Ad hunc modum Hieronym. hunc locum interpretatur.

Vers. 29.—Et egredientibus illis ab Jericho. Erat Jericho in viâ, cùm ex Galliâ Jerosolymam propter fluvium Jordanem veniebatur.

Vers. 30.—Et ecce duo cæci. Dubium an eadem sit historia quæ hic à Matth., et quæ à Marco, c. 10, 46, et à Lucâ, c. 18, 35, narratur, qui tres propè Jericho cæcos Christum curâsse scribunt. Sunt qui tres diversas historias esse putent, ut Euthymius, quia Matthæus duos cæcos fuisse dicit; Marc. et Luc. unum, et Marc. narrat cæcum illum, quem curatum fuisse dicit, vestimentum suum projecisse, ut prosiliret ad Christum, quod alii non narrant. Alii duas historias

esse credunt, ut D. August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 65, et lib. 2 Quæst. evangelicarum, quæstione 48, et Beda, Strabus et Lyranus, hoc loco. Nam eam quam Matth. et Marc. scribunt unam esse; quam autem Luc. esse diversam, quia Matth. et Marc. scribunt id factum esse cùm Christus ab Jericho egrederetur; Luc. verò, cùm appropinquaret, quod videtur adeò esse contrarium, ut non videatur idem miraculum esse posse. Magis assentior Theophylacto, qui unam tantùm historiam à tribus evangelistis narrari putat. Omnia enim sunt adeò similia, ut non videantur diversa esse posse miracula. Omnes dicunt id accidisse in eâ profectione ultimâ, quâ Christus, ut moreretur, venit ex Galilæâ in Jerusalem, omnes in eodem loco propè Jericho; omnes cæcum aut cæcos, qui curati sunt, sedisse juxta viam quâ Christus prætéribat; omnes clamâsse iisdem verbis : *Jesu, fili David, miserere mei*; omnes à turbâ jussos fuisse tacere; omnes vehementiùs clamâsse; omnes stetisse; Christum et cæcos ad se vocâsse; omnes rogâsse cæcos : *Quid vultis, ut faciam vobis?* Non potuerunt profectò in diversis historiis tam similia esse tam multa. Quòd ergo Matth. duos, Marcus verò et Lucas unum tantùm commemorant cæcum, rectè D. August. respondet, duos quidem fuisse, ut Matth. scribit, sed ex iis unum nobiliorem, et vulgò magis celebrem, ideòque illius tantùm Marcum et Lucam fecisse mentionem. Confirmat hanc conjecturam Marc., exprimens nomen cæci et patris ipsius, quasi homo esset vulgò omnibus notus; vocat quippe Bartimæum filium Timæi. Simile exemplum vidimus supra, c. 8, 28, ubi Matth. scribit duos à Christo dæmoniacos in regione Gerasenorum curatos fuisse, cùm Marc., c. 5, 2, et Luc., c. 8, 27, unius tantùm meminerint. Difficilior nodus est, quòd Matth., vers. sup., et Marc., c. 10, 46, dicant id contigisse cùm Christus ab Jericho egrederetur; Luc. verò, c. 18, 35, cùm appropinquaret; neque quorumdam interpretationem verba Græca recipiunt; quæ exponunt, *cùm appropinquaret*, id est, cùm inde discedens adhuc esset propè; est enim Græcè, ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχὼ, *cùm appropinquaret in Jericho*, id est, ut ingrederetur in Jericho. Itaque magis eorum probo conjecturam, qui existimant cæcum illum nobiliorem, de quo Marc. et Luc. scribunt, tùm cùm Christus ad urbem appropinquaret, sedisse secus viam, et ad prætereuntem Christum acclamâsse : *Jesu, fili David, miserere mei*; Christum verò tunc curare eum noluisse, ut paulò post duos simul curaret. Cæcum ergo iterùm viam obsedisse, quâ sciebat exiturum Christum, et iterùm unà cum altero cæco iisdem clamâsse verbis, atque tunc vocatos à Christo fuisse, atque curatos, et quia non omnia narrant evangelistæ, Matth. et Marcum dixisse id factum fuisse cùm Christus egrederetur, Lucas cùm appropinquaret. Illud verò, quod ait Marcus, cæcum, cùm vidisset se à Christo vocari, abjectâ veste accurrisse, quodque Matth. dicit Christum cæcorum oculos tetigisse, quod alii evangelistæ non dicunt, minimè difficile, cùm sæpè unus evangelista unam facti circumstantiam declaret, quam alii prætericrunt.

Fili David, id est, Messia. Cur ita Christus appellaretur ab iis præsertim qui aliquod ab eo beneficium postulabant, diximus in Præfatione.

Vers. 31.—Turba autem increpabat eos, ut tacerent. Non invidè atque malignè, sed amanter et officiosè id piam turbam fecisse credendum est, ne homines abjecti Christo obstrependo molesti essent, ut auctor Imperfecti et Euthymius existimant.

Vers. 34.—Tetigit oculos eorum. Cur tetigerit, supra, c. 8, 3, exposuimus. Marc. verò et Luc. addunt subjunxisse Christum : *Fides tua te salvum fecit*, quod quemadmodùm sit intelligendum, c. 9, 2, copiosè disputavimus.

Vers. 28. — Redemptionem. Vox Græca λύτρον, *pretium* significat : *pro multis*, pro omnibus; sic Rom. 5, 19 : *Peccatores constituti sunt multi*, id est, omnes.

Vers. 30. — Duo cæci. Unius tantùm mentionem faciunt Marcus et Lucas, qui erat notior altero. Deinde Marcus unius tantùm meminit, quem Dominus sanavit exiens ex urbe, cùm alterum sanâsset in ipso ingressu : utrumque conjungit Matthæus.

CAPUT XXI.

1. Et cùm appropinquâssent Jerosolymis, et venissent Bethphage, ad montem Oliveti : tunc Jesus misit duos discipulos,

2. Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum eâ : solvite, et adducite mihi :

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem :

5. Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.

6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

7. Et adduxerunt asinam et pullum; et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua

CHAPITRE XXI.

1. Lorsqu'ils approchèrent de Jérusalem, et qu'ils furent arrivés à Bethphagé, près de la montagne des Oliviers, Jésus envoya deux de ses disciples,

2. Et leur dit : Allez à ce village qui est devant vous, et vous y trouverez en arrivant une ânesse attachée, et son ânon avec elle : détachez-les, et me les amenez.

3. Et si quelqu'un vous dit quelque chose, dites-lui que le Seigneur en a besoin, et aussitôt il les laissera emmener.

4. Or, tout cela se fit, afin que cette parole du prophète fût accomplie :

5. Dites à la fille de Sion : Voici votre Roi qui vient à vous plein de douceur, monté sur une ânesse, et sur l'ânon de celle qui est sous le joug.

6. Les disciples s'en allèrent donc, et firent ce que Jésus leur avait commandé.

7. Et ayant amené l'ânesse et l'ânon, ils les couvrirent de leurs vêtements, et le firent monter dessus.

8. Une grande multitude de peuple étendit aussi

sermonesque, quamvis tacitos, cognovisse, et sicut aliorum petitionem, ita ipsorum indignationem corrigit.

Scitis. Perinde est ac si dicat : An nescitis hoc quod facitis, proprium esse ambitiosorum principum, nec omnium quidem, sed gentium, apud quas non virtus, non justitia, non dignitas, sed ambitio, sed vis, sed tyrannis regna et principatus obtinet, et ubi principes, non quæ suis populis, sed quæ sibi utilia et honorifica sunt, quærunt? ut videtur Euthymius interpretari. Non ergo reges ac principes de medio tollit, quemadmodùm multi nostro tempore hæretici ex hoc loco collegerunt, cùm D. Paulus, ad Rom. 13, 1, et ad Titum 3, 1, et D. Petrus, Epistolâ 1, 2, 13, 14, omnem magistratum et potestatem à Deo esse doceant, illique, etiamsi malus sit, obediendum esse. Multò verò minùs ecclesiasticam tollit auctoritatem, quâ et D. Petrus, Actorum 5, 5, 10, etiam Ananiâ et Saphirâ interficiendis severè usus est, et D. Paul. 1 ad Cor. 5, 5; et 1 ad Timoth. 1, 20, in hominibus perniciosis Satanæ tradendis, quamque Timotheo commendat, c. 4, versu 12. *Nemo adolescentiam*, inquit, *tuam contemnat*. Tantùm monet non debere apostolos, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocati sunt, gentilium principum ambitionem et tyrannidem imitari; propterea non quoslibet, sed gentium principes nominavit, qui magis ambitiosi crudelesque solebant esse, quàm Judæorum, qui et dabantur à Deo, et ejus timore religioneque in officio continebantur. Quemadmodùm Petrus, 1 Epistolâ, c. 5, 3, admonet eos qui Ecclesiam gubernant, ne in clerum dominentur. Denique tales esse apostolos vult, qualem se D. Paulus describit 2 Epistolâ ad Cor., c. 12, 14, 15 : *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos : nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissimè impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licèt plus vos diligens, minùs diligar.*

Dominantur eorum, in eas. Noster interpres et Græcismum et Hebraismum secutus est : Græcismum, quòd eorum dixerit pro in eos; Hebraismum, quòd non grammaticum, sed naturale secutus sit genus.

Vers. 28.—Et dare animam suam redemptionem pro multis. Declarat quid debeant boni Ecclesiæ pastores facere; *bonus enim pastor ponit animam suam pro ovibus suis*, Joannis 10, 11, 14. Collegerunt ex hoc loco Augustini tempore quidam hæretici, quos Prædestinatianos antiquitas appellavit, idemque nostro tempore Calvinistæ dicere coguntur, si suum de reprobatione errorem tueri volunt, Christum non pro omnibus natum, non pro omnibus mortuum esse, sed pro solis, qui salvi futuri erant, prædestinatis, ut Arnobius, vel quisquis alius auctor fuit eorum Commentariorum in Psalmos, qui falsò Arnobio tribuuntur, Psalmo 146, et Faustus, lib. 2 de libero Arbitrio, c. 14 et 16. In eodem errore, Lotharii tempore, fuit Godeschalcus in Galliâ, ut, in lib. adversùs Prædestinatianos, Hincmarus Rhemensis episcopus scribit, et, ut videtur, Remigius Lugdunensis, in lib. contra tres epistolas trium episcoporum Galliæ. Quod et ex aliis locis similibus comprobabant, ut infra, c. 26, 28 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; et ad Hebræos, 9, 28 : *Sic et Christus semel oblatus ad multorum exhaurienda peccata*. Qui error non solùm absurdus est, sed maximo Christi beneficio, et liberalissimæ charitati maximè etiam ingratus, aliisque perspicuis Scripturæ testimoniis refutatur. Quid enim apertius quàm quod dicit D. Paulus, 1 ad Timoth. 2, 6 : *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, et 2 ad Cor. 5, 14, 15 : *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut et, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.* Cur ergo Christus hoc loco, sicut et apud Marcum, c. 10, 45, non dixit se venisse, ut daret animam suam in redemptionem pro omnibus, sed *pro multis*? Cur dixit sanguinem suum *pro multis* effundi? Cur dixit D. Paulus eum *ad multorum exhaurienda peccata* oblatum esse? Probabilis est responsio quorumdam, omnes multorum nomine significatos, quia πολλοὺς, *multos* Græci vocant non tam nomine numerali quàm infinito; quemadmodùm Latini omnes homines multitudinem appellant. Sed magis credo voluisse Christum non voluntatem suam, sed mortis suæ fructum declarare : nam si ejus quidem voluntatem spectes, pro omnibus hominibus, nemine excepto, mortuus est, ut illis Scripturæ testimoniis, quæ paulò superiùs adduximus, declaratur. Si spectes fructum, non ad omnes pervenit, sed ad multos, quia non omnes percipere voluerunt; sicut videmus Christum aliquando pro omnibus hominibus etiam reprobis orare, ut pro iis qui se crucifixerant, Lucæ 23, 34, ut declaret velle se, idque optare omnes salvos fieri; aliquando non orare nisi pro prædestinatis, ut apud Joannem, c. 17, 9 : *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi.* Ad hunc modum Hieronym. hunc locum interpretatur.

Vers. 29.—Et egredientibus illis ab Jericho. Erat Jericho in viâ, cùm ex Galliâ Jerosolymam propter fluvium Jordanem veniebatur.

Vers. 30.—Et ecce duo cæci. Dubium an eadem sit historia quæ hic à Matth., et quæ à Marco, c. 10, 46, et à Lucâ, c. 18, 35, naratur, qui tres propè Jericho cæcos Christum curâsse scribunt. Sunt qui tres diversas historias esse putent, ut Euthymius, quia Matthæus duos cæcos fuisse dicit; Marc. et Luc. unum, et Marc. narrat cæcum illum, quem curatum fuisse dicit, vestimentum suum projecisse, ut prosiliret ad Christum, quod alii non narrant. Alii duas historias

Vers. 28. — Redemptionem. Vox Græca λύτρον, *pretium* significat : *pro multis*, pro omnibus; sic Rom. 5, 19 : *Peccatores constituti sunt multi*, id est, omnes.

Vers. 30. — Duo cæci. Unius tantùm mentionem faciunt Marcus et Lucas, qui erat notior altero. Deinde Marcus unius tantùm meminit, quem Dominus sanavit exiens ex urbe, cùm alterum sanâsset in ipso ingressu : utrumque conjungit Matthæus.

esse credunt, ut D. August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 65, et lib. 2 Quæst. evangelicarum, quæstione 48, et Beda, Strabus et Lyranus, hoc loco. Nam eam quam Matth. et Marc. scribunt unam esse; quam autem Luc. esse diversam, quia Matth. et Marc. scribunt id factum esse cùm Christus ab Jericho egrederetur; Luc. verò, cùm appropinquaret, quod videtur adeò esse contrarium, ut non videatur idem miraculum esse posse. Magis assentior Theophylacto, qui unam tantùm historiam à tribus evangelistis narrari putat. Omnia enim sunt adeò similia, ut non videantur diversa esse posse miracula. Omnes dicunt id accidisse in eà profectione ultimâ, quâ Christus, ut moreretur, venit ex Galilæâ in Jerusalem, omnes in eodem loco propè Jericho; omnes cæcum aut cæcos, qui curati sunt, sedisse juxta viam quâ Christus præteribat; omnes clamâsse iisdem verbis : *Jesu, fili David, miserere mei*; omnes à turbâ jussos fuisse tacere; omnes vehementiùs clamâsse; omnes stetisse; Christum et cæcos ad se vocâsse; omnes rogâsse cæcos : *Quid vultis, ut faciam vobis?* Non potuerunt profectò in diversis historiis tam similia esse tam multa. Quòd ergo Matth. duos, Marcus verò et Lucas unum tantùm commemorant cæcum, rectè D. August. respondet, duos quidem fuisse, ut Matth. scribit, sed ex iis unum nobiliorem, et vulgò magis celebrem, ideòque illius tantùm Marcum et Lucam fecisse mentionem. Confirmat hanc conjecturam Marc., exprimens nomen cæci et patris ipsius, quasi homo esset vulgò omnibus notus; vocat quippe Bartimæum filium Timæi. Simile exemplum vidimus supra, c. 8, 28, ubi Matth. scribit duos à Christo dæmoniacos in regione Gerasenorum curatos fuisse, cùm Marc., c. 5, 2, et Luc., c. 8, 27, unius tantùm meminerint. Difficilior nodus est, quòd Matth., vers. sup., et Marc., c. 10, 46, dicant id contigisse cùm Christus ab Jericho egrederetur; Luc. verò, c. 18, 35, cùm appropinquaret; neque quorumdam interpretationem verba Græca recipiunt; quæ exponunt, *cùm appropinquaret*, id est, cùm inde discedens adhuc esset prope; est enim Græcè, ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχώ, *cùm appropinquaret in Jericho*, id est, ut ingrederetur in Jericho. Itaque magis eorum probo conjecturam, qui existimant cæcum illum nobiliorem, de quo Marc. et Luc. scribunt, tùm cùm Christus ad urbem appropinquaret, sedisse secus viam, et ad prætereuntem Christum acclamâsse : *Jesu, fili David, miserere mei*; Christum verò tunc curare eum noluisse, ut paulò post duos simul curaret. Cæcum ergo iterùm viam obsedisse, quâ sciebat exiturum Christum, et iterùm unà cum altero cæco iisdem clamâsse verbis, atque tunc vocatos à Christo fuisse, atque curatos, et quia non omnia narrant evangelistæ, Matth. et Marcum dixisse id factum fuisse cùm Christus egrederetur, Lucas cùm appropinquaret. Illud verò, quod ait Marcus, cæcum, cùm vidisset se à Christo vocari, abjectâ veste accurrisse, quodque Matth. dicit Christum cæcorum oculos tetigisse, quod alii evangelistæ non dicunt, minimè difficilè, cùm sæpè unus evangelista unam facti circumstantiam declaret, quam alii prætericrunt.

Fili David, id est, Messia. Cur ita Christus appellaretur ab iis præsertim qui aliquod ab eo beneficium postulabant, diximus in Præfatione.

Vers. 31.—Turba autem increpabat eos, ut tacerent. Non invidè atque malignè, sed amanter et officiosè id piam turbam fecisse credendum est, ne homines abjecti Christo obstrependo molesti essent, ut auctor Imperfecti et Euthymius existimant.

Vers. 34.—Tetigit oculos eorum. Cur tetigerit, supra, c. 8, 3, exposuimus. Marc. verò et Luc. addunt subjunxisse Christum : *Fides tua te salvum fecit*, quod quemadmodùm sit intelligendum, c. 9, 2, copiosè disputavimus.

CAPUT XXI.

1. Et cùm appropinquâssent Jerosolymis, et venissent Bethphage, ad montem Oliveti : tunc Jesus misit duos discipulos,

2. Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum eâ : solvite, et adducite mihi :

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem :

5. Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.

6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

7. Et adduxerunt asinam et pullum; et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua

CHAPITRE XXI.

1. Lorsqu'ils approchèrent de Jérusalem, et qu'ils furent arrivés à Bethphagé, près de la montagne des Oliviers, Jésus envoya deux de ses disciples,

2. Et leur dit : Allez à ce village qui est devant vous, et vous y trouverez en arrivant une ânesse attachée, et son ânon avec elle : détachez-les, et me les amenez.

3. Et si quelqu'un vous dit quelque chose, dites-lui que le Seigneur en a besoin, et aussitôt il les laissera emmener.

4. Or, tout cela se fit, afin que cette parole du prophète fût accomplie :

5. Dites à la fille de Sion : Voici votre Roi qui vient à vous plein de douceur, monté sur une ânesse, et sur l'ânon de celle qui est sous le joug.

6. Les disciples s'en allèrent donc, et firent ce que Jésus leur avait commandé.

7. Et ayant amené l'ânesse et l'ânon, ils les couvrirent de leurs vêtements, et le firent monter dessus.

8. Une grande multitude de peuple étendit aussi

in viâ : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in viâ.

9. Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis.

10. Et cùm intrâsset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic ?

11. Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta à Nazareth Galilææ.

12. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo : et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit :

13. Et dicit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum.

14. Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos.

15. Videntes autem principes sacerdotum, et scribæ, mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes : Hosanna filio David, indignati sunt,

16. Et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt ? Jesus autem dixit eis : Utique : nunquàm legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ?

17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem, in Bethaniam, ibique mansit.

18. Mane autem revertens in civitatem, esuriit.

19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in eâ, nisi folia tantùm, et ait illi : Nunquàm ex te fructus nascatur in sempiternum. Et aresecta est continuò ficulnea.

20. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes : Quomodò continuò aruit ?

21. Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solùm de ficulneâ facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mari, fiet.

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes, accipietis.

23. Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes : In quâ potestate hæc facis ? et quis tibi dedit hanc potestatem ?

24. Respondens Jesus, dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem : quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in quâ potestate hæc facio.

25. Baptismus Joannis unde erat ? è cœlo, an ex hominibus ? At illi cogitabant inter se, dicentes :

26. Si dixerimus : E cœlo, dicet nobis : Quare ergo non credidistis illi ? Si autem dixerimus : Ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebant Joannem sicut prophetam.

27. Et respondentes Jesu, dixerunt : Nescimus. Ait illis et ipse : Nec ego dico vobis in quâ potestate hæc facio.

28. Quid autem vobis videtur ? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit : Fili, vade hodiè operare in vineâ meâ.

ses vêtements sur le chemin ; les autres coupaient des branches d'arbres, et les jetaient dans le chemin.

9. Tous ensemble, tant ceux qui allaient devant lui que ceux qui le suivaient, criaient : Hosanna au fils de David ; béni soit celui qui vient au nom du Seigneur : Hosanna au plus haut des cieux.

10. Lorsqu'il fut entré dans Jérusalem, toute la ville en fut émue ; et chacun demandait : Qui est celui-ci ?

11. Or, les peuples disaient : C'est Jésus, le prophète de Nazareth en Galilée.

12. Et Jésus entra dans le temple de Dieu, et il chassa tous ceux qui vendaient et qui achetaient dans le temple ; il renversa les tables des changeurs et les sièges de ceux qui vendaient des colombes.

13. Et il leur dit : Il est écrit : Ma maison sera appelée la maison de la prière ; et vous en avez fait une caverne de voleurs.

14. Alors des aveugles et des boiteux vinrent à lui dans le temple, et il les guérit.

15. Mais les princes des prêtres et les scribes voyant les merveilles qu'il venait de faire, et les enfants qui criaient dans le temple : Hosanna au fils de David, en conçurent de l'indignation ;

16. Et ils lui dirent : Entendez-vous bien ce que disent ces enfants ? Jésus leur répondit : Oui ; n'avez-vous jamais lu cette parole : Vous avez tiré la louange la plus parfaite de la bouche des petits enfants, et de ceux qui sont à la mamelle ?

17. Et les ayant laissés, il sortit de la ville, et s'en alla à Béthanie, où il s'arrêta.

18. Le matin, comme il retournait à la ville, il eut faim ;

19. Et voyant un figuier sur le chemin, il s'en approcha ; mais n'y ayant trouvé que des feuilles, il lui dit : Qu'à jamais il ne naisse de toi aucun fruit. Et au même instant le figuier devint sec.

20. Ce que les disciples voyant, ils furent saisis d'étonnement, et dirent : Comme ce figuier est devenu sec en un instant !

21. Mais Jésus leur dit : Je vous le dis en vérité, si vous avez de la foi, et si vous n'hésitez point, non seulement vous ferez ce que je viens de faire de ce figuier ; mais quand même vous diriez à cette montagne : Lève-toi, et te jette dans la mer, cela se fera.

22. Et quoi que ce soit que vous demandiez dans la prière, vous l'obtiendrez, si vous le demandez avec foi.

23. Lorsqu'il fut arrivé dans le temple, les princes des prêtres, et les sénateurs du peuple vinrent à lui comme il enseignait, et lui dirent : Par quelle autorité faites-vous ces choses ? et qui vous a donné cette autorité ?

24. Jésus leur répondit : J'ai aussi une question à vous faire ; et si vous m'y répondez, je vous dirai par quelle autorité je fais ceci.

25. D'où était le baptême de Jean ? du ciel ou des hommes ? Mais eux raisonnaient, disant en eux-mêmes :

26. Si nous répondons : Du ciel, il nous dira : Pourquoi donc n'y avez-vous pas cru ? Et si nous répondons : Des hommes, nous avons à craindre le peuple. Car Jean passait pour un prophète dans l'estime de tout le monde.

27. Ils répondirent donc à Jésus : Nous ne savons. Et Jésus leur répondit : Je ne vous dirai pas non plus par quelle autorité je fais ceci.

28. Mais que vous semble de ceci ? Un homme avait deux fils, et s'adressant au premier, il lui dit : Mon fils, allez-vous-en aujourd'hui travailler à ma vigne.

29. Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem, pœnitentiâ motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine : et non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei : Primus. Dicit illis Jesus : Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes in viâ justitiæ, et non credidistis ei, publicani autem et meretrices crediderunt ei : vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.

33. Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in eâ torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregrè profectus est.

34. Cùm autem tempus fructuum appropinquâsset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.

36. Iterùm misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

37. Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres : venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.

40. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ?

41. Aiunt illi : Malos malè perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illis Jesus : Nunquàm legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli ? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

43. Idcò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem verò ceciderit, conteret eum.

45. Et cùm audissent principes sacerdotum et pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.

46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

29. Mais il lui répondit : Je ne veux pas. Mais après, étant touché de repentir, il y alla.

30. Il s'adressa ensuite à l'autre, et lui dit la même chose. Celui-ci répondit : J'y vais, seigneur ; et il n'y alla point.

31. Lequel des deux a fait la volonté de son père ? C'est le premier, lui dirent-ils. Et Jésus ajouta : Je vous dis en vérité, que les publicains et les prostituées vous devanceront dans le royaume de Dieu.

32. Car Jean est venu à vous dans la voie de la justice, et vous ne l'avez point cru : les publicains, au contraire, et les prostituées l'ont cru ; et vous qui avez vu, vous n'avez point été touchés de repentir, ni portés à le croire.

33. Ecoutez une autre parabole. Il y avait un père de famille, qui, ayant planté une vigne, l'enferma d'une haie ; et, creusant dans la terre, il y fit un pressoir, et y bâtit une tour, puis il la loua à des vignerons, et s'en alla dans un pays éloigné.

34. Or, le temps des vendanges étant proche, il envoya ses serviteurs aux vignerons, pour recevoir les fruits de sa vigne.

35. Mais les vignerons s'étant saisis de ses serviteurs, battirent l'un, tuèrent l'autre, et en lapidèrent un autre.

36. Il leur envoya encore d'autres serviteurs en plus grand nombre que les premiers ; et ils les traitèrent de même.

37. Enfin il leur envoya son fils, disant : Ils respecteront mon fils

38. Mais les vignerons voyant le fils, dirent entre eux : Celui-ci est l'héritier ; venez, tuons-le, et nous aurons son héritage.

39. Ainsi s'étant saisis de lui, ils le jetèrent hors de la vigne, et le tuèrent.

40. Lors donc que le maître de la vigne sera venu, que fera-t-il à ces vignerons ?

41. Ils lui répondirent : Il fera périr ces misérables, et il louera sa vigne à d'autres vignerons, qui lui en rendront les fruits en leur saison.

42. Jésus ajouta : N'avez-vous jamais lu dans les Ecritures : La pierre que ceux qui bâtissaient avaient rejetée, est devenue la principale pierre de l'angle ? C'est le Seigneur qui l'a fait, et nos yeux le voient avec admiration.

43. C'est pourquoi je vous déclare que le royaume de Dieu vous sera ôté, et qu'il sera donné à un peuple qui en produira les fruits.

44. Et celui qui tombera sur cette pierre s'y brisera ; et elle écrasera celui sur qui elle viendra à tomber.

45. Les princes des prêtres et les pharisiens ayant entendu ces paraboles de Jésus, connurent bien que c'était d'eux qu'il parlait.

46. Et voulant se saisir de lui, ils appréhendèrent le peuple, parce qu'il regardait Jésus comme un prophète.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage. Erat Bethphage ad radicem montis Oliveti, quem proximum Jerosolymæ fuisse constat ex Lucâ, c. 21, 37. Marcus, c. 11, 1, ait : *Cùm appropinquarent Jerosolymæ et Bethaniæ* ; Lucas verò, c. 19, 29 : *Factum est, cùm appropinquâsset ad Bethphage et Bethaniam*, ex quibus verbis intelligitur Bethaniam et Bethphage æqualiter ferè ab Jerosolymâ remotas fuisse, quandoquidem quod Matthæus dixit : *Cùm ap-*

Vers. 3. — Quia Dominus his opus habet ; his vult uti ad gloriosum ingressum suum in Jerusalem.

propinquâssent Bethphagæ, Marcus dixit : *Cùm approquarent Bethaniæ*. Quod autem colligunt quidam Bethaniam longiùs abfuisse ab Jerusalem quàm Bethphagen, propterea quòd ex Joanne, c. 12, 1, manifestum sit Christum die sabbati præcedenti in Bethaniâ fuisse, ibique cœnâsse et noctem egisse, Matth. verò significat jam ex Bethaniâ discessisse, *cùm appropinquaret Bethphagæ*, et discipulos ad solvendam asinam mitteret, itaque Lucam præpostero ordine nomen Bethphagæ et Bethaniæ posuisse, cùm deberet priori loco Bethaniam, quæ paulò longiùs distabat, posteriore Bethphagæ nominare, quemadmodùm et Marcus prius Jerusalem quàm Bethaniam ; hoc, inquam, non magnâ mitiur conjecturâ ; nam si qua major erat Bethaniâ distantia quàm Bethphagæ, non nisi perexigua esse potuit, cùm ex Joanne, c. 11, 18, compertum sit Bethaniam ab Jerusalem quindecim stadia abfuisse, quæ mille octingentos septuaginta aut circiter passus efficiebant ; in Actis verò apostolorum, c. 1, 12, dicitur Bethphagæ distare ab Jerusalem *sabbati iter*, id est, quantùm Judæis die sabbati progredi licebat ; licebat autem, ut Origenes ait, mille passus ; ut alii, bis mille conficere. Quod eò est probabilius, quòd Christus, cùm Jerosolymis esset, solebat sub noctem ire in montem Oliveti, ut ait Lucas, c. 21, 37, et est verò simile eum ad domum Mariæ sororis Lazari ititâsse, quæ in Bethaniâ erat, ut apparet ex Joanne, c. 12, 1.

Misit duos discipulos. Qui duo illi fuerint discipuli, prudentis est interpretis non inquirere, prudentis lectoris libenter ignorare, cùm evangelistæ non expresserint, expressuri utique, si quid nostra interesse judicâssent. Quanquàm non ignoro magnos auctores non inquisivisse modò, sed quodammodò etiam delinivisse ; nam Hilarius, auctor Imperfecti, Beda, Strabus, et auctor Historiæ quàm scholasticam vocant, Petrum et Philippum fuisse credunt ; Origenes et Theophylact. Petrum et Paulum mysticè, ut opinor ; nec enim ignorare poterant nondum Paulum tum apostolum fuisse. Itaque non tam Petrum et Paulum missos fuisse, quàm Petrum, et Paulum per eos, qui missi fuerant, significatos dicere voluerunt, quia ad solvendam asinam et pullum missi sunt ; et asina, ut illi putant, populum Judæorum, pullus gentilem significabat ; et Petrus ad Judaicum, Paulus ad gentilem populum mittendus erat.

Vers. 2. — In castellum, εἰς τὴν κώμην, in pagum aut in vicum. Lyranus valdè miror, cæterà bonum auctorem, castellum hoc loco Jerosolymitanam villam expostuisse, et in nominis diminutione parùm consideratè insisse, quasi per contemptum non castrum, sed castellum Christus appellaverit, cùm non solùm Græca lingua, quam non penitùs ignorabat ; sed via etiam

Vers. 4 et 5. — Dicite, etc. Testimonium hoc partim ex Isaiâ, c. 62, partim è Zachariâ, c. 9, desumptum est. Dicite filiæ Sion, civibus Jerusalem : frequens hebraismus, quo civitates filiæ appellantur. Mansuetus, Vox hebræa *hanav*, עָנָו, *mansuetum et pauperem* significat. *Sedens super asinam et pullum* vicissim asinæ insidens in ascensu montis, pullo, in descensu. Alii Evangelistæ solius pulli mentionem faciunt :

ipsa, quâ Christus iter habebat, docere potuerit locum in quem apostoli missi sunt, aliquanto spatio ab Jerusalem dissitum fuisse.

Quod contra vos est. E regione, sicut Latinus poeta dixit : *Italiam contra*, et Galli solent dicere ecce contra te est, id est, ante te. Nam quorumdam interpretatio, qui contra, id est, adversùs vos exponunt, aut allegorica est, aut parùm apta.

Asinam et pullum. Marcus, Lucas et Joannes solius pulli meminerunt. Matth. asinam etiam nominavit, et ut rem totam narraret, sicut erat, et, ut ostenderet verè impletam fuisse Zachariæ prophetiam, quæ non solùm de pullo ; sed etiam de asinâ loqui videbatur, aut intelligi certè poterat, et fortassè etiam, ut nominatâ asinâ indicaret, adeò juvenem fuisse pullum, ut neminem dùm vexisset, sicut Marc. c. 11, 2, et Luc. c. 19, 30, explicârunt, *super quem nemo adhuc hominum sedit* ; non enim solent polli ab asinabus separari, donec onera gestare incipiant. Cæteri verò evangelistæ ideò de solo pullo mentionem fecerunt, quia super solum pullum Christus insedit. Quod auctor scholasticæ Historiæ et Lyranus dicunt asinam et pullum unâum certum habuisse dominum ; sed in usum pauperum expositos fuisse, ut quisquis illis indigeret, uteretur ; nec debuerunt sine alicujus boni auctoris testimonio affirmare, et non viderunt evangelistis esse contrarium : scribit enim Lucas, c. 19, 33 : *Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos, Quid solvitis pullum ?*

Vers. 3. — Continuo dimittet. Quidam intellexerunt Christum dimissurum, quasi sensus sit ; fiet ut Christus simul atque jumentis usus fuerit, ea remittat, ut interpretatur auctor Imperfecti, homil. 37, sed ex Marco, c. 11, 6, manifestum est id non ad Christum, sed ad dominum pulli esse referendum ; quasi dicat, simul atque dixeritis dominum opus illis habere, dimittet vobis eos.

Vers. 4. — Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam. Dictionis, ut, duplex sensus esse potest ; alter, ut non causam, sed consequentiam significet : quemadmodùm, cap. 2, 15, explicavimus ; quasi dicat ita factum esse, ut impleretur quod dictum fuerat per prophetam : alter, ut causam finalem declaret ; quasi velit evangelista significare propterea voluisse Christum asino vectum ingredi in Jerusalem, ut prophetiam Zachariæ sibi convenire declararet ; hoc mihi magis probatur. Nam ut Chrysostomus et auctor Imperfecti hoc loco disputant, non est existimandum temerè Christum, et sine ullâ significatione mysterii voluisse tunc asino insidentem urbem inire, cùm nunquàm ita in eamdem urbem ingressus ante fuisset. Potissimam ergo ejus consilii causam fuisse arbitror, ut cogerentur Judæi ex prophetiæ tecum eadem vox apud Hebræos et asino et asinæ communis sit. Quidam putant per appositionem, asinam appellari et pullum. Aut certè cùm tres Evangelistæ pulli mentionem faciant, saltem asina sequebatur juxta Matthæum, et prophetiam Zachariæ, cap. 9, juxta versionem Septuaginta ac frequens est in Scripturâ usus pluralis pro singulari.

stimonio ipsum tanquàm suum regem et Messiam agnoscere. Quis enim alius Judæorum rex, ut Chrysost. argumentatur, asino vectus in Jerusalem ingressus usquàm est, de quo prophetæ vaticinium possit intelligi ? Aliam ejus rei causam Chrysostom. affert, ut apostolis, et nobis omnibus humilitatis exemplum præberet. Tertiam, auctor Imperfecti, ut Judæorum invidiam concitaret, quasi eo facto regem se Judæorum fuisse profiteretur, ut cùm tempus moriendi jam esset, illos in se irritaret, ut se traderent morti, cùm alios antequàm moriendi tempus appropinquaret, ex eorum manibus effugere soleret, ut Luc. 4, 29 et 30 ; videtur etiam Christus regni sui speciem, quod in humilitate consistebat, ante oculos ponere voluisse.

Vers. 5. — Dicite filiæ Sion. Hæc verba apud Zachariam non sunt, ex quo sumptum est testimonium, quod sequitur, sed aut evangelista explicandi causâ proposuit ; aut ex Zachariâ, et Isaiâ, c. 62, 11, testimonium conflavit, qui idem præd cens, his utitur verbis : *Dicite filiæ Sion, ecce salvator tuus venit*. Apud Zachariam, c. 9, 9, sic legitur : *Exulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator, ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ* : quemadmodùm Hieronym. vertit. Matth. nec omnia prophetiæ verba recitavit, quia, ut post dicemus, necessaria non erant ; neque Hebraicam lectionem ; sed versionem Septuaginta interpretum, ut in multis aliis locis, secutus est.

Filiæ Sion. Et Hebraismus est, et synecdoche. Hebraismus, quòd civitatem filiam appellet ; quod in sacris Litteris est frequentissimum, et à nonnullis Græcis poetis usurpatum, à Latinis imitatione quâdam, et similitudine acceptum, qui urbes feminarum nomine appellare solent ; et synecdoche, quia ex parte totum intelligitur. Sion enim mons erat, in quo una tantùm pars urbis erat collocata. Solet autem tota urbs propterea ex eo monte nominari ; quia ibi erat regia. Joannes, c. 12, 15, paulò aliter hoc testimonium citat : *Noli*, inquit, *timere, filia Sion*. Sensum nimirùm, non verba secutus est. Nam quod propheta dicit, *Exulta*, ille dicit, *noli timere* ; non enim timet, qui exsultat.

Ecce rex tuus. Videtur diù expectatum Messiam, quasi jam propè adventantem, et ante oculos positum, digito demonstrare ; quemadmodùm cùm diù aliquem expectamus, et in viam, quâ venturus est, intentos habemus oculos, ut videamus utrùm appareat, qui primus illum venientem prospicit, dicere solet, ecce venit, hanc vim habet illud *ecce*, et illud *venit*. Nam etsi propheta futuro usus est tempore, dubium non est, quin pro Hebraicæ linguæ proprietate futurum pro præsenti posuerit, sic quod intelligentes Septuaginta per tempus præsens transtulerunt, ut et Matth. fecit.

Venit tibi. Sic jungenda sunt verba, ut ex Hebraico contextu perspicuum est. Significat enim propheta filiæ Sion suum regem venire, id est, quem per multa secula expectaverat : significat etiam propriè ad filiam Sion, id est, ad populum Judaicum missum

esse, quia non venerat, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israel, ut dicit, c. 15, 24, hoc ergo est *venit tibi*. Itaque qui pronomen *tibi* cum sequentibus copulant, quasi sensus sit, tibi mansuetus, non iratus, non elatus, non crudelis, etsi benè saltant, extra chorum tamen saltant.

Mansuetus. Hebraicè est עָנָו pauper ; sed Septuaginta converterunt πραΰς, mansuetus, quia, ut opinor, legerunt עָנָו, eosque evangelista secutus est, nulla sententiæ prophetæ injuria. Nam et, qui pauperes sunt, mansueti, ac mites esse solent, et utrumque nomen apud Hebræos ab eodem verbo originem trahit.

Sedens super asinam, et pullum. Vulgaris hoc loco quæstio, quomodò Christus super asinam, et pullum sedere potuerit. Nonnulli auctores existimantes id litteraliter intelligi non posse, ad allegoriam confugiendum esse dixerunt, ut Hieronym. et Beda. Alii supra utrumque sedisse non simul, sed prius super asinam, deinde supra pullum, idque mysterii declarandi causâ ; asinam enim populum Judaicum, in quo prius insederit ; pullum gentilem, in quem relicto Judaico se transtulerit. Ita Theophylactus, Strabus, Remigius, D. Thom. et Hugo. Contra Lyranus prius supra pullum, deinde supra asinam sedisse : quia pullus indomitus erat, et pati sessorem noluerat. Et quidem verba evangelistæ videntur præ se ferre Christum sedisse super utrumque, et quia propterea videtur asinam à pullo distinxisse etiam in testimonio prophetæ, in quo Hebraicum nomen עַיִר et asinam, et asinam significare poterat ; et quia versu 7, scribit apostolos super utrumque vestes suas posuisse, ut Christus insideret. Ex aliis tamen evangelistis perspicuum est non nisi super pullum Christum sedisse, et quia asinæ ne mentionem quidem ullam fecerunt, et quia Marc. et Luc. indicant mysterii alicujus causâ non solùm non super asinam, sed ne super asinum quidem domitum sedere voluisse, verùm super pullum, super quem nemo hominum sederat, sive populum gentilem adhuc rudem, et indomitum significare voluerit, sive non decuerit sedere Christum super asinum, super quem alii homines insedissent, sive, ut nonnulli auctores volunt, in eâ etiam re virtutem suam voluerit declarare, quòd indomitus pullus sibi obediret. Itaque superest nunc alia quæstio, quomodò Matth. super utrumque sedisse non solùm indicare ; sed planè dicere videatur. Notatis cujusdam Calvinistarum interpretis ridicula mihi videtur esse sententia, qui Gallicâ phrasi evangelistam dixisse putat super asinam, et pullum Christum sedisse, quemadmodùm Galli vulgò dicunt ire duobus equis, non quòd qui ita ire dicitur, sedeat super utrumque, sed quòd in comitatu suo duos equos habeat. Rectè fortassè conjecisset, si Matthæus natus fuisset in Galliâ, præterquàm quòd, ut ea phrasis in hunc locum conveniret, oportebat, ut aliquis alius sederet super asinam : nec enim calo, et lixa, qui uno vehitur equo, et duos alios capistro trahit, tribus equis ire dicitur. Melius alii existimant hoc loco Græcum vocabulum ὄνος, quamvis et asinam, et asinum significet ; tamen non asi-

nam, sed asinum fuisse vertendum, ut non duo, sed unus tantùm significaretur; tanquàm diceret evangelista sedens super asinum, et super pullum filium subjugalis repetitione apud Hebræos usitatâ, quâ idem diversis nominibus significatur. Juvat interpretationem Hebraici sermonis consuetudo, quâ nomen חמור, quod est apud prophetam, asinum ferè ubique, vix unquàm asinam significat. Est in hâc sententiâ Græcus auctor Euthymius, eâque valdè mihi aliquando placuit: sed animadverti postea ita evangelistam loqui, ut dubium non sit voluisse significare Christum super asinam, et pullum sedisse; nec enim sine causâ nomen, quod apud prophetem ambiguum erat, ut et pro asino, et pro asinâ accipi posset, sine ambiguitate asinam vertit, præsertim cùm neque Jonathas Chaldæus paraphrastes, neque Septuaginta interpretes ita vertissent. Nec dubium est, quin noster interpres meliùs hoc loco asinam, quàm asinum verterit; cùm ex ipso contextu manifestum sit Christum, vers. 2, de asinâ et pullo ejus locutum fuisse, ubi Græcum participium δεδεμένην generis feminini omnem ambiguitatem tollit. Eorum ego probo sententiam, qui evangelistam per synecdochem, aut syllepsim locutum fuisse dicunt, quâ de unâ re plurium loquimur numero, ut cùm dicuntur apostoli ob effusum unguentum murmurâsse, cùm solum Judam murmurâsse constet, et ut dicuntur latrones, qui cum Christo crucifixi erant, blasphemâsse, cùm alius evangelista declaret non blasphemâsse nisi alterum. Suspicor tamen evangelistam certo consilio et non asinum, sed asinam convertisse, et ita fuisse locutum, ut Christum super utrumque sedisse dicere videretur; ut si quis fortè testimonium prophetiæ ad hunc modum intelligebat, ut putaret venturum regem super asinam simul et pullum ejus sessurum esse, nihil calumniari posset, quominùs prophetia impleta esse in Christo videretur. Cur ergo apostoli non solùm super pullum, sed etiam super asinam vestes suas dicuntur posuisse, versu 7. Respondet Euthym. quia nesciebant utrùm super asinam, an super pullum Christus sedere vellet. Quod probabile non est, quia cùm Marcus et Lucas dicant Christum dixisse iis, quos ad solvendum pullum mittebat: *Invenietis pullum, super quem nemo adhuc hominum sedit*, non poterant apostoli ignorare Christum non super asinam, sed super pullum sedere velle. Itaque faciliùs quæstionem solvemus, si dicamus similem illis esse syllepsim.

Vers. 7. — Et eum desuper sedere fecerunt. Græcè, ἐπάνω αὐτῶν, super ea, quod vel ad asinam, et pullum, vel ad τὰ ἱμάτια vestimenta referri potest, ut Euthymius, et Theophylactus volunt.

Vers. 8. — Plurima autem turba. Turbam hanc eam fuisse, quæ Christum iter Jerosolymam versùs facientem miraculorum causâ sequebatur, apparet ex Joanne, c. 12, 12; videntur autem apostoli initium fecisse hujus rei, ut indicat Lucas, c. 19, 37: *Cùm appropinquaret*, inquit, *ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magnâ.*

Vers. 9. — Hosanna filio David. Multa à Græcis et Latinis auctoribus magnis alioqui et gravibus de hoc nomine dicta sunt, quæ cognitâ compertâque veritate, superfluum fuerit commemorare. Quædam obiter attingamus. Nonnulli nihil significare videntur existimâsse, sed interjectionem tantùm esse gaudentis, et obsecrantis, ut Aug., tractatu in Joan. 51, deceptus, ut opinor, ab aliquo Hebræo, aut non benè, quæ sibi dixerat, intelligens. Nam fortè dixerat, quod verum est, ultimam ejus dictionis syllabam נא na obsecrantis interjectionem esse; ille verò non intelligens totam dictionem nihil aliud, quam interjectionem esse existimavit. Reprehendit Hieronym., in epist. ad Damasum, D. Hilarium, quòd dixerit scribens in hunc locum *Hosanna* redemptionem domûs David significare, quod idem ab Hilario, ut arbitror, mutuatus in Commentariis in caput Lucæ 19, dixit Ambrosius, immeritò fortassè, ut paulò post docebimus, uterque reprehensus. Alii *Hosanna* hymnum ac laudem significare dicunt, ut Euthym. hoc loco. Alii ramos; quos Judæi in festo tabernaculorum gestantes, clamare solebant *Hosanna*, *Hosanna*, ut vir quidam nostro tempore, in litteris Hebraicis singulariter doctus, ex Hebræorum commentariis observavit. Nam quia gestantes ramos solebant canere *Hosanna* factum esse dicunt Hebræi, ut *Hosanna* ipsi vocarentur rami. Itaque eâ consuetudine excitatam turbam ramos arborum defregisse, et clamâsse: *Hosanna filio David*, quasi dicat, præcidite, et date ramos filio David, ut nescio quis dixit: *Manibus date lilia plenis.* Placuit hæc sententia nostro tempore quàmplurimis, quo non nisi nova et inaudita placere solent; mihi fortassè, quia non satis intelligo, nullo modo placet. Primùm, quia, ut paulò infra dicemus, persuadere mihi non possum turbam illam consuetudine festi tabernaculorum inductam fuisse, ut Christo ramos præferret, quod commune nihil esset Christo cum ramis tabernaculorum, qui ideò tantùm gestabantur, ut tempus illud, quo sub tabernaculis Judæi fuerant, in memoriam revocaretur; et non est credendum turbam illam, præsertim ducibus apostolis, temerè, ac sine sensu ramos præcidisse. Vera igitur est Hieronymi hoc loco, et in epistolâ ad Damasum sententia *Hosanna* הושענא, aut הושיענא nihil hic aliud significare, quàm salvum fac obsecro, sumptumque esse ex Psalm. 117, versu 25. Dubium tamen, ad quem, tanquàm personam agentem, et ad quem, tanquàm ad patientem, referenda sunt verba. Omnes, quos equidem viderim, veteres interpretes, ad Christum referunt, tanquàm ad personam agentem; ad turbam, tanquàm ad patientem, quasi dicat serva nos, ô fili David. Sic Irenæus, lib. 4, cap. 24; Origenes, tractatu in Matth. 15; Hilarius, canone 21; Ambrosius in caput. 19 Lucæ; Hieronym. et Beda in Commentariis in hoc locum. Atque hoc Hilarius, et Ambros. indicare voluerunt, cùm dixerunt *Hosanna* redemptionem domûs David significare, ut ex præcedentibus, atque sequentibus eorum verbis apparet; quasi dicerent turbam illam, quæ clamabat *Hosanna*, id est, serva obsecro, professam hâc voce fuisse Christum tanquàm domûs David redemptorem venisse. Huic sententiæ multa repugnant, primùm, quòd non videatur turba tunc tantam de Christo opinionem habuisse, ut verum Deum, ac redemptorem esse crederet: aliâ verò ex parte non ignorabat carmen illud *Hosanna* non nisi vero Deo cani solere. Deinde quia, quod statim sequitur, *benedictus, qui venit in nomine Domini*, non ad Christum, tanquàm ad personam agentem, sed tanquàm ad patientem refertur; non enim orabant, ut Christus sibi benediceret, sed ut ille à Deo benediceretur. Præterea quia in Psalmo, unde desumpta sunt verba, *Hosanna* non refertur ad *qui venit in nomine Domini*, sed ad Deum, et non est credendum turbam, multò verò minùs apostolos, qui præcinebant, alio sensu, quàm à Davide dicta fuerant, hæc verba recitâsse. Adde quòd grammatica non convenit: quis enim sensus est: *Salva nos filio David?* Etsi non ignoro nonnullos auctores legere, *fili David*, in quibus est Irenæus; sed constans est omnium Græcorum codicum et Latinorum magis emendatorum consensio, qui non, *fili David*, sed, *filio David* legunt. Denique si hanc interpretationem sequamur, non video quâ ratione id quod statim sequitur intelligere possimus: *Hosanna in altissimis!* Quis enim sensus esset: *Salvos fac nos, ô fili David, in altissimis!* Quod ergo recentiores quidam interpretes ante me dixerunt, valdè probo, hæc verba ad Deum, tanquàm ad personam agentem; ad Christum, tanquàm ad patientem referri oportere; precatur enim turba Deum, ut novum regem diùque desideratum servet, ac prosperet, sicut, Psalm. 44, 4, 5, de eodem Christo loquens, dixit David: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime; intende, prosperè procede, et regna.* Solemus enim novis regibus regnum aut urbem regiam ineuntibus fausta precantes acclamare: *Vivat rex!* quod et Judæos solitos facere multis exemplis compertum est, 1 Regum 10, 24, 3 Regum 1, 25, 39, 4 Reg. 11, 12, 2 Paralipomenon 23, 11. Quòd ergo turba clamat: *Hosanna!* perinde est ac si dicat: *Vivat rex!* Quòd autem ramos præfert, consuetudine triumphantium et gaudentium videtur facere: solebant enim Judæi, sicut et cæteræ gentes, in præliorum lætitiâ ramos arborum ferre, ut apparet ex 1 Machabæorum lib., cap. 13, 51. Itaque minimè assentior iis qui existimant turbam illam consuetudine quâdam festi Tabernaculorum ramos arripuisse. Nam in Tabernaculorum festo non lætitiæ, sed recordationis causâ ramos præferebant; hanc autem turbam triumphantium, et lætitiâ gestientium more prætulisse manifestum est, præterquàm quòd, qui hoc dicunt, mysterium etiam illius singularis facti videntur abolere. Ergo non dubito quin turba non cæco, et inconsiderato impetu consuetudinis, sed aut prudenti consilio, aut, quod similius est vero, divino quodam instinctu id fecerit, ut omnes intelligerent, quod David de futuro Messiâ prædixerat, impletum in Christo. Certum hujus rei argumentum est, quod vers. 15 etiam infantes iisdem verbis dicantur acclamâsse, quod neque consuetudine, neque humano consilio, sed solo divino afflatu facere potuerunt. Ideò non clamârunt: *Vivat rex!* sed loco ejus consuetæ acclamationis: *Hosanna!* Dicet aliquis, neque cum hâc interpretatione Græcam Latinamque constructionem convenire, nisi, cùm precaretur Deum turba ut Christum servaret, non diceret: *Hosanna filio David!* sed *filium David*. Benè jam à nonnullis interpretibus responsum est Hebraicam esse constructionem, quam et Græcus et Latinus interpres secutus est. Hebræi enim verbum ישע non solùm cum quarto, sed et cum tertio casu copulare solent, ut Deut. 22, 27, Josue 10, 6, Judicum 7, 2, 1 Regum 25, 26, psalmo 43, 4, psalmo 85, 16.

Benedictus, qui venit: id est, prosper sit ejus adventus, sicut paulo ante ex psalmo 44 recitavimus: *Intende, prosperè procede, et regna.*

In nomine Domini. In nomine Domini venire dicitur non solùm, ut plerisque interpretibus visum est, quia à Deo missus veniebat, sed etiam quia personam gerebat Dei, qui per eum populum suum visitabat. Marcus, c. 11, 10, addidit: *Benedictum, quod venit regnum patris nostri David. Hosanna in excelsis!* Repetitio est ex vehementi affectu profecta. Legimus in nonnullis antiquis conciliis, et in quibusdam profanis etiam historiis observatum fuisse, quoties una eademque vox à turbâ imperatori acclamante repeteretur, ex numero enim repetitionum affectus æstimabatur. Quòd autem dicit: *Hosanna in altissimis!* qui optimè videntur hactenùs interpretari, sic exponunt, quasi Græcè intelligatur pronomen, ὁ, qui es in altissimis, cujus eclipsis exemplum proferunt ex psalmo 147, 1. Hoc mihi nimis durum et inusitatum videtur. Itaque potiùs credo præpositionem Græcam ἐν, *in*, positam esse pro ἐξ, *ex*, sicut Hebraicè ב pro מן, Exodi 12, 43, et Levitici 8, 32, et 2 Paralipomenon 16, 6, et illo ipso Psalmo, quem alii citant, 147: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis*, id est, de excelsis, sicut ante dixerat *de cœlis*; repetitionem enim esse manifestum est, et hebraismum, et septuaginta Interpretes Græcè, et Hieronymus Latinè imitatus est, quem etiam imitati sunt hoc loco, et *in altissimis* dixerunt, pro de altissimis; rogant enim Deum ut de cœlo, hoc est, cœlitùs, divinitùs, mirabiliter novum regem servet. Hinc intelligitur quomodò, quod Lucas scribit, cap. 19, 38, turbam acclamâsse: *Pax in cœlo, et gloria in excelsis!* non sit alteri ejusdem Lucæ sententiæ contrarium, cap. 2, 14: *Gloria in altissimis Deo, et in terrâ pax hominibus!* Nam illic angeli gloriam Deo, pacem hominibus annuntiabant; hic turbæ et gloriam et pacem Christo *in excelsis*, id est, ab excelsis, et à Deo precantur; nam et apud Lucam ἐν ponitur pro ἐξ, *in* pro *de*.

Vers. 10. — Commota est universa civitas. Non est credendum singulos cives fuisse commotos; sed

Vers. 7. — Super eos vestimenta sua; Gr., *super summas vestes*, seu pallia.

Vers 9. — Hosanna filio David, salvum fac filium David. Id sumptum est è psal. 117. Verbum Hebræum regit dativum, atque hunc hebraismum interpretes retinuerunt. *Hosanna in altissimis!* Tu qui habitas in altissimis, vel *in*, ponitur pro de altissimis.

universa civitas commota fuisse dicitur, quia et major pars, et qui auctoritate primi erant, ut scribæ, Pharisæi et sacerdotes, commoti sunt, quemadmodùm, cap. 2, 3, dixit evangelista Magorum adventu universam Jerosolymam fuisse turbatam. Commota autem civitas non gaudio, non admiratione, non metu; sed invidiâ et malignâ quâdam indignatione, quòd videret Christo tantum honoris tribui, ut ex verbis sequentibus intelligitur, sicut monuit Euthymius.

Quis est hic? Non ignorabant quis esset Christus, cùm eum per tres jam annos cognovissent; sed sensus est: Quantus hic est, ut tantum honoris increatur! sicut dicebant Nazareni, c. 13, 55: *Nonne hic est fabri filius?*

Vers. 11. — Populi autem, τὸ δὲ ὄχλος, turba, quæ aliunde secuta eum fuerat, non autem Jerosolymitanus populus. Opponit enim rusticam turbam, quæ Christum secuta fuerat, Jerosolymitanis civibus, quòd hi per contemptum et invidiam dicerent: *Quis est hic?* illa per fidem responderet: *Hic est Jesus propheta à Nazareth.* Cùm autem prophetam vocat, non qualemcunque, sed Messiam illum jam olim promissum, diùque expectatum intelligit, ut ex superiore acclamatione perspicitur; propterea enim dixerat: *Hosanna filio David!* et: *Benedictus, qui venit in nomine Domini!* Non enim regis solùm, sed etiam prophetæ nomine Messias promissus erat, ut Deuteronomii 18, 15: *Prophetam de gente tuâ et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies*; quod Petrus, Act. 3, 22, et Stephanus 7, 37, de Christo interpretantur.

A Nazareth. Triplicem patriam Christum habuisse, Bethlehem, in quâ natus; Nazareth, in quâ educatus; Capharnaum, in quâ plerùmque versatus est, c. 9, 1, expossimus.

Vers. 12. — Et intravit Jesus in templum Dei. Non satis compertum est quando Christus in templum intraverit. Sunt, qui dicant eum rectâ viâ asino insidentem per mediam urbem progressum, et in templum intrâsse. Alii non eo die quo in urbem ingressus est, sed postridiè, quemadmodùm videtur narrasse Marcus, cap. 11, 15. Matthæum autem per anticipationem dixisse Christum in templum ingressum esse. Alii è contrario eâdem die quâ in urbem ingressus est, in templum etiam ingressum; Marcum verò non servâsse ordinem narrationis; sed per recapitulationem, quod præcedenti die gestum erat, sequenti narrâsse. Ita sentit D. August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 68, quod ex vers. 17 confirmat; *et relictis illis abiit foràs extra civitatem*; quibus verbis indicat evangelista Christum, antequàm ex urbe exiret, ut iret Bethaniam, disputationem, quam Matthæus et Marcus narrant, cum sacerdotibus habuisse; quamvis Marcus eam non narret nisi secundo die, cùm Christus Bethaniâ Jerosolymam rediisset. Alii ut Matthæum Marcumque concilient, utroque die Christum in templum ingressum fuisse dicunt; quod probabile quidem est, quia quotiescumque Jerosolymis Christus erat, templum frequentabat; sed est dictum abs re, quia evangelistæ non de quocumque Christi in templum ingressu sed de eo tantùm loqui voluerunt, quo ea quæ loquuntur, gesta sunt; ut pueri, qui in templo erant acclamarent: *Hosanna filio David!* et sacerdotes Christum interrogarent utrùm ea quæ dicerentur audiret. Ea autem non secundo, sed primo die accidisse probabile est, cùm pueri adhuc clamarent: *Hosanna!* quod primo potiùs, quàm secundo die fecisse credendum est. Itaque D. Augustini sententia multò mihi videtur probabilior. Scribit etiam Joannes, cap. 2, 14, 15, similem historiam; sed vero simile est, quod Chrysostomus, Augustinus et Euthymius existimant, similem esse non eamdem, bisque Christum è templo vendentes et ementes ejecisse. Cùm autem in templum dicitur ingressus, prima pars templi intelligenda est, quæ atrium et porticus Salomonis appellabatur, ubi docere et ambulare solebat Christus, Joannis 10, 23. Iis enim locis patebat omnibus, Actorum 3, 11, et 5, 12; nam in reliquas duas templi partes non nisi sacerdotes ingrediebantur, ut ait D. Paul. ad Hebræos 9, 6 et 7. In atrio ergo templi et vendentes et ementes versabantur.

Vendentes. Non possumus hunc locum meliùs quàm Hieronymi verbis interpretari: *Et hoc*, inquit, *primò sciendum, quòd justa mandata legis augustissimo in toto orbe Domini templo, et de cunctis penè regionibus Judæorum illùc populo confluente innumerabiles immolabantur hostiæ, maximè festis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum et turtures offerentibus; accidebat plerumque ut, qui de longè venerant, non haberent victimas; excogitaverunt igitur sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, et omnia animalia, quibus opus erat, ad sacrificia vendebant, ut et venderent non habentibus, et ipsi rursùm empta susciperent. Hanc strophum eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, et non solùm hostias non habebant; sed ne unde emerent quidem aves et vilia munuscula. Posuerunt itaque et nummularios, qui mutuum sub cautione darent pecuniam; sed quia erat lege præceptum ut nemo usuras acciperet, et prodesse non poterat pecunia fenerata, quæ commodi nihil haberet, et interdum sortem perderet, excogitaverunt et aliam technam, et pro nummulariis colybistas facerent, cujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Colyba dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula, verbi gratiâ frixi ciceris, uvarumque passarum, et pomi diceri generis. Igitur quia usuras accipere non poterant, constituerant nummularios, qui darent mutuò pecuniam acceptâ cautione. In festis solemnibus atrium, vulgò le parvis, erat instar fori, ubi venibant quæque sacrificiis necessaria.*

Vers. 13. — Spelunçam latronum, ex Jerem., c. 7, quòd vendentes plus justo venderent, atque ad sacerdotes turpis lucri pars melior rediret.

colybistæ, qui pecuniam fenerati erant, pro usuris accipiebant varias species, ut, quod nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coemuntur. Cætera mihi placent; illud tantùm certum non est, quod Hieron. refert, eam consuetudinem à sacerdotibus introductam esse.

Et cathedras vendentium columbas kvertit. D. Hieronymus, hoc loco, et Ambros., in cap. 19 Lucæ, non putant posse hoc ad verbum intelligi, absurdum existimantes columbarum venditores, tanquàm doctores legis cathedras habuisse. Itaque ad mysticum sensum confugiunt, venditores columbarum episcopos esse, qui dona Spiritûs sancti pecuniâ vendunt; hi enim in ecclesiis cathedras habent; quam allegoriam et cæteri omnes veteres interpretes secuti sunt; sed non sublato tamen litterali sensu. Igitur venditores columbarum cathedras in quibus sederent habuisse credendum est, non quales legis doctores, sed quales ejusmodi rerum in foro venditores habere solent. Cur ergo, dicet aliquis, non potiùs dicitur nummulariorum quàm columbas vendentium cathedras evertisse, cùm nummularii potiùs quàm columbarum venditores cathedras habere soleant? — Respondeo voluisse evangelistam dicere quod erat majus, prætermittere quod minus; in nummulariis autem majus erat eorum mensas unà cum pecuniâ, quàm eorum cathedras evertere; propterea mensas, non cathedras dixit evertisse. Meritò miruntur multi, quomodò nummularii et reliquum hominum genus avarissimum Christo non restiterint. Rectè Hieronymus respondet: *Plerique arbitrantur maximum esse signorum, quòd et Lazarus suscitatus est, quòd cæcus ex utero lumen acceperit, quòd ad Jordanem vox audita sit Patris, quòd transfiguratus in monte gloriam ostendit triumphantis. Mihi inter omnia signa, quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd unus homo, et illo tempore contemptibilis, et in tantum vilis, ut postea crucifigeretur, scribis et Pharisæis contra se ardentibus, et videntibus lucra sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, et cathedras confringere, et alia facere, quæ in finitus non fecisset exercitus. Ignem enim quiddam, atque sidereum radiabat ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie.*

Vers. 13. — Scriptum est. Quod Jeremias de hominibus sui temporis dixerat, ad nummularios et venditores columbarum accommodat. Simile exemplum notavimus supra, c. 15, 8, ubi non interpretatur prophetiam, sed ad personas similes accommodat.

Vers. 16. — Ex ore infantium. Dubium an qui clamabant, infantes omninò fuerint, an pueri jam grandiusculi, qui, cùm turbam clamantem audivissent: *Hosanna filio David!* eamdem cantionem, ut ea solet ætas, imitati sint. Hilarius, auctor Imperfecti et Strabus pueros quidem, sed non infantes fuisse putant. Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus infantes, quod ego multò magis probo, et quia id Christi gloriam magis auget; et quia verba id significant, et quia eo sensu dicere videtur Christus, sicut apud Lucam, c. 19, 40, de eâdem re loquens dixisse dicitur: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

Perfecisti laudem, κατηρτίσω αἶνον, id est, perfectam laudem consecutus es. Eodem sensu dixit David ותכן, *fundâsti laudem*, id est, stabilem, perpetuam et immortalem laudem tibi comparâsti. Quis apud Davidem sensus sit, in Commentariis in Psalmum 8, 3, explicatur, Davidem per κατηρτίσω αἶνον infantem et lactentem appellâsse, ex cujus ore gratias pro devicto Goliath agentis magnam Deus laudem consecutus esset, ut statim sequitur: *Ut destruas inimicum et ultorem*, id est, quia inimicum et ultorem destruxisti; hunc enim sensum Hebraïca verba recipiunt. Observandum est Christum se in hujus accommodatione sententiæ Deum declarare. Nam quod Deo David dixerat, sibi dictum esse interpretatur.

Vers. 17. — Et relictis illis, principibus sacerdotum et scribis, de quibus vers. 15 dictum erat. Quo autem consilio eos reliquerit, variæ sunt sententiæ. Evangelista quidem ita videtur scribere, ut Christum significet certâ aliquâ, et non levi de causâ eos reliquisse. Alioqui non erat, quòd diceret: *et relictis illis abiit foràs*; satis erat ut scriberet eum se in Bethaniam recepisse, quòd ibi haberet hospitium; cùm autem dicit, *et relictis illis*, significare videtur eorum causâ discessisse. Ergo Chrysostomus, auctor Imperfecti, et Euthymius, propterea eos reliquisse dicunt, ne ab illis ante tempus comprehenderetur. Theophylactus verò, quòd ejus præsentiâ atque colloquiis indigni essent. Utrumque probabilius, quàm quod Hieronymus, Beda et Strabus existimant, non aliâ de causâ discessisse, quàm quòd, pauper cùm esset, hospitium in tantâ civitate non inveniret. Nec enim credibile est neminem fuisse, cùm tam multi jam in eum credidissent, qui domo vellet recipere.

Vers. 18. — Et esuit. Sunt qui existiment non esuriisse verè, cùm matutinum esset tempus; sed, ut occasionem acciperet edendi miraculi, esurire fluxisse, ut sentit Euthymius, nescio etiam an Augustinus, libro 2 Quæstionum evangelicarum, quæstione 51. Id est valdè probabile: nam, ut postea dicemus, etiam fluxit in ficu se fructum quærere, cùm non ignoraret fructum non habere. Certè, si verè esuriit, rectè mihi videtur Chrysostomus existimare non naturâlem fuisse famem, sed voluntariam et sponte accersitam, ut causam haberet miraculum edendi, quemadmodùm, c. 8, 24, docuimus tempestatem illam, quæ ipso cum discipulis navigante sævire cœpit, non naturalem, sed ejus studio et voluntate excitatam fuisse, ut occasionem haberet ventis marique imperandi, et ostendendi potestatem ac divinitatem suam.

Vers. 19. — Et nihil invenit in ea. Fructum in ficu Christum non invenisse non est mirum, cùm, ut scribit Marcus, c. 11, 13, ficorum tempus non esset,

Vers. 16 et 17. — Perfecisti laudem, perfectam laudem consecutus es. *Manet*, pernoctavit.

Vers. 19. — Ut multa dixit Dominus parabolicè, ita

erat enim dies mensis martii undecimus, ut ex Evangelistis apertè colligitur : quæsivisse mirum est. Quod hæreticorum scribit interpres Christum quæsivisse in arbore fructum, quòd nondùm cognovisset, quæ nam arbor esset, putàssetque, cùm longè vidisset, aliquam aliam arborem esse ex iis, quæ tunc maturum fructum haberent, ridiculum est. Nam neque, quæ esset arbor Christus ignorare potuit, neque ullam arborem eo tempore maturum fructum habere potuisse. Et, ut fingamus, quemadmodùm hæreticus dicit, Christum arborem non cognovisse; cur illi maledixit, cùm ficum esse videret, quæ nondùm maturos deberet habere fructus? Sciens ergo, et prudens Christus ad arborem divertit, neque ignorans esse ficum, neque fructum non habere : sed fingens se quærere more hominum, quod sè sciebat inventurum non esse; sicut, ut miraculi occasionem captaret, ut Augustin., lib. 2 Quæstionum evangelicarum, q. 51, et Chrysostom. et Euthym. in hunc locum scribentes existimant, sive, ut ego arbitror, ut mysterium, de quo paulò post dicemus, declararet. Altera quæstio est, cur arbori maledixerit, eamque arefecerit, quasi punire vellet, quòd fructum non haberet, cùm habere non deberet eo tempore, quemadmodùm Marcus quasi arborem excusans dixit : *Non enim erat tempus ficorum.* Id ego non iræ impetu, qui in Christum cadere non poterat, non pœnæ inferendæ causâ, quam nec arbor merebatur, nec poterat sentire, si mereretur : sed solo mysterio factum credo; quemadmodùm Origenes, tractatu in Matthæum 17, Hilarius et Hieronymus putant. Mysterium autem fuit, quòd, cùm Synagoga arbor esset, à Deo in vineâ suâ plantata, fructumque in eâ sæpè quæsivisset, nunquam invenisset ullum : quemadmodùm apud Isaiam dicit, cap. 5, 2 : *Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas*, et ut per aliam apud Lucam parabolam declaratur, c. 13, 6, 7 : *Arborem*, inquit, *fici habebat quidam plantatam in vineâ suâ, et venit quærens fructum in illâ, et non invenit; dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hâc, et non invenio : succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Quemadmodùm ergo ille succidit, ita Christus arefecit, id est, legem veterem, et Synagogam, quia bonorum operum fructus non ferebat, abrogavit : hoc est quod alia parabola paulò post docet cujus conclusio est vers. 43 : *Auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus;* indicat enim propterea gentibus dandum, quia fructus facturæ erant : propterea Judæis auferendum; quia fructus non fecerant; sed filium potiùs domini sui, et hæredem unicum occiderant. At videtur per arborem significari nondùm fuisse tempus, ut Synagoga fructus afferret; *non enim erat tempus ficorum.* Respondeo non ejus rei causâ arefactam fuisse ficum, sed tantùm voluisse Christum facto illo sine ullis verbis declarare se Synagogam arefacturum, quia fructum non afferebat; quemadmodùm arbor illa fructum non habebat; in eo

et fecit, hoc inprimis, de ficulneâ, ut sterilitatem synagogæ insinuaret.

igitur tantùm, quòd Christus docere voluit, ficus Synagogæ similis esse debet, quòd neutra fructum habebat. In eo verò, quod Christus dicere noluit, similis esse non debet, ut quemadmodùm tempus non erat, ut ficus haberet fructum; ita tempus nondùm esset, ut Synagoga bona opera faceret; etsi scio aliter Hieronymum interpretari : hoc enim inter arbores, et homines interest; quòd arbores naturâ suâ non nisi certo quodam anni tempore fructus ferre debent; homines verò debent toto vitæ suæ tempore benefacere. Tota vita nobis est æstas, tota debet esse frugifera; nec quidquam nos præter voluntatem nostram steriles facit.

Vers. 20. — Et videntes Discipuli. Die sequenti, qui tertius fuit ab eo, quo Jerosolymam Christus ingressus fuerat, cùm iterùm Jerosolymà Bethaniam reverterentur, ut apparet ex Marco.

Vers. 21. — Et non hæsitaveritis, καὶ μὴ διακριθῆτε, et non disceptaveritis, ut solent, qui dubitant apud se in utramque partem argumentari. Ita Act. 10, 20, et Rom. 4, 20.

Non solum de ficulnea, οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς, non solùm, quod in ficu factum est.

Vers. 24. — Interrogabo et ego vos. Non respondet Christus ad quæstionem sacerdotum, ne auditâ veritate magis irritentur, sed aliâ propositâ quæstione vult, ut eam solventes ipsi sibi respondeant. Nam non poterant respondere baptismum Joannis ex cœlo esse, quia omnium testimonio convicti fuissent confiteri Christum non humanâ sed divinâ potestate facere, quæ faciebat, quia Joannes de illo testimonium præbuerat : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Joan. 5, 29. Baptismum autem Joannis vocat Christus non solùm baptismum, quo homines aquâ baptizabat, sed omnem ejus professionem, omne institutum, omnem prædicationem atque doctrinam; quemadmodùm nomine circumcisionis tota lex Moysis intelligebatur, ut ait Paulus ad Galat. 5, 3. *Testificor autem rursùs omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.*

Vers. 27. — Nec ego dico vobis. Non respondet, nec ego scio, sicut illi dixerant, *nescimus*, quemadmodùm sermonis consequentia postulare videbatur, quia id verè respondere non poterat, sed respondet : *Nec ego dico vobis.* Itaque particula illa *nec*, quæ similitudinem significare solet, non significat hoc loco similitudinem ejus, quod dicitur, id est, *nescimus;* sed ejus quod intelligitur, aut quod consequitur; quòd nimirùm non dixerunt Christo, unde esset Joannis baptismus; nec Christus dixerat illis, in quâ potestate faceret, quæ faciebat.

Vers. 28. — Homo quidam habebat duos filios. Noluerant sacerdotes ad Christi quæstionem respondere, ne respondentes Christi auctoritatem asserere cogerentur, cùm non ignorarent tamen Joannis baptismum ex Deo, non ex hominibus fuisse. Quod ergo illi respondere noluerant, Christus nunc propositâ docet parabolâ divinum fuisse Joannis baptismum, eosque penitùs inexcusabiles, quòd cùm publicani et meretrices

Joanni crediderint, et ad ejus prædicationem egerint pœnitentiam, ipsi nec illi credere, nec pœnitentiam agere voluerint. Parabola, quæ usque ad versum 32 extenditur, facilis est. Homo, qui duos habebat filios, non dubium, quin Deus sit. Magis dubium, qui duo sint filii. Mirum quanto consensu veteres interpretes duos filios populos duos, Gentilem et Judaicum fuisse, dixerint : quorum prior à Deo per naturalem legem jussus in vineâ suâ laborare responderit se nolle, quia ne legem quidem naturæ servare voluit, posteà ductus pœnitentiâ in vineam venerit, id est, non solùm naturalem; sed evangelicam etiam legem receperit atque servaverit. Contra Judaicus jussus à Deo in vineam ire, id est, legem servare, respondit se iturum esse : *cuncta*, inquit, *quæ locutus est Dominus, faciemus*, posteà non ivit, id est, non fecit quæ in lege præcepta fuerant. Ita Origen., tractatu in Matth. 18, et Athanasius, quæstione 59, Chrysostom., auctor Imperfecti, Hieron., Beda, et Euthym. hoc loco. Cæterùm probabile est ex versu 31, ubi parabola concluditur duos filios duo hominum Judæorum genera significare : primùm plebem et publicanos, meretrices et peccatores, qui jussi à Deo in vineâ suâ laborare, id est, observare legem, non verbis, sed factis se nolle responderunt, quia non observârunt : posteà verò Joannis exemplo, et prædicatione commoti, ducti pœnitentiâ non solùm veterem legem servaverunt, sed evangelicam etiam receperunt; secundùm sacerdotes, scribas et Pharisæos, qui in vineâ jussi laborare se responderunt ituros esse, id est, legis observationem, et quidem severam atque perfectam profitebantur : sed reverà non ierunt, quia legem minimè servârunt; neque Joanni, de quo prophetæ locuti fuerunt, crediderunt, ut Christus ipse, v. 31, et 32, declarat, quod etsi facile est, tamen solus, quod sciam, inter veteres auctores auctor Imperfecti animadvertit. Credibile tamen est, et ne ab omnibus antiquis auctoribus discedamus, pium existimare etiam huc Christum respexisse, ut gentilem et Judaicum populum obscurè, et obliquè significaret. Nam publicani et meretrices gentilium; sacerdotes verò, scribæ et Pharisæi Judæorum expressa imago esse videbantur, et videmus alio loco Christum simili duorum filiorum parabolâ gentilem, et Judaicum populum significare voluisse, Lucæ 15, 20.

Vers. 31. — Publicani, et meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Videtur Christus his verbis indicare etiam sacerdotes, quibuscum loquebatur, in regnum Dei ingressuros esse : quemadmodùm et Origen. interpretatur, quasi Christus significet non eos quidem ipsos, cum quibus agebat; sed alios tamen sacerdotes sub finem mundi, cùm, ut ait D. Paulus, plenitudo gentium intraverit, convertendos esse, et in regnum Dei ingressuros. At non id mihi videtur indicare Christus voluisse : sed potiùs sacerdotes in regnum Dei ingressuros non esse. Dicit autem publicanos et meretrices præcedere, non quòd illi sequantur, sed quòd, cùm legis doctores essent, præcedere deberent, et non solùm non præcedent, sed ne sequentur quidem, quemadmodùm, cap. 8, 11, 12, dixit : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Adde quòd, nisi fallor, sensus hujus loci est, præcedunt vos in regno cœlorum, id est, viam vobis ostendunt, exemplum vobis præbent; sicut versu sequenti explicatur : *Vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis posteà, ut crederetis ei* : id est, cùm videretis publicanorum et meretricum exemplum, qui Joanni credebant, et pœnitentiam agebant, ne eorum quidem exemplo provocati, aut credere, aut pœnitentiam agere voluistis; propterea, ut opinor, non dixit, *in regno Dei*, sed, *in regnum Dei.*

Vers. 31. — Venit enim ad vos Joannes. Nunc respondet, quod sacerdotes respondere noluerunt, docetque Joannem à Deo missum fuisse, proindeque ejus baptismum non humano, sed divino consilio institutum.

In via justitiæ. Hebraismus est, בדרך צדקה, id est, per modum justitiæ, justitiam præ se ferens habitu, et moribus viri justi. Videtur enim Christus non tam de verâ, internâque justitiâ, etsi in Joanne verissima fuerat, quàm de eâ, quæ sacerdotum opinione sola justitia esse videbatur, posita in solis rebus externis, in habitu, in jejunio, et aliis ejusmodi, quæ fuerunt in Joanne singulares, et sicut, c. 11, 18, dixit : *Venit enim Joannes, neque manducans, neque bibens, et dicunt, dæmonium habet.* Cùm ergo eam justitiam Joannes præ se ferret, quam sacerdotes aut solam, aut maximam esse judicabant, excusationem nullam habebant, quamobrem illi non credidissent.

Videntes, publicanos et meretrices credere, ut paulò ante exposuimus, et Euthym. hoc loco interpretatur.

Nec pœnitentiam habuistis, ut crederetis ei. Duo Christus in sacerdotibus reprehendit; incredulitatem, quâ nuntio Joanne non crediderunt; et pertinaciam, atque obstinationem, quâ posteà quàm vidissent etiam publicanos et meretrices credidisse, credere noluerunt : hoc est, quod dicit, *nec pœnitentiam habuistis posteà*, id est, nec postquàm eorum exemplum vidissetis, sententiam mutare voluistis.

Vers. 33. — Aliam parabolam audite. Matthæus Christum introducit ita à sacerdotibus parabolam proponentem; Lucas verò, c. 20, 9, plebi : *Cœpit*, inquit, *dicere ad plebem parabolam hanc.* Facilè à multis ea quæstio soluta est Christum sacerdotibus inprimis, cum quibus disputabat, parabolam proposuisse, sed quia circumfusa et audiente plebe proposuit, Lucas

Vers. 33 et 34. — Plantavit vineam, synagogam. *Vinea Domini exercituum, domus Israel est*, Isa. 5, 7. Sepem circumdedit, præcepta legis, aut divinæ providentiæ protectionem : Et fodit in ea torcular, Marcus *locum*, qui expressum vinum excipiebat : Isaias habet *torcular extruxit.* Ædificavit turrim, templum. Servos, prophetas et apostolos.

(*Trente-unc.*)

scripsit ad plebem dixisse. Cæterùm, quod in omnium parabolarum explicatione solemus, id est, hoc loco memoriâ repetendum, ea quæ quasi necessaria et propria parabolæ membra sunt, ab iis quæ sunt adjuncta, et, ut ita dicam, accidentia diligenter distingui oportere. In hâc igitur parabolâ, quæ usque ad versum 42 tractatur, sex mihi partes propriæ esse videntur ac necessariæ. Prima est homo quidam qui vineam plantavit per quem nemo dubitat Deum significari. Secunda est vinea quam plantavit, quam Athanasius, quæstione 49, mundum quem Deus condidit interpretatur; Irenæus verò, lib. 4, c. 70, universum hominum genus; quod si ita est, qui erunt coloni, quibus eam Deus locâsse dicitur? Itaque meliùs alii omnes auctores vineam Ecclesiam interpretantur, in quâ voluit Deus homines laborare. Usitata in Scripturis metaphora est, ut Psalmo 79, 9: *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantâsti eam.* Similis metaphora est apud Isaiam, c. 5, 2, et apud Jeremiam, c. 2, 21, et c. 12, 10, et apud Joelem, c. 1, 7; plantâsse autem vineam dicitur Deus, cùm legem dedit, quia notitiam sui per eam in animis hominum quodammodò plantavit, ut D. August. ait sermone de Verbis Domini 59. Tertia est, quòd sepem circumdederit, quòd torcular in eâ et turrim ædificaverit; quæ tria unam tantùm, ut mihi videtur, partem efficiunt; nihil enim aliud his tribus rebus significatur, quàm Deum fecisse Ecclesiæ suæ quidquid facere debuit, ut benè et custodiri et coli posset; quemadmodùm dicit apud Isaiam, c. 5, 4: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei?* Proposuit enim Christus ea quæ domini vinearum facere solent, ut coloni nihil ab illis desiderare possint, quominùs vineam benè colant, et partos fructus reddant. Solent autem, qui vineam plantant, primùm sepe cingere, ne aut bestiæ, aut fures possint irruere. Deinde torcular ad colligendam premendamque vindemiam ædificare. Postremò turrim partim ad ornamentum, partim ut ex eâ vinitor speculetur, ne quis in vineam invadat. Etsi scio omnes veteres auctores existimare hæc tria suum quodque habere significationem. Nam sepem plerique Dei tutelam et angelorum custodiam interpretantur, ut Origenes, tractatu in Matthæum 19, Ambros. in c. Lucæ 20, auctor Imperfecti, et Hieron. hoc loco; sicut Psalmo 79, 13, dicitur: *Ut quid destruxisti maceriam ejus, et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?* Maceriam enim ejus Deus destruxisse dicitur, quia auxilium, quo eam protegere solebat, atque tueri, retraxit, et ab eâ quodammodò discessit, ut dicitur versu 15: *Deus virtutum, convertere, respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam.* Alii sepem nomen Abraham, Isaac et Jacob, quo Judæi à cæteris gentilibus distinguebantur, esse dicunt, ut Hilarius, canone 22. Alii legem atque præcepta quibus Judæi quasi certis limitibus concludebantur, ne quidquid liberet facerent, ut Irenæus, lib. 4, c. 70, et auctor Imperfecti, homil. 40. Torcular vero plerique interpretantur altare quod victimarum sanguine, quasi musto redundabat, ut Origenes, Hieronym., Beda, Euthym. et Theophylact. Alii prophetarum spiritum, qui quasi mustum fervebat, ut Irenæus loco paulò ante notato, Hilar., Ambros.; quam interpretationem et Hieron. approbat. Alii Ecclesiam, ut auctor Imperfecti; alii Baptismum, ut Athanasius, quæstione 49, quod minimè omnium probabile est, cùm Christus non de Ecclesiâ evangelicâ, sed de Judæorum loquatur synagogâ, in quâ aut baptismus non erat, aut non poterat per torcular significari. Turrim autem plerique interpretantur templum Jerosolymitanum, ut Origen., Hieronym., Beda, Theophylact., Euthym. Alii urbem ipsam Jerosolymitanam, quæ unâ ex parte in monte sita erat, ut Irenæus. Alii legis altitudinem, ut Ambros., c. 20 Lucæ, auctor Imperfecti, et Hieron. hoc loco. Quarta pars sunt coloni, quibus vinea locata fuisse dicitur. Per colonos autem multi auctores solos sacerdotes, scribas et Pharisæos intelligunt, qui colendæ vineæ, id est, populum docendi munus susceperant, ut Origen., Hilar., auctor Imperfecti, Euthym. et Theophylactus, quorum opinionem confirmat., quòd Christus cum solis sacerdotibus disputabat, et in eos parabolam proponebat, et quòd reliquus Judæorum populus non tam coloni quàm vinea fuisse videatur. Ex parabolæ tamen conclusione, quæ ponitur versu 43, intelligitur colonos non solos sacerdotes, sed totam Judæorum gentem vocatos fuisse, quia concludit Christus vineam Judæis auferendam, et aliis colonis, id est, gentibus elocandam: *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Atque hoc modo Ambrosius interpretatur. Locâsse autem Deus colonis vineam suam dicitur, quia in eâ laborantibus mercedem certam vitæ æternæ promisit; quemadmodùm aliâ etiam vineæ parabolâ c. præcedenti declaratum est. Itaque vel ex solo locationis verbo, insaniant licet hæretici, bonorum operum merita probantur. Quinta pars sunt servi, quos dominus vineæ diverso tempore, ut fructus colligerent, diversos misisse dicitur, per quos omnes auctores consentiunt, et ex verbis Christi manifestum est veteres prophetas significari. Quomodò autem alii occisi, alii lapidati sint, si quis ignorat, Epistolæ ad Hebræos, c. 11, et Hieronymi in hunc locum legat Commentarios. Sexta est filius, quem dominus vineæ ad extremum misit. Eum esse Christum ne illi quidem sacerdotes, in quos jactata parabola est, ignorare potuerunt. Hæc propriam habent, et necessariam significationem; cætera, quæ in parabolâ videmus, adjectitia sunt, et ad significationem trahi non debent, ne quid violenti aut absurdi dicamus, et dùm nimis mulgemus, sanguinem eliciamus; ejusmodi sunt sepes, torcular, turris, ut supra explicavimus, domini peregrè abitus; quanquàm per eam domini peregrè profectionem Chrysostom., Theophylact. et Euthym. diuturnam Dei erga Judæos patientiam significari volunt. Hieronym. verò et Beda liberum illis arbitrium relictum esse, ut, si vellent, laborarent; si nollent, non laborarent; quemadmodùm ejusmodi servis, ab-

VERS. 39. — EXTRA VINEAM. Extra civitatem, in montem Calvariæ.

sente Domino, aut laborare, aut cessare liberum esse solet. Mihi, ut dixi, non videtur hæc pars certam, necessariamque habere significationem; sed ad explendam ornandamque parabolam adjecta. Si quis tamen significationem aliquam eliciendam esse contendit, illa mihi maximè placet, quam Origenes, tractatu in Matthæum 19, et Theophylactus elicuerunt, dominum vineæ, id est, Deum peregrè profectum esse, quia, cùm Judæis in montem Sina apparuisset, ut vineam illis suam locaret, id est, ut legem daret, et fœdus cum illis de eâ servandâ sanciret, postea apparere desiit, quasi peregrè discessisset. Adjectitium etiam est, quòd in parabolâ dicitur tempus fructuum appropinquâsse; quasi non semper tempus fuerit fructuum, aut quasi non semper Deus à Judæis bonorum operum fructus exegerit. Non enim ita est; sed, ut diximus supra, versu 19, semper fructuum tempus fuit. Deinde, quòd dicitur, *verebuntur filium meum*; nec enim id ideò dictum est, quòd ad parabolæ significationem necessarium esset; sed quòd esset vero simile id dominum vineæ, cùm filium suum mitteret, dicturum fuisse. Chrysost., Euthym. et Theophylact. legunt: *Fortè verebuntur filium meum*; quemadmodùm et apud Lucam, c. 20, 13, legitur. Quòd ideò dixisse putant, ut indicaret Dominus vineæ quid coloni facere deberent, non quòd ignoraret non reverituros filium suum esse; et ne se Dei prædictione coactos fuisse dicerent. Sed non dubito ista omnia, tanquàm de homine, non tanquàm de Deo dicta esse. Homo autem non potuit scire fore ut coloni filium suum occiderent; potiùs debuit credere fore ut revererentur.

VERS. 41. — AIUNT ILLI: MALOS MALÈ PERDET. Marcus, c. 12, 9, et Lucas, c. 20, 16, hæc verba non à sacerdotibus, sed à Christo dicta fuisse tradunt. E contrario verò Lucas scribit sacerdotes respondisse, *absit*, quasi quòd Christus diceret, negarent et abominarentur. D. August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 70, respondet hæc verba, ut ait Matth., à sacerdotibus dicta fuisse; sed quia vera erant, et, quidquid verum est, à veritate proficiscitur; veritas autem erat Christus, alios duos evangelistas Christo illa tribuisse. Coactum hoc videtur. Itaque probabilius est, quod Chrysost. et Euthym. respondent, hæc verba, ut Matthæus scribit, primùm à sacerdotibus dicta; Christum verò et confirmâsse, et explicâsse, ita ut sacerdotes intelligerent illum contra se loqui, velleque significare fore ut Deus illos, tanquàm malos colonos disperderet, et vineam suam aliis agricolis elocaret: propterea Marcum et Lucam illa Christo tribuisse; tunc autem respondisse sacerdotes, quod Lucas ait, *absit*.

VERS. 42. — NUNQUAM LEGISTIS. Exprobrat sacerdotibus legis scientiam profitentibus legis ignorationem, ut supra, vers. 16, et c. 12, 3 et 5, et c. 19, 4; confirmat Christus aliâ metaphorâ et Scripturæ testimonio eventurum esse, quod sacerdotes abominati fuerant dicentes, *absit*. Itaque, nisi Lucas id expressisset, hic locus non satis cum præcedentibus hærere videretur. Nunc autem, ut D. August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 70, animadvertit, rectè hæret. Nam quia sacerdotes dixerant, *absit*, negantes id eventurum quod Christus comminabatur, Deum illos malè perditurum, probat id eventurum, quia lapis quem ipsi ædificantes reprobaverunt factus est in caput anguli, et qui ceciderit super eum, confringetur; super quem autem lapis ceciderit, conteret eum. Mutavit Christus subitò metaphoram, quemadmodùm aliis locis eum fecisse animadvertimus. Nam Ecclesiam, quam priùs vineæ comparaverat, nunc comparat ædificio, quia Dei ædificatio est, ut ait D. Paulus, 1 ad Corint. 3, 9, et 2 ad Corint. 13, 10, et ad Ephes. 2, 21, et 4, 12; et quos priùs colonos, nunc ædificantes; quem priùs filium, nunc lapidem appellat, ut Hieronym. et Euthym. annotaverunt. Christum lapidem vocari usitata in Scripturis metaphora est, Isaiæ 28, 16: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*; et Danielis 2, 34, Christus est lapis ille qui de monte sine manibus abscissus fuisse dicitur, et Zachariæ c. 3, 9: *Ecce lapis quem dedi coram Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt.* Dicitur autem Christus lapis Ecclesiæ respectu, quia firmum ejus fundamentum est, ut declarat D. Paulus 1 ad Cor. 3, 11, et ad Ephes. 2, 20; nec dubium est quin David psalmo illo 117, 22, unde hoc testimonium sumptum est, de Christo locutus fuerit, eumque lapidem appellaverit, quod ne ipsi quidem sacerdotes Christi adversarii diffiteri potuerunt.

LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT. Hebraismus est, quem Septuaginta frequentissimè imitari solent, ut Genesis 31, 16, eum etiam Græcus Matthæi interpres, et Græcum Latinus secutus est; *lapidem quem reprobaverunt*, pro lapis quem reprobaverunt; nam Latini vix ita loquuntur.

ÆDIFICANTES. Hic etiam hebraismus est, quo participium præsens ponitur pro nomine verbali officium significante, id est, ædificatores, architecti, ut supra, c. 10, 4, annotavimus; quos autem Christus, et ante Christum David ædificantes appellaverit, non consentiunt interpretes. Nam quidam solos sacerdotes ita vocari putant, ut Chrysostom., Euthym. et Theophylact., quia illi quasi architecti erant veteris synagogæ, qui eam ædificabant, id est, docebant; ædificare enim, docere est, ut Jeremias, 1, 10, ad Roman. 15, 20, 1 ad Cor. 3, 10, ad Galat. 2, 18, ad Ephes. 2, 20, sicut D. Paulus se Evangelii architectum appellat 1 ad Cor. 3, 10. Ita videtur hunc locum D. Petrus exponere Actorum 4, 11: *Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.* Alii ædificantes omnes Judæos generaliter vocari dicunt, quia omnes, quamvis non singuli, Christum rejecerunt; hoc enim est quod dicit *reprobaverunt*, id est, quasi inutilem et ad ædificium ineptum abjecerunt, ut dicunt impii, Sapientiæ 2, 12: *Circumveniamus justum*,

VERS. 42 et 43. — LAPIDEM, ex Psal. 117, hebraismus, pro lapis. REGNUM DEI, vera religio: ET DABITUR GENTI FACIENTI FRUCTUS EJUS, non ex se, sed ex gratiâ Dei.

quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et infamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

Hic factus est in caput anguli, id est, caput anguli. Hebraismus quales multos supra notavimus, c. 19, 5. Caput autem anguli, id est, lapis in ædificio angulum efficiens tribus de causis appellatur Christus. Primùm, quia est firmissimus totius ædificii lapis, qui totum continet, atque sustentat; qui sensus à D. Petro declaratur Actorum 4, 11, cùm dicit: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli*, id est, primus, optimus: opponit enim caput anguli reprobationi; sicut honorem injuriæ, ut Isaias appellavit lapidem pretiosum, id est, qui honoratissimo in loco positus est. Eodem sensu D. Paulus explicavit ad Ephes. 2, 20: *Superædificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Jesu Christo*: angularem enim interpretatur summum, ac primum, quo totum nititur ædificium. Secundò, quia est lapis offensionis multis. Solent enim angulares lapides extra ædificium extare. Itaque qui minùs cauti sunt, dùm prætereunt, ad angulum offendunt; sicut Judæi ad Christum, tanquam ad angulum offenderunt. Hunc sensum disertis verbis D. Petrus explicavit, 1 epist. c. 2, 78: *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali his qui offendunt in verbo, nec credunt, in quo positi sunt*: eumdem etiam sensum videtur D. Paul. secutus esse ad Rom. 9, 32, 33. Tertiò, quia diversos populos, Judaicum et Gentilem, inter se nectit, faciens utraque unum, *et medium parietem maceriæ solvens*, ut ait D. Paulus ad Ephes. 2, 14; quam interpretationem omnes ferè veteres auctores secuti sunt, ut Origen., tractatu in Matthæum 19; Hilar., canone 22; Augustinus in Psalmum 88 et 99, et tractatu in Joannem 9, et sermone 18 et 49 de Verbis Domini; et Hieronym., Theophylact., Beda, et Euthym. hoc loco. Omnes tres sensus videtur Christus colligere voluisse; primum, quia significat se à Judæis reprobatum majore in honore apud gentes futurum esse; secundum, quia significat fore ut Judæi ad eum impingant et confringantur; ut statim declarat, *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*; tertium, quia indicat se hoc facturum loci, ut ab uno populo rejectus, pro uno duos habeat, id est, tanquam angularis lapis duos parietes conjungat atque connectat.

A Domino factum est istud, ἐγένετο ἀπὸ, facta est hæc. Hebraismus, quia, ut omnes sciunt, apud Hebræos femininum genus pro neutro poni solet, quod sæpè et Septuaginta, et Latinus interpres imitantur, ut Psalmo 26, 4: *Unam petii à Domino, hanc requiram*, id est, unum. A Domino autem factum esse dicitur, quia à solo Domino non humano consilio factum est, ut non credentibus Judæis crederent gentes, et ut abscissis ramis oleastri surculi in bonæ olivæ truncum insererentur, ut copiosè et subtiliter in Epistolâ ad Rom., c. 11, disputat D. Paulus.

Et est mirabile in oculis nostris. Hic etiam est hebraismus; esse mirabile in oculis, id est, mirabile videri; meritò autem Judæi, quorum persona apud Davidem hoc dictum est, mirabile sibi videri dicunt, ut gratia Christi non solùm Judæi, sed multò etiam largiùs maligné à Judæis repudiata gentibus detur, cùm hoc mysterium ne ipse quidem Petrus jam princeps apostolorum factus intelligeret, Actorum 10, 14, nec intelligere potuisset, nisi demisso cœlitùs linteo omne animalium genus continente edoctus fuisset.

Vers. 43.— Auferetur a vobis regnum Dei. Hæc est parabolæ conclusio, quâ significatur abolendam synagogam, et Dei Ecclesiam, quæ regnum Dei hic appellatur, et supra per vineam fuerat significata, ad gentes transferendam: quemadmodùm Actorum 13, 46, Paulus et Barnabas Judæis dixerunt: *Nobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis, illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Quod Origenes annotavit priùs de vineâ dictum esse versu 33, locatam fuisse agricolis; nunc autem non locari, sed dari gentibus; quasi priùs Judæis propter merita promissâ mercede locata sit; postea gentibus gratis data, subtile potiùs quàm verum est. Nam neque Judæi magis quàm gentes, ut illis vinea locaretur, meruerunt; neque gentibus minùs quàm Judæis, si benè vineam coluerint, merces promissa est, ergo dari hoc loco, aut transferri, aut locari significat, ut ante.

Facienti fructus ejus, id est, quos, ut proferret, vinea plantata est, et ad quos colligendos missi fuerant à domino servi, versu 34, 36, 37. Cùm autem dicitur, *et dabitur genti facienti fructus ejus*, non quidem meritum, sed causa tamen significatur, quam ob rem gentibus danda sit, quia fructus ejus faturæ sunt, id est, benè eam culturæ, et fructus domino reddituræ: obliquè verò notatur Judæorum culpa, cujus causâ illis auferatur, quia nimirùm fructus ejus non faciebant, quod an ad quæstionem de prædestinatione et reprobatione aliquid lucis afferat, judicent docti; certè D. Paulus eodem modo dicit ad Rom. 11, 19, 20: *Fracti sunt rami, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas.*

Vers. 44. — Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. Illud hoc loco manifestum est, Christum duplicem pœnam, alteram minorem, alteram majorem significare voluisse; quemadmodùm, qui super magnum lapidem cadit, lædit quidem se, et membra sæpè confrigit: sed multò minùs, quàm si lapis super eum de superiore loco caderet; cum enim prorsùs comminueret. Illud dubium, quid sit super lapidem cadere, quid lapidem cadere super aliquem. Hæreticorum interpres cadere super lapidem esse dicit Christum tyrannorum more, quasi superiores illo simus, velle opprimere. Ineptè: isto enim modo, qui in Christum non credunt, et illum tamen non persequuntur, hâc sententiâ non comprehenderentur, et minimè dubium est, quin de medio sit sumpta metaphora; cùm autem aliquis super lapidem cadit, non ideò cadit, ut illum opprimat atque confringat. Denique quis dubitat super

lapidem cadere esse ad Christum tanquàm ad lapidem offendere? propterea enim lapis offensionis, et petra scandali vocatus est Isaiæ 8, 14, et 1 Petri 2, 7, 8. Auctor Imperfecti, Hieronymus, et Beda existimant eos, qui in Christum credunt, sed tamen peccant, et illum offendunt, super lapidem cadere: quia puniuntur quidem, sed leviùs; super eos verò, qui in Christum non credunt, lapidem cadere, id est, graviùs puniri. Chrysostomus, Augustinus, sermone 40 de Verbis Domini, Euthymius, et Theophylactus videntur sentire cadere supra lapidem esse non credere in Christum, qui mihi videtur proprius esse sensus: quia cadere super Christum eâdem sententiâ dictum est, quâ Christus lapis offensionis appellatur: Christus autem ideò vocatur lapis offensionis, quia multi ejus miracula videntes, quibus, ut in eum crederent, adduci debuerunt, tantùm abest ut crederent, ut eâ potiùs de causâ calumniati eum sint. Hoc ergo est cadere super lapidem, idque mihi videntur D. Paulus ad Romanos 9, 33, et D. Petrus 1 Epistolâ, cap. 2, 7, 8, prorsùs expressisse: *Non credentibus*, inquit, *factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali.* Non credere ergo est super lapidem cadere. Quid autem sit lapidem cadere super aliquem, id est obscurius. Chrysostomus, Euthymius, et Theophylactus dicunt nihil aliud esse quàm Christum illi iratum esse; sed vix quidquam hæc metaphora similitudinis haberet. Melius, ut mihi videtur, Augustinus, serm. de Verbis Domini 40, lapidem cadere super aliquem esse Christum de cœlo ad eum judicandum et condemnandum venire. Itaque perinde est ac si Christus dicat, miserum quidem esse etiam in hâc vitâ, quisquis in se non credit, hoc est, super lapidem cadere; miseriorem futurum in alterâ vitâ, cùm ipse eum condemnaverit, hoc est, cùm super eum lapis ceciderit; eodem prorsùs modo, quo D. Joann. in Apocalypsi, c. 2, 11, 20, 6, 14, et 21, 8, mortem primam et secundam, quasi duas pœnas, alteram minorem; alteram majorem distinguit.

CAPUT XXII.

1. Et respondens Jesus, dixit iterùm in parabolis eis, dicens:

2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

4. Iterùm misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi: tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam:

6. Reliqui viri tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cùm audisset, iratus est; et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos; et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

12. Et ait illi: Amice, quomodò hùc intrâsti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.

14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

15. Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.

CHAPITRE XXII.

1. Jésus parlant encore en paraboles, leur dit:

2. Le royaume des cieux est semblable à un roi qui, voulant faire les noces de son fils,

3. Envoya ses serviteurs pour appeler aux noces ceux qui y étaient conviés; mais ils refusèrent d'y venir.

4. Il envoya encore d'autres serviteurs avec ordre de dire de sa part aux conviés: J'ai fait apprêter mon festin; j'ai fait tuer mes bœufs, et tout ce que j'avais fait engraisser: tout est prêt; venez aux noces.

5. Mais eux ne s'en mettant point en peine, s'en allèrent, l'un à sa maison des champs, et l'autre à son négoce.

6. Les autres se saisirent de ses serviteurs et les tuèrent, après leur avoir fait plusieurs outrages.

7. Le roi l'ayant appris en fut ému de colère; et ayant envoyé ses armées, il extermina ces meurtriers, et brûla leur ville.

8. Alors il dit à ses serviteurs: Le festin des noces est tout prêt; mais ceux qui y avaient été invités, n'en ont pas été dignes.

9. Allez donc dans les carrefours et appelez aux noces tous ceux que vous trouverez.

10. Et ses serviteurs s'en allant par les rues, assemblèrent tous ceux qu'ils trouvèrent, bons et mauvais; et la salle des noces fut remplie de convives.

11. Le roi entra ensuite pour voir ceux qui étaient à table, et y ayant aperçu un homme qui n'avait point de robe nuptiale,

12. Il lui dit: Mon ami, comment êtes-vous entré ici sans avoir la robe nuptiale? Et cet homme demeura muet.

13. Alors le roi dit à ses gens: Liez-lui les mains et les pieds, et le jetez dans les ténèbres extérieures; c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents;

14. Car il y en a beaucoup d'appelés, mais peu d'élus.

15. Après cela, les Pharisiens s'en allèrent, et tinrent conseil pour le surprendre dans ses paroles.

16. Et ils lui envoyèrent leurs disciples avec des Hérodiens, lui dire: Maître, nous savons que vous êtes vrai, et que vous enseignez la voie de Dieu dans la vérité, sans avoir égard à qui que ce soit, parce que vous ne considérez point la qualité des personnes.

quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et infamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

Hic factus est in caput anguli, id est, caput anguli. Hebraismus quales multos supra notavimus, c. 19, 5. Caput autem anguli, id est, lapis in ædificio angulum efficiens tribus de causis appellatur Christus. Primùm, quia est firmissimus totius ædificii lapis, qui totum continet, atque sustentat; qui sensus à D. Petro declaratur Actorum 4, 11, cùm dicit: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli*, id est, primus, optimus: opponit enim caput anguli reprobationi; sicut honorem injuriæ, ut Isaias appellavit lapidem pretiosum, id est, qui honoratissimo in loco positus est. Eodem sensu D. Paulus explicavit ad Ephes. 2, 20: *Superædificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Jesu Christo*: angularem enim interpretatur summum, ac primum, quo totum nititur ædificium. Secundò, quia est lapis offensionis multis. Solent enim angulares lapides extra ædificium extare. Itaque qui minùs cauti sunt, dùm prætereunt, ad angulum offendunt; sicut Judæi ad Christum, tanquam ad angulum offenderunt. Hunc sensum disertis verbis D. Petrus explicavit, 1 epist. c. 2, 78: *Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali his qui offendunt in verbo, nec credunt, in quo positi sunt*: eumdem etiam sensum videtur D. Paul. secutus esse ad Rom. 9, 32, 33. Tertiò, quia diversos populos, Judaicum et Gentilem, inter se nectit, faciens utraque unum, *et medium parietem maceriæ solvens*, ut ait D. Paulus ad Ephes. 2, 14; quam interpretationem omnes ferè veteres auctores secuti sunt, ut Origen., tractatu in Matthæum 19; Hilar., canone 22; Augustinus in Psalmum 88 et 99, et tractatu in Joannem 9, et sermone 18 et 49 de Verbis Domini; et Hieronym., Theophylact., Beda, et Euthym. hoc loco. Omnes tres sensus videtur Christus colligere voluisse; primum, quia significat se à Judæis reprobatum majore in honore apud gentes futurum esse; secundum, quia significat fore ut Judæi ad eum impingant et confringantur; ut statim declarat, *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*; tertium, quia indicat se hoc facturum loci, ut ab uno populo rejectus, pro uno duos habeat, id est, tanquam angularis lapis duos parietes conjungat atque connectat.

A Domino factum est istud, ἐγένετο ἀπὸ, facta est hæc. Hebraismus, quia, ut omnes sciunt, apud Hebræos femininum genus pro neutro poni solet, quod sæpè et Septuaginta, et Latinus interpres imitantur, ut Psalmo 26, 4: *Unam petii à Domino, hanc requiram*, id est, unum. A Domino autem factum esse dicitur, quia à solo Domino non humano consilio factum est, ut non credentibus Judæis crederent gentes, et ut abscissis ramis oleastri surculi in bonæ olivæ truncum insererentur, ut copiosè et subtiliter in Epistolâ ad Rom., c. 11, disputat D. Paulus.

Et est mirabile in oculis nostris. Hic etiam est hebraismus; esse mirabile in oculis, id est, mirabile videri; meritò autem Judæi, quorum persona apud Davidem hoc dictum est, mirabile sibi videri dicunt, ut gratia Christi non solùm Judæi, sed multò etiam largiùs maligné à Judæis repudiata gentibus detur, cùm hoc mysterium ne ipse quidem Petrus jam princeps apostolorum factus intelligeret, Actorum 10, 14, nec intelligere potuisset, nisi demisso cœlitùs linteo omne animalium genus continente edoctus fuisset.

Vers. 43.— Auferetur a vobis regnum Dei. Hæc est parabolæ conclusio, quâ significatur abolendam synagogam, et Dei Ecclesiam, quæ regnum Dei hic appellatur, et supra per vineam fuerat significata, ad gentes transferendam: quemadmodùm Actorum 13, 46, Paulus et Barnabas Judæis dixerunt: *Nobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis, illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Quod Origenes annotavit priùs de vineâ dictum esse versu 33, locatam fuisse agricolis; nunc autem non locari, sed dari gentibus; quasi priùs Judæis propter merita promissâ mercede locata sit; postea gentibus gratis data, subtile potiùs quàm verum est. Nam neque Judæi magis quàm gentes, ut illis vinea locaretur, meruerunt; neque gentibus minùs quàm Judæis, si benè vineam coluerint, merces promissa est, ergo dari hoc loco, aut transferri, aut locari significat, ut ante.

Facienti fructus ejus, id est, quos, ut proferret, vinea plantata est, et ad quos colligendos missi fuerant à domino servi, versu 34, 36, 37. Cùm autem dicitur, *et dabitur genti facienti fructus ejus*, non quidem meritum, sed causa tamen significatur, quam ob rem gentibus danda sit, quia fructus ejus faturæ sunt, id est, benè eam culturæ, et fructus domino reddituræ: obliquè verò notatur Judæorum culpa, cujus causâ illis auferatur, quia nimirùm fructus ejus non faciebant, quod an ad quæstionem de prædestinatione et reprobatione aliquid lucis afferat, judicent docti; certè D. Paulus eodem modo dicit ad Rom. 11, 19, 20: *Fracti sunt rami, propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas.*

Vers. 44. — Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur. Illud hoc loco manifestum est, Christum duplicem pœnam, alteram minorem, alteram majorem significare voluisse; quemadmodùm, qui super magnum lapidem cadit, lædit quidem se, et membra sæpè confrigit: sed multò minùs, quàm si lapis super eum de superiore loco caderet; cum enim prorsùs comminueret. Illud dubium, quid sit super lapidem cadere, quid lapidem cadere super aliquem. Hæreticorum interpres cadere super lapidem esse dicit Christum tyrannorum more, quasi superiores illo simus, velle opprimere. Ineptè: isto enim modo, qui in Christum non credunt, et illum tamen non persequuntur, hâc sententiâ non comprehenderentur, et minimè dubium est, quin de medio sit sumpta metaphora; cùm autem aliquis super lapidem cadit, non ideò cadit, ut illum opprimat atque confringat. Denique quis dubitat super

lapidem cadere esse ad Christum tanquàm ad lapidem offendere? propterea enim lapis offensionis, et petra scandali vocatus est Isaiæ 8, 14, et 1 Petri 2, 7, 8. Auctor Imperfecti, Hieronymus, et Beda existimant eos, qui in Christum credunt, sed tamen peccant, et illum offendunt, super lapidem cadere: quia puniuntur quidem, sed leviùs; super eos verò, qui in Christum non credunt, lapidem cadere, id est, graviùs puniri. Chrysostomus, Augustinus, sermone 40 de Verbis Domini, Euthymius, et Theophylactus videntur sentire cadere supra lapidem esse non credere in Christum, qui mihi videtur proprius esse sensus: quia cadere super Christum eâdem sententiâ dictum est, quâ Christus lapis offensionis appellatur: Christus autem ideò vocatur lapis offensionis, quia multi ejus miracula videntes, quibus, ut in eum crederent, adduci debuerunt, tantùm abest ut crederent, ut eâ potiùs de causâ calumniati eum sint. Hoc ergo est cadere super lapidem, idque mihi videntur D. Paulus ad Romanos 9, 33, et D. Petrus 1 Epistolâ, cap. 2, 7, 8, prorsùs expressisse: *Non credentibus*, inquit, *factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali.* Non credere ergo est super lapidem cadere. Quid autem sit lapidem cadere super aliquem, id est obscurius. Chrysostomus, Euthymius, et Theophylactus dicunt nihil aliud esse quàm Christum illi iratum esse; sed vix quidquam hæc metaphora similitudinis haberet. Melius, ut mihi videtur, Augustinus, serm. de Verbis Domini 40, lapidem cadere super aliquem esse Christum de cœlo ad eum judicandum et condemnandum venire. Itaque perinde est ac si Christus dicat, miserum quidem esse etiam in hâc vitâ, quisquis in se non credit, hoc est, super lapidem cadere; miseriorem futurum in alterâ vitâ, cùm ipse eum condemnaverit, hoc est, cùm super eum lapis ceciderit; eodem prorsùs modo, quo D. Joann. in Apocalypsi, c. 2, 11, 20, 6, 14, et 21, 8, mortem primam et secundam, quasi duas pœnas, alteram minorem; alteram majorem distinguit.

CAPUT XXII.

1. Et respondens Jesus, dixit iterùm in parabolis eis, dicens:

2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.

4. Iterùm misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi: tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias.

5. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam:

6. Reliqui viri tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.

7. Rex autem cùm audisset, iratus est; et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos; et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

12. Et ait illi: Amice, quomodò hùc intrâsti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.

14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

15. Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.

CHAPITRE XXII.

1. Jésus parlant encore en paraboles, leur dit:

2. Le royaume des cieux est semblable à un roi qui, voulant faire les noces de son fils,

3. Envoya ses serviteurs pour appeler aux noces ceux qui y étaient conviés; mais ils refusèrent d'y venir.

4. Il envoya encore d'autres serviteurs avec ordre de dire de sa part aux conviés: J'ai fait apprêter mon festin; j'ai fait tuer mes bœufs, et tout ce que j'avais fait engraisser: tout est prêt; venez aux noces.

5. Mais eux ne s'en mettant point en peine, s'en allèrent, l'un à sa maison des champs, et l'autre à son négoce.

6. Les autres se saisirent de ses serviteurs et les tuèrent, après leur avoir fait plusieurs outrages.

7. Le roi l'ayant appris en fut ému de colère; et ayant envoyé ses armées, il extermina ces meurtriers, et brûla leur ville.

8. Alors il dit à ses serviteurs: Le festin des noces est tout prêt; mais ceux qui y avaient été invités, n'en ont pas été dignes.

9. Allez donc dans les carrefours et appelez aux noces tous ceux que vous trouverez.

10. Et ses serviteurs s'en allant par les rues, assemblèrent tous ceux qu'ils trouvèrent, bons et mauvais; et la salle des noces fut remplie de convives.

11. Le roi entra ensuite pour voir ceux qui étaient à table, et y ayant aperçu un homme qui n'avait point de robe nuptiale,

12. Il lui dit: Mon ami, comment êtes-vous entré ici sans avoir la robe nuptiale? Et cet homme demeura muet.

13. Alors le roi dit à ses gens: Liez-lui les mains et les pieds, et le jetez dans les ténèbres extérieures; c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents;

14. Car il y en a beaucoup d'appelés, mais peu d'élus.

15. Après cela, les Pharisiens s'en allèrent, et tinrent conseil pour le surprendre dans ses paroles.

16. Et ils lui envoyèrent leurs disciples avec des Hérodiens, lui dire: Maître, nous savons que vous êtes vrai, et que vous enseignez la voie de Dieu dans la vérité, sans avoir égard à qui que ce soit, parce que vous ne considérez point la qualité des personnes.

17. Dic ergo nobis quid tibi videtur : Licèt censum dare Cæsari, annon ?

18. Cognità autem Jesus nequitiâ eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ ?

19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.

20. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio ?

21. Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo.

22. Et audientes mirati sunt, et relicto eo, abierunt.

23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem : et interrogaverunt eum,

24. Dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo.

25. Erant autem apud nos septem fratres : et primus, uxore ductâ, defunctus est, et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.

26. Similiter secundus, et tertius, usque ad septimum.

27. Novissimè autem omnium et mulier defuncta est.

28. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor ? omnes enim habuerunt eam.

29. Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

30. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo.

31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis :

32. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

33. Et audientes turbæ mirabantur in doctrinâ ejus.

34. Pharisæi autem audientes quòd silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum :

35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum :

36. Magister, quod est mandatum magnum in lege ?

37. Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in totâ mente tuâ.

38. Hoc est maximum et primum mandatum.

39. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum.

40. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.

41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus,

42. Dicens : Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est ? Dicunt ei : David.

43. Ait illis : Quomodò ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens :

44. Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ?

17. Dites-nous donc ce qu'il vous semble de ceci : Est-il permis de payer le tribut à César, ou de ne le pas payer ?

18. Mais Jésus connaissant leur malice, leur dit : Hypocrites, pourquoi me tentez-vous ?

19. Montrez-moi la pièce d'argent du tribut. Et ils lui présentèrent un denier.

20. Et Jésus leur dit : De qui est cette image et cette inscription ?

21. Ils lui dirent : De César. Jésus leur répondit : Rendez donc à César ce qui est à César, et à Dieu ce qui est à Dieu.

22. Et, l'ayant entendu, ils furent remplis d'admiration, et le laissant, ils se retirèrent.

23. Ce jour-là, les Sadducéens qui nient la résurrection, l'abordèrent, et lui proposèrent cette question :

24. Maître, Moïse a ordonné que, si quelqu'un mourait sans enfants, son frère épousât sa femme, et suscitât des enfants à son frère.

25. Or, il s'est rencontré sept frères parmi nous, dont le premier ayant épousé une femme, est mort ; et n'en ayant point eu d'enfants, il l'a laissée à son frère.

26. Il en fut de même du second, du troisième, et de tous, jusqu'au septième.

27. Enfin cette femme est morte aussi après eux tous.

28. Lors donc que la résurrection arrivera, duquel de ces sept sera-t-elle femme, puisque tous l'ont épousée ?

29. Jésus leur répondit : Vous êtes dans l'erreur, ne comprenant ni les Écritures ni la puissance de Dieu.

30. Car lors de la résurrection, les hommes n'auront point de femmes, ni les femmes de maris, mais ils seront comme les anges de Dieu dans le ciel.

31. Et pour ce qui est de la résurrection des morts, n'avez-vous point lu ces paroles que Dieu vous a dites :

32. Je suis le Dieu d'Abraham, le Dieu d'Isaac, et le Dieu de Jacob ? Or, Dieu n'est point le Dieu des morts, mais des vivants.

33. Le peuple entendant ceci, était dans l'admiration de sa doctrine.

34. Mais les Pharisiens ayant appris qu'il avait fermé la bouche aux Sadducéens, s'assemblèrent.

35. Et l'un d'eux, qui était docteur de la loi, vint lui faire cette question pour le tenter :

36. Maître, quel est le grand commandement de la loi ?

37. Jésus lui répondit : Vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre cœur, de toute votre âme, et de tout votre esprit.

38. C'est-là le premier et le plus grand commandement.

39. Et voici le second qui est semblable à celui-là : Vous aimerez votre prochain comme vous-même.

40. Toute la loi et les prophètes sont renfermés dans ces deux commandements.

41. Pendant que les Pharisiens étaient là assemblés, Jésus leur fit cette question :

42. Que vous semble du Christ ? de qui est-il fils ? Ils lui répondirent : de David.

43. Et comment donc, leur dit-il, David, qui était inspiré, l'appelle-t-il son Seigneur, disant :

44. Le Seigneur a dit à mon Seigneur : Asseyez-vous à ma droite jusqu'à ce que j'aie réduit vos ennemis à vous servir de marchepied ?

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodò filius ejus est ?

46. Et nemo poterat ei respondere verbum ; neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum amplius interrogare.

45. Si donc David l'appelle son Seigneur, comment est-il son fils ?

46. Personne ne put lui rien répondre ; et depuis ce jour-là, qui que ce fût n'osa plus lui faire de questions.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et respondens Jesus, aggressus iterùm loqui. Respondere pro loqui, aut aggredi dicere, ut sæpè ex Hebræorum idiomate explicavimus.

Vers. 2. — Simile factum est. Similis apud Lucam, c. 14, 16, parabola est. An autem eadem sit, inter interpretes disceptatur. Quidam multis adducti argumentis diversam esse putant : quia, qui nuptias fecit filio suo, hic est rex, illic non est ; quia hic prandium, illic cœna ; quia hic multi servi, et sæpè ad vocandos invitatos mittuntur, illic unus, et semel tantùm ; hic non excusant se, sed venire negligunt invitati, illic alius excusat, quòd villam emerit, et necesse habeat exire ac videre illam ; alius quòd juga boum emerit quinque, et eat probare illa ; alius quòd uxorem duxerit, et venire non possit : hic servi occiduntur, illic non occiduntur ; hic mittitur à domino vineæ exercitus, qui colonos occidat, illic non mittitur, hic intrat rex in cœnaculum, ut discumbentes videat, et invenit hominem non habentem nuptialem vestem, jubetque ligari, et in tenebras exteriores mitti ; illic nihil tale factum dicitur. In hâc sententiâ sunt D. August., lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 70, et Gregorius, homiliâ in Evangelia 38, Strabus et D. Thomas. Alii eamdem esse existimant, ut existimare videtur Irenæus, lib. 4, c. 70 et 76, quia convivium hoc nuptiale, quod factum fuisse dicitur, nunc prandium, ut Matthæus, nunc cœnam, ut Lucas appellat. Itemque Theophyl. hoc loco, eamque sententiam etiam Gregorius probabilem putat ; ego alterâ probabiliorem, quia et reliqua omnia, quæ hic à Matthæo, illic à Lucâ narrantur, similia sunt, et quæ dissimilia videntur, adeò sunt levia ut nos ab hâc sententiâ dimovere non debeant. Etenim quod hic rex appelletur, illic non appelletur ; quòd hic prandium, illic cœna dicatur, nihil est. Nam quod et Gregorius ipse respondit, quia veteres usque ad horam nonam prandere non solebant ; prandium apud eos cœnam vocatam fuisse, hoc fortasse certum non est ; sed uno verbo omnia argumenta contraria solvi possunt. Evangelistas, cùm non solùm eamdem parabolam, sed cùm eamdem etiam narrent historiam, nec omnia narrare, nec iisdem verbis, sed eâdem sententiâ uti solere. Quod et hoc loco accidisse credendum est. Illud magis movere lectorem potest, quòd Lucas hanc parabolam alio tempore ac loco à Christo propositam fuisse dicat, cùm Christus in domo cujusdam principis Pharisæorum cœnaret, cùmque quidam ex discumbentibus dixisset : *Beatus qui manducat panem in regno Dei.* Sed et hæc objectio facilè potest dilui, aut Lucam, aut Matthæum ordinem temporis, ut sæpè evangelistis accidit, secutum non esse ; probabilius autem est Lucam rem suo loco et tempore narrâsse ; Matthæum verò propterea in hunc locum distulisse, quia præcedenti parabolæ affinis erat, et non fuit illi curæ historiam, ut gesta erat texere, sed Christi doctrinam exponere, ideòque ea, quæ similem habebant significationem atque doctrinam, eodem loco posuit.

Homini regi, id est, idem accidit in regno cœlorum, atque si quis rex nuptias fecisset filio suo, ut c. 21, 16, explicavimus ; nec enim regnum cœlorum, id est, Ecclesia homini regi, sed cœnaculo, ubi convivium celebratur, simile est. Videndum inprimis est, quò tota spectet parabola ; deinde quæ sunt ejus, ut solemus dicere propriæ partes atque necessariæ, quæ ad sententiam aliquid faciant. Duo mihi Christus videtur significare voluisse : alterum, multos ad regnum cœlorum, id est, ad Ecclesiam vocari, paucos venire, ut concludit versu 14 : *Multi sunt vocati, pauci verò electi* alterum, non omnes qui ad Ecclesiam vocati veniunt, salvos fieri, id est, quamvis esse cœlesti convivio, quia aliqui nuptialem vestem non habent, ut significat versu 11. Dirigit autem parabolam in Judæos, qui invitati venire noluerunt, ideòque gentes eorum loco vocatæ sunt. Partes autem parabolæ, quæ necessariam habent significationem, septem mihi videntur esse. Prima est homo rex, quâ minimè dubium est Deum significari. Quòd autem non homo quilibet, sed rex fuisse dicitur, partim ad declarandam divinam majestatem, partim ad explicandam convivii magnificentiam dictum fuisse arbitror. Secunda pars sunt nuptiæ, id est, convivium. Nam toto hoc capite nuptiarum convivium evangelista nuptias appellat. Convivium autem quidam dixerunt cœlestem gloriam ac beatam vitam significare, quæ sæpè in Scripturis

Vers. 1. — Respondens, hebraismus, sermonem exorsus, vel præcedentibus hæc subjiciens.

Vers. 2. — Simile factum est regnum cœlorum. Idem evenit in Ecclesiâ, ac si quis rex fecerit nuptias filio suo. Eò spectat parabola, ut multos ad Ecclesiam vocari, paucos ad eam venire insinuet, et inter eos qui invitati veniunt, perpaucos esse cœlesti convivio dignos, ac veste nuptiali, seu charitate indutos, aut vitæ integritate præditos. Judæi primùm invitati venire noluerunt ; gentes postea vocatæ sunt. Quòd unus tantùm notetur veste nuptiali destitutus, non propterea sequitur inter invitatos unum tantùmmodò

fuisse indignum ; non enim unus dicitur, sed homo, et verba regis ad unum aptiùs dirigantur, quàm ad multos. Nuptiæ illæ propter Christi et Ecclesiæ conjugium per Incarnationem sunt celebratæ. Misit primùm prophetas qui Judæos ad nuptias invitarent ; post Ascensionem misit apostolos, qui dicerent invitatis, *prandium meum paratum est.* Christiana religio est constituta, adhuc in cœlum reseratus, æterna felicitas omnibus exposita, agnus occisus, corpus ejus in altaris sacramento manducandum, et sanguis potandus.

per convivium declarari solet. Unde illud est Psal. 16, 15 : *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua;* et illud Apocalypsis 19, 9 : *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt;* et illud Lucæ 14, 15 : *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei;* et c. 22, 29, 30 : *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Sic Hilarius, canone in Matthæum 22. Alii convivium gratiæ affluentiam, quæ in Ecclesiâ venientibus datur, aut verbum Dei, quo pascuntur, esse dicunt. Nam et verbum Dei cibo comparari solet, ut apud D. Paulum : *Tanquàm parvulis in Christo lac vobis potum dedi,* 1 ad Cor. 3, 2; *Facti estis quibus lacte opus sit,* ad Hebræos 5, 12. Simile est, quòd apud Amos, c. 8, 11, minatur Deus se in terram famem missurum, non famem panis, sed famem verbi Dei. Sic Origenes, tractatu in Matthæum 20, sic auctor Imperf., et Euthymius hoc loco. Tertia pars est filius regis, cujus nuptiæ celebratæ sunt, quem manifestum est esse Christum, qui sæpè solet sponsus appellari, ut supra, c. 9, 15, et infra per alteram parabolam c. 25, 1, et Joannis 3, 29, et Apocalypsis 19, 7, 9; quæ sit ejus sponsa minùs compertum est. Quidam uniu cujusque animam esse dicunt, ut Theophylactus, auctor Imperfecti, homil. 41. Alii Ecclesiam, ut Origenes, tractatu 20 in Matthæum, Hilarius, canone 22, Hieronym. in Commentariis, et Gregorius, homiliâ 38 in Evangelia. Hoc probabilius, quia etiam D. Joann. in Apocalypsi, c. 21, 2, Ecclesiam sponsam Christi appellat. *Vidi,* inquit, *sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo,* et versu 9 : *Veni, et ostendam tibi sponsam uxorem agni.* Similiter cùm D. Paulus ad Ephesios 5, 25, exhortatur viros, ut uxores suas diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, haud obscurè significat Ecclesiam uxorem esse Christi; itemque, cùm versu 31, 32, dicit : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ; sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ,* Christum sponsum, Ecclesiam sponsam ejus facit. Variant auctores quandonam hujusmodi inter Christum et Ecclesiam nuptiæ celebratæ sunt. Nonnulli enim post resurrectionem celebratas esse dicunt; sed homines ad futuras nuptias invitari. Ita Origenes et Hilarius. Et verò in parabolâ illâ, quæ infra, cap. 25, 1, proponitur de sponso ad nuptias mediâ nocte veniente, haud dubium quin tempus resurrectionis, et ultimus Christi adventus significetur. Joan. etiam in Apocalyps., c. 19, 9, de iis agit nuptiis, quæ non in terrâ, sed in cœlo post resurrectionis tempus celebrandæ sunt. Alii tunc celebratas dicunt, cùm Filius Dei homo factus est; tunc enim Ecclesiam sibi, tanquàm sponsam copulavit. Ita Gregorius, homil. illâ, quam sæpè citavimus, in Evangelia, 38. Utrumque verum est. Nam sæpè, ut alio loco diximus, Christi nuptiæ celebratæ sunt : primùm, cùm homo factus est, quæ veluti sponsalia fuerunt; deinde celebrabuntur, cùm reddet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, quod tunc proprié fiet, cùm

cum sibi ab omni mundatam maculâ in cœlo copulabit. Ad utrasque nuptias homines invitati sunt; ad priores, ut ad Ecclesiam veniant, et Dei verbo pascantur; ad posteriores, ut salvi fiant, et manducent, et bibant super mensam Christi in regno Dei. Quarta pars, sunt invitati, Quos Ambrosius in Commentariis in caput Lucæ 14, gentiles, Judæos et hæreticos esse dicit. Alii omnes auctores solos Judæos interpretantur; et quidem minimè obscurum est contrillos potissimùm parabolam Christum proposuisse, o significaret Judæos invitatos ad regnum cœlorum venir noluisse; gentiles verò venisse. An autem de omnibus Judæis, an de iis solùm qui post Christi incarnationem vixerunt, id sit intelligendum, de eo dubitari potest: nam Hilarius eos tantùm invitatos fuisse dicit, quos Christus ipse factus jam homo, aut apostoli eorumque successores vocaverunt. Origenes verò, tractatu in Matthæum 20, et Athanasius, quæstione 45, Hieron, Beda, Euthym. et Theophyl. in Commentariis, Gregorius in homiliâ illâ, quam diximus, 38, de omnibus Judæis etiam, qui ante Christi incarnationem fuerunt, intelligendum putant. Id probabilius, quia illi procul dubio fuerunt, qui servos à rege missos, id est, veteres prophetas contumeliis affectos occiderunt. At quomodò illi à Christi adventu tam remoti invitari ad ejus nuptias potuerunt? — Respondeo ad futuras nuptias invitatos fuisse, ut in venturum crederent Christum, et interim verbo legis atque prophetarum pascerentur, quorum præcepta si servarent, ad ultimas illas, id est, cœlestes, ad quas et nos, qui in primis versamur, invitamur, nuptias pervenirent; et, ut ait Gregorius, et eos qui ante incarnationem Christ, et eos qui post incarnationem fuerunt, Deus invitavit, quia *incarnationem Unigeniti, et per prophetas dixit futuram, et per apostolos nuntiavit factam.* Quinta pars sunt servi. Hieronymus indicat in multis codicibus singulari numero servum legi, quemadmodùm apud Lucam; sed et nostri codices legunt servos, et eam lectionem, ut plenior sit, videtur sententia postulare. Qui fuerint servi, quos Deus ad invitandos primùm Judæos misit, non est difficile; tamen non omninò auctores consentiunt. Hilarius enim solos apostolos fuisse dicit. Alii omnes auctores, ut Origenes, Chrysostomus, auctor Imperfecti, Hieronymus, Gregorius et Beda, prophetas et apostolos. Nam primùm prophetæ missi sunt, et contumeliis affectique atque occisi. Postea missi apostoli in plateas et exitus viarum, ut omnes non Judæos tantùm, sed etiam gentiles invitarent. Quærit Theophylactus, et quis quis fuit auctor Operis Imperfecti, quomodò vocati sunt qui invitati jam fuerant; aut quomodò invitati fuerunt, antequàm vocarentur, cùm invitati et vocati idem esse videantur. — Respondet Theophylactus probabiliter per legem naturalem invitatos fuisse, ut benè piéque viverent; postea per prophetas, ut venirent, vocatos. Meliùs tamen per legem Moysis invitatos dixisset. Nam per naturalem legem non tantùm Judæi, verùm omnes etiam homines invitantur. Nec enim in eo parabola rei subjectæ similis est, quòd priùs homines invitati postea vocati fuisse dicantur; sed locutus est Christus ex consuetudine, et dixit, non quod à Deo erga Judæos factum erat, sed quod vulgò ab hominibus solebat fieri : sic autem fieri solet, ut homines ad convivium priùs invitentur, rogenturque; deinde, cùm tempus veniendi est, vocentur. Sexta pars est, quòd rex, dùm convivium celebraretur, ingressus in cœnaculum dicatur. Ingredi in cœnaculum, et discumbentes dispicere interpretatur auctor Imperfecti, Deum homines tentare, ut appareat, quantum quisque virtutis habeat, et an loco, quem in Ecclesiâ tenet, dignus sit. Meliùs Hieronym. et Beda intrare in cœnaculum Deum intelligunt ad judicium venire, et eos, qui vestem nuptialem habent, retinere; eos, qui non habent, excludere. Nam agi hic de ultimo judicio ex eo perspicuum est, quòd ille, qui vestem nuptialem non habebat, ligatis manibus, et pedibus mittitur in tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium, quod in ultimo judicio propriè fiet. Videmus enim idem per hanc parabolam, et per illam alteram zizaniorum, c. 13, 4, et per illam sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congregantis significari. Dubitare tamen lector poterit quomodò rex dicatur in cœnaculum ingredi, cùm non rex ipse; sed filius regis, id est, Christus ad judicandum venturus sit. Respondeo regem venturum esse, quia filius pro eo veniet : *Omne* enim *judicium dedit filio,* Joannis 5, 22. Septima pars est ille, qui non habet vestem nuptialem. Quid enim per nuptialem vestem significetur, variis sententiis auctores dissident. Irenæus, lib. 4, c. 70, et Hilarius in hunc locum vestem nuptialem Spiritum sanctum interpretantur; sicut Christus loquitur apud Lucam, c. 24, 49 : *Vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.* Augustinus verò, libro 22 contra Faustum, c. 19, Christi gloriam esse dicit, quam quisquis quærit, nuptiali indutus est veste; quisquis autem non Christi, sed suam in Ecclesiâ gloriam quærit, vestem nuptialem non habet; quia non Christi, sed sua ipsius gestat insignia. Existimavit, ut apparet, D. August. vestem nuptialem appellari certam aliquam, et insignem vestem qualem sponsus ipse gestaret : sicut videmus regis pueros certi, atque insignis coloris habere vestes, qui regius color appellatur, ex quo regis esse pueri cognoscuntur. Verùm hanc consuetudinem aut apud Judæos, aut apud aliam aliquam fuisse gentem legere non memini. Itaque nuptialem vestem vocari puto non certam, et insignem, quasi eamdem, aut similem omnes gererent invitati : sed pretiosiorem, atque splendidiorem quotidianâ, qualem solent homines, cùm ad nuptias invitantur, induere, ut sponsum honorent, et convivium condecorent, atque ejusmodi vestem ille, qui foras ejectus est, non habebat; ideòque in tenebras exteriores mittitur, quia temeritatis fuit impudentiæ ad convivium, ubi omnes pretiosâ veste induti erant, sordidum atque pannosum venire. Sed quid per eam vestem significetur, id quærimus. Calvinistarum interpretes nuptialem vestem fidem esse dicunt; omnia enim fides illis sunt, cùm nulla illis sit fides. Neque considerant homines valdè ut sibi videntur, acuti invitatum illum non nisi per fidem venire, aut in cœnaculum, id est, in Ecclesiam ingredi potuisse. Venire enim est credere. Nam illi, qui invitati non venerunt, propterea non venisse dicuntur, quia credere noluerunt. Itaque habebat quidem ille fidem, sed vestem nuptialem non habebat : non ergo nuptialis vestis fides est. Vera et propria est Tertulliani, libro de Resurrect. carnis, Origenis, Chrysost., auctoris Imperfecti, Ambros., sermon. 14, de Natali Domini, Hieronymi, Gregorii, Theophylacti et Euthymii sententia vestem nuptialem charitatem, bona opera, et vitam fidei christianæ respondentem significare, resque bellissimè, aptissimèque convenit. Nam ut, qui ad nuptias invitati sunt, vestem loco dignam gestare debent; ita qui ad Ecclesiam per fidem invitati veniunt, vitam agere debent fide dignam, et homine Christiano, et videmus in Scripturis bonam vitam per vestem significari; ut in Apocalypsi, c. 3, 17, 18 : *Dicis quòd dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ,* et ad Ephes. 4, 24 : *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis,* et ad Colos. 3, 9, 10 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus qui creavit illum.* Itaque dent nobis hanc veniam Calvinistæ, ut ex hoc loco probemus solam fidem ad salutem satis non esse, quando ille, qui in convivio erat, fidem habebat; sed quia vestem nuptialem, id est; bona opera non habebat, in tenebras exteriores ejectus est. Dicit aliquis, quomodò si fidem habebat, extra cœnaculum, id est, extra Ecclesiam ejectus est; quasi malit rex homines fidem non habere, quàm fidem habere sine operibus. Facilis solutio, hæc ad diem judicii esse referenda, cùm Deus eos, qui fidem sine bonis operibus habuerint, extra convivium, id est, extra cœlum ejiciet, non quòd ante in cœlo essent : sed quòd cùm essent in Ecclesiâ, in cœlo esse videbantur : quia si cum fide opera conjunxissent, in cœlum translati essent. Cætera, quæ in parabolâ dicuntur, adjectitia sunt, et ad ornamentum, et narrationis complementum apposita : quale illud est, quod versu 4 dicitur : *Tauri mei, et altilia occisa sunt,* quod nihil aliud significat, quàm omnia parata esse, Deum homines expectare, præsto omnibus esse ejus gratiam, non stare per illum, quominùs homines ab impietate suâ convertantur; sed tauros et altilia nominavit; quia ea erant, quæ in splendidis conviviis solebant dari. Tauros enim vitulos, aut juvencos appellavit, qui nec castrati essent, nec aratra traxissent, quos in deliciis apud Judæos fuisse ex multis Scripturæ locis intelligimus, Genesis 18, 7; 1 Regum 28, 24; homo etiam ille, cujus perditus filius redierat, apud Lucam c. 15, 23, vitulum saginatum occidi jussit. Hæc vera

est significatio, etsi non ignoro multos veteres auctores necessariam parabolæ partem existimare, et propriam atque distinctam habere significationem. Nam Gregorius per tauros patres veteris Testamenti; per altilia patres novi, qui uberiorem acceperunt gratiam, et quasi spiritualiter signati fuerunt, putat intelligendos. Theophylact. per tauros ipsum vetus Testamentum, per altilia novum intelligit. Hieronymus, et Euthym. melius, nihil aliud quàm convivii opiparam copiam significari. Adjectum etiam complementi, aut ornamenti causâ est, *quod* versu 5 dicitur, alium in villam suam, alium ad negotiationem suam abisse, et, quod Lucas dicit alium dixisse, *juga boum emi quinque*, alium, *uxorem duxi*, hæc enim omnia tantùm significant ideò invitatos venire noluisse, quia temporalia spiritualibus anteposuerunt; neque separatim quærendum est, quid unumquodque eorum per se significet; nec, dùm quærimus, plusquàm oportet, aliquid, quod non oportet, inveniamus. Si quis tamen hujusmodi delectatur sedulitate, Origenem hoc loco, et Ambrosium in commentariis in caput Lucæ 14, legere poterit, et multa qualia quærit, inveniet. Præterea illud adjectum, quod versu 7 scriptum est, regem misisse exercitum suum, ut homicidas illos perderet, nihil aliud significare arbitror, quàm Deum de iis, qui vocati venire noluerunt, graves pœnas sumpturum esse. Quanquam, quod Chrysostomi auctor Imperfecti, et Euthym. existimant Romanorum exercitum significari, qui sub Tito et Vespasiano Judæos penè interneciose delevit, probabile. Probabilius etiam, quod Hieronym. et Gregorius scribunt exercitum Dei angelos esse malos, per quos Deus homines punit, juxta illud Psalmi 77, 49: *Immissiones per angelos malos.* Simile est quòd servi, qui secundo loco mittuntur, versu 9, jubentur in exitus *viarum*, et in sepes ire, et *omnes* ad nuptias vocare, et ut ait Lucas, intrare compellere. Nam per viarum exitus, et per sepes, nihil aliud significatur, quàm non esse adhibendum ullum discrimen loci; sed eundum in mundum universum, et Evangelium omni creaturæ prædicandum, ut Christus postea dixit, c. 28, 19, et Marc. 16, 15. Quanquàm Gregorius viarum exitus actionum nostrarum vitia esse dicit: quia Scripturæ actiones nostras vias appellat; allegoria nonnihil coacta: licet, quod Lucas ait, ut pauperes, debiles, cæcos, et claudos in convivium introducant, tantùm hoc significat nullam gentis, nullam personarum habendam esse rationem; sed omnes æqualiter ad Evangelium convocandos: propterea autem Christus pauperes, debiles, cæcos, et claudos potiùs quàm aliud hominum genus nominat, quia ejusmodi homines vocari non solent, ut intelligeremus ab Evangelico convivio neminem

Vers. 5, 7 et 10. — Abierunt, quò sua quemque vocabat libido. Secerdit, sub Vespasiano et Tito. Et malos, nullâ conditionis habitâ ratione; bonos secundùm officia virtutum.

Vers. 11 et 14. — Veste nuptiali. Solebant in his conviviis indui certis vestibus. At ille obmutuit. Nulla erit in die judicii apud Deum excusatio; nam veritas ipsa judex erit; vestis nuptialis bona opera de-

excludendum. Quod autem dicit *compelle intrare*, non significant ad fidem cogendos esse homines; sed adeò rogandos, adeò incitandos, ut quodammodò compelli videantur: denique et illud adjectitium est, quod versu 13, jubetur illi qui vestem nuptialem non habebat, manibus, et pedibus alligari, quod tantùm significat eos, qui damnandi sunt, ita damnandos, ut sententiæ executioni resistere non magis possint, quàm si manibus et pedibus ligati essent.

Vers. 13. — In tenebras exteriores. De tenebris exterioribus, c. 8, 12, disputavimus.

Vers. 14. — Multi sunt vocati, pauci verò electi. Hæc est parabolæ conclusio, in quâ illud videtur aliquid habere difficultatis, quòd, cùm ex iis qui vocati fuerant, unus tantùm ejectus sit; Christus concludat, *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Non enim pauci; sed *omnes*, uno tantùm excepto, electi sunt. Respondet D. Augustin. in libro contra Donatistas post collationem 20 illum unum, qui ejectus fuit, omnium reproborum, qui multò plures quàm electi sunt, personam sustinuisse; ideò conclusisse Christum, *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Verùm potiùs existimo hanc conclusionem non ad proxima verba: sed ad totam superiorem parabolam esse referendam in quâ videmus multos fuisse vocatos, paucos venisse, et ex illis ipsis, qui venerunt, non omnes electos esse. Cur ergo unus tantùm ejicitur; cùm ex iis, qui in convivium, id est, in Ecclesiam ingrediuntur, non unus tantùm, sed major pars ejiciendi sint, id est, condemnandi, ut alio loco Christus indicavit: *Intrate per angustam portam, quàm angusta porta et arcta est via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam*, supra, c. 7, 13, 14, et, *si justus vix salvabitur, impius et peccator, ubi parebunt?* 1 Petri 4, 18. Non difficile responderi potest Christum parabolam non contra gentiles, sed contra Judæos proposuisse, qui primo loco invitati non tantùm venire noluerunt, sed servos etiam regis, qui se invitabant, contumeliis affectos occiderunt; de illis ergo conclusit, *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Voluit deinde, quasi obiter etiam docere eos, qui venissent, sive Judæi essent, sive gentiles, non debere sibi confidere, propterea quòd in convivium ingressi essent; posse enim ejici, si vestem nuptialem non habuerint; hoc ut probaret, satis fuit, dicere unum ex discumbentibus, quia vestem nuptialem non habebat, ejectum esse. At cùm plures ejiciendi sint, quàm retinendi, quare non dixit plures ejectos fuisse, paucos retentos? quia non id agebat; sed illum tantùm, ut probaret multos vocari, paucos eligi.

Vers. 16. — Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis. De Herodianis, quinam fuerint, nonnihil

signat. Vocati, ad superiorem parabolam hæc referuntur, atque unus ejectus reproborum typus est.

Vers. 16. — Herodiani, ex aulâ forte Herodis: qui tributum Cæsari persolvendum censebant; quique erant secta Sadducæi, aut potiùs qui partes Herodis sequebantur.

diximus, cap. 12, 14, hic, quia proprius est locus, paulò copiosiùs dicendum est. Sunt ergo, qui existiment Herodianos gentiles fuisse, fortassè eos qui sub Herodis ditione erant, ut auctor Imperfecti, humiliâ 12, minimâ, ut mihi videtur, probabilitate. Cur enim gentiles, qui Judæos contemnebant, Herodis Judæorum regis, aut certè Judæi nomen sibi quasi honorificum, arrogâssent? Alii eos dixerunt ita vocatos, qui Herodem Antipam Judæorum regem pro Christo habuissent, ut Theophyl. et Euthy. hoc loco, et Philastrius in hæres. Herodianorum. Itaque miror D. Hiero. scribere nihil se de hâc re unquàm legisse, cùm Philastrius paulò ante ejus vixerit ætatem. Alii Herodis milites Herodianos vocatos fuisse dicunt, ut idem Hieronymus, et Chrysostomus. Probabilis esset opinio, si nomen tantùm notaremus. Nam et Cæsaris milites Cæsarianos vocatos legimus: sed obstat quòd jam Herodes rex mortuus erat; itaque milites habere non poterat: alter verò Herodes, ejus filius, non in Judæâ, sed in Galilæâ dominabatur, aut Romanis potiùs serviebat. Quare ejus milites, ut fingamus Herodianos vocatos fuisse, Jerosolymæ esse non potuerunt. Alii eos ita vocatos volunt, qui negabant tributum à Judæis Cæsari solvendum; hanc enim paulò ante Christi adventum auctore Judâ quodam Galilæo extitisse sectam colligitur ex Actis Apostolorum, c. 5, 37, et apertè scribit Josephus libro Antiquitatum 18, cap. 1, fuisse autem Herodianos appellatos, quòd illis rex Herodes faveret, ut Judæorum iniret gratiam, neque non verum modò Judæum, sed Judaicæ etiam libertatis vindicem esse declararet. Hoc mihi minimè probabile videtur esse: aut enim Herodem ego non novi; aut iis, qui tributum Cæsari negabant, minimè favisset homo Romanæ potestatis, à quâ regnum acceperat, adulator, quique non solùm regnum suum, ut multis locis Josephus tradit, verùm suam etiam familiam, suosque liberos ad Cæsaris voluntatem, nutumque gubernabat. Duæ ergo opiniones mihi videntur esse probabiles; altera quæ huic opposita est, eorum, qui existimant eos Herodianos appellatos fuisse, qui Cæsari tributum solvendum esse contendebant; ita verò vocatos, quòd Herodes Cæsari impensè faveret, et, ut Josephus ait, Cæsaris tributis in Judæâ quodam modo præesset. Ita Origenes, tractatu in Matthæum 21, et Hieronym. in Commentariis sentit, et ut videtur, Cyrillus Alexandrinus, libro 2 in Isaiam, c. 11; scribit enim Herodianos publicanos fuisse qui tributa colligebant. Hæc opinio eò est probabilior, quòd vero simile est Pharisæos, qui judaicam libertatem maximè defendebant, et Herodi, ut ait Josephus, adversabantur, linxisse se hujus quæstionis, quæ inter ipsos et Herodianos agitabatur, judicem constituisse Christum, quò magis malignitatem suam occulterent, ostenderentque se non tentandi, sed

Vers. 19. — Numisma, quod solet pro censu dari, et Cæsaris imagine percussum est.

Vers. 21. — Reddite..... Cæsari; nam eo ipso, quòd externi principis nummo utebantur, se illi subditos profitebantur; non enim propriam monetam

controversiæ finiendæ causâ, cum interrogare, cùm ideò quæstionem proponerent, ut in invidiam Christum adducerent. Nam si respondisset tributum Cæsari solvendum non esse, læsæ majestatis arguissent, ut postea fecerunt Lucæ 23, 2: *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari;* si solvendum esse dixisset, non videretur esse Christus, et promissus Judæorum rex, qui tantùm abesset ut eos, quemadmodùm speraband, à tributis liberaret, ut gentilium potiùs tyrannis faceret tributarios. Confirmatur ex Lucâ hæc conjectura, qui eos simulatores appellat, tum etiam ex verbis Christi, versu 18: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Altera opinio est eorum qui suspicantur aliquam Herodianam, id est, aulicam fuisse sectam eorum qui Herodi regi adulabantur, eui, modò regnum suum conservaret, omnis religio bona erat, quales hodiè sunt quos vulgò politicos appellamus. Sed hæc sententia eò minùs quàm superior probabilis est, quòd nec ullum veterem et gravem habet auctorem, nec ullis probabilibus conjecturis confirmari potest. Hoc tantùm habet probabilitatis, quòd illi nihil repugnat, quòdque videantur evangelistæ de Herodianis tanquàm de aliquâ secta religionis loqui, qualis Pharisæorum et Sadducæorum erat; cum illis enim conjungunt.

Vers. 19. — At illi ostenderunt ei denarium. Hoc loco de Romano denario agi ex eo intelligitur, quòd Cæsaris imaginem atque inscriptionem impressam haberet, quam Judæi, ut rem maximè execrabilem in suâ monetâ nequaquàm impressissent. De denario autem Romano, etsi variæ sententiæ sunt, illis assentior, qui denarium argenteum drachmæ Atticæ æqualem pondere fuisse dicunt. Argenti autem drachma Hispanicum regale, id est, quinque Gallicos solidos pendit. Unde quæstio extitit, quomodò denarius census appelletur, quasi singuli homines singulos tantùm denarios pendere soleremt, cùm videamus Christum, c. 17, 27, pro se et pro Petro statèrem, id est, quatuor drachmas argenti, et quod idem est, quatuor denarios solvisse. Respondent quidam diversum hoc ab illa fuisse tributum, quod nullâ ratione mihi videtur probari posse, et posse iis refutari, quibus illo loco docuimus Romanos nullum aliud tributum Judæis imperâsse, quàm quod prius templo per singula capita solvebant; solvebant autem, ut illic diximus, dimidium sicli, id est, duos denarios Romanos argenteos; nam morem fuisse Romanis iis gentibus, quas debellabant, non aliam pecuniam quam argenteam imperare, libro 33, c. 3, scribit Plinius. Probabilius alii respondent duos denarios singulos Judæos Romano imperatori solitos fuisse solvere; divisam enim fuisse monetam in duas partes commoditatis causâ.

Vers. 23. — In illa die. Non omninò certum est an eadem fuerit dies, quâ Christus à Pharisæis, et

eudebant. Quemadmodùm Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic et Deus; atque ut illi redditur nummus, sic Deo anima numine ejus signata, ex Aug. in psal. 4.

Herodianis tentatus fuerit; potest enim Hebraismus esse, quo pro tempore dies dicitur, ut sensus sit, *sub idem tempus;* sed tamen probabilius est, quod Origenes et auctor Imperfecti sentiunt, eamdem fuisse diem, quia et Matthæus, hoc loco, et Marcus, c. 12, 19, et Lucas, c. 20, 27, ita hanc historiam cum præcedenti conjungunt, ut eâdem prorsùs die accidisse videatur.

Accesserunt ad eum Sadducæi. De Sadducæorum sectâ, qualis fuerit, et unde habuerit originem, scripsimus c. 3, 7. Illud hoc loco prætermittendum non est fuisse illos Calvinistarum simillimos, homines imprimis incredulos; nihil enim quod supra naturam esse videretur, credere volebant; propterea mortuorum non credebant resurrectionem; irrisores, ut vel ex hoc loco manifestum est, ubi Christum ipsum interrogantes, ut mortuorum resurrectionem irriderent, ridiculam etiam quæstionem proposuerunt. Nunquàm ego historiam hanc lego, quin mihi Calvinistam aliquem cum homine catholico et simplici disputantem audire videar. Christus, inquit, dixit : *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur;* ergo si corpus Christi in Eucharistiâ est, et in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur, et alia similia, quæ homi es isti, ut Scriptura vocat, לצים, *irrisores*, id est, impii, qui et Deum et homines rideant, dicere solent. Benè est, quòd docuit nos eis Christus respondere versu 29 : *Erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei.* Nam quidquid isti religiosi homines fingant, non aliâ ratione corpus Christi in Eucharistiâ esse negant, quàm quâ Sadducæi mortuorum negabant resurrectionem, quia naturæ vi videbant fieri non posse, et Dei virtutem, id est, potentiam ignorabant; sed de hâc re c. 26 dicturi sumus. Illud etiam animadvertendum est, quomodò tres sectæ inter se maximè contrariæ, et quæ capitales ferè gerebant inimicitias, Pharisæi, Herodiani et Sadducæi ad arguendum atque irridendum Christum benè conveniant; eâdem prorsùs ratione quâ hodiè Lutherani, Calvinistæ et Anabaptistæ et cætera portenta, quæ nostra tulit ætas, quamvis inter se de religione digladientur, et alii aliis hæretici sunt, alii alios supplicio ignis officiant; tamen ad persequendum Christum, id est, Ecclesiam, rectè consentiunt.

Vers. 24. — Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit. De hâc lege, quomodò intelligenda esset, c. 1, 16 disseruimus.

Vers. 29. — Erratis nescientes Scripturas. Quia Scripturam Sadducæi allegaverant, respondet Christus eos Scripturas non intelligere, ut Chrysostomus annotavit. Duas autem Christus erroris causas affert : alteram, quòd Scripturas non intelligant; alteram, quòd Dei virtutem et potentiam ignorent, ut apertiùs Marcus scribit c. 12, 24. Videtur Christus Calvinistis planè respondere, qui iisdem duabus de causis errare solent, quòd neque Scripturas intelligant, quarum cognitione maximè gloriantur, et quòd fidei christianæ dogmata non Dei virtute, sed ingenio suo metiantur. Lectitant illi Scripturas, et quò meliùs intelligant patrio sermone lectitant, nosque graviter accusant, quòd eas nec ab omnibus, nec vulgari linguâ legi permittamus; sed non propterea meliùs intelligunt, quæ extra Ecclesiam legi quidem possunt, intelligi non possunt; quomodò enim eunuchus ille reginæ Candacis homo profanus Isaiam legens intellexisset, nisi illi Philippus Ecclesiæ doctor sensum explicâsset? quasi verò Sadducæi non vulgari etiam linguâ, et diligentiùs quàm Calvinistæ, Scripturam lectitarent. Hæretici tamen, sicut Calvinistæ, erant.

Vers. 30. — In resurrectione enim, id est, post resurrectionem. Hebraismus enim est, ut : *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, id est, postquàm convertit, psalmo 125, 1, aut resurrectio vocatur tempus quod post resurrectionem consecuturum est, ut supra, vers. 28, sicut totum tempus, quo circumcisionis lex viguit, circumcisio vocatur, ad Rom. 4, 10.

Non nubent, neque nubentur. Hebraismus simul et græcismus est; hebraismus, quia tertia persona pluralis ponitur pro verbo impersonali passivo, ut in quibusdam verbis apud Latinos, dicunt, pro dicitur; sic nubent, pro nubentur. Græcismus autem, quem Latinus interpres latinitate noluit resolvere, aliquo fortasse consilio; nam quia Græcum verbum γαμεῖν utrumque significat, et nubere, quod feminarum, et uxorem ducere, quod virorum est, et eodem verbo utrumque dixit, Græcum interpretem imitari Latinus voluit; quod eâ ætate barbarum, ut opinor, non putabatur; sic enim et Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, et Ruffinus in Expositione Symboli Apostolorum locuti sunt, et Hieronymus ipse, quamvis videatur dicere se non ita vertisse, tamen declarat noluisse corrigere. Sensus constat, post resurrectionem neque viros uxores ducturos esse; neque feminas nupturas, et uno verbo non esse futuras nuptias.

Sed sunt sicut angeli Dei. Non comparat beatos angelis omnibus in rebus, sed in eâ tantùm, quâ de agebatur, quòd nuptias inituri non essent, ut Hieronymus annotavit : quia nimirùm immortales erant, ideòque opus illis non erat nuptiis, quæ non nisi ad propagandum et perpetuandum mortale hominum genus institutæ sunt; quam rationem Lucas explicavit cap. 20, 35, 36 : *Qui*, inquit, *digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt; æquales enim angelis sunt.* Animadvertimus omnes tres evangelistas Matthæum, Marcum et Lucam præsenti tempore usos esse, æquales angelis sunt, cum ante futuro essent usi, non nubent, neque nubentur. Nam quod Euthymius existimat, verbum *sunt*, non esse ad homines, sed ad angelos referendum, tanquàm sensus sit : Sed æquales erunt angelis, qui in cœlo sunt, facilè ex Marco refellitur.

Vers. 25. — Erant apud nos, etc. Huic Sadducæorum argumento respondere non poterant Pharisæi, quòd post resurrectionem putarent fore vitam animalem, in quâ conjugia jungerentur, et liberis procreandis operam darent. Solvit autem Christus uno verbo, quòd homines futuri sint immortales, nec ullâ opus sit generatione.

tatur. Ergo potiùs credendum voluisse Christum futurum illum beatissimum statum ante oculos ponere, ideòque tanquàm de re præsenti locutum esse. Non abs re auctor Imperfecti quærit quid sit, quòd, cùm Christus de jejuniis et eleemosynis, aliisque virtutibus spiritualibus locutus est, non comparaverit homines angelis; cùm autem de castitate, comparaverit. Respondet, quod verum est, nullam tam angelicam esse virtutem, quàm puritatem.

Vers. 32. — Ego sum Deus Abraham. Difficile hoc loco est intelligere quomodò Christus ex hoc testimonio efficaciter argumentetur. Difficultas autem duabus in rebus sita est : prima, quòd ex eo quòd Deus dixerit : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, non videatur benè colligi Abraham, Isaac et Jacob adhuc vivere; potuit enim eorum Deus appellari, non quatenùs erat, sed quia aliquando fuerat, sicut Jacobus et Joannes dicuntur filii Zebedæi, cùm Zebedæus mortuus jam esset, et nemo mortui, sed vivi hominis filius sit, quia sensus est eos fuisse aliquando illius filios. Altera est, quòd etiam si probetur Abraham, Isaac et Jacob animas vivere, non continuò probatur eos resurrecturos esse. Ad priorem quæstionem quidam respondent argumenti vim in eo esse quòd Deus non dicat : Ego fui, aut ego eram, sed : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, ita Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus. At potest objici posse hoc etiam sic intelligi : *Ego sum Deus Abraham*, id est, ego sum Deus ille qui fuit Deus Abraham, dùm Abraham viveret. Alii respondent Deum vocari Deum alicujus esse ab eo cognosci et coli; sicut vocatur Deus Eliæ et Deus Danielis, id est, quem Elias et Daniel colebant. Hinc ergo colligi Abraham, Isaac, et Jacob extinctos omninò non esse, quia Deus eorum Deus vocabatur, id est, ab illis colebatur. Alii existimant argumenti vim in hoc esse, quòd quamvis eo sensu Deus Abraham, Isaac et Jacob, vocari posset, quia aliquando eorum fuisset, tamen credibile non sit Deum dignatum esse eorum qui mortui jam essent Deum appellari. Hoc etiam tenui pendet conjecturâ. Semper ego existimavi aliquem altiorem latere sensum, quem vulgus non intelligeret. Quod Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius dixerunt, verum esse arbitror; sed non satis. Nam in eo proculdubiò argumenti vis est, quòd Deus non dixerit : Ego fui, aut ego eram; sed : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob;* sed credo sensum esse : Ego sum qui fœdus percussi cum Abraham, Isaac et Jacob de eorum propugnandâ posteritate, idèòque servare volo, quia adhuc illi vivunt, et precibus me quotidiè sollicitant, ut ipsorum filios ab Ægyptiorum captivitate liberem. Solemus enim fœdera non mortuis servare, sed vivis, quia non inter mortuos, sed inter vivos feriri solent. Video quid responderi possit, si quis subtilitates quærat; sed considerandum est voluisse Christum non omninò necessarium, sed tam probabile argumentum afferre, quàm ad coarguendos Sadducæos satis esset. Nam et hâc ratione eorum impudentiam et arrogantiam compressit, quòd cùm Scripturam irridentes adduxissent, quasi Christus expedire se ab eâ quæstione non posset, quam proponebant, docuerit eos adeò obtusos et indoctos esse, ut nec ad minimum quidem argumentum ex eodem Moyse ad probandam resurrectionem adductum respondere possent. Eodem modo Calvinistæ aliquando refutandi atque irridendi sunt, apud quos et mulierculæ gloriari solent meliùs se Scripturas sacras quàm Ecclesiæ catholicæ doctores, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum intelligere. Proferendus enim illis aliquis locus est, ut interpretentur, quem cùm intelligere non possint, suam ignorantiam atque superbiam, aut confiteri aut agnoscere cogantur. Alterius quæstionis non ita difficilis explicatio est. Nam Sadducæi, ut Origenes, Hieronymus et auctor Imperfecti annotaverunt, propterea futuram negabant resurrectionem, quòd animas immortales esse non crederent, idque ex Actis Apostolorum, c. 23, 8, perspicuum est. Itaque probatâ testimonio noto animarum immortalitate, et resurrectio illis probabatur. Adde quòd olim non solùm inter Judæos, sed inter omnes etiam ferè philosophos hæ duæ quæstiones, altera de immortalitate animarum, altera de corporum resurrectione adeò copulatæ, jugatæque fuerunt, ut pro unâ eâdemque haberentur. Itaque videmus auctorem secundi libri Machabæorum, c. 12, 43, ex animarum immortalitate resurrectionem probare, idemque in 1 Epistolâ ad Cor., toto, c. 15, facit D. Paulus, ubi omnia ferè argumenta quibus resurrectionem probat, tantùm ad probandam animarum immortalitatem valent; sed quia nemo resurrectionem negabat, nisi qui animas credebat exstingui, eadem argumenta resurrectionem probant.

Non est Deus mortuorum, sed viventium. Abraham, Isaac et Jacob mortui jam erant; sed negat Christus eo modo mortuos esse quo Sadducæi existimabant, id est, ita ut eorum animæ essent extinctæ.

Vers 32. — Non est Deus mortuorum, etc., nemo dicitur dominus rei quæ omninò periit; ergo Abraham, Isaac, et Jacob vivi sunt, non corpore, sed animâ; immortalitas animæ, quam negabant Sadducæi, probat corporis resurrectionem; utrumque enim est pars hominis. Cùm Sadducæi non reciperent alios libros præter legem Moysis; inde Christus protulit argumentum. Dicitur Deus Abraham cujus vivit anima; et corpus ad vitam destinatum vivit Deo : cùm autem dicatur esse Deus vivorum, palam est Abraham, Isaac et Jacob adhuc vivere, et Deo subditos esse; ita August., q. 5, in Deuteron. præcipuus error Sadducæorum is erat, quòd negarent immortalitatem animorum, atque hinc resurrectionem ut impossibilem concludebant. Contra Christus hinc resurrectionem esse possibilem probat, quòd post mortem animi sint incorrupti. Animas autem non interire evincit ex iis Scripturæ locis : *Ego sum Deus Abraham*, etc. Atqui non est Deus rerum creatarum, quæ omninò periêre, et in nihilum redactæ sunt; ergo illi adhuc vivunt patriarchæ, et possunt resurgere; siquidem animam cum corpore iterùm conjungi nihil vetat.

Nam eo sensu, quo nos mortuos solemus appellare eos quorum animæ sunt à corporibus separatæ, Deus non solùm viventium, sed etiam mortuorum Dominus dicitur ad Rom. 14, 8, 9, ut Chrysostomus admonuit. Lucas addit quiddam quod argumenti vim non augere, sed minuere videtur : *Omnes enim*, inquit, *vivunt ei*. Si enim illi vivunt, etiam qui extincti sunt, illi vivunt, ideòque non sequitur Abraham, Isaac et Jacob exstinctos non esse, quemadmodùm Christus probare voluit. Respondeo Christum, cùm addidit : *Omnes enim vivunt ei*, tantùm rationem reddere voluisse, cur Abraham, Isaac, et Jacob, qui mortui erant viventes appellasset, quia nimirùm omnes non solùm qui corpore vivunt, sed etiam qui mortui sunt, Deo vivunt; non tantùm, quia eorum animæ vivunt, sed etiam quia efficere Deus potest ut in sua corpora revertantur, et eo modo vivant, quo ante vivebant, sicut c. 9, 24, dixit : *Non est mortua puella, sed dormit*, vel nobis mortui sunt, Deo vivunt, quia nos sola videmus corpora, corpora autem mortua sunt; Deus videt animas, animæ verò vivunt. Solet à multis quæri quid causæ fuerit cur cùm tam multa tamque perspicua in Scripturis sacris de futurâ resurrectione testimonia sint, non ea potiùs Christus adduxerit. — Respondent Origenes, tractatu in Matthæum 21, Hieronymus et Beda, Sadducæos non recepisse aliòs Scripturæ sacræ libros quàm quinque Mosis, ideòque ex Mosis libris eos Christum arguere voluisse. Erant etiam in hâc re Calvinistarum similes, qui eos rejiciunt libros, quibus convinci hæresim suam vident. Et verò Calvinum hoc loco dicere non puduit, ita Sadducæos prophetarum libros rejecisse, sicut librum Ecclesiastici et Machabæorum libros ipsi rejiciunt.

VERS. 35. — UNUS EX EIS LEGIS DOCTOR. Lucas, c. 20, 39, 40, dicit quemdam ex scribis confutatis à Christo Sadducæis subjecisse : *Magister, benè dixisti, et amplius*, inquit, *non audebant eum quidquam interrogare*, quod apparet non ad Pharisæos et scribas, qui inde potiùs, ut ait Matthæus, occasionem Christum iterùm tentandi acceperunt, ut se Sadducæis doctiores esse ostenderent; sed ad Sadducæos esse referendum. Quem autem hoc loco Matthæus legis doctorem, Marcus, c. 12, 28, scribam appellat; unde intelligimus, quàmvis Pharisæorum et scribarum diversa essent officia, aliquando tamen eumdem, et Pharisæum et scribam fuisse. Nam hunc legis doctorem, de quo Matthæus loquitur, Pharisæum fuisse ex versu 34 manifestum est.

VERS. 36. — QUOD EST MANDATUM MAGNUM IN LEGE, id est, maximum omnium mandatorum, positivo pro superlativo posito ex Hebræorum idiomate, ut ex Marco, c. 12, 28, 29, apparet.

VERS. 37. — DILIGES DOMINUM DEUM TUUM. Marcus, c. 12, 29, prius pònit : *Audi, Israel : Dominus Deus tuus, Deus unus est;* quorum verborum solum initium Matthæus hic proposuit, quòd apud Moysem utrumque mandatum eodem loco sit eòdemque referatur; primum enim est, ut unum tantùm credamus Deum; deinde, ut eum ex toto corde diligamus, quia qui plures credit, amorem dividit, nec unum ex toto corde diligit; *Nemo enim duobus dominis servire potest*, sup. 6, 24.

EX TOTO CORDE TUO, ET IN TOTA ANIMA TUA. Sunt qui hæc nimis subtiliter meo judicio distinguunt. Mihi omnia unum hoc videntur significare, ut Deum, quantùm possumus, diligamus, et omnia quæ habemus illi impendamus, quod D. Augustinus, l. 1 de Doctrinâ christianâ, c. 22, his verbis exposuit : *Cùm ait : « Toto » corde, totâ animâ, totâ mente, » nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut aliò se velit frui; sed quidquid aliud diligendum occurrit in animam, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.* Denique quæ diversis verbis in Deuteronomio, c. 6, 5, dicuntur, uno continentur verbo, quod Lucas, c. 10, 27, posuit : *Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis.* Terret hæc exaggeratio Calvinum, et impossibilia hominibus Deum præcipere mentitur : *Ex hoc*, inquit, *compendio, apparet Deum in legis præceptis non respicere quid possint homines, sed quid debeant*; quod nescio utrùm majore impietate an ignorantiâ dictum sit. Nam impietatis quidem summæ est dicere impossibilia nobis Deum præcepisse : quod tamen ferendum fortasse esset, si tantùm præcepisset, ac non etiam ab iis qui impossibilia non fecerunt, gravissimas et sempiternas pœnas exigeret; quis enim hoc vel homo maximè impius dicere potuit, nisi Calvinus, qui omnes impietate homines superavit? Ignorantiæ verò fuit cæcæ non videre quomodò ipse sibi repugnaret, cùm diceret neminem hoc præceptum servare posse. Quis enim sensus est : *Diliges Dominum tuum ex toto corde*, nisi ut Deum, quantùm possumus, diligamus? Possumus ergo præceptum hoc servare, quia, quantùm possumus, Deum diligere utique possumus : deinde concludens nos Dei præcepta servare non posse, quomodò intelligit sine gratia Dei, an cum gratiâ? Si sine gratiâ, quid nobiscum disputat? si cum gratiâ, non jam nobis, sed Deo facit injurias, cujus gratiæ atque virtuti limites ponit. D. quidem Paulus, ad Philip. 4, 13, omnia se posse dicit in eo qui se confortat, et David, Psalm. 17, 30 : *In Deo*, inquit, *meo, transgrediar murum.* Sed de hâc quæstione copiosiùs alio dicemus loco.

VERS. 39. — DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. Hæc duo maxima totius legis præcepta Christus esse dicit, cùm distincta ab aliis præcepta non sint, sed cæterorum compendium. Nam cùm præcepta in duabus tabulis scripta essent, in priori quæ ad Deum, in posteriori quæ ad proximum diligendum pertinebant, prioris tabulæ compendium erat : *Diliges Dominum ex toto corde tuo*; posterioris verò : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Quomodò ergo, dicet aliquis, omnium mandatorum maximum Christus esse dicit, si distincta mandata non sunt? perinde enim videtur exprimitur, ET IN TOTA ANIMA TUA, ita ut nullus alius amor ei præferatur, vel æquetur.

esse, ac si diceret omnia mandata esse maxima. — Respondeo nihil aliud Christum significare, quàm omnia mandata hùc tendere, ut Deum diligamus ex toto corde, et proximum sicut nos ipsos, quemadmodùm D. Paulus ad Romanos 13, 10, dixit : *Plenitudo legis est dilectio*, et sicut idem Christus concludit, versu 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.* Quomodò autem intelligendum sit : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*, duabus ex rebus pendet; alterâ, ut sciamus quis dicatur proximus, alterâ, quid significet dictio illa, *sicut*. Quis proximus habendus sit Christus apud Lucam, 10, 30, integrâ parabolâ explicavit omnem hominem proximum esse. Quid autem significet particula, *sicut*, facile non est dicere. Nam quidam materiam notare putant, quasi jubeamur omnia proximo velle, quæ nobis velimus; alii qualitatem et modum, ut sensus sit eo modo, id est, propter Deum proximum nobis esse diligendum, quo ipsi nos diligere debemus; alii affectum, ut eo affectu constuque proximum diligamus, quo nos ipsos diligimus. Omnia arbitror *sicut* unâ syllabâ comprehendi. Nec enim dubito, quin Deus voluerit ut et proximo omnia quæ nobis optamus optaremus; et cum propter Deum, sicut nos ipsos, et eo affectu quo nos ipsos diligeremus; sed illud dubium est, quemadmodùm aliquibi D. Augustinus disputavit, quomodò proximo ea quæ nobis velimus velle jubeamur, cùm sæpè ipsi nobis mala velimus, divitias, honores, voluptates, et quomodò cum sicut nos ipsos diligere, cùm nos ipsos sint male aut plusquàm oportet sæpè diligamus. — Respondeo hoc tanquàm certum statui, nos non nisi bona nobis velle debere, et non aliter nos ipsos quàm propter Deum amaturos esse, cum Deum ex toto corde, ex totâ animâ, ex totis viribus diligere jubeamur; quod si faciamus, non possumus nos diligere aliter quàm oportet; propterea jubemur proximum eodem modo diligere. Objicit aliquis etiam ex primo præcepto Deum ex toto corde diligendi consequi ut proximum, et summo affectu et propter Deum diligamus : quare opus non erat ut eum sicut nos ipsos diligere juberemur. — Facilis responsio, nimis naturalem proximi quàm nostri amorem nobis esse, et se quemque maximè amare; propterea hanc nobis diligendi proximi datam esse regulam, ut eum sicut nos ipsos diligeremus. Nam cujusdam docti alioqui theologi sententiam minimè probo, qui putat hoc loco de charitatis dilectione non agi.

VERS. 40. — UNIVERSA LEX PENDET; hæc est totius Scripturæ summa : ad hæc duo referuntur lex et prophetæ : nam plenitudo legis est dilectio. *Proximum diliget sicut teipsum*, diligis nolens tibi fieri injuriam, et volens ab aliis tibi benè fieri. Estque præceptum legis naturæ, quod à Christianis supernaturali modo observari debet : in charitate sciliced ad vitam æternam nobis à Christo promissam.

VERS. 42. — QUID VOBIS VIDETUR DE CHRISTO? Occasionem iis præbere volait inquirendi an non ipse esset Christus. De Joanne id quæsivistis, quem sciebatis non esse filium David : de me quem tot miraculis claresceré videtis, cui tam illustre testimonium perhibuit Joannes ipse, cur non id quæritis?

VERS. 41. — CONGREGATIS AUTEM PHARISÆIS. Marcus, cap. 12, 35, scribit hanc quæstionem Christum proposuisse, dùm in templo docret; sed facilior est solutio in templo fuisse Pharisæos congregatos. Marcus et Lucas non dicunt Christum Pharisæos interrogâsse; sed concionantem dixisse : *Quomodò dicunt scribæ Christum filium esse David?* Sed, ut ait D. Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 74, hoc nihil interest. Nam Matthæus posuit et interrogationem et objectionem Christi : *Quid vobis*, inquit, *videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David; ait illis : Quomodò ergo David in spiritu vocat eum Dominum?* Alii verò duo evangelistæ non interrogationem, sed objectionem solam posuerunt, et quis non dicerant Christum Pharisæos et scribas interrogâsse, non dicunt : Quomodò vos dicitis; sed : *Quomodò dicunt Scribæ*; quod autem dicunt : *Quomodò dicunt scribæ*, cùm id non scribæ, sed Scriptura diceret, c. 17, 10, declaravimus; dicebantur enim scribæ ea dicere quæ in Scripturâ non omninò erant expressa, quia Scripturam interpretantes id dicere docebant.

VERS. 42. — DICUNT EI : DAVID. Quomodò Christus filius David vocaretur, diximus c. 1, 1.

VERS. 43. — QUOMODO ERGO DAVID IN SPIRITU, id est, cùm Dei spiritu plenus esset, cùm non suo, qui falli nec mentiri poterat, loqueretur. Hebraismus est, qualis Psalmo 30, 23, et Psalmo 115, 2 : *Ego dixi in excessu meo.*

VERS. 44. — DIXIT DOMINUS DOMINO MEO. Hoc testimonium in Commentariis in Psalmum 109 exponitur, et Judæorum cavillationes refutantur, quæ duæ potissimùm sunt; altera, psalmum hunc non à Davide, sed aut à Melchisedech, ut recitat in ejus loci commentariis rabbi Abraham, aut ab Eliezer, servo Abrahami, aut ab aliquo ex iis qui tempore David Psalmos scribebant, fuisse compositum, ut putat Aben Ezra; altera, non de Christo, sed aut de Abrahamo, ut communis hodiè est Judæorum error, aut de Davide, ut Aben Ezra, et rabbi David existimant, aut de Ezechiâ Judæorum rege intelligendum, ut post Christi tempora Judæos exposuisse ex Justino, in Tryphone, et ex Tertulliano, libro 5 contra Marcionem discimus. Utraque, ut dixi, cavillatio multis illic argumentis refutatur, et ex hoc manifestè utraque coarguitur; nam si apud veteres Judæos Christi tempore, certum non fuisset, et hunc psalmum à Davide compositum, et de Christo intelligendum esse, facilè alterutrum scribæ

VERS. 45. — QUOMODO ERGO DAVID IN SPIRITU VOCAT EUM DOMINUM, INQUIT, etc. Spiritu Dei afflatus : dixit Deus Christo Filio suo : quem ideireò Deum agnovit.

VERS. 44. — A DEXTRIS MEIS; ad dexteram meam : ratione humanitatis divinitati conjunctæ. Messiam non modò Davidis filium, sed etiam Dei Filium, atque aut Davidis Dominum, probat Christus, aliumn esse à Davide, patrem, Deum scilicet, à quo genitus est in splendoribus sanctorum. Hinc Calvinus ipse in hunc locum : Fatemur quidem hic diserté, et ad verbum non exprimi divinam ejus essentiam, sed inferre promptum est Deum esse, qui supra omnes creaturas jocatur.

et Pharisæi, qui posterioribus Judæis multò doctiores erant, utique respondissent. Nunc autem recentiores Judæi patrum suorum silentio aperté condemnantur.

Vers. 45.—Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Loquitur Christus ex Pharisæorum opinione, qui Christum purum hominem futurum existimabant, cùm Scriptura non solùm hominem, sed etiam Deum futurum prædiceret. Non ergo concludit Christi argumentum, non esse filium David, sed esse plusquàm filium David, id est, filium Dei ac verum Deum, ideòque Davidem Dominum ipsum appellàsse.

Vers. 46. — Et nemo ex adversariis : neque ausus est quisquam, illorum, interrogare, ut solebant, ad illius sapientiam explorandam.

CAPUT XXIII.

1. Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos,

2. Dicens : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi.

3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundùm opera verò eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere.

5. Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis

7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus, Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

9. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester qui in cœlis est.

10. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus.

11. Qui major est vestrûm, erit minister vester.

12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur.

13. Væ autem vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia claudìtis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

14. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc amplius accipietis judicium.

15. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos.

16. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est : qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti et cæci : Quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est : quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet.

19. Cæci : Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super illud sunt.

CHAPITRE XXIII.

1. Alors Jésus s'adressa au peuple et à ses disciples,

2. Disant : Les scribes et les Pharisiens sont assis sur la chaire de Moïse.

3. Observez donc, et faites ce qu'ils vous disent; mais ne faites pas ce qu'ils font, car, ce qu'ils disent, ils ne le font pas.

4. Ils font des fardeaux pesants, et qu'on ne saurait porter; et ils les mettent sur les épaules des hommes : et ils ne veulent pas les remuer du bout des doigts.

5. Ils font toutes leurs actions, afin d'être vus des hommes; c'est pourquoi ils affectent de porter des phylactères plus larges que les autres, et d'avoir des franges plus longues.

6. Ils aiment les premières places dans les festins, et les premières chaires dans les synagogues;

7. A être salués dans les places publiques, et à être appelés Rabbi par les hommes.

8. Mais pour vous, ne vous faites point appeler Rabbi; car vous n'avez qu'un seul Maître, et vous êtes tous frères.

9. N'appelez aussi personne sur la terre votre père, parce que vous n'avez qu'un Père qui est dans les cieux.

10. Et n'affectez point d'être appelés maîtres, parce que vous n'avez qu'un maître, qui est le Christ.

11. Celui qui est le plus grand parmi vous, sera le serviteur des autres.

12. Car quiconque s'élèvera, sera abaissé; et quiconque s'abaissera, sera élevé.

13. Mais malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui fermez aux hommes le royaume des cieux; car vous n'y entrez point vous-mêmes, et vous vous opposez encore à ceux qui désirent y entrer.

14. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui, sous prétexte de vos longues prières, dévorez les maisons des veuves; c'est pour cela que vous recevrez une condamnation plus rigoureuse.

15. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui parcourez la mer et la terre pour faire un prosélyte : et après qu'il l'est devenu, vous le rendez digne de l'enfer deux fois plus que vous.

16. Malheur à vous, conducteurs aveugles, qui dites : Si un homme jure par le temple, cela n'est rien; mais s'il jure par l'or du temple, il est engagé.

17. Insensés et aveugles que vous êtes! lequel doit-on plus estimer, de l'or, ou du temple qui sanctifie l'or?

18. Et si quelqu'un jure par l'autel, cela n'est rien; mais s'il jure par le don qui est sur l'autel, il est engagé.

19. Aveugles que vous êtes! lequel doit-on plus estimer, du don ou de l'autel qui sanctifie le don?

20. Celui donc qui jure par l'autel, jure par l'autel, et par tout ce qui est dessus.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso.

22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum.

23. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ.

26. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum.

27. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ.

28. Sic et vos à foris quidem paretis hominibus justi, intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

29. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.

30. Et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

33. Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ?

34. Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas : et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem :

35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?

38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis : Non me videbitis amodò, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

21. Et celui qui jure par le temple, jure par le temple, et par celui qui y habite.

22. Et celui qui jure par le ciel, jure par le trône de Dieu, et par celui qui y est assis.

23. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui payez la dîme de la menthe, de l'anet et du cumin, pendant que vous négligez ce qu'il y a de plus important dans la loi, la justice, la miséricorde et la foi. Ce sont là les choses qu'il fallait pratiquer, sans néanmoins omettre les autres.

24. Guides aveugles, qui coulez le moucheron et qui avalez le chameau.

25. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui nettoyez le dehors de la coupe et du plat, pendant que le dedans est plein de rapine et d'impureté.

26. Pharisien aveugle, nettoie premièrement le dedans de la coupe et du plat, afin que le dehors soit net aussi :

27. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui êtes semblables à des sépulcres blanchis, qui au dehors paraissent beaux aux yeux des hommes, mais qui au dedans sont pleins d'ossements de morts et de toute sorte de pourriture.

28. Ainsi au dehors vous paraissez justes aux yeux des hommes, mais au dedans vous êtes pleins d'hypocrisie et d'iniquité.

29. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui bâtissez des tombeaux aux prophètes, qui ornez les monuments des justes,

30. Et qui dites : Si nous eussions été du temps de nos pères, nous ne nous fussions pas joints avec eux pour répandre le sang des prophètes.

31. Ainsi vous vous rendez témoignage à vous-mêmes, que vous êtes les enfants de ceux qui ont tué les prophètes.

32. Achevez donc aussi de combler la mesure de vos pères.

33. Serpents, race de vipères, comment éviterez-vous d'être condamnés au feu de l'enfer?

34. C'est pourquoi je vais vous envoyer des prophètes, des sages, et des scribes; vous tuerez les uns, vous crucifierez les autres, vous en fouetterez d'autres dans vos synagogues, et vous les persécuterez de ville en ville;

35. Afin que tout le sang innocent qui a été répandu sur la terre retombe sur vous, depuis le sang d'Abel le juste, jusqu'au sang de Zacharie, fils de Barachie, que vous avez tué entre le temple et l'autel.

36. Je vous le dis en vérité, tout cela viendra fondre sur cette génération.

37. Jérusalem, Jérusalem, qui tues les prophètes, et qui lapides ceux qui sont envoyés vers toi, combien de fois ai-je voulu rassembler tes enfants, comme une poule rassemble ses petits sous ses ailes; et tu ne l'as pas voulu?

38. Voilà le temps où votre demeure sera déserte.

39. Car je vous dis, vous ne me verrez plus jusqu'à ce que vous disiez : Béni soit celui qui vient au nom du Seigneur.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Tunc. Cùm videret scribas, et Pharisæos corrigi non posse, ut Chrysostomus, auctor Imperfecti, et Euthymius annotârunt.

Locutus est ad turbas, et ad discipulos suos. Vero simile est Christum ea, quæ sequuntur, non omnibus discipulis suis, sed iis, qui minùs familiares et instructi erant, proposuisse. Nam apostolos et eos qui ipsum semper comitabantur, non opus erat admonere, ut Origenes, tractatu in Matthæum 24, indicavit; quin etiam D. August., serm. de Verbis Domini 49,

et Pharisæi, qui posterioribus Judæis multò doctiores erant, utique respondissent. Nunc autem recentiores Judæi patrum suorum silentio aperté condemnantur.

Vers. 45.—Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Loquitur Christus ex Pharisæorum opinione, qui Christum purum hominem futurum existimabant, cùm Scriptura non solùm hominem, sed etiam Deum futurum prædiceret. Non ergo concludit Christi argumentum, non esse filium David, sed esse plusquàm filium David, id est, filium Dei ac verum Deum, ideòque Davidem Dominum ipsum appellàsse.

Vers. 46. — Et nemo ex adversariis : neque ausus est quisquam, illorum, interrogare, ut solebant, ad illius sapientiam explorandam.

CAPUT XXIII.

1. Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos,

2. Dicens : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et Pharisæi.

3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundùm opera verò eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere.

5. Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis

7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus, Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

9. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester qui in cœlis est.

10. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus.

11. Qui major est vestrûm, erit minister vester.

12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur.

13. Væ autem vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia claudìtis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

14. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc amplius accipietis judicium.

15. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos.

16. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est : qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti et cæci : Quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est : quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet.

19. Cæci : Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quæ super illud sunt.

CHAPITRE XXIII.

1. Alors Jésus s'adressa au peuple et à ses disciples,

2. Disant : Les scribes et les Pharisiens sont assis sur la chaire de Moïse.

3. Observez donc, et faites ce qu'ils vous disent; mais ne faites pas ce qu'ils font, car, ce qu'ils disent, ils ne le font pas.

4. Ils font des fardeaux pesants, et qu'on ne saurait porter; et ils les mettent sur les épaules des hommes : et ils ne veulent pas les remuer du bout des doigts.

5. Ils font toutes leurs actions, afin d'être vus des hommes; c'est pourquoi ils affectent de porter des phylactères plus larges que les autres, et d'avoir des franges plus longues.

6. Ils aiment les premières places dans les festins, et les premières chaires dans les synagogues;

7. A être salués dans les places publiques, et à être appelés Rabbi par les hommes.

8. Mais pour vous, ne vous faites point appeler Rabbi; car vous n'avez qu'un seul Maître, et vous êtes tous frères.

9. N'appelez aussi personne sur la terre votre père, parce que vous n'avez qu'un Père qui est dans les cieux.

10. Et n'affectez point d'être appelés maîtres, parce que vous n'avez qu'un maître, qui est le Christ.

11. Celui qui est le plus grand parmi vous, sera le serviteur des autres.

12. Car quiconque s'élèvera, sera abaissé; et quiconque s'abaissera, sera élevé.

13. Mais malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui fermez aux hommes le royaume des cieux; car vous n'y entrez point vous-mêmes, et vous vous opposez encore à ceux qui désirent y entrer.

14. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui, sous prétexte de vos longues prières, dévorez les maisons des veuves; c'est pour cela que vous recevrez une condamnation plus rigoureuse.

15. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui parcourez la mer et la terre pour faire un prosélyte : et après qu'il l'est devenu, vous le rendez digne de l'enfer deux fois plus que vous.

16. Malheur à vous, conducteurs aveugles, qui dites : Si un homme jure par le temple, cela n'est rien; mais s'il jure par l'or du temple, il est engagé.

17. Insensés et aveugles que vous êtes! lequel doit-on plus estimer, de l'or, ou du temple qui sanctifie l'or?

18. Et si quelqu'un jure par l'autel, cela n'est rien; mais s'il jure par le don qui est sur l'autel, il est engagé.

19. Aveugles que vous êtes! lequel doit-on plus estimer, du don ou de l'autel qui sanctifie le don?

20. Celui donc qui jure par l'autel, jure par l'autel, et par tout ce qui est dessus.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso.

22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum.

23. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem : hæc oportuit facere, et illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intùs autem pleni estis rapinâ et immunditiâ.

26. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum.

27. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ.

28. Sic et vos à foris quidem paretis hominibus justi, intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

29. Væ vobis, scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.

30. Et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt.

32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

33. Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ?

34. Ideò ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas : et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem :

35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?

38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis : Non me videbitis amodò, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

21. Et celui qui jure par le temple, jure par le temple, et par celui qui y habite.

22. Et celui qui jure par le ciel, jure par le trône de Dieu, et par celui qui y est assis.

23. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui payez la dîme de la menthe, de l'anet et du cumin, pendant que vous négligez ce qu'il y a de plus important dans la loi, la justice, la miséricorde et la foi. Ce sont là les choses qu'il fallait pratiquer, sans néanmoins omettre les autres.

24. Guides aveugles, qui coulez le moucheron et qui avalez le chameau.

25. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui nettoyez le dehors de la coupe et du plat, pendant que le dedans est plein de rapine et d'impureté.

26. Pharisien aveugle, nettoie premièrement le dedans de la coupe et du plat, afin que le dehors soit net aussi :

27. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui êtes semblables à des sépulcres blanchis, qui au dehors paraissent beaux aux yeux des hommes, mais qui au dedans sont pleins d'ossements de morts et de toute sorte de pourriture.

28. Ainsi au dehors vous paraissez justes aux yeux des hommes, mais au dedans vous êtes pleins d'hypocrisie et d'iniquité.

29. Malheur à vous, scribes et Pharisiens hypocrites, qui bâtissez des tombeaux aux prophètes, qui ornez les monuments des justes,

30. Et qui dites : Si nous eussions été du temps de nos pères, nous ne nous fussions pas joints avec eux pour répandre le sang des prophètes.

31. Ainsi vous vous rendez témoignage à vous-mêmes, que vous êtes les enfants de ceux qui ont tué les prophètes.

32. Achevez donc aussi de combler la mesure de vos pères.

33. Serpents, race de vipères, comment éviterez-vous d'être condamnés au feu de l'enfer?

34. C'est pourquoi je vais vous envoyer des prophètes, des sages, et des scribes; vous tuerez les uns, vous crucifierez les autres, vous en fouetterez d'autres dans vos synagogues, et vous les persécuterez de ville en ville;

35. Afin que tout le sang innocent qui a été répandu sur la terre retombe sur vous, depuis le sang d'Abel le juste, jusqu'au sang de Zacharie, fils de Barachie, que vous avez tué entre le temple et l'autel.

36. Je vous le dis en vérité, tout cela viendra fondre sur cette génération.

37. Jérusalem, Jérusalem, qui tues les prophètes, et qui lapides ceux qui sont envoyés vers toi, combien de fois ai-je voulu rassembler tes enfants, comme une poule rassemble ses petits sous ses ailes; et tu ne l'as pas voulu?

38. Voilà le temps où votre demeure sera déserte.

39. Car je vous dis, vous ne me verrez plus jusqu'à ce que vous disiez : Béni soit celui qui vient au nom du Seigneur.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Tunc. Cùm videret scribas, et Pharisæos corrigi non posse, ut Chrysostomus, auctor Imperfecti, et Euthymius annotârunt.

Locutus est ad turbas, et ad discipulos suos. Vero simile est Christum ea, quæ sequuntur, non omnibus discipulis suis, sed iis, qui minùs familiares et instructi erant, proposuisse. Nam apostolos et eos qui ipsum semper comitabantur, non opus erat admonere, ut Origenes, tractatu in Matthæum 24, indicavit; quin etiam D. August., serm. de Verbis Domini 49,

neminem existimat Christum ad Pharisæorum et scribarum scholam mittere voluisse ; sed scribarum et Pharisæorum nomine evangelicæ, quam fundabat, Ecclesiæ episcopos significâsse, sed hoc violentum est.

Vers. 2. — Super cathedram. Quidam aut suggestum intelligunt, ex quo ab scribis et Pharisæis audiente populo, lex Mosis legeretur, quod et Esdram, lib. 2, c. 8, 4, fecisse legimus. Ita sentit Euthym., quod alii refellunt, quia ex Lucâ, c. 4, 16, et ex Actis Apostolorum, c. 15, 16, intelligimus Judæorum consuetudinem non fuisse, ut qui Scripturam aut legebat, aut interpretabatur, in suggestum ascenderet ; sed ut surgeret, et stans loqueretur ; quod et hodiè inter Judæos fit, et olim inter Christianos D. Paulus fieri voluit, 1 ad Cor. 14, 30. Ergo per cathedram Mosis Hieronymus et Beda Mosis doctrinam intelligunt, quòd qui docet in cathedrâ, sedere soleat, etsi jam tunc ea inter Judæos consuetudo non esset.

Scribæ et Pharisæi. De scribis et Pharisæis, et eorum officiis, c. 2, 4, à nobis dictum est.

Vers. 3. — Omnia ergo ut cumque dixerint vobis servate, et facite. Occurret statim lectori quæstio, quomodò jubeat Christus omnia, quæ scribæ et Pharisæi docuerint, facere, cùm eorum sæpè doctrinam reprehendat, et c. 16, 12, jusserit discipulos suos cavere à fermento, id est, doctrinâ Pharisæorum, et hoc ipso capite, versu 16, et 17, falsam eorum doctrinam coarguat. D. Aug., lib. 1, de Doctrinâ Christianâ, c. 27, et lib. 16, contra Faustum, c. 29, respondet Christum non loqui de Pharisæis, nisi in cathedrâ Mosis sedentibus ; tunc autem cathedram ipsam coegisse eos vera dicere. At quis dubitat illa ipsa falsa, quæ docebant, in cathedrâ ipsâ, si in cathedrâ sedebant, aut in synagogâ et scholâ Mosis docuisse ? Chrysost. verò, et Euthym. existimant Christum non omnia, quæ in lege erant, intelligere ; sed ea tantùm, quæ ad salutem erant necessaria, qualia erant Decalogi præcepta ; nam cæremonias, et cætera præcepta, quæ ad tempus tantùm data fuerant, tantùm abest, ut servare jusserit, ut potiùs abrogaverit. Probabilior hæc est sententia ; sed mihi tamen non probatur quia non solùm hoc loco, sed ubique alios legem, ejusque etiam cæremonias servare jussit, et ipse ad mortem usque servavit, quia nondùm abrogata erat. Ergo cùm jubet servare ac facere quæ scribæ et Pharisæi, dùm in cathedrâ Mosis sedent, dicunt, non de ipsorum ; sed de legis ac Mosis doctrinâ loquitur, perinde enim est, ac si dicat, omnia, quæ lex et Moses vobis dixerint, scribis, et Pharisæis recitantibus, *servate, ac facite, secundùm autem opera eorum nolite facere*, ut Hilarius, et Hieronymus videntur intelexisse. Cur ergo, dicet aliquis, non dixit, quæcumque Moses dicit ; servate ac facite ; sed quæcumque scribæ et Pharisæi dixerint ? Duplex causa reddi potest ; altera, quòd voluerit scribarum et Pharisæorum hypocrisim arguere ; non autem arguisset, nisi dixisset eos aliter vivere, aliter docere. Altera, quòd toto capite acerbè eos esset reprehensurus, et conveniebat aliquantùm eos priùs laudare, ne omnia ex affectu, ac sine judicio improbare videretur.

Vers. 4. — Alligant enim onera gravia. Metaphora à sarcinis sumpta est, quæ, ut in jumenta, aut in hominum humeros imponantur, atque portentur, ligari solent. Vocat autem onera, non cæremonias, ut Chrysostomus existimat, quia, ut diximus, nondùm Christus abrogat legem, de quibus D. Petrus in Actis Apostolorum, c. 15, 10, dixit : *Neque patres nostri, neque nos portare potuimus* ; sed onera vocat propriùs scribarum, et Pharisæorum traditiones, aut leges Scripturæ contrarias, aut non certè necessarias, quales illæ sunt, quas versu 16, 17, et deinceps reprehendit, ut Origenes et Theophylact. exponunt.

Digito autem suo : Digitum humeris opponit. Solemus onerata jumenta non solo digito, sed utráque manu et toto sæpè corpore juvare ; illi miseros homines, quos suis ineptiis oneraverant, ne minimùm quidem digito sublevabant, id est, nec exemplo suo meliùs ad onera ferenda, nec in suis traditionibus dispensabant, cùm in Dei lege sæpè dispensarent, hoc est, *digito autem suo nolunt ea movere*.

Vers. 5. — Dilatant enim. Græcè δὲ autem, sed ponitur pro γὰρ enim, ut alibi sæpè, quemadmodùm noster vertit interpres, multò meliùs quàm qui vertendum esse dicunt, autem ; reddit enim causam non eorum quæ versu præcedenti dixerat, sed proximorum verborum : *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*. Quod probat duobus minimarum rerum exemplis, phylacteriorum, et fimbriarum, quasi velit ex rebus minimis maximas intelligi, et, ut in proverbio est, ex ungue leonem cognosci. Nam qui in fimbriis et phylacteriis gloriam captabant, quid in rebus majoribus facturi erant ?

Phylacteria sua, Phylacteria, ut Origenes, Chry-

Vers. 2. — Sederunt, præteritum pro præsenti, sedent cum auctoritate, Greg., l. 15 Mor., c. 35 : *Malis doctoribus bona semina datur* in auditorum gratiam.

Vers. 3. — Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate ; quæcumque præceperint vobis, phrasi hebraicâ, nisi lex superior obstet, qualis est illa, obediendum esse magis Deo quàm hominibus. Quo quidem modo illud Apostoli, Coloss. 3, intelligendum : *Filii obedite parentibus per omnia*. Nam in rebus evidenter malis nemini credendum est ; in dubiis obsequi oportet præpositis à Deo ; quorum vita perversa tuis non eximit ab obsequio ; dignitati quippe debetur reverentia.

Vers. 4. — Alligant enim onera gravia, id est, minuta quæque legis severè exigunt, præcipuè verò negligunt : sed ad vitandum scandalum et omnem rebellionis speciem etiam leviora servanda sunt, salvâ lege divinâ et naturali.

Vers. 5. — Phylacteria ; membranæ erant, quibus præcepta Decalogi erant inscripta, quas brachiis et fronti circumligatas gerebant, ex Deuter. 6, 8, malè intellecto : quo quidem jubebantur præcepta divina semper ante oculos habere, ut ea factis et operibus præstarent. Et magnificant, magnas faciunt fimbrias, quas è pallii quatuor angulis suspendebant, eæque illis hyacinthini coloris textæ erant, c. 15 Numer.

sost., Hieronym. et Euthym. scribunt, membranulæ erant, in quibus legis præcepta scripta erant ; eas scribæ et Pharisæi circum caput, et circum brachia gestabant, ut perpetuò Dei legem ante oculos haberent ; sic intelligentes, quod Deus per Moysem præceperat, Deuteronomii 6, 8 : *Et ligabis ea, quasi signum in manu tuâ, eruntque, et movebuntur inter oculos tuos*. Hoc Hieronymus suo etiam tempore ab Indis, Persis et Babyloniis factitatum fuisse dicit : dicta sunt autem à Græcis φυλακτήρια, phylacteria, id est, conservatoria, quod ad conservandam legis memoriam instituta essent ; fimbriæ autem vocabantur fila quædam non texta, quæ ex infimâ orâ vestis dependebant, quæ ab Hebræis vocantur ציצית, Num. 15, 38, ut Rabbi David interpretatur et גדלים, Deut. 22, 12, unde et Hispani, ut opinor, *Gedlizas* vocaverunt. Fimbrias hyacinthino colore Judæos gestare duobus illis locis, quos modò posuimus, Deus præceperat, ut legis recordarentur. Eas ergo scribæ et Pharisæi præ cæteris Judæis magnificabant, id est majores, quàm cæteri, faciebant. Scribit Hieronym. solitos etiam fuisse acutissimis spinis interserere, quibus et cùm ambularent, et cùm sederent, compungerentur, eoque dolore divinam legem in mentem revocarent. Nescio quàm certum hoc sit ; facilè tamen Hieronymo credo non dicturo, nisi ab Hebræis, aut à bono aliquo auctore didicisset. Potest meritò lector quærere, quare scribæ et Pharisæi ambitionis causâ fimbrias ac phylacteria dilatabant. Respondent quidam, ut plura legis præcepta in phylacteriis inscribi possent. At, ut id de phylacteriis dici possit, de fimbriis certè dici non potest, in quibus præcepta non scribebantur : eos similius quod indicat Theophylactus, ideò dilatâsse, ut longiùs conspicerentur, et legis observatores esse viderentur, aut, ut videtur sentire Chrysost. ut legem diligentiùs quàm cæteros Judæos se servare declararent.

Vers. 8. — Vos autem nolite vocari rabbi. Ab hoc loco usque ad versum 15, et una est, et facilis sententia, ne Pharisæorum mores discipuli imitentur ; non prohibet patrem, aut magistrum vel vocari, vel vocare in terris absolutè : sed comparatè ad Deum, ad Pharisæos, de quibus loquebatur. Ad Deum quidem, ut comparatione illius neminem putemus neque patrem, neque præceptorem esse posse, et ne istos honoris, et amoris titulos illius honori amorique

Vers. 8. — Nolite vocari rabbi ; nolite delectari hujusmodi titulis, ut Pharisæi qui ambitiosè sic appellari cupiebant. Unus enim magister vester, qui docet omnes scientiam, et novit omnia : vos autem omnes fratres estis, et discipuli sub uno Patre et magistro. Itaque non vetat vocari patres et magistros : nam et Paulus hos dignitatis titulos sibi sumit, et se magistrum gentium appellat ; nec damnat titulos eruditionis qui usurpantur in Academiis : sed comparatè ad Deum loquitur : omnes enim sunt unius magistri qui veritatem intùs docet, discipuli, ait Augst. l. de Magistro, fusè prosequitur : cùm alii foris tantùm admoneant : *Intus is docet, qui solus cathedram habet in cælo*.

Vers. 12. — Non qui exaltatur, sed qui se exaltat, præferamus. Ad Pharisæos verò, ne eo modo, quo illi, id est, ambitiosè gloriosèque aut præceptores, aut patres appellemur aliosve appellemus, ut illi appellabant, qui dicebant : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo*, ut suo quisque magistro gloriaretur, 1 ad Cor. 3, 4, alioqui dubium non est, quin patres, et magistros et vocari et vocare nobis liceat.

Vers. 13. — Væ autem vobis. Hic versus apud Chrysost., Euthym. et Theophylact., et apud auctorem Operis Imperfecti est 14 et 15, positus est hoc loco. Invehitur mirâ Christus acrimoniâ in scribas et Pharisæos usque ad finem capitis, eorum præsertim hypocrisim accusans, non ullo quidem iracundiæ impotentis impetu, aut maledicentiæ ; sed certo judicio, atque consilio, ut paulò post moriturus miseram plebem commonefaceret, ne scribarum et Pharisæorum fuco capta falleretur. Dubium an omnia quæ Christus hoc capite in scribas et Pharisæos dicit, eodem loco ac tempore ab illo dicta sint. Nam Lucas, c. 11, 39, 42, 52, multa ex iis narrat, quasi alio tempore dicta fuerint, et D. quidem Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistarum, c. 75, duos, ut ejus utar verbis, sermones esse putat, alterum quem Matthæus, alterum, quem Lucas recitavit, bisque eadem dixisse Christum. Sed mihi probabilius videtur semel dixisse hæc omnia, eodemque tempore, ut apparet ex Lucâ ; sed Matthæum idcircò omnia in hunc locum contulisse, quòd similis essent argumenti, et non id ageret, ut historiam ordine servato temporum texeret, sed ut Christi doctrinam exponeret, quod cap. præcedenti, versu 2, in re simili fecisse animadvertimus.

Quia claudetis regnum cœlorum. Lucas, c. 11, 52, paulò aliter dicit, *quia tulistis clavem scientiæ*, quæ verba majorem habent emphasim. Significant enim scribas et Pharisæos ita sibi legis scientiam usurpâsse, ut existimarent neminem, nisi ipsis viam indicantibus, in cœlum ire posse : sumpta enim à dominis ædium metaphora est, qui cùm neminem ingredi, aut egredi, nisi jussu suo volunt, clavem totius domûs accipiunt ; claudere autem scribæ et Pharisæi regnum cœlorum dicuntur, quia persuadebant hominibus neminem, nisi ipsis aperientibus, id est, docentibus intrare posse, quo suasu omnes, quas volebant, traditiones, quasi gravia onera populo imponebant. Quod autem dicit *ante homines*, He-

humiliabitur ; nec qui humiliatur, sed qui se humiliat exaltabitur.

Vers. 13. — Væ vobis scribæ et Pharisæi hypocritæ. Non est dicenda contumelia, sed zelus justus, cùm superior increpat manifestum et incorrigibilem peccatorem, ut alii timeant, et sibi caveant. Præterquàm Christus non solùm prædicere, sed etiam æternam re inferre poterat propter Pharisæorum flagitia. Qui claditis regnum cœlorum, à fide in Christum avocatis : Lucas 11, 25 : *Tulistis clavem scientiæ*. Ii pertendebant neminem nisi ipsis aperientibus et docentibus intrare posse. Sic traditiones suas ut gravia onera imponebant, et falsâ interpretatione prophetias de Messiâ eludebant.

braismus est לפני אדם ante facies hominum, id est, occludendo illis januam ante oculos, quâ phrasi significatur eos impedire multos, qui jamjam ad cœli januam appropinquarent, et, nisi illi obstarent, ingressuri essent, ut etiam Chrysostom. vidit, et proximis verbis indicatur : *Vos non intratis, nec introeuntes*, id est, eos, qui introire volunt, *sinitis intrare*. Quid autem sit ipsos non intrare, neque alios ingredi permittere, duobus modis ab antiquis auctoribus explicatur. Origenes, Hilarius, auctor Imperfecti, Hieronymus, et Beda ideò dictum putant, quòd nec ipsi in Christum crederent, et *ne* alii crederent, impedirent; quam interpretationem idcircò non probo, quia, ut vers. 3 diximus, Christus hic de legis observatione agit; quare magis placet Chrysostomi sententia, ideò scribas et Pharisæos in regnum cœlorum non intrâsse, quia Dei præcepta non observabant; ideò aliis, quominùs intrarent, obstitisse, quia eos inutilibus, et intolerabilibus traditionibus onerabant, quas, cùm ipse populus servare non posset, nec in regnum cœlorum Pharisæorum quidem opinione ingrediebantur. Nec enim propterea salvus esse non poterat, quòd Pharisæorum non servaret traditiones; sed loquitur Christus ex Pharisæorum opinione, atque doctrinâ. Hic sensus ex iis quæ dicuntur versu 16 et deinceps facilè colligitur.

Vers. 14. — Quia comeditis domos viduarum. Nonnulli putant D. Hieronymum et Origenem, quia hunc versum non explicant, non legisse, et quòd in octavo Evangeliorum canone, quo solus Marcus, Lucasque conveniunt, positus sit : levis conjectura, quæ potiùs in canonem, quam in Evangelium valere debeat; præsertim cùm omnes et Latini, et Græci, et Syriaci codices legant : esse autem hos duos versus hunc atque præcedentem apud auctores Græcos transpositos supra monuimus. *Domos viduarum* scribæ et Pharisæi, id est, facultates dicuntur devorare; quâ autem ratione id facerent, non satis expressum. Quidam ideò eos devorâsse dicunt, quia consolationis causâ viduarum domos frequentabant, et conviviis pro officii dignitate ab illis excipiebantur, quibus facultates suas consumebant, sic Euthym. Alii, quia dùm sanctitatem simulabant, viduæ ad eos, ut seipsorum precibus commendarent, tanquàm ad viros sanctos ventitabant, et eorum orationes pretio emebant : hoc probabilius, quia statim sequitur, *longas orationes orantes*, quasi causa significetur, quare viduarum domos devorarent, quòd longas suas orationes venderent. Sed viduas potiùs quàm alias personas duabus, ut opinor, de causis nominavit, et quia religiosiores esse solent, et multò facilius sanctitatis simulatione capiuntur, et quia majus erat scelus viduarum, quæ potiùs juvandæ alendæque erant, quàm aliarum minùs miserabilium personarum substantiam devorare, ut Chrysostom. et Euthym. annotârunt.

Longas orationes orantes. Græcè *et prætexta* aut occasione *longa orantes*, id est, prolixè. Noster interpres hic in Græco nec legit καὶ neque προφάσει : et quidem copulativam conjunctionem tollendam puto, quia nec sententia requirit, et respuit; nomen autem προφάσεως recte convenit, et verò simile mihi videtur etiam legisse nostrum interpretem; sed sensum, non verba reddidisse. Occasionem autem, si id nomen legatur, interpretor aucupium, quo sacerdotes, et Pharisæi prolixè orantes utebantur, ut mulierecularum caperent facultates, quemadmodùm sumitur apud D. Paulum ad Philippenses 1, 18, cùm dicit : *Quid enim dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur ?*

Propter hoc amplius accipietis judicium, id est, duplo majus quàm cæteri, ut versu sequenti explicabimus, quia bis nimirùm peccatis, et dùm viduarum facultates consumitis, et dùm id sanctitatis simulatione facitis, ut Chrysostom. et auctor Imperfecti annotâverunt. Judicium Scripturæ more, et Hebræorum idiomate condemnationem appellat. Quod hæreticorum quidam interpres vertit, offerctis gravius judicium, minùs proprium mihi videtur. Noster interpres Græcum secutus est, Græcus hebraismum, quo נשׂא et accipere significat, et ferre; hoc autem loco pro ferre positum est.

Vers. 15. — Circuitis mare et aridam, id est, nihil non facitis, ut unum proselytum efficatis, videtur speciem habere proverbii; quale illud apud Latinos est, omnem lapidem movere, et apud Græcos, omnem movere funem. Aridam hebraismi imitatione terram appellavit, ut Genesis 1, 10, quemadmodùm et Græci nonnunquàm auctores appellant. Interpretatio est Chrysostomi, et Euthymii in hunc locum non scribarum, et Pharisæorum diligentiam, sed rei difficultatem declarari, quasi sensus sit, væ vobis scribis et Pharisæis, qui morum vestrorum pravitate adeò à legis divinæ studio alienigenas avertitis, ut adeò difficile sit vel unum tantùm ex illis ad veram religionem adducere, ut opus vobis sit mare et aridam circuire : sed manifestum est non rei difficultatem, sed scribarum et Pharisæorum studium, ambitionemque significare, qui magnâ sollicitudine gentiles ad Judaicam religionem pertrahere conabantur, vel ambitionis causâ, ut populum Dei augere viderentur, et suâ sanctitate, doctrinâque gubernare, quemadmodùm nonnulli interpretes existimant, aut, ut auctor Imperfecti putat, ut aucto Judæorum numero, sacrificiorum quoque numerus cresceret, majusque ad ipsos lucrum perveniret. Utrumque de scribis et

Vers. 14. — Hypocritæ, simulatione sanctitatis. Facultates viduarum, quæ faciliùs decipiuntur, in rem vestram vertere soletis : obtentu longarum orationum, quas pro iis funditis, ut Marcus habet, cap. 12. Et propter hoc, amplius accipietis judicium quàm cæteri, quia viduas exhaurilis pietate simulatâ.

Vers. 15. — Qui circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos ; nam offensi perversâ Pharisæorum vitâ et hypocrisi redibant ad idololatriam; aut exemplo eorum superstitiosiores facti magis resistebant doctrinæ evangelicæ.

Pharisæis credi potest. Proselytos appellabant Græcè eos, qui ex gentilium superstitione ad Judæorum religionem venerant, quos Hebræi גרים vocare solent, et Christiani neophytos appellabant, 1 ad Timoth. 3, 6.

Et cum factus fuerit, facitis illum filium gehennæ. Notus est hebraismus, quo filius gehennæ dicitur, qui gehennâ dignus est, sicut filius mortis, qui morte dignus, 1 Reg. 20, 31, de gehennâ autem cap. 5, diximus.

Duplo quam vos, διπλότερον ὑμῶν, ad verbum, duplicius quàm vos; id est, vos quidem duplici condemnatione, supplicioque digni estis; illum autem plusquàm duplici dignum facitis. Quomodò autem scribæ et Pharisæi duplici pœnâ digni essent, versu præcedenti explicavimus, qui dupliciter peccabant, et avaritiâ et sanctitatis simulatione. Quare verò pejores proselytos suos facerent, non satis constat, cùm vix illis pejores esse possent. Auctor Imperfecti existimat propterea proselytos majore quàm Pharisæos supplicio dignos fuisse, quòd quidem graviùs peccarent non credentes in Christum, relictâ jam idolatriâ, quàm si nunquàm reliquissent. Chrysostom. verò Pharisæos studiosè conatos esse eos, quos ab idololatriâ revocâssent, pejores facere quàm se. Meliùs idem auctor Imperfecti, et Euthym. ita esse naturâ comparatum, ut vitia potiùs quàm virtutes imitemur, et in rebus malis à discipulis magistri facilè superentur.

Vers. 16. — Duces cæci. Duces vocat, non quòd veri duces essent; sed aut propter officium, quia docendi munere fungebantur, aut ex eorum opinione, qui se aliorum duces profitebantur, quemadmodùm idola ex Gentilium opinione Scriptura solet Deos appellare, et pseudoprophetas prophetarum nomine sæpè vocat.

Quicumque juraverit per templum ἐν τῷ ναῷ in templo, id est, per templum, ut in sequentibus ex Hebræorum idiomate ב pro *in*, et pro *per*.

Nihil est, id est, non debet, non est reus, ut statim dicit : quod, ut quidam volunt, non absolutè, sed comparatè intelligendum est; nec enim est verò simile tam impudentes fuisse Pharisæos, ut docerent jurare per templum nullum esse peccatum; sed minus esse quàm per aurum templi jurare, et si, ut, c. 5, 21, 34, diximus, multi veteres auctores ita senserint. Euthym. juramentum votum interpretatur, aut jusjurandum, quo aliquis promittebat se templo aliquid oblaturum esse. Id enim juramentum propterea scribæ et Pharisæi, quorum multi sacerdotes erant, magis docebant obligare, quàm si quis per templum juravisset, id est, se templum ædificaturum, quia, quæ templo offerebantur, in ipsorum lucrum redundabant, aliud verò templum nemo poterat ædificare. Coacta, et minimè probabilis interpretatio. Hieronymus verò, Theophylactus et D. Thomas, sic interpretantur : Si

Vers. 23. — Qui decimatis mentham, qui decimas solvitis; non erat in lege præceptum solvere ejusmodi decimas sed tantùm ex aream et torculari : sed cùm in quis in contentione, seu in aliquo jurgio, vel in causæ ambiguo jurâsset in templo, et postea convictus esset mendacii, non tenebatur criminis reus; sin autem jurâsset in auro et pecuniâ, quæ in templo sacerdotibus offerebatur, statim id, in quo juraverat, cogebatur exsolvere. Rursùm si quis jurâsset in altari, perjurii reum nemo retinebat; sin autem pejerâsset in oblationibus, hoc est, in hostiis, in victimis, et similiter in cæteris quæ offerebantur Deo super altare, hæc studiosissimè repetebantur. Itaque hi auctores avaritiam ejus traditionis originem fuisse putant. Quod autem aurum templi intelligendum sit, dubium etiam est. Nam Theophylactus aurum illud intelligit, quo templum intùs vestitum erat. Euthymius verò vasa, candelabra, cæteramque auream templi supellectilem. Hier. et Beda omnem templi pecuniam, quod est probabilius.

Vers. 17. — Quid enim. Particula causalis hoc loco otiosa videtur esse; nullius enim rei causam reddere videtur : sed hebraismus est, quo solent Hebræi non rei de quâ loquuntur, sed verbi quo usi sunt, aliquando rationem reddere; quemadmodùm in Idiomatis annotavimus. Exemplum est 1 Paral. 5, 1, et infra, vers. 19. Reddit ergo Christus rationem cur Pharisæos cæcos appellaverit, quòd nimirùm non videant templum majus esse quàm aurum. Argumentatur autem ex illo naturali, quod est apud Aristotelem axiomate : *Propter quod unumquodque tale, et illud magis*. Nam aurum, quod in templo est, non est sanctum, nisi quia templum sanctum est; templum igitur magis sanctum.

Vers. 22. — Et quicumque jurat in cœlo. Quæ ad hujus loci explicationem pertinent, c. 5, 34, dicta sunt.

Vers. 23. — Et reliquistis. Quidam tempus præteritum, quod Græcè est, per præsens vertendum putant, *et relinquitis*, sicut præsenti tempore dixit : *Decimatis mentham et anethum*; sed melius noster interpres non solùm quia propiùs Græcum verbum secutus est, sed etiam quia sententiam meliùs expressit; significat enim hoc loco tempus illud præteritum scribas et Pharisæos Dei graviora præcepta jamdiù non minùs quàm si abrogata essent, oblivioni dedisse.

Judicium. Exponit quæ sunt illa graviora legis præcepta, quæ jamdiù reliquerant, nempe judicium, quo uniciuique jus suum redditur; erant enim scribæ et Pharisæi in multis causis Judæorum judices, ut c. 5, 22, diximus, et nihil magis Scriptura detestatur, quàm perversa et corrupta judicia, ut Deuteronomii 16, 19, Isaiæ 1, 25, Michææ 3, 11, et 7, 3.

Misericordiam. Misericordiam vocat charitatem in proximum, quam Deus omnibus rebus anteponit, hoc enim est : *Misericordium volo, et non sacrificium*, Oseæ 6, 6, et supra, c. 9, 13; hoc est quod tantoperè commendat apud Michæam, cap. 6, 8 : *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te, utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo*, et apud Zachariam, c. gravioribus essent negligentes, ut in jure reddendo; Judicium, in servandis pactis fidem violabant.

7, 9 : *Hæc ait Dominus exercituum dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam, et miserationem facite unusquisque cum fratre suo.*

Et fidem. Fidem appellat non divinam illam, quâ in Deum credimus; sed illam humanam, quâ inter nos pacta conventa servamus, quæ dictorum factorumque constantia definitur à Cicerone, lib. 1 Offic., quam Deus, Levit. c. 6, 2, 4, 5, diligenter servari voluit. *Anima*, inquit, *quæ peccaverit, et contempto Domino negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel ri aliquid extorserit, vel calumniam fecerit, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, et quintam insuper partem domino cui damnum intulerat; pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege.*

Vers. 24. — Excolantes culicem, camelum autem glutientes. Solet in calidioribus regionibus multos culices vinum habere, ut necesse sæpè sit, cui volunt bibere, vinum priùs excolare, ut culices tollant. Inde sumpta translatio. Camelum autem ex more patriæ pro re maximâ posuit, ut supra, c. 19, 24. Apparet autem fuisse proverbium, quale illud fuisse diximus ibi? *Facilius est camelum per foramen acûs transire.*

Vers. 25. — Quòd de foris est calicis et paropsidis, τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, *exteriorem calicis et paropsidis partem*, aut, quod à Græcis verbis propiùs abest, *quod extra calicem et paropsidem est.* Calicem vocat poculum, paropsidem patinam quâ cibus sumitur, ut apud Pollucem et Athenæum. Notum est carmen veteris poetæ, nempe Juvenalis, satyrâ 4 :

Quàm multâ magnâque paropside cœnat.

Lucas catinum appellavit, quod aut idem, aut simile vas est.

Intùs autem, id est, quæ intùs sunt; intelligitur enim τὰ. Calicem et paropsidem vocat ipsum hominem; quæ extra calicem et paropsidem sunt, sordes corporis; quæ sunt intra, sordes animæ. Significat ergo eos de corpore lavando atque mundando nimis esse sollicitos; de abluendis animæ sordibus nimis negligentes. Videtur hoc etiam fuisse proverbium, quo significabatur aliquem minùs necessaria nimis curare magis necessaria negligere; quemadmodùm si quis vas quo potum aut cibum sumeret extrinsecùs mundaret, intrinsecùs non mundaret.

Vers. 26. — Ut fiat et id quod deforis est mundum. Quæritur quomodò, mundatis iis quæ intùs sunt, ea quæ extra sunt munda fiant, cùm nihil obstare videatur quin possit aliquis mundo esse animo sordido verò corpore; dicitur id quod deforis est mundum fieri, cùm interiora mundata sunt, quia non magis inquinat quàm si immundum esset. *Non enim quod intrat in os coinquinat hominem*, c. 15, 11, et : *Omnia munda mundis*, ad Titum 1, 15.

Vers. 24. — Excolantes culicem; vinum per linteum trajicientes, ne fortè immunda animalcula unà cum vino hauirent.

Vers. 26.—Munda prius quod intus est; à rapinâ et gulâ priùs abstine, tum poterit exterior placere mundities, quæ interiori respondebit.

Vers. 29. — Qui ædificatis, Græcè *quia ædificatis* :

Vers. 29. — Qui ædificatis sepulcra prophetarum et ornatis monumenta justorum. Eosdem prophetas et justos videtur appellare, ut aliis locis admonuimus, et ex Joanne, c. 9, 17, docuimus, sicut sepulcra, et monumenta idem sunt; est enim ex Hebræorum idiomate ejusdem sententiæ aliis verbis variatæ repetitio ædificabant autem prophetarum sepulcra, cùm vetustate collapsa essent, ut Hilarius exponit. Constat ex hoc loco prophetarum et justorum sepulcra in honore apud Judæos habita fuisse. Quòd autem ea scribæ et Pharisæi collapsa redintegrarent, non vituperatione, sed laude dignum erat, ut Origenes, tractatu in Matthæum 26, Chrysost. et Euthym. admonuerunt; nec propterea eos Christus reprehendit, sed quia cùm eorum ædificarent sepulcra, majora ipsi patrarent homicidia, quàm qui prophetas illos, quorum sepulcra ædificabant, occiderant.

Vers. 31. — Itaque testimonio estis vobis metipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Benè hoc loco concludit Christus ex eo, quod dicebant scribæ et Pharisæi : *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum*, eos testari his ipsis verbis esse se eorum filios qui prophetas occiderunt; sed paulò aliter argumentum recitat Lucas, c. 11, 48 : *Profecto*, inquit, *testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt; vos autem ædificatis eorum sepulcra.* Credibile est utrumque Christum dixisse; sed alterum Matthæum, alterum Lucam recitâsse. Superest videre quomodò apud Lucam benè Christus concludat eos testificari se operibus patrum suorum consentire. Non videtur mihi ex animi sententiâ Christus id concludere voluisse : sed tantùm propositum illi fuisse illud ipsum argumentum, quod ad probandam sanctitatem suam scribæ et Pharisæi afferebant, ad probandam eorum nequitiam in eosdem retorquere, quasi commune esset, ut rhetores vocant, quod in utramque partem æquè valeret. Qui enim sepulcra prophetarum ædificabant, videri poterant aut idcircò facere, ut eos honorarent, aut ut magis quodammodò occiderent, id est, eorum memoriam unà cum corporibus sepelirent; quemadmodùm soleut latrones, quos occiderunt, non humanitate, sed alio homicidii genere, ne reperiantur, sepelire. Scribæ et Pharisæi priori sensu; Christus posteriori argumentabatur, non quòd indicaret eos eo animo sepulcra prophetarum ædificare, ut patrum suorum homicidiis consentirent; sed quòd factum ipsum in eam etiam partem non minùs, quàm in contrariam posset aliquis interpretari.

non ut malam reprehendit constructionem, aut instaurationem sepulcrorum : sed quòd ex hypocrisi id facerent, et in Christum eamdem exercerent sævitiam, quam majores eorum in prophetas, nec recederent ab eorum crudelitate. Quamvis ex Lucâ verba illa : Et testimonio estis vobis, magis ad facta, quàm ad dicta Pharisæorum referantur. Prophetarum sepulcra ædificantes ab eorum doctrinâ penitùs erant alieni, Christum persequentes.

Vers. 32. — Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Id est, occidite eos prophetas, quos illi, quia nondùm erant, occidere non potuerunt. Intelligit autem seipsum, et eos, quos versu 34 se missurum dicit. Hoc enim est implere mensuram patrum suorum, eorum scelera, atque homicidia majoribus homicidiis, sceleribusque cumulare. Adnotârunt Chrysost., Theophyl. et Euthym. Christum his verbis, etiamsi imperare videatur, non imperare; sed quod futurum erat, prædicere : quemadmodùm Joann. 13, 27, dixit Judæ : *Quod facis, fac citiùs.* Faciliùs dici potuit concessionem esse, qualis illa apud Virgilium est, Æneid. 4 :

I, sequere Italiam ventis.

Vers. 33.— Serpentes, genimina viperarum. Hunc locum, c. 3, 7, explanavimus. Sensus est : Cùm viperarum filii sitis, quid potestis esse nisi viperæ? non enim solent filii parentibus meliores esse, pejores solent.

Quomodo fugietis a judicio gehennæ? id est, quomodò potestis salvi esse, cùm viperæ sitis? quod non ideò dicit, quia fieri non possit ut pœnitentiam agant et salvi sint, sed quòd ejusmodi homines, qui tam diuturnum scelerum suorum callum obduxerunt, rarò pœnitentiam agere et salvi esse soleant; aut quòd adeò obdurati in malum essent, ut averti ab eo posse non viderentur.

Vers. 34. — Ideò. Non reddit causam cur prophetas, sapientes et scribas missurus sit; neque enim propter scribarum et Pharisæorum nequitiam missurus erat; sed reddit causam cur eos essent occisuri, quia nimirùm serpentes erant et genimina viperarum : serpentium autem et viperarum proprium est homines occidere. Lucas, c. 11, 49, aliter dicit : *Propterea*, inquit, *et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur*, ubi videtur alicujus prophetæ testimonium allegare, cùm nihil hodiè tale in Scripturâ legamus. Credibile est ita Christum, ut Lucas narrat, locutum esse : nec dixisse : *Ecce ego mitto*, ut alt Matthæus, sed : *Sapientia Dei dixit : Mittam ad illos*, etc., ne, si diceret : *Ego mitto*, Deum se facere videretur, cujus proprium est mittere prophetas, sed Matthæum sensum, non verba recitâsse. Idem enim est : *Sapientia Dei mittet*, et : *Ego mittam*, quia ipse Dei sapientia erat, et ex ambiguitate verbi invidiam evitavit. Itaque noluit ullum illius veteris prophetæ citare testimonium; sed quasi ipse Dei voluntatem interpretaretur, futuraque nuntiaret, sicut veteres prophetæ solebant dicere : *Hæc dicit Dominus*, ita ille dicit : *Sapientia Dei dixit*, id est, decrevit, hebraismus.

Prophetas, et sapientes, et scribas. Lucas dixit, *prophetas et apostolos*; unde constat Christum apostolos suos, et scribas et prophetas appellâsse, ut se-

Vers. 32 et 33.— Implete, id est, implebitis. Genimina, ut è viperis nascuntur viperæ, sic ex homicidis homicidæ.

Vers. 35. — Filii Barachiæ, qui, ut probabile videtur, erat filius Joiadæ : hic potuit etiam vocari Barachias. Tres Zachariæ filii Barachiæ in Scripturis nominantur, primus Isaiæ 8, 2, vir magnus, de cujus morte nulla fit mentio; alius est inter minores pro-

commodatè ad Judæorum consuetudinem loqueretur, apud quos legis doctores scribæ vocabantur; solet enim ita aliquando Christus loqui, ut c. 13, 52, et D. Paulus 1 ad Corinth. 1, 20 : *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi?*

Vers. 35. — Ut veniat super vos. Rectè Euthymius annotavit particulam *ut* hoc in loco non causam sed eventum significare. Hebraica autem phrasis est alicujus sanguinem super aliquem aut super ejus caput venire, id est, homicidii pœnas dare, ut infra, c. 27, 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros*, id est, nos et filii nostri culpam præstabimus, et si quid in hoc peccati est, pœnas libenter luemus. Similis phrasis Levitici 20, 9, 15, Josue 2, 19, 2 Reg. 1, 16, quemadmodùm Latini dicebant : Si quid mali fiet, mihi et capiti meo. Seneca, lib. 4 de Beneficiis, c. 31.

A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, et altare. Manifestum est voluisse Christum dicere eos daturos pœnas ob mortem omnium prophetarum, quicumque unquàm occisi à Judæis fuerant. Numerat autem Abel inter prophetas, quia suo sacrificio videtur Christi sacrificium prædixisse, ut indicat D. Paulus ad Hebræos 11, 4, cùm dicit, Abel fide plurimam hostiam obtulisse. Enumerat enim inter illos qui à Judæis occisi fuerant, cùm ab illis occisus non sit, quia Cain, à quo occisus est, omnium homicidarum caput fuit; et quamvis non fuerit naturâ Judæorum pater, fuit imitatione. Itaque illius filii esse Judæi significantur eodem modo quo dicuntur filii esse diaboli, Joan. 8, 44. Ita Judas dixit, vers. 41 : *Væ illis qui in viam Cain abierunt!* Ita auctor Imperfecti exposuit. Vulgaris hoc loco de Zachariâ quæstio est, de quo, cùm multi fuerint, Christus loquatur. Nonnulli auctores existimant de Zachariâ Joannis Baptistæ patre loqui, veterem narrantes traditionem, quæ in nonnullis apocryphis libris legebatur, hodiéque in nescio quo, ut vocatur, protoevangelio Jacobi legitur; fuisse in templo Jerosolymitano separatum locum, in quo solæ virgines considerent. Virginem verò Mariam Christi matrem post felicem partum in templum ingressam voluisse inter virgines, ut solebat, locum habere, prohibitam à sacerdotibus, quòd filium peperisset, defensam à Zachariâ, qui virginem sciebat; eâ de causâ à cæteris sacerdotibus inter templum, et altare occisum esse. Ita Orig., tractatu in Matthæum 16, et D. Basilius, homil. de humanâ Christi Generatione, Theophylact. et Euthym. hoc loco. Simile quiddam refert de Gnosticis Epiphanius in eorum hæresi. Quæ traditio, si ex bonis libris probaretur, hunc locum valdè congruenter explicaret. Fuit enim Zacharias pater Joannis ultimus prophetarum, et perspicuum est voluisse Christum significare scribas

phetas, qui in pace quievit; tertius est apud Josephum, l. 4 de Bello Judaico, cap. 5, Zacharias filius Baruch, quem in templo Zelotæ occiderunt. Dubitant nonnulli an fortè Christus de illo more prophetico, futurum per præteritum exprimens loquatur, ut eodes omnes usque ad templi excidium comprehendat. *Barachia*, hebr. benedictum Domini significat.

et Pharisæos daturos esse pœnas sanguinis omnium prophetarum, qui occisi essent, à primo usque ad ultimum. Nomen tantùm patris Barachiæ non conveniret. Nec enim illius Zachariæ patrem Barachiam vocatum legimus. Alii putant Christum loqui de illo Zachariâ, qui ex duodecim minoribus prophetis unus est. Is enim, c. 1, 1, filius Barachiæ fuisse dicitur, quam opinionem Orig., Chrysost. et Hieronym., referunt; Strabus verò secutus est. Alii hunc fuisse Zachariam illum filium Joiadæ sacerdotis, qui 2 Paralipomenon 24, 21, inter templum et altare occisus commemoratur, quæ et Hieronymi, et Bedæ, et omnium ferè posteriorum interpretum opinio est, cò cæteris probabilior, quòd solum illum Zachariam in Scripturis inter templum et altare occisum legamus, et est vero similie Christum notam historiam, et sacris testatam Litteris commemorâsse. Illud tantùm non convenit, quòd Zacharias ille in Scripturâ non Barachiæ, sed Joiadæ filius appellatur; cui objectioni duobus modis interpretes respondent. Primùm, ut Hieronymus ait, Christum non ad vocem nominis, sed ad significationem respexisse. Barachias enim Hebraicè benedictum Domini significat, id est, hominem justum, et divinâ abundantem gratiâ, qualem Joiadam sacerdotem fuisse Scriptura tota testatur. Alii Joiadam binomium fuisse putant, simulque Joiadam nomine, et Barachiam cognomento appellatum. Conjectura probabilis est, quòd D. Hieronymus affirmet se in eo Evangelio, quo Nazareni utebantur, pro filio Barachiæ *filium Joiadæ* legisse. Alia lectori objectio potest occurrere, quòd Zacharias ille non fuerit omnium prophetarum ultimus, qualem videtur Christus significare voluisse. Nam et multi postea fuerunt, et Joannes Baptista ultimus occisus. Facilis solutio est, voluisse Christum de illis tantùm agere prophetis, quorum cædes sacris esset Litteris consignata, ne scribæ et Pharisæi à patribus suis occisos fuisse negare possent; inter eos autem quos in sacris Litteris occisos legimus, Zacharias ille Joiadæ filius ultimus fuit. Alia hoc loco quæstio moveri solet, quomodò Christus minetur omnium veterum prophetarum sanguinem super scribas et Pharisæos ventorum esse, cùm ipsi eos non occidissent, et non deberet filius patris iniquitatem portare, Ezechielis 18, 19. Quidam respondent omnium Judæorum veluti unam esse congregationem et quasi rempublicam. Videmus autem in republicâ, quæ majores fecerint, posteris tribui; ut Amalecitæ, quia filiis Israel ex Ægypto revertentibus transitum per regionem suam concedere noluerunt, Exodi 17, 8, 14, delendi esse dicuntur; quod factum non est, nisi annis post plus quadringentis, cùm nemo eorum viveret qui peccaverant, 1 Regum 15, 6, 7. Ita ergo Pharisæos sacerdotes et scribas pœnas exsoluturos sanguinis prophetarum, non quòd ipsi occidissent, sed quòd cùm eorum respublica, eorumque majores occidissent, et ipsi occidissent, et ipsi occidisse putabantur. Ita Hieronymus et Beda. Alii dicunt sæpè filios pro patribus pœnas dare, cùm eorum mores imitantur, ut Deus communatur, Exodi 20, 5: *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitates patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem.* Alii filios etiam, cùm patrum suorum peccata sequuntur, pro illis non puniri; sed propterea dici puniri pro illis, quia cùm eorum exemplo non resipuerint, majores pœnas luunt; sic Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius interpretantur. Ego de illâ quæstione, utrùm filii pro patribus aliquando pœnas solvant necesse non arbitror hoc loco disputare, cùm sine ejus explicatione possit intelligi, et ea quæstio, Exodi 20, 5, à nobis tractata sit. Credo autem hoc loco Christum humano vulgarique more loqui voluisse; neque aliud quidquam significâsse, quàm scribas et Pharisæos tam graves pro suis homicidiis pœnas daturos esse, ut patrum etiam suorum homicidia portare viderentur, non quòd portaverint, sed quòd severiùs puniti fuerint, nullamque meruerint misericordiam; sic enim solemus loqui de aliquo, qui cùm multas fecisset cædes, et punitus non fuisset, ad extremum novo homicidio perpetrato deprehensus atque suspensus est, omnia simul exsolvit; non quòd exsolverit sigillatim omnia, aut quòd majores pœnas dederit quàm quas pro ultimâ cæde meretur; sed quòd sine misericordiâ punitus sit, et tantas solverit pœnas, quantas maximas potuit. Hunc esse sensum hoc loco eventus docuit, ut constat ex versu 38: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*, et ex toto capite sequenti. In illo autem excidio scribæ et Pharisæi vix potuerunt majores quàm dedêre pœnas dare; quod, qui Josephum legerit, facilè concedet. Sed si nullum alium prophetam, nullum Christi discipulum, verùm solum Christum ipsum occidissent, multò gravioribus pœnis digni erant. Itaque tantùm abest ut pro patribus suis pœnas luerent, ut ne pro se quidem ipsis satis dignas pœnas luere potuerint; sed, ut diximus, dicuntur sanguinis omnium prophetarum pœnas solvisse, quia, quàm maximas poterant, exsolverunt.

Vers. 36. — Amen, amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Et asseverationis particulâ, *Amen*, et ejus repetitione, et totius iteratione sententiæ, confirmat quod ante dixerat, ne quis inanem fuisse putaret comminationem. Generationem autem istam vocat totum Judæorum genus, super quos ea quæ dixerat ventura erant. Notus hebraismus דור, *generatio*, id est, genus.

Vers. 37. — Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti! Semper judicavi violentam esse interpretationem, quam sæpè D. Augustinus adhibet in hunc locum: *Volui*, inquit, *congregare, et noluisti*, id est, etiam nolente te congregavi. Sensus enim est facilis, quem præter illum omnes prorsus auctores veteres secuti sunt, Deum Judæos ad meliorem mentem vocâsse, et venire noluisse, sicut superiore parabolâ, cap. præcedenti, versu 3, declaratum est, et ut per Salomonem, Proverbiorum 1, 24, dixit: *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret*; et Isaiæ 65, 12: *Vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis*; et cap. 66, 4: *Vocavi et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt*; et Jeremiæ 7, 13: *Locutus sum ad vos manè consurgens et loquens, et non audistis, et vocavi vos, et non respondistis.* Idem enim est vocâsse, et congregare voluisse, idem est non respondisse et noluisse congregari.

Vers. 38. — Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Particula *ecce* propinquum tempus videtur indicare, ut multis aliis locis, quòs c. 2, 1, notavimus. Domum autem eorum aut urbem appellat, ut Beda existimat, quia eorum erat habitatio, quæque paulò post vastanda erat, sicut Deus olim apud Isaiam simili comminatione usus, dixerat, c. 5, 5: *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem*; aut, quod est probabilius, templum, quemadmodùm Hieronymus, Theophylactus et Euthymius interpretantur, quia quemadmodùm olim, ita etiam tunc adeò in templo suo Judæi confidebant, ut tutissimum in eo præsidium habere viderentur Jeremiæ 7, 4: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Nam et tempore Jeremiæ, paulò antequàm à Chaldæis invaderetur, simili Deum comminatione usum legimus Jeremiæ 12, 7: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Nam quod Ambrosius in Commentariis in Psalmum 95, per domum Judæorum synagogam intelligit, aut minus probabile, aut allegoricum est.

Vers. 39. — Dico enim vobis. Reddit causam cur deserenda eorum domus esset, quia ipse nimirùm, à quo tanquàm veritate figura implebatur, paulò post erat ex hoc mundo discessurus. Itaque sicut domus habitatoribus vacuæ ruere solent, ita templum eo discedent: diruendum erat.

Vers. 39. — Non me videbitis, benignum, ut modò, sed ut severum judicem in secundo adventu, cùm vel inviti gloriam meam agnoscetis.

CAPUT XXIV.

1. Et egressus Jesus de templo, ibat: et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

2. Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia. Amen dico vobis: Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, et quod signum adventûs tui, et consummationis sæculi?

4. Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat.

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent.

6. Audituri enim estis prælia et opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri: sed nondùm est finis.

7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in

Donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Secundum Christi adventum significari omnes consentiunt auctores. Quomodò autem Judæi in secundo adventu dicturi sint de Christo: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, de eo dissentiunt. Multi ex antiquissimis, ut recitat auctor Imperfecti, in quorum ipse sententiâ est, dixerunt multos ex Judæis sub finem mundi in Christum credituros, atque eos dicturos esse: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hieron. hunc sensum esse putat: Non videbitis me, donec confiteamini, id est, nisi confiteamini me esse eum qui venit in nomine Domini. Euthym. et Theophyl., et, ut videtur, etiam Chrysostom., revera Judæos in secundo Christi adventu dicturos esse putant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; invitos tamen atque coactos. Ego invitos quidem eos dicturos puto; animo tamen, non ore. Sic enim mihi loqui videtur Christus, quemadmodùm si rex alicui se pro rege non agnoscenti diceret: Suspendam te, et tunc dices, me esse regem; non enim significat eum verbis dicturum, sed rejpsâ experturum esse; quemadmodùm Zachariæ 12, 10, et Joannis 19, 37: *Videbunt in quem transfixerunt*; quod enim illic dicit: *Videbunt*, hìc dicit: *Dicetis.* Alludit autem, ut opinor, Christus ad id quod paulò ante acciderat, cap. 21, 16, ubi cùm pueri in templo clamarent: *Hosanna filio David!* sacerdotes et scribæ indignantes dixerunt: *Audis quid isti dicunt?* quasi blasphemare eos putarent, quòd Christo canerent: *Hosanna filio David!* Prædicit ergo Christus venturum tempus, quo tempore etiam idem dicere cogantur. Adnotârunt Chrysostomus, et Theophylactus et Euthymius, illud adverbium, *amodò*, id est, ab hoc tempore, non punctum temporis, sed passionis tempus significare, post quod, etsi apostoli et nonnulli alii discipuli eum jam suscitatum viderunt, Judæi, de quibus loquebatur, non viderunt.

CHAPITRE XXIV.

1. Lorsque Jésus sortait du temple pour s'en aller, ses disciples s'approchèrent de lui, pour lui faire remarquer la structure de cet édifice.

2. Mais Jésus leur dit: Vous voyez tous ces bâtiments; je vous le dis en vérité, ils seront tellement détruits, qu'il n'y demeurera pas pierre sur pierre.

3. Ensuite, comme il était sur la montagne des Oliviers, ses disciples s'approchèrent de lui en particulier, et lui dirent: Dites-nous quand ces choses arriveront, et quel signe il y aura de votre avénement et de la consommation du siècle!

4. Et Jésus répondant, leur dit: Prenez garde que personne ne vous séduise;

5. Car beaucoup viendront en mon nom, disant: Je suis le Christ; et ils séduiront plusieurs.

6. Vous entendrez aussi parler de guerres et de bruits de guerres. Gardez-vous bien de vous troubler, car il faut que ces choses arrivent; mais ce ne sera pas encore la fin.

7 Car il se lèvera peuple contre peuple, royaume

et Pharisæos daturos esse pœnas sanguinis omnium prophetarum, qui occisi essent, à primo usque ad ultimum. Nomen tantùm patris Barachiæ non conveniret. Nec enim illius Zachariæ patrem Barachiam vocatum legimus. Alii putant Christum loqui de illo Zachariâ, qui ex duodecim minoribus prophetis unus est. Is enim, c. 1, 1, filius Barachiæ fuisse dicitur, quam opinionem Orig., Chrysost. et Hieronym., referunt; Strabus verò secutus est. Alii hunc fuisse Zachariam illum filium Joiadæ sacerdotis, qui 2 Paralipomenon 24, 21, inter templum et altare occisus commemoratur, quæ et Hieronymi, et Bedæ, et omnium ferè posteriorum interpretum opinio est, cò cæteris probabilior, quòd solum illum Zachariam in Scripturis inter templum et altare occisum legamus, et est vero similie Christum notam historiam, et sacris testatam Litteris commemorâsse. Illud tantùm non convenit, quòd Zacharias ille in Scripturâ non Barachiæ, sed Joiadæ filius appellatur; cui objectioni duobus modis interpretes respondent. Primùm, ut Hieronymus ait, Christum non ad vocem nominis, sed ad significationem respexisse. Barachias enim Hebraicè benedictum Domini significat, id est, hominem justum, et divinâ abundantem gratiâ, qualem Joiadam sacerdotem fuisse Scriptura tota testatur. Alii Joiadam binomium fuisse putant, simulque Joiadam nomine, et Barachiam cognomento appellatum. Conjectura probabilis est, quòd D. Hieronymus affirmet se in eo Evangelio, quo Nazareni utebantur, pro filio Barachiæ *filium Joiadæ* legisse. Alia lectori objectio potest occurrere, quòd Zacharias ille non fuerit omnium prophetarum ultimus, qualem videtur Christus significare voluisse. Nam et multi postea fuerunt, et Joannes Baptista ultimus occisus. Facilis solutio est, voluisse Christum de illis tantùm agere prophetis, quorum cædes sacris esset Litteris consignata, ne scribæ et Pharisæi à patribus suis occisos fuisse negare possent; inter eos autem quos in sacris Litteris occisos legimus, Zacharias ille Joiadæ filius ultimus fuit. Alia hoc loco quæstio moveri solet, quomodò Christus minetur omnium veterum prophetarum sanguinem super scribas et Pharisæos ventorum esse, cùm ipsi eos non occidissent, et non deberet filius patris iniquitatem portare, Ezechielis 18, 19. Quidam respondent omnium Judæorum veluti unam esse congregationem et quasi rempublicam. Videmus autem in republicâ, quæ majores fecerint, posteris tribui; ut Amalecitæ, quia filiis Israel ex Ægypto revertentibus transitum per regionem suam concedere noluerunt, Exodi 17, 8, 14, delendi esse dicuntur; quod factum non est, nisi annis post plus quadringentis, cùm nemo eorum viveret qui peccaverant, 1 Regum 15, 6, 7. Ita ergo Pharisæos sacerdotes et scribas pœnas exsoluturos sanguinis prophetarum, non quòd ipsi occidissent, sed quòd cùm eorum respublica, eorumque majores occidissent, et ipsi occidissent, et ipsi occidisse putabantur. Ita Hieronymus et Beda. Alii dicunt sæpè filios pro patribus pœnas dare, cùm eorum mores imitantur, ut Deus communatur, Exodi 20, 5: *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitates patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem.* Alii filios etiam, cùm patrum suorum peccata sequuntur, pro illis non puniri; sed propterea dici puniri pro illis, quia cùm eorum exemplo non resipuerint, majores pœnas luunt; sic Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius interpretantur. Ego de illâ quæstione, utrùm filii pro patribus aliquando pœnas solvant necesse non arbitror hoc loco disputare, cùm sine ejus explicatione possit intelligi, et ea quæstio, Exodi 20, 5, à nobis tractata sit. Credo autem hoc loco Christum humano vulgarique more loqui voluisse; neque aliud quidquam significâsse, quàm scribas et Pharisæos tam graves pro suis homicidiis pœnas daturos esse, ut patrum etiam suorum homicidia portare viderentur, non quòd portaverint, sed quòd severiùs puniti fuerint, nullamque meruerint misericordiam; sic enim solemus loqui de aliquo, qui cùm multas fecisset cædes, et punitus non fuisset, ad extremum novo homicidio perpetrato deprehensus atque suspensus est, omnia simul exsolvit; non quòd exsolverit sigillatim omnia, aut quòd majores pœnas dederit quàm quas pro ultimâ cæde meretur; sed quòd sine misericordiâ punitus sit, et tantas solverit pœnas, quantas maximas potuit. Hunc esse sensum hoc loco eventus docuit, ut constat ex versu 38: *Relinquetur vobis domus vestra deserta*, et ex toto capite sequenti. In illo autem excidio scribæ et Pharisæi vix potuerunt majores quàm dedêre pœnas dare; quod, qui Josephum legerit, facilè concedet. Sed si nullum alium prophetam, nullum Christi discipulum, verùm solum Christum ipsum occidissent, multò gravioribus pœnis digni erant. Itaque tantùm abest ut pro patribus suis pœnas luerent, ut ne pro se quidem ipsis satis dignas pœnas luere potuerint; sed, ut diximus, dicuntur sanguinis omnium prophetarum pœnas solvisse, quia, quàm maximas poterant, exsolverunt.

Vers. 36. — Amen, amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. Et asseverationis particulâ, *Amen*, et ejus repetitione, et totius iteratione sententiæ, confirmat quod ante dixerat, ne quis inanem fuisse putaret comminationem. Generationem autem istam vocat totum Judæorum genus, super quos ea quæ dixerat ventura erant. Notus hebraismus דור, *generatio*, id est, genus.

Vers. 37. — Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti! Semper judicavi violentam esse interpretationem, quam sæpè D. Augustinus adhibet in hunc locum: *Volui*, inquit, *congregare, et noluisti*, id est, etiam nolente te congregavi. Sensus enim est facilis, quem præter illum omnes prorsus auctores veteres secuti sunt, Deum Judæos ad meliorem mentem vocâsse, et venire noluisse, sicut superiore parabolâ, cap. præcedenti, versu 3, declaratum est, et ut per Salomonem, Proverbiorum 1, 24, dixit: *Vocavi, et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret*; et Isaiæ 65, 12: *Vocavi, et non respondistis, locutus sum, et non audistis, et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui, elegistis*; et cap. 66, 4: *Vocavi et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt*; et Jeremiæ 7, 13: *Locutus sum ad vos manè consurgens et loquens, et non audistis, et vocavi vos, et non respondistis.* Idem enim est vocâsse, et congregare voluisse, idem est non respondisse et noluisse congregari.

Vers. 38. — Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Particula *ecce* propinquum tempus videtur indicare, ut multis aliis locis, quòs c. 2, 1, notavimus. Domum autem eorum aut urbem appellat, ut Beda existimat, quia eorum erat habitatio, quæque paulò post vastanda erat, sicut Deus olim apud Isaiam simili comminatione usus, dixerat, c. 5, 5: *Ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem, et erit in direptionem; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem*; aut, quod est probabilius, templum, quemadmodùm Hieronymus, Theophylactus et Euthymius interpretantur, quia quemadmodùm olim, ita etiam tunc adeò in templo suo Judæi confidebant, ut tutissimum in eo præsidium habere viderentur Jeremiæ 7, 4: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Nam et tempore Jeremiæ, paulò antequàm à Chaldæis invaderetur, simili Deum comminatione usum legimus Jeremiæ 12, 7: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Nam quod Ambrosius in Commentariis in Psalmum 95, per domum Judæorum synagogam intelligit, aut minus probabile, aut allegoricum est.

Vers. 39. — Dico enim vobis. Reddit causam cur deserenda eorum domus esset, quia ipse nimirùm, à quo tanquàm veritate figura implebatur, paulò post erat ex hoc mundo discessurus. Itaque sicut domus habitatoribus vacuæ ruere solent, ita templum eo discedent: diruendum erat.

Vers. 39. — Non me videbitis, benignum, ut modò, sed ut severum judicem in secundo adventu, cùm vel inviti gloriam meam agnoscetis.

CAPUT XXIV.

1. Et egressus Jesus de templo, ibat: et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

2. Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis hæc omnia. Amen dico vobis: Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt, et quod signum adventûs tui, et consummationis sæculi?

4. Et respondens Jesus, dixit eis: Videte ne quis vos seducat.

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent.

6. Audituri enim estis prælia et opiniones præliorum. Videte ne turbemini: oportet enim hæc fieri: sed nondùm est finis.

7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in

Donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Secundum Christi adventum significari omnes consentiunt auctores. Quomodò autem Judæi in secundo adventu dicturi sint de Christo: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, de eo dissentiunt. Multi ex antiquissimis, ut recitat auctor Imperfecti, in quorum ipse sententiâ est, dixerunt multos ex Judæis sub finem mundi in Christum credituros, atque eos dicturos esse: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hieron. hunc sensum esse putat: Non videbitis me, donec confiteamini, id est, nisi confiteamini me esse eum qui venit in nomine Domini. Euthym. et Theophyl., et, ut videtur, etiam Chrysostom., revera Judæos in secundo Christi adventu dicturos esse putant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*; invitos tamen atque coactos. Ego invitos quidem eos dicturos puto; animo tamen, non ore. Sic enim mihi loqui videtur Christus, quemadmodùm si rex alicui se pro rege non agnoscenti diceret: Suspendam te, et tunc dices, me esse regem; non enim significat eum verbis dicturum, sed rejpsâ experturum esse; quemadmodùm Zachariæ 12, 10, et Joannis 19, 37: *Videbunt in quem transfixerunt*; quod enim illic dicit: *Videbunt*, hìc dicit: *Dicetis.* Alludit autem, ut opinor, Christus ad id quod paulò ante acciderat, cap. 21, 16, ubi cùm pueri in templo clamarent: *Hosanna filio David!* sacerdotes et scribæ indignantes dixerunt: *Audis quid isti dicunt?* quasi blasphemare eos putarent, quòd Christo canerent: *Hosanna filio David!* Prædicit ergo Christus venturum tempus, quo tempore etiam idem dicere cogantur. Adnotârunt Chrysostomus, et Theophylactus et Euthymius, illud adverbium, *amodò*, id est, ab hoc tempore, non punctum temporis, sed passionis tempus significare, post quod, etsi apostoli et nonnulli alii discipuli eum jam suscitatum viderunt, Judæi, de quibus loquebatur, non viderunt.

CHAPITRE XXIV.

1. Lorsque Jésus sortait du temple pour s'en aller, ses disciples s'approchèrent de lui, pour lui faire remarquer la structure de cet édifice.

2. Mais Jésus leur dit: Vous voyez tous ces bâtiments; je vous le dis en vérité, ils seront tellement détruits, qu'il n'y demeurera pas pierre sur pierre.

3. Ensuite, comme il était sur la montagne des Oliviers, ses disciples s'approchèrent de lui en particulier, et lui dirent: Dites-nous quand ces choses arriveront, et quel signe il y aura de votre avénement et de la consommation du siècle!

4. Et Jésus répondant, leur dit: Prenez garde que personne ne vous séduise;

5. Car beaucoup viendront en mon nom, disant: Je suis le Christ; et ils séduiront plusieurs.

6. Vous entendrez aussi parler de guerres et de bruits de guerres. Gardez-vous bien de vous troubler, car il faut que ces choses arrivent; mais ce ne sera pas encore la fin.

7 Car il se lèvera peuple contre peuple, royaume

regnum : et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca.

8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

9. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

10. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

11. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.

12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio.

15. Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto : qui legit, intelligat :

16. Tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes :

17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo suâ :

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus.

20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet.

22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut : Illic, nolite credere.

24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ : et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

25. Ecce prædixi vobis.

26. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire : Ecce in penetralibus, nolite credere.

27. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem : ita erit et adventus Filii hominis.

28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur.

30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multâ et majestate.

31. Et mittet angelos suos cum turbâ et voce magnâ et congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum.

contre royaume ; et il y aura des pestes, des famines, et des tremblements de terre en divers lieux.

8. Et tout cela ne sera que le commencement des douleurs.

9. Alors on vous livrera aux tourments ; on vous fera mourir, et vous serez haïs de toutes les nations, à cause de mon nom.

10. Ce sera alors pour plusieurs un temps de scandale ; et l'on se trahira et se haïra mutuellement.

11. Il s'élèvera aussi plusieurs faux prophètes qui séduiront beaucoup de personnes.

12. Et parce que l'iniquité sera venue à son comble, la charité de plusieurs se refroidira.

13. Mais celui-là sera sauvé, qui persévèrera jusqu'à la fin.

14. Et cet Évangile du royaume sera prêché dans toute la terre, pour servir de témoignage à toutes les nations ; c'est alors que la fin doit arriver.

15. Quand donc vous verrez dans le lieu saint l'abomination de la désolation, qui a été prédite par le prophète Daniel, que celui qui lit entende.

16. Alors que ceux qui sont dans la Judée s'enfuient sur les montagnes ;

17. Que celui qui sera sur la terrasse du toit, n'en descende point pour emporter quelque chose de sa maison ;

18. Et que celui qui sera dans le champ ne retourne point pour prendre sa robe.

19. Mais malheur aux femmes qui seront grosses ou qui allaiteront en ce temps-là.

20. Mais priez que votre fuite n'arrive point durant l'hiver, ni au jour du sabbat.

21. Car l'affliction de ce temps-là sera si grande, qu'il n'y en a point eu de pareille depuis le commencement du monde jusqu'à présent, et qu'il n'y en aura jamais.

22. Et si ces jours n'avaient été abrégés, nul homme n'aurait été sauvé ; mais ils seront abrégés à cause des élus.

23. Alors si quelqu'un vous dit : Le Christ est ici ; ou : Il est là ; ne le croyez point.

24. Car il s'élèvera de faux christs et de faux prophètes, qui feront de grands prodiges et des choses étonnantes, jusqu'à séduire, s'il était possible, les élus mêmes.

25. Voici que je vous l'ai prédit.

26. Si donc on vous dit : Le voilà dans le désert, n'y allez point : Le voici dans le lieu le plus retiré de la maison, ne le croyez point.

27. Car, comme un éclair qui sort de l'orient et paraît jusqu'à l'occident, ainsi sera l'avénement du Fils de l'homme.

28. Partout où le corps se trouvera, là les aigles s'assembleront.

29. Mais aussitôt après ces jours d'affliction, le soleil s'obscurcira, et la lune ne donnera plus sa lumière, les étoiles tomberont du ciel, et les vertus des cieux seront ébranlées.

30. Et alors le signe du Fils de l'homme paraîtra dans le ciel ; et à cette vue tous les peuples de la terre s'abandonneront aux pleurs et aux gémissements, et ils verront le Fils de l'homme, qui viendra sur les nuées du ciel, avec une grande puissance et une grande majesté.

31. Et il enverra ses anges, qui feront entendre la voix éclatante de leurs trompettes, et qui rassembleront ses élus des quatre coins du monde, depuis une extrémité du ciel jusqu'à l'autre.

32. Ab arbore autem fici discite parabolam : cùm jam ramus ejus tener fuerit : et folia nata, scitis quia propè est æstas :

33. Ita et vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.

34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

35. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

36. De die autem illâ et horâ nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.

37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam,

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis.

40. Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur.

41. Duæ molentes in molâ : una assumetur, et una relinquetur.

42. Vigilate ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit.

43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

44. Ideò et vos estote parati : quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est.

45. Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore ?

46. Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus ejus, invenerit sic facientem.

47. Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire ;

49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis :

50. Veniet dominus servi illius, in die quâ non spérat, et horâ quâ ignorat :

51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus et stridor dentium.

32. Apprenez une comparaison du figuier : quand ses branches sont déjà tendres, et que ses feuilles commencent à pousser, vous savez que l'été est proche :

33. Ainsi, lorsque vous verrez toutes ces choses, sachez que le Fils de l'homme est près, et qu'il est à la porte.

34. Je vous dis en vérité, que cette génération ne passera point que toutes ces choses ne soient accomplies.

35. Le ciel et la terre passeront, mais mes paroles ne passeront point.

36. Mais, pour ce qui regarde ce jour et cette heure, qui que ce soit, excepté mon Père, n'en a connaissance, non pas même les anges du ciel.

37. Et il arrivera à l'avénement du Fils de l'homme ce qui arriva au temps de Noé.

38. Car, comme aux jours avant le déluge, les hommes mangeaient et buvaient, se mariaient et mariaient leurs enfants, jusqu'au jour où Noé entra dans l'arche,

39. Et qu'ils ne pensèrent au déluge que lorsqu'il survint, et les fit tous périr ; il en sera de même à l'avénement du Fils de l'homme.

40. Alors de deux hommes qui seront dans un champ, l'un sera pris, et l'autre laissé.

41. De deux femmes qui moudront dans un moulin, l'une sera prise et l'autre laissée.

42. Veillez donc, parce que vous ne savez pas à quelle heure votre Seigneur doit venir.

43. Or sachez que si le père de famille savait à quelle heure le voleur doit venir, il veillerait sans doute, et ne laisserait pas percer sa maison.

44. Tenez-vous donc aussi toujours prêts, parce que vous ignorez l'heure où le Fils de l'homme viendra.

45. Quel est, à votre avis, le serviteur fidèle et prudent que son maître a établi sur ces domestiques pour leur distribuer dans le temps leur nourriture ?

46. Heureux ce serviteur, si son maître à son arrivée le trouve agissant de la sorte.

47. Je vous dis en vérité, qu'il l'établira sur tous ses biens.

48. Mais si ce serviteur est méchant, et que disant en son cœur : Mon maître n'est pas près de venir,

49. Il se mette à battre les autres serviteurs, à manger et à boire avec des ivrognes,

50. Le maître de ce serviteur viendra au jour qu'il ne l'attend pas, et à l'heure qu'il ne sait pas :

51. Et il se séparera, et lui donnera sa portion avec les hypocrites ; c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et egressus Jesus de templo ibat, Græcè, καὶ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ, *et egressus Jesus abibat è templo*. Noster interpres videtur legisse καὶ ἐξελθὼν Ἰησοῦς ὁ ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀπαίρων, melior sensu. Nam egressus Jesus ibat à templo, ut Græcè legitur, tautologia videtur esse. Adde quòd nonnulli etiam codices Græci eamdem, quam noster interpres secutus est, lectionem habent.

Accesserunt. Marcus, c. 13, 1, unum tantùm discipulum accessisse dicit. Euthym. existimat omnes discipulos priùs de templi pulchritudine et structurâ inter se collocutos ad Christum accessisse, ut Matthæus ait; unum autem ex illis pro omnibus dixisse : *Magister, aspicis qualibus lapidibus*, ut ait Marcus. Potest et per syllepsim Matthæus locutus esse, qui discipulos accessisse dicit, quia unus discipulus accessit, sicut c. 26, 8, dicit indignatos fuisse discipulos accessit, sicut c. 26, 8, dicit indignatos fuisse discipulos unguenti effusione, murmurantesque dixisse : *Ut quid perditio hæc?* cùm ex Joanne, c. 12, 4, solum Judam indignatum, ac murmurâsse constet, et sicut, c. 27, 44, scribit latrones,

Vers. 1. — Et egressus Jesus de templo ibat, Gr., *abibat è templo*. Ut ostenderent, fortè dubitabant de his, quæ dixerat Dominus de ejus ruinâ ; illo verò excidium mox futurum prædicit. Mirabilis erat

qui cum Christo crucifixi erant, improperâsse illi, cùm Lucas, c. 23, 39, unum tantùm latronem blasphemâsse dicat.

Ut ostenderent illi ædificationes. Structuras templi. Est valdè vero simile, quod Origen., Hilarius, Chrysost., Theophylact. et Euthym. adnotaverunt motos fuisse discipulos, ut Christo templi structuram ostenderent, verbis, quæ capite præcedenti, versu 38, audierant : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, aut, ut quidam putant, admiratione, quasi fieri non posset, ut tantum, taleque templum vastaretur, aut ut alii ex illis, quos nominavimus, auctores existimant, egoque probabilius judico, commiseratione, quasi tam pulchrum, et admirandum templum vastari ferendum non esset; itaque videntur, ut ait Origenes, demonstratâ templi structurâ, atque pulchritudine Christum ad commiserationem flectere voluisse, ut latam sententiam de ejus demolitione revocaret. Fuerat templum illud ab Herode de integro miro opere ædificatum, longitudine centum cubitorum, altitudine totidem, et amplius viginti, lapidibus candidis, atque firmissimis, longitudine viginti quinque cubitorum, latitudine duodecim, altitudine octo; ut Josephus scribit, lib. 15 Antiquitatum, c. 14, hoc est, quod Christo dicunt apud Marcum, cap. 13, 1 : *Aspicis quales lapides, et quales structuræ.*

Vers. 2. — Videtis hæc omnia? οὐ βλέπετε; nonne videtis? Noster interpres videtur negationem non legisse; et quidem sensus est melior; significat enim Christus, ut etiam atque etiam structuram templi considerent, quò magis eversionem admirentur; non enim relinquetur lapis super lapidem, quod etsi per exaggerationem dictum videri potest, ut ingens tantùm ruina et vastatio declararetur qualem Josephus, lib. 7, de Bello Judaico, c. 9 et 10, describit; tamen non est passa divina providentia, ut existimare quisquam posset Christum vel in uno lapide per hyperbolem loquendo fuisse mentitum. Scribunt Chrysost., oratione secundâ et tertiâ adversùs Judæos, et Gregorius Nazianzenus, oratione secundâ contra Julianum, et Theodoretus, libro 3 Historiæ Ecclesiasticæ, c. 20, Julianum Apostatam, dùm imperaret, Judæis concessisse, ut Jerosolymitanum templum restaurarent; id Judæos incredibili alacritate conatos facere, effodisse fundamenta veteris templi, ut nova reponerent, ignem ex imis fundamentis exiluisse, multosque consumpsisse ex iis qui ædificabant; ita Judæos suis manibus Christi prædictionem complevisse. Vetus enim templum, si quid superarat, ita diruerant, ut lapis supra lapidem non remaneret; novum verò ne inchoare quidem divinitùs prohibiti potuerunt.

Vers. 3. — Sedente autem eo. Hoc die quarto, posteaquàm cum ramis et acclamationibus in urbem ingressus esset Christus, accidisse inter omnes convenit. Ex Evangelistarum collatione facilè colligitur. Nam eodem die in Bethaniam secessit; secundo verò ex Bethaniâ redions ficui maledixit; tertio verò die cùm iterùm ex Bethaniâ revertereter, discipuli arefactam viderunt ficum, Marci 11, 13, 14, 21. Eodem autem tertio die ex Jerusalem in Bethaniam de more rediisse, ut ibi noctem ageret, ex Lucâ, cap. 21, 37, intelligitur. Itaque die quarto Bethaniæ fuit, et quia nullus evangelista narrat eum ante diem quintum, quo Pascha celebravit, Jerosolymam revertisse, et quia Matth., c. 26, 6, scribit eum fuisse in domo Simonis leprosi duobus diebus ante Pascha; Bethaniam autem fuisse ad radicem montis Olivarum, dixi, cap. 21, 1. Quare credibile est Christum, cùm in montem, qui paulò plus mille passibus ab urbe distabat, ascendisset ex eo urbem ac templum contemplatum esse, et aliquid de futurâ ejus calamitate prædixisse, quòd occasionem discipulis præbuerit interrogandi : *Dic nobis, quando hæc erunt*; id ex Marco, obscurâ licèt conjecturâ colligitur, c. 13, 3. *Et cùm sederet*, inquit, *in monte Olivarum contra templum*, indicans enim prospexisse, et contemplatum fuisse templum, et de eo aliquid dixisse.

Accesserunt ad eum discipuli. Marcus scribit quatuor tantùm accessisse, Petrum, Jacobum, Joannem, et Andream; itaque dubium est an quod Evangelista dicit, secretò accessisse, intelligendum sit illos quatuor secretò ab aliis discipulis ad Christum adisse, atque eum interrogâsse, an, ut Euthymius existimat, accessisse omnes, sed secretò ab aliis hominibus, ut non nisi discipuli essent. Illud prius probabilius videtur. Propterea enim videtur Marcus eorum, qui accesserunt nomina expressisse; et est credibile quatuor illos discipulos, qui Christo omnium erant familiarissimi, et secretioribus mysteriis interesse soliti, sodos voluisse de re maximâ Christum interrogare, existimantes faciliùs eum sibi solis, quàm omnibus in commune discipulis dicturum esse. Erat enim de templi excidio periculosum loqui, quemadmodùm Stephano in Actis Apostolorum, cap. 6, 14, objectum est : *Audivimus eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum.* Quid autem discipulos moveret, ut id interrogarent, incertum; credi potest naturali eos studio, quo omnes homines teneri solent, futura, maximèque ea, quæ se, patriamque suam attingunt, sciendi addictos fuisse; sed auctor Imperfecti in meliorem partem interpretatur, eos desiderio, quo tenebantur, Christo in regno cœlorum fruendi, de mundi fine interrogâsse, quasi nimium illis tardare videretur.

Quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi? Tria interrogant, quando ea mala quæ prædixerat, urbi ac templo eventura essent; quod signum ipsius adventum esset præcessurum; quod mundi consummationem, ut Hilarius, Hieronymus et Strabus adnotârunt, quod, qui multis quæ urbi et templo eventura prædixisti : *Et quod* SIGNUM ADVENTUS TUI, existimabant enim hæc penè iisdem temporibus eventura ante terrenum Christi regnum, quod vehementer optabant.

refellant verbis, nihil mihi agere videntur. Nam quòd Christi adventus, et mundi finis eodem tempore futurus sit, quid, quæso, obstat, quominùs distinctè de utroque apostoli doceri velint? Utique et templi vastationem, ut paulò post dicemus, eodem etiam tempore futuram putabant; nemo tamen negat de templi eversione, et de Christi adventu diversas esse quæstiones.

Vers. 5. — Multi enim venient in nomine meo. Illud dubium est quin apostoli statim post templi excidium Christi adventum et mundi finem futurum putaverint; sed an Christus de excidio Jerosolymitano, an de adventu suo et mundi fine respondeat, id est dubium, et obscurum est. Vetustiores auctores omnia referunt ad finem mundi, ut Irenæus, libro 5, c. 25, et Hilarius hoc loco, et Gregorius, hom. 1 in Evang. Alii hæc quæ dicuntur usque ad versum 25, de solo Jerosolymitano excidio intelligi volunt, ut Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius. Media mihi placet sententia, quam et Augustini, epistolâ 80, et Hieronymi ac Bedæ, hoc loco, esse video, Christum confusè de utrâque respondisse, sicut confusè apostoli interrogaverant. Quod certo eum consilio atque divino fecisse arbitror, ne quis posset finem mundi cognoscere. Existimabant apostoli hæc esse conjuncta finem templi et finem mundi; noluit Christus hunc illis errorem eripere, ne post templi eversionem in longum expectationem porrigentes securi essent; diligentis tamen atque prudentis lectoris est, quæ de Jerosolymitano excidio, et quæ de mundi fine dicuntur, subtili conjecturâ distinguere. Hæc ergo quæ nunc Christus dicit, ad utrumque videntur pertinere; nam et ante Jerosolymitanum excidium multi pseudochristi extiterunt, et ante finem mundi multos futuros Joannes in Apocalypsi testatur; quare cùm generaliter sententia intelligi possit, restringenda non est, ne Spiritui sancto, quo Christus loquebatur, limites præligamus. Scribit Lucas in Actis Apostolorum, c. 5, 36, exstitisse Theodam quemdam, qui Judæorum populum conturbaverit, dicentem se esse aliquem, id est, magnum prophetam. Ejus historiam Josephus, libro 20 Antiquitatum, c. 3, commemorat, itemque de aliis seductoribus, c. 12, et libro 2 de Bello Judaico, c. 12, scribit multa. Hieronymus Simonem Magum inter eos numerat, qui falsò Christi nomine venerunt, quia virtus Dei magna vocabatur, Actorum 8, 10. Hujusmodi nugatores infinita Judæorum multitudo secuta est, divino planè judicio, ut qui Christo vero Dei Filio non crediderant, seductoribus crederent, sicut Christus prædixerat, Joan. 5, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, et, ut ait D. Paulus, 2 ad Thes. 2, 10, 11 : *Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*

Vers. 6. — Audituri enim estis, μελλήσετε δὲ ἀκούειν, *audituri autem estis*; sed δὲ, *autem*, positum est pro γὰρ, *enim*, ut c. 23, 5. Itaque melius noster interpres quàm multi recentiores, reddidit; reddit enim Christus causam ejus quod sequitur : *Videte ne turbemini*; quasi dicat : Propterea moneo vos ne turbemini, quia prælia et opiniones prœliorum audituri estis, πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων, *bella et auditiones bellorum*; ad verbum, id est, bellorum rumores, hebraismus שמועות, *auditio*, id est, rumor. Quidam nimis subtiliter hæc duo distinguere videntur, in quibus Origenes et Euthymius, quorum ille allegoricè hæc prælia interpretatur ea quæ in urbe Jerosolymitanâ commissa sunt; rumores verò bellorum, quæ in aliis Judææ civitatibus gerebantur. Si quid interest, malim hoc modo distinguere, ut prælia sint præsentia, rumores prœliorum futurorum; ut sit sensus eos, ut suis oculis multa jam præsentia visuros bella, et suis auribus alia jam instare audituros, et bellum ex bello, malum ex malo oriturum esse.

Oportet enim hæc fieri. Non oportet absolutè, sed oportet, posità hominum malitiâ, posito Dei decreto, quo constituerat punire Judæos, sicut supra dixit, c. 18, 7 : *Necesse est ut veniant scandala*, et, ut D. Paulus, 1 ad Cor. 11, 19 : *Oportet hæreses esse.* Hæc de bellis Judaicis, quæ urbis excidium præcesserunt, quæque à Josepho, lib. 20 Antiquitatum, et totis septem libris de Bello Judaico describuntur, plerique intelligunt, ut Hilarius, Chrysostomus, auctor Imperfecti, Euthymius, Theophylactus, Beda. Alii de bellis Antichristi, quæ ante finem mundi futura sunt, ut Hieronymus. Utrumque possumus probabiliter intelligere, cùm alterum ex historiis, et certo jam eventu; alterum ex Joannis Apocalypsi probetur, et non est, ut ante dixi, cùm generaliter intelligi potest, in angustum arctanda sententia.

Sed nondum est finis. Quidam mundi finem intelligunt, ut Hieronymus et Theophylactus. Alii finem Jerusalem, ut Euthymius.

Vers. 7. — Consurget enim gens in gentem. Hæc etiam communiter, et de tempore Jerosolymitani excidii, et de tempore Antichristi intelligit Augustinus, epistolâ 80, cujus sententiam eorum opinioni præfero, qui ad solum Jerosolymitanum excidium restringunt, ut Chrysost., Euthymius et Theophylactus. Exempla hujus prædictionis multa qui volet, leget apud Josephum, lib. 20 Antiquitatum, c. 7, 8 et 15, et lib. 2 de Bello Judaico, c. 11, 12, 14, 19, 20, 21 et 25, et apud Hegesippum, lib. 2, c. 11 et 14, et 16 et 17.

Inter eos fuerunt Judas, Theudas, tum Simon magus, postremò temporibus Adriani Barchochebas.

Vers. 6. — Pseudoprophetas, persecutores, bella, et magnam morum mutationem fore prædicit : quæ signa communia sunt urbis excidio; et mundi consummationi. Sed nondum est finis malorum quæ Judæis eventura sunt ante urbis ruinam.

structura templi è lapidibus duris, et candidis, ferro et plumbo ita connexis, ut in omne ævum duraturi viderentur. Vide Josephum, l. 15, c. 14.

Vers. 3. — Dic nobis quando hæc erunt, hæc mala,

ET ERUNT PESTILENTIÆ ET FAMES, καὶ ἔσονται λοιμοὶ καὶ λιμοί, *fames et pestilentiæ*, transpositis verbis, quæ vel in Græcis, vel Latinis codicibus facilè transponi potuerunt; faciliùs tamen in Græcis, propter magnam utriusque nominis similitudinem; probabilius autem est ita legendum; ut legitur Græcè, quia Græcum proverbium est Μετὰ λιμὸν λοιμός, *post famem pestis*: Est autem Græcè paronomasia, quæ Latinè exprimi non potest. Famem quidem ante Jerosolymitanum excidium præcessisse ex Actis Apostolorum, c. 11, 28, colligitur, et Josephus tradit, lib. 20 Antiquitatum, cap. 2.

VERS. 8. — HÆC AUTEM OMNIA INITIA SUNT DOLORUM, id est, parva mala, si cum iis quæ postea secutura sunt, conferantur. Metaphora à mulieribus parturientibus sumpta est, quæ initio nuntios quosdam instantis partûs dolores sentiunt; exiguos tamen, si cum iis cruciatibus comparentur, quos erumpente infante experiuntur. Solet Scriptura frequenter futurarum calamitatum dolorem hâc metaphorâ declarare, ut Psalmo 47, 7: *Ibi dolores, ut parturientis*, et Isaiæ 13, 7, 8: *Propter hoc omnes manus dissolventur, et omne cor hominis contabescet et conturbetur. Torsiones et dolores tenebunt; quasi parturiens dolebunt; unusquisque ad proximum suum stupebit; facies combustæ vultus eorum*, et cap. 21, 3: *Propterea repleti sunt lumbi mei dolore; angustia possedit me, sicut angustia parturientis.* Simila exempla in prophetis passim leguntur, Jeremiæ 4, 31, et 6, 24, et 13, 21, et 22, 23, et 30, 6, et 48, 41, et 49, 22, 24, et Ezechielis 30, 16, et Oseæ 13, 13, et Michææ 4, 9, 10: *Comprehendet te dolor, sicut parturientem; dole et satage, filia Sion, quasi parturiens.*

VERS. 12. — ET QUONIAM ABUNDABIT INIQUITAS, REFRIGESCET CHARITAS. Sensus est, tantam futuram esse omnium ferè hominum in Christi discipulos sævitiam et crudelitatem (hanc enim iniquitatem vocat), ut qui aliquam alio qui charitatem habebant, quâ apostolos cæterosque Christianos excipere solebant atque juvare, exercere non audeant: hoc est, charitatem refrigescere, quia vix quisquam reperiendus erat etiam inter Christianos, qui Christianos juvare vellet, ne et ipse Christianus esse videretur; exemplum est apud D. Paulum in 2 Epistolâ ad Timoth., c. 4, 16: *In primâ*, inquit, *meâ defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt; non illis imputetur.*

VERS. 14. — ET PRÆDICABITUR HOC EVANGELIUM REGNI IN UNIVERSO ORBE. Hinc colligit Hieronym. et Beda non agi hoc loco et superioribus versibus de templi et urbis vastatione; sed de fine mundi, quia dicitur prius Evangelium in universo terrarum orbe prædicandum, quod ante Jerosolymitanum excidium neque factum fuisse constat, neque fieri potuisse. Chrysostomus tamen et Theophylactus in suâ sententiâ persistunt, ut hæc omnia de solo Jerosolymitano excidio intelligantur, quos multi recentiores interpretes secuti sunt. Argumento verò, quod objicitur, respondent etiam ante templi eversionem Evangelium fuisse toto terrarum orbe prædicatum, ut testatur D. Paulus in Epistolâ ad Romanos, cap. 1, 8: *Fides*, inquit, *vestra annuntiatur in universo mundo*; et cap. 10, 18: *Numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* At certè in multis orbis terrarum partibus Evangelium prædicatum non erat, cùm et patrum nostrorum memoria reperta sit quarta pars orbis multò cæteris major, ubi nulla Evangelii notitia unquàm fuerat; et D. Augustinus, epistolâ 80, testatur multas suo tempore in Africâ fuisse gentes, quæ Evangelium neque acceperant, neque audiverant. Vera ista sunt; sed faciè à multis respondetur hyperbolicam esse D. Pauli correctionem, quâ dicit Evangelium in toto orbe prædicatum, quia in plerisque locis prædicatum erat; eodemque modo Christum hoc loco locutum esse. Nam cùm Jerosolyma vastata est, vix ulla erat regio ex iis quæ ad illud usque tempus reperiæ fuerant, ubi Evangelium non insonuisset.

ET PRÆDICABITUR. Sunt qui putent particulam et hoc loco adversativæ vim habere, quod in simili conjunctione Hebraïcâ ו usitatissimum; quasi dicat: Quamvis hæc omnia eventura sint, tamen nihil obstabunt quominùs Evangelium toto terrarum orbe nuntietur; ipsum enim sibi per gladios, per ignes viam faciet, quemadmodùm Theophylactus et Euthymius videntur exposuisse. Mihi sensus videtur esse, quamvis calamitates illæ quas Christus opposuerat Jerosolymitani excidii tempore evenerint, tamen existimandum non esse finem mundi propterea instare. Prius enim Evangelium toto terrarum orbe prædicari oportere, ut clarius dixit Marcus, c. 13, 10: *Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium*, id est, priusquàm veniat mundi consummatio, ut auctor Imperfecti interpretatur. Evangelium autem regni vocat, quo regnum cœlorum nuntiatur appropinquare, ut c. 3, 2, et c. 4, 17, et c. 10, 7. Cur autem ita vocetur illic exposuimus.

IN TESTIMONIUM OMNIBUS GENTIBUS. Incepta est hæreticorum interpretatio, id est, ut sit lex omnibus gentibus; legem enim in Scripturis testimonium appellari, ut: Psal. 118, 120: *Mirabilia testimonia tua, Domine*; quod, ut verum sit, ad hunc tamen locum aptè non hæret, ubi Christus significare voluit illeò Evangelium omnibus esse gentibus prædicandum, ne quis veritatis ignorantiam posset prætexere, quominùs salvus fieret, eaque res in eos qui Evangelium non recepissent, aut receptum non servavissent, in supremo judicio stionem solvit Dominus de excidio Jerosolymæ. Prius quàm id evenerit in magnâ orbis parte, prædicatum est Evangelium, et ante extremum judicium in universo orbe prædicabitur; et quidem hæc omnia ante urbis ruinam evenerunt, et lex vetus in iis ruinis sepulta est.

VERS. 9. — Hæc omnia apostolis et aliis discipulis evenerunt ante urbem expugnatam.

VERS. 14. — Apud omnes gentes notas prædicatum est Evangelium ante excidium Jerosolymæ: IN TESTIMONIUM OMNIBUS GENTIBUS; ad testificandam gentibus veritatem Evangelii: ET TUNC VENIET CONSUMMATIO, Gr. *finis* urbis primò, tum orbis. Unde primùm quæ-

testimonio esset, quo convicti condemnarentur, ut Chrysost., Hieronym., Beda et Euthym. exponunt, similemque sententiam, cap. 8, 4, et c. 10, 18, exposuimus.

ET TUNC VENIET CONSUMMATIO. Chrysost. et Theophyl. Jerosolymitanam consummationem, id est, vastationem intelligunt. Hieronymus et Beda, omnesque vetustiores auctores consummationem mundi, quod mihi videtur esse probabilius. Credibile enim est Christum ad ea quæ apostoli interrogaverant respondisse. Interrogaverant autem quod signum esset consummationis; versu 3 respondet prædicandum Evangelium per omnes partes orbis terrarum; atque tunc futuram consummationem. Intelligit ergo consummationem seculi, de quâ apostoli interrogaverant. Cæterùm non videtur sensus esse, quemadmodùm Hieronymus existimat, Evangelii per totum terrarum orbem prædicationem certum esse signum instantis mundi consummationis; nec enim certum ullum habemus signum, et istud est nimis Christi sententiam arctare. Sed sensus, ut opinor, est, consummationem mundi non ante futuram, quàm Evangelium per omnes orbis oras prædicatum sit. Hoc enim certum, Evangelium prius omnibus gentibus prædicandum; illud incertum, an simul atque prædicatum fuerit, finiendus sit mundus.

VERS. 15. — CUM VIDERITIS ABOMINATIONEM. Etiam hoc ad finem mundi Irenæus refert, lib. 5, c. 25, et Hilarius, et auctor Imperfecti hoc loco; quam opinionem Hieronymus et Beda, etsi non omninò sequuntur, improbare non audent; et vero simile quiddam Antichristi tempore futurum esse apud Danielem, cap. 12, 11, legimus, et D. Paulus significat, 2 ad Thessal. 2, 4, cùm dicit Antichristum in templo Dei, quasi Deus sit, sessurum esse. Sed hoc loco, quamvis fortassè ad tempus Antichristi Christus etiam inspexerit, tamen de Jerosolymitanâ vastatione cum locutum esse dubitare non possumus, neque quisquam, præter eos, quos ante nominamus, gravis auctor dubitavit. Refert aliquid ad explanationem hujus loci scire, unde hoc testimonium sumptum sit: duobus enim in locis de futurâ abominatione locutus est Daniel, cap. 9, 27, et cap. 12, 11. Errare Calvinus dicit eos qui ex 9 cap. sumptum existimant; errare ego dico eum, quòd ex 12 cap. sumptum esse putet; nam Daniel, c. 12, non de Antiocho, aut de Tito, et Vespasiano, sed de Antichristo vaticinatur, et c. 9, ita futuram in templo abominationem cum Christi morte conjungit, ut dubium esse non possit, quin de templi vastatione loquatur, quæ minimo intervallo Christi mortem secuta est. Major quæstio, quæ illa sit abominatio, de quâ loquitur Christus. Auctores illi, quos diximus ad Antichristi tempora ista retulisse, Antichristum ipsum abominationem vocari putant; quòd, ut D. Paul. ait, in templo, quasi Deus sessurus sit, idemque profanaturus. Hieronym. præter hanc duas recitat opiniones, quas æquè probabiles videtur existimare; altera est abominationem vocari statuam Cæsaris, quam Pilatus in templo posuerat: altera statuam Adriani, quæ postea posita est. Neutrum mihi videtur esse probabile. Nam statuam Cæsaris Pilatus in templo non posuit; sed in urbem solam induxit, idque clam intempestâ nocte, et in vexillis militaribus: deinde non stetit, nisi ad paucos dies. Nam Pilatus victus Judæorum precibus vexilla subduxit, ut Josephus, lib. 18 Antiquitatum, c. 5, et lib. 2, de Bello Judaico, c. 8, mihi auctor est. Adde quòd cùm hoc Christus dixit, jam id factum fuerat. Itaque non potuit eam statuam abominationem appellare. Minùs et statuam Adriani, qui longè post Jerosolymitanum vixit excidium. Loquitur enim Christus de abominatione, quæ futuri excidii signum futura erat. Alii ipsum Romanorum exercitum, qui Jerosolymam obsedit, abominationem vocatum putant; quemadmodùm Origenes, tractatu 29, eamque opinionem plerique recentiores interpretes complexi sunt non sine magnâ, ut videtur, probabilitate. Nam quod Christus hoc loco dicit: *Cùm videritis abominationem*, apud Lucam, c. 21, 20, dicit: *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio ejus.* Personadere tamen mihi non possum Romanorum exercitum abominationem hic appellari. Verùm, quia Christus addit *stantem in loco sancto*, et, ut Marcus ait, c. 13, 14, *stantem, ubi non debet*, quâ periphrasi minimè dubito Jerosolymitanum templum significari, quemadmodùm Daniel expresso dixit nomine: Romanorum autem exercitus in templo non stetit, nisi exesâ jam et vastatâ urbe, cùm victor, ut Josephus ait, Tito duce templum incendit; itaque non poterat futuræ templi, urbisque eversionis signum esse, et cùm dicit *stantem*, statuam aliquam videtur indicare; vero simile videtur esse Christum utrumque dixisse, et *cùm videritis abominationem*, ut ait Matthæus, et *cùm videritis circumdari Jerusalem ab exercitu*, ut ait Lucas, quorum alterum Matthæus, alterum Lucas præterniserit, quemadmodùm videtur D. Augustin., lib. 2 de Consen. evangelistarum, c. 77, sentire. Certè ita sentit Euthym. Alii de seditione illâ hoc interpretantur, quæ sub Floro præside Zelotis auctoribus (ita enim seditionis duces vocabantur) inter Judæos exstitata est: ita ut Zelotæ in templum sese receperint, illudque contaminaverint, ut Josephus, lib. 6 de Bello Judaico, c. 4, describit. Et quidem seditio ante Jerosolymitanam vastationem contigit, sed, ut eam credam abominationem appellatam, adduci non possum. Chrysostomus, Euthymius, et Theophylactus Titi imperatoris imaginem in templo positam fuisse dicunt; eamque abominationem appellari. Sed, ut id probent, nullum, quod sciam, vicinum eorum temporum auctorem habent: nihil enim de eâ re, qui interfuerat, Josephus scripsit. In re prorsùs incertâ pro vero, quod vero simillimum videtur, Lucas exercitum Romanum indicat, cùm Cestius Florus cinxit Jerosolymam. STANTEM: Quæ abominatio erat in loco sancto.

Caii Caligulæ statua quæ in templo posita est, ex Josepho, l. 2 de Bello Jud., c. 8? An templi profanatio facta à Zelotis intelligitur, ex Josepho, l. 6, cap. 1?

habeo, abominationem desolationis ipsam appellari desolationem, phrasimque esse Hebræorum, quâ abominatio desolationis dicitur, id est, abominabilis, et horrenda desolatio, sicut D. Paul., 2 ad Thessal. 2, 11, simili hebraismo *operationem erroris* dixit, id est, operantem, et efficacem errorem, homines in exitium trahentem. Unum illud est, quod huic interpretationi obstare videtur, quòd Christus de futuræ vastationis signo agat, cujus vastatio ipsa signum esse non potuit. Respondeo non fuisse Christo propositum, ut his verbis doceret, quando vastandum templum esset. Id enim illis aliis verbis, quæ Lucas recitat, indicavit : *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, scitote quia appropinquavit desolatio ejus* : sed tantùm monere voluit, ut cùm viderent abominandam illam urbis, templique desolationem, intelligerent Danielis prophetiam impletam esse, sublatum esse sacrificium, actumque prorsùs de populo Judaico, ita ut non ampliùs, quemadmodùm post Babylonicum exilium acciderat, urbs templumque ædificaretur; non ampliùs instaurarentur sacrificia, sed abrogatam esse penitùs legem : sicut Daniel prædixerat : *Et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio*. Itaque evangelistæ verba non ita conjungo, quemadmodùm à plerisque interpretibus jungi solere video : *Cùm videritis abominationem desolationis*, etc. *Tunc qui in Judæâ sunt fugiant ad montes* : sed totam sententiam hoc versu concludo, neque ex sequenti suspendo : *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto quæ dicta est à Daniele*, quemadmodùm et Euthymius interpretatur. Nam quod nonnulli hæc verba evangelistæ esse putant, et parenthesi claudunt, probare non possum.

VERS. 16. — TUNC. Omnes interpretantur, *tunc*, cùm videritis abominationem desolationis. Ego convenienter superioris versûs interpretationi hoc *tunc* non ad proxima verba, sed ad omnia, quæ à versu 6 dicta sunt, referendum esse arbitror, quasi dicat, cùm audieritis prælia, et opiniones præliorum, et cætera quæ dixi, futuræ vastationis signa videritis, qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes. Quibus verbis Judaici populi interitum denuntiat : ad montes autem jubet fugere ex vulgari fugientium consuetudine, qui ad montes plerumque, et loca inaccessa sese recipiunt; ut Genesis, 19, 17, sic angeli dixerunt Lot, *in monte salvum te fac*, cùm ex Sodomorum urbe fugere juberent, quò fortassis Christus alludit. Loquitur enim cum discipulis, et hominibus pis, quos vult, sicut Lot Sodomorum, ita Jerosolymorum vastationem effugere. Scribit Eusebius, lib. 3 Historiæ Ecclesiasticæ, c. 5, Christianos, qui imminente Jerosolymitanâ calamitate in urbe erant, divinitùs admonitos, ut inde effugerent. Nam cæteri Judæi, qui non solùm in Christum non crediderant; sed eum etiamnùm persequebantur, non modò admoniti non sunt, verùm ex omni potiùs Judæâ partim metus, partim festi Paschalis causâ in urbem adducti, in eâque conclusi, ut quasi victimæ mactarentur, ut idem Eusebius annotavit. Cætera quæ sequuntur usque ad versum 19, nihil aliud significant, quàm ingens ac subitum malum futurum esse, adeòque non esse fugientibus nectendas ullas moras, etiam ut res maximè necessarias expediant, hoc est, *qui in tecto fuerit, non descendat tollere aliquid de domo suâ, et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam*. Tecta domorum in Palæstinâ fuisse supernè plana c. 10, 20, docuimus; quia ergo super tecta Judæi cœnare solebant, et ambulare, monet Christus, ut si quis fortè, cùm futura calamitas ingruerit, super tectum fuerit, ne descendat in inferiorem domum, etiam, ut pecuniam, aut aliquid ad fugam necessarium assumat : sed aut saltu, aut reptatione, aut aliâ, quâcumque possit, celerrimâ ratione sese eripiat, quemadmodùm jussus est Loth cùm ex Sodomis fugeret, retrò non respicere, id est, nullam moram interponere. Solet itaque Deus per prophetas de magnâ loqui calamitatibus, ut apud Jeremiam c. 46, 5 : *Quid igitur? vidi ipsos pavidos, et terga vertentes, fortes eorum cæsos, fugerunt concisi, nec respexerunt; terror undique, ait Dominus*, et cap. 48, 6 : *Fugite, salvate animas vestras, et eritis quasi myricæ in deserto*; et cap. 49, 8 : *Fugite, et terga vertite, descendite in voraginem, habitatores Dedan, quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis*; et Zachariæ 2, 6, 7 : *O ò fugite de terrâ Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventis cœli dispersi vos, dicit Dominus, ò Sion fuge, quæ habites apud filiam Babylonis*. Itaque, quod Hilar. existimavit hunc locum litteralem sensum habere non posse, interpretis est amantis allegoriam.

VERS. 19. — VÆ AUTEM PRÆGNANTIBUS, ET NUTRIENTIBUS IN ILLIS DIEBUS. Origenes hoc sensu prægnantibus et nutrientibus væ denuntiari putat, quia tanta hostium crudelitas futura erat, ut ne prægnantibus quidem ac nutrientibus mulieribus parcerent : hâc enim ratione aliis etiam locis hostium sævitiam exaggeratam legimus, ut 4 Reg. 8, 12 : *Scio quæ facturus es filiis Israel mala, civitates eorum munitas igne succendes, et juvenes eorum interficies gladio, parvulos eorum elides, et prægnantes dividet*, quod c. 15, 16, completum legitur et Amos 1, 13 : *Super tribus sceleris filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum*. Theophylactus verò id, quod in obsidione Jerosolymitanâ accidisse, lib. 7, de Bello Judaico, cap. 8, Josephus scribit, denuntiari existimat fore, ut nutrientes mulieres filios suos edere cogerentur. Melliùs Hilarius, Chrysost., Hier., auctor Imperfecti, Euth., Beda, et ipse quoque Theophylact. : *Væ prægnantibus, et nutrientibus* dici putant, bilis, phrasi hebraicâ. QUI LEGIT, INTELLIGAT : nam intellectus ejus est multiplex, et difficilis.

VERS. 17. — ET QUI IN TECTO, in loco munito maneat, vel non descendat ut sarcinas colligat, sed ut fugiat quàm citissimè.

VERS. 16. — QUI IN JUDÆA SUNT, FUGIANT AD MONTES; in speluncis montium se abscondant. Christiani in urbem ditionis Agrippæ se receperunt, Pellam Domine. ABOMINATIO DESOLATIONIS, desolatio abomina-

quia illæ uteri, hæ lactentium infantum onere gravatæ fugere non poterunt, ut statim dicit : *Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato*. Potuit Christus claudos, mutilos, invalidos, aliosque parùm exp ditos ad fugam homines nominare : sed videtur mihi prægnantes, et nutrientes, non propterea solùm quòd impeditæ essent, nominare voluisse, sed quòd in maximis deliciis, maximèque securæ esse viderentur. Solent enim in maximâ securitate nuptiis ac liberis operam dare, quasi dicat, væ illis qui in maximis deliciis et securitate versabuntur, et cùm calamitas invaserit, fugere non poterunt.

VERS. 20. — ORATE AUTEM, UT NON FIAT FUGA VESTRA IN HYEME, VEL SABBATO. Eâdem hoc ratione dicit, quâ paulò ante dixit, væ *prægnantibus, et nutrientibus*, quia sicut duo illa feminarum genera : ita duo hæc tempora hyems, et sabbatum minimè ad fugam apta sunt; hyems, quia frigore horrida, quia lutosa, quia pluviosa est; sabbatum, quia religione Judæi prohibebantur ultra mille, aut, ut alii volunt, bis mille passus procedere. Ita August., lib. 1 Quæstionum evangelicarum, cap. 57; Hieronym., auctor Imperfecti, Chrysostom., Theophylact., Euthym., Beda, et Gregorius, homil. 12 in Evangelia interpretantur. Objiciunt Chrysostom., Euthym. et Theophylactus videri hâc ratione Christum sabbati observationem commendare, quam aut jam abrogaverat, aut excidii Jerosolymitani tempore abrogatum volebat. Respondent illum cum Judæis ex ipsorum consuetudine, et opinione loqui, qui etsi non debebant prædicato jam Evangelio, sabbatum tamen observaturi erant; bis reprehendendi, et quia superstitione tenebantur, et quia eâ impediti mortem effugere non poterant.

VERS. 25. — TUNC. Hæc dictio non idem, de quo ante Christus locutus erat, nec proximum significat tempus, sed quidquid inter Jerosolymitanam eversionem, et mundi finem temporis interjacet : quemadmodùm Chrysostom., Hieronym., auctor Imperfecti, Theophylact. et Euthym. admonuerunt. Sic c. 3, 1, evangelista dicit : *In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ*, cùm triginta post annis venisset. Transit ergo Christus à fine, et excidio Judæorum ad finem mundi : fuit enim Jerosolymitana illa vastatio, quasi figura quædam, et imago vastationis, ac finis mundi. Nam, ut vulgò dici solet, quod fit in circulo, fit in cœlo. Sæpè mihi multorum Calvinistarum imperitia, aut potiùs fatuitas commiserationem movit, qui se hoc solo testimonio ab Ecclesiâ Catholicâ discessisse affirmabant, quòd dicere soleamus : *Ecce hic est Christus* in Eucharistiâ, *ecce illic est* in altari, *ecce illic* in custodiâ, id est, *in penetralibus*, et Christus dicat *nolite credere*. Digna hæreticis insania, digna Deo providentia, ut qui se ingeniosissimos esse putant, tam stolidi sint, ut hujusmodi testimoniis moveri se de suâ religione sinant. Non est refutatione dignus error, risu deludi poterat, nisi habenda esset imperitorum ratio. Primùm, quis non videt nihil aliud Christum dicere voluisse, quàm se promissum Messiam jam venisse, nec alium exspectandum; propterea si quis vobis dixerit de alio quovis, qui post se venerit, seque Christum esse mentiatur : *Ecce hic est Christus*, aut *ecce illic* credendum non esse? non enim est, nisi unus Christus, qui jam venit. Deinde quis non videt loqui eum de homine aliquo, qui oculis cernatur, qui digito demonstretur, qui miracula faciat? *Dabunt*, inquit, *signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Aliquos jam ejusmodi venisse scribit Eusebius, lib. 4 Historiæ Ecclesiasticæ, c. 6, multos etiam venturos Joannes in Apocalypsi prædixit; multos quotidiè venire magno nostro malo experimur : hujusmodi enim omnes hæretici sunt : maximèque Calviniani, qui tantùm Genevæ, aut, ubi eorum hæresis viget, Christum esse dicunt, de his monet nos Christus, *nolite credere*; quia sicut quisquis post ipsum se Christum mentiturus erat, non Christus futurus erat, sed Antichristus : ita omne corpus mysticum Christi præter corpus ipsius, quod est Ecclesia, quantumcumque se Ecclesiam esse mentiretur, non Ecclesia, sed synagoga Satanæ, id est, non Christi, sed Antichristi corpus futurum erat. De hæreticis igitur, non de Eucharistiâ, aut de scipso loquitur Christus, quemadmodùm et auctor Imperfecti annotavit.

VERS. 24. — ET DABUNT SIGNA MAGNA, ET PRODIGIA. De falsorum prophetarum miraculis, an vera sint, c. 7, 22, disputavimus. Ridiculi verò hoc loco hæretici sunt, qui nos falsos prophetas esse dicunt, quòd miracula faciamus. Tam stulti enim sunt, ut ex hâc Christi sententiâ colligant omnes, qui miracula faciunt, falsos esse prophetas, quâ ratione non apostolos modò, verùm Christum etiam ipsum falsum fuisse prophetam probare possent; non id dicit Christus, omnes, qui miracula facturi erant, pro falsis prophetis habendos esse; sed non omnes continuò pro veris habendos; neque credendum illis esse, qui alium prædicarent Christum, quantùmvis magna miracula facientibus, non enim eumdem prædicat Christum, qui non eamdem Ecclesiam prædicat; Ecclesia enim Christi corpus est; monet ergo nos Christus, ut Cal-

VERS. 20. — ORATE AUTEM UT NON FIAT FUGA VESTRA IN HYEME, in tempore minùs commodo, ut liberè fugere liceat : loquitur de sabbato juxta vulgarem Judæorum sententiam : non enim die sabbati longum iter facere licebat.

VERS. 22. — NON FIERET SALVA OMNIS CARO, nullus Judæorum supereresset, nisi accelerata esset, urbis obsidio. Ex mutuis cædibus, vel ex fame omnes absumpti fuissent, si diutiùs obsidio esset protracta : PROPTER ELECTOS, qui tum erant, vel qui nasciturî erant.

VERS 23. — Videtur de regno Messiæ ab excidio

Jerusalem ad finem usque mundi jam loqui, quasi futurus sit brevi secundus illius adventus, ut eum semper exspectarent. Nam mille anni apud Deum quasi unus dies : vel fortè adhuc de excidio urbis disserit usque ad v. 29.

VERS. 24. — DABUNT SIGNA MAGNA, sed mendacia, ex Apostolo, 2 Thessal. 2. Ita ut sæpè electi in errorem inducantur ad tempus : qui in eo errore non perstiterunt cùm innumerabiles Judæi ante bellum Romanum fidem Christi amplexi fuerint, et hi fortassè vocantur electi.

vinistis et cæteris hæreticis, etiamsi miracula faciant, nequaquam credamus. Quàm igitur insani sunt, qui illis nullum facientibus miraculum credunt.

UT IN ERROREM INDUCANTUR, SI FIERI POTEST, ETIAM ELECTI. Cùm dicit, *si fieri potest*, indicat fieri non posse. Non potest autem, posità divinà prædestinatione, ut theologi disputant; ex hoc loco prædestinationis firmitatem, et, ut vocant, certitudinem colligentes. Loquitur Christus non de quovis, sed de finali, ut ita dicam, errore. Nam sæpè electi in errorem induci possunt; sed in errore mori non possunt, quia *septies in die cadet justus, et resurget*, Prov. 24, 16, quod Lucas, c. 17, 20, 21, scribit Christum Pharisæis interrogatam respondisse: *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic*; nec idem est, neque contrarium; illis enim tantùm voluit dicere adventum suum adeò subitum futurum esse, ut non possit ex cœlestibus signis præsentiri, quemadmodùm pluvia aliæque tempestates futuræ cognoscuntur; itaque non debere homines cœlum observare, sed animum pietate et virtute excolere; *ecce enim regnum cœlorum intra vos est*. Hic verò illa externa signa proposuit, quæ etiam electorum animos nisi moniti priùs essent, tentare poterant.

VERS. 26. — SI ERGO DIXERINT VOBIS: ECCE IN DESERTO EST, NOLITE EXIRE; ECCE IN PENETRALIBUS, NOLITE CREDERE. Proponit duo pro omnibus loca contraria desertum et penetralia, id est, conclave et intimam maximèque recondìtam domûs partem, ut significaret quàcumque ratione, quocumque habito, quocumque loco alios Christus veniret, credendum illi non esse. Ultra de deserto et penetralibus quærere, sobrii non est interpretis.

VERS. 27. — SICUT ENIM FULGUR EXIT AB ORIENTE. Calvinistæ de suo Evangelio interpretantur, quòd momento temporis totum terræ orbem ab Oriente usque ad Occidentem occupaverit; nec enim insani homines, quid Christus dicat, sed quid errori suo conveniat, spectant. Christus secundum adventum suum fulguri comparat, quod quemadmodùm fulgur subitò et inexpectatum emicare solet, neque quisquam observare potest quo puncto temporis sit è nubibus eruptùrum, sic ipse subitò et cùm minimè putabitur, veniet, et sicut fulgur uno momento ab Oriente usque ad Occidentem elucet, sic ipse veniet adeò splendidus et illustris, ut nemo eum non videat. *Ita*, inquit, *erit et adventus filii hominis*, ut Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, auctor Imperfecti, et Euthymius interpretantur. In eo tamen Calvinistarum Evangelium fulguri simile esse non nego, quòd, ut fulgur subitò, et cùm antea nunquàm apparuisset, erumpit, ita novum hoc Evangelium inauditum ante et inexspectatum apparuerit, et, ut fulgur momento temporis evanescit, ita malè fundata hæresis brevi tempore collabitur.

VERS. 28. — UBICUMQUE FUERIT CORPUS, ΤΟ ΣΩΜΑ, cadaver, quòd metaphoræ, quâ Christus utitur, magis convenit. D. Ambros., in commentariis in Psalmum 48, ruinam vertit, sicut et vetus interpres aliquando pro cadavere ruinam convertit. Aquilas, sicut et vultures solere ad cadavera volare notum est, et apud Hebræos videtur fuisse proverbium, quemadmodùm colligitur ex Jobi cap. 39, 33: *Ubicumque*, inquit, *cadaver fuerit, statim adest aquila*. Christus ergo seipsum cadaveri comparat, sicut ante in eâdem sententiâ fulguri comparaverat, et significat fore ut cùm venerit, latere non possit, sicut cadaver aquilam non latet; sed ubicumque fuerit, naturali quidem sensu illud invenit. Qui autem sint quos aquilis comparat, id incertum est. Irenæus, lib. 4, cap. 28, et Beda, hoc loco, beatos, qui jam Christo fruuntur, quique ante judicii tempus fruituri sunt, aquilas vocari putant, quòd altissimè volaverint, et Christum sequantur quocumque est; et eum eò ad judicium venturi sint. Hilarius verò et auctor Imperfecti eos sanctos intelligunt aquilas appellari, qui, cùm Christus venerit, vivi reperiantur, quique, ut ait D. Paulus, 1 ad Thessal. 4, 17, rapientur cum illis qui de cœlo venerint, in aera. Chrysostomus et Euthymius angelos et sanctos martyres, quibus Christus comitatus veniet, intelligunt. Alii omnes homines, ut Theophylactus, et Beda; hoc mihi videtur probabilius: significat enim Christus omnes homines ad locum ubi ipse fuerit, ut judicentur, convolaturos esse, sicut aquilæ ad cadavera convolare solent, itaque velint nolint, illum videbunt.

VERS. 29. — SOL OBSCURABITUR. An verè obscurandus sit sol, non satis certum est, sed ex meo judicio probabilius, quemadmodùm et Origenes et Hilarius videntur existimare. Quomodò autem obscurandus sit, alia est quæstio. Putat Origenes mundum incendio conflagraturum, tantamque fumi copiam futuram esse, ut sol obscuretur. Alii existimant præ gloriâ et splendore advenientis Christi fore ut sol ipse obscurari videatur, sicut stellæ apparente sole obscurantur; ita Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus et Euthymius, ut Isai. 24, 23: *Erubescet luna, et confundetur sol, cùm regnaverit Dominus exercituum* diem judicii præcedent. STATIM AUTEM, post ea tempora quibus surgent pseudoprophetæ. Sermo ille cùm sit propheticus, nihil mirum est si sit obscurior, et ab uno ad aliud remotius transeat. STELLÆ CADENT DE CŒLO, retrahent lumen suum; ET VIRTUTES CŒLORUM COMMOVEBUNTUR. Gr. δυνάμεις, cœlorum cardines irrèmunt, vel, ut aliis placet, angeli obstupescent. Isa. 13: *Stellæ cœli non expandent lumen suum*. Alii de malis angelis, qui sunt *aereæ* potestates, et nequitiæ spirituales in cœlestibus, id satis commodè intelligunt: id quippe turbabuntur, quòd eorum instet judicium, et possessione suâ dejicientur.

in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus. Nonnulli theologi objectu nubis obscurandum esse, ut plerique hæreticorum interpretes non reverà obscurandum esse, sed homines adeò stupefactos fore, ut solem ipsum videre non videantur; soleant enim prophetæ in similibus calamitatibus dicere obscurandum esse solem, ut Isaias, c. 13, 9, 10: *Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque, ad ponendum terram in solitudinem et peccatores ejus conterendos de eâ; quoniam stellæ cœli et splendor earum non expandent lumen suum; obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo*; et c. 34, 4: *Et tabescet omnis militia cœli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vineâ*; et Jeremiæ, 15, 9, et Amos 8, 9: *Occidit ei sol, cùm adhùc esset dies, confusa est et erubuit*; et Ezechielis 32, 7, 8: *Et operiam, cùm exstinctus fueris, cælos, et nigrescere faciam stellas ejus; solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum; omnia luminaria cœli mœrore faciam super te*, et Joelis 2, 10: *A facie ejus contremuit terra, moti sunt cœli; sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum*. Et versu 30, 31: *Et dabo prodigia in cœlo et in terrâ: sanguinem, et ignem, et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis*, et cap. 3, 14, 15: *Justa est dies Domini in valle concisionis; sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum*. Mihi non opinione hominum, non rei ullius oppositu, sed verè videtur obscurandus esse, ut initio dixi, et ut auctor Imperfecti operis affirmat. Primum, quia eodem modo in Christi adventu atque in ejus morte obscurandum esse credendum est; in ejus autem morte verè obscuratum fuisse legimus; deinde quia aliâ quâvis ratione obscurari parùm videtur esse et constat Christum magnum aliquid et nunquàm ante visum dicere voluisse, fore ut se ad judicium venientem, sol ipse et stellæ omnes contremiscant, et quasi metu perculsæ splendorem retrahant, sicut solent homines timore perterriti in intima sanguinem trahere, et extrinsecùs expallescere; hâc enim ratione sol patiente Christo obscuratus est, quasi moriente Deo exhorresceret.

ET STELLÆ CADENT DE CŒLO. Eadem de stellarum casu quæstio est, an verè casuræ sint. Origenes, tractatu in Matthæum 30, scribit non casuras in terram reipsà, sed amissuras lumen, et, quod terrestre in illis fuerit, in terram casuram, hoc Platonicam olet scholam. D. Hieronymus eodem modo casuras dicit, quo solem obscurandum esse putat, quia Christi splendore non lucebunt; idemque existimat Beda. Nonnulli veteres etiatu auctores non veras stellas, sed dæmones, quibus plenus est aer, quique stellarum nomine intelliguntur, casuros dixerunt. Alii ex recentioribus præsertim theologis non veras stellas, sed eas quas crinitas vocant, quæ in aere conflantur, casuras dicunt. Mihi eorum opinio est non verè casuras, sed fore ut quia non lucebunt, cadere videantur; quod mihi ego nullo modo persuadere possum; dixisset enim Christus, sicut de sole et lunâ dixerat, fore ut non lucerent; nunc autem, cùm dicit fore ut cadant, majus profectò aliquid significare voluit. Itaque Chrysostomo et Euthymio libenter assentior, qui verè stellas casuras putant; magis enim Christo id affirmanti, quàm Aristoteli neganti fieri posse credendum esse arbitror.

ET VIRTUTES CŒLORUM COMMOVEBUNTUR. Recentiores interpretes ferè omnes virtutes cœlorum stellas vocari putant, sicut militia cœli vocari solent. At stellas cœli dixerat casuras esse, quod plus erat quàm commoveri; quare credendum non est hoc loco de stellis loqui. Veteres auctores, ut Origenes, Chrysostomus, Beda, Euthymius, Theophylactus, angelos cœlorum virtutes appellari dicunt, quemadmodùm in solemni Ecclesiæ hymno vocantur cœli cœlorumque virtutes, sensum itaque esse fore ut angeli ipsi obstupescant, et quasi attoniti commoveantur. Ego semper existimavi virtutes cœlorum hoc loco vocari, quos Job aliâ metaphorâ cardines cœli vocat, cap. 22, 14, et Moyses in Deuteronomio, cap. 30, 4, et sicut dicuntur cardines terræ, 1 Regum 2, 8, et Proverbiorum 8, 26, et cardines maris, Job, 38, 30, quâ metaphorâ nihil aliud quàm firmamentum et robur significatur, quod ipsum virtutis nomen declarat. Itaque docet Christus cardines ipsos, et quasi fundamenta cœli præ timore commovenda esse, sicut ait D. Petrus, 2 epistolâ, cap. 3, 10: *Adveniet autem dies Domini, ut fur, in quo cœli magno impetu transient*; hoc est, *virtutes cœlorum commovebuntur; elementa* verò *calore solventur; terra autem, et quæ in ipsâ sunt opera, exurentur*.

VERS. 30. — TUNC PAREBIT SIGNUM FILII HOMINIS. Quod signum filii hominis vocet, auctoribus inter se non convenit. Origenes virtutem et gloriam quam sibi Christus in cruce comparavit, signum filii hominis vocari putat, quasi sensus sit, omnes visuros esse Christum tantâ cum gloriâ atque majestate venientem, ut dubitare non possint eum verum esse judicem. Ad eumdem ferè modum Hieronymus et Beda victoriæ Christi vexillum intelligi posse putant. Auctor verò Imperfecti passionis signa, ut flagellorum vibices, clavorum cicatrices signum filii hominis vocari dicit. Communis fuit semper opinio crucem signum filii hominis appellari eamque in cœlo aut in aere Christo veniente, quasi ejus vexillum, appariturum esse. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Euthymius et Theophylactus; quod ego maximè probabile esse judico. Loquitur enim Christus de signo filii hominis, tanquàm de certo aliquo et noto vexillo, quod aliud quàm crux esse non potest.

ET TUNC. Cùm videbunt signum filii hominis; ipsa enim conjunctio verborum latentem habet redditionem causæ, quasi significetur propterea omnes tribus terræ plancturas esse, quia videntes signum filii hominis exterrebuntur.

VERS. 30 et 31. — ET TUNC PAREBIT SIGNUM, vexillum crucis, vel majestas ejus. VOCE MAGNA, Gr.: *Cum tubâ vocis magnæ*: Vox magna ejus instar tubæ.

PLANGENT. Id est, præ dolore ac pœnitentiâ pectora manu tundent, nimis videlicet serò.

OMNES TRIBUS TERRÆ, id est, ex omnibus aliqui; non enim boni plangent sed potiùs lætabuntur, quia *diligunt adventum ejus*, ut ait D. Paulus, 2 ad Timotheum 4, 8.

ET VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS CŒLI, id est, aeris. Describit scilicet Christus, tanquàm Deum, cujus proprium cum gloriâ simul, et majestate, et terrore venire, psalm. 49, 3 : *Deus manifestè veniet, Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas validà*; et psalmo 103, 3 : *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Fuit Christus nube evectus in cœlum, Actorum 1, 9 ; eodem ergo modo, sicut apostolis angelus dixit, vers. 11, venturus est.

VERS. 31. — ET MITTET ANGELOS SUOS. Et cùm angelos se missurum dicit, et cùm suos vocat, Deum se esse declarat; hoc enim proprium Dei, psalm. 103, 4 : *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem.*

CUM TUBA ET VOCE MAGNA. Ubique cum tubâ Christus venturus dicitur, ut 1 ad Cor. 15, 52, et 1 ad Thes. 4, 16, non solùm quia tubâ homines ad judicium vocandi sunt, sed quia tuba regiæ majestatis indicium est; canitur enim tubis ante reges, cùm ad locum aliquem veniunt. Qualis futura sit tuba, verane an metaphorica, nec sciri potest, nec necesse est; sed est tamen probabile non veram sed metaphoricam futuram esse, tubamque appellari vocem aliquam magnam, raucam, sonoram, horrendam, et tubæ clangori similem, qualem se Joannes in Apocalypsi, cap. 1, 10, et c. 4, 1, et c. 19, 6, in illo ultimi judicii spectaculo, quod vidit, audivisse, dicit. Itaque, quod Christus dicit, *cum tubâ et voce magnâ*, perinde est ac si dicat, *cum tubâ*, id est, voce magnâ, ut conjunctio *et*, quemadmodùm multis aliis locis, exegetica sit. Juvat, quòd Græcè est in plerisque codicibus, *cum tubâ vocis magnæ*, quemadmodùm legit Euthymius aut *cum tubâ magnâ*, ut legit Chrysostomus; non enim duas res, sed unam tantùm Christus voluit significare; sic Isaiæ dicitur c. 58, 1 : *Clama, ne cesses ; quasi tuba exalta vocem tuam.* Dubium etiam cujus aut quid significans vox illa futura sit. Nam Joan., c. 5, 25, ipsius Christi vocem futuram esse indicat; *audient*, inquit, *vocem Filii Dei*, sicut et Joel dixit, c. 2, v. 11 : *Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitûs sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus. Magnus enim dies Domini, et terribilis valdè, et quis sustinebit eum?* Joannes verò in Apocalypsi, c. 8, 6; et c. 9, 1, 13; et c. 11, 15, angelos in judicio tubâ canentes inducit. D. autem Paulus 1 ad Thess. 4, 16, vocem archangeli futuram dicit. Itaque est vero simile, et Christum magnâ locuturum voce, ut angelos suos mittat, et angelos, archangelos, cæterosque cœlestes spiritus in tubæ similitudinem clamaturos. Nec existimandum est vocem ipsius Christi tubam appellari, quia dubium non est Christum ex hominum consuetudine, et more loqui; non solent autem reges; sed eorum ministri tubâ clangere. Sunt qui putent ex antiquis Judæorum conventibus sumptam esse metaphoram, ad quos sono tubæ homines convocabantur, Numeror. 10, 2, et Issiæ 27, 13, et suprà, c. 6, 2. Vero simile id est : sed illud fortassè similius à bello traductam esse similitudinem : adhibetur enim tuba non solùm ad convocandum sed etiam ad terrendum, ut apud Isaiam, c. 18, 3 : *Omnes habitatores orbis, qui moramini in terrâ, cùm elevatum fuerit signum in montibus, videbitis, et clangorem tubæ audietis* ; et Sophoniæ 1, 16, 17 : *Dies tubæ, et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos, et tribulabo homines, et ambulabunt, ut cæci, quia Domino peccaverunt*, et Zachariæ 9, 14 : *Dominus Deus super eos videbitur, et exibit ut fulgur jaculum ejus, et Dominus Deus in tubâ canet, et vadet in turbine Austri.*

VERS. 32. — AB ARBORE AUTEM FICI DISCITE PARABOLAM, id est, accipite, audite similitudinem, quam vobis ex arbore fici propositurus sum. Lucas c. 21, 29, 30 : *Et dixit illis similitudinem, videte ficulneam, et omnes arbores, cùm producunt jam ex se fructum, scitis quia propè est æstas.* Credibile utrumque dixisse Christum.

VERS. 33. — IN JANUIS, id est, propè, ante fores, statim ; Hebraica phrasis, qualis illa Genesis, 4, 7 : *Nonne, si benè egeris, recipies ; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit* ; et Jacobi 5, 9 : *Ecce judex ante januam assistit*, id est, citò venturus est.

VERS. 34. — GENERATIO HÆC. Recentiores hæreticorum interpretes, et nonnulli etiam catholici qui nimis eos avidè sequi solent, ætatem exponunt ; quasi sensus sit, antequàm ætas illa hominum, qui tunc vivebant, præteriret, futuram Jerosolymitanam vastationem. Fuerunt etiam, qui ita exponerent, antiquissimi olim auctores ; sed eos Origenes simplices appellat. Et verò hunc non esse sensum, cùm alium meliorem opposuerimus, apparebit. Chrysost., Theophyl., Euthym. et auctor operis imperfecti generationem hominum fidelium interpretantur, quasi dicat Christus, etsi ejusmodi tam multæ, tamque magnæ calamitates venturæ sunt ; tamen Ecclesiam usque ad finem mundi non periturum. Hieronym. verò generationem omnium hominum intelligit, quasi dicat priusquàm genus humanum finiatur, ea omnia, quæ prædixerat, eventura esse. Mihi generatio hoc loco totus mundus videtur appellari, sicut alibi creatura vocari solet, quia totus creatus, totus genitus est. Itaque verus sensus videtur esse adeò certa esse, quæ Christus prædixerat, ut non ante finiendus sit mundus, quàm evenerint. Id ex verbis sequentibus manifestè colligitur : *Cœlum*, inquit, *et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quare qui pro generatione ætatem transtulerunt injuriam fecêre sententiæ.

Quòd si de excidio urbis sermo fiat, generatio hæc erit hominum ætas usque ad eversionem civitatis, quò videtur redire sermo Domini.

VERS. 33 et 34. — PROPÈ EST IN JANUIS : proverbialis locutio : propè est redemptio vestra. GENERATIO, gens Judaica quæ ad finem usque mundi permanebit.

VERS. 35. — CŒLUM ET TERRA TRANSIBUNT. Hebraismus, id est, peribunt secundùm præsentem statum, *verba autem mea non præteribunt*, id est, non fallent, non erunt falsa.

VERS. 36. — DE DIE AUTEM ILLA, ET HORA NEMO SCIT, NEC ANGELI CŒLORUM, NISI SOLUS PATER. Non dubium quin etiam filius hominis excludatur : quemadmodùm, Marcus, c. 13, 32, disertis dixit verbis, *neque Filius, nisi Pater*. Itaque gravis hoc loco Catholicis olim cum Arianis quæstio fuit, dùm hinc Ariani Christi divinitatem refutare conarentur, quòd Christus diem judicii diceretur ignorare. Nonnulli veteres auctores testimonii difficultate pressi eò confugerunt, ut locum vitiatum esse dicerent : nec legendum esse *neque Filius, nisi Pater*, ut Hieronymus hoc loco, et Ambros., lib. 5 de Fide, c. 8. Alii Christum ignorâsse quidem diem judicii, quamdiù in hâc vitâ fuit ; scivisse verò simul atque ad Patrem ascendisset. Sic Origenes, tractatu 30 in Matth., cùm hæc Christus dicebat, eum diem judicii ignorâsse scribit, post resurrectionem verò scivisse, quod tunc rex et judex à Patre constitutus sit. Habiti sunt Themistiani cognomento Agnoetæ pro hæreticis, quòd docuerint Christum diem judicii ignorâsse, ut Damascenus in libro de Hæresibus auctor est. Verùm illi, ut ex eodem Damasceno colligitur, simpliciter, et sine ullâ distinctione divinæ, humanæque naturæ ignorantiam Christo tribuebant, quia credebant divinitatem in humanitatem fuisse conversam. Major pars antiquorum auctorum existimavit Christum ignorâsse diem judicii, non quòd reverà ignoraverit, sed quòd fecerit, ut nos ignoraremus, quòd nobis revelare noluerit, quòd ejus corpus, id est, Ecclesia ignoraverit, quòd se scire dissimulaverit. Hæc enim omnia eòdem redeunt, et solent veteres auctores nunc hoc, nunc illo modo loqui. Ita sensit Origenes, tractatu in Matthæum 30, et Chrysost., homil. 78 in Matthæum, et 14 in Marcum, et Augustin., lib. 83 Quæstionum, quæstione 61, et lib. 1 de Trinitate, c. 12, et lib. de Genesi contra Manichæos, c. 23, et Gregor., lib. 8 Regist., c. 42, et Hieronym., Beda, et Theophylactus, in hujus loci commentariis. Alii interpretati sunt ignorâsse diem judicii, id est, nondùm expertum fuisse, ut Origenes, eodem loco, et Epiphanius, hæresi 69, et Chrysost., in homiliâ de Trinitate. Alii dixerunt sensum esse, nec filius hominis scit, nisi Pater sciat : sed quia Pater scit, filius etiam hominis scit, ut Euthym. Omnes istæ interpretationes mihi videntur esse non adeò accommodatæ. Nam illi, qui ant semper, aut ad tempus Christo ignorantiam tribuerunt, rejiciendi omninò sunt, quia totâ Scripturâ sacrâ refelluntur, illoque maximè D. Pauli testimonio ad Coloss. 2, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondiți.* Illa verò receptissima interpretatio eorum, qui existimant ideò Christum dici diem judicii ignorare, quòd nobis eum non revelaverit, non admodùm magnâ niti videtur probabilitate, quia isto modo etiam Pater ignoraret, quia nobis non revelavit ; quâ etiam ratione illa altera Origenis et Epiphanii interpretatio refelli potest, ideò Christum ignorare diem judicii, quia expertus non est. Nam neque Pater expertus est. Multi veteres et graves auctores, ut Athanasius, sermone 4 contra Arianos ; Ambros., lib. 5 de Fide, c. 8 ; Gregorius Nazianzenus, oratione 4 de Theologiâ ; auctor disputationis inter Arium et Athanasium coram Probo ; Theodoretus, anathematismo 4 contra Cyrillum ; Cyrillus, lib 9 Thesauri, c. 4 ; auctor Imperfecti, homil. 49, apertè docuerunt Christum, quatenùs hominem, diem judicii ignoravisse, atque id hoc loco dicere voluisse. Quod etsi auditione primâ horrendum videtur esse, adhibitâ tamen interpretatione verum habere potest sensum. Illud quidem inprimis tenendum est Christum, tanquàm Deum, nihil ignorare potuisse ; illud præterea, tanquàm hominem, neque diem judicii, neque quidquam aliud ignorâsse : sed nodus hic est, quòd cùm dicimus, Christus, quatenùs homo est, ignorat diem judicii, dictio illa, quatenùs, potest aut speciem aut causam significare ; si speciem, sensus erit Christum humano intellectu nescire diem judicii, quod omninò falsum est : non enim sola divina, sed etiam humana natura diem judicii novit, quia in ipsâ humanâ naturâ, ut ait D. Paulus, Coloss. 2, 3 : *Sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ abscondiți* ; si causam significat, sensus erit Christum ignorare, id est, non scire diem judicii, quia homo est ; sed quia homo Deus : nam si homo tantùm fuisset, quantumvis perfectus, quantumvis Deo gratus, non scivisset illum ; quemadmodùm neque angeli sciunt, qui et perfectissimi et amicissimi Deo sunt. Non ergo negat Christus se etiam hominem diem judicii scire : sed negat scire eo titulo, quòd homosit. Placuit aliquando mihi hæc ad hunc modum explicata sententia, quia et veterum scriptorum auctoritatem tueri, et hunc locum aptè explicare videbatur. Nam etsi sciebam objici posse, hoc non videri convenienter à Christo, et accommodatè ad id, quod agebat, dici potuisse, quia nihil referebat, quo titulo, quâve ratione diem judicii sciret ; poterat enim, quomodòcumque sciret, illum apostolis revelare ; respondebatur illud tantùm Christo propositum fuisse, ut apostolorum cupiditatem, curiositatemque cohiberet, ne scire vellent, quæ angeli nescirent. Sed animadverto nunc non solùm negare filium hominis diem judicii scire, sed etiam affirmare solum Patrem scire ; quo verbo non solùm Filium, sed etiam Spiritum sanctum videtur excludere. Sed nisi fallor eodem modo Christus loquitur, quo suprà, c. 20, 23 : *Sedere autem ad dexteram et sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Itaque indicat, quòd magis est, se non solùm, ut hominem, sed etiam, ut Deum, modo quodam diem judicii ignorare, non quod ignoret ; sed quòd non ipsius sit officium scire, sicut non dixit quibus paratum est à me, sed à *Patre meo*, non quòd non etiam ab ipso paratum esset ; sed quòd regnum parare, id est, prædestinare non ipsius, sed

gata : vel citiùs cœlum et terra transierint quàm verba mea. SOLUS PATER, nisi solus Deus.

VERS. 35 et 36. — CŒLUM ET TERRA TRANSIBUNT, in alium statum reformata et igne conflagrationis repur-

Patris officium sit. Sic etiam Patris est constituere, quando solvendos sit mundus, quando dies judicii futurus sit, hoc est, quod apostolis dicit, Act. 1, 7: *Non est vestrum nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate*. Propterea solus ipse scire significatur. Atque hic nisi fallor, verus est sensus.

Vers. 37. — Sicut autem in diebus Noe ; ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, *sicut dies Noe, sic erit adventus filii hominis*, id est, quod accidit tempore Noe, accidet tempore adventûs mei, ut sequentibus versibus explicatur.

Vers. 40. — Unus assumetur, et unus relinquetur, id est, unus eligetur et salvus erit ; alter reprobabitur, et peribit, ut Hieronym. et Theophylact. interpretantur. Lucas, c. 17, 34, idem narrat, quasi alio tempore, atque aliâ occasione dictum ; sed, ut Euthym. existimat, credendum est Christum bis idem, atque diverso tempore dixisse.

Vers. 43. — Qua hora fur venturus esset, ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, *quâ vigiliâ fur venit* : noster interpres aliis verbis sensum expressit : quanquàm arbitror non sine causâ Christum potiùs dixisse, quâ vigiliâ, quàm quâ horâ : nimirùm quia dixerat paulò ante *vigilate*, id est, agite excubias more militum ; alludit ergo ad eumdem militarem morem, quo solent milites, ne ab hostibus improvisi opprimantur, totam noctem in quatuor distributam vigilias excubare, nescientes quâ vigiliâ hostis venturus sit. De vigiliis autem, et eorum more, c. 14, 25, à nobis dictum est. Quod autem Græcè est *venit*, rectè noster interpres in futurum vertit *venturus esset*, sicut infra versu sequenti : id enim verbum præsentis temporis aliquando significat ; ut c. 17, 11, annotavimus.

Vers. 45. — Ut det illis cibum in tempore, id est, ut unicuique famulo demensum suum distribuat. Lucas, cap. 12, 42, dixit : *Ut det illis in tempore tritici mensuram* sensu eodem : alludit enim ad veterem famulorum morem, quibus, qui omnium fidelissimus erat, præponebatur, ut eos gubernaret, et pro cujusque meritis cibum distribueret. Solebant autem raro usu pecuniæ pro mercede, ut se alerent, triticum accipere, prout quisque plus minusve laboraverat, quod usque ad nostram memoriam multis in locis factum est. Hoc est, quod dicit Matthæus, *ut det illis cibum in tempore*, id est, in æstate, et quod ait Lucas, *ut det illis in tempore tritici mensuram*.

Vers. 46. — Sic facientem, id est, dantem illis cibum in tempore, attentum in officium suum ; unam enim speciem loco exempli pro toto genere posuit.

Vers. 51. — Et dividet eum. Hæreticorum interpretes et nonnulli novarum rerum amatores et vertunt,

Vers. 51. — Et dividet eum, ab officio amovebit : et exponunt *dissecabit* ; putant enim ad nescio quem veterem Judæorum morem Christum alludere, apud quos summum supplicium erat hominem medium dissecari, ut ex Daniele, cap. 13, 55, 59, et ex lib. 1 Regum, cap. 15, 33, colligi existimant. Apud Romanos quidem ejusmodi fuisse morem, lib. 20, cap. 1, Gellius scribit ; apud Judæos verò fuisse non credo, apud quos, ut, cap. 5, 22, 25, diximus, quatuor tantùm supplicium genera fuisse legimus, in quibus hoc non numeratur, præterquàm quòd, ut paulò post apparebit, non potest in hunc locum hic sensus convenire. Alii ergo interpretantur *dividet eum*, id est privabit promissis bonis, atque mercede, ut Hilarius hoc loco ; alii, privabit eum gratiâ, quâ eum priùs donaverat, ut Origenes, et Theophylact. Verus sensus est quem Hieronymus, Euthymius, et auctor Imperfecti secuti sunt, *dividet eum*, id est, ejiciet ex familiâ suâ, separabit à famulorum suorum numero, sicut supra, c. 22, 12, 13, jussit rex eum, qui vestem nuptialem non habebat, extra cœnaculum ejici, et in tenebras exteriores mitti. Itaque duo supplicia notantur alterum, quod ab officio, quo malè functus fuerat, removeatur : alterum, quòd in ergastulum, ubi nequam servi sunt, torquendus trudatur. Loquitur enim Christus accommodatè ad id, quod malis servis fieri solet, qui non priùs nudi dissecantur, deinde in custodiam cruciandi mittuntur (quàm enim ineptum hoc est ?) sed priùs removentur ab officio, si quod habebant, honorifico, deinde cruciantur.

Partemque eius ponet. Partem vocat Hebræorum more miseram conditionem, ut apud Job, c. 20, 29 : *Hæc est pars hominis impii à Deo, et hæreditas verborum ejus à Domino*, et c. 27, 13 : *Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum* ; et Psalmo 10, 6 : *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Sic è contrario in bonam partem accipitur Psalmo 15, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei* ; et Psalm. 72, 26 : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*.

Cum hypocritis. Hypocritas vocat servos pigros et negligentes, ut simili parabolâ declaratur capite sequenti, vers. 26 et 30. Hypocritas autem appellat, quia qui hujusmodi sunt, non solent nisi præsente domino laborare, et ut ait D. Paulus ad Ephes. 6, 6, ad oculum servire, ut non tam boni sint servi, quàm ut esse videantur. Hujusmodi qui sunt, in ergastula mitti solent, atque torqueri ; eò Christus alludit : significat autem infernum, qui pigrorum locus est, ut ex sequentibus apparet : *Illic erit fletus, et stridor dentium*, de quo fletu et stridore, c. 13, 42, à nobis dictum est.

phrasi hebraicâ dividere interdùm pro interficere, aut disperdere sumitur, ut 1 Paral. 13.

CAPUT XXV.

1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ.

2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes :

CHAPITRE XXV.

1. Alors le royaume des cieux sera semblable à dix vierges, qui ayant pris leur lampes, s'en allèrent au-devant de l'époux et de l'épouse.

2. Il y en avait cinq d'entre elles qui étaient folles, et cinq qui étaient sages.

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum :

3. Les cinq folles ayant pris leurs lampes, ne prirent point d'huile avec elles.

4. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

4. Les sages, au contraire, prirent de l'huile dans leurs vases avec leurs lampes.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt.

5. Et comme l'époux tardait à venir, elles s'assoupirent toutes, et s'endormirent.

6. Medià autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviàm ei.

6. Mais sur le minuit, on entendit un grand cri : Voici l'époux qui vient, allez au-devant de lui.

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.

7. Aussitôt toutes ces vierges se levèrent, et accommodèrent leurs lampes.

8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguntur.

8. Mais les folles dirent aux sages : Donnez-nous de votre huile, parce que nos lampes s'éteignent.

9. Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potiùs ad vendentes, et emite vobis.

9. Les sages leur répondirent : De peur que ce que nous en avons, ne suffise pas pour vous et pour nous, allez plutôt à ceux qui en vendent, et achetez-en ce qu'il vous en faut.

10. Dùm autem irent emere, venit sponsus : et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.

10. Mais pendant qu'elles allaient en acheter, l'époux arriva ; et celles qui étaient prêtes, entrèrent avec lui aux noces, et la porte fut fermée.

11. Novissimè verò veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, domine, aperi nobis.

11. Enfin les autres vierges vinrent aussi, et lui dirent : Seigneur, seigneur, ouvrez-nous.

12. At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.

12. Mais il leur répondit : Je vous le dis en vérité ; je ne vous connais point.

13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

13. Veillez donc, parce que vous ne savez ni le jour ni l'heure.

14. Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

14. Car il agit comme un homme qui, devant faire un long voyage, appela ses serviteurs, et leur mit son bien entre les mains.

15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem ; et profectus est statim.

15. Et ayant donné cinq talents à l'un, deux à un autre, et un à un autre, selon la capacité de chacun d'eux, il partit aussitôt.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

16. Celui donc qui avait reçu cinq talents s'en alla, et les fit valoir, et il en gagna cinq autres.

17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

17. Celui qui en avait reçu deux, en gagna de même encore deux autres.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram et abscondit pecuniam domini sui.

18. Mais celui qui n'en avait reçu qu'un, alla faire un trou dans la terre, et y cacha l'argent de son maître.

19. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

19. Longtemps après, le maître de ces serviteurs étant venu, leur fit rendre compte.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum.

20. Celui qui avait reçu cinq talents s'approchant, en présenta cinq autres, et dit : Seigneur, vous m'avez donné cinq talents ; en voilà cinq autres que j'ai gagnés de plus.

21. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

21. Son maître lui répondit : Bien ! ô bon et fidèle serviteur ; parce que vous avez été fidèle dans de petites choses, je vous établirai sur de beaucoup plus grandes : entrez dans la joie de votre seigneur.

22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

22. Celui qui avait reçu deux talents, s'approcha aussi, et dit : Seigneur, vous m'avez donné deux talents ; en voici deux autres que j'ai gagnés.

23. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

23. Son maître lui répondit : Bien ! ô bon et fidèle serviteur ; parce que vous avez été fidèle dans de petites choses, je vous établirai sur de beaucoup plus grandes : entrez dans la joie de votre seigneur.

24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es : metis ubi non seminâsti, et congregas ubi non sparsisti :

24. Celui qui n'avait reçu qu'un talent s'approcha ensuite, dit : Seigneur, je sais que vous êtes un homme dur ; que vous moissonnez où vous n'avez point semé, et que vous recueillez où vous n'avez rien répandu :

25. Et timens, abii, et abscondi talentum tuum in terrâ : ecce habes quod tuum est.

25. C'est pourquoi, dans ma crainte, j'ai été cacher votre talent dans la terre : le voici ; je vous rends ce qui vous appartient.

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve

26. Mais son maître lui répondit : Serviteur mé-

Patris officium sit. Sic etiam Patris est constituere, quando solvendos sit mundus, quando dies judicii futurus sit, hoc est, quod apostolis dicit, Act. 1, 7: *Non est vestrum nôsse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate*. Propterea solus ipse scire significatur. Atque hic nisi fallor, verus est sensus.

Vers. 37. — Sicut autem in diebus Noe ; ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, *sicut dies Noe, sic erit adventus filii hominis*, id est, quod accidit tempore Noe, accidet tempore adventûs mei, ut sequentibus versibus explicatur.

Vers. 40. — Unus assumetur, et unus relinquetur, id est, unus eligetur et salvus erit ; alter reprobabitur, et peribit, ut Hieronym. et Theophylact. interpretantur. Lucas, c. 17, 34, idem narrat, quasi alio tempore, atque aliâ occasione dictum ; sed, ut Euthym. existimat, credendum est Christum bis idem, atque diverso tempore dixisse.

Vers. 43. — Qua hora fur venturus esset, ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, *quâ vigiliâ fur venit* : noster interpres aliis verbis sensum expressit : quanquàm arbitror non sine causâ Christum potiùs dixisse, quâ vigiliâ, quàm quâ horâ : nimirùm quia dixerat paulò ante *vigilate*, id est, agite excubias more militum ; alludit ergo ad eumdem militarem morem, quo solent milites, ne ab hostibus improvisi opprimantur, totam noctem in quatuor distributam vigilias excubare, nescientes quâ vigiliâ hostis venturus sit. De vigiliis autem, et eorum more, c. 14, 25, à nobis dictum est. Quod autem Græcè est *venit*, rectè noster interpres in futurum vertit *venturus esset*, sicut infra versu sequenti : id enim verbum præsentis temporis aliquando significat ; ut c. 17, 11, annotavimus.

Vers. 45. — Ut det illis cibum in tempore, id est, ut unicuique famulo demensum suum distribuat. Lucas, cap. 12, 42, dixit : *Ut det illis in tempore tritici mensuram* sensu eodem : alludit enim ad veterem famulorum morem, quibus, qui omnium fidelissimus erat, præponebatur, ut eos gubernaret, et pro cujusque meritis cibum distribueret. Solebant autem raro usu pecuniæ pro mercede, ut se alerent, triticum accipere, prout quisque plus minusve laboraverat, quod usque ad nostram memoriam multis in locis factum est. Hoc est, quod dicit Matthæus, *ut det illis cibum in tempore*, id est, in æstate, et quod ait Lucas, *ut det illis in tempore tritici mensuram*.

Vers. 46. — Sic facientem, id est, dantem illis cibum in tempore, attentum in officium suum ; unam enim speciem loco exempli pro toto genere posuit.

Vers. 51. — Et dividet eum. Hæreticorum interpretes et nonnulli novarum rerum amatores et vertunt,

Vers. 51. — Et dividet eum, ab officio amovebit : et exponunt *dissecabit* ; putant enim ad nescio quem veterem Judæorum morem Christum alludere, apud quos summum supplicium erat hominem medium dissecari, ut ex Daniele, cap. 13, 55, 59, et ex lib. 1 Regum, cap. 15, 33, colligi existimant. Apud Romanos quidem ejusmodi fuisse morem, lib. 20, cap. 1, Gellius scribit ; apud Judæos verò fuisse non credo, apud quos, ut, cap. 5, 22, 25, diximus, quatuor tantùm supplicium genera fuisse legimus, in quibus hoc non numeratur, præterquàm quòd, ut paulò post apparebit, non potest in hunc locum hic sensus convenire. Alii ergo interpretantur *dividet eum*, id est privabit promissis bonis, atque mercede, ut Hilarius hoc loco ; alii, privabit eum gratiâ, quâ eum priùs donaverat, ut Origenes, et Theophylact. Verus sensus est quem Hieronymus, Euthymius, et auctor Imperfecti secuti sunt, *dividet eum*, id est, ejiciet ex familiâ suâ, separabit à famulorum suorum numero, sicut supra, c. 22, 12, 13, jussit rex eum, qui vestem nuptialem non habebat, extra cœnaculum ejici, et in tenebras exteriores mitti. Itaque duo supplicia notantur alterum, quod ab officio, quo malè functus fuerat, removeatur : alterum, quòd in ergastulum, ubi nequam servi sunt, torquendus trudatur. Loquitur enim Christus accommodatè ad id, quod malis servis fieri solet, qui non priùs nudi dissecantur, deinde in custodiam cruciandi mittuntur (quàm enim ineptum hoc est ?) sed priùs removentur ab officio, si quod habebant, honorifico, deinde cruciantur.

Partemque eius ponet. Partem vocat Hebræorum more miseram conditionem, ut apud Job, c. 20, 29 : *Hæc est pars hominis impii à Deo, et hæreditas verborum ejus à Domino*, et c. 27, 13 : *Hæc est pars hominis impii apud Deum, et hæreditas violentorum* ; et Psalmo 10, 6 : *Ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Sic è contrario in bonam partem accipitur Psalmo 15, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei* ; et Psalm. 72, 26 : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum*.

Cum hypocritis. Hypocritas vocat servos pigros et negligentes, ut simili parabolâ declaratur capite sequenti, vers. 26 et 30. Hypocritas autem appellat, quia qui hujusmodi sunt, non solent nisi præsente domino laborare, et ut ait D. Paulus ad Ephes. 6, 6, ad oculum servire, ut non tam boni sint servi, quàm ut esse videantur. Hujusmodi qui sunt, in ergastula mitti solent, atque torqueri ; eò Christus alludit : significat autem infernum, qui pigrorum locus est, ut ex sequentibus apparet : *Illic erit fletus, et stridor dentium*, de quo fletu et stridore, c. 13, 42, à nobis dictum est.

phrasi hebraicâ dividere interdùm pro interficere, aut disperdere sumitur, ut 1 Paral. 13.

CAPUT XXV.

1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso et sponsæ.

2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes :

CHAPITRE XXV.

1. Alors le royaume des cieux sera semblable à dix vierges, qui ayant pris leur lampes, s'en allèrent au-devant de l'époux et de l'épouse.

2. Il y en avait cinq d'entre elles qui étaient folles, et cinq qui étaient sages.

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum :

3. Les cinq folles ayant pris leurs lampes, ne prirent point d'huile avec elles.

4. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

4. Les sages, au contraire, prirent de l'huile dans leurs vases avec leurs lampes.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt.

5. Et comme l'époux tardait à venir, elles s'assoupirent toutes, et s'endormirent.

6. Medià autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviàm ei.

6. Mais sur le minuit, on entendit un grand cri : Voici l'époux qui vient, allez au-devant de lui.

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.

7. Aussitôt toutes ces vierges se levèrent, et accommodèrent leurs lampes.

8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguntur.

8. Mais les folles dirent aux sages : Donnez-nous de votre huile, parce que nos lampes s'éteignent.

9. Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potiùs ad vendentes, et emite vobis.

9. Les sages leur répondirent : De peur que ce que nous en avons, ne suffise pas pour vous et pour nous, allez plutôt à ceux qui en vendent, et achetez-en ce qu'il vous en faut.

10. Dùm autem irent emere, venit sponsus : et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.

10. Mais pendant qu'elles allaient en acheter, l'époux arriva ; et celles qui étaient prêtes, entrèrent avec lui aux noces, et la porte fut fermée.

11. Novissimè verò veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, domine, aperi nobis.

11. Enfin les autres vierges vinrent aussi, et lui dirent : Seigneur, seigneur, ouvrez-nous.

12. At ille respondens, ait : Amen dico vobis, nescio vos.

12. Mais il leur répondit : Je vous le dis en vérité ; je ne vous connais point.

13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

13. Veillez donc, parce que vous ne savez ni le jour ni l'heure.

14. Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

14. Car il agit comme un homme qui, devant faire un long voyage, appela ses serviteurs, et leur mit son bien entre les mains.

15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem ; et profectus est statim.

15. Et ayant donné cinq talents à l'un, deux à un autre, et un à un autre, selon la capacité de chacun d'eux, il partit aussitôt.

16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

16. Celui donc qui avait reçu cinq talents s'en alla, et les fit valoir, et il en gagna cinq autres.

17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

17. Celui qui en avait reçu deux, en gagna de même encore deux autres.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram et abscondit pecuniam domini sui.

18. Mais celui qui n'en avait reçu qu'un, alla faire un trou dans la terre, et y cacha l'argent de son maître.

19. Post multum verò temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

19. Longtemps après, le maître de ces serviteurs étant venu, leur fit rendre compte.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi : ecce alia quinque superlucratus sum.

20. Celui qui avait reçu cinq talents s'approchant, en présenta cinq autres, et dit : Seigneur, vous m'avez donné cinq talents ; en voilà cinq autres que j'ai gagnés de plus.

21. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

21. Son maître lui répondit : Bien ! ô bon et fidèle serviteur ; parce que vous avez été fidèle dans de petites choses, je vous établirai sur de beaucoup plus grandes : entrez dans la joie de votre seigneur.

22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

22. Celui qui avait reçu deux talents, s'approcha aussi, et dit : Seigneur, vous m'avez donné deux talents ; en voici deux autres que j'ai gagnés.

23. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

23. Son maître lui répondit : Bien ! ô bon et fidèle serviteur ; parce que vous avez été fidèle dans de petites choses, je vous établirai sur de beaucoup plus grandes : entrez dans la joie de votre seigneur.

24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es : metis ubi non seminâsti, et congregas ubi non sparsisti :

24. Celui qui n'avait reçu qu'un talent s'approcha ensuite, dit : Seigneur, je sais que vous êtes un homme dur ; que vous moissonnez où vous n'avez point semé, et que vous recueillez où vous n'avez rien répandu :

25. Et timens, abii, et abscondi talentum tuum in terrâ : ecce habes quod tuum est.

25. C'est pourquoi, dans ma crainte, j'ai été cacher votre talent dans la terre : le voici ; je vous rends ce qui vous appartient.

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve

26. Mais son maître lui répondit : Serviteur mé-

male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi:

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est, cum usurâ.

28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.

29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium.

31. Cùm autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ:

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis:

33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

34. Tunc dicet rex his qui à dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me.

36. Nudus, et cooperuistis me: infirmus et visitâstis me; in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te?

40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiù fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet et his qui à sinistris erunt: Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum:

43. Hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitâstis me.

44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

chant et paresseux, vous saviez que je moissonne où je n'ai point semé, et que je recueille où je n'ai rien répandu.

27. Vous deviez donc mettre mon argent entre les mains des banquiers; et à mon retour, j'eusse retiré avec intérêt ce qui est à moi.

28. Qu'on lui ôte donc le talent qu'il a, et qu'on le donne à celui qui a dix talents.

29. Car on donnera à celui qui a déjà; et il sera dans l'abondance: mais pour celui qui n'a rien, on lui ôtera même ce qu'il semble avoir.

30. Quant à ce serviteur inutile, qu'on le jette dans les ténèbres extérieures; c'est là qu'il y aura des pleurs et des grincements de dents.

31. Or quand le Fils de l'homme viendra dans sa majesté, accompagné de tous ses anges, il sera assis sur le trône de sa gloire;

32. Et toutes les nations seront assemblées devant lui, et il séparera les uns d'avec les autres, comme un berger sépare les brebis d'avec les boucs;

33. Et il mettra les brebis à sa droite, et les boucs à sa gauche.

34. Alors le roi dira à ceux qui seront à sa droite: Venez, les bénis de mon Père; possédez le royaume qui vous a été préparé dès le commencement du monde.

35. Car j'ai eu faim, et vous m'avez donné à manger; j'ai eu soif, et vous m'avez donné à boire; j'étais étranger, et vous m'avez recueilli;

36. J'ai été nu, et vous m'avez revêtu; j'ai été malade, et vous m'avez visité; j'ai été en prison, et vous êtes venus me voir.

37. Alors les justes lui répondront: Seigneur, quand est ce que nous vous avons vu avoir faim, et que nous vous avons donné à manger? ou avoir soif, et que nous vous avons donné à boire?

38. Quand est-ce que nous vous avons vu étranger, et que nous vous avons recueilli? ou sans habits, et que nous vous avons revêtu?

39. Et quand est-ce que nous vous avons vu malade ou en prison, et que nous sommes venus vous visiter?

40. Et le roi leur répondra: Je vous le dis en vérité, autant de fois que vous l'avez fait à un des moindres de mes frères que voici, c'est à moi-même que vous l'avez fait.

41. Il dira ensuite à ceux qui seront à sa gauche: Allez loin de moi, maudits, au feu éternel, qui a été préparé pour le diable et pour ses anges.

42. Car j'ai eu faim, et vous ne m'avez pas donné à manger; j'ai eu soif, et vous ne m'avez pas donné à boire;

43. J'étais étranger, et vous ne m'avez point recueilli; j'ai été sans habits, et vous ne m'avez point revêtu; j'ai été malade et en prison, et vous ne m'avez point visité.

44. Alors ils lui répondront aussi: Seigneur, quand est-ce que nous vous avons vu avoir faim, ou avoir soif, ou être étranger, ou sans habits, ou malade, ou en prison, et que nous avons manqué de vous assister?

45. Mais il leur répondra: Je vous dis en vérité, autant de fois que vous avez manqué de le faire à un de ces plus petits, vous avez manqué de le faire à moi-même.

46. Et ceux-ci iront dans le supplice éternel, et les justes dans la vie éternelle.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Tunc; cùm Dominus improvisus venerit; pendet enim ex superiore capite sententia; et aliis duabus parabolis, alterâ decem virginum, alterâ talentorum, idem quod præcedenti servi parabolâ, declarat.

Simile erit; id est, tunc apparebit quod nunc non apparet, dùm boni malis in Ecclesiâ mixti sunt, idem in regno cœlorum, id est, in Ecclesiâ fieri, atque si decem virgines lampades suas acciperent, ut sponso obviam exirent, quemadmodùm, c. 15, 16, explicavimus. Quò tota spectet parabola ex conclusione, quæ versu 13 ponitur, perspicuum est, debere nos semper vigilare, ut capite præcedenti, versu 42, dixerat; semper paratos esse, quia nescimus quâ horâ Dominus venturus sit; bonorum operum copiam in adventum Christi præparare. Idem enim hoc capite, quod superiore, prosequitur argumentum. Quindecim in totâ parabolâ partes sunt: Prima est, sponsus, quem nemo dubitat esse Christum, ut multis jam locis exposuimus, c. 9, 15, et c. 22, 2. Additur à nostro interprete, et sponsæ, quod in Græcis nunc codicibus non est; neque D. Basilius in Moralibus, cap. 5, neque Chrysost., Theophylact. et Euthym. hunc locum tractantes legunt. Legit tamen procul dubio Latinus interpres, legit Origenes tractatu in Matth. 32; legit Hilarius canone 27; legit D. Augustinus epistolâ 120, et, ut videtur, sermone 22 de Verbis Domini secundùm Matthæum, et lib. 83 Quæstionum, quæstione 59; legit et Syrus interpres, et legendum ego, si non necessariò, tamen propter veteres interpretes, et tot veterum scriptorum auctoritatem, existimo. Neque ut quidam putant, hæc lectio abhorret à sententiâ, quòd dicant non solere sponsum obviàm sponso procedere; sed domi eum operiri. Non enim dicitur hoc loco sponsam sponso processisse obviam, quod insolens fortassè videri posset, sed dicitur virgines sponsæ et sponso obviàm processisse. Solet autem sponsus sponsam in domum suam ducere, unde et uxorem ducere dictum est. Convenit et res significata: nam Christi sponsam Ecclesiam esse sæpè jam diximus, et alterâ parabolâ, c. 22, 2, evangelista declaravit. Triumphantem autem Ecclesiam, tanquàm sponsam, cum Christo ad judicium venturam esse Joannes in Apocalypsi, c. 21, 2, testatur: *Vidi*, inquit, *sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo*. Secunda pars parabolæ sunt decem virgines; ubi triplex est quæstio: prima, cur virginibus; secunda, cur decem regnum cœlorum comparetur; tertia, quid virgines significent. Origenes et Hieronymus propterea virginibus potiùs quàm aliis regnum cœlorum comparatum esse dicunt, ut fidei integritas significaretur, quæ corporis virginitati similis est. Chrysostomus verò, Theophylactus et Euthymius, quia virginitas summa est virtus, ut doceret Christus neminem suis virtutibus confidere debere, quandoquidem ne omnes quidem virgines, cùm præstantissimâ virginitatis virtute præditæ essent, ad nuptias, id est, in cœlum ingressæ fuerunt. Alii nonnulli recentiores interpretes, quorum in hâc re opinionem magis probo, non aliâ de causâ virginibus potiùs quàm aliis, regnum cœlorum comparatum fuisse putant, quàm quòd consuetudo esset ut virgines tædas præferentes sponsum domum deducerent. Decem autem comparatum fuisse Valentiniani et Gnostici propter decem hominis sensus, quinque corporeos, quinque incorporeos docuerunt, suam etiam hinc hæresim confirmantes, ut Tertullianus in libro de Animâ auctor est. Simile quiddam auctor Imperfecti dicere videtur. Alii propter quinque sensus, qui, dùm eis benè utimur, sapientes; dùm malè, insipientes sunt, itàque decem efficiunt, ut scribit Hieronymus et Beda in Commentariis, et D. Augustinus epistolâ 120, cap. 33, et D. Gregorius homiliâ 12 in evangelia. Probabilia hæc sunt; sed potiùs credo propterea denario numero parabolam fuisse propositam, ut omnium hominum multitudo atque universitas significaretur, quæ per hunc numerum declarari solet, ut Genesis 31, 7, 41: *Immutâsti mercedem meam decem vicibus*, id est, sæpè, et Levitici 26, 26: *Postquàm confregero baculum panis vestri, ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, et reddant eos ad pondus*; et Numerorum 14, 22: *Tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ*. Hic ergo decem virginibus, id est, multis regnum cœlorum simile esse dicitur. Per decem autem virgines, omnes quæ verè virgines sunt, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Augustinus et Gregorius iis locis, quos paulò supra designavimus, significari putant, nimis, ut mihi videtur, coarctatâ sententiâ. Hilarius verò et auctor Imperfecti è contrario per decem virgines omnes homines, et fideles et infideles, intelligunt, sententiâ plus justò dilatatâ. Origenes et Hieronymus hoc loco, et, ut videtur, etiam Ambrosius sermone 14 in psalm. 118, nec omnes homines, nec solas virgines, sed omnes solosque fideles intelligendos existimant. His assentior, quia manifestum est Christum loqui de his qui omnes lampades suas acceperunt, quas, ut postea docebimus, non nisi fideles accipiunt. Lampas enim fides est, *lucerna*, inquit psalm. 118, 105, *pedibus meis verbum tuum*; deinde quia eò tota tendit parabola, ut doceat Christus solam fidem ad salutem sine bonis operibus satis non esse. Altera hujus quæstionis pars erat quid per quinque sapientes, quid per quinque fatuas significetur. Hilarius per quinque sapientes omnes fideles, per quinque fatuas omnes infideles intelligit. Auctor Imperfecti per quinque sapientes omnes spirituales homines, per quinque fatuas fideles exspectant; ut dominus qui à servis rationem exigit, ut judex qui bonos à malis secernet. Lampades suas, lampadis nomine fides intelligitur omnibus communis.

Vers. 1. — A superiore capite trium quæ sequuntur parabolarum sententia pendet atque eò spectat ut vigilantes, et bonis operibus intenti adventum Domini opperiamur. Hic veniet ut sponsus, quem virgines, seu

omnes carnales, vel per quinque sapientes omnes quæ et corpore et spiritu, ut ait D. Paulus, virgines sunt; per quinque fatuas eas quæ corpore sunt virgines, animo corruptæ; Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius, et, ut videtur, Ambrosius sermone 14 in psalmum 118, per quinque sapientes omnes virgines, quæ præter veram animi corporisque virginitatem, charitatem etiam et misericordiam habent, eamque largiendis eleemosynis exercent; per quinque fatuas eas quæ, cum virgines sint, misericordes tamen non sint, hoc est, oleum non habent in vasis suis, ideòque non dant eleemosynas. Augustinus, epistolâ 120, et Gregorius, homiliâ 12 in Evangelia, et Beda, hoc loco, per quinque sapientes omnes virgines quæ bonam, ut dicunt, intentionem habent, et virginitatis suæ laudem apud Deum, et non apud homines quærunt; per quinque autem fatuas eas virgines, quæ humanam laudem aut adulationem aucupantur. Origenes, Hilarius, Hieronymus et Damascenus aut quisquis Historiæ, quæ ejus nomine circumfertur, auctor fuit, cap. 9, per quinque sapientes omnes homines intelligunt, qui cum fide bona opera habent; per quinque fatuas omnes qui fidem quidem habent, opera non habent. Hæc interpretatio non solùm maximè, sed etiam, ut mihi videtur, solùm probabilis est, quia, ut paulò post, dicturi sumus, hoc maximè in parabolâ agitur, solam fidem sine bonis operibus ad salutem non satis valere; deindequia idem et per præcedentes cap. 24, 45, et per sequentes parabolas infra, versu 14, declaratur non satis esse credere, nisi etiam bonis operibus vigilemus, quia nescimus quâ horâ Dominus venturus sit. Idem etiam alterâ parabolâ, cap. 22, 2, declaratum est; ubi, quemadmodùm hic fatuæ virgines, ita invitatus ille, qui per fidem jam venerat, et in connubium intraverat, quia vestem nuptialem, id est, bona opera non habebat, exclusus est. Tertia pars parabolæ sunt lampades, quas omnes virgines acceperunt, per quas Hilarius corpora interpretatur humana, in quibus divinum animi lumen elucet. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Augustinus et Gregorius in illis locis, quos ante notavimus, ipsam corporis virginitatem lampadem vocari putant. Hieronymus corporis sensus. Idem Hieronymus, Hilarius, Origenes et auctor Imperfecti fidem interpretantur. Hoc aptè ad parabolæ sensum adhæret. Omnes enim fidem acceperunt, quâ Christo exciendo exierunt obviam; sed non omnes cum illo ad nuptias ingressæ sunt, quia non omnes bona habebant opera. Quarta pars est oleum, quod sapientes accepisse, insipientes non accepisse dicuntur; quod Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus et Ambrosius eleemosynam et misericordiam interpretantur, quæ aliquando in Scripturâ oleo comparatur. Augustinus verò, Gregorius et Beda bonam intentionem, quâ apud Deum, non apud homines laudem virgines quærunt, de quo paulò ante dictum à nobis est. Vera est, solaque probabilis sententia Origenis, Hilarii, auctoris Imperfecti, et Damasceni, qui per oleum opera bona intelligunt, sine quibus fides non lucet, id est, *mortua est*, Jacobi 2, 26, et quibus, si absunt, fides ardet, lucet, ostenditur; *extinguitur*, inquit, vers. 18, *mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Hic dicunt virgines fatuæ, vers. 8: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur*, non quòd sine operibus statim exstinguatur fides, sed quòd, cùm per opera non lucet, exstinguì videatur, et non magis quàm si omninò exstincta esset, ad salutem valeat; vel, ut auctor Imperfecti interpretatur, quia ita comparatum naturâ est, ut, quemadmodùm fides bonis operibus fovetur et conservatur, ita sine illis elanguescat, et paulatim exstinguatur; sumere ergo oleum in lampadibus in parabolâ est bonorum operum copiam, et veluti thesaurum quemdam in futurum Christi adventum recondere, ut cap. 6, 20, Christus dixit: *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt*. Quinta pars sunt vasa, quæ Hilarius humana corpora esse dicit, quemadmodùm D. Paulus, 2, ad Cor. 4, 7, dixit: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*. Melius animam aut conscientiam interpretabimur, quæ bonorum operum sedes et receptaculum est. Sexta pars est, quòd sponsus dicatur longam traxisse moram, quo minimè dubium est Christum significare voluisse longum restare tempus usque ad adventum suum, ut falsam discipulis opinionem eriperet, qui existimabant eum statim post resurrectionem venturum esse, quemadmodùm Chrysostomus observavit. Eodem modo Hieronymus et Hilarius moram sponsi pœnitentiæ tempus esse dicunt. Loquitur autem Christus accommodatè ad virgines, quæ sponsi adventum exspectabant, quibus quia statim ut illæ sperabant, non venit, nimium morari videbatur. Sic enim naturâ fit, ut exspectantibus omne tempus longissimum esse videatur; alioqui noluit Christus ex sententiâ suâ significare longè adventum suum adhuc abesse; nam, ut Joannes ait, 1 epistolâ, c. 2, 18: *Novissima hora est*, neque conveniebat ad parabolæ sententiam, ut doceret longè adventum suum adhuc distare, ne homines, quos diligentes, vigilantes atque paratos efficere volebat, negligentes, desides et securos efficeret. Septima pars est, quòd omnes virgines dormitâsse dicantur atque dormisse, quod Hilarius, et Chrysostomus hoc loco, et D. Augustinus epistolâ 120, cap. 32, et D. Basilius in Moralibus, cap. 5, interpretantur omnes virgines mortuas esse, antequàm Christus veniret. Auctor verò Imperfecti dormivisse, id est, negligentes fuisse, quod facilè probarem, nisi æquè sapientes atque insipientes dormivisse dicerentur. Itaque dormire interpretor desinere de adventu Domini cogitare, et eum eo tempore quo venit non exspectare; quod et bonis, et malis accidet, et omnibus, qui diù aliquem exspectârunt, evenire solet, ut exspectare eum desinant, et illis jam non exspectantibus, aut non cogitantibus, hoc est, dormientibus, veniat; quod et temporis quo sponsus venit, id est, mediæ noctis circumstantiâ declarat, quæ parabolæ octava pars est, quam qui ex consuetudine sine allâ sententiæ significatione adductam esse putant, quàm

quòd solerent sponsi mediâ nocte ad domum sponsæ venire; quemadmodùm hæreticorum interpretes dicunt, sensum mihi non solùm non assequi, sed etiam evertere videntur, et inter se repugnantia conjungere. Si enim mediâ nocte, non ante, sponsi veniebant, quomodò moram fecit, cùm media nox nondùm esset? quomodò visus est virginibus nimium morari, cùm scirent ante mediam noctem venire non debere? Fuerunt veteres auctores qui Christum mediâ nocte venturum esse crederent, quòd Chrysostomus et Euthymius probabile putant, et hymno quodam ecclesiastico confirmari quodammodò videtur. Eam Hieronymus apostolicam traditionem vocat, ut in Paschâ ideò ante noctem mediam populum dimittere non liceat, quòd Christus eâ horâ, sicut olim in Ægypto, venturus crederetur, Judæos etiam Messiam suum mediâ nocte exspectare. Sed in Christi sententiâ hærendum, *nescitis diem, neque horam*. Quod ergo mediâ nocte venisse dicitur sponsus, nihil aliud significat, quàm eo tempore venisse quo minimè exspectabatur. Quis enim crederet mediâ nocte venturum esse, cùm omnes homines summa occupat quies, quemadmodùm rectè Gregorius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus eodem loco, Theophylactus et Beda interpretantur? Nona pars est clamor, qui mediâ nocte factus est; *ecce sponsus venit*. Ille proculdubiò clamor ille est, qui capite præcedenti, versu 31, per tubam et vocem magnam significatus est, ut Origenes, Chrysostomus, auctor Imperfecti, Euthymius, Theophylactus, Hieronymus et Augustinus epistolâ 120, cap. 34, exposuerunt. Decima pars est, quæ ponitur versu 7: *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas*, quod Hilarius de corporum resurrectione atque reformatione interpretatur. Melius eâdem epistolâ D. Augustin., auctor Imperfecti et Beda hoc loco exponunt, audito rumore adventûs Christi, fore ut omnes homines, qui quasi oppressi somno de illo non cogitabant, veluti expergiscantur, sicut D. Paulus dicit: *Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quàm cùm credidimus*, ad Rom. 13, 11. Ornare verò lampades suas est opera quæ quis facit, ad reddendam in judicio eorum rationem in memoriam revocare. Undecima est, quòd virgines fatuæ dicunt sapientibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur*, quâ re dubium non est significari fore ut homines qui bona opera non habuerint, nimis serò, cùm judicabuntur, sanctorum auxilium implorent, ut auctor Imperfecti interpretatur; quasi velint se aliorum bonis operibus tegere. Duodecima est, quòd sapientes virgines respondent: *Ne fortè non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis*; quo duo animadversione digna sunt: alterum quòd sapientes virgines negent insipientibus auxilium, non quòd, si possent, dare non velint; sed quòd tam serò dare non possint, ut Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus exponunt; aut, quod probabilius est, quia, ut auctor Imperfecti ait, nemo erit in illo tam horrendo judicio, qui sibi satis confidat, satisque bonorum operum habere videatur; hoc enim verba illa præ se ferunt, *ne fortè non sufficiat nobis et vobis*. Quibus verbis neque Ecclesiæ thesaurus, qui sanctorum meritis constat, nec eorum in alios homines suffragia tolluntur, quasi unius bona opera juvare non possint alterum. Eâdem enim ratione probaretur sanctos, etiam dùm viverent, alios viventes suis precibus juvare non potuisse, quod omnibus Scripturis sacris contrarium est; ex iisdem etiam discimus sanctorum meritis mortuos adjuvari; hoc enim apud Lucam, cap. 16, 9, Christus declarat: *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; sicut et aliorum fidem atque laborem aliis sæpè prodesse, ex cap. 9, 2, multi, ut illic diximus, veteres auctores rectè collegerunt: *Videns*, inquit, *Jesus fidem eorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quid hoc ergo est quod loco significatur? Illud nimirùm, tantùm in judicio illo extremo unumquemque ex propriis operibus, non ex alienis, esse judicandum, ut D. Paulus dicit, 2 ad Corinth. 5, 10, et unumquemque onus suum portaturum, ut ait ad Galat. 6, 5. Sic D. Augustinus, epistolâ illâ quam sæpè citavimus 120, exponit; atque ita intelligendum est quod Hilarius et Chrysostomus scribunt, declarari hoc loco neminem aliena opera juvare. Alterum est, quòd fatuæ virgines ad vendentes mittuntur, ut oleum sibi emant. Vendentes Origenes et auctor Imperfecti, Ecclesiæ Doctores, interpretantur, qui verbum Dei non pretio, sed salute et fidei confessione vendunt, sicut D. Paulus ait: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos*, 2 ad Corinth. 12, 14; et sicut eos quos ad Evangelium duxerat, gaudium suum et coronam vocat, ad Philippens. 4, 1. Augustinus verò, Gregorius et Beda vendentes adulatores intelligunt, qui falsarum laudum fumos venditare solent, quasi per ironiam hæc dicta sint: Ite ad adulatores, quorum laudationibus delectabamini, et videamus quid vobis eorum laudes prodesse possunt. Hieronymus in hunc mundum fatuas virgines, id est, homines bona opera non habentes, his verbis remitti putat, ut bonorum operum oleum multo sibi labore comparent. Credo hanc portem parabolæ non esse, sed ornamentum ex consuetudine ejus rei, quæ aut poterat accidere, aut vero similis erat, ad explendam narrationem adjectum, sicut et quod sapientes virgines dicunt: *Ne fortè non sufficiat nobis et vobis*; utrumque enim non ad aliquid significandum, sed quia vero simile erat ad eum modum respondisse, virgines dixisse perhibentur. Itaque operæ pretium non facit, qui horum verborum sensum non necessariâ subtilitate disquirit; id ex versu 10 intelligitur, ubi dicuntur virgines fatuæ ad emendum oleum abiisse; nec enim eâ re significari potest eos qui bona opera non habuerunt, in hunc mundum ad ea emenda, id est, comparanda, esse remittendos. Unusquisque enim referet, prout ante diem illum gesserit in corpore, sive bonum, sive malum, ut, 2 ad Corinth. 5, 10, docet D. Paulus; sed dictum id est, quia vero simile erat virgines fatuas ad emen-

dum oleum, cùm ab aliis virginibus illud accipere non possent, ituras fuisse, et oportuit Christum verisimilem texere narrationem; quòd si hoc aliquam significationem habet, illud tantùm, ut mihi videtur, significare potest, homines stultos et improvidos nimis serò, et cùm tempus jam præterierit, bona volituros opera comparare, et serò esse diligentes. Decima tertia pars est, quòd sponsus dicatur venisse interim; quod nemo dubitat Christi ad judicium adventum significare. Decima quarta, quòd quæ paratæ erant cum sponso ad nuptias, id est, ad nuptiarum locum, et convivium intraverint; quo vita beata declaratur, ut Apocalypsis 19, 7 : *Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni, et uxor ejus præparavit se*; et versu 9 : *Et dixit mihi, scribe : Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt.* Decima quinta est, quòd janua clausa fuisse dicitur, cùm fatuæ virgines redierunt; quod nihil aliud significat, quàm eas nimis serò bona opera facere voluisse, cùm tempus jam non esset operandi, sicut Christus dixit, Joannis 9, 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari.* Neque ultra discutiendum est quomodò fatuæ virgines peracto jam novissimo judicio in cœlum redierint, januamque pulsaverint, et Christum sollicitaverint precibus, ut sibi aditum aperiret; hæc enim omnia, sicut et illa quæ paulo ante diximus, non ad significandum sed ad explendum ornandumque parabolæ contextum, adjecta sunt; neque quia id in cœlo eventurum est, sed quia inter homines vero simile erat eventurum fuisse, et, ut ait Gregorius, homilia in hæc verba 12, illud tantùm indicatur : *Ibi jam à Deo non posse mereri, quod petit, qui hic noluit audire, quod jussit.*

VERS. 12. — NESCIO vos. Omnes et veteres, et novi theologi observârunt sciendi verbum hoc loco, et aliis consimilibus, non cognitionem, sed affectum declarare, et, ut vocant, scientiam approbationis, quasi dicat Christus : Non approbo vos, non agnosco pro filiis meis; aut, ut ait auctor Imperfecti : Non video in vobis signaculum Spiritûs mei; de quo, 2 ad Corinth. 1, 22, et ad Ephes. 1, 3 et 4, 30, loquitur D. Paulus.

VERS. 14. — SICUT ENIM HOMO PEREGRÈ PROFICISCENS. Imperfecta et pendens oratio; nihil enim est quod particulæ *sicut* respondeat, compleatque sententiam, ut Origen., tractatu in Matthæum 35, animadvertit. Itaque intelligendum aliquid necessariò; ut sic est regnum Dei, quemadmodùm vers. 1 dixit : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus.* Similis oratio apud Marcum, cap. 13, 34. Potest dubitari num eadem hæc parabola sit atque illa quæ apud Lucam est, cap. 19, 11; multa enim à Matthæo hîc, et à Lucâ illic dicuntur dissimilia. Lucas et alio loco et occasione aliâ propositam narrat, cùm prandisset apud Zachæum Jerosolymam veniens, antequàm asino insidens ingrederetur : Matthæus, cùm sederet in monte Olivarum tertio post celebrem illum ingressum die, ut, cap. 21, 5, probavimus; Lucas decem, Matthæus tribus servis dominum bona sua distribuisse narrat; Lucas, singulis servis minas singulas dedisse; Matth., uni quinque talenta, alteri duo, tertio unum; Lucas, primum servum unâ minâ decem, secundum quinque, lucrifecisse; Matthæus, primum quinque talentis alia quinque, secundum duobus quatuor; Lucas servum illum pigrum minam suam in sudario ligatam habuisse; Matthæus, in terram defodisse; quibus argumentis adductus, Chrysostomus diversas putat esse parabolas. Hieronymus tamen et Ambrosius, in Commentariis in cap. 19 Lucæ, unam faciunt. Hoc potiùs probo, et quia ab omnibus recentioribus etiam auctoribus eadem esse dicitur, à quibus nolo sine magnis argumentis dissentire; et quia vix vero videtur simile Christum tam brevi temporis intervallo bis eamdem parabolam diversis verbis proposuisse. Quod ergo Lucas alio loco et tempore quàm Matthæus propositam fuisse indicat, novum non est, ut evangelistæ in loci ac temporis circumstantiis discrepare videantur, dùm summæ rei gestæ, non ordinis ac temporis, rationem habent. Credendum ergo hæc Christum, antequàm Jerosolymam ingrederetur, dixisse, quia id Lucas dixit, Matthæus tacuit, non contradixit. In cæteris verò rebus quibus videntur dissidere, non Christi verba, sed totius parabolæ sensum, explicare voluerunt; sensus autem et apud Lucam, et apud Matthæum, licèt verba varient, idem est; estque credibile Matthæum potiùs quàm Lucam Christi verba retulisse, et quia præsens fuerat, et quia distinctiùs videtur totam parabolam enarrare. Fortassè Lucas, quia Christus in præcedente parabolâ regnum cœlorum decem virginibus comparavit, eumdem hîc numerum usurpavit. Sed id ad sensum nihil refert. Vellem Augustinus in libris de Consensu evangelistarum suam de hâc re sententiam exposuisset; sed quæstionem non proposuit. Videndum nunc est quòd parabolæ sensus spectet : eòdem, ut ait Euthymius, quò illa superior de fideli servo, quem dominus longè abiens familiæ suæ dicitur præfecisse, c. 24, 45; eòdem etiam, quò præcedens parabola decem virginum; acceptam à Deo fidem et gratiam, diligentiâ bonisque operibus excolendam, atque augendam esse, ut de se, 1 Cor. 15, 10, ait D. Paulus : *Et gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi;* tum etiam unumquemque ex propriis operibus judicandum, vers. 21 et 23; denique nos per gratiam à Deo acceptam ejusdem gratiæ accessionem mereri. Quæ partes parabolæ videri possunt, duodecim sunt : Prima homo peregrè proficiscens; quo nemo dubitare potest Christum significari. Expressiùs Lucas, c. 19, 12 : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.* Nobilem enim vocat, sed non regem, quia nondùm regni possessionem acceperat, quâ acceptâ regem appellat; sicut et Matthæus, nunc hominem, postea regem, vers. 34. Secunda pars est, quòd homo ille nobilis, id est, Christus, peregrè dicatur proficisci, quod Chrysost. et Theophylactus de incarnatione videntur interpretari, quasi peregrè profectus fuerit, cùm è cœlo in terram venit; et peregrè abierit, cùm à terrâ in cœlum rediit; non quòd cœlum à terrâ longè distet, sed quòd stat ille Christus cœlestis, quo et ante incarnationem in formâ Dei erat; et post ascensionem sedet ad dexteram Patris, longissimè ab eo distans, quo habitavit in nobis *habitu inventus ut homo*, aut potiùs *vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis.* Alii peregrè profectum dicunt, quia in cœlum ascendit, quod longè abest à terrâ, ut Origen., auctor Imperfecti, Hieronym., Beda; alii, quòd non nisi longo post tempore venturus esset, quemadmodùm si multorum annorum peregrinationem suscepisset, ut Chrysostom. etiam indicavit. Hoc mihi magis placet : nam loci distantia, nihil; temporis verò longinquitas multùm ad rem pertinebat. Voluit enim dominus longâ absentiâ servorum suorum fidem diligentiamque experiri, ut cap. 21, 33, et 24, 48, et supra, hoc capite versu 5. Tertia sunt servi, quos major pars veterum auctorum Ecclesiæ doctores interpretantur, quòd illis Christus diversa talenta, id est, aliis majorem, aliis minorem gratiam ad prædicandum Evangelium et ad exponendas Scripturas sacras, contulisse videatur, ut Origenes, tractatu in Matth. 35, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Euthymius, et Theophylactus, in Commentariis; et D. Ambrosius, in cap. Lucæ 19; et Cæsarius, homilia 22. In hanc sententiam Justinus, in Tryphone, hanc parabolam aut exposuit, aut accommodavit. Alii servos omnes homines, saltem Christianos, intelligunt : omnibus enim Deus talentum aliquod, id est, gratiam aliquam dedit, quâ negotiarentur; id est, adjunctâ suâ diligentiâ, et ejusdem gratiæ incrementum, et vitam æternam mererentur. Sic Anastasius, quæstione 84, et Theophilus Antiochenus, lib. 1 Allegoriarum. Hanc ego interpretationem alterâ meliorem judico, quia, ut ait Lucas, non solis apostolis, qui evangelii doctores erant, sed omnibus qui aderant, auditoribus parabolam Christus proposuit, et quia, ut sæpè monere soleo, non est sine necessariis argumentis Scripturæ sententia restringenda.

VOCAVIT. Adnotârunt quidam novorum hæreticorum interpretes hanc in vocandi verbo vim esse, ut significetur nullum Ecclesiæ doctorem, nisi legitimè vocatum, Evangelium debere prædicare. Jam docuimus non agi tantùm de doctoribus. Itaque futilis est ista subtilitas; sed non est tamen, quamvis adversariorum consilium contemnendum; rectè enim monent nos, ut eos, quia legitimè vocati non sunt, non Ecclesiæ doctores, sed hæreticos, esse intelligamus. Quarta pars est quòd dicatur homo ille servis suis bona sua tradidisse, quod vers. 15 et deinceps nomine talentorum explicatur. Itaque eadem pars parabolæ est, *tradidit eis bona sua*, et quod postea sequitur, *uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum.* Talenta ergo et bona quæ Deus hominibus distribuit, D. Ambrosius, in Commentariis in cap. 19 Lucæ, naturalem rationem esse dicit, quam qui diligenter excolit, dignus videtur esse ut ejus naturæ gratia insuper addatur, id est, ut plura illi committantur talenta. Iloc ex nimis latè patet, quia omnibus hominibus natura data est, cùm Christus de solis fidelibus loqui videatur, et non video quomodò cum eo verbo, quod sequitur versu 15, cohærere possit : *Unicuique secundum propriam virtutem;* nec enim natura, aut naturalis ratio unicuique secundùm propriam virtutem data est, cùm nemo, antequàm naturam haberet, virtutem ullam habere posset. Alii bona et diversa talenta, diversa officia ecclesiastica, interpretantur; quale est episcopi, presbyteri, diaconi, ut auctor Imperfecti, homilia 33; alii sensus, ut Hieronymus et Beda, quorum interpretatio eâdem ratione quâ illa prima D. Ambrosii refelli potest. Plerique talentum ipsum evangelium et verbum Dei, quod doctoribus exponendum atque annuntiandum committitur, intelligunt, ut Justinus in dialogo contra Tryphonem; Origenes, tractatu in Matth. 35; Hilarius, can. 27; Chrysostomus, et Theophylactus in hunc locum; alii generaliùs omnia gratiæ, quam vocant gratis datæ, genera per talenta diversa intelligenda esse volunt, ut Anastasius quæstione 84. Quæ omnes interpretationes nimis mihi Christi sensum restringere videntur. Itaque generaliter expono talenta omnia dona quæ à Deo hominibus dari solent, significare; inter quæ gratia, quam vocant, gratum faciens, cujus superiores auctores non meminerunt, primum locum tenet. Eam Deus hominibus tribuit, ut adhibitâ suâ ex parte diligentiâ multiplicent et augeant, non ut in terram defodiant, id est, otiosam esse sinant, quemadmodùm de se dixit D. Paulus : *Et gratia ejus in me vacua non fuit*, 1 ad Cor. 15, 10, et sicut eosdem monet Corinthios, ut dent operam, ne gratiam Dei frustra accepisse videantur, 2 ad Cor. 6, 1. Quinta pars parabolæ videri potest numerus talentorum, quòd alii quinque, alii duo, alii unum tantùm data sint. Iloc enim Hieronymus et Bedam aliosque nonnullos impulit interpretes, ut subtiliter quærerent quid per quinque, quid per duo, quid per unum significaretur; et ut alii per quinque talenta quinque sensus; per duo intellectum et voluntatem; per unum memoriam; alii per quinque talenta quinque legis libros; per duo vetus novumque Testamentum; per unum totam Scripturam sacram interpretarentur; quod sententiæ Christi videtur esse contrarium, qui haud dubiè plus per quinque quàm per duo, quàm per unum significare voluit; horum verò magnorum licèt auctorum ratione atque sententiâ plus duo quàm quinque significarent. Itaque hunc ego numerum nihil ad sensum parabolæ pertinere arbitror, quod ex Lucâ, c. 19, 15, manifestum est, qui non alii quinque, alii duo, alii unum talentum, sed singulis servis singulas minas datas fuisse dicit. Quòd si numerus ad parabolæ sententiam per-

VERS. 3. — ACCEPTIS LAMPADIBUS, NON SUMPSERUNT OLEUM SECUM; fidem habentes sine charitate : virgines dicuntur ob fidei puritatem.

VERS. 12 et 14. — NESCIO vos; vos ut virgines ad nuptias vocatas non novi. SICUT ENIM, videtur suspensa oratio, et ita subintelligendum, sic faciet Christus qui in cœlum ascendet, multo post tempore ad judicium rediturus.

tineret, Lucas cum minimè variâsset; mutâsset enim Christi sententiam. Quia verò illud in parabolâ potissimùm agebatur, ut doceret Christus alios homines cum gratiâ Dei diligentiùs, alios negligentiùs cooperari, hoc tantùm Lucas expressit dicens, unum ex decem illis servis unâ minâ decem, alium quinque lucrifecisse. Si quid numerus apud Matthæum mysterii habet, hoc tantùm habet, ut generaliter significetur nec omnibus hominibus æqualia à Deo dona dari, nec æqualiter omnes cum acceptis cooperari donis. Quòd autem dicat quinque potiùs quàm sex, duo potiùs quàm tria, in eo nihil existimo esse mysterii. Quòd verò ait Christus talenta distributa esse *unicuique secundùm propriam virtutem*, haud facile est interpretari. Hilarius, auctor Imperfecti et Theophylactus, propriam cujusque virtutem fidem intelligere videntur, quam prout quisque majorem aut minorem habet, majorem aut minorem à Deo accipit gratiam. Periculosa sententia, si intelligant nos fidem ex nobis ipsis habere, ut propria cujusque virtus dici possit. Nam, ut ait D. Paulus, Eph. 2, 8, *Dei donum est*. Fuit in eo Origenes errore, ut ex Commentariis in hunc locum apparet; fuit aliquando etiam D. Augustinus, ut ipse se reprehendens adversùs Pelagianos scribens sæpè testatur, melius Hieronymus et Beda videntur interpretari *unicuique secundùm propriam virtutem*, id est, prout se quisque ad recipiendam gratiam disponit; hoc enim ecclesiasticum est dogma, licèt hæretici repugnent, et omninò verum, quamvis non ausim affirmare id Christum dicere voluisse; in medio relinquo. Nam aut vera est interpretatio, aut simillima veræ. Non existimaverim absurdum, si quis dixerit propriam cujusque virtutem naturam esse, quam etsi ex Deo, non ex nobis ipsis habemus, tamen nihil tam nostrum vocare possumus, et est valdè meo judicio vero simile Deum in distribuendis donis suis naturæ uniuscujusque rationem habere; quis enim dubitet Moysi proptereà gubernandi spiritum et gratiam potiùs quàm aliis contulisse, quia naturâ suâ prudentissimus, et, ut Scriptura testatur, omnium hominum mitissimus erat? Scio et posse, et aliquando solere balbutientes, ut Isaias, adhibitis ex altari carbonibus, eloquentes efficere. Scio et per asinam loqui; sed hoc rarum, illud usitatum est. Quanquàm mea hæc est sententia, non illa quidem omninò certa, sed cæteris, ut mihi videtur probabilior, verbum hoc: *Unicuique secundùm propriam virtutem*, non ad aliquid in parabolâ significandum, sed ad explendam parabolæ narrationem ex consuetudine hominum, ex quibus parabola sumebatur, Christum adhibuisse; cujusmodi exempla multa jam in superioribus parabolis adnotavimus, ut in hoc ipso cap., vers. 10, 11 et 12. Quia ergo solent homines bona sua servis non temerè et æqualiter, sed pro cujusque virtute ac fide distribuere, dixit Christus hominem illum peregrè proficiscentem alii quinque, alii duo, alii unum talentum tradidisse, *unicuique secundùm propriam virtutem*, non quòd Deus secundùm propriam cujusque virtutem gratiam distribuat; in eo enim non est parabola ad rem significatam accommodanda; sed quòd id homines, de quibus Christus loquebatur, facere soleant; et, ut sæpè diximus, voluit Christus in parabolis vero similia et fieri solita narrare; etiamsi nihil ad finem parabolæ pertinerent. Sexta pars est, quod dicitur versu 20: *Domine quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum*. Similiter, quod de eo, qui duo acceperat talenta, dicitur versu 22, alia duo lucratum esse; quid enim sit alia talenta superlucrari, variè veteres interpretes exponunt. Illi, quos diximus per talentum verbum Dei intellexisse, præterea etiam Anastasius, plura talenta superlucrari interpretantur plures homines Christianos facere, sicut loquitur divus Paulus, 1 ad Corinth. 9, 19, 20: *Nam, cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem, et factus sum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer; iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cùm ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrifacerem*. Alii plura talenta superlucrari esse dicunt majorem Scripturarum, quæ sibi commissæ sunt, et divinarum rerum notitiam sibi comparare, ut Hieronymus in Commentariis; alii fidei opera adjungere, ut Hilarius, canone 27. Hæc omnia Christi sententiam nimis reddunt angustam; itaque auctoris Imperfecti mihi placet interpretatio, ut accepto talento plura talenta superlucrari sit acceptâ gratiâ benè utendo gratiæ accessionem mereri; hoc enim et catholica docet Ecclesia, et aptè convenit in hunc locum, ubi id Christus agebat, ut doceret eos qui acceptis talentis benè diligenterque negotiati essent, dignos esse quibus plura talenta traderentur. Hoc enim est, quod ait versu 28: *Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta*; et versu 29: *Omni habenti dabitur, et abundabit*; nisi fortè magis placet plura talenta superlucrari hoc esse per acceptam gratiam plura bona opera perficere, unde illud consequatur, quod modò dicebamus, ut quò quisque plura bona opera facit, majorem gratiæ accessionem mereatur; sicut illi qui alia quinque talenta superlucratus fuerat, unum insuper talentum inutilis servi datum est. Septima pars est, vers. 18: *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui*. Itaque videndum est, quid sit talentum in terram defodere. Duo mihi videntur hâc re significari: nimia negotiandi negligentia, cui opponitur quod postea hujusmodi servo dominus dicit, vers. 27: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis*; nummulariis enim damus eam pecuniam quâ negotiari volumus; in terram defodimus eam quam otiosam habemus; defodere ergo talentum est gratiam Dei, ut loquitur D. Paulus, in vacuum accepisse. Significatur deindè nimius quidam timor perdendi talenti. Utrumque usu venire solet his qui nimio quodam metu vota aut Evangelica consilia violandi dicunt se solâ præceptorum observatione esse velle contentos, ne dùm consilia observare volunt, ne præcepta quidem observent, id est, dùm talentum ad negotiandum exponunt, non solùm lucrum nullum faciant, sed sortem etiam perdant; nam plerùmque et lucrum per-

dunt et sortem, et neque consilia observant evangelica, neque præcepta; sicut servus ille negligens causatus se austerum et rigidum habere dominum, qui meteret ubi non seminâsset, ideòquè talentum in terram defodiens non solùm nullum fecit lucrum, sed talentum etiam, quod maximè volebat defodiendo servare, perdidit. Auctor operis Imperfecti talentum in terram defodere esse dicit acceptam gratiam obruere carnali vitâ; Ambrosius verò in Commentariis ad id caput Lucæ rectam naturalemque rationem obruere voluptate. Sed hæc allegorica sunt. Ille, quem indicavimus, nisi fallor, verus est sensus; Lucas non dicit servum illum negligentem acceptam minam in terram defodisse sed sudario illigâsse, eodem sensu. Utrâque enim metaphorâ, quamvis diversâ, idem significatur, gratiam, dùm nimis timidè servare volumus, otiosam reddi, et ad extremum amitti. Dubitant nonnulli cur potiùs Christus dixerit servum illum, qui unum, quàm cæteros, qui plura acceperant talenta, in terram ea defodisse. Nihil fortassis in eo mysterii est, cùm Lucas dicat singulos servos minas singulas accepisse; si quid autem est, hoc esse, arbitror, ut servi illius culpa negligentiaque exaggeretur, qui cùm minùs accepisset, minore quoque labore et acceptum servare, et eo negotiari potuit; quod cùm non fecerit, dignus fuit à quo illud ipsum, quod acceperat, unum talentum tolleretur. Quod non ita ad rem parabolæ subjectam accommodandum esse puto, ut significetur semper eos qui minus à Deo gratiarum acceperunt esse in eis excolendis negligentiores; nec enim id perpetuò verum est, sed ut significetur magis esse reprehendendos qui cùm minùs oneris acceperint, minùs diligenter, fortiterque tulerunt; et qui cùm minùs acceperint gratiæ, minùs benè rationem reddiderunt, quia facilius est parvæ quàm magnæ pecuniæ rationem reddere. Octava est vers. 19: *Post multùm verò temporis venit dominus servorum illorum*, quâ parte dubium non est secundum Christi adventum significari, qui longo post tempore futurus erat. Nona est, quod eodem loco dicitur: *Et posuit rationem cum eis*, quod nihil aliud significat quàm Christum in judicio rationem acceptæ gratiæ ab omnibus, qui se ejus servos profitentur exacturum esse. Decima est vers. 21: *Ait illi dominus ejus: Euge! serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*, quod idem et alteri servo, qui duo talenta multiplicaverat, vers. 23, dicit. Hâc re docet Christus majora se bonis servis, quàm ipsorum merita, præmia daturum esse, quia *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ad Rom. 8, 18; et *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Dominus iis qui diligunt illum*, Isaiæ 64, 4, et 1 ad Cor. 2, 9, ut Hieronymus observavit. Quid ergo? aliquid accepturi sumus præmii, quod meriti non fuerimus? minimè id quidem dico; omne enim quod habituri sumus præmium aut meriti erimus, aut præmium non erit; sed quia non ad æqualitatem justitiæ, sed ad analogiam dantis et accipientis advertendum est, præmium dicitur majus esse quàm meritum. Nota est Alexandri vetus historia, qui cùm poetæ, ut opinor, propter compositum carmen vim magnam pecuniæ jussisset dari, isque respondisset: *Nimium hoc est poetæ*, subjecit: *At Alexandro non est nimium*. Quod sequitur, *in gaudium domini tui*, non est pars parabolæ distincta, sed explicatio superioris: *Super multa te constituam*. Hoc enim est super multa servum constituere, admittere illum ad gaudium domini sui, id est, ejusdem regni, ejusdem gloriæ, et ejusdem quæ indè percipitur, lætitiæ participem efficere; quemadmodùm et de ipso Christo dictum est ad Philippenses 2, 7, 8, 9: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum*; et sicut de Corinthiis dicit D. Paulus, 2 ad Cor. 1, 7: *Spes nostra firma est pro vobis, scientes quòd sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis*; et 2 ad Timoth. 2, 12: *Si sustinebimus, et conregnabimus*. Lucas, c. 19, 17, aliquando aliter scribit: *Euge! bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates*, quia unâ nimirum minâ decem lucrifecerat; et rursùs de altero servo, qui unâ minâ quinque lucratus fuerat: *Et tu*, inquit vers. 19, *esto super quinque civitates*, quod non est in specie, sed in genere ad rem significatam accommodandum; nec enim sensus est fore ut in cœlo homines aut civitatibus, aut ulli omninò officio præficiantur, sed hoc tantùm fore ut pro suis meritis præmia alii majora accipiant, alii minora; sed ex consuetudine, aut Christus, aut evangelista non verba, sed sensum Christi exprimens dixit: *Esto super decem civitates* quia de rege loquebatur, et regum consuetudo est benemeritos viros gubernandis præficere civitatibus. Undecima pars est vers. 24: *Accedens autem, et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es; metis ubi non seminâsti; et congregas ubi non sparsisti*; quam nonnulli auctores necessariam et propriam parabolæ partem facere videntur, quòd id Christus, vers. 26, concedere videatur. Itaque quidam interpretantur: *Metis ubi non seminâsti*, id est, gentes sine lege justificas, et justitiam ab illis colligis, in quorum animis legis sementem non feceras, cujus interpretationis auctor est Hilarius. D. verò Hieronymus: *Metis ubi non seminâsti*, id est, non solùm ab his quibus aut Mosaicam, aut evangelicam legem tradidisti, sed etiam à philosophis, qui sine lege vivunt, bona opera requiris. Ego hæc non arbitror partem esse parabolæ sed adjectitium quoddam supplementum ad explicandam vero similem narrationem, nec enim credibile est quemquam damnatum à Christo ita illi responsurum esse; sed fuit vero simile ita fuisse negligentem servum domino traditæ pecuniæ rationem exigenti responsurum, ut in illum negligentiæ suæ culpam rejiceret, et suam inertiam domini severitate excusaret. Quod ergo sequitur, vers. 26: *Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi*, non ita accipiendum est quasi quod malus ser-

vus dixerat, bonus Dominus verum esse fateatur; sed ita quasi non ex veritate, sed ex servi, quocum dominus loquebatur, opinione dictum sit. Voluit enim illum propriis verbis coarguere, quemadmodùm Lucas expressit, c. 19, 22: *De ore tuo te judico, serve nequam.* Id Euthymius adnotavit. Duodecima est vers. 27: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis*, quod sic quidam interpretantur: Oportuit te verbum Dei, quod tibi commissum fuerat, cum aliis etiam Ecclesiæ doctoribus communicare, qui idem alios docere possent, quâ communicatione fuisset multiplicatum, quemadmodùm ad Timoth. scribit D. Paulus, 2 Epistolâ, cap. 2, 2: *Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Ita Origenes, Hieronym., Beda et Euthym. Alii nummularios populum esse dicunt, et omnes qui Evangelium audire possunt, quibus dùm verbum Dei explicatur, magis ac magis crescit. Ad hunc modum Chrysostomus, Hilarius, auctor Imperfecti, Theophylactus etiam, Hieronymus et Beda interpretantur. Jam supra monuimus per talentum non solùm verbum Dei esse intelligendum; quapropter hæc duæ interpretationes, etsi aliquâ ex parte veræ sunt, tamen plenæ non sunt atque perfectæ. Itaque non existimo nimis subtiliter disquirendum esse quid significet pecuniam committere nummulariis; neque enim, ut arbitror, necessaria parabolæ pars est; hoc tantùm significat, gratiam quam à Deo acceperimus, omni studio diligentiâ, omni arte multiplicandam, quemadmodùm diligentes mercatores solent pecuniam, ne otiosa jaceat, nummulariis in fœnus dare. Posuit autem Christus exemplum in re usitatissimâ, et in unâ specie ex quâ totum genus intelligeretur. Nec enim vult Deus ut malis artibus gratiam multiplicemus, nec fœnus et usuram probat; sed negotiatoris diligentiam requirit quemadmodùm cùm servum illum laudat, qui domino suo centum cados olei debebat, dixit: *Accipe cautionem tuam, et sede, citò scribe quinquaginta*, Lucæ 16, 6, cùmque ejus exemplo jubet nos facere amicos de mammonâ iniquitatis; non enim servi fraudem approbavit, sed industriam atque prudentiam, quâ vult nos etiam in divinis rebus uti. Sunt qui duo verba, *serve male et piger*, ita distinguant, ut malum, quia infidelis, pigrum, quia negligens fuerat, appellaverit, ut Origenes, Hieronym., Beda, et auctor Operis Imperfecti. Decima tertia est eodem versu: *Et veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usurâ.* Usuram Origenes, Hilarius, Chrysostom., Hieronym. et omnes, quos supra diximus per talentum Dei verbum interpretari, auditorum fructum et utilitatem intelligunt; accommodatè id quidem, sed angustè, quia, ut docuimus, latiùs patet sententia. Meliùs auctor Imperfecti per usuram gratiæ et justitiæ incrementum intelligit, quod acceptâ gratiâ benè ac gnaviter utentibus semper accidit. Ex utràque interpretatione una confici potest, quæ Christi sententiam exæquet, et usuræ nomine quidquid utilitatis, aut illi qui gratiam accipit, aut aliis quibus per eam ministravit, intelligamus. Decima quarta est, vers. 28: *Tollite itaque ab eo talentum*, quod Origenes sic exponit, quasi docendi gratia negligentibus doctoribus auferatur. Hoc etiam generaliter interpretor, Dei dona iis qui non benè illis utantur tolli solere, quod et præcipuè et semper in gratiâ gratum faciente verum est, in aliis sæpè; nec enim semper docendi et vaticinandi donum, et alia ejusmodi generis continuò, si quis illis abutatur, auferuntur. Decima quinta videri potest, quod eodem loco dicitur: *Et date ei qui habet decem talenta*; sed hanc non existimo propriè partem esse parabolæ; nec enim eadem gratia quæ uni tollitur, alteri datur; sed dictum id est, quia aut ita inter homines fieri solet, ut pecunia ab infideli, et negligenti servo ablata, fideli ac diligenti tradatur, aut quia vero simile erat id dominum facturum fuisse, quamvis non idem Deus faciat; non ergo significatur quod Deus faciat, sed quod negligentes, quod diligentes homines mereantur. Potest lector aliquis dubitare quomodò post judicium rationes ponendæ sint, gratia aliis auferenda, aliis conferenda sit, non quidem eadem; id enim jam docuimus faciendum non esse; sed alia atque alia. — Respondeo, aut id non pertinere ad finem propositæ parabolæ, nec esse ad sententiam accommodandum, aut si pertinet, non de ultimo, sed de quotidianis privatisque judiciis intelligendum, quamvis propriè parabola ad ultimum judicium spectet. Judicat enim quotidiè homines Deus, et indignis gratiam aufert, dignis auget. Hactenùs exposita parabola est; sequitur parabolæ conclusio generali comprehensa sententiâ:

Vers. 29. — Omni enim habenti dabitur, et abundabit. Origenes ad hunc modum exponit: Omni habenti ex se fidem dabitur gratia, quam ex se non habet; quem errorem, ut caveret, supra lectorem monuimus; eodem ferè modo auctor Imperfecti, Hieronymus et Beda, nisi quòd non dicunt fidem quemquam ex se habere. *Potest*, inquit Hieronymus *et sic intelligi ei qui fidem habet, et bonam in Domino voluntatem, etiamsi quid minus in opere ut homo habuerit,* ut sis particeps gaudii mei; fruere bonis meis.

Vers. 27. — Oportuit ergo, etc. More humano loquitur, ut solent domini divites et avari. Deus à nobis exigit lucrum non usurarium, ut ille dives, sed verum et sanctum: cui plus datum, ab eo plus requiritur. Cum usura, malus ille servus hero sævitiam, et avaritiam exprobrando se excusa um putabat: in quo ipse se condemnabat: nam si ita res erat, debuit trapositis pecuniam tradere.

Vers. 29. — Habenti dabitur. Merces ampla dabitur pro bono usu talenti à Deo accepti.

Vers. 15. — Talenti nomine non gratia gratum faciens, sed gratis data intelligi debet, quæ ad aliorum utilitatem conceditur. Virtutem: Gr. δυνάμιν, *facultatem*: non quòd dona supernaturalia dentur à Deo secundùm vires naturales: sed more humano loquitur, quòd homines soleant pecuniam servis ad lucrum faciendum distribuere spectatâ singulorum industriâ. Quanquàm plerumque gratiæ gratis datæ ad aliorum utilitatem concessæ pro ratione facultatis naturalis dari solent, ut scientia major iis qui plus ingenio valent: sed ipse nos ad accipienda dona facit idoneos.

Vers. 21. — Intra in gaudium, intra in domum,

dabitur à bono judice; qui autem fidem non habuerit, etiam cæteras virtutes, quas videbatur naturaliter possidere, perdet. Hilarius verò: Omni habenti Evangelium, et lex etiam dabitur, non recipienti autem Evangelium, lex etiam auferetur. Ego utrumque accommodatè ad rem subjectam interpretandum esse arbitror. Agebatur de duobus servis, quorum alter plus pecuniæ reddiderat quàm acceperat, alter tantùmdem: *Ecce*, inquit, *habes quod tuum est*; significatur ergo non quidem generaliter omni habenti dari, et omni non habenti auferri; sed omni qui plus habet gratiæ quàm acceperat, quia eam adhibità diligentiâ multiplicavit, majorem quoque dari gratiam, et omni qui gratiam quam accepit non multiplicat, sed otiosam et inutilem retinet, eam ipsam quam habet gratiam auferri, quia indignum se reddidit ut haberet. Quæritur à quibusdam, cur non dixerit: Et id quod habet, sed: *Id quod videtur habere.* — Respondet Hieronymus suam de fide interpretationem sequens: *Quidquid sine fide Christi est, non ei debet imputari, qui malè eâ abusus est; sed illi qui malo etiam servo naturæ bonum tribuit.* Auctor verò Imperfecti: Quia fides, quæ sine bonis operibus est, vera fides non est; sed videtur esse, quod idem alicubi Gregorius scripsit; sed nolunt dicere fidem sine operibus veram fidem non esse, sed inutilem, inanem, mortuam, quemadmodùm divus Jacobus appellavit. Veram ego rationem, cur Christus dixerit: *Quod videtur habere*, esse puto, quòd servus ille, qui pecuniam in terram defoderat, perinde pecuniam habebat ac si non haberet, quia otiosa et inutilis erat; significat ergo eos qui similiter gratiam Dei habent, ita ut per eam nihil boni agere conentur, non tam habere quàm habere videri gratiam. Dicat aliquis: Si verè gratiam habet, qui sic habet, quomodò dixit paulò ante: *Non habenti?* Jam diximus illud, *non habenti*, non esse ad acceptam gratiam referendum, sed ad gratiæ incrementum, quod cùm habere deberet, non habet; nam servus ille talentum quod acceperat, habebat; sed lucrum non habebat; de lucro ergo dictum est, *non habenti*, de talento verò, quod habebat quidem, sed inutiliter, et non aliter quàm si non haberet, dictum est, quod sequitur: *Et quod videtur habere auferetur ab eo.*

Vers. 30. — In tenebras exteriores. De tenebris exterioribus, cap. 8, 12, à nobis dictum est.

Vers. 31. — Cum venerit filius hominis. Videtur explicatio hæc esse parabolæ præcedentis; declarat enim Christus quomodò in judicio rationes cum servis suis positurus sit, ut dixerat vers. 19, quemadmodùm auctor Imperfecti adnotavit. Cur filius hominis Christus appelletur, diximus, cap. 8, 20.

In majestate sua, id est, ostendens majestatem suam, quam tunc, cùm hæc diceret, non ostendebat. Opponit enim tacitè præsenti futurum tempus, et primo adventui secundum. Probabile, quod Chrysostomus et Hieronymus existimant, propterea Christum de futurâ suâ majestate et glorià mentionem intulisse; quia paulò post mortem erat aditurus, ut præsentem infirmitatem futura compensaret gloria, et discipulorum animos, ne in fide mutarent, erigeret, quod et aliis locis fecisse sæpè supra observavimus.

Et omnes angeli cum eo. Omnes angelos cum eo venturos dicit, et ut declaret omnes illius esse, et ut futuram adventûs sui majestatem ante oculos ponat; quemadmodùm enim regem in publicum alicujus magnæ rei causâ procedentem omnes ejus ministri prosequuntur, ita omnes angeli Christum ad judicium venientem comitaturi sunt. Venient etiam omnes, ut putat Chrysostomus, ut testes sint actionum eorum qui judicandi sunt, quia *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, ad Hebræos, 1, 14.

Tunc sedebit. Non significat ante non esse sessurum; sedet enim etiam nunc ad dexteram Patris, quæ sedes majestatis est; sed tacita est antithesis inter tempus secundi adventûs et primi, cùm hæc Christus dicebat; nondùm enim sedebat in sede majestatis suæ. Nec loquitur de veritate, sed de demonstratione majestatis; verè enim etiam nunc sedet, sed homines non vident, tunc sedentem videbunt; propterea dicit tunc sessurum esse.

Super sedem majestatis suæ, ἐπὶ θρόνου αὐτοῦ, *gloriæ suæ*; hebraismus, pro *super sede suâ gloriosâ et illustri.* Disputat Origenes, tractatu in Matthæum, 34, qualis ea sedes futura sit; existimat autem per sedem, aut sanctorum perfectiones atque virtutes intelligendas, in quibus Christus sessurus dicitur, quia sanctis comitatus veniet, ut in ipsis quodammodò insidere videatur; pertinet autem hoc ad regiam majestatem, solent enim imperatores aliquando principum humeris gestari (eamdem interpretationem auctor Imperfecti videtur approbare); aut angelos, qui propterea throni nominantur ad Coloss. 1, 16, quòd super eos Deus sedeat, Psalm. 98, 1: *Qui sedet super cherubim, moveatur terra*; et Psalm. 79, 2: *Qui sedes super cherubim manifestare coram Ephraim, Benjamin et Manasse.* Beda sedem majestatis Christi Ecclesiam interpretatur, quæ quasi tribunal ejus est. Hæc omnia etsi speciem habent probabilitatis, plus habent allegoriæ quàm litteralis interpretationis. Itaque in re prorsùs incertâ, quòd vero mihi videtur esse simillimum sequor, Christum super nubem aliquam lucidam et illustrem sessurum esse, et quia nube evectus in cœlum est, Act. 1, 9, et vers. 11, eodem modo dicitur esse venturus; quamvis id non tam ad nubem quàm ad veritatem adventûs referri posse sciam, et quia ubique in nubibus cœli venturus dicitur, ut cap. 24, 30, et 26, 64, et quia per nubem videtur semper divina majestas declarari, ut cap. 17, 5, et Exodi 16, 10.

Vers. 32. — Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Hic etiam Origenes disputat, an omnes omninò gentes congregandæ sint, an illæ tantùm quæ tunc in vivis fuerint, aut soli Christiani; et ii an omnes, an ii tantùm qui, ut ait D. Paulus, residui fuerint; et ille et Euthymius existimant solos congregandos esse Christianos, quia cæteri jam judicati sunt, ut

ait divus Joannes, cap. 5, 18. Beda quatuor hominum ordines esse dicit; alii enim, inquit, non judicabuntur, sed judicabunt, ut apostoli, quibus dictum est : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*, cap. 19, 28; et de quibus ait D. Paulus : *Nescitis quia angelos judicabimus*, 1 ad Cor. 6, 3; alios, qui judicabuntur, non judicabunt; salvi tamen erunt, ut illi quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere*, infra, vers. 34, 35; alii nec judicabunt, nec judicabuntur, sed peribunt; quales erunt omnes qui extra Ecclesiam reperientur, de quibus dicitur Psalm 1, 5 : *Non resurgent impii in judicio*; alii non judicabunt, sed judicabuntur, et judicio condemnati peribunt, ut illi quibus dicetur : *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, infra, vers. 41 et 42. Scriptura ubique omnes homines staturos esse dicit *ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum*, ad Romanos, 14, 10, et 2 ad Cor. 5, 10. Quòd autem ait D. Joannes, c. 5, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est*, rectè theologi interpretari solent, non opus est ut ejus causa in judicio discutiatur, et ut eorum verbis utar, jam judicatus est judicio discussionis, quo minimè indiget, sed nondùm judicatus judicio approbationis. Denique sensus est : Adeò mala est ejus causa, ut opus non sit ut in judicium tractanda deferatur; cùm enim non credat, se ipse condemnat, sicut de hæreticis dicit D. Paulus, ad Titum 3, 11 : *Subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus*. Solent in scholâ theologis quædam objici : primùm, quòd illa verba : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*, et illa his contraria : *Esurivi, et dedistis mihi manducare*, non possunt ad omnes homines pertinere. Multi enim damnandi sunt, qui esurientem Christum non viderunt, cùm illum penitùs ignorarent, nec scirent pauperes ejus personam gerere; deinde infantes, qui aut salvandi aut damnandi sunt, nec propterea salvabuntur, quia Christum esurientem paverunt, nec propterea damnabuntur, quia non paverunt; non ergo in judicium venturi sunt. Una est hujusmodi ad omnes objectiones et expedita responsio : Christum unam speciem pro toto genere posuisse, sicut in exemplis facere consuevimus; nec enim omnibus qui salvandi sunt, dicturus est : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, nec omnibus qui damnandi : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*; sed quibusdam; hoc enim exemplo tantùm docere voluit se neminem temerè aut salvaturum, aut damnaturum esse, sed justissimâ de causâ, eâque publicè et coram hominibus declaratâ, quemadmodùm in forensibus sententiis fieri solet; unde videtur Christus metaphoram sumere voluisse. Ergo et infantes et infideles omnes judicabuntur; sed illis, cur aut salventur, aut condemnentur, alia reddetur causa. Potest aliquis dubitare cur potiùs dixerit *congregabuntur omnes gentes*, quàm omnes homines; fortasse quia illud plus ponderis habebat : explicatur enim nomine omnium gentium non solùm omnium hominum multitudo, sed etiam varietas; et faciebat ad judicis majestatem, ut explicaretur cum diversarum gentium judicem futurum esse.

Vers. 33. — Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Minimè dubium est bonos oves, malos hœdos appellari; cur autem? id est dubium. Origenes, Euthymius, et Theophylactus bonos quidem oves, quia mites sunt; malos hircos, quia asperi et per præruptа ascendentes, id est, non rectà et planà incedentes viâ, vocari putant. Hilarius verò, et Chrysost., itemque Euthym. et Theophylact., bonos oves, quia utiles et fructuosi; malos hircos, quia infructuosi sunt. Credo ego primùm propterea Christum ovium et hœdorum metaphorâ usum fuisse, quia versu præcedenti dixerat : *Et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis*; per oves autem bonos, per hœdos malos intelligi voluisse, quia oves hœdis meliores sunt. Eâdemque de causâ dicit se oves ad dexteram, hœdos ad sinistram positurum esse, quia locus dexter sinistro honorificentior est, quemadmodùm et Hilarius judicavit, cujus sententiam magis probo quàm illam Origenis, Hieronymi, Bedæ et auctoris operis Imperfecti, qui existimant propterea bonos ad dexteram, malos ad sinistram futuros esse, quòd in Scripturis sacris dextera bonum, sinistra malum significare soleat, ut Ecclesiastis 10, 2 : *Cor sapientis in dextrâ ejus, et cor stulti in sinistrâ illius*; id est, cor sapientis semper bonum, cor stulti semper malum cogitat. Solet quæri ubi infantes futuri sint, qui sine Baptismo ex hâc vitâ decesserunt, cùm non sint propter opera, sed propter vitiosam originem, condemnandi. Certus et minimè hæsitans, respondeo ad sinistram futuros esse, sicut ad dexteram alios infantes, qui non propter bona opera, sed propter susceptі Baptismi gratiam, salvandi sunt. At in judicio, ut ex sententiâ manifestum videtur esse, non nisi de bonis malisque operibus agetur. Id constanter nego : merita enim cujusque ponderabuntur, quæ non semper in operibus, sed in solo aliquando animo, in solâ gratiâ, in solâ origine consistunt; sed, ut diximus, non fuit Christo propositum omnes causas, cur alii salvandi, alii damnandi essent, explicare; sed exemplum tantùm in unâ specie proponere, ex quo aliæ etiam species et causæ intelligerentur.

Vers. 34. — Tunc dicet rex. Non vocaverat se regem ante, sed hominem, et filium hominis; et apud Lucam, hominem nobilem qui peregrè profectus esset ut regni capesseret possessionem; nunc vocat regem, quia de eo tempore loquitur, quo accepto jam regno rediturus est; tum etiam, quia ante nondùm regiam

Hæc ad solos qui crediderunt et secundùm fidem non vixerunt, pertinere Augustinus, l. de Fide et Operibus, cap. 15, existimat.

Vers. 34 et 35. — Etsi hæc narratio est captui nostro accommodata, non dubium tamen est, quin Christus hæc et alia ejusmodi sit dicturus. Esurivi,

descripserat majestatem; nunc eâ descriptâ meritò se regem appellat.

His qui a dextris ejus erunt. Incipit ab honorabilioribus, morem hominum observans; aut, ut ait auctor Imperfecti, propterea ab his qui à dextris futuri sunt, id est, à bonis, initium sumpturus est, quia propensior est ad salvandum, quàm ad condemnandum.

Venite. Vocat eos ad se, quia vult regni sui participes facere, sicut dicit apud Joannem, cap. 12, 26 : *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit*; quia ergo ipse paterni regni possessionem ceperat, ad eamdem possessionem servos vocat, cùm dicit, *venite*; loquitur enim, quasi continuò in cœlum rediturus, vultque ut se servi sequantur.

Benedicti Patris mei. Quidam sic interpretantur : quos Pater meus multis beneficiis cumulavit, quia benedicere in Scripturis beneficiis afficere significare solet; non probo, nec enim de præteritis beneficiis intelligi videtur posse, quæ majora fortassè multis eorum qui damnandi sunt collata fuerunt; sed referendum hoc est, nisi fallor, ad futuram gloriam ad quam eos Christus invitat. Itaque benedicti Patris mei perinde est, ac si dicat, dilecti à Patre meo, et ab eo æternâ vitâ donandi; ut supra, cap. 21, 9, cùm populus Christo diceret : *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, non acceptam prædicabat gratiam, sed futuram illi à Deo apprecabatur. Itaque eorum sententiam nequaquàm probo, qui hoc ad prædestinationem revocant, quasi tacitè reddatur causa cur salvi fiant, quia nimirùm benedicti Patris, id est, ab eo prædestinati sunt.

Possidete; κληρονομήσατε, hæreditatem regni capite; quo verbo Calvinistæ insolenter insultant, quasi hîc omne nostrum meritum abolearur. Si enim, inquiunt, hæreditas est, merces non est; neque labori et merito, sed origini datur, quia filii Dei sumus; *si autem filii et hæredes*, ut nos D. Paulus argumentari docuit; filii autem per fidem sumus; fides eorum opinione hæresis est; ita omnis res concidit in nihilum. Vitam æternam in Scripturis mercedem appellari negare non possunt, supra, cap. 5, 12, et cap. 6, 1, et cap. 10, 41, 42, et cap. 20, 8, ubi de hâc etiam re nonnihil disputavimus, tum etiam 1 ad Cor. 3, 8, 14, et 9, 18, et Apocalyps. 11, 18, et 22, 12; sed non deest hominibus ingeniosè hæreticis responsio, mercedem appellari, non quòd merces sit, sed quia sicut merces post laborem datur, quamvis non propter laborem. Inscitia, si malignitate careret, miseranda; quia malignitati conjuncta est, irridenda. Si enim alius non esset locus, quàm hic ipse, de quo disputamus, ex eo perspicuum esset vitam æternam non solùm post opera, sed etiam propter opera bonis dari, ideòque verè proprièque esse mercedem. Eodem enim modo, eodem contextu, iisdem verbis, eodem sensu bonis dicitur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare*; atque dicitur malis : *Ite, maledicti, in ignem æternum; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*; cùm autem de malis agitur, manifestum est non solùm consequentiam, ut hæretici putant, sed veram etiam causam significari : propterea enim damnantur, quia id verè proprièque meruerunt, Christum esurientem non pascentes; ergo et cùm bonis dicitur : *Venite, possidete regnum; esurivi enim, et dedistis mihi manducare*; non solùm consequentia, sed vera etiam causa et meritum significantur. Sed ex aliis etiam locis clariùs probari potest : propriè enim merces est, et hæretici ipsi confitentur, quæ non solùm post laborem, sed etiam propter laborem datur; dari autem propter laborem ex eo cognoscimus, quòd majori labori major detur, minori minor; at hoc eodem modo D. Paulus testatur dari vitam æternam, 1 ad Cor. 3, 8 : *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*; loquitur autem de eo qui plantat, et de eo qui rigat; quid est ergo *secundùm suum laborem*, nisi qui plus laboravit, majorem; qui minùs, minorem mercedem accipiet? Præterea, cùm Christus dicit supra, cap. 10, 41 : *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet*, quis sanæ mentis dubitare potest majorem et minorem prophetæ ac justi mercedem distinguere voluisse; prout majoris meriti est prophetam quàm justum quemlibet hospitio recipere, quemadmodùm eo loco probavimus? Cur ergo vita æterna hæreditas appellatur? Id, nisi errore suo cæci essent, facilè intelligere potuissent; nempe et merces et hæreditas est; merces, quia meritis, hæreditas, quia filiis datur. Sed illud istos decipit, quòd Deum hominum similem esse putaverunt, apud quos hæreditates temerè ac sine judicio quibusvis filiis bonis ac malis dari solent. Non ita Deus, qui dat regnum cœlorum solis filiis, quia soli meruerunt; et non solùm, quia filii, sed quia digni sunt; ideòque non æqualem omnibus partem, sed majorem melioribus, quod prudentis est patris facere. Scio Chrysostomum, Theophylactum, et Euthymium adnotàsse in verbo κληρονομήσατε hanc vim inesse, ut significet non quoquo modo accipere, sed tanquàm hæreditarium, tanquàm proprium, tanquàm debitum; sed eos Calvinistas non esse ne Calvinus quidem ignorat, qui propterea quòd liberum arbitrium et bonorum operum merita asserere solent, sæpè philosophos appellat.

Paratum vobis regnum, id est, prædestinatum, ut cap. 20, 23, ubi pronomen *vobis* eamdem vim atque illic relativum *quibus* habere arbitror; et sensus sit *vobis*, id est, mœrentibus, sicut illic, *quibus paratum est à Patre meo*, id est, iis qui illud meruerint; hùc enim causalem particulam, quæ versu sequenti ponitur, referendam esse quidam putant : *Esurivi enim*; ut hæc sit sententia : Possidete regnum quod propterea vobis Pater meus prædestinavit, quia *esurivi, et dedistis mihi manducare*, ut Chrysost. et Hieronym. interpretantur. Quod an verum sit, non est hic locus disputandi; illud tantùm dico, videri mihi Christum glorificationis potiùs, de quâ agebat, quàm prædesti-

nationis causam reddere voluisse, ut ex antitheto manifestum est : *Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Hic enim cum eodem loquatur modo, non reddit causam cur illis jam inde ab æternitate ignis paratus sit, sed cur in ignem mittantur : imò ne illis quidem, sed diabolo et angelis ejus ignem illum paratum fuisse dicit; quod, ut postea docebimus, ratione non vacat. Eodem ergo modo hic intelligenda sunt verba, *venite, possidete regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.*

Vers. 35. — Esurivi enim. Paulò ante Calvini interpretationem refutavimus, qui particulam γὰρ, *enim*, non causam, sed consequentiam significare dicit. Potest aliquis dubitare an hæc ipsa verba, quæ hic ponuntur, Christus sit in judicio pronuntiaturus. Legi enim nonnullos recentiores interpretes qui negarent; quod nescio, an sine temeritate fieri possit. Illud ego vero simile esse arbitror non hæc solùm, sed alia etiam nonnulla, quæ aut Christus non dixit, aut evangelista non expressit, in illo judicio dicturum esse. Nec enim, ut supra disputavimus, omnes qui regnum cœlorum accepturi sunt, propterea sunt accepturi quòd esurientem paverint Christum, et est credibile unicuique, cur eum ad regnum cœlorum admittat, rationem expositurum : hoc enim et ad judicis officium, et ad beatorum gloriam pertinebit. Cur ergo de his tantùm qui se esurientem paverant, mentionem fecit? Supra respondimus unam speciem loco exempli pro toto genere posuisse; ideò autem hanc potiùs quàm aliam bonorum operum speciem proposuit, quia nihil nobis magis commendatum esse voluit, quàm eam charitatem quæ erga proximos esset, quæ ipsa, quamvis multas habeat species, in hâc potissimùm observatur, si esurientes pauperes alamus, quemadmodùm Euthym. admonuit.

Vers. 37. — Tunc respondebunt justi : Quando te vidimus esurientem? Putat Origenes, et auctor Imperfecti, justos hoc non oblivione, sed humilitate, responsuros esse, quasi non agnoscentes in se virtutem illam charitatis, cujus causâ à Christo laudati essent. Potiùs credo ideò ita responsuros, quòd Christi verba non intellexerint; non enim ignorare poterunt se aliquando pauperes Christi causâ pavisse; sed quia Christus non est dicturus : Esurierunt enim pauperes, et dedistis eis manducare, sed *esurivi, et dedistis mihi manducare*, et scient se nunquàm Christum ipsum pavisse, interrogabunt : *Quando te vidimus esurientem?* Id constat ex Christi explicatione, **versu 40.**

Vers. 40. — Quamdiu, ἐφ' ὅσον. Quatenus *fecistis uni de his fratribus meis mininis, mihi fecistis;* id est, quod illis fecistis, mihi fecistis, sicut et versu 45 loquitur.

Vers. 41. — Discedite a me; id est, procul abite, nihil enim mihi vobiscum est; non novi vos, quemadmodùm fatuis virginibus dixit supra, vers. 12.

Maledicti. Observavit Orig. et Chrysost. non dixisse, maledicti Patris mei, sicut justis dixerat, vers. 34 : *Venite, benedicti Patris mei*, quia Deus non maledictionis, sed benedictionis, non pœnæ, sed præmii auctor fuit; non quòd non etiam pœnæ auctor fuerit, sed quòd præmia libenter et ex animi propensione, pœnam invitus quodam modo, ut justitiæ suæ satisfaceret, præparaverit.

In ignem æternum. Refellitur his verbis antiquus Origenistarum error, qui pœnas inferni sempiternas futuras esse negabant, adversùs quem Beda et Theophylactus hoc loco disputant. Quanquàm Origenes, tractatu 34, hunc locum edisserens, benè de pœnarum æternitate sentit. Disputatur à theologis, an verus ille sit ignis. Duo in eâ re certa sunt : alterum, quod fides docet, vera esse supplicia quæ non cogitatione solùm, sed sensu tactuque percipiantur; alterum minùs certum, quia fides non docet, sed tamen omnium ferè veterum auctorum testimoniis confirmatum, ignem illum non ejusdem atque nostrum esse conditionis, quemadmodùm Origenes, homiliâ 9 ad diversos, et tract. 34 in Matth., et Ambrosius, in Commentariis in cap. 14 Lucæ, et Hieronymus in cap. 65 et 66 Isaiæ, et Damascenus, lib. 4 de Fide, cap. ultimo tradunt. Inde tamen non sequitur verum ignem non esse, quod etsi nonnulli negant, non videtur sine temeritate negari posse, quia ubique Scriptura pœnas illas inferni ignem appellat; quæ, si metaphora, non veritas esset, aliter aliquando vocarentur, minùsque frequenter iguis dicerentur.

Qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Non dixit, qui paratus est vobis, sicut de regno cœlorum dixerat, vers. 34 : *Possidete paratum vobis regnum*, quia Deus *omnes homines vult salvos fieri* (1 Timoth. 2, 4); et quia *Deus mortem non fecit; fecit enim hominem rectum, et ipse infinitis se miscuit quæstionibus* (Sapient. 1, 13; Ecclesiast. 7, 30). Regnum ergo cœlorum ab omni æternitate omnibus hominibus (si salvi esse vellent) præparavit : ignem autem æternum non nisi necessitate, et quodammodò coactus, ut angelorum puniret audaciam; ita Origenes, Chrysost., Theophylact. et Euthy. Eâdem fortassè causâ non dixit, qui paratus est à constitutione mundi, sicut de regno cœlorum dixerat, eodem cap., versu 34, quia nimirùm regnum cœlorum, quòd suâ sponte propter homines fecerat, à mundi constitutione præparaverat; id est, antequàm homines ipsos faceret. Iguem verò non nisi peccato coactus, ideò non à constitutione, sed post constitutionem mundi, et post peccatum illum præparavit.

CAPUT XXVI.

1. Et factum est : cùm consummàsset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis :

2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas :

4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent.

5. Dicebant autem : Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

6. Cùm autem Jesus esset in Bethaniâ, in domo Simonis leprosi,

7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.

8. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc?

9. Potuit enim istud venundari multò, et dari pauperibus.

10. Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me;

11. Nam semper pauperes habetis vobiscum : me autem non semper habetis.

12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus.

14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum,

15. Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

16. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.

17. Primâ autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha?

18. At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est : apud te facio pascha cum discipulis meis.

19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt pascha.

20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

21. Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrùm me traditurus est.

22. Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine?

23. At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum,

CHAPITRE XXVI.

1. Jésus, ayant achevé tous ces discours, dit à ses disciples :

2. Vous savez que la Pâque se fera dans deux jours, et le Fils de l'homme sera livré pour être crucifié.

3. En ce même temps les princes des prêtres et les anciens du peuple s'assemblèrent dans la salle du grand prêtre appelé Caiphe,

4. Et tinrent conseil ensemble pour se saisir de Jésus par ruse, et le faire mourir;

5. Et ils disaient : Il ne faut pas que ce soit pendant la fête, de peur qu'il ne s'excite quelque tumulte parmi le peuple.

6. Or, comme Jésus était en Béthanie, en la maison de Simon le lépreux,

7. Une femme vint à lui avec un vase d'albâtre plein d'un parfum de grand prix, qu'elle lui répandit sur la tête, lorsqu'il était à table.

8. Ce que ses disciples voyant, ils en furent choqués, et dirent : Pourquoi cette perte?

9. Car on aurait pu vendre ce parfum bien cher, et en donner l'argent aux pauvres.

10. Mais Jésus sachant ce qu'ils disaient, leur dit : Pourquoi faites-vous de la peine à cette femme? Ce qu'elle vient de faire pour moi est une bonne œuvre.

11. Car vous aurez toujours des pauvres avec vous; mais vous ne m'aurez pas toujours.

12. Et lorsqu'elle a répandu ce parfum sur mon corps, elle l'a fait pour m'ensevelir.

13. Je vous le dis en vérité, partout où sera prêché cet Évangile, dans tout le monde, on racontera à la louange de cette femme ce qu'elle vient de faire.

14. Alors l'un des douze, appelé Judas Iscariote, s'en alla trouver les princes des prêtres :

15. Et il leur dit : Que voulez-vous me donner, et je vous le livrerai? Et ils s'engagèrent à lui donner trente pièces d'argent.

16. Et dès lors il cherchait une occasion favorable pour le livrer.

17. Or, le premier jour des azymes, les disciples vinrent à Jésus, et lui dirent : Où voulez-vous que nous vous préparions la pâque à manger?

18. Jésus leur répondit : Allez dans la ville chez un tel, et lui dites : Le maître vous envoie dire : Mon temps est proche; je viens faire la pâque chez vous avec mes disciples.

19. Les disciples firent ce que Jésus leur avait ordonné, et préparèrent la pâque;

20. Le soir donc étant venu, il se mit à table avec ses douze disciples.

21. Et lorsqu'ils mangeaient, il leur parla ainsi : Je vous dis en vérité, que l'un de vous doit me trahir.

22. Ce qui leur ayant causé une grande tristesse, chacun d'eux commença de lui dire : Serait-ce moi, Seigneur!

23. Il leur répondit : Celui qui met la main au plat avec moi, est celui qui me trahira.

24. Pour ce qui est du Fils de l'homme, il s'en va, selon ce qui a été écrit de lui; mais malheur à l'homme par qui le Fils de l'homme sera trahi; il vaudrait mieux pour lui qu'il ne fût jamais né.

25. Judas, qui fut celui qui le trahit, prenant la pa-

nationis causam reddere voluisse, ut ex antitheto manifestum est : *Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus; esurivi enim, et non dedistis mihi manducare.* Hic enim cum eodem loquatur modo, non reddit causam cur illis jam inde ab æternitate ignis paratus sit, sed cur in ignem mittantur : imò ne illis quidem, sed diabolo et angelis ejus ignem illum paratum fuisse dicit; quod, ut postea docebimus, ratione non vacat. Eodem ergo modo hic intelligenda sunt verba, *venite, possidete regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare.*

Vers. 35. — Esurivi enim. Paulò ante Calvini interpretationem refutavimus, qui particulam γὰρ, *enim*, non causam, sed consequentiam significare dicit. Potest aliquis dubitare an hæc ipsa verba, quæ hic ponuntur, Christus sit in judicio pronuntiaturus. Legi enim nonnullos recentiores interpretes qui negarent; quod nescio, an sine temeritate fieri possit. Illud ego vero simile esse arbitror non hæc solùm, sed alia etiam nonnulla, quæ aut Christus non dixit, aut evangelista non expressit, in illo judicio dicturum esse. Nec enim, ut supra disputavimus, omnes qui regnum cœlorum accepturi sunt, propterea sunt accepturi quòd esurientem paverint Christum, et est credibile unicuique, cur eum ad regnum cœlorum admittat, rationem expositurum : hoc enim et ad judicis officium, et ad beatorum gloriam pertinebit. Cur ergo de his tantùm qui se esurientem paverant, mentionem fecit? Supra respondimus unam speciem loco exempli pro toto genere posuisse; ideò autem hanc potiùs quàm aliam bonorum operum speciem proposuit, quia nihil nobis magis commendatum esse voluit, quàm eam charitatem quæ erga proximos esset, quæ ipsa, quamvis multas habeat species, in hâc potissimùm observatur, si esurientes pauperes alamus, quemadmodùm Euthym. admonuit.

Vers. 37. — Tunc respondebunt justi : Quando te vidimus esurientem? Putat Origenes, et auctor Imperfecti, justos hoc non oblivione, sed humilitate, responsuros esse, quasi non agnoscentes in se virtutem illam charitatis, cujus causâ à Christo laudati essent. Potiùs credo ideò ita responsuros, quòd Christi verba non intellexerint; non enim ignorare poterunt se aliquando pauperes Christi causâ pavisse; sed quia Christus non est dicturus : Esurierunt enim pauperes, et dedistis eis manducare, sed *esurivi, et dedistis mihi manducare*, et scient se nunquàm Christum ipsum pavisse, interrogabunt : *Quando te vidimus esurientem?* Id constat ex Christi explicatione, **versu 40.**

Vers. 40. — Quamdiu, ἐφ' ὅσον. Quatenus *fecistis uni de his fratribus meis mininis, mihi fecistis;* id est, quod illis fecistis, mihi fecistis, sicut et versu 45 loquitur.

Vers. 41. — Discedite a me; id est, procul abite, nihil enim mihi vobiscum est; non novi vos, quemadmodùm fatuis virginibus dixit supra, vers. 12.

Maledicti. Observavit Orig. et Chrysost. non dixisse, maledicti Patris mei, sicut justis dixerat, vers. 34 : *Venite, benedicti Patris mei*, quia Deus non maledictionis, sed benedictionis, non pœnæ, sed præmii auctor fuit; non quòd non etiam pœnæ auctor fuerit, sed quòd præmia libenter et ex animi propensione, pœnam invitus quodam modo, ut justitiæ suæ satisfaceret, præparaverit.

In ignem æternum. Refellitur his verbis antiquus Origenistarum error, qui pœnas inferni sempiternas futuras esse negabant, adversùs quem Beda et Theophylactus hoc loco disputant. Quanquàm Origenes, tractatu 34, hunc locum edisserens, benè de pœnarum æternitate sentit. Disputatur à theologis, an verus ille sit ignis. Duo in eâ re certa sunt : alterum, quod fides docet, vera esse supplicia quæ non cogitatione solùm, sed sensu tactuque percipiantur; alterum minùs certum, quia fides non docet, sed tamen omnium ferè veterum auctorum testimoniis confirmatum, ignem illum non ejusdem atque nostrum esse conditionis, quemadmodùm Origenes, homiliâ 9 ad diversos, et tract. 34 in Matth., et Ambrosius, in Commentariis in cap. 14 Lucæ, et Hieronymus in cap. 65 et 66 Isaiæ, et Damascenus, lib. 4 de Fide, cap. ultimo tradunt. Inde tamen non sequitur verum ignem non esse, quod etsi nonnulli negant, non videtur sine temeritate negari posse, quia ubique Scriptura pœnas illas inferni ignem appellat; quæ, si metaphora, non veritas esset, aliter aliquando vocarentur, minùsque frequenter iguis dicerentur.

Qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Non dixit, qui paratus est vobis, sicut de regno cœlorum dixerat, vers. 34 : *Possidete paratum vobis regnum*, quia Deus *omnes homines vult salvos fieri* (1 Timoth. 2, 4); et quia *Deus mortem non fecit; fecit enim hominem rectum, et ipse infinitis se miscuit quæstionibus* (Sapient. 1, 13; Ecclesiast. 7, 30). Regnum ergo cœlorum ab omni æternitate omnibus hominibus (si salvi esse vellent) præparavit : ignem autem æternum non nisi necessitate, et quodammodò coactus, ut angelorum puniret audaciam; ita Origenes, Chrysost., Theophylact. et Euthy. Eâdem fortassè causâ non dixit, qui paratus est à constitutione mundi, sicut de regno cœlorum dixerat, eodem cap., versu 34, quia nimirùm regnum cœlorum, quòd suâ sponte propter homines fecerat, à mundi constitutione præparaverat; id est, antequàm homines ipsos faceret. Iguem verò non nisi peccato coactus, ideò non à constitutione, sed post constitutionem mundi, et post peccatum illum præparavit.

CAPUT XXVI.

1. Et factum est : cùm consummàsset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis :

2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas :

4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent.

5. Dicebant autem : Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

6. Cùm autem Jesus esset in Bethaniâ, in domo Simonis leprosi,

7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.

8. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc?

9. Potuit enim istud venundari multò, et dari pauperibus.

10. Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me;

11. Nam semper pauperes habetis vobiscum : me autem non semper habetis.

12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus.

14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum,

15. Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

16. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet.

17. Primâ autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha?

18. At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est : apud te facio pascha cum discipulis meis.

19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt pascha.

20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

21. Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrùm me traditurus est.

22. Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine?

23. At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum,

CHAPITRE XXVI.

1. Jésus, ayant achevé tous ces discours, dit à ses disciples :

2. Vous savez que la Pâque se fera dans deux jours, et le Fils de l'homme sera livré pour être crucifié.

3. En ce même temps les princes des prêtres et les anciens du peuple s'assemblèrent dans la salle du grand prêtre appelé Caiphe,

4. Et tinrent conseil ensemble pour se saisir de Jésus par ruse, et le faire mourir;

5. Et ils disaient : Il ne faut pas que ce soit pendant la fête, de peur qu'il ne s'excite quelque tumulte parmi le peuple.

6. Or, comme Jésus était en Béthanie, en la maison de Simon le lépreux,

7. Une femme vint à lui avec un vase d'albâtre plein d'un parfum de grand prix, qu'elle lui répandit sur la tête, lorsqu'il était à table.

8. Ce que ses disciples voyant, ils en furent choqués, et dirent : Pourquoi cette perte?

9. Car on aurait pu vendre ce parfum bien cher, et en donner l'argent aux pauvres.

10. Mais Jésus sachant ce qu'ils disaient, leur dit : Pourquoi faites-vous de la peine à cette femme? Ce qu'elle vient de faire pour moi est une bonne œuvre.

11. Car vous aurez toujours des pauvres avec vous; mais vous ne m'aurez pas toujours.

12. Et lorsqu'elle a répandu ce parfum sur mon corps, elle l'a fait pour m'ensevelir.

13. Je vous le dis en vérité, partout où sera prêché cet Évangile, dans tout le monde, on racontera à la louange de cette femme ce qu'elle vient de faire.

14. Alors l'un des douze, appelé Judas Iscariote, s'en alla trouver les princes des prêtres :

15. Et il leur dit : Que voulez-vous me donner, et je vous le livrerai? Et ils s'engagèrent à lui donner trente pièces d'argent.

16. Et dès lors il cherchait une occasion favorable pour le livrer.

17. Or, le premier jour des azymes, les disciples vinrent à Jésus, et lui dirent : Où voulez-vous que nous vous préparions la pâque à manger?

18. Jésus leur répondit : Allez dans la ville chez un tel, et lui dites : Le maître vous envoie dire : Mon temps est proche; je viens faire la pâque chez vous avec mes disciples.

19. Les disciples firent ce que Jésus leur avait ordonné, et préparèrent la pâque;

20. Le soir donc étant venu, il se mit à table avec ses douze disciples.

21. Et lorsqu'ils mangeaient, il leur parla ainsi : Je vous dis en vérité, que l'un de vous doit me trahir.

22. Ce qui leur ayant causé une grande tristesse, chacun d'eux commença de lui dire : Serait-ce moi, Seigneur!

23. Il leur répondit : Celui qui met la main au plat avec moi, est celui qui me trahira.

24. Pour ce qui est du Fils de l'homme, il s'en va, selon ce qui a été écrit de lui; mais malheur à l'homme par qui le Fils de l'homme sera trahi; il vaudrait mieux pour lui qu'il ne fût jamais né.

25. Judas, qui fut celui qui le trahit, prenant la pa-

dixit : Numquid ego sum, Rabbi ? Ait : Tu dixisti.

26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum.

27. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes.

28. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29. Dico autem vobis : Non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

31. Tunc dixit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me, in istâ nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

32. Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

33. Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

34. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hâc nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis.

35. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.

36. Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illùc et orem.

37. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse.

38. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic et vigilate mecum.

39. Et progressus pusillùm, procidit in faciem suam, orans, et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

40. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum ?

41. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem : spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42. Iterùm secundò abiit, et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

43. Et venit iterùm, et invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati.

44. Et relictis illis, iterùm abiit, et oravit tertiò, eumdem sermonem dicens.

45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet.

47. Adhuc eo loquente, ecce Judas, unus de duodecim, venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi à principibus sacerdotum, et senioribus populi.

role, dit : Maître, est-ce moi ? Il lui répondit : Vous l'avez dit :

26. Or, pendant qu'ils soupaient, Jésus prit du pain ; et l'ayant béni, il le rompit, et le donna à ses disciples, en leur disant : Prenez et mangez ; ceci est mon corps.

27. Et prenant le calice, il rendit grâces, et il le leur donna, en disant : Buvez-en tous ;

28. Car ceci est mon sang, le sang de la nouvelle alliance qui sera répandu pour plusieurs, en remission des péchés.

29. Or, je vous dis que je ne boirai plus de ce fruit de la vigne, jusqu'à ce jour auquel je le boirai nouveau avec vous dans le royaume de mon Père.

30. Et ayant dit le cantique, ils sortirent allant à la montagne des Oliviers.

31. Alors Jésus leur dit : Je vous serai à tous cette nuit une occasion de scandale. Car il est écrit : Je frapperai le pasteur, et les brebis du troupeau seront dispersées.

32. Mais après que je serai ressuscité, je vous précéderai en Galilée.

33. Or, Pierre, prenant la parole, lui dit : Quand tous les autres seraient scandalisés à votre sujet, pour moi je ne le serai jamais.

34. Jésus lui repartit : Je vous dis en vérité que cette nuit même, avant que le coq chante, vous me renoncerez trois fois.

35. Pierre lui répondit : Quand même il me faudrait mourir avec vous, je ne vous renoncerai point. Et tous les autres disciples dirent de même.

36. Après cela, Jésus s'en vint avec eux en un lieu appelé Gethsémani ; et il dit à ses disciples : Demeurez ici, pendant que je m'en irai là pour prier.

37. Et ayant pris avec lui Pierre et les deux fils de Zébédée, il commença d'être saisi de tristesse, et d'avoir le cœur pressé d'une extrême affliction.

38. Alors il leur dit : Mon âme est triste jusqu'à la mort : demeurez ici et veillez avec moi.

39. Et s'en allant un peu plus loin, il se prosterna le visage contre terre, priant en ces termes : Mon Père, que ce calice, s'il est possible, passe de moi ; mais néanmoins, qu'il en soit, non comme je le veux, mais comme vous le voulez.

40. Il vint ensuite vers ses disciples, et les ayant trouvés endormis, il dit à Pierre ; Quoi ! vous n'avez pu veiller une heure avec moi ?

41. Veillez et priez, afin que vous n'entriez point en tentation : car l'esprit est prompt, mais la chair est faible.

42. Il s'en alla encore prier une seconde fois, en disant : Mon Père, si ce calice ne peut passer sans que je le boive, que votre volonté soit faite.

43. Il revint encore, et les trouva endormis, parce qu'ils avaient les yeux appesantis.

44. Et les quittant, il s'en alla encore prier pour la troisième fois, disant les mêmes paroles.

45. Après il vint vers ses disciples, et leur dit : Dormez maintenant, et vous reposez : voici l'heure qui approche ; et le Fils de l'homme va être livré entre les mains des pécheurs.

46. Levez-vous, allons ; voici qu'il approche, celui qui doit me trahir.

47. Comme il parlait encore, voilà que Judas, l'un des douze, arriva, et avec lui une grande troupe de gens armés d'épées et de bâtons, envoyés par les princes des prêtres, et par les anciens du peuple.

48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est : tenete eum.

49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.

50. Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti ? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.

51. Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.

52. Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum ; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones angelorum ?

54. Quomodò ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri ?

55. In illâ horâ, dixit Jesus turbis : Tanquàm ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me : quotidiè apud vos sedebam, docens in templo, et non me tenuistis.

56. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

57. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum, ubi scribæ et seniores convenerant.

58. Petrus autem sequebatur eum à longè, usque in atrium principis sacerdotum : et ingressus intrò, sedebat cum ministris, ut videret finem.

59. Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.

60. Et non invenerunt, cùm multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes,

61. Et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud.

62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversùm te testificantur ?

63. Jesus autem tacebat : et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.

64. Dicit illi Jesus : Tu dixisti : verumtamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.

65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus ? Ecce nunc audistis blasphemiam.

66. Quid vobis videtur ? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.

67. Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt : alii autem palmas in faciem ejus dederunt,

48. Or, celui qui le trahissait, leur avait donné un signe, disant : Celui que je baiserai, c'est lui, arrêtez-le.

49. Aussitôt donc, s'approchant de Jésus, il lui dit : Je vous salue, mon Maître ; et il le baisa.

50. Jésus lui répondit : Mon ami, qu'êtes-vous venu faire ici. Alors ils s'avancèrent, se saisirent de lui et l'arrêtèrent.

51. Alors un de ceux qui étaient avec Jésus portant la main à son épée, la tira, en frappa un des gens du grand-prêtre et lui coupa l'oreille.

52. Mais Jésus lui dit : Remettez votre épée dans le fourreau, car tous ceux qui se serviront de l'épée, périront par l'épée.

53. Pensez-vous que je ne puisse pas prier mon Père, et qu'il ne me donnerait pas aussitôt plus de douze légions d'anges ?

54. Comment donc s'accompliront les Écritures, qui déclarent qu'il faut que cela arrive ainsi ?

55. Alors Jésus dit à cette troupe : Vous êtes venus avec des épées et des bâtons, pour me prendre comme un voleur : j'étais tous les jours assis parmi vous, enseignant dans le temple, et vous ne m'avez point arrêté.

56. Mais tout cela est arrivé afin que s'accomplît ce qui est écrit dans les prophètes. Alors les disciples l'abandonnèrent tous, et s'enfuirent.

57. Cependant les gens qui s'étaient saisis de Jésus, l'emmenèrent chez Caïphe, le grand-prêtre, où les scribes et les sénateurs étaient assemblés.

58. Pierre le suivait de loin, jusque dans la cour du grand-prêtre ; et y étant entré, il s'assit avec les domestiques, pour voir la fin.

59. Or, les princes des prêtres, et tout le conseil, cherchaient un faux témoignage contre Jésus pour le faire mourir.

60. Et ils n'en trouvaient point, quoique plusieurs faux témoins se fussent présentés. Enfin il vint deux faux témoins,

61. Qui dirent : Celui-ci a dit : Je puis détruire le temple de Dieu, et le rebâtir en trois jours.

62. Alors le grand-prêtre se leva, et lui dit : Vous ne répondez rien à ce que ceux-ci déposent contre vous ?

63. Mais Jésus gardait le silence. Et le grand-prêtre lui dit : Je vous adjure par le Dieu vivant de nous dire si vous êtes le Christ, le Fils de Dieu.

64. Jésus lui répondit : Vous l'avez dit ; mais je vous déclare que vous verrez un jour le Fils de l'homme, assis à la droite de la majesté de Dieu, et venant sur les nuées du ciel.

65. Alors le grand-prêtre déchira ses vêtements, en disant : Il a blasphémé ; qu'avons-nous encore besoin de témoins ? Vous venez d'entendre le blasphème.

66. Que vous en semble ? Ils répondirent : Il mérite la mort.

67. Alors on lui cracha au visage, on le frappa à

68. Dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?

69. Petrus verò sedebat foris in atrio : et accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras.

70. At ille negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis.

71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno.

72. Et iterùm negavit cum juramento : Quia non novi hominem.

73. Et post pusillum, accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Verè et tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit.

74. Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. Et continuò gallus cantavit.

75. Et recordatus est verbi Jesu, quod dixerat : Priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè.

coups de poing ; et d'autres lui donnèrent des soufflets,

68. En disant : Christ, prophétise-nous qui est celui qui t'a frappé.

69. Pierre cependant était au dehors assis dans la cour ; et une servante s'approchant, lui dit : Et vous aussi étiez avec Jésus de Galilée.

70. Mais il le nia devant tous, disant : Je ne sais ce que vous voulez dire.

71. Et comme il sortait de la porte, une autre servante l'ayant aperçu, dit à ceux qui se trouvèrent là : Et celui-ci aussi était avec Jésus de Nazareth.

72. Pierre le nia une seconde fois, disant avec serment : Je ne connais point cet homme-là.

73. Peu après, ceux qui étaient là, s'avancèrent et dirent à Pierre : Assurément vous êtes aussi de ces gens-là, car même votre langage vous décèle.

74. Alors il se mit à faire des imprécations, et à jurer qu'il ne connaissait point cet homme-là : et aussitôt le coq chanta ;

75. Et Pierre se ressouvint de la parole que Jésus lui avait dite : Avant que le coq chante, vous me renoncerez trois fois. Et étant sorti, il pleura amèrement.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Et factum est. Chrysostomus et Theophylactus existimant continuationem esse, quâ evangelista Christi passionem regno conjungit, de quo superiore capite dixerat ; potiùs transitionem esse arbitror, quâ explicato doctoris officio officium redemptoris aggreditur explicare.

Sermones hos omnes. Sunt qui eos intelligant sermones, quos proximo capite de futuro judicio evangelista narravit, in quibus Hilarius. Sunt qui non solùm ad proximum, sed etiam ad 24 cap. hæc referant, ubi de fine etiam mundi Christus disseruerat. Sunt qui ad omnia quæ ab initio Evangelii usque ad hunc locum Matthæus scripserat, pertinere putent, ut sermones, non verba tantùm, sed etiam facta comprehendant, quasi dicat : Cùm Christus hæc omnia quæ hactenùs exposui fecisset ac docuisset, dixit discipulis suis : *Scitis quia post biduum Pascha fiet* ; sic Beda et eum secutus Strabus. Hæc omnia probabilia sunt ; sed illud ego magis probo, quod in Commentariis ad hunc locum D. Thomas animadvertit, evangelistam omnem Christi doctrinam, quam toto Evangelio ante exposuerat, comprehendere voluisse, quasi diceret : Cùm Christus doctoris officium explèsset, cœpit se ad redemptoris officium præparare, et ejus rei discipulos admonere. Nam etsi apud Hebræos, verbum, res etiam significat, tamen hoc loco nomine sermonum verba factaque significari duriùs videtur. Observavit Origenes propterea dixisse evangelistam, *hos omnes*, ne eos excluderet quos postea Christus, et ante passionem, et post resurrectionem habuit.

Vers. 2. — Scitis quia post biduum. Difficilis hic locus est, et multis quæstionibus implicatus. Prima, unde ferè reliquæ pendent, quo die hoc Christus dixerit ; inde enim intelligendum est in quem diem inciderit Pascha ; secunda, quo die Christus Pascha celebraverit ; tertia, quo die Judæi, quos indicat Joannes non eodem die quo Christum celebrâsse ; quarta, si non eodem die celebrârunt, utri legitimo ac solenni die celebraverint, Christusne et ejus discipuli, an Judæi. De primâ quæstione omnes ferè conveniunt auctores Christum hæc dixisse die duodecimâ mensis primi Hebræorum, qui noster est martius, quia Pascha ad finem decimæ quartæ, et initium decimæ quintæ celebrabatur, Exodi 12, 6, 18. Loquitur autem Christus de Paschâ ex legis præscripto. Itaque quamvis Græcorum opinio, quæ falsa omninò est, vera esset, de quâ in secundâ quæstione dictum summus, Christum uno die Pascha anticipâsse, nihil impediret : loquitur enim Christus de eo Pascha quod discipuli sciebant ex lege post biduum futurum esse. Si autem Christus Pascha suum anticipavit, discipuli quando illud celebraturus esset, nesciebant ; at dicit : *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*. Quis autem hebdomadis dies fuerit quo Christus hoc dixit, duabus ex rebus perspicuum est : primùm ex die passionis ; certum enim est Christum ferià sextâ passum esse, quia Lucas, c. 23, 56, et Joannes, cap. 19, 31, testantur postridiè ejus diei quo Christus passus est : illa *Pascha*, iteratur, et eamdem habet significationem, seu de ejus præparatione, seu de immolatione, seu demùm de manducatione agatur ; ubique agit immolationem, vel esum significat. Sic v. 17, 18 et 19 hujus capitis, primus dies Azymorum erat feria quinta, et dies decimus quintus à vespere hujus diei incipiebat. Sic dies secundus Azymorum erat dies 16, ex Josepho, l. 3, c. 10. Dies festi incipiebant à vespere diei præcedentis : tametsi Judæi, ut omnes ferè nationes diem civilem à mediâ nocte præcedentis diei

fuisse sabbatum, præterquàm quòd id omnis Ecclesiæ catholicæ usus docet ; hoc si ita est, necesse est ut ferià tertiâ Christus hæc dixerit. Eodem enim die quo agnum edit, id est, Pascha celebravit, mortuus etiam est ; sed edit agnum horâ noctis primâ, id est, initio diei decimæ quintæ ; mortuus est horâ ferè sextâ sequentis diei, ut vocant usualis, ejusdem autem diei naturalis ; inter feriam autem tertiam et sextam duo interjecti sunt dies, hoc est, *post biduum Pascha fiet*. Deinde ex magnifico illo ingressu Christi in Hierusalem idem colligitur. Ingressus enim est primo die hebdomadis, qui nobis nunc Dominicus est, ut et Ecclesia docet, et ex Joanne, c. 12, 1, intelligi potest, ubi scribit Christum ante sex dies Paschæ Bethaniam venisse, ubi Lazarus fuerat mortuus, versu autem 12, scribit in Hierusalem cum celebri illâ pompâ ingressum esse ; ubi non levis conjectura est, propterea die præcedente ingressum non fuisse, sed Bethaniæ quievisse, quod sabbatum esset, quo die non potuisset turba ramos arborum præcidere. Si ergo dies sabbati sexta, ut ait Joannes, ante Pascha dies erat, Pascha fuit ferià sextâ sequentis hebdomadis ; nam dies sabbati à ferià sextâ sequente, sexta dies est. Cùm autem Christus dixerit : *Post biduum Pascha fiet*, sequitur hoc eum dixisse ferià tertiâ, quæ Latinè dies martis appellatur. Series ergo actionum Christi à die sabbati, quo fuit Bethaniæ, usque ad diem Paschæ, quâ mortuus est, ex evangelistis hujusmodi colligitur ; die sabbati Bethaniæ cœnavit, Joan., 12, 2 ; ferià primâ Hierosolymam ingressus est, Joannis 12, 12 ; eodem die Bethaniam rediit, ubi hospitium habebat, Matthæi 21, 17 ; ferià secundâ iterùm rediit Hierosolymam, Matthæi 21, 18, et Marci 11, 15, atque tunc cùm secùs viam ficum vidisset, fructumque nullum invenisset, illi maledixit ; eodem rursùs die Bethaniam ad hospitium revertit, Marci 11, 19, atque tunc, quia jam fortassè noctescebat, discipuli arefactam ficum videre non potuerunt ; ferià tertiâ manè iterùm rediit in Hierusalem, quo tempore Petrus arefactam ficum animadvertit, quia clara jam dies erat, Marci 11, 20, 27 ; rursùm eodem die credendum est eum Bethaniam rediisse, quia solebat, ut scribit Lucas, cap. 21, 37, singulis noctibus ab Hierusalem in montem Oliveti secedere, ad cujus radicem Bethania sita erat. Postea evangelistæ non narrant eum Hierosolymam revertisse usque ad feriam quintam sub noctem, cùm Pascha celebravit. Hoc ergo aut ferià tertiâ, sub finem diei, aut quartâ, sub initium noctis, quod et diei apud Hebræos initium est, Christus dixit. Si ante finem feriæ tertiæ dixit, intelligendum erit, ut loquuntur, *exclusivè*, quod ait : *Post biduum Pascha fiet* ; si intra quartam, *inclusivè*.

In secundâ quæstione, fuerunt qui dicerent Christum eo anno Pascha non celebrâsse, ut Euthymius et Theophylactus referunt, vers. 20 ; cæteri verò Græci à Latinis ferè dissentiunt. Veterum enim Græcorum opinio videtur esse, Christum die decimâ tertiâ mensis primi, qui Hebræis erat nisan, nobis martius, id est, uno die ante tempus à lege præscriptum, Exodi 12, 6, Pascha celebrâsse, ut ejus mors in ipsum diem Paschæ, id est, decimum quartum mensis primi, incideret, veritasque figuræ responderet, et verus agnus eodem die quo typicus occideretur. Mortuus enim est Christus postridiè quàm cum discipulis agnum edit. Hæc est Origenis opinio, tractatu in Matthæum 33, Chrysostomi et Theophylacti in cap. Joannis 18, 28, et Euthymii hoc loco. Unde recentiorum Græcorum natus est error, ut existiment Christum in cœnâ illâ postremâ non azymo, sed fermentato pane usum fuisse, quòd nondùm dies azymorum esset, id est, decimâ quintâ mensis primi postridiè quàm agnus occideretur, Exodi 12, 18. Eorum argumenta hæc sunt : Primum, quòd Joannes, cap. 13, 1, dicat Christum ante diem festum Paschæ cœnam illam egisse. Secundum, quòd ex eodem Joanne, cap. 18, 28, manifestum sit Judæos, cùm Christus condemnatus est, nondùm Pascha celebrâsse ; *et ipsi non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Tertium, quòd idem Joannes, c. 19, 14, 31, affirmet Christum passum esse in parasceve Paschæ, id est, pridiè ante Pascha ; dies autem Paschæ erat primus dies azymorum, Exodi 12, 18, et Levitici 23, 6 ; itaque Christus, cùm pridiè primæ dici azymorum cœnam illam egerit, non potuit in eâ azymis uti. Hanc opinionem in explicatione quæstionis quartæ paulò post refutabimus ; nunc tantùm ad subsequentis mediam usque noctem protendebant. Hinc Pererius, in cap. 1 Genes., propè certum est, et si id nunc ageretur, multis exemplis Scripturarum, multisque argumentis probari posset apud Judæos fuisse olim in usu triplex genus dierum, diem scilicet legalem à vesperâ in vesperam, diem naturalem ab ortu solis in ortum, diem usualem à mediâ nocte ad mediam noctem ; et quidem voces usitatæ, *pridiè*, *hodiè*, *cras*, non ex vespere, sed ex mediâ nocte distinguuntur. Si quid actum fuerit post solis occasum, nemo dixerit id factum fuisse hesterno die. Quare primus dies Paschalis usualis non à vesperâ, sed à mediâ nocte incipiebat. Unde agnus Paschalis extremâ parte diei 14 lunæ immolabatur, et primâ parte diei 15 edebatur : adeò ut duo illi dies sibi succedentes idem sibi nomen communicarent ex communi loquendi usu ; et pars extrema diei 14 celebris ob manducationem agni et festi Azymorum nomen interdùm tribuebat diei integro 14 breviandi sermonis causâ. Unde evangelistæ potuerunt vocare diem Azymorum primum diem 14 in quo necesse erat occidere Pascha, et extensione quâdam nominis pars illius diei quarta in totum diem refluebat. Nec tamen festus erat dies ad sextam usque horam. Aliis tamen videtur primum diem Azymorum qui præ cæteris festis erat solennis, fuisse sabbatum, neque eo ipso die Christum Dominum morti fuisse condemnatum : cui sententiæ videtur favere Joannes Evangelista, ut suo loco dicemus. Atque ii videntur satis aptè tres evangelistas cum Joanne conciliare, qui duos proximè sibi dies consequentes Azymorum à Judæis observatos volunt, cùm alii et plebs ipsa à conjunctione lunæ cum sole, alii à primâ lunæ phasi mensem inciperent. Unde priores die Jovis sub vesperam, posteriores, iique magis spectabiles, ut sacerdotes, Pharisæi et scribæ à vesperâ die Veneris diem primum Azymorum numerabant, ut ex Joanne Evangelistâ colligi videtur. Unde et usus Judæorum duplex Pascha induxerat, quòd incertus esset dies primus lunæ, et innumerabilis multitudo tum Jerosolymam conveniret.

dicimus, absurdissimum esse dicere Christum Paschæ celebrationem anticipâsse, qui omnem legem, quamdiù cum hominibus versatus est, et servandam esse docuit, et ad unguem servavit; inauditum autem est quemquam ante constitutum à lege diem Pascha celebrâsse, ut etiam D. Thomas in Commentariis in cap. Joannis 18, observavit. Latini omnes consentiunt, Christum die decimâ quartâ primi mensis ad vesperum agnum comedisse, quemadmodùm lex prescribebat; sed illud Græcos auctores, nonnullos etiam Latinos videtur fefellisse, quòd sensum legis non animadverterunt; inchoabant Judæi dies suos à solis occasu, sicut Græci et Latini à nocte mediâ; alii à solis ortu. Jubebat lex, Exodi 12, 6, et Levit. 23, 5, ut agnus die decimâ quartâ mensis primi ad vesperam, ut Hebraicè est בֵּין הָעַרְבַּיִם, inter duas vesperas agnus comederetur, id est, in confinio utriusque diei decimæ quartæ et decimæ quintæ; solis enim occasus finis erat decimæ quartæ, initium decimæ quintæ erat. Eadem quoque utriusque diei vespera dicebatur decimæ quartæ dies, quia ejus finis; decimæ quintæ, quia ejus noctis initium erat, atque hoc est inter duas vesperas, quemadmodùm Galli simili phrasi dicunt: *Entre chien et loup*, non, ut quosdam interpretari memini, qui duas vesperas, alteram præcedentis, alteram sequentis noctis initium intellexerunt, quod apertè legi contrarium est, quâ præcisè cavebatur ut illo puncto quo diximus temporis agnus ederetur, nec quidquam ex eo usque ad matutinum tempus remaneret, Exodi 12, 10, et Levit 22, 30, nec, ut quidam hæreticorum interpres exponit, qui unam vesperam finem decimæ quartæ diei, alteram totam sequentis diei noctem intelligendam esse dicit. Hinc factum est ut aliquando dicatur Christus die decimâ quartâ; aliquando decimâ quintâ Pascha celebrâsse, ut infra, vers. 17: *Primâ autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* et Marci 14, 12: *Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, et paremus tibi, ut manduces Pascha?* et Lucæ 22, 7: *Venit autem dies azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha*; quibus omnibus locis die decimâ quintâ primi mensis Pascha, id est, agnus Paschalis occidendus fuisse dicitur, cùm Exodi 12, 6, Levit. 23, 5, die decimâ quartâ occidi jubebatur, nimirùm quia in utriusque diei confinio occidebatur, nunc die decimâ quartâ, nunc decimâ quintâ occidi dicitur, quo tempore usque in diem octavum fermentato pane uti non licebat, Exodi 12, 15, Levitici 23, 6. His locis, ut paulò ante apud evangelistas adnotavimus, Græcorum error manifestissimè refellitur. Matthæus enim, Marcus et Lucas, disertis verbis scribunt eam diem quâ Christus agnum comedit, primam azymorum diem fuisse; quare non potuit Christus contrà legem fermentato uti pane; quomodò autem Joannes eum diem appellet Parascevem, et cur Judæi non eâdem nocte agnum ederunt, in quartâ, ut diximus, quæstione explicabimus. Nunc ex iis, quæ diximus, apparet cur idem Joannes, cap. 13, 1, dicat Christum ante diem festum Paschæ cœnam illam peregisse, etiamsi demus eum non de Judæorum, sed de Christi Pascha loqui, quod paulò post disputabimus; perinde enim est ac si dicat peregisse die decimâ quartâ ad vesperum, quo tempore non nisi azymo pane uti licebat, ut ex illis, quæ ante adduximus, Exodi et Levitici testimoniis, manifestum est. Itaque quod alii tres evangelistæ die decimâ quintâ, id est, primâ die azymorum factum fuisse dicunt, id Joannes ante diem festum Paschæ, id est, die decimâ quartâ factum scribit, nullâ utique repugnantiâ, sed usitatâ Scripturæ consuetudine, quâ agnus nunc die decimâ quartâ, nunc decimâ quintâ occidi dicitur quia in utriusque veluti junctura occidebatur. Christum ergo in fine decimæ quartæ, et initio decimæ quintæ diei agnum edisse ex hâc Matthæi, Marci et Lucæ, cum Joanne collatione perspicuum est, tum etiam ex prioris quæstionis explicatione. Si enim hoc die mensis primi duodecimâ, ut probatum est, Christus dixerat, cùm dixerit post biduum Pascha futurum, et haud dubiè de suo etiam Pascha loqueretur, sequitur eum die decimâ quintâ sub finem decimæ quartæ Pascha celebrâsse.

Tertia quæstio multò est difficilior: tres enim sunt magnorum auctorum de eâ sententiæ, quæ magnâ contentione defendantur. Prima eorum, qui existimant Christum et Judæos eodem die et agnum comedisse, et diem festum Paschæ celebrâsse; cujus opinionis Alcuinum veterem bonumque theologum D. Thomas auctorem facit, quem nostro tempore multi non hæretici modò, sed maximè etiam catholici doctique viri secuti sunt. Potest autem his potissimùm argumentis confirmari: Primum, quòd Matthæus, hoc cap., v. 17, et Marcus, c. 14, 12, et Lucas, cap. 22, 7, scribant primam diem azymorum fuisse, cùm discipuli Christum interrogarent: *ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Primo autem azymorum die et agnum occidi atque edi, et festum Paschæ celebrari lex præcipiebat; utrumque igitur Judæi, sicut et Christus eo die fecerunt. Secundum, quòd discipuli quasi omnium Judæorum consuetudinem secuti eo die Pascha celebrantium, Christum interrogaverunt: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Tertium, quòd Marcus, cap. 14, 12, dicat fuisse primam diem azymorum, *quando Pascha immolabant*, et Lucas, cap. 22, 7, *in quâ necesse erat occidi Pascha*; eodem igitur die Judæi omnes immolaverunt. Quartum, quòd Christus jubeat, infra, versu 18, et apud Marcum, cap. 14, 14, discipulos certo cuidam homini dicere: *Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?* Ubi ita loquitur, quasi homo ille et lege et consuetudine certò sciat eâ nocte omnes Judæos debere Paschalem esse agnum, ideòque non recusaturum eum locum illi domini suæ præparare. Quintum, quod principes sacerdotum et seniores populi dicant: *Non in die festo, ne fortè tumultus fiat in populo*, versu 5, et Marci 14, 2. Itaque, cùm hoc dicebant, aut dies erat festus, aut adeò propinquus, ut ante illam Christum occidere non possent; inierunt

autem hoc consilium, ut versu 5 dicemus, initio feriæ quartæ; ergo aut ipsa quarta, aut saltem quinta feria, quâ Christus agnum comedit, dies festus Judæorum erat. Eodem ergo die, quo Christus, et agnum ederunt, et Pascha celebrârunt. Sextum, quòd Joannes, cap. 13, 1, apertè dicat Christum *ante festum diem Paschæ*, id est, pridiè Paschæ agnum comedisse; sequens igitur dies Pascha Judæis erat; eodem ergo die quo Christus Paschalem agnum comederunt, et Paschæ festum celebrârunt. Septimum, quòd Joannes, cap. 13, 29, scribat: *Quidam enim putabant quia loculos habebat Judas, quòd dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum*; erat ergo aut idem aut sequens dies Judæorum festus. Octavum, quòd Matthæus, cap. 27, 15, et Marcus, cap. 15, 6, et Lucas, cap. 23, 17, et Joannes, cap. 18, 39, dicant eo die quo Christus crucifixus est, solutum fuisse à præside Barabbam, quia die festo Paschæ solebat Judæis vinctum aliquem unum, quem petivissent, dimittere. Ille igitur ipse dies Pascha Judæorum erat. Nonum, quòd non sit credibile Christum alio tempore quàm Judæos Pascha celebrâsse, quod si fecisset, coram præside quasi religionis reus accusatus esset, cùm causas undique adversùs illum sacerdotes criminationum quærerent. Decimum, quòd si præter Judæorum morem ante solemnem et usitatum diem Pascha celebrâsset, et illum ipsum hospitem, apud quem cœnavit, et omnes, qui factum novissent, graviter offendisset, quemadmodùm nunc si quis sive episcopus, sive privatus homo diem Paschæ ante aut post reliquum christianum populum ageret, omnes offenderet. Undecimum, si non eodem die Judæi quo Christus egerunt Pascha, aut Christus diem prævenit, aut Judæi procrastinârunt; neutrum lex facere permittebat, quemadmodùm D. Thomas in Commentariis in cap. Joannis 19, confirmavit. Duodecimum, si Christus alio die quàm Judæi Pascha celebrâsset et mortuus esset, veritas figuræ minimè respondisset; non enim verus agnus eodem die quo typicus occisus esset. Hactenùs hæc sententia confirmari potest.

Secunda opinio aliorum est, qui non eodem die, sed uno Christum ante Judæos? ischa egisse putant, in quâ sententiâ Origenes, tractatu in Matthæum 35, Chrysost. et Theophylact., in cap. Joannis 18, et Euthymius hoc loco, et Nicephorus, libro 1, c. 28, sunt, præterquàm quòd existiment Christum legitimum diem prævenisse; quâ de re quartâ post quæstione disseremus. Huic opinioni jamdiù Paulus Burgensis, doctus et diligens interpres, magnum auctoritatis robur adhibuit. Potest autem et his argumentis comprobari.

Primum, quòd Joannes, cap. 18, 28, dicat Judæos, cùm Christum coram præside accusarent, non ausos in prætorium introire, ne profanæ domûs ingressu contaminati Pascha edere non possent; nondùm igitur ederant; atqui ederat Christus nocte jam præcedente; non igitur eodem die Judæi, quo Christus, sed postridiè, agnum ederunt, Paschaque celebrârunt. Hoc argumentum efficax et apertum est, multosque in hanc sententiam auctores meritò traxit. Respondent recentiores quidam, quod et Alcuinum jam olim respondisse apud D. Thomam lego, Pascha eo loco non agnum, sed azymos panes significare. Crederem, si ullo exemplo aut auctoritate probaretur. Nunc autem nec illi probant, et aliâ ex parte ex lege colligitur necesse non fuisse ut qui azymos panes ederunt, mundi essent; nam nec lex de eâ re quidquam statuit, nec id ullâ Judæorum traditione introductum credendum est omnibus Judæis futurum intolerabile, cùm tam multis, tam levibus, tam passim occursantibus rebus contaminarentur, ut vix se diem unum mundos servare possent: dies autem azymorum septem essent, quo tempore quisquis fermentato uteretur pane, mortis reus erat: *Septem*, inquit, *diebus azyma comedetis; in die primo non erit fermentum in domibus vestris; quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel à primo die usque ad septimum*, Exodi 12, 15; quòd si contaminati azymo vesci non poterant, cùm tam frequenter tamque multis contaminarentur rebus; quot, quæso, homines quotidiè etiam festis diebus damnandi fuissent! Alii respondent Pascha eo loco agnum significare, sed sensum esse ut manducarent Pascha eâdem nocte ante lucem, quia nondùm nox illa, quâ agnum occidi edique oportebat, præterierat: *Erat enim mane*, inquit evangelista, *et non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Hi auctores eodem verbo quo sententiam suam probare student, refutantur; verbo, inquam, illo, mane; prohibebat enim lex non solùm ne totus agnus, sed etiam ne quidquam ex illo usque ad mane remaneret, Exodi 12, 10; quomodò ergo, si mane erat, totum illi agnum et occidere poterant, et comedere? Adde quòd non tam mane esse poterat, ut clara jam dies non esset; nec enim simile vero est Judæos, quantâvis agitatos rabie, ad præsidem ante lucem, et antequàm de lecto surgeret, reum adduxisse, ne cujus gratiam ad condemnandum Christum conciliare oportebat, cum importuno adventu offenderent. Cur ergo Joannes, dicet aliquis, quasi de industriâ verbum illud, *mane*, posuit? Ut significaret sequentem jam diem illucescere cœpisse; itaque non restabat dies unus integer usque ad diem quo Judæi Pascha celebraturi erant; itaque si tunc contaminati fuissent, non satis habuissent temporis, ut sese mundarent. Oportebat enim uno saltem die immundum manere. Itaque stat firmum argumentum Judæos postridiè quàm Christum Pascha celebrâsse.

Secundum est Joan. 19, 14: *Erat autem parasceve Paschæ, horâ quasi sextâ*; loquitur autem Joannes de tempore quo Christus damnatus et cruci affixus est, eumque ipsum diem Paschæ parascevem appellat, id est, pridiè ante Pascha; nondùm igitur Judæi Pascha celebrârant. — Respondent nonnulli non esse sensum fuisse parascevem Paschæ, id est, pridi Paschæ, sed fuisse parascevem sabbati, quæ inciderat in diem Paschæ, quasi dicat: Erat autem parascevè diei Paschæ. Id probant primùm, quòd nusquàm legamus Pascha parascevem ullam habuisse, neque opus fue-

rat, cùm parasceve nihil aliud esset quàm dies festum præcedens, quo festo non licebat quæ ad victum pertinebant apparare; inde vocata à Græcis παρασκευή, ab Hebræis הכנה, id est, præparatio, quòd in eo quæ in diem sequentem necessaria essent, præpararentur; die autem Paschæ non prohibebat lex, sed potiùs concedebat, quæ ad vitam necessaria erant præparare. Exodi 12, 16 : *Dies prima erit sancta atque solennis, et dies septima eâdem festivitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis iis quæ ad vescendum pertinent.* Deinde, quòd nusquàm legamus parasceven, nisi sabbati, ut Matthæi 27, 62, et Lucæ 23, 54. *Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat*; et clariùs D. Marcus, cap. 15, 42 : *Et cùm jam serò esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum,* ὅ ἐστι προσάββατον quasi explicans quid significaret parasceve, dixit esse, προσάββατον, id est, pridiè sabbati. Hæc omnia vera ego esse concedo; sed illud non concedo, idem esse apud Joannem parascevem Paschæ; ac si dicat, parascevem sabbati, quæ dies erat Paschæ, quæ locutio non minùs dura et absurda est, quàm si, cùm festum D. Joannis Baptistæ pridiè festi corporis Christi celebratur, de eo die aliquis loquens vigiliam D. Joannis appellaret, non quòd festi D. Joannis vigilia esset, sed quòd vigilia corporis Christi, quæ in festum D. Joannis incidisset; quis enim ita loquentem non derideret? Parascevem igitur Paschæ Joannes appellavit, etiamsi Pascha parascevem instituto suo non haberet, quia ut quæstione quartâ docebimus, eo anno Pascha Judæorum in sabbatum incurrerat, et quia sabbatum habet parascevem, quod eo anno idem erat Pascha; optimo consilio Joannes diem præcedentem, quo Christus mortuus est, parascevem Paschæ nominavit, ut uno verbo lector intelligeret diem sequentem, et sabbatum fuisse, quia parascevem habebat, et Pascha, quia eam ipsam parascevem Paschæ vocavit quod nemo utique intelligere potuisset, si absolutè dixisset fuisse parascevem. Pejus etiam mihi videntur respondere, qui nullius auctoritate codicis adducti locum emendant, et genitivum *Paschæ* non legunt. Istud enim non est Scripturam interpretari, sed delere.

Tertium est, quòd idem Joannes, eodem capite 19, 31, dicat fuisse magnum diem illum sabbati, quasi non vulgare, sed sanctius atque celebrius, quàm cæteris annis, eo fuisset anno; sanctius autem esse non potuit, nisi si eodem die Paschæ festum celebratum est; hâc enim ratione verè magnum fuit, quia et sabbatum, et Pascha. Respondent ii, quibus superior sententia magis placet, non vocâsse D. Joannem sabbatum illud magnum, quòd eodem die Judæi Pascha celebrarent, sed quòd una ex diebus azymorum esset. Hi docti licèt viri non animadvertunt hoc nihil ad id quod Joannes probare voluit facere potuisse; reddebat enim rationem, cur Judæi Pilatum rogaverint, ut Christo et latronibus crura frangerentur, quo citiùs animam exhalarent, et ante diem sabbati de cruce tollerentur, quia nimirùm die sabbati tolli non poterant et manere suspensa minimè decebat, multòque minùs eò quòd magnum erat; quam ad rem dies azymorum nihil afferebat impedimenti, cùm omnibus azymorum diebus, excepto primo, et ultimo, liceret laborare, Exodi 12, 16. Itaque nihil sanctitatis, nihil magnitudinis sabbato adhibebant. Sensus igitur est fuisse magnum diem illum sabbati, quia et sabbatum, et Pascha erat, quorum neutro licebat aut corpora deponere et sepelire; aut in cruce fixa relinquere, ne diei celeberrimi sanctitas mortuorum corporum præsentiâ contaminaretur.

Quartum est hoc capite apud Matth., versu 5, et Marci 14, 2 : *Dicebant autem, non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*, quibus verbis, ut in ejus versûs explicatione docebimus, noluerunt dicere, qui in eo concilio disceptabant, Christi cædem usque in post Pascha esse differendam, quemadmodùm ii auctores interpretantur, qui Judæos existimant eodem, quo Christum die egisse Pascha; sed potiùs voluerunt, ut ejus mors accelleraretur, antequàm dies Paschæ veniret, qui ipsis post duos dies futurus erat; hoc enim eorum invidiæ, et crudelitati magis consentaneum est. Sunt, qui dicant sensum esse, conandum ut eâ ipsâ nocte ante lucem Christus occideretur, antequàm dies Paschæ illuceseeret, qui et à Christo, et ab illis postridiè celebrandus erat. Sed hi nimis mihi videntur properare; nondùm enim Judæi comprehendendi Christi rationem invenerant. Alii putant diem differre voluisse, sed inventâ proditoris Judæ opportunitate, qui Christum osculo, et sine tumultu tradere posset, consilium mutavisse, et ipso die, quo Pascha celebrabant, et comprehendisse, et condemnâsse. Neque hi videntur considerare, quid Judæi dicant, *ne fortè tumultus fieret in populo*, qui quidem tumultus non tam ex Christi apprehensione, quàm ex morte excitari poterat, itaque non poterat Judæ proditio eum impedire : non ergo propter inventum, promptumque proditorem sententiam mutaverunt; nec tam illi Judæ, quàm eorum Judas opportunitate usus est, qui cùm intellexisset eos de capiendo Christo consilia agitare, noluit homo avarus et perfidus, inventis mercatoribus, vendendi præceptoris occasionem amittere.

Quintum est Joann. 13, 1 : *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo, ad patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo in finem dilexit eos, et cænâ factâ*; ubi dubium non est Joannem *ante diem festum Paschæ*, non quemlibet Pascha præcedentem diem, sed proximum, et pridianum appellare; illud autem dubium esse potest, utrùm de Pascha, quod Christus, an de Pascha, quod Judæi celebraturi erant, id sit intelligendum; sed multò est probabilius, ut supra indicavimus, Joannem de Judæorum Pascha loqui, cùm agat de cænâ, quam Christus egit, et lotione pedum, quæ facta sunt initio ejus diei, quo Christus Pascha celebravit; itaque non dixisset Joannes *ante diem festum Paschæ*, sed die festo Paschæ, si de Christi Pascha loqueretur, sicut Matthæus infra versu 17, et Marcus c. 14, 12, dixerunt, *primâ autem die azymorum*, cùm non de ipsâ cænâ, id est Paschæ celebratione, sed de ejus præparatione

loquerentur, quam pridie Paschæ fieri oportebat. Deinde, quia voluit Joannes explicare, quibus rebus singularem illum amorem erga discipulos suos, de suo dicit, *in finem dilexit eos*, Christus ostenderit; ostendit autem non esu agni Paschalis, quod singulis faciebat annis; sed lotione pedum, et corporis, et sanguinis sui exhibitione, quod ante non fecerat. Hæc autem duo, ut idem Joannes exponit, peractâ jam typicâ agni Paschalis cœnâ facta sunt; itaque non nisi multâ jam nocte, id est, die Paschæ aliquantulùm provecto fieri potuerunt; quare non potuit verè dicere *ante diem festum Paschæ* facta fuisse. Nam quod quidam dicunt, *diem festum* accipi pro die, quem vocant artificiali ab ortu solis usque ad occasum, qui dies nondùm advenerat, quia usitatum esse non video, non libenter admitto. Reliquum igitur est, ut Joannes de Judæorum Paschâ loquatur, quod omnibus commune ac notum erat, et de quo solo poterat lector, quod dicebatur, intelligere.

Sextum : eodem cap., v. 29, discipuli putaverunt, cùm Christus Judæ dixit *quod facis, fac citiùs*, significare voluisse, *ut emeret ea quæ ad diem festum Paschæ necessaria erant*, quod magis convenit, si nondùm Pascha illud, de quo Christus loquebatur, advenerat, sed in proximo erat : illud autem, quod Christus celebravit, jam advenerat; jam enim, cùm hæc dixit, agnum ederat.

Septimum : si eo die, quo Christus mortuus est, Paschaque celebraverat, Judæorum quoque Pascha fuisset, non licuisset Josepho homini justo et cæteris, qui illi operam dederunt Christum de cruce ponere ac sepelire, cùm sanctæ illæ mulieres, ne ad monumentum quidem ire, et Christum ungere voluerint propter diem sabbati; Lucæ 23, 56.

Octavum : minùs etiam credibile est principes sacerdotum, et seniores populi, qui se religionis conservatores profitebantur, eâque potissimùm de causâ Christum accusabant, quòd religionem violare videretur, in ipsâ ejus accusatione religionem violare voluisse; quod profectò fecissent, si ipso die festo Paschæ omnium sanctissimo et celeberrimo capitalem adversùs Christum causam egissent, cùm nullo festo die causam illam, vel levissimam agere liceret. Fecerunt illi quidem nonnulla die sabbati, quæ parùm licere videbantur, sed multò minora, nempe Pilatum adierunt, rogâruntque, ut sepulcrum custodiendum curaret, ne Christi discipuli furarentur; accesserunt etiam ipsi ad sepulcrum, et positis custodibus, adhibitoque sigillo munierunt, sed hæc omnia, ut dixi, leviora erant, quàm die festo Paschæ hominem, vel de mediâ plebe, in judicium rapere, accusare, condemnare, crucì affigere.

Denique si non Deum, tamen populum credibile est eos timuisse, ne facti indignitate concitatus, quòd hominem die Paschæ ad mortem trahi videret, et eum hominem, quem maxima pars sanctissimum prophetam esse putabat, ipsos occideret; hoc enim timore dixerant: *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.*

Hanc igitur opinionem probabiliorem judico, quia etsi fortassè pauciora, multò tamen certè fortiora habet argumenta, quæque multò difficiliùs, quàm, quæ ad probandam alteram sententiam allata sunt, solvi possunt. Nam quod primo loco objectum est Matthæum, vers. 17, Marcum c. 14, 12, Lucam c. 22, 7, eum diem, quo Christus agnum edit, primum diem azymorum appellare, primum autem azymorum diem fuisse Pascha, non difficile solvitur; evangelistas non ex Judæorum traditione, de quâ quæstione 4 dicemus; sed ex lege locutos esse; secundùm autem legem dies ille, quo Christus agnum comedit, verùm Pascha erat. Atque, id fortassè taciè significare voluerunt, cùm tam diligenter tempus notaverunt, dixeruntque primum azymorum diem fuisse, non Judæos, sed Christum legitimo tempore Pascha celebrâsse. Quòd si nobis contendere liberet, diceremus, cùm discipuli Christum interrogârunt, ubi vellet Pascha præpararent, non fuisse primum azymorum diem etiam ex lege, quia nemo dubitare potest, quin id discipuli ante solis occasum die decimâ quartâ primi mensis interrogaverint; post solis enim occasum nimis serò interrogavissent, cùm illo puncto temporis non parandum, sed edendum Pascha esset : dies autem decima quarta non erat prima dies azymorum, sed quia prima azymorum dies aspectabat, dixerunt *primâ autem die azymorum*, quasi dicant instante primâ azymorum die; sicut ergo, cùm nondùm esset prima azymorum dies, id est, Pascha Christi, dixerunt, *primâ autem die azymorum*; ita cùm nondùm Judæorum Pascha esset; id est, prima ipsorum azymorum dies, quia tamen proxima erat, dicere potuerunt, primam azymorum diem fuisse : non enim semper evangelistæ punctim tempus designant, sed aliquando, more hominum vulgari, quod certum est, quemadmodùm unus evangelista horâ sextâ, alius horâ tertiâ Christum crucifixum fuisse dicit, quia inter tertiam, et sextam crucifixus est. Quanquàm non ideò hæc dicimus, quòd vera esse existimemus; credimus enim evangelistas hoc loco de die azymorum, et Pascha Christi locutos esse, sed ut doceamus, si aliâ ratione argumentum solvi non posset, hâc posse. Secundum hoc modo solvi potest, discipulos jam à Christo monitos fuisse, ipsum ante alios Judæos eo die, quem lex præscribebat, Pascha celebrare decrevisse. Jam enim illis dixerat : *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, quod ex Lucâ, cap. 22, 7, 8, 9, clariùs apparet : *Venit autem dies azymorum*, id est appropinquavit, *in quâ necesse erat occidi Pascha, et misit Petrum, et Joannem dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt : Ubi vis paremus?* Unde perspicuum est, priùs Christum discipulis indicâsse velle se die sequenti Pascha celebrare, quàm eum discipuli rogarent, ubi præparari vellet; sed id alii evangelistæ prætermiserunt, Lucas exposuit. Ad tertium respondeo evangelistas non de Judæorum, sed de Christi, id est, legitimo Pascha loqui, et illo ipso verbo, *in quâ necesse erat occidi Pascha*, Lucam fortassè indicare voluisse Christum, etsi ante alios Judæos, legitimo tamen

tempore Pascha celebrâsse, quo ex lege necesse erat occidi. Quod autem ait Marcus, *primo die azymorum, in quo Pascha immolabant*, non de Judæis, qui tunc erant, sed aut de antiquis, qui legem, non traditiones sequebantur, aut de Christo, et ejus discipulis intelligendum est, quasi dicat primam azymorum diem fuisse, quâ veteres Judæi Pascha celebrabant, aut quâ Christus et ejus discipuli celebrâtari erant. Ad quartum respondeo, quamvis Judæi eo anno, ut postea dicemus, festum Paschæ uno die postposuerint, neminem tamen ignorare potuisse ex legis præcepto eo die, quo Christus egit, fuisse celebrandum; propterea hospitem illum mirari non potuisse, si Christus eo die celebraret: cùm omnes scirent eum, non Pharisæorum traditiones, sed legem Dei solitum sequi. Facilius etiam solvitur quintum; quòd enim Judæi dicunt, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, non est argumentum diem jam fuisse festum, cùm ista dicebant; nam, ut versu 5 docebimus, hæc ab illis duodecimâ, aut tertiâ decimâ die mensis dicta sunt: et verò sunt, qui putent sex ante Pascha dictas dicta fuisse: quare colligi inde non potest Judæos eodem die, quo Christum, egisse Pascha; nam utrumque et Christi, et Judæorum Pascha appropinquabat, neutrum advenerat. Sicut ergo si Judæi eodem die, quo Christus, Pascha celebrassent, hoc dicere potuerunt; ita si uno post die celebrârunt; tantùm enim dicere volebant expediendam diligenter, et citò rem esse, antequàm dies festus adveniret: qui sive duobus, sive tribus, sive, ut alii volunt, sex diebus abesset, propinquus tamen erat. Ad sextum respondendum est, cùm Joannes dicit: *Ante diem festum Paschæ*, de Judæorum Paschâ loqui, pridie cujus Christus, cùm agnum comedisset, Paschaque sum celebrâsset, illa singularis amoris argumenta, de quo loquitur, discipulis exhibuisset, ut paulò supra diximus. Septimum leve est, et à nobis paulò ante ad probandam contrariam sententiam ex eodem testimonio majus argumentum desumptum fuit. Octavum sic solvi potest: Præsidem aut non ipso die Paschæ, sed pridie solitum fuisse vinctum unum absolvere, quem à se Judæi postulâssent, quod et nunc alicubi fit, et tunc factum fuisse vero simile est: aut non eo die, quo Christus crucifixus est, Barabbam dimisisse, sed sequenti, qui Pascha Judæis erat: dictum autem ab evangelistis esse tunc eum Judæis dimisisse, quòd tunc potestatem fecerit crastino eum die dimittendi. Ad nonum respondeo aut sacerdotes, qui Christum accusârant, ignorâsse illum eâ nocte agnum comedisse, aut non ausos esse id crimen objicere, cùm scirent Christum ex lege Pascha suum celebrâsse. Ad decimum jam responsum est propterea neminem offendi potuisse; quòd omnes scirent secundùm legem eo die, quo à Christo celebratum est, Pascha celebrandum fuisse. Ad undecimum quæstione quartâ respondebimus, nec Christum tempus anticipâsse, neque Judæos distulisse: sed Christum secundùm legem, Judæos secundùm traditiones suas egisse Pascha. Atque hâc ratione postremum argumentum dissolvitur: cùm enim secundùm legem Christus Pascha celebraverit; et eâdem die mortuus fuerit, rectè veritas figuræ respondit. Diximus tres in hâc quæstione esse sententias. Itaque reliqua una est, de quâ nullum interpretem mentionem fecisse video. Rupertus in Commentariis in hunc locum existimat Judæos partim eodem die, quo Christum, partim postridie egisse Pascha; eodem quidem die, quia eâdem nocte, quâ ille, agnum immolârunt, et comederunt; postridiè, quia non illum, sed sequentem diem otio, ut festum, celebrârunt, ne dues continenter dies quiescere, ac cessare cogerentur; cùm dies insequens sabbatum esset. Iloc ne credibile quidem videtur esse, præsertim cùm constet ex Joanne eo die, quo Christus mortuus est, nondùm Judæos edisse agnum; itaque probabilius dicere potuisset diem quidem festum eumdem, atque Christum Judæos celebrâsse; agnum verò Paschalem postridiè comedisse, ut nonnulli etiam auctores videntur existimare. Quarta nunc superest quæstio, quæ, etsi omnium difficillima erat, explicatâ tamen copiosè tertiâ, facilis est. Quærebatur utrinam Christus an Judæi legitimo tempore Pascha celebraverint, si non eodem die celebrârunt. Origenes, tractatu 35 in Matth., Chrysost. et Theophylact. in c. 18 Joan., Eutym. in Comment. in hunc locum putant, Christum uno die tempus celebrandi Paschæ à lege præscriptum prævenisse, cujus rei Chrysostom. et Theophylact. rationem reddunt, ut mortem suam in diem sequentem, qui Pascha erat, reservaret. Fallor, nisi ista eâdem ratione, quam adferunt, refellantur. Nam si Christus die Paschæ mori voluit, ut typici agni figuram verus agnus impleret, cùm constet ex evangelistis nocte præcedente, id est, eodem die naturali secundùm Judæos illum egisse Pascha, sequitur eum non prævenisse tempus: sed die à lege constituto Pascha celebrâsse. Nec, ut supra diximus, credibile ullo modo est Christum ante legitimum diem Paschæ peregisse; cùm omnibus in rebus usque ad finem vitæ, ut idem Chrysostomus docet, ad perfectum legem servaverit, et nunquàm leserit tempus lege constitutum prævenire. Hanc denique opinionem cum suis argumentis satis quæstione primâ refutavimus. Alii existimant Christum quidem, et legitimo tempore, Pascha egisse; Judæos verò in sequentem diem non aliâ de causâ transtulisse, quam ne festi celebratione impediti, eo die Christum occidere non possent, quæ opinio August. et Hieronymi præclaris nominibus, vulgò commendator; haud scio, quàm verè, nec enim de eâ re quidquam legere apud eos auctores memini. Id etiam D. Thom. in Commentariis in cap. 18 Joannis docte refellit, quod et lex et consuetudo præciperet, ut si quis uno anno, quod aut immundus, aut impeditus esset, legitimo die non posset Pascha celebrare, mense sequenti, decimâ quartâ die mensis celebraret, Num. 9, 10, 11; eam ergo probo sententiam, quam multi non probant, neque Christum tempus Paschæ anticipâsse; neque Judæos distulisse, et non eodem tamen die celebrâsse, sed Christum legis præscriptum; Judæos majorum suorum traditiones secutos esse. Probat Rupertus

in Commentariis hujus loci, et post eum Paulus Burgensis copiosissimè, diligentissimèque confirmat post exilium Babylonicum constitutum inter Judæos fuisse, ut quotiescumque Pascha in feriam sextam incideret, in sequentem diem sabbati transferretur, ne duo continenter dies festi consequerentur, quod populo grave erat, cùm nec sepelire mortuos, nec alia ejusmodi etiam pia opera, et non magnoperè laboriosa facere possent diebus festis. Eam traditionem multi jam productis Rabbinorum testimoniis probaverunt. Paulus verò Burgensis, homo diligens et fide dignus, affirmat se cum Hebræo quodam ejusmodi rerum peritissimo ex Hebræorum kalendario ducto calculo comperisse eo anno, quo Christus mortuus est, Pascha in feriam sextam incidisse; itaque Christus ipsâ feriâ sextâ, ut lege præceptum erat, et Pascha celebravit, et mortuus est. Judæi verò, ut à majoribus constitutum fuerat, die sequenti celebrârunt. Scio Rabbi Abragam in Commentariis in cap. Levitici 23, scribere in Misne, et in Thalmud reperiri aliquando Pascha in feriam secundam, quartam, et sextam, incurrere, sed nescio an propterea neget, cùm in sextam feriam incurrebat, solitum in sabbatum transferri; aut an tantùm auctoritatis mereatur, ut ejus gratiâ ab aliorum sententiâ discedere debeamus.

Pascha fiet. Dies festus Paschæ celebrabitur, aut agnus immolabitur; utrumque enim Pascha significat. Quod autem Origenes adnotat propterea dixisse Christum: *Pascha fiet*, et non Pascha erit, quòd illud Pascha, de quo loquebatur, usitatum non esset, sed singulare, et ante tempus anticipatum, quasi diceret, etiamsi solemne tempus Paschæ non erit, tamen à me Pascha fiet, subtilis argutia est, et à nobis supra refutata; neque Græcè est, fiet, sed γίνεται, est, aut fit, præsenti posito pro futuro, sicut statim dicit, παραδίδοται, traditur, pro tradetur, aut tradi oportet; cujusmodi exempla adnotavimus, cap. 17, 11, 21.

Et filius hominis. Loquitur de se, ut solet, per tertiam personam. Cur autem filius hominis appelletur, c. 8, 20, exposuimus.

Tradetur, ut crucifigatur. Παραδίδοται traditur, pro tradetur, aut tradi oportet, ut paulò ante docuimus, à quo tradendus sit, non dicit. Origenes autem, et D. Thomas in Commentariis monuerunt, et à Patre traditum esse, Rom. 8, 32: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; et à se ipso ad Galat. 2, 20: *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*; et ad Ephes. 5, 2: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis*; et 25: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro eâ*; et à diabolo, Joan. 13, 2, et à Judâ, Matth. 10, 4, et 26, 15, 16; et à Judæis, Matth. 27, 2: *Adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi*; et Marci 15, 1: *Vinctentes Jesum duxerunt, et tradiderunt Pilato*; et Joan. 18, 35: *Gens tua, et Pontifices tradiderunt te mihi*; et à Pilato militibus, ut crucifigeretur, Matth. 27, 26: *Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur*. Diverso tamen animo à diversis traditum: à se et à Patre, ut homines redimeret; à diabolo, ut redemptionem impediret et traditores ad peccatum incitaret; à Judâ avaritiâ; à Judæis invidiâ; à Pilato timore, ne non satis amicus Cæsaris videretur. Hæc placent, illud non placet, quod iidem auctores docent, propterea Christum infinitè locutum esse, nec expressisse, à quo tradendus esset, ut omnes qui tradituri erant comprehenderet; non enim de omnibus, sed aut de solis sacerdotibus, Scribis, et senioribus, aut de illis simul, et Judâ loqui arbitror; sic enim solet, ut supra, cap. 16, 21, et cap. 20, 19. Et verbo illo *tradetur*, videtur culpam, et reprehensionem indicare, quæ in Judâ, et sacerdotibus maxima fuit. Poterit aliquis dubitare, quorsùm hoc Christus discipulis dixerit. Videtur suam divinitatem probare voluisse; indicat enim se futura scire, cùm illi ipsi, qui tradituri erant, necdùm scirent, quo tempore occisuri eum essent, et adhuc inter se altercarentur, *non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo*.

Ut crucifigatur. Pœna tunc usitata et à Romanis introducta, ut c. 27, 35, explicabimus. Dicit tradendum esse, ut crucifigatur, quia in eum finem à Judæis Pilato traditus est, clamantibus: *Crucifige, crucifige eum*: de illis enim præcipuè, ut paulò ante diximus, loquitur Christus.

Vers. 3. — Tunc. Quid hoc adverbio significetur, non omnibus convenit. Sunt qui putent sex dies ante Pascha significari, quòd eo tempore scribat Joannes, cap. 12, 10, 19, principes sacerdotum convenisse, ut de occidendo Christo deliberarent; quod si ita est, adverbium illud *tunc*, non præcisè tempus illud de quo evangelista loquebatur, sed quod non longè aberat, significabit, quasi dicerent, sub idem tempus. Probabilius est, quod vulgò credit Ecclesia, hoc concilium biduo ante Pascha, id est, eodem tempore, quo Christus discipulis dicebat: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*, coactum fuisse: videtur enim evangelista, cùm dixit *tunc*, punctum temporis indicare voluisse, ut significaret eodem tempore, quo sacerdotes dicebant non oportere Christum in die festo occidere, Christum dixisse oportere, ut in die festo occideretur, ut appareret plus divinum decretum, et Christi prædictionem, quàm Judæorum consilia valuisse.

Congregati sunt principes sacerdotum. Eodem loco Matthæus indicat, et unum sacerdotem principem fuisse, et multos, quod cap. 2, 4, explicavimus. Græcè additur, quod Latinè non legitur καὶ οἱ γραμματεῖς, et scribæ, quos verisimile est Christum cum principibus sacerdotum et senioribus populi conjunxisse: quemadmodum de eâdem re loquens, Marci 14, 1, et Lucæ 22, 2, conjunxit, et supra cap. 2, 4. Illi enim Judæorum concilium conficiebant, principes sacerdotum, id est, capita familiarum sacerdotalium cum summo sacerdote, qui simpliciter princeps sacerdotum vocabatur; scribæ, qui legisperiti erant; seniores populi, quasi tres reipublicæ status, ut c. 2, 4, probavimus.

In atrium. Græcè, *in aulam*, ad verbum. Itaque sunt qui interpretentur in palatium principis sacerdotum, quòd probabile esse non videatur clandestina

consilia de homine sanctissimo occidendo in atrio, id est, in ipso domûs ingressu, et in loco aperto, ac judiciali, habita fuisse, et scribit Athenæus, lib. 5. τὴν αὐλὴν Græcis regum palatia significare, sicut aula Latinis idem est, quod regia, et aulici, qui regiam frequentant. Noster interpres ferè semper atrium convertit, ut hoc loco, et infra, vers. 58, et 69; et Marci 14, 54, 66; et Lucæ 11, 21, et 22, 55; et Joan. 18, 15; et Apocal. 11, 2. Multò melius, meo quidem judicio, quàm si palatium convertisset: nam ex versu 58 manifestum est locum illum, de quo evangelista loquitur, quemque vocat αὐλὴν, non totam fuisse domum, aut magnam aliquam domûs aulam; sed locum apertum in ipso aditu domûs, quem Latini cortem appellant, indeque Galli *cour*, Itali et Hispani *corte*. Ait enim eo loco Matthæus: *Petrus autem sequebatur eum à longè usque in atrium principis sacerdotum, et ingressus intrò sedebat cum ministris, ut videret finem*: clariùs etiam vers. 69: *Petrus verò sedebat foris in atrio*: atrium igitur erat foris; et Marci 14, 68: *Et exiit foràs ante atrium et gallus cantavit*; et cap. 15, 16: *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii*, id est, eduxerunt ab interiori domo, ubi præses erat, in exteriorem cortem, ubi milites et omnis populus promiscuè solebat esse, ut purpurâ indùto illuderent. Ex loco etiam Apocal. 11, 2 appàret αὐλὴν cortem domûs fuisse.

Qui dicebatur Caiphas. Homo erat avarissimus, et perditus, qui quâ ratione ad summum pervenerit sacerdotium, libro 18 Antiquitatum, cap. 3, et 6, Josephus tradit.

Vers. 4. — Et concilium fecerunt. Græcè, *unanimi consensu consilium ceperunt*.

Ut Jesum dolo tenerent. Clàm et fraudulenter, non apertâ vi, quia timebant populum, ut Lucas, cap. 22, 2, expressit.

Et occiderent. Hæc omnia eorum consilia tendebant; sæpe enim ante occidere tentaverant; quo autem modo id deliberaverint, Joannes, cap. 11, 47, 8, 9, 50, copiosiùs narravit: *Collegerunt ergo pontifices, et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit; si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent locum nostrum, et gentem; unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, neque cogitatis, quia expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Quanquàm

Vers. 5. — Non in die festo; et tamen in die festo Christus voluit occidi juxta communiorem sententiam, non item si Christus Paschatis, seu agnum Paschalem unà cum discipulis manducavit die Jovis, et sacerdotes die tantùm Veneris, ut viris pererudiis videtur, seu de primo die lunæ inter Judæos non convenerit; adeò ut alii à medio lunæ motu, alii à vero motu eum designaverint; aut potiùs quidam ab ipsâ syzygiâ, seu à conjunctione, alii à primâ lunæ phasi mensem inchoârint, et Christus Dominus priori computandi ratione usus fuerit, quòd legi esset magis consentanea: seu potiùs, ut visum est Ruperto, Petavio, et nuper auctori Analyseos Gallicæ, sacerdotes ex traditione quâdam festum Paschatis, quod die Veneris incideret, in sabbatum transtulerint, ne duo festa proximè consequentia populo essent impedimento. Hoc hoc concilium diversum ab hoc quod Matth. narrat, fuisse arbitror: nam illud sex diebus ante Pascha habitum est, ut ex initio 12 cap. intelligitur, hoc autem duobus tantùm, ut diximus, ante Pascha diebus. Descripserat jam olim sapiens hoc impiorum concilium Sap. 2, 12, 13, 14: *Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.*

Vers. 5. — Dicebant autem non in die festo. Dubium utrùm significare voluit antè, an post diem festum occidendum esse. Qui putant eodem die, quo Christum, Judæos Pascha celebràsse, sensum esse existimant *non in die festo*, id est, differatur usque in post diem festum; sed postea noctes Judæos Judæ ad perditionem parati occasionem, consilium mutavisse, quod versu 2 refutavimus. Qui postridiè quàm Christum Judæos Pascha celebràsse dicunt, meliùs explicare possùnt *non in die festo*, id est, ante diem festum occidatur, ut supra probavimus. Diem autem festum quidam omnes septem azymorum dies intelligunt, quia omnes festi suo quidem modo dicebantur. Alii, ut mihi videtur, probabiliùs solum diem Paschæ simul, et sabbati, quibus diebus neminem accusare, condemnare, crucifigere licebat, ideòque meritò timeri poterat ne populus audaci et nefario scelere incitatus, tumultum moveret, quæ ratio aliis azymorum diebus locum non habebat.

Ne forte tumultus fieret. *Fiat*; verba enim sunt Judæorum, non evangelistæ. Quæri autem potest cur timuerint ne tumultus in populo excitaretur. Illud salvâ pietate credi potest nullo eos bono animo id timuisse, ne quis fortassè de populo in seditione periret, ne religio impediretur; sed ne sibi eriperetur concurrente ad diem festum infinitâ undique hominum multitudine, ut Hieronymus, Beda et Euthymius existimant. Vero simile enim erat in tantâ multitudine futuros plures, qui in Christum credidissent, eumque ex sacerdotum manibus eripere conarentur. Credo ego ipsos sibimet timuisse, ne concitatos populus in se irrueret, atque interimeret, quòd, quemadmodùm ait Chrysostomus et Theophylactus, laturus esse non videretur, ut die Paschæ, quo, qui digni morte erant, absolvebantur, Christus innocentissimus ad mortem

enim præter alia habebat incommodi, ut mortuorum cadavera in fervidis illis regionibus diù manerent insepulta. Utcumque ea res sit, Christus cùm voluit, occisus est, etiam die festo, cùm ejus inimicis tam commodè oblata esset occasio: nec tanta erat religio Judæorum in festis observandis, atque in sabbato, cùm in festis diebus ea pararent, quæ ad vescendum erant necessaria, uti ex c. 34 Exodi colligitur. Nec festivi dici religione, sed metu populi, ne tumultus fieret, id ab initio decreverant, ut in die festo Christum non interficerent. Sed oblatâ eâ occasione prius consilium deseruerunt. Verùm ea est constans veterum sententia Christum unà cum discipulis agnum Paschalem manducàsse, antequàm institueret Eucharistiam quæ est verum Pascha Christianorum.

traheretur. Hoc enim metu sæpè jam aliàs manus ab eo abstinuerant, Marci 11, 18, et cap. 12, 12; et Lucæ 20, 19, et 22, 2.

Vers. 6. — Cùm autem Jesus esset in Bethania. Ubi Bethania sita esset, et quantùm à Hierosolymâ distaret, supra docuimus. Incurrit autem in hunc locum vulgaris quæstio, et nostro præsertim tempore magnis scriptis voluminibus agitata, unane, an plures mulieres fuerint, quæ viventem adhuc Christum unxisse reperiuntur, ut hoc loco, et apud Marcum, cap. 14, 5, et apud Lucam, cap. 7, 38, et apud Joannem, cap. 12, 3. Meliùs in partes distributa quæstio explicabitur. Tres igitur in unâ quæstione sunt. Prima, an Simon ille, apud quem Christus apud Lucam prandisse, aut cœnàsse dicitur, idem fuerit atque hic quem Matthæus et Marcus Simonem Leprosum vocant; Joannes non nominat. Secunda, an eadem apud quatuor evangelistas fuerit mulier quæ unxerit Christum. Tertia, si eadem fuit, an idem fuerit factum, id est, semelne an sæpiùs Christum unxerit. Quod ad Simonem attinet, apud quem Christus cœnabat, D. Augustinus, libro 2 de Consensu evang., c. 69, et Beda in Commentariis in cap. 7 Lucæ, et Euthym. hoc loco, putant duos fuisse Simones, alterum Pharisæum apud Lucam, alterum leprosum apud Matthæum, quem Marcus et Joannes non nominaverint. Eorum rationes sunt, quòd factum illud, quod Lucas narrat, in Galilæâ accidisse videatur; hoc autem, quod narrat Matthæus, Bethaniæ, id est, propè Hierosolymam; deinde quòd ille Pharisæus, hic leprosus cognominetur. Possumus hic aliam adjicere rationem, credibile non esse Simonem hunc, de quo Matthæus loquitur, fuisse Pharisæum, cùm hoc instante Christi passione acciderit, quo tempore omnis Pharisæorum secta infensissima Christo erat; tantùm abest, ut Pharisæus convivio eum exceperit. Chrysostomus verò, homiliâ in Matthæum 81, et Ambrosius, libro 6 in cap. 7 Lucæ, eumdem Simonem fuisse credunt, quod ego paulò probabilius esse arbitror: primùm, quòd uterque eodem nomine Simon appelletur, quod etsi pluribus commune esse poterat, tamen aliquid est argumenti nomen idem. Deinde, quòd, ut postea probabimus, eadem fuerit mulier quæ et apud Lucam et apud Matthæum Christum unxisse dicitur, quæ cùm tam liberè, tam sæpè in domum Simonis ad ungendum Christum ingressa sit, est verò simile fuisse Simoni ejusque domui familiarem, cùmque Bethaniæ habitaret, sequitur eumdem fuisse Simonem; nam quod scribit Lucas, cùm, quo loco acciderit non exponat, et hospitem Christi Simonem vocet, quemadmodùm et Matthæus, qui id in Bethaniâ factum dicit, ibidem etiam accidisse credendum est. Præterea probabile est Simonem illum, de quo scribit Lucas, cùm primùm domo et convivio Christum excepit, ita ab eo adjectum, fuisse ut illi postea familiaris fuerit, sæpèque postea Bethania iter habentem, aut hospitio, aut convivio honoraverit. De secundâ quæstione contentiosiùs à multis disceptatur. Origenes, tractatu in Matth. 36, probabile esse arbitratur quatuor diversas apud quatuor evangelistas fuisse mulieres, quæ unxerunt Christum, quod mihi ne disputabile quidem videtur esse cùm manifestissimum sit Matthæum saltem et Marcum, quasi ejus abbreviatorem, idem eodem loco, eodem tempore factum narrare; itaque de eâdem loqui muliere; quare, ut plures fuerint, non nisi tres esse potuerunt: una, de quâ Lucas; altera, de quâ Matthæus simul et Marcus; tertia, de quâ Joannes scribit; atque hanc ipsam opinionem Origenes amplectitur, itemque Theophylactus in Commentariis in cap. 7 Lucæ, et Euthymius hoc loco. Quorum nonnullæ etiam non omninò improbabiles conjecturæ sunt, quòd illa de quâ Lucas, peccatrix appelletur; hæc, de quâ Matthæus et Marcus, non peccatrix, sed prophetica potiùs fuisse significetur. *Quid*, inquit, *molesti estis huic mulieri? mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*, vers. 10, 12. Præterea illa apud Lucam longo ante passionem tempore Christum unxit, ut ex his quæ eo loco à Lucâ narrantur, intelligitur; hæc, de quâ Matthæus et Marcus, duobus tantùm ante mortem Christi diebus. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, vers. 2. Illa altera, de quâ Joannes, sex diebus ante, Joan. 12, 1. Alii duas fuisse putant, sed quæ fuerint, inter se dissentiunt. Hieronymus, hoc loco, et Bernardus in Sermone de Mariâ Magdalenâ, unam illam fuisse putant, de quâ scribit Lucas; alteram eamdem de quâ Matthæus, Marcus et Joannes; illam Lucæ ab hâc fuisse diversam. Ita probant, quòd illa longè ante Pascha et mortem Christi, hæc imminente morte unxerit Christum; dein quòd illa pedes tantùm, hæc pedes et caput unxerit, ut postea explicabimus. Hanc verò, de quâ Matthæus, Marcus et Joannes scribunt, eamdem et unam esse ita docent, quòd eodem tempore, eodem loco unxerit Christum. Chrysostomus verò, homiliâ 81 in Matthæum, et 61 in Joannem, Leontius et Theophylactus, in cap. Joannis 11, 1, mulierem, de quâ Lucas, Matthæus et Marcus scribunt, eamdem; eam verò, de quâ Joannes, diversam fuisse putant, hoc, opinor, argumento, quòd et Lucas, et Matthæus, et Marcus apud Simonem unxisse dicant, quem, ut diximus, eumdem fuisse putat Chrysost., Joannes verò non apud Simonem, sed potiùs in domo Lazari aut sororum ejus unxisse indicet, cùm dicat Martham ad mensam ministrâsse, cap. 12, 2. Alii unam tantùm, de quâ quatuor evangelistæ meminerunt, fuisse dicunt, ut Augustinus, libro 2 de Consensu evangelistarum, c. 69, Gregorius, homiliâ 33 in Evangelia, ut quidem videtur, Beda hoc loco, et in cap. 7 Lucæ; quod ego multò arbitror esse probabilius: primùm, quòd tacitus Ecclesiæ sensus in hanc partem inclinet; deinde, quòd Joannes, cap. 11, 2, volens describere Mariam sororem Lazari et Martha: *Maria autem*, inquit, *erat*, ut quid Judæ proditioni occasionem dederit, aperiat.

In domo Simonis leprosi: An Simon ille fuerit olim leprosus, an familiæ cognomen fuerit, incertum.

Vers. 6. — Cùm autem Jesus esset in Bethania; sexto nimirùm ante die, puta die sabbati præcedente: quod ab evangelistâ per recapitulationem memoratur,

quæ unxit Dominum unguento, et extersit capillis suis pedes ejus; quâ descriptione minimè usus fuisset, si plures fuissent mulieres, quæ pedes Domini unxissent; nec enim lector, de quâ ex multis loqueretur, intelligere potuisset. Omnia autem argumenta, etsi multa sunt, quibus plures fuisse probatur, minùs quàm hoc unum, habent ponderis; nam quòd illa de quâ Lucas loquitur, longo ante tempore Christi pedes unxerit, non eò valet, ut probetur diversam fuisse mulierem, sed factum diversum; quod non solùm concedimus, sed paulò etiam post probaturi sumus; quòd autem illa pedes, hæc caput unxerit, aut nihil, aut idem probat, non semel eamdem mulierem, sed bis unxisse. Adde quòd etsi Lucas non expressit, credibile est illam etiam Lucæ mulierem Christi caput unxisse; cùm enim, ut postea docebimus, consuetudo regionis fuerit in conviviis non pedes, sed caput ungere, credendum non est piam mulierem, prætermisso capite, unde incipiendum erat, solos unxisse pedes. Et quidem apud Joannem similis legimus exemplum. Nam cùm ex Matthæo et Marco constet eamdem mulierem secundò instante Christi passione ejus caput unxisse, Joannes non nisi pedes unxisse dicit, nimirùm quia neminem putabat tam exigui fore judicii, ut intelligeret pedes unxisse, non caput; nominârunt ergo Lucas et Joannes eam partem corporis quæ ungi non solebat, ut ex eâ cætera, quæ ungi solebant, uncta etiam fuisse intelligerentur, et ut singularis charitatis et studii erga Christum factum declararent, ideò eòdem pertinet, quod dicunt capillis suis Christi pedes tersisse; id enim singulare erat et inselitum fieri; hoc est quod apud Lucam Christus Simoni objicit, cap. 7, 44, 46 : *Introii in domum tuam, olea caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos*, quasi dicat : Tu mihi caput non unxisti, quod ungi solet; hæc non solùm caput, sed etiam pedes unxit, qui ungi non solent. Quòd autem illa apud Lucam peccatrix appelletur, hæc verò, de quâ alii loquantur evangelistæ, non peccatrix, sed sancta fuisse videatur, non est argumentum fuisse diversam, sed diverso tempore diversis fuisse moribus, ut recte D. August. et Beda respondent. Cætera, si quæ sunt argumenta, in tertiæ quæstionis explicatione dissolventur. Quæreatur ante, an idem fuerit factum. Qui plures dicunt fuisse mulieres, plura quoque facta fuisse dicant, necesse est; qui unam, unum fuisse dicant necesse non est; sed plerique tamen dicunt. Alii unam fuisse, quæ ter unxerit : primùm apud Lucam, longè ante passionem; secundò apud Joannem, sex diebus ante Paschæ; tertiò apud Matthæum et Marcum, duobus tantùm ante passionem diebus. Alii unam fuisse, quæ bis unxerit : primùm apud Lucam, longè ante; secundò apud Matthæum, Marcum et Joannem, imminente Christi passione. Ita sentit Ambrosius in cap. 7 Lucæ, et Augustinus, lib. 2 de Consensu evangelistar., cap. 69, et Beda hoc loco; quam ego sententiam omnium probabilissimam esse arbitror. Unam fuisse mulierem superiore quæstione probatum est; bis unxisse probandum nunc est, quod iisdem fermè rationibus probari potest, quibus alii diversas fuisse mulieres probare solent, quòd tunc peccatrix fuerit, nunc sancta; tunc longè ante passionem, nunc instante passione. Adducunt alii, quòd tunc pedes tantùm, nunc caput, quasi tunc peccatrix indigna esset quæ Christi caput attingeret, quod Augustinus et Beda solent dicere; sed hoc paulò ante refutavimus; probandum etiam est non sæpiùs quàm bis Christum unxisse, ut existimare diximus quosdam. Id autem sic ostenditur; si ter unxisset, aliud esset factum, quod Matthæus et Marcus, aliud quod Joannes narrat; nam Matthæum et Marcum idem narrare factum perspicuum est. At Joannes non diversum, sed idem factum narrat, quod ex multis circumstantiis apparet ex eodem loco, Bethaniâ, ex eodem unguenti genere, nardo pistică pretiosâ, ex eâdem Judæ murmuratione, ex eâdem defensione Christi; quis enim credat, si quatuor tantùm diebus ante eumdem murmuratorem Christus reprehendisset, tam citò in facto omninò simili, si tamen non eodem, iterùm fuisse murmuraturum? Duo tantùm sunt quæ huic sententiæ non benè videntur convenire, alterum quòd Joannes scribat id ante sex dies Paschæ accidisse, Matthæus et Marcus biduo ante Pascha; sed Augustinus et Beda rectè respondent Matthæum et Marcum per ἀνακεφαλαίωσιν locutos esse, quia non servato ordine temporum cùm jam dixissent : *Post biduum Pascha fiet*, resumpserunt, quæ sex diebus ante Pascha facta fuerant, quæque ipsi ante, quia necesse non erat, non narraverant; nunc, quia necesse est, narrant; ut occasionem declarent, quam Judas nactus est Christi vendendi, quòd avarissimus esset homo, ægrèque ferret non quidem unguentum ex vase, sed unguenti pretium ex manibus suis effluxisse, quod Joannes magis exposuit, c. 12, vers. 6 : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat*. Alterum jam à nobis explicatum est, quòd apud Matthæum et Marcum solum caput, apud Joannem solos pedes ea mulier unxisse videatur; utrumque enim et caput et pedes unxisse diximus, sed ut Augustinus ait, sæpèque apud evangelistas usu venit, Matthæus unam partem, Joannes alteram exponit. Cujus rei ratio etiam aliqua, non improbabilis reddi potest; Joannes non Christi passionem, sed totam historiam servato ordine temporis exponebat, volebatque ejus mulieris in Christum singularem charitatem explicare; propterea, omissâ capitis unctione, quæ vulgaris erat, pedes, quod erat rarum; unxisse dixit. Matthæus verò et Marcus non id agebant, ut mulieris singularem affectum commendarent; sed ut Judæ declararent avaritiam, quæ eum ad vendendum Christum impulisset; de quâ venditione, totoque passionis ordine dicere aggrediebantur, quam ad rem nihil attinebat dicere utrùm mulier caput, an pedes unxisset, ideò, quod fieri solebat, id tantùm dixerunt, unxisse caput. Illud verò, quod ad rem maximè pertinebat, diligentissimè exposuerunt, unguentum magni fuisse pretii; hoc enim Judæ avaritiam et cupiditatem accendit, quam illi volebant ex-

plicare. Summa igitur est, eumdem fuisse Simonem, apud quem Christus bis convivio exceptus est, quem multi credunt à Christo, inter alios leprosos à leprâ fuisse purgatum. Theophylactus verò scribit nonnullos existimare illum fuisse eumdem apud quem Christus ultimum cum discipulis cœnam egit; sed hoc secundùm vers. 18 refutabimus; unam item fuisse mulierem, eamque Lazari et Marthæ sororem, quæ Maria Magdalena dicebatur, ut ex Joanne, cap. 11, 2, colligitur, et de quâ Christus septem ejecerat dæmonia, Marci 16, 9.

IN DOMO SIMONIS LEPROSI. Rectè Hieronymus et Beda monuerunt credendum non esse tunc Simonem fuisse leprosum; nec enim Christus ad eum divertisset; certè in civitate ille non habitasset, cùm leprosi à cæterorum hominum consortio removerentur; sed aliquando lepram habuisse, ex quâ etiam jam curatâ Leprosi nomen retinuisset. Diximus modò quorumdam esse sententiam, illum priùs à Christo curatum fuisse, quod eò est probabilius, quò plus ille charitatis erga Christum ostendit, quasi accepti beneficii memor. Illud autem mihi non videtur esse necessarium eum aliquandò fuisse leprosum; poterat enim, etiamsi leprosus non esset, aut propter lepræ similitudinem, aut propter aliquem ex majoribus suis, qui lepram habuisset, Leprosus cognominari, sicut videmus quosdam Rufos, quosdam Barbatos, quosdam Tonsos appellari, cùm nec illi rufi, nec illi barbati, nec illi tonsi sint. Quæri potest cur neque Matthæus et Marcus Pharisæum, neque Lucas Leprosum appellaverit; id fortassè nullum habet aperæ pretium, sed conjectura aliqua est Lucam, cùm prædicationis Christi initia narraret, personæ, à quâ exceptus esset, qualitatem exponere voluisse, ut indicaret etiam inter Pharisæos fuisse nonnullos qui Christo operam darent; Matthæus autem et Marcus, cùm non id agerent, noluerunt Pharisæum, quod cognomentum illius non erat, sed nomen sectæ commune, at leprosum, quod ejus cognomen erat, appellare.

VERS. 7. — HABENS ALABASTRUM UNGUENTI. Plerique alabastrum vas ex lapide alabastro factum interpretantur, quo unguenta solebant asservari, quòd ex eâ materiâ fieri solerent, quæ humorem unguenti diutissimè conservaret, Plinumque auctorem citant, libro 13, c. 2, et libro 35, c. 8. Repugnat quod ait Marcus, c. 14, 3 : *Et fracto alabastro, effudit super caput ejus*; quo enim modo tam facilè confringere potuisset, si ex materiâ fuisset alabastri? Sunt qui dicant priùs unguentum effudisse, deinde fregisse vas, cùm nihil jam in eo remansisset unguenti, quod mihi nullo modo probari potest, primùm, quòd Marcus ita loquatur, ut non obscurè significet priùs fregisse vas, deinde unguentum effudisse, atque ideò fregisse, ut unguentum effunderet, καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς, *cùm fregisset alabastrum effudit illi super caput*. Deinde quia ratio ipsa docet propterea fregisse vas, ut copiosius unguentum effunderet, nihilque in vase remaneret; eâ enim ratione abundantem charitatem pia mulier ostendit, quòd in ungendo Christo usque adeò unguento non pepercerit, ut vas etiam confregerit; ne quid, etiam si vellet, retinere posset. Nam, effuso jam toto unguento quorsùm obsecro vas confregisset? Servâsset potiùs, ut iterùm in illud unguentum infunderet. Credo ergo esse probabilius ex aliâ fragili materiâ fuisse vas factum, sed alabastrum appellatum, aut quia ex alabastro unguentaria vasa fieri solebant, ita ut, etiamsi ex aliâ materiâ aliquando fierent, alabastrum dicerentur; aut quia eâ erant formâ, ut ansa carerent, qualibus etiam nunc myropolas, et pharmacopolas uti videmus; id autem alabastri nomen significat, ut Suidas adnotavit.

PRETIOSI, βαρυτίμου, gravis pretii, ut Latini etiam aliquando loquuntur, aut ut alii habent codices πολυτίμου magni pretii, quemadmodùm apud Marcum, cap. 14, 3, et apud Joannem, cap. 12, 3, legitur. Nec enim ad solam unguenti qualitatem, sed etiam ad copiam referendum esse mihi videtur, ut non solùm sensus sit unguentum adeò fuisse bonum, ut etiam parùm magni pretii esset, sed etiam tantâ copiâ effusum fuisse, ut magni esset pretii; quemadmodùm Judas in hâc re optimus interpres dixit, vers. 9 : *Ut quid perditio hæc? potuit istud unguentum venundari multo*; id Joan. magis explicavit; dicit enim eam mulierem libram unam unguenti effudisse. Hunc esse sensum, ut credam, moveor verbis Marci et Joannis, qui utrumque dixerunt, unguentum et pretiosum fuisse, et pisticum, si ita tamen libeat interpretari, ut pisticum, probatum significet, de quâ re paulò post disseremus. Quòd enim ad nardum, non ad unguentum epithetum illud referatur, aut nihil, aut parùm interest. Marcus et Joannes ita dixerunt, *unguenti nardi pistici*, aut ut Græcè est, pisticæ pretiosæ, quod quia huic loco Matthæi conjunctum est, explicare obiter libuit. Nardus quid sit philosophi, et medici tradiderunt. Apud Plinium et Dioscoridem, quidquid de eâ re lector desiderabit facilè reperiet; illud ex sacris etiam Litteris intelligimus miræ fragrantiæ fruticem fuisse Canticorum 1, 12 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*; et cap. 4, 13, 14 : *Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, et crocus, fistula, et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha, et aloe cum omnibus primis unguentis*. Nardum ergo pisticum ex loco πιστικὸν nonnulli esse putant, ut D. Augustinus, tract. 50 in Joann., quod idcò à paucis receptum est, quòd nullum ejusmodi apud cosmographos locum legamus. Communis, ac magis recepta interpretatio est, quam paulò ante attigimus, pisticum vocari nardum, quasi fidelem, probatam, non falsam, non adulteriratam. Alii tamen ἀλάβαστρον græcè dictum volunt, quòd vas esset sine ansâ, idque è materiâ fragili conflatum, ut cùm opus esset, effunderetur liquor eo contentus; Marcus ait : *Nardi pistici*, sinceri, non factitii.

VERS. 7. — MULIER, Maria soror Marthæ et Lazari; HABENS ALABASTRUM UNGUENTI PRETIOSI; pyxidem ex alabastrite lapide, qui à Plinio, l. 36, cap. 8, onyx appellatur, quòd unguem colore et levitate suâ refe-

nam ; πιστὴ enim fides est. Ita Euthymius et Theophylact. in Commentariis in cap. Marci 14. Suam cuique licet sequi sententiam, sed hæc mihi non placet. Primùm non πιστικῆς, sed πιστῆ nardus appellanda erat, ut fidelis, ut probata esse significaretur. Deinde hoc ipsum nomen πιστὴ eo sensu nimis fuisset insolens, et inauditum ; nec enim de rebus inanimis dictum usquàm legisse memini, præterea non nardus, sed unguentum potiùs pisticum appellatum fuisset ; non enim nardus, sed unguentum myropolarum artificio, et avaritiâ corrumpi, et adulterari poterat : videmus autem evangelistas unguentum quidem pretiosum, nardum autem pisticum appellâsse. Denique si idem esset unguentum pisticum, quod probatum, et optimum, idem etiam esset, quod pretiosum ; at evangelistæ distinguunt, quasi aliud pisticum, aliud pretiosum sit. Auctor ille, quisquis fuit, qui in Marcum commentarios scripsit, qui Hieronymi nomine honorantur, pisticum nardum interpretatur mysticum, quod unguentum illud Christi, ut ipse ait, sepulturam significaret. Quod nescio an evangelistis venerit in mentem. Propiùs accedit ad veritatem, quod nonnulli suspicati sunt apud Marcum et Joannem pro pisticâ legendum esse spicata ; atque Beda quidem hoc loco, et in commentariis in Marcum, cap. 14, ita et legit, et interpretatur, neque alterius lectionis mentionem facit, quasi in omnibus tunc codicibus ita legeretur. At sensus quidem valdè conveniret, si lectio constaret. Scribunt enim Plinius, et alii auctores medici, ut idem Beda annotavit auctor multarum rerum sciens, et experiens, ex nardo duplex fieri unguentum solere alterum ex foliis, alterum ex spicis, quas in summâ parte frequentes habere dicitur, atque hoc secundum optimum esse, sed quia non judicio Scripturam sine certis firmisque conjecturis corrigendam, alia potiùs sententia, quàm alia lectio quærenda nobis est. Non pudebit in re bonâ auctoris mali. Observavit scriptor quidam minimè catholicus ex Athenæo, libro 15, et ex Plinio, libro 13, cap. 1, duo fuisse olim in usu unguentorum genera ; alia crassa, et solidiora, quæ non facilè funderentur, cujusmodi hodiè ferè sunt omnia, quæ vulneribus adhibentur ; alia liquida, et quasi potabilia, quæ ad fundendum apta essent ; hoc ergo evangelistas significare voluisse unguentum liquidum fuisse, et quasi potabile, propterea fundi in caput, et pedes potuisse, dictum igitur est unguentum πιστικοῦ ἁπὸ τοῦ πιεῖν, quod est potare. Illud contra hanc interpretationem objici videtur posse, quod ille non animadverterit, hâc ratione non nardum, sed unguentum pisticum appellandum fuisse ; non enim nardus, sed unguentum liquidum erat. Facilis responsio nardum pro unguento ex nardo confecto positam esse, ac si diceret unguenti nardini pistic pretiosi. Consuetudinem autem inter Judæos et Orientales nationes fuisse, ut in conviviis celebrioribus, qui invitati erant, ungerentur, cap. 6, 17, adnotavimus ; hòc enim Christus allusit, cùm dixit : *Tu autem, cùm jejunas, unge caput tuum*, quasi dicat, finge te opiparè convivatum esse ; hinc, quòd hæc eadem mulier, cùm bis Christum unxerit, non nisi in convivio unxerit ; sic illud quidam interpretantur, quod Psal. 22, 5, legimus : *Parâsti in conspectu meo mensam, impinguâsti in oleo caput meum* ; et illud Psal. 140, 5 : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, perinde enim est ac si diceret : Malo apud justum malè tractari, quàm apud impium benè.

Vers. 8. — Videntes autem discipuli. Eodem ferè modo Marcus scribit, cap. 14, 4 : *Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos* : ita significare videntur duo hi evangelistæ aut omnes, aut plures apostolos ob unguenti effusionem murmurâsse ; et quidem D. Augustin., lib. 2, de Consensu evang., c. 69, fieri putat potuisse, ut auctore et duce Judâ, murmuratione nemque inchoante alii discipuli aut assensum præbuerint, aut ipsi etiam murmuraverint ; alio tamen animo, quàm Judas : illi pauperum charitate, iste avaritiâ. Non fuit hâc interpretatione, quamvis paulò duriore, contentus Calvinus ; sed planè omnes apostolos murmurâsse dicit ; eosque homo prudentissimus stultos appellat. Ex Joanne, c. 12, 4, solum Judam murmurâsse manifestum est, ut Chrysostomus, Euthym. et Theophylactus, Hieronymus, Augustinus et Beda notaverunt. Quòd ergo alii duo evangelistæ plurali usi sunt numero, per syllepsim fecerunt figuram non rarò ab illis usurpatam, ut multis jam locis observavimus, quemadmodùm, cap. 14, 15, Matthæus dixit discipulos Christi interrogâsse unde emere possent panes, ut turbam illam quinque millium hominum exsaturarent, Joannes verò, c. 6, 7, exponit solum Philippum id interrogâsse. Clarissimum verò exemplum est, quod Matthæus, cap. 27, 44, scribit latrones, qui cum Christo crucifixi erant, illi improperâsse : *Si filius Dei es, salva temetipsum, et nos*, cùm ex Lucâ, cap. 23, 39, certum sit unum tantùm latronem hoc fecisse, neque id, ut opinor, Calvinus negabit ; nec enim tantam latrori, quantam apostolis injuriam volet facere ; de quibus pejus ferè ubique, quàm de latronibus loqui solet.

Vers. 9. — Potuit enim istud, hoc unguentum.

Et dari pauperibus. Joannes, cap. 12, 6, exponit, quo animo id Judas dixerit : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat.* Eodem nimirùm animo, quo Calvinistæ nunc murmurare solent in catholicis ecclesiis vasa argentea et aurea, aliamque pretiosam esse supellectilem ; hæc enim pauperibus potiùs tribuenda, his pauperes ornandos, qui templum Dei vivi sunt, quasi tunc templum Dei non fuerint ; non igitur nos, sed Christus, et Joannes illis respondeant.

Vers. 10. — Sciens autem Jesus. Intelligens Judæ verba, cogitationesque perspiciens, quantùmvis clam et tacitè loqueretur : voluit enim evangelista Christi divinitatem insinuare, ut supra, p. 9, 4 : *Et cùm vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* et c. 12, 25 : *Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis : Omne regnum divisum contra se, desolabitur.* Hâc ratione expressit Marcus discipulos intra se ægrè tulisse, et murmurâsse ; quasi dicat non verbis, sed animo id fecisse ; nec enim sensus est, ut quidam hæreticorum putant interpretes, πρὸς ἑαυτοὺς, apud se, id est, inter se alios cum aliis murmurâsse, sed apud se, id est, apud animum suum, quod ipsum solus, ut diximus, Judas fecit, idque Christum fugere non potuit. Hoc ergo est, quod Matthæus dicit, *sciens autem Jesus.*

Vers. 12. — Ad sepeliendum me fecit. Mortuorum corpora, antequàm sepulturæ mandarentur, solita fuisse apud Judæos unguentis, et aromatibus condiri constat ex Genesi., c. 50, 2, 26 ; et ex Marco, c. 16, 1 ; et Luc. 23, 56 ; et 24, 1 ; et Joan., c. 19, 40. Significat ergo Christus mortem suam adeò esse propinquam, ut mulier illa, quasi divinans paulò post sepeliendum in sepulturam unxerit, non quòd illa de eâ re fortassè quidquam cogitaverit, sed quòd tam commodè unxerit, ut eâ de causâ unxisse videatur ; significat etiam fortassè eam propterea se nunc unxisse, quòd futurum esset, ut post mortem ungere non posset, quemadmodùm Marcus, cap. 14, 8, indicavit ; *quod habuit, hoc fecit*, id est, quod potuit, et quâ illi licuit, me ad sepeliendum de more unguentis condivit ; *prævenit*, inquit, *ungere corpus meum in sepulturam* : ita aut simili certè ratione, quòd Joannes scribit, c. 12, 7, intelligendum est, *sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud*, quasi dicat ; quia, quo tempore sepeliendus sum, unguentum non habebit (postea enim emerunt aromata) sine nunc eam unguentum hoc in diem illum servare ; servat autem, quia me nunc ungit, quod tunc factura erat ; id clariùs dictum est Græcè, *servavit illud*, id est, ita collocavit ungendo me, ut perdere non posset, quemadmodùm si pecuniam servâsse dicas, qui ea fundum emerit, quia perdere eam non potest ; sicut si secum circumtulisset, aut in arculâ servâsset, perdere potuisset ; expendendo igitur servat. Voluit Christus mulieris factum, quod necessarium alioqui esse non videbatur, usu et consuetudine ungendi mortuos, pietateque erga se excusare, simulque illam murmuratori præferre, quòd cùm ille de se vendendo, illa de se ungendo, et quodam modo sepeliendo cogitaret, non quòd ipsa fortassis id intelligeret, sed quòd tacito quodam sancti Spiritûs impulsu facere videretur ; quare reprehendendum non esse factum, quod et per se pium, et mortuo necessarium esset, et ex Spiritûs sancti incitatione proficisceretur. Quæri à quibusdam solere video ; quid sit, quòd Christus has delicias, à quibus tota ejus vita, totaque doctrina tantoperè abhorrebat, admiserit. Chrysostomus, hom. 81, in hunc locum ejusmodi factum fuisse putat, ut si Christus consultus fuisset, ante admissurus, proboturusque non esset, factum tamen jam ex-

Vers. 11. — Habetis, pro habebitis, humanâ et visibili carne indutum.

Vers. 12. — Ad sepeliendum me fecit, non quòd eâ de re cogitaverit Maria, sed ignara mysterii impelente Spiritu sancto, quod postea facere non potuit, ut ungeret corpus Christi, tum prævertit.

cusaverit. Id mihi non placet, et quia ita Christos defendere factum videtur, ut etiam si ante consultus fuisset, approbaturus fuisse videatur ; et quia antequàm mulier ungere inciperet, ignorare Christus non poterat, quid factura esset ; nec illam tamen avertit, quia jam aliàs apud Lucam, c. 7, 38, ungisse ab eâdem muliere permiserat, et factum non recusavit modò, sed etiam laudavit ; eamque ob rem peccata mulieri dimisit. Admisit ergo Christus delicias, non quia deliciæ, sed quia charitatis officia erant. Colligit ex hoc loco Calvinus non esse hoc factum ad exempli imitationem usurpandum, ut neglectis pauperibus in res alias pias bona nostra consumamus ; quòd factum non ordinarium fuerit, sed singulare. Dolet adhuc, utopinor, illi unguentum illud effusum. Pauperes igitur semper habebimus nobiscum, qui negligendi non sunt, sed minùs delicatè, et honorificè tractandi, quàm Christus. Neque singulare factum est, quòd intra tres annos ab eâdem muliere bis repetitum est, neque imitandum non est, quod charitatis et pietatis, et semper multis à Christo laudibus celebratum. Alius ex adverso hæreticus colligit licere hominibus piis et religiosis uti deliciis, quando Christus usus sit, hìc se, aliosque novos evangelii ministros excusare, opinor voluit, delicati enim homines sunt. Nos duo colligamus, alterum, quamvis, quòd pauperibus fit, Christus sibi factum putet, ut cap. 25, 40, testatus est : *Quamdiù fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis* : magnum tamen inter ipsam Christi personam, et pauperum esse discrimen, majorisque esse meriti, ac pietatis Christum ipsum aut vestire, aut alere, quàm pauperes, ut etiam Theophylactus hoc loco notavit. Alterum est multa esse quæ hæreticorum et profanorum hominum judicio absurda ac ridicula videantur, Christi verò judicio pia et charitatis plena sint, quæ sunt ornamenta quæ in Christi honorem instituta in ecclesiis nostris hæretici rident, quemadmodùm solebant olim gentiles deridere, quod idem Theophylactus indicavit.

Vers. 13. — Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium. Hæc evangelica historia ; quod in præfatione ad quatuor evangelistas monuimus singulare esse ; nec enim alium locum quàm hunc et illum Marci 14, 9, reperimus, ubi nomen Evangelii pro evangelicâ historiâ usurpetur.

Dicetur et quod hæc fecit, in memoriam ejus. Ipsius mulieris, id est, hujus mulieris memoria et laus, ubicumque Evangelium prædicatum fuerit, celebrabitur, omnes enim factum ejus egregium collaudabunt. At mihi quidem unius Judæ murmurationi atque reprehensioni totius orbis terrarum judicium, defensionem et laudem opponere videtur, quasi dicat : Quod tu malignè reprehendis, omnes omnium seculorum homines magnis laudibus celebrabunt. Ni-

Vers. 13. — Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. Ea illustre Christi Domini vaticinium, quod paucis post annis Matthæus æternæ mandavit memoriæ et eventu ipso est comprobatum.

mirùm hoc illud est quod jam olim David, Psal. 111, 7, dixerat : *In memoriâ æternâ erit justus, ab auditione malâ non timebit* ; id est, nemo de illo malè loquetur, et Salomon, Proverbiorum 10, 7 : *Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet.*

Vers. 14. — Tunc abiit. Auctores quidam adverbium, *tunc*, ad sex dies ante Pascha referri volunt, ut Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius, quo tempore mulier illa unxerat Christum, ut scribit Joannes, cap. 12, 2, 5. Alii ad biduum ante Pascha, quo tempore dixerunt, versu 5 principes sacerdotum et seniores populi in concilium convenisse, ut de perdendo Christo deliberarent; sic Beda, atque hæc magis in Ecclesiâ vulgata sententia est. Quæ quidem argumentum, quod à nonnullis, ut id probent, afferri video, quòd Ecclesia olim consueverit quartâ feriâ jejunare, quia eo die Christum Judas vendiderit, me non movet; nec enim eam ob causam, sed propter concilium, quod principes sacerdotum ad occidendum Christum eo die coegerant, vetus Ecclesia jejunabat, ut Augustinus, epistolâ 86, et Theophylactus, in cap. Marci 14, docuerunt. Illud me magis movet, quod Matthæus scribit, versu 16 : *Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet*; inde enim apparet aliquot ante Pascha diebus Judam cum Judæis de Christi venditione convenisse; quæ sola ratio impedit me, quominùs credam venditionem ipsâ nocte quâ Christus supremam egit cœnam, aut non multò ante nocte factam fuisse, quia ante Christus non erat Jerosolymæ, sed Bethaniæ, et non videtur esse credibile Judam ex Bethaniâ, dimisso cum aliis apostolis Christo, ad tractandam venditionem venisse Hierosolymam, ne, dum Christum prodere volebat, consilium suum proderet; sed tamen quia Matthæus et Marcus apertè dicunt ex eo die quo Judas pretium cum Judæis constituerat, opportunitatem tradendi ejus quæsivisse, necesse est ut credamus aliquot diebus ante Pascha constitutum fuisse pretium, quibus omnibus diebus opportunitatem quæsiverit. Cæterùm duobus diebus potiùs quàm sex id factum esse, ut magis est vulgò receptum, ita est probabilius, quia, ut supra diximus, duo diversa fuêre concilia : illud, de quo Joannes, cap. 11, 47, 48, et cap. 12, 19, et hoc, de quo Matth. hoc cap., versu 3, et Marcus, cap. 14, 1, scribunt. In concilio illo apud Joan. constituerunt expedire ut Christum occiderent, auctore summo sacerdote Caiphâ; in hoc apud Matthæum et Marcum non jam de insulabant ne occidendus, sed quomodò occidendus esset; itaque certum inde sumitur argumentum nondum illis dixisse Judam, quod Matthæus scribit infra, versu 15 : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* Si enim dixisset, non jam de modo prehendendi Christi in concilio disceptassent; sed conditionem à Judâ oblatam libenter accepissent, sicut Marcus, cap. 14, 11, et Lucas cap. 22, 5, dixerunt principes sacerdotum, audito Judâ, gavisos fuisse,

Vers. 14. — Judas offensus tam pretiosi unguenti jacturâ adiit ad sacerdotes congregatos, idque feriâ quartâ, nempe biduo ante Pascha.

pactosque pecuniam illi dare. Probabile ergo est eodem die quo principes sacerdotum secundum concilium coegerunt, ut de modo capiendi Christi deliberarent, Judam, cùm id odoratus esset, ad eos venisse, operamque suam promisisse, ut auctores quidam vulgò tradunt.

Unus de duodecim. Hoc ideò dixisse videtur evangelista, ut scelleris magnitudinem indicaret, quòd cùm unus ex duodecim esset apostolis, Christoque domesticus, quo tempore mulier et externa, et non ita multò ante peccatrix singulari pietatis et charitatis officio Christum prosequebatur, ipse vendiderit; ut Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius admonuerunt.

Qui dicebatur Iscariotes. Duo expressit nomina Judæ, ne cæteris apostolis faceret injuriam, si non nominâsset; reliquisset enim lectorem dubium, et de aliis, qui innocentes fuerant, suspicandi occasionem præbuisset; Iscariotis verò, ut ab altero distingueret Judâ, ipso etiam apostolo, qui Jacobi cognominatus est, Lucæ 6, 16. Ita Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus. Cur autem Judas Iscariotes vocatus sit, cap. 10, 4, docuimus. Lucas, cap. 22, 5, scribit Satanam in Judam intrâsse, quòd non ita intelligendum est, quasi corpus occupaverit, ut solet energumenos possidere; sed quòd pessimam illi in animum cogitationem injecerit Christi vendendi, ut Euthymius eo loco, et Didymus libro 3 de Spiritu sancto exposuerunt, quod ipsum apparet ex Joanne, cap. 13, 2 : *Cum*, inquit, *diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas*; intrâsse igitur Satanam in Judam, quod ait Lucas, nihil aliud fuit, quàm immittere in cor ejus ut traderet Christum, quod ait Joannes. Quid ergo? Nonne ut furarentur, quæ in loculos mittebantur, et ut alia admitteret ejusmodi peccata, diabolus illi in animum inspirabat? Inspirabat sanè, ut vero simile quidem est. Cur ergo tunc in illum intrâsse non dicitur? Videtur mihi Lucas summam sceleris impietatem fœditatemque insinuare voluisse, quasi diceret apertiùs, tam sceleratum fuisse factum, ut non nisi Satanâ in illum intrante patrari potuisset; propterea non dicitur Satanas in illum intrâsse; cùm alia leviora peccata committebat, quamvis incitante Satanâ committeret; sicut nos vulgò, cùm aliquem peccantem humano et vulgari modo videmus, dicere solemus diabolum eum decepisse; cùm autem multa et maudita scelera patrare animadvertimus, diabolum incarnatum appellamus, quia ea, nisi diabolus esset, facere non posset. Hinc illa solvitur quæstio, cur, cùm nunc dicat Lucas Satanam in Judam intrâsse, Joannes, cap. 13, 27, non nisi postquàm in ultimâ cœnâ buccellam à Christo porrectam accepisset, intrâsse dicat. Nec enim nunc, nec tunc, reipsâ intravit; inspirando autem, et ad summum scelus incitando, et tunc intravit, cùm Judæ persuasit ut venderet, et tunc, cùm incitavit, ut venditum traderet; sed Lucas ad vendendum, Joannes ad tradendum intrâsse dixit, quia majus erat scelus tradere quàm vendere. Illud certò constat, unum evangelistam alteri non repugnare, ut Beda et Euthym., Lucæ 22, exposuerunt. Hinc novorum evangelistarum dementia deprehenditur, qui quod veteres, verique evangelistæ auctore, impulsoreque diabolo Judam fecisse tradunt, auctore Deo fecisse dicunt. Eorum enim ubique decantata verba sunt, non minùs Dei opus fuisse Judæ proditionem quàm confessionem Petri, hoc est, ut uno dicam verbo, Deum diabolum facere. Nos non auctore, non impellente, non incitante, sed permittente Deo Judam Christum dicimus vendidisse. Stat enim Jacobi sententia, quæ falsa esse non potest : *Deus intentator malorum est*, cap. 1, 13.

Ad principes sacerdotum. Lucas, c. 22, 4, addit, καὶ τοῖς στρατηγοῖς, *ad duces*, quos paulò infra, v. 52, idem Lucas distinguit à principibus sacerdotum et senioribus populi, vocatque στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ, *duces templi*, id est, præfectos, qui templo præerant, quosque vero simile est aliquos sub se ad custodiendum templum ex sacerdotibus milites habuisse, ideòque duces appellatos; nam alium tunc militarem magistratum Judæi durâ à Romanis servitute pressi exercere non poterant.

Vers. 15. — Αt illi constituerunt ei triginta argenteos. Cap. 18, 28, de argenteis Judæorum nummis disputavimus, variaque apud eos argenteorum genera fuisse diximus; denarium præsertim et siclum; siclum autem, sicut omnia alia pondera, duplicem fuisse; profanum, qui minor, sacrum, qui major erat, nemo non novit. Scripturâ id sæpè indicante. Erant et apud Romanos, in quorum tunc Judæi potestate vivebant, nummi aliquot argentei; sed credendum est Matthæum hominem Hebræum et Hebraicè evangelium scribentem, de Hebraicâ pecuniâ locutum esse, dixisseque שלשים כסף ; vocant autem Hebræi כסף ipsum infectum argentum, et percussum, et omnem pecuniam, cujuscumque metalli sit, sicut Galli et metallum et argenteam pecuniam, et non argenteam etiam, quia major pars ex argento fieri solet, eodem nomine argentum appellant. Sed cùm aliquod numerale nomen adjungitur, neque metallum, neque omnis pecunia, sed genus aliquod argenteæ monetæ significatur. Ea autem erat duplex : denarius, quem etiam Hebræi mutuati à Latinis nomen דנר, vocare solent; et siclus, quem, ut opinor, quia gravioris erat ponderis, שקל, id est, pondus appellaverunt. Illud autem observamus, vix unquàm, cùm nomen כסף argentei pro argenteâ monetâ ponitur, nisi monetæ genus exprimatur, aliud quàm siclum significare; itaque Chaldæus Paraphrastes, ubicumque ferè Hebraicè est nomen כסף cum nomine numerali, siclum solet vertere, ut Gen. 37, 28, et 45, 22, et Judicum 16, 5, et 17, 2, 4, 10, et 2 Regum 18, 11, 12, et 4 Regum 6, 25, et Isai 7, 23. Aliàs verò, sicut noster evangelista, solet vertere ἀργυρίους, *argenteos*, ut Judicum 17, 4, 10, et Zach. 11, 12; id etiam apparet ex Josepho, lib. 3 Antiquitatum, cap. 9, et lib. 9, cap. 2, ubi quæ

Vers. 15. — Judas operam suam locavit triginta argenteis, seu sicilis. Nonnullis videtur nummos fuisse aureos, quibus cœmeterium peregrinorum emi potuit, de argenteis, lib. 4 Reg. c. 6, 25, scripta sunt, quæ ipsorum etiam auctores in lib. *Misnaioth* tradiderunt, de sicilis interpretatur. Constat ergo ex Hebræorum consuetudine argenteos, de quibus loquitur, Matthæus cùm aliud monetæ genus non nominet, fuisse siclos. Siclum autem argenteum supra docuimus, francum unum Gallicum, id est, viginti solidos argenteos pependisse. Obolus enim solido Gallico æqualis erat, et siclum viginti habuisse obolos multis Scripturæ locis manifestam est, Exodi 30, 13, Levit. 27, 25, Num. 3, 47, et 18, 16, et Ezech. 45, 12. Erat enim siclus quadridrachmus; una autem drachma, ut diximus, quinque solidos Gallicos, id est, regalem unum Hispanicum continebat; itaque quatuor drachmæ viginti continebant solidos, qui francus gallicus et libra Turonensis appellatur; quod si ita est, Christus triginta francis Gallicis, id est, decem nummis aureis solaribus venditus est, ut nunc quidem aurei, cùm hæc scribimus, æstimantur (1); quo tempore aureus tres valet francos. Objiciet aliquis non potuisse tam exiguo pretio agrum in peregrinorum sepulturam emi, quem Matthæus cap. 27, 7, pecuniâ quâ Christus venditus fuerat, emptum fuisse scribit. — Respondeo nunc fortassè emi non posse, cùm multò cariores omnes res sunt; tunc verò, cùm viliores erant, potuisse; nam et Jeremiam, cap. 32, 9, agrum septem stateribus et decem argenteis emisse legimus, quod multò minus erat pretium; nam stater quatuor habebat drachmas, ut cap. 17, 27, docuimus. Itaque septemdecim francis Jeremias agrum emit, vix sex aureis nummis, Scriptor Scholasticæ, quam vocant, Historiæ, et alii nonnulli vulgares auctores sine ullo testimonio, aut probabili conjecturâ tradiderunt, triginta hos argenteos trecentos fuisse denarios, non alio argumento, quàm quòd consentaneum ipsis videretur, ne Judas effusi unguenti damnum faceret; dixerat autem potuisse unguentum illud trecentis venire denariis, quos cùm furari non potuisset, ex Christi venditione volucrit, quasi perdidisset, recuperare. Minùs etiam probabiliter alii hos triginta argenteos triginta tantùm denarios valuisse dicunt, quòd soleret Judas decimam partem eorum quæ in loculos mittebantur suffurari, et volucrit ex venditione Christi, quòd ex trecentis denariis, quibus unguentum æstimaverat, furaturus erat, recipere. In sacrarum Litterarum interpretatione, cùm certa non habemus argumenta, probabilibus et sagacibus conjecturis uti nobis licet; figmentis non licet, nec est vanitas Scripturarum gravitati jungenda. Movere aliquem potest, quòd Joseph qui Christi figura est, viginti tantùm argenteis venditus fuerit, Genes. 37, 28. Non in eo figura veritati similis est, quòd eodem pretio, sed quòd, ut Joseph à fratribus suis, ita etiam Christus à discipulis, id est, ab uno ipsorum venditus fuerit; pretium æquale esse non

(1) An. 1578.

iique communi et usitatâ voce argentei dicti sunt. Sed ager sterilis et desertus potuit etiam tam vili pretio æstimari.

oportebat; nec enim par fuit ut Hieronymus sit, tanti, quanti dominum, servum venire. Itaque auctores quosdam vulgares miror scribere solere Joseph triginta etiam argenteis venditum fuisse, quod ita in nonnullis corruptis codicibus legerint, cùm et Hebræi, et Septuaginta, et nostri quoque emendati codices viginti tantùm legant; idque Hieronymus hoc loco, et in Quæstionibus in Genesim admoneat. Suspicio mihi aliqua est ex Zachariâ, cap. 11, 12, vitium in locum Genesis immigrâsse: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Sed Zacharias de Christo, non de Josepho loquebatur.

Vers. 17. — Prima autem die azymorum. Quæ in hunc locum dici potuerant, partim vers. 2, à nobis dicta sunt, partim sequenti versu dicenda.

Vers. 18. — Ite in civitatem. Duo hinc colligi possunt, alterum, Christum, cùm hæc diceret, non Hierosolymæ, sed aut Bethaniæ, ubi duobus præcedentibus diebus fuerat, aut in viâ fuisse; nec enim dubium est, quin civitatem Hierosolymam intelligat, ad quam, cùm discipulos mittat, nondùm ipse pervenerat; alterum est id, quod præcedenti versu dictum est, *primâ autem die azymorum*, non ita esse intelligendum, quasi dies jam azymorum esset, sed quasi jam appeteret, si enim azymorum dies inchoata fuisset, minùs serò ad parandum Pascha discipulos præmisisset, et v. 20, indicat evangelista nondùm vesperam advenisse, cùm Christus discipulos misit; *vespere autem facto discumbebat cum discipulis suis*, et Lucas, c. 22, 14: *Et cùm facta esset hora discubuit*, quasi priùs facta non fuisset, cùm discipuli in urbem ad parandum Pascha venerunt. Quos discipulos Christus præmiserit, Lucas exponit, cap. 22, 8: *Et misit Petrum, et Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.*

Ad quendam, πρὸς τὸν δεῖνα, ad certum quemdam; significatur enim eâ phrasi homo quidam certus, qui tamen non nominetur, sicut Hebræi dicunt, פלני אלמני, quemadmodùm D. Hieronymus admonuit, et Hispani ex Hebræis, ut opinor, qui olim in Hispaniâ frequentes erant, nomen mutuati dicunt *fulano*, cùm aliquem non nominando designare volunt, sicut Itali *un cotal*, Galli *un quidam*. Utrùm autem hæc verba Christi, an evangelistæ sint, nonnulli dubitant; ego evangelistæ esse non dubito; nec enim Christus dixisset: Ite ad quemdam, quod neque Hebræi, neque Græci, neque Latini ita loquantur, quemadmodùm ridiculus esset, qui Gallicè diceret: *Allez-vous-en à un quidam.* Verùm sive Christus hominem nominaverit, sive, ut paulò post probabimus, non nominaverit, sed certis designaverit indiciis, evangelista nominare noluit, et tamen voluit significare Christum discipulos non in incertum ad quemvis, sed ad certum quemdam hominem, quem illis descripserat, præmisisse. Si autem, quod probabilius est, Christus hominem non nominavit, idipsum evangelista insinuare voluit, cùm dixit, dixisse Christum: *Ite ad quemdam.* Quòd autem non nominaverit, ex descriptione, quâ usus est, colligi potest. Marci 14, 13, 14: *Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans; sequimini eum, et quòcumque introierit, dicite domino domûs, quia magister dicit, ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?* et Lucæ 22, 10: *Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum.* Si enim Christus hominem nominâsset, qui istâ descriptione opus erat? uno verbo dixisset, ite ad Petrum, aut Paulum. At cur non nominavit? Hieronymus, et Beda respondent, ut nemine nominato, omnes homines invitatos se esse intelligerent, ut cum Christo novum pascha celebrarent. Origenes verò, tractatu in Matthæum 35, et Hilarius, can. 30, quòd nondùm Christianum nomen auctoritatem tunc, usumque obtinuisset, quod gerere eos oporteat, qui ad sacrum Christi corpus accedant. Hæc allegorica sunt. D. autem Ambrosius in cap. Lucæ, 22: *Ideò*, inquit, *sine nomine designatur, ut pauper et ignobilis æstimetur*, quasi Christus non divites et nobiles, sed pauperes eligat, ut sua cum illis mysteria communicet. Repugnat, quod apud Marcum 14, 15, et apud Lucam, 22, 12, Christus ait: *Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum*, quale homo pauper habere non potuit; stratum autem dicit, non quòd pavimentum aut lapidibus, aut lateribus stratum esset, sed quòd aut tapetibus vestitam, aut mensis paratis ad cœnandum ornatum, ut apparet ex Marco, apud quem in plerisque Græcis codicibus legitur ἐστρωμένον, ἕτοιμον stratum, paratum, quasi secundum verbum ad explicandum primum additum fuerit. Euthymius propterea Christum hominem illum non nominâsse arbitratur, ne Judas sciret, apud quem Pascha celebraturus esset, et insidias illi pararet. Magis mihi Chrysostomi conjectura placet, homilia 82, propterea non nominâsse, quòd ignotus esset, sicut, lib. 1 Reg., c. 10, 3, Samuel Sauli dicit: *Cùmque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Tabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, et alius tres tortas panis, et alius lagenam vini.* Tamen hæc ipsa omninò non placent, quia ex verbis sequentibus apparet hominem non solùm fuisse notum, sed etiam discipulum, et aliquo modo familiarem Christi. *Magister*, inquit, *dicit, tempus meum prope est.* Cùm enim magistrum se appellari vult, discipulum esse indicat; et cùm mortis suæ tempus illi declarat, familiarem. Itaque probabilius esse arbitror propterea Christum hominem non nominâsse, ut meliùs rebus quàm nomine describeret, eâque ratione clariùs divinitatem suam ostenderet, sive quòd ignotus homo esset; si enim dixisset, ite ad Petrum, aut ad Paulum, nihil singulare supra cæteros homines ostendisset; cum autem dicit: *Ingredientibus vobis in civitatem, occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans*, declarat se futura præscire, et omnia esse divino consilio ad mortem suam quodammodò præparata, ita ut Deus hominem illum ad fontem hauriendæ aquæ causâ ideò misisse videretur, ut discipulis occurreret, eosque in eam domum duceret, in quâ omnia ad agendum Pascha parata essent, ne quid aut mortem Christi, aut Paschæ celebrationem retardare, et divinum decretum impedire posset. Quis autem homo ille fuerit, curiosum est quærere, tamen curiosum non est propositam ab aliis quæstionem ideò disputare, ut multorum curiositati ponatur modus. Multi enim auctores multa de hâc re parùm firmis conjecturis comprobata tradiderunt. Nicephorus, libro 1, cap. 28, hominem illum inquilinum ædium Joannis evangelistæ fuisse putat, quas ædes à Caiphâ in monte Sion Joannem emisse dicit, datis amplis, quas in Galilæâ habebat, facultatibus; idemque alios nonnullos auctores scribere asserit. Quo, quæso, argumento? Theophylactus verò quosdam ait existimâsse eum fuisse Simonem Leprosum, apud quem sex ante diebus Christus cœnâsse dicitur, eumque patrem fuisse Lazari. Magis etiam alienum hoc est; Simon enim ille non Jerosolymæ, sed Bethaniæ habitabat; Christus verò non Bethaniæ, sed Jerosolymæ Pascha celebravit. Refutabimus, quæ speciem nullam habent veritatis; sed quis homo ille fuerit cogendi non sumus dicere: nec enim evangelistis, qui eum nominare noluerunt, sapientiores sumus; sed si sequamur, quò veritatis ducit similitudo, probabile nobis videtur esse Judæum aliquem fuisse hominem divitem, et nobilem, qui in Christum credidisset, illique esset familiaris, sed occultè tamen, qualem Josephum ab Arimathæâ, et Nicodemum fuisse legimus, Joan. 19, 38, 39. Itaque si quis aliquem ex illis fuisse suspicetur, temerarium non judicaverim, modò suspicetur, non affirmet; nam cœnaculum magnum, et benè ornatum ostendit non plebeium fuisse hominem; quòd Christus *Magister* illi appellatur, indicat fuisse discipulum; quòd jubet illi dici, *tempus meum propè est*, declarat fuisse familiarem.

Magister dicit. Videtur Christus hoc nomine auctoritatem suam, cui nemo potest resistere, declarare voluisse; quasi dicat, Deus dicit; sed magistrum se potiùs quàm Deum, aut Dominum vocat, quia tanquàm homo cum hominibus loquebatur, sicut eâdem usus auctoritate cùm discipulos ad solvendum asinam et pullum ejus mitteret, dixit: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos*, supra, c. 21, 3. Eventusque postea docuit, quantùm hoc nomen momenti habuisset, quia simul atque Dominum discipuli nominârunt, domini asinæ et pulli eos dimiserunt, Marci 11, 6, et Lucæ 19, 35.

Tempus meum prope est. Sunt qui putent his verbis Christum excusare voluisse, quòd ante aliorum Judæorum tempus Pascha celebraret, quasi dicat se ad præveniendum Paschæ tempus imminentis mortis necessitate cogi. Probabile hoc est, et nostram de Paschæ Christi ante alios Judæos celebratione sententiam confirmat; sed illud etiam fortassè probabilius, Christum his verbis amicitiam erga hominem illum, et familiaritatem declarare voluisse, quòd ex hoc mundo abiturus ultimam apud eum cœnam, eamque non invitatus, sed familiarissimorum amicorum more, sponte suâ agere voluerit. Quòd autem non dicit mors mea, sed *tempus meum propè est*, hanc videtur habere vim, ut Christus ostendat se nec temerè, et casu, nec Judæorum vi aut arte, eo tempore moriturum esse, sed quia tempus illud ad moriendum constitutum sibi à Patre erat; hoc est, tempus meum id est, quod constitutum mihi est, vel quo mori decrevi.

Apud te facio Pascha, id est, facere decrevi, parasis Hebræa usitata, ut apud Joannem, cap. 21, 3: *Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari*, id est, decrevi; *dicunt ei: Venimus et nos tecum*, id est, venire volumus, quâ phrasi etiam Latini aliquando uti solent, ut ad Serenum Seneca: *Si negas accepturum injuriam, id est, neminem illi tentaturum facere, omnibus relictis negotiis Stoicus fio*, lib. 2 de Tranquillitate vitæ.

Cum discipulis meis. Hoc ideò Christus adjicere videtur, ut patremfamiliàs admoneat, tredecim hominum mensam paret. Unde etiam conjectura aliqua sumi potest hominem illum familiarem fuisse Christi, cùm sciret quot discipulos secum haberet.

Vers. 20. — Vespere autem facto. Eodem modo Marcus scripsit. Propterea autem vesperæ tempus expresserunt, ut indicarent Christum tempore à lege præscripto Pascha celebrâsse; jubebat enim lex Exodi, 12, 6, ut inter duas vesperas agnus immolatus celebretur, id est, inter occasum solis decimæ quartæ diei, et noctem decimæ quintæ, quemadmodùm supra, vers. 2, explicavimus. D. Lucas eodem consilio dixit: *Et cùm facta esset hora*, id est, cùm sol occubuisset. Nam qui ante solis occasum Christum agnum edisse dicunt, bis errare mihi videntur, et quia contra legem

Vers. 17. — Prima die, feriâ quintâ, sub finem lunæ 14, cùm usus azymorum futurus erat, et agnus paschalis occidendus. Utrùm verò Christus diem Paschatis præverterit, tum ut eo ipso die et eâdem horâ, quâ Judæi agnum typicum occidebant, ipse in cruce moreretur, tum forte quia cum multis aliis quem lex præscribebat diem observare voluit, non ausim eâ de re præcipitare sententiam, cùm utrinque probabiles non desint rationes. Quæ ab auctore Analyseos Gallicæ proferuntur, dissert. 52, minimè sunt contemnendæ. His adducitur ut putet Judæos die tantùm veneris pascha immolâsse, ne duo festi dies proximè consequerentur. Atque ita omnis quæ primâ specie apparet inter Joannem et tres alios Evangelistas, tollitur repugnantia. Ille quippe Pascha à Domino celebratum memorant, Joannes de hoc Paschate nihil scripsit: ac fortè alii aliter diem azymorum, seu 15 lunæ designabant. Cùm autem Joannes sic ait: *Ante diem festum Paschæ*, de Paschate à Domino et ab apostolis celebratò non videtur loqui, cùm illud jam à Domino factum esset, quando Eucharistiam instituit. Sed Paschatis, uti à sacerdotibus, et magnâ parte populi celebratum fuit, mentionem habet. Nec abhorret à verosimili Deum permisisse, ut quod animo conceperant, Judâ prodente, perficerent, et eâdem horâ Christus occideretur, quâ sacerdotes agnum typicum immolabant. Sed eâ de re jam diximus, et identidem recurret sermo, nunc historiam passionis dominicæ prosequamur. Accesserunt discipuli ad Jesum: vocati ab eo, nempè Petrus et Joannes, Lucæ 22, 8.

Vers. 18. — Ad quendam, Gr.: Πρὸς τὸν δεῖνα, ad *certum quemdam*, cumque designaverat.

Vers. 20. — Post occasum solis. Discumberat, Romano more, qui à Persis ad Hebræos olim transierat. Nec lege constitutum erat ut agnus à stantibus comederetur: discumbere etiam vel accumbere dicimus, ad mensam cum aliis accedere.

loquuntur, quæ inter duas vesperas agnum comesse præcipiebat cum azymo pane, qui ante solis occasum inchoatâ jam die decimâ quintâ, id est, primâ azymorum die non edebatur. Deinde quòd cùm velint hâc ratione efficere ut Christus eodem tempore mortuus sit, quo agnus comedebatur, id est, inter meridiem, et solis occasum, efficiunt ut non solùm non eâdem horâ, sed ne eodem quidem die mortuus sit; nam si eorum opinione die decimâ quartâ inter meridiem et occasum solis agnus edebatur, cùm Christus die decimâ quintâ mortuus sit, non eodem mortuus est die.

Discumbebat, ἀνέκειτο, proprié recumbebat; cujus verbi proprietate moti auctores quidam sunt, ut existimarent hoc non de agni esu, sed de cœnâ, quam eso jam agno Christus egit, esse intelligendum; quia etsi lex Exodi, 12, 11, disertis verbis non præciperet ut Judæi stantes agnum ederent, tamen colligebatur ex lege: *Sic*, inquit, *comedetis illum: renes vestros accingetis, et calceamenta vestra habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter; est enim phase, id est, transitus Domini.* Ita enim comedentes agnum describit, ut vix intelligi possint non stare; quorsùm enim accincti renibus? quorsùm calceati? quorsùm lumbi baculis? quorsùm festinantes ad significandam transitûs celeritatem esse juberentur, si non starent, qui unus habitus multò clariùs quàm reliqua omnia festinationem præ se ferebat? Nemo enim magis se festinare indicat, quàm qui ne ad sumendum quidem necessarium cibum sedet. Sic videtur Euthymius interpretari, cui danda venia est aliorum ingredienti vestigiis; Calvino, et aliis hæreticis interpretibus danda non est; qui cum magno sibi esse judicio videantur, non viderunt verborum continuatio em pati non posse ut de aliâ cœnâ, quàm de eâ, quâ agnus comedebatur, intelligamus: *Et fecerunt*, inquit evangelista, vers. 19, 20, *discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Deinde Joannes, cap. 13, 12: *Postquàm ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterùm, dixit eis.* Præterea Matthæus, infra, vers. 26, quasi de aliâ cœnâ loquens, quàm de eâ, quâ agnus esus erat: *Cœnantibus*, inquit, *eis accepit Jesus panem*, et Lucas, cap. 22, 14: *Et cùm jam facta esset hora, discubuit*, ubi certum est eum de esu agni loqui; propterea enim horam notavit, quia agnus certo, statoque tempore comedendus erat. De cœnâ igitur agni dicit ἀνέπεσε, recubuit, sicut hoc loco Matth. discumbebat. Absurdius etiam est, quòd alii quidam hoc, et aliis nihilo gravioribus argumentis inducti, ut Theophylactus et Euthymius referunt, putaverant Christum agnum eo anno non comedisse: quod, cùm omnes evangelistæ tam apertè testentur eum pascha manducâsse, refutatione non indiget. Quod ergo evangelistæ dicunt Christum ad edendum agnum recubuisse, non ita accipiendum est, quasi reverà aut sederit, aut cubuerit; credendum enim est, ut Chrysostomus ait, omnes eum legis cæremonias perfectissimè servâsse, maximèque hanc ipsam, ut stans paschalem agnum ederet, cùm sicut olim stantes illum Judæi comederunt, quia transitus Domini erat, ita nunc ipse ex hoc mundo transiturus esset. Cæterùm, quia in omnibus prandiis ac cœnis Judæi vetustiores accumbere solebant (nam Christi tempore sedere solitos, non recumbere fuisse arbitror), factum est, ut mutatâ accumbendi consuetudine, nomen retineretur. Nam et hodiè Latinè mensæ dicimur accumbere, cùm tamen sedeamus. Evangelistæ igitur, etsi verbum recumbendi de medio sumptum usurpârunt, noluerunt significare reverà Christum recubuisse, sed ad mensam accessisse atque cœnâsse.

Cum duodecim discipulis suis. Videtur mihi evangelista discipulorum numerum expressisse, cum quibus Christus agnum comedit, ut eâ etiam in re significaret eum legis præscriptum observâsse. Jubebat enim lex ut paterfamiliàs cum totâ familiâ suâ agnum ederet, Exodi 12, 3, 4. Christi autem familia discipuli erant. Chrysostomus ideò hoc ab evangelistâ dictum esse judicat, ut ostenderet Judam etiam cum cæteris apostolis accubuisse, ejusque impudentiam et ingratitudinem declararet, de quo veteres auctores inter se dissentiunt. Nam sunt qui putant Judam non solùm novorum sacramentorum corporis et sanguinis Domini perceptioni, sed ne edendo quidem agno interfuisse, ut Hilarius, can. in Matthæum 30. Jam enim, cùm Christus agnum edit, discessisse existimat, ut cum principibus sacerdotum de eo tradendo, comprehendendoque tractaret. Alii cœnæ agni interfuisse putant, sacramentorum verò perceptioni non putant, quod asseveranter scribit Clemens, Apostolicarum Const., libro 5, cap. 16. In quâ sententiâ et Innocentius, lib. 4 de Myster. Alt., cap. 13, videtur esse. Argumenta quibus probari potest, hæc sunt: Primum, quòd Joannes, c. 13, 30, scribat Judam, simul atque buccellam à Christo porrectam accepit, exisse; buccellam autem illam ante sacramentorum distributionem datam illi à Christo fuisse, credendum est; cùm corpus et sanguinem suum ultimo loco dederit, et, ut ait Lucas, c. 22, 20, postquàm cœnavit, et, ut Joannes, c. 13, 2, cœnâ factâ; non ergo corpus et sanguinem Christi Judas accepit. Secundùm, quòd Christus de sacramento sanguinis sui, ut videtur loquens, vers. 29, dixerit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* cum Judâ autem in regno Patris illud postea non bibit; ergo nec autè bibérat. Tertiùm, quòd credibile non sit Christum fecisse quid nos facere prohibuit, ut corpus et sanguinem suum homini sceleratissimo nullâ factâ pœnitentiâ conferret; nam quod quidam respondere solent fuisse quidem Judam peccatorem, sed non publicum, cujusmodi hominibus sacramenta negari non debeant, nescio quàm verum sit; jam enim Christus illum et datâ buccellâ ostenderat, et nomine prodiderat: *Tu dixisti*, vers. 25. Itaque, cùm cor us et sanguis Christi exhibita sunt, nemo apostolorum ignorare poterat Judam esse proditorem. Hæc argumenta ita movent me, ut facilè hanc opinionem probaturus essem, nisi contraria plures haberet auctores, et magis vulgò probata esset. Fuerunt etiam qui dicerent Judam et cœnæ agni, et cœnæ communi, et perceptioni corporis et sanguinis Christi fuisse præsentem, eaque percepisse, sed sanguinem quidem bibisse; corpus verò servâsse, ut ad principes sacerdotum deferret; illisque per derisum ostenderet quid Christus corpus suum appellâsset, et quasi magnum quiddam discipulis suis tradidisset, quemadmodum Theophylactus hoc loco recitat, quod cùm nullâ probetur conjecturâ, non est refutandum. Omnes alii, quos legerim, auctores, existimant Judam toti interfuisse actioni; corpusque et sanguinem Domini percepisse; Cyprianus, libro de Cœnâ Domini, Chrysost., homiliâ in Matthæum 82, et homiliâ de Prodit. Judæ; D. Hieronymus, hoc loco; Augustinus, epistolâ 65, et tractatu in Joann. 62; auctor eorum Commentariorum in Marcum, qui Hieronymo tribuuntur, cap. 14; Theodoretus in Commentariis in cap. 11 prioris Epistolæ ad Cor.; Leo, serm. 7 de Passione Domini. Potest et hæc sententia ita probari, quòd credibile non sit Judam è mensâ surrexisse antequàm omnia peracta essent, ut ad principes sacerdotum adiret; hâc enim ratione proditionem suam, quam celare tantoperè volebat, prodidisset; deinde, quod Lucas post datam à Christo Eucharistiam, de Judâ tanquam adhuc præsente Christum loquentem inducat, cap. 22, 20, 21: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensâ.* Ergo, quod ait Joannes Judam acceptâ buccellâ statim exisse, aut ita intelligendum est, ut Christus post datam Eucharistiam buccellam dederit, ut proditorem indicaret, aut ita ut adverbium illud, *continuò* quo Joannes utitur, non temporis momentum, sed brevissimum significet intervallum; quanquàm illud prius mihi magis placet, quia ita Joannes videtur loqui, ut indicet buccellæ acceptionem causam fuisse ut Judas quasi irritatus quòd se indicatum videret, abcesserit. Itaque minùs vero simile est eum acceptâ jam buccellâ expectâsse, quamvis brevi tempore, et divina sacramenta percepisse. Quod autem Christus dicit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec ebam illud vobiscum novum*, non cogit eos ut dicamus Judam tunc non adfuisse, quia etsi cum eo postea non bibit, cum aliis bibit; quod satis fuit ut dicere potuerit: *Donec bibam vobiscum*; pronomen enim, *vobiscum*, ad majorem partem refertur. Quæri etiam potest, et à nonnullis dubitatum video, an alii aliqui præter discipulos cum Christo accubuerint. Euthymius alios etiam nonnullos accubuisse putat, quamvis eos evangelistæ non nominaverint, quod multis ego de causis probare non possum, et quia,

Vers. 21. — Et edentibus illis, post institutam Eucharistiam: Lucas rerum ordinem videtur servâsse, Matthæus verò et Marcus anticipatione usi: in Græco, *cùm edissent*: nam post cœnam agni hæc de proditore dixit Dominus.

Vers. 23. — Qui intingit, etc. Judas prope Christum videtur accubuisse: unde et alii non audierunt, et supra, vers. 2, docuimus, cæteri Judæi non eodem die Pascha celebrârunt, et quia ita accuratè evangelistæ discipulorum nomen aut numerum expresserunt, ut duo facere voluisse videantur, et significare omnes discipulos adfuisse, et indicare neminem adfuisse præter ipsos, et quia lex præcipiebat ut unaquæque familia suum agnum ederet, nec externus ullus admitteretur, nisi si familiarium numerus ad edendum integrum agnum satis non esset; tunc enim exteros, quotquot ad esum agni necessarii essent, advocari permittebat. Discipulorum autem numerus ad edendum agnum satis magnus erat.

Vers. 21. — Unus ex vobis. Sine injuriâ proditorem prodit, dùm indicat se nôsse eum, nec tamen nominat. Quæritur à multis auctoribus cur hoc Christus dixerit. — Respondet Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthymius, ut Judæ pœnitentiæ occasionem daret, illique ad resipiscendum stimulum admoveret, cùm videret consilia sua Christum latere non potuisse. Videtur etiam mihi ideò dixisse, ut ostenderet se non invitum, non circumventum et nec opinantem, sed scientem, prudentem, volentem mori; cùm cognito proditore ejus consilium impedire posset, nec tamen vellet. At cur non nominavit? Possumus respondere id Christi benignitati consentaneum fuisse, ut proditoris etiam sui nomini, honorique parceret, contentumque fuisse ostendisse se non ignorare proditorem; nominare autem nolsse, quia ad id, quod ostendere volebat, se scientem ac volentem mori, non erat necessarium. Hieronymus tamen paulò aliter respondet, propterea Judam non nominâsse, ne eum irritaret. Origenes verò propterea generaliter, non nominatim locutum fuisse, ut percussis hâc voce singulorum animis alii se vultu innocentes, Judas proditorem ostenderet.

Vers. 22. — Et contristati valde. Mirum videri potest, cur apostoli, qui innocentes erant, contristati fuerunt quasi sibi quisque hoc dictum putaret. Nec enim ideò tantùm tristati sunt, quòd nefandum dolerent facinus, Christum à discipulo suo, quisquis ille esset, traditum iri; nam etsi credendum est eâ etiam re vehementer doluisse, tamen Matthæus indicat ideò contristatos fuisse, quòd de se quisque dubitaret, ac sollicitus esset. *Et ceperunt*, inquit, *singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* Origenes ergo, Chrysostomus, et Theophylactus rationem hanc adferunt, quòd etiamsi se innocentes esse scirent, tamen magis Christi verbis, quàm conscientiæ suæ confidebant. *Beatus homo, qui semper est paridus*, dicebat ille, Proverb. 28, 14. *Et reverebar omnia opera mea*, Joh. 9, 28.

Vers. 25. — Qui intingit. Joannes, cap. 13, 24, Petrum Joanni suggessisse scribit, ut Christum rogaret, quisnam proditor esset. Itaque credendum est vel non attenderunt ad ea verba: *Tu dixisti*, v. 25. Qui modus loquendi est Hebræis familiaris: voce simili usâ locutus est Dominus. S. Leo, serm. 7 de Passione Domini: Ecce pareit assibus suis Dominus, et nulli te nisi tibi indicat Christus; nec nomen tuum, nec persona detegitur, sed veritatis et misericordiæ verbo cordis tui tantùm arcana tanguntur.

factum utrumque, et singulos prius apostolos interrogâsse, *numquid ego sum, Domine?* et cùm eorum rogatu Christus proditorem nominare noluisset, Petrum, qui iniquiore quàm cæteri animo Christi injurias ferre solebat, Joannem rogâsse uti Christum interrogaret quisnam ipsum proditurus esset. Ex quo sequitur Christum his verbis, *qui intingit mecum manum in paropside*, non omninò proditorem designâsse; sed primùm quidem generaliter dixisse : *Unus vestrùm me traditurus est*; secundò, cùm singuli interrogarent : *Numquid ego sum, Domine?* paulò clarius respondisse : *Qui intingit mecum manum in paropside*, id est, unus ex his qui mecum in eâdem paropside panem intingunt; probabile enim est in magnâ mensâ, ubi tredecim homines accumbebant, diversas fuisse patinas, diversas paropsides, in quibus aut terni, aut quaterni panem intingerent : itaque indicat Christus unum ex illis aut tribus, aut quatuor, aut quotquot tandem erant, qui in eâdem secum paropside panem solebant tingere, se esse traditurum. Denique cùm ne hoc quidem indicio apostoli, quis ille esset, intelligere potuissent, iterùmque Petri rogatu à Joanne interrogaretur, quisnam ille esset, respondit : *Ille est cui ego intinctum panem porrexero*, Joann. 13, 26, sed quia hoc in aurem Joanni Christus dixerat, ita ut alii intelligere non possent, ad extremum ipse Judas, ne tacendo crimen confiteri videretur, interrogavit etiam, sicut alii prius interrogaverant. *Numquid ego sum, Rabbi?* cui Christus : *Tu dixisti*, vers. 25. Quo dicto neque Judas, neque cæteri, quos id audivisse existimandum est, proditorem ignorare potuerunt; atque tunc Judam, cùm se deprehensum videret, discessisse credendum est; nam antequam suo ipsius nomine proderetur, dissimulare poterat; postea non potuit; sed quia hoc, simul atque buccellam à Christo datam accepisset, accidisse vero simile est, Joannes dixit statim acceptâ buccellâ exiisse. Ad hunc modum mihi videntur evangelistarum dicta conciliandâ; etsi scio Origenem, Chrysostomum, Hieronymum, Euthymium et Theophylactum existimare his verbis, *qui intingit mecum manum in paropside*, Judam propriè designatum, et tantùm non digito demonstratum fuisse; scribunt enim eò ipsum impudentiæ processisse, ut cùm alii Apostoli verecundiâ, reverentiâque Magistri ab ejus paropside abstinerent, solus manum in eumdem catinum injiceret. Solus Chrysostomus existimat Judam non id impudentiâ, sed Christi rogatu fecisse, ut eâ ratione alii intelligerent, quis esset proditor. Quorum interpretationem ideirco non probo, quòd eâ ratione non videatur posse cum Matthæo Joannes convenire. Si enim his verbis propriè fuerat Judas demonstratus, quid opus erat, ut postea Petrus tam sollicitè per Joannem rogaret, quisnam futurus esset proditor? quid opus erat, ut aliâ eum ratione Christus ostenderet, dicens, *ille est, cui ego intinctum panem porrexero?* nam omnes jam apostoli Christum dicentem audiverant, *qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*; cùm id et à Christo dictum, et à Judâ factum esset, priusquàm buccellam ille daret, hic acciperet, ut hi etiam sentire videntur auctores. Jam enim omnes Judam esse noverant, si solus in Christi paropside panem tingebat. Alii contra his verbis nihilo magis, quàm ante, proditorem ostensum fuisse dicunt : sensum enim esse, *qui intingit mecum manum in paropside*, id est, unus ex his qui mecum assident ad mensam, et communem mecum paropsidem habent, me traditurus est; assidebant autem omnes apostoli, et in eamdem paropsidem manum immittebant; itaque nihil aliud his verbis significari putant, quàm quod Marcus dixit, cap. 14, 18 : *Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.* Et Lucas, c. 22, 21 : *Ecce manus tradentis me mecum est in mensâ.* Non ergo voluisse proditorem indicare, sed exaggerare scelus, quòd cùm in eâdem mensâ, in eâdem patinâ cibum sumeret, se esset traditurus, sicut David dixit, Psal. 40, 10 : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Horum interpretatio non satis mihi videtur cum verbis evangelistæ convenire; dixisset enim potiùs, unus ex his, qui intingunt mecum manum in paropside, sicut dixerat 21 : *Unus vestrùm me traditurus est*; deinde quia nihilo magis, quàm antè, cùm à singulis discipulis rogatus esset, quis se esset traditurus, traditorem designâsse verosimile non est. Quærunt nonnulli interpretes, quomodò jusculum, aut condimentum in paropside esset, cùm lex juberet, ut agnus assus, non coctus comederetur, Exodi 12, 8. Hoc unum fuit eorum argumentum, qui Christum eo anno agnum comedisse negaverunt, ut Theophylactus, et Euthymius auctores sunt. Nimis profectò leve; hoc enim non de cœnâ, quâ agnum Christus comedit, sed de eâ, quæ eso agno apponebatur, ut versu 26, docebimus, intelligendum est; in quâ et assa et cocta et omnia ciborum, et condimentorum genera poni poterant; solus fermentatus panis prohibebatur, quia prima azymorum dies erat.

VERS. 24. — FILIUS QUIDEM HOMINIS VADIT. Loquitur de se per tertiam, ut solet, personam, seque filium hominis appellat, ut versu 2. Vide quæ cap. 8, 20, de eâ re diximus. Opponit autem se Judæ proditori, ejusque conditioni suam antefert. Videbatur tunc Judas melioris quàm Christus conditionis esse. Christus vendebatur, ille vendebat; Christus ad mortem, ille ad lucrum ibat; Christus ab omnibus etiam discipulis suis paulò post deserendus, ille principibus sacerdotum, scribis et senioribus populi gratiâ amicitiâque copulandus erat; itaque hominum judicio multo quàm Christus felicior videri poterat. Hanc opinionem refellit Christus, seque melioris conditionis quàm illum paulò post futurum prædicit. Nam quòd passurus, quòdque moriturus sit, nec miserum, nec malum, nec inopinatum, nec violentum sibi esse; quin gratum, laudabile, officiosum, sponte susceptum, quippe qui eâ ratione et Patris obsequatur voluntati, decretumque exequatur, et prophetarum de se scripta vaticinia effectu compleat; hoc est : *Et filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo*; Dan. 9, 26 : *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non*

pulus, qui eum negaturus est. Quod dicit, *vadit*, hanc habet vim, ut indicet Christus se non vi ex hoc mundo expelli, sed sponte suâ exire, nec tam mortem esse suam, quàm migrationem, ut rectè Theophylactus admonuit. Quod autem dicit, *sicut scriptum est*, ostendit non ex hominibus, sed ex divino decreto ac prædictione mortis suæ necessitatem provenire. Comparat ergo finem suum cum fine Judæ, quod ipse, etsi ad mortem trahi videatur, non trahatur, sed eat; eat autem non tam ad mortem, quàm ad gloriam; propterea enim *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, ad Philipp. 2, 9. Judam verò, qui ad lucrum et ad gratiam hominum colligendam ire videretur, iturum ad laqueum, iturum ad sempiterna supplicia usque adeò gravia, ut meliùs illi futurum esset, si natus non fuisset. De quo verbo nimis fortassè subtiliter quidam disputant, quomodò melius Judæ fuisset natum non esse, cùm non esse nullum, damnatum esse aliquod bonum sit; aliquid enim est, qui damnatus est, omne autem quod est, quà est, bonum est. Hieronymus indicat existimâsse aliquos Judam fuisse, antequàm nasceretur, Christumque certo consilio non dixisse : Melius fuisset homini illi, si nunquàm fuisset, sed, *si natus non esset*, quasi etiamsi non nasceretur, futurus fuisset, ideòque naturalia bona sine malis habiturus. Suspicor D. Hieronymum Origenistas notare voluisse, qui omnes animas initio creatas fuisse crediderunt, et pro suo quamque merito aut expertem manere corporis, aut in corpus, tanquàm in carcerem immitti. Etverò Origenes ipse ita hoc loco scribere videtur, ut non longè ab eâ sententiâ abhorrere videatur. Eodem ferè modo Euthymius interpretatur. Sed non sunt hujusmodi Scripturæ locutiones ad scholarum excutiendæ subtilitatem; sunt enim proverbiales, et sumptæ de vulgo, in quibus quiddam plerùmque hyperbolicum esse solet, ut apud Job cap. 3, 11 : *Quare non in vulvâ mortuus sum? egressus ex utero non statim perii?* Et cap. 10, 18, 19 : *Quare de vulvâ eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret; fuissem quasi non esseni, de utero translatus ad tumulum*; et cap. 3, 3; et Jeremiæ 20, 14 : *Pereat dies in quâ natus sum*; hæc enim omnia non tam deliberato animi judicio quàm per querimoniam, quæ mala sua amplificare solet, dicta sunt. Christus ergo ita de Judâ loquitur, quemadmodùm credibile erat ipsum de se in suppliciis positum esse locuturum. Erat autem credibile eum dicturum esse : Utinam nunquàm natus essem! melius mihi fuisset non nasci quàm ista pati; cùm Job et Jeremias, viri sanctissimi, multò minora passi idem dixerint. Adde quòd Christus non dicit melius futurum fuisse ut Judas non nasceretur, sed melius futurum illi esse, id est, ejus opinione atque judicio, quemadmodùm multis res adversas patientibus accidere videmus, ut corrupto dolore judicio mortem vitæ anteponant, cùm dubium non sit meliùs esse vivere quàm mori. Objici hoc loco solet non minùs Judam quàm Christum divinum decretum vendendo Christo executum fuisse, quare non magis, quàm illum peccare potuisse. — Respondent Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus, omnesque catholici theologi idem sentiunt, non fuisse à Deo decretum, et, ut ita dicam, prædestinatum, ut Judas Christum venderet, sed fuisse præcognitum atque prævisum fore ut venderet, quod cùm Deus ab omni cognovisset æternitate, decrevit ut eâ ratione Christus à Judâ venditus moreretur; itaque Judæ venditionem Deus non prædestinavit, sed prævidit; non commisit, sed permisit. Calvinistæ, qui neque permissionem in Deo ullam admittunt, et malum, non boni privationem, ut Augustinus et Dionysius, omnesque veteres atque recentiores theologi tradiderunt, sed naturam aliquam esse credunt, quamvis in omnes se partes versare soleant, exuere se hoc laqueo non possunt. Docet quidem Calvinus venditionem Judæ non esse propriè Dei opus appellandum; sed verbis docet, reipsà negat, quod in multis aliis, difficillimisque quæstionibus solet facere. Ejus enim doctrina, ejus verba sunt, Deum non esse omnipotentem, si peccata, ut nos dicimus, tantùm permittat; nec enim omnium rerum auctor esset. Quid, quæso, hinc colligitur, nisi Deum omnipotentem non esse sententiâ Calvini, nisi et peccati auctor sit? Ejus verba sunt : *Non dubitaverim dicere divinam prædestinationem ac voluntatem rerum necessitatem esse*, lib. 3 Instit., c. 23, quod si verum est, Deusque, ut ille putat, Judæ peccatum non solùm prævidit, sed etiam prædestinavit, necessitatem Judæ vendendi Christum imposuit; quod si verum est, peccare Judas non potuit. Eat, et impietatem suam verbis illis adornet, quibus imperitæ discipulorum suorum turbæ fucum facit; etiamsi et Deus, et Judas idem opus fecerint, Judam peccâsse, Deum non peccâsse, quia Deus bono, ut homines reduceret, Judas malo et avaritiæ pleno animo faciebat. Quis enim illius ipsius mali animi Judæ auctor fuit, nisi Deus, si sententiâ Calvini mala non solùm permittit, sed etiam facit? At malum, fortassis dicet, in Judâ animum bono animo Deus ingeneravit. Quisnam bonus animus esse poterat, nisi ille, quo volebat, ut Christus moreretur; atqui, ut Christus moreretur, malo animo Judæ opus non erat; potuit enim Deus efficere ut Judas eum bono animo venderet, ut Deo obediret : poterat efficere ut Christus neque bono, neque malo animo venditus moreretur. Malus igitur animus ex Judâ natus est, animus à Deo datus. Alia hic quæstio proponi solet : si melius futurum erat Judæ, ut non nasceretur, cur eum Deus genuit? — Respondent Chrysostomus et Euthymius non talem, qualis postea fuit, à Deo fuisse genitum. Deus enim bonum fecit, ipse se postea fecit proditorem, quemadmodùm de omnibus hominibus Salomon dicit in Ecclesiaste, cap. 7, 30, Deum fecisse hominem rectum, ipsum se multis quæstionibus miscuisse. Nullus humanæ curiositatis modus est. Quærunt etiam alii cur eum, cùm ejusmodi futurum esse sciret, in apostolum Christus elegerit; de eâ re, cap. 10, 4, disputavimus; sed uno verbo responderi potest, quia cùm electus à Christo est, ejusmodi non erat, et solet sæpè Deus etiam in hominum electione

non futura, sed præsentia merita respicere, quod in Saule rege factum videmus; bonum Deus elegit, malus ipse per se factus est, idemque de Salomone dici potest.

Vers. 25. — Numquid ego sum, rabbi? Non rogat Judas Christum, quasi ignarus, ut discat quod sua ipsum conscientia ignorare non patiebatur, sed quasi callidus mercator, ut tentet, num Christus se eum esse sciat qui eum esset traditurus, et quasi impudens dissimulator, ut dum, sicut cæteri de se quisque interrogaverat, num ipse esset, de se quoque ipse interrogat, se non esse simulet; videtur autem non sponte, sed coactus aliorum exemplo Christum rogare, num ipse sit, idcoque omnium ultimus rogat, et fortassè postquàm aliquo modo eum Christus verbis illis subindicásset: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*; priùs enim illud quàm hoc evangelista narravit; ita certè Origenes, Chrysostomus et Beda senserunt. Notavit etiam Chrysostomus, Hieronymus, Euthymius et Beda non divisse Judam, sicut cæteri dixerant: *Numquid ego sum, Domine?* sed: *Numquid ego sum, rabbi?* quasi etiam tunc, cùm maximè volebat proditionem suam dissimulare superbis suâ prodere rogeretur, dum Christum minùs quàm cæteri honorificè compellat.

Tu dixisti. Modus est honestè, et minimâ cum offensione ejus quocum loquimur, minimâque nostrâ arrogantiâ, quod interrogamur, concedendi, ut infrà, vers. 65, 64: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei; tu dixisti*: et cap. 27, 11, interrogatus à Pilato Christus, *Tu es rex Judæorum?* respondet, *Tu dicis*. Nam quod D. Augustinus libro 3 de Cons. evang., cap. 4, putat Christum his verbis, neque concedere, neque negare, consuetudini loquendi non convenit. Itaque, ut supra monuimus, credendum est hoc Judæ à Christo dictum esse, postquàm illi buccellam, de quâ Joannes scripsit, porrexisset.

Vers. 26. — Cœnantibus autem eis, ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, vescentibus, aut edentibus autem illis. Noster interpres sensum, non verba convertit. Cœnabant enim, quia vespertinum erat tempus, et cibus, qui sub noctem sumitur, cœna vocatur. Eodem modo, Marcus, cap. 14, 22. Græcè scripsit, ubi noster interpres non *cœnantibus*, ut hic, sed *manducantibus illis* vertit; haud scio, quo consilio, crediderim tamen bono idem verbum in eâdem sententiâ aliter vertisse. Lucas, cap. 22, 20, et D. Paulus, 1 ad Corint. 2, 25, scribunt hoc factum esse postquàm cœnavit; unde duo nobis colligenda sunt, alterum verba Matthæi et Marci, ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν *cœnantibus* aut *manducantibus autem illis* non ita intelligenda esse, quasi durante adhuc cœnâ Christus id fecerit, sed statim, ut cœna peracta est, antequàm surgerent, antequàm mensæ, et ciborum reliquiæ removerentur. Alterum est ridiculam esse Calvinistarum et Lutheranorum inscitiam, qui quasi satis non haberent, si rebus, nisi etiam verbis hæretici essent, noluerunt corporis, et sanguinis Christi sacramentum Eucharistiam, ut nos, sed cœnam appellare, ut se non solum religionis, sed etiam linguæ reformatores profiterentur. Atqui nullus in sacris Litteris locus est, ubi hoc sacramentum cœna vocetur, sed belli isti interpretes, quia D. Paulum dicentem audiverunt, *jam non est dominicum cœnam manducare*, nullo adhibito judicio existimárunt illum Eucharistiam cœnam appellare, et hoc nomen, quasi orbem terrarum ad convivium invitaturi mirum in modum celebrárunt. Nefas enim illis videtur aliter loqui. Non viderunt homines cæci, quod D. Lucas scribit cap. 22, 20, et quod D. Paulus eodem cap., v. 25, Christum, *postquàm cœnavit*, calicem sui sanguinis accepisse; non viderant D. Joannem, cap. 13, 4, disertis verbis scribere Christum à cœnâ surrexisse, ut discipulorum lavaret pedes. Opinor, non surrexit, priusquàm finita cœna esset, neque corpus, et sanguinem suum dedit, antequàm lavaret; cùm propterea laverit, ut significaret mundos esse oportere, qui corpus et sanguinem suum accepturi essent: hoc enim est, quod dicit vers. 10: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, hoc est, *et eos mundi estis, sed non omnes*; priùs ergo cœnavit, deinde pedes lavit, et veste resumptâ mensæ iterùm accubuit, ut divina sacramenta discipulis daret. Itaque cùm tres eodem tempore actiones fuerint, quæ tres cœnæ vocari solent, prima, quâ agnus esus est, quam nonnulli cæremonialem cœnam appellant; secunda communis et usitata; nam absolutâ edendi agni religione, quia plerùmque, qui eum ederant, saturati non fuerant, alia ponebatur cœna, ut ad saturitatem suam quisque cœnaret. Tertia, quâ Christus panem et vinum in corpus et sanguinem suum consecratum præbuit. Prima, an ispiam cœna vocetur, non satis memini: secundam, et evangelistæ Lucas, et Joannes, et D. Paulus cœnam vocant. Tertia, nusquàm in sacris quidem Litteris cœna nominatur: nam D. Paulus *Dominicam cœnam* non Eucharistiam, sed aut cœnam, aut fortassè prandium; quod aut antè, ut quidam putant; aut, ut ego arbitror, post Eucharistiæ perceptionem divites Christiani imitatione Christi solebant pauperibus exhibere, qui antequàm discipulis suis corpus et sanguinem suum daret, ultimam cum illis, ut solent amici cum amicis longè ab illis discessuri, cœnam egit, quâ singularem in illos charitatem demonstravit; hoc est, quod apud Lucam, cap. 22, 15, ait: *Desiderio desideravi hoc pascha* vo-

Vers. 26. — Cœnantibus, Gr.: Ἐσθιόντων, *cùm ederent*: tres fuisse cœnas plerique interpretes docent, eosm agni admodùm frugalem, cœnam communem, et Sacramenti sumptionem. Benedixit, Græce: Εὐλογήσας, *cùm benedixisset*, per gratiarum actionem, et invocationem Dei pro institutione tanti sacramenti: unum pro altero usurpari solet, benedictio pro gratiarum actione: Deditque discipulis suis, id est, por-

biscum manducare, antequàm patiar: reprehendit igitur D. Paulus, quòd eam cœnam, quam Dominicam vocat, quæ ad Christi imitationem à Christianis exhibebatur, ad exercendam inter se charitatem, divites non expectatis fastidiosè pauperibus agerent, ita ut cùm pauperes venirent, nihil, quod edere possent, reperirent: et alii esurirent, alii ebrii essent. Inde perspicuum est D. Paulum de eâ loqui cœnâ, quâ aliqui inebriabantur, alii esuriebant; quis autem credat quemquam sacramentorum perceptione inebriari solitum? Deinde cùm ait: *Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent?* v. 22, clarissimè ostendit se non Eucharistiam cœnam appellare, quam nunquam licuit cuiquam privatim domi suæ agere. Cerè Calvinistæ non concedent id D. Paulum permissurum fuisse, quod ne ipsi quidem permitterent. Denique cùm dicit, *aut confunditis eos, qui non habent*, satis indicat se de eâ cœnâ loqui, quam pauperes sibi parare non poterant, Eucharistiam autem parare nemo non poterat, ad quam non nisi buccellâ unâ panis, et minimo vini haustu opus erat. Sensus ergo D. Pauli est, ut, si adeò divites esurirent, ut expectare prandii, aut cœnæ illius tempus non possent, domi suæ ederent, ne si in Ecclesiâ non expectatis pauperibus prandium, aut cœnam illam anticiparent, contemnere eos viderentur, et charitatis vinculum rumpere, quæ in communi illo convivio cernebatur; hoc erat *non Dominicam cœnam manducare*, id est, non ad Christi imitationem, qui cùm dominus esset, tamen non solus, sed cum duodecim discipulis suis recubuisse dicitur. Eodem sensu veteres auctores cœnam Dominicam non Eucharistiam, sed cœnam illam, quam Christus, antequam corpus, et sanguinem suum daret, cum discipulis suis egit, vocare solent, ut Cyprianus et Bernardus, qui conciones suas eo die habitas de cœnâ Domini vocant, qui tamen nefas ducunt hæreticorum more Eucharistiam cœnam appellare. Nos ergo et Scripturis, et antiquis auctoribus congruenter Eucharistiam appellamus; quia eam Christus confecit, dicunt enim tum evangelistæ εὐχαριστήσαι, *gratias egisse*, aut benedixisse, Matthæus hoc versu, et sequenti, et Marcus, cap. 14, 22, 25; Lucas, cap. 22, 17, 19; et Paulus, 1 ad Cor. 11, 24; et Justinus in 2 Apologiâ pro Christianis; et Irenæus, lib. 4, c. 34 et 35. Deinde non solùm Scripturæ auctoritatem, et exempla majorum, sed etiam rationem in eo sequimur; nam εὐχαριστεῖν et εὐλογεῖν, quod idem est, ad hoc sacramentum maximè pertinet, cum aut per eam, aut non sine eâ perficiatur; sicut Christi docemur exemplo, et solet ex unâ parte tota actio nominari. Calvinistæ verò sine Scripturæ auctoritate, sine veterum auctorum exemplo, sine ratione, nullo judicio cœnam vocant, cùm potiùs merenda, si post prandium, prandium, si ad meridiem, jentaculum, si mane sumunt, vocari deberet; nec enim necesse est, ut hujus sacramenti celebrationem aut cœna præcedat, aut consequatur. Nam quòd Christus ante cœnaverit, non ut nobis exemplum præberet, fecit, sed necessariò, quia oportebat vetera sacramenta priùs implere, quàm novum institnere, id est, agnum paschalem priùs edere, quàm corpus, et sanguinem suum dare: agnus autem non alio tempore, quàm cœnæ edi poterat: et solebat eso jam agno cœna communis apponi; et ut consuetudinem observaret, et, ut ex hâc vitâ discessurus, actâ cum apostolis cœnâ, in finem eos diligeret: itaque reprehendeada non est, sed laudanda potiùs Ecclesia, quæ eâ in re factum Christi non imitatur, quod nec ille fecerat, ut imitaremur; sed solis jejunis corpus et sanguinem Domini tradit, quòd id nullò plus habeat reverentiæ, ut epistolâ 118, D. Augustinus scribit, eamque apostolicam esse putat traditionem. Reprehendendi verò hæretici sunt, qui dùm sine ullo judicio Christi actionem imitari volunt, etiam benè pransis, et benè cœnatis, fortassè etiam aliquando ebriis, nullâ reverentiâ hoc conferunt sacramentum, nisi quòd commodè illis accidit, ut nihil aliud quàm panem, et vinum porrigant, quæ sine ullo honoris respectu, sine ullâ religione sumi possunt.

Et benedixit, καὶ εὐλογήσας, cùm benedixisset, quo in verbo ter minimùm errant hæretici: et quia vertunt, cùm gratias egisset; veriti ne Christus signo crucis usus esse videatur, aut magicâ, ut illi vocant, incantatione, et quòd hanc Christi benedictionem non ad panem quasi illi Christus benedixerit, sed ad vinum, quasi illi gratias egerit, referendam esse dicunt, et quod eam benedictionem, aut, ut ipsi volunt, gratiarum actionem singularem, et propriam hujus sacramenti esse non putent, sed communem, et inter Judæos usitatam: quem Christus morem gestis usurpaverit: quæ omnia eò tendunt, ne nos ullâ in hoc sacramento benedictione jure uti posse videamur. Hi tres errores ordine refutandi nobis sunt: de verbo quidem εὐλογεῖν benedicere, quo et Matth. hoc loco, et Marcus cap. 14, 22 de pane loquens usus est, non dubium, quin apud evangelistas idem sit, quod εὐχαριστεῖν, quod propriè significat, gratias agere: nam quod hoc loco Matthæus, et Marcus, cap. 14, 22, dicunt εὐλογήσας; vers. sequenti de calice loquentes dicunt εὐχαριστήσας, *cum gratias egisset*, et quod Matth. et Marcus loquentes de pane dicunt εὐλογήσας, Lucas, cap. 22, 19, et D. Paulus, 1 ad Cor. 11, 24, dicunt εὐχαριστήσας, et quod Matthæus, c. 15, 36, de septem panibus, et duobus piscibus scribens, dicit εὐχαριστήσας, Marcus, cap. 8, 6, de panibus dicit εὐχαριστήσας, de piscibus εὐλογήσας, et quod Matthæus, cap. 14, 19, et Marcus, cap. 6, 41, et Lucas cap. 9, 16, de quinque panibus dicunt εὐλόγησε, Joannes, cap. 6, 11, dicit εὐχαριστήσας, et divus Paulus, 1 ad Cor. 14, 16, idem vocat εὐλογίαν, et εὐχαριστίαν: *si*, inquit, *benedixeris spiritu, τὴν εὐλογίαν πνεύματι, qui supplet locum idiotæ, quo modo dicet, Amen, super tuam benedictionem* ἐπὶ σῇ εὐχαριστίᾳ. Id quibusdam inde natum videtur esse, quod apud Hebræos ברך et benedicere, et gratias agere significat, ut priori Paralip. 29, 20. Mihi id probabile videtur: sed fortassè inde eorum verborum in unam significationem confusio nata est, quòd nunquàm benedictio sine gratiarum actione esse soleret, ut annaret ex Marco, cap.

6, 41, ubi Christus, ut quinque panibus, et duobus piscibus benedixerat, in cœlum suspexisse dicitur; unde colligitur gratias egisse Patri in cœlum, oculos sublevans, et panibus benedixisse. Poterit lector objicere, quòd Ecclesia hæc duo verba distinguere videatur, *et elevatis oculis in cœlum, tibique gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis*, quasi utrumque fecerit Christus, et priùs Patri gratias egerit, et postea pani benedixerit. — Respondeo Ecclesiam non interpretari verborum significationem: sed, quod probabile est, sequi; probabile autem est utrumque fecisse Christum, et egisse gratias Patri, et pani benedixisse quia videmus in rebus minoribus, id est, cùm panibus et piscibus vellet, ut multiplicarentur, benedicere: egisse etiam utrumque, Matthæi 14, 19; Marci 6, 41; Lucæ 9, 16, quemadmodùm et oculos in cœlum levásse credibile est, quamvis id evangelistæ non explicaverint, quia cum panibus et piscibus benediceret, id fecit: quâ opinione dicit Ecclesia, *et elevatis oculis in cœlum*. Quæstio autem in eo versatur, cùm negari non possit unum verbum pro altero accipi, utrum εὐλογεῖ benedicere ponatur pro εὐχαριστεῖ gratias agere: an è contrario. Calvinistæ εὐλογεῖ benedicere pro εὐχαριστεῖ gratias agere poni volunt. Ego contrà contendo εὐχαριστεῖ gratias agere pro εὐλογεῖ benedicere ab evangelistis positum esse, quod non potest, nisi secundo errore refutato, commodè probari. Secundus autem error ex Paulo, 1 ad Cor. 10, 16, manifestè coarguitur; *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus*, ὃ εὐλογοῦμεν ad verbum, quem benedicimus, id est, benedicendo consecramus, quibus verbis perspicuum est benedictionem subjectæ materiæ, id est, pani et calici datam fuisse. Deinde Lucas, c. 9, 16, ait Christum accepisse panes, καὶ εὐλογήσας αὐτούς, et benedixit illos, ergo ipsis panibus benedictionem Christus dedit; quare cùm eodem modo Eucharistiæ panem, et calicem benedixerit, non ad Deum, sed ad panem, et vinum benedictio referenda est. Præterea D. Paulus, 1 ad Tim. 4, 4, 5, ait cibum sanctificari *per verbum Dei, et orationem*, et εὐχαριστίαν *gratiarum actionem*, ergo et verbum Dei, et oratio, et gratiarum actio ad cibum refertur. Denique evangelistarum contextus non patitur, ut aliter intelligamus, quàm panem ipsum, et vinum à Christo fuisse benedictum: *Accepit*, inquit, *panem*, εὐλογήσας ἔκλασε, *cùm benedixisset, fregit, deditque discipulis suis*, panem utique accepit, panem fregit; panem ergo benedixit. Solent calvinistæ interpretari Christum benedixisse panes, et D. Paulum calicem, id est, super illos gratias Deo egisse; ubi multa absurda sunt; primùm, quòd dicunt super illos gratias egisse, cùm evangelista dicat εὐλόγησεν αὐτούς, non εὐλόγησεν αὐτοῖς, id est, *benedixit illos*, non benedixit illis, quis autem ita loqueretur, gratias egit panes, id est, Deo super panes? deinde etiamsi dixisset αὐτοῖς *illis*, absurdum esset ita loqui, gratias egit panibus, id est, Deo propter panes. Ista denique deliria ridenda sunt, non refutanda. Duo igitur constant, et εὐχαριστεῖν gratias agere sumi pro εὐλογεῖν benedicere, quia ad panem, et vinum referatur, et non potest gratiarum actio ad res inanimes, aut rationis expertes, sed ad animatas, et ratione præditas referri; nec enim dicimus gratias ago pani, aut equo, nisi fortassè jocantes, sed gratias ago Deo, aut homini; et benedictionem ad panem et vinum esse referendam; neque ullus unquàm auctor ante novos quosdam Calvinistas aliter intellexit. Itaque Justinus in secundâ Apologiâ Eucharistiam vocat εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, cibum gratiarum actione benedictum, aut consecratum, eodemque modo Irenæum lib. 4, c. 34 et 35, locutum Græcè fuisse credendum est, cùm Latinus interpres verterit *panem super quem gratiæ actæ sunt*, et Cyprianus, libro de Cœnâ Domini, *Panis*, inquit, *iste substantialis, et calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit*, et Ambros. in libro de His qui mysteriis initiantur, c. 9, et Juvencus hunc locum interpretans:

Palmis sibi frangere panem,
Divinumque dehinc tradit sanctumque precatus,

Id est, prece sanctificans,

Discipulos docuit proprium se dedere corpus.

Tertius superest, quòd existiment non peculiarem, et propriam hujus sacramenti, sed vulgarem, et inter Judæos usitatam fuisse, quam Christus hoc loco dedit, benedictionem. Id sic refellitur primùm; cùm toties Christus cibum sumpserit, quid est, quòd Evangelistæ non scripserint eum benedixisse, aut gratias egisse; nisi cum aliquid singulare, et admirabile suâ benedictione facturus erat? Ter tantùm meminerunt Christum cibum benedixisse; primùm apud Matthæum c. 14, 19, et Marcum c. 6, 41, et Lucam c. 9, 16, cùm voluit quinque illos panes multiplicare; secundo Matthæi, 15, 36, et Marci 8, 6, cùm vellet multiplicare septem alios panes; tertio hoc loco, cùm vellet panem in corpus suum, vinum in sanguinem transmutare, nam quod apud Lucam, cap. 24, 30, in Emaus panem benedixisse, fregisse, ac duobus discipulis dedisse dicitur, ejusdem est generis, quia, ut postea probaturi sumus, etiam tunc corpus suum dedit. Præterea cur, cùm tres hæ, ut vulgò creditur, cœnæ fuerint, in cœnâ agni, et in cœnâ communi, quæ postea apponebatur, evangelistæ non dixerint, aut benedixisse Christum, aut gratias egisse, cùm Judæi in cœnâ agni ea cæremonia potissimùm uterentur, ut etiam Hebræi tradunt, cùm autem de Eucharistiâ loquuntur, eam benedixisse dicunt? Deinde, cur omnes hoc tam accurate narrárunt, quasi ad rem maximè pertineret? Denique, cur sigillatim et de pane, et de calice narrárunt utrumque benedixisse, ut Matthæus, et Marcus; aut ita certè scripserunt, ut facilè intelligi posset utrumque benedixisse, ut cùm Lucas, ait cap. 22, 20: *Similiter, et calicem postquàm cœnavit?* cùm enim dicit *similiter*, significat eodem modo calicem accepisse, ac benedixisse, quo acceperat, ac benedixerat panem.

Ac FREGIT. Et hæc vetus inter Judæos fuisse dicitur cæremonia, ut paterfamiliàs initio cœnæ, quâ, agnus edebatur, panem unum azymorum sumeret, et in duas partes divideret, quarum alteram sub mappâ absconderet, alteri sic benediceret: *Benedictus es, Domine Deus noster, rex universi, qui educis panem de terrâ*: aut sic: *Benedictus es, Domine Deus noster, rex universi in esu panis azymi*, ut ex eo libro Hebræorum, qui כל-בו inscribitur, nonnulli tradiderunt. Sed nullo modo credendum est Christum nihil aliud, cùm panem fregit, aut benedixit, agere voluisse, quàm Judæorum ritum observare; id enim in esu agni faciendum erat Judæorum more, Christus non in esu agni, sed in novi sacramenti institutione fecisse dicitur; aut si in esu agni fecit, ut credibile quidem est, id evangelistæ, tanquàm nihil ad rem pertineret, præterniserunt. In novo autem sacramento fecisse omnes diligenter exposuerunt; noluit ergo Christus veterem Judæorum observare cæremoniam, sed novam instituere, et aliquid multò magis admirandum efficere. Quanquàm non negaverim fieri potuisse, ut Christus, quia esum agni in esum corporis sui, id est, figuram in veritatem mutare volebat, similem, non eamdem cæremoniam benedicendi panem voluerit usurpare; quod probabilius esset, si ritus ille panem azymum frangendi non Judæorum tradi ione, sed legis præcepto inductus fuisset. Certè non eodem modo panem hunc fregisse Christum inde apparet quòd omnes evangelistæ narraverint eum fregisse, quasi aliàs frangere non soleret, aut non eodem modo soleret, et quia Lucas, c. 24, 35, scribit duos illos discipulos in fractione panis Christum cognovisse; quod utique non fecissent, si eodem modo eodem ritu panem Christus fregisset, quo omnes patresfamiliàs frangere solebant; manifestum enim est Lucam significare fractionem panis eam, m fuisse, quam ob rem à discipulis cognosceretur. Scio dici posse, quod et me aliquando docuisse memini, discipulos illos duos vi accepti corporis Christi eum cognovisse, quasi Eucharistia oculos illis aperuerit. Id etiamnùm mihi placet, sed si id admittatur miraculum, nostrâ etiam sententiâ confirmabitur, singulari quâdam ratione Christum, cùm corpus suum daret, panem fregisse, quando tam diligenter ab Evangelistis id explicatur. Sunt qui putent ejusmodi fuisse panem, ut manibus facilè frangeretur, quibus nequaquàm assentior, quia panis azymus fuit, qui magis glutinosus est, et omnium difficillimè frangi potest; non ergo existimandum est manu necessariò panem fuisse frangendum; potuit enim et cultro dividi, sed Hebræorum consuetudo est, ut frangere panem dicant, non solùm cùm manu frangitur, sed etiam cum cultro scinditur, ipsò verò etiam cùm non scinditur, sed tantùm datur, quia dari rarò solet, nisi priùs aut frangatur, aut dividatur; *frange*, inquit, *esurienti panem tuum*, id est, divide panem, quem habes cum pauperibus, Isaiæ 58, 7, et, *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis*, Thren. 4, 4, unde et tota actio, distributioque hujus sacramenti fractio panis appellata est, Act. 2, 42, fecit igitur Christus duodecim ex pane partes, et singulis, singulas dedit; non, ut quidem putant, uni ex illis, qui proximo; proximus sequenti, et denceps daret; hoc enim versu sequenti refutabimus. In manus, an in os dederit, non constat, sed conjectura non levis est in manus dedisse; primùm quòd dicat, *accipite*, quod ad manus potiùs, quàm ad os pertinere solet, deinde quia calicem in manus dedisse versu sequenti probabimus, et credibile est eodem modo dedisse corpus; denique quia si in dividendo pane veteris Judæorum consuetudinis rationem aliquam habuit, non est verosimile Judæos divisum panem in os ingerere consuevisse. Accedit, quòd longo tempore etiam in Ecclesiâ usitatum fuit, ut sacrum Christi corpus in manus fidelibus traderetur, ut ex Tertulliano, libro de Spectaculis, cap. de Munere, ex Cyrillo Jerosolymitano catech. 5 mystagogicâ, ex Augustino, serm. 244, ex Chrysost., libro 3 de Sacerdotio, ex concilio I Toletano colligimus. Melìore tamen consilio eadem postea Ecclesia non in manus, sed in os sacramentum dare cœpit, quòd id et minùs periculi, et multò plus haberet reverentiæ; quemadmodùm quamvis Christus cœnatis corpus suum, et sanguinem dederit. Ecclesiæ consilium Augustinus laudat, epistolâ 118, quòd eâ relictâ consuetudine non nisi jejunis dederit. Solent nos frangendi verbo hæretici valdè, ut sibi videntur, urgere, ut probent non rectè nos sacramentum hoc administrare, nisi multi adsint, inter quos distribuatur; propterea enim fractionem panis in sacris Litteris appellari. Argumentum ex magnâ profectum insciliâ; paulò enim ante diximus fractionem panis appellari, non quòd revera frangatur, sed quòd detur; nam qui quidquid habet panis pauperi confert, panem suum pauperi Hebræorum phrasi fregisse dicitur, quamvis uni tantùm dederit, unus tantùm acceperit; quòd si unum tantùm discipulum Christus habuisset, illi procul dubio corpus suum dedisset, et quamvis reverà non fregisset panem; fregisse tamen, id est, dedisse diceretur.

HOC EST CORPUS MEUM. Nihil his verbis in Scripturis sacris dictum erat clarius, antequàm hæretici, dùm divina mysteria sensu metiuntur, et verbo Dei humanæ rationis judicium, fidei humilitati superbiæ suæ pertinaciam anteponunt; denique ad occultandam incredulitatem suam in figuris latebras quærunt, figmentorum suorum caligine obscurásceni. Multa enim in Christianâ religione difficiliora mysteria, et ab humano sensu remotiora et nos et illi credebamus, Trinitatis, Incarnationis Christi, carnis resurrectionis. Nullum eorum in sacris Litteris tam dilucidis, tam perspicuis, tam disertis verbis explicatum erat: ubi enim tam apertè Scriptura dicit Patrem, et Filium et Spiritum sanctum tres esse personas, unam essentiam, quàm Christus hìc dicit: *Hoc est corpus meum?* Ubi tam distinctè, tam sine ambiguitate docet in Christo duas esse naturas, unam tantùm personam, quàm ipse hìc docet se corpus, et sanguinem suum dare? ubi nos eâdem, non aliâ, non spirituali, non simili carne resurrecturos tam explicatè testatur, quàm testatur Christus se non figuram, non spiritum, non panem, non vinum, non aliud, quàm corpus et sanguinem suum tradere? Hoc facilius

quàm illa creditu; illa paucioribus, quàm hoc, et minùs illustribus Scripturæ testimoniis probabantur; pluribus, et majoribus ab aliis, et inter eos hæreticis refutari videbantur. Cur illa credunt, hoc etiam non credunt? Cur illic figuras non inveniunt, ubi Ariani, Marcionistæ, Manichæi, Origenistæ inveniebant? hic inveniunt, ubi illi non invenerunt? Cur quando semel religionis lineas egressi sunt, non fiunt graviter impii, et rebus omnibus hæretici. Duæ, ut opinor, eos retinent causæ; altera, quòd non tantùm habeant ingenii, ut illorum mysteriorum difficultatem, quæ longius ab oculis absunt, scrutare possint, tantum verò habeant, ut in hoc, quod oculis vident, manibus tractant, difficultatem percipiant, veritatem non intelligant; altera, quòd sua eos incredulitas, quam pro fide ducem sequuntur, in hunc, qui magis apparebat, scopulum primùm impulerit, in alios impulsura postea, cum minoribus in rebus exercitati ad majora molienda aptiores erunt. Habet enim hæresis et incredulitas, sicut omnis doctrina, methodum suam, ut ab his, quæ notiora nobis, et propinquiora sunt sensibus exordiatur; et per gradus ad majora, remotioraque perveniat. Experientiâ docti loquimur; multos jam Calvinistas videmus, qui ingeniosiores, et magis increduli, id est, magis Calvinistæ ceteris erant, eò jam pervenisse, ut quâ ratione hoc priùs mysterium non credebant, nunc Trinitatis mysterium non credant ceterosque Calvinistas, sicut Calvinistæ nos, tanquam nimis simplices, et credulos rideant. Omnes enim Ariani, quos multis hodiè locis succrescere videmus, et qui Poloniam jam omnem repleverunt, ex Calvinistis nati sunt. Nonnulli progressi sunt longiùs, ut nihil crederent, quorum unus, cum libellum quemdam his annis de arte nihil credendi composuisset, nihil in eo, nisi hoc unum, verum dixit, oportere priùs Calvinistam fieri, qui atheus esse volet. Fuerat ille antea Calvinista, fuit postea atheus, et unicuique in suâ arte credendum est. Verissima sententia; nam quisquis Calvinista est, si eâ, quam ingressus est, incredulitatis viâ ire pergat, ad nihil credendum perveniat necesse est. Hæc à nobis non contumeliæ, sed admonitionis causâ dicta sunt, ut si qui fortè sunt eorum qui non omninò obduruerunt, alieno admoniti periculo resipiscant, ostensoque haud ita longè posito præcipitio pedem referant. Non solemus commentariorum fines egredi, et nunc si à viâ paululùm egressi sumus, at non aberravimus; scientes enim fecimus, quia intelligimus quanti referat, quem quis ad intelligendam, interpretandamque Scripturam animum afferat. Commentariorum itaque pars est hæc ipsa digressio.

Cùm de Trinitate disputaretur, in trium verborum interpretatione omnis disceptatio versabatur: *Ego, et Pater unum sumus*, Joan. 10, 30; aut: *Hi tres unum sunt*. Cùm de incarnatione, in aliorum trium explicatione; *Verbum caro factum est*, Joan. 1, 14. Cùm de resurrectione in his tribus: *Mortui resurgent incorrupti*, 1 Cor. 15, 52. Nunc, cùm de Eucharistiâ agitur, in his item tribus: *Hoc est corpus meum*. Semper enim hæc quatuor mysteria conjungenda mihi videntur, cùm adversùs Calvinistas disputamus denique nobis faciendum, quod ii facere solent, qui dùm in mare à piratis, aut in præcipitium à latronibus impelluntur, amplexantur impellentem, et arctè tenent, ut aut impellere desinat, aut in similem ruinam et ipse trahatur. Quod de Eucharistiâ novi nobis hæretici objecerint, idem nos illis de Trinitate, idem de Incarnatione, idem de resurrectione mortuorum objiciemus, ut aut Eucharistiæ mysterium labefactare desinant, aut illa simul labefactent; quod si fecerint, nemo non eorum temeritatem et impietatem videat. Ariani, Marcionistæ, Manichæi, Origenistæ multas in illis, quæ supra posuimus, verbis interpretationes comminiscebantur, ne veram Ecclesiæ interpretationem reciperent. Lutherani et Calvinistæ, quia minùs etiam illi resistere poterant veritati, innumerabiles in hæc verba: *Hoc est corpus meum* commenti sunt; quas ne recitandas quidem ducimus, quia omnes unâ tantùm, eâdemque explicatione refutantur. In eo Calvinistæ et Zuingliani omnes conveniunt, non proprium, sed figuratam esse locutionem; cùm figuram quærunt, alii in *pane*; alii in verbo *est*; alii in *corpore* inveniunt. Itaque singula separatim verba excutienda sunt.

Hoc. Omnes et Lutherani, et Calvinistæ pronomen *hoc*, pro pane positum esse dicunt, quia panem Christus in manus acceperat, et continuò dixit: *hoc*, id est, hic panis *est corpus meum*. Unde Lutherani colligunt et panem in sacramento remanere, quia dixit, *hoc*, id est, panis, et corpus Christi verè esse, quia dixit, *est corpus meum*. Calvinistæ verò panem quidem remanere; corpus verò Christi non verè inesse: quia non dixit hic est corpus meum, sed, *hoc*, id est, panis *est corpus meum*: quare cùm panis corpus Christi verè esse non possit, et verè maneat; sequitur non esse corpus Christi, nisi figuratè, id est, corpus Christi significare. Utrique hâc unâ syllabâ pariter refelluntur: Lutherani quidem, quia si *hoc*, accipitur pro pane, cùm non dicat Christus: hic est corpus meum, sed *hoc est corpus meum*, necesse est, aut panem non remanere, si corpus Christi est: sed in illud transmutari, aut corpus Christi in sacramento non esse, si panis manet. Fuerunt in eodem jam olim errore nonnulli ex discipulis Berengarii, quos similibus argumentis ejus seculi auctores refutârunt. Calvinistæ verò refutabuntur, si probemus pronomen *hoc* pro pane accipi non posse. Id autem evidentissimis argumentis demonstratur. Primùm, si Christus voluit dicere, *hoc*, id est, panis *est corpus meum*, quare uno verbo non dixit clariùs, hic panis est corpus meum? Id enim verborum continuatio postulabat, *accepit panem, et cum benedixisset, fregit, deditque discipulis suis, dicens*: Hic panis est corpus meum. Deinde, cur cùm tres evangelistæ Matthæus, Marcus, et Lucas, et apostolus Paulus, 1 ad Corint. 11, 24, hujus sacramenti institutionem exposuerunt, et soleant aliis in rebus verbis plerùmque discrepare, dùm alius obscuriùs, alius clariùs idem dicit, in hâc re eodem omnes verbo

usi sunt: *Hoc est corpus meum?* Cur nemo aut casu, aut consilio, ut sententiam Calvini magis explicaret, dixit, hic est corpus meum, aut hic panis est corpus meum? Objicient fortassis, quòd in aliam sententiam solent dicere, Joannem id explicâsse, cap. 6, 5: *Panis quem ego dabo caro mea est*, et D. Paulum, 1 ad Corinth. 10, 16: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* et cap. 11, 26: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis;* et v. 28: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat*, et Lucam, qui in Actis, cap. 2, 42, hoc sacramentum fractionem panis vocat. Possem respondere, quod plerique viri docti et Catholici responderunt, panem vocari, non quòd sit, sed aut quòd fuerit, sicut serpens, in quem virga Mosis conversa fuerat, virga vocatur, Exodi 7, 12, aut quia speciem panis, ut priùs referat, sicut vocantur linguæ, quæ super apostolos ceciderunt, Act. 2, 3, non quòd linguæ essent, sed quòd linguæ speciem præ se ferrent; eaque responsio satis esset: sed non cogimur, meo quidem judicio, ullam ejusmodi interpretationem quærere. Nego etiam atque etiam illis in locis, qui objecti sunt, nomen panis, aut pro pane, aut pro panis figurâ accipi: non enim panis, sed corpus Christi panis dicitur, quod ex loco Joannis, unde ceteri explicandi sunt, perspicuum est, *panis*, inquit, *quem ego dabo;* cùm enim dicit, *quem ego dabo*, clarissimè ostendit se non de pane loqui, sed de carne suâ, quæ excellentiori quodam modo panis appelletur. Opponit enim se Mosi, et carnem suam mannæ; opponit etiam carnem suam, quam daturus nobis erat, ut eam ederemus, panibus illis quinque, quibus quinque hominum millia saturaverat, superantibus etiamnùm duodecim fragmentorum cophinis, vers. 12, 13. Cùm enim Judæi Christum sequerentur, ut hunc illis panem sæpè daret, ut ipse testatur, vers. 26: *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducâstis ex panibus, et saturati estis*, illis panibus, panem hunc, id est, carnem suam opponit; non ergo vocat panem verum panem, sed corpus suum, quod meliore quâdam, et præstantiore ratione panis erat, sicut Joan. 4, 13, 14, dicit Samaritanæ: *Omnis qui bibit ex hâc aquâ, sitiet iterùm; qui autem biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*, eo enim ipso, quòd dicit, *quam ego dabo ei*, et quòd eam aquam veræ aquæ opponit, apertissimè ostendit se non loqui de verâ aquâ, sed de gratiâ suâ, quæ meliori quodam modo aqua vocatur. Itaque tantùm abest ut ex hoc loco Joannis Calvinistæ, aut Lutherani possint illum contra nos argumentum desumere, ut inde potiùs nos possimus sententiam de transsubstantiatione nostram confirmare, non enim solùm significat Christus se meliorem panem, id est, carnem suam daturum esse, sed etiam panem daturum non esse, sicut dederat illis qui paulò antè saturati fuerant: illi enim pani hunc opponit: illum ergo non dedit, hunc dedit: ille in Eucharistiâ non est: hic, id est, caro ejus, est. Ad eumdem modum loci D. Pauli et Lucæ intelligendi sunt, quod cùm ex loco Joannis, tùm ex ipsis etiam auctoribus manifestum est, cùm Paulus dicit, *panis quem frangimus*, indicat se non de pane loqui, sed de corpore Christi, quod sicut Christus ipse, panem appellat. Illa enim descriptio *quem frangimus* addita est ad distinctionem veri et naturalis panis, sicut apud Joannem verbum illud, *quem ego dabo:* et cùm dicit, *quotiescumque manducabitis panem hunc, et sic de pane illo edat*, illa adjuncta pronomina *hunc* et *illum* ostendunt ipsum non de vero pane, sed de corpore Christi loqui, quod panem appellet, quemadmodùm cùm Christus dicit: *Qui biberit ex aquâ quam ego dabo*, relativum *quam* distinguit gratiam Christi à verâ aquâ: cùm autem dicit Lucas frangi panem, idem significat, quod D. Paulus. Dicet aliquis, corpus Christi non frangi, sed panem. — Respondeo corpus Christi dici frangi, cùm datur, quia nomine panis appellatum fuerat, et à prophetis etiam significatum, et panis proprium est frangi, quamvis corpus ipsum verè non frangatur; sicut gratia Christi verè non bibitur, et tamen loquens de eâ Christus dicit: *Qui biberit ex aquâ quam ego dabo ei*, nimirùm quia gratiam suam aquam vocaverat, et aqua bibitur. Tertium argumentum quo probare possimus pronomen *hoc* non accipi pro pane est, quòd, ut Latinè, sic et Græcè diversi quam panis generis sit, *panis*, ἄρτος, masculini, τοῦτο *hoc*, neutrius; non ergo ad panem referri potest, cum quo genere non convenit. Dicent Calvinistæ pronomen illud Græcum, τοῦτο, et Latinum, *hoc*, non adjectivum esse, sed substantivum, quòd et multi Catholici dixerunt; ideòque opus non esse ut eam pane genere conveniat; sed hunc esse sensum: Hoc quod vobis do est corpus meum, sed illud quod dabat erat panis. Primùm hoc tenemus, pronomen *hoc* non distinctè accipi pro pane, sed argumentando obtinendum esse, ut pro illo sumatur. Deinde si substantivum est, cur potiùs non sequamur interpretationem Christi: Hoc quod vobis do est corpus meum, quam Calvinistarum somnium: Hoc quod vobis do est panis? Præterea, ut concedamus substantivum esse, cur vulgarem potiùs Catholicorum explicationem, quæ naturæ pronominis multò magis convenit, non sequamur, ut pronomen *hoc* neque pro pane, neque pro corpore Christi sumatur, sed tantùm significet id, quod Christus daturus erat, et, ut vocant, individuum, vagum sit? quanquàm ego quidem omnibus viribus contendo adjectivum esse, neque ullâ ratione substantivum esse posse, aut pro aliâ re quàm pro corpore Christi accipi. Minimè dubium est quin eodem modo hoc pronomen sumendum sit, cùm de pane Christus dicit: Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, *hoc est corpus meum*, et cùm de sanguine dicit: Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *hic est sanguis meus*. Cùm autem de sanguine dicit τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου, *hic est sanguis meus*, pronomen non refertur ad vinum, sed ad sanguinem, quod ex Lucâ et Paulo manifestum est, qui pronomen cum sequenti, non cum præcedenti conjunxerunt dicentes: Τοῦτο, τὸ ποτήριον: ergo et cùm dicit: *Hoc est corpus meum*, illud, *hoc*, non convenit cum præcedenti pane, sed cum sequenti corpore; nec

substantivum, sed adjectivum est, quia sicut illud cum sequenti *calix*, ita hoc cum sequenti *corpus*, ut adjectivum cum substantivo conjunctum est, ideòque non potest panem, sed corpus Christi demonstrare. Hoc Hieronymus, aut noster, quisquis fuit, vetus interpres rectissimè vidit, quia non dixit loquens de sanguine : Hoc est sanguis meus, quemadmodùm dicendum illi erat, si pronomen τοῦτο, *hoc*, substantivè positum esse putavisset, sed dixit : *Hic est sanguis meus*, adjectivè convertens, quod D. Thomas pius, doctus, subtilis et circumspectus interpres non animadvertit, ejusque vulgaris opinionis auctor exstitit, pronomen, *hoc*, substantivum et individuum, vagum esse. Ergo est, dicet aliquis, tautologia ; nam si hoc accipitur pro corpore, perinde est ac si Christus diceret : Hoc corpus meum est corpus meum. Hoc argumento valdè miror homines etiam doctos à rectâ sententiâ dimotos fuisse ; nec enim novum est, sed usitatum imò, ut dialectici docent, necessarium, ut in omni verâ propositione subjectum et attributum pro eodem accipiantur ; tamen non omnis propositio vera tautologica est, quia tautologia non in acceptione, quam dialectici suppositionem vocant, sed in significatione consistit, quando subjectum et attributum non solùm pro eodem accipiuntur, sed idem etiam significant, nec idem solùm significant, sed eodem etiam modo ; nam animal rationale est homo, non est tautologia, sed vera, recta et prudenter enuntiata propositio ; quamvis animal rationale et homo et pro eodem accipiantur, et idem prorsùs significent, quia idem quidem, sed non eodem modo significant ; homo enim totam naturam, animal rationale eamdem naturam, sed distinctè, et per partes declarat. Si quis diceret : Animal rationale est animal rationale ; homo est homo, is ineptam committeret tautologiam ; eodem modo si Christus dixisset : Corpus meum est corpus meum, tautologiâ usus fuisset ; cùm autem dicat : *Hoc est corpus meum*, quamvis *hoc* pro ipso corpore Christi accipiatur, idemque significet, tautologia non est, sed rectissima et usitatissima locutio ; quia idem non eodem modo significat ; *corpus meum* significat corpus Christi distinctè ; ac nominatim, *hoc* non nominatim, non distinctè, sed, ut ita dicam, mutè ; quemadmodùm Galli solent dicere, cùm aliquis ita adversùs alium locutus est, ut non appellaverit, sed hominem descripserit, non nominavit illum, sed digito demonstravit ; quod perinde est ac si nominàsset ; ita vulgò loquimur : Hic est frater meus, ubi pronomen, *hic*, nec pro aliâ re quàm pro fratre meo accipitur, nec aliud eo loco significat, quamvis non eodem modo ; nam cùm voco fratrem meum, nomino ; cùm dico *hic*, non nomino, sed, quod idem valet, digito ostendo ; si quis autem diceret : Hoc est frater meus, virgis cædendus esset, quòd præter consuetudinem Latini sermonis loqueretur. Nec minùs absurdè Christus locutus fuisset, si dixisset : *Hoc est corpus meum*, *hoc* substantivè posito, quanquàm in corpore, quia idem genus est, absurditas non apparet ; in sanguine apparebit, si dicas : Hoc est sanguis meus ; quis enim homo prudens ita loqueretur ? Quanquàm scio Cyprianum alicubi ita vertisse ; sed sunt qui locum corruptum putant. Ita Scriptura loqui solet : *Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3, 17 ; *hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*, Hebr. 9, 20, et multa similia. Dicet aliquis : Cùm pater dicit : *Hic est Filius meus*, illud, *hic*, accipi pro homine, quasi dicat : Hic homo est filius meus ; fieri fortassè potest. Quid autem dicet homo iste acutus de hâc propositione : Hic est homo, cùm hominem ostendo ? pro quo dicet pronomen *hic* positum esse, nisi pro homine ? nec enim pro animali positum est, quasi dicam : Hoc animal est homo, cùm genus discrepet. Quàm certum igitur et perspicuum est in hâc oratione : Hic est homo, aut : Hic est panis, pronomen *hic* pro aliâ re quàm pro homine et pro pane, qui loco attributi positus est, accipi non posse ; tam certum atque perspicuum est homini mediocriter docto evangelistarum contextum Græcè legenti pronomen τοῦτο, *hoc*, pro aliâ re quàm pro Christi corpore non poni ; sic enim habet, vers. 26 : Λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε : Λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Omnes ergo alias non solùm hæreticorum, sed etiam quorumdam Catholicorum in hoc pronomen interpretationes constantissimè rejicio ; hanc unam firmissimè teneo, quæ ex Lucâ et Paulo certissimis argumentis confirmatur, et Matthæi et Marci Græco contextui sola consentanea est, et à nostro vetere interprete expressa, et quæ catholicam de præsentiâ corporis Christi in Eucharistiâ sententiam maximè corroborat. Quod in scholis objici solet, cùm Christus pronomen illud pronuntiavit, nondùm ejus corpus in sacramento fuisse, itaque non potuisse pronomine illo demonstrari, rectè in eisdem scholis, ubi conflatum argumentum est, etiam dissolvitur : in ejusmodi propositionibus, quæ practicæ sunt et efficaces, hæc pronomina demonstrare solere id quod nondùm est, sed per ipsam orationem fit, eaque finita erit. Cùm Deus ex limo terræ hominem finxit, rectè verèque dicere potuisset sumpto in manus limo, hic est homo, sicut Christus dixit : *Hoc est corpus meum*, et cùm ex costâ mulierem fabricavit, sumptâ costâ dicere potuit, hæc est mulier, quamvis, cùm pronuntiàsset pronomen *hæc*, nondùm fuisset mulier, nec significàsset, si ita locutus fuisset, limum esse hominem, et costam mulierem, sed limum in hominem, costam in mulierem converti. Ita cùm Christus dicit, accepto pane : *Hoc est corpus meum*, quamvis ejus corpus nondùm illic esset ; tamen quia statim futurum erat, illud eo pronomine demonstrat, nec significat panem, quem acceperat esse corpus suum, sed mutari in corpus suum, quemadmodùm si in Canâ Galilææ, cùm aquam in vinum mutavit, ostensam aquâ dixisset : Hoc est vinum, nec illud *hoc* aquam, sed vinum ostenderet ; nec sensus esset aquam esse vinum, aut vinum significare, sed illo verbo in vinum esse conversam. Quod exemplum eò magis est ad rem, de quâ agimus, accommodatum ; quòd ex alio simili Christi facto sumptum sit, et quòd eo veteres auctores ad probandam,

explicandamque hujus sacramenti fidem usi fuerint, ut Cyrillus Jerosolymitanus, catech. 4 mystagogicâ.

Est. Ex his, quæ de pronomine *hoc* dicta sunt, eorum error facilè refellitur, qui putant verbum *est* accipi pro significat ; quam ad rem nimiâ quâdam diligentiâ multa de Scripturis sacris exempla accumulare student. *Petra*, inquiunt, *erat Christus*. Agnus erat pascha, et sexcenta alia, quæ passim jactare solent. Ego omnem istam exemplorum telam uno verbo præcidam. Nego verbum substantivum, aut Latinè, aut Græcè, aut Hebraicè, aut ullâ prorsùs in linguâ quam ego noverim, aut in sacris Litteris, aut apud alium ullum auctorem, etiam apud istos ipsos hæreticos pro verbo significat, accipi solere, aut etiam posse ; hominesque imperitissimos qui id dicant esse affirmo. Nam in omnibus illis figuratis locutionibus, quæ ab istis afferuntur, aut ab ullo homine afferri, vel excogitari possunt, si quæ figura est, non hæret in verbo *est*, sed aut in subjecto, aut in prædicato ; cùm dico, agnus est pascha, figura est in nomine Paschæ, quod nomen sumitur non propriè pro transitu, sed pro agno, qui transitum significabat ; cùm ostensâ Herculis imagine dico, hic est Hercules, figura non est in verbo *est*, sed in nomine Herculis quod cùm verum et vivum Herculem naturâ suâ significet, hic pro Herculis figurâ positum sit ; verbum enim *est* semper substantiam aut, ut subtilis ille philosophus docuit, solam extremorum unionem significat, et isti qui verbo substantivo figuram affingunt, ad grammaticorum verbera mittendi essent, qui, cùm multa verborum simplicium, et compositorum figurarum genera esse dicant, nemo unquàm eorum dixit in verbo substantivo figuram reperiri, sed aut in subjecto, aut in prædicato, aut in verbis non substantivis, ut ridet ager, luxuriat seges. Itaque videamus, an in nomine corporis figura sit. Nam in aliis duobus verbis certè non est.

Corpus meum. In corpore, qui nullam non videt esse figuram, haud scio, an ullos mentis oculos habeat ; si enim in corpore figura est, non accipitur pro vero corpore Christi. At pro vero Christi corpore accipi ex adjunctis manifestum est. Apud Lucam, cap. 22, 19 : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*. Primùm non dixit, quod vobis datur, sicut dicendum erat, si figuratum dedisset corpus, sed *quod pro vobis datur* ; dabat igitur illis aliquid quod pro ipsis offerretur in peccatorum expiationem, qualis profectò figura corporis esse non poterat : solùm enim verum Christi corpus pro nobis datum est. Posset calvinista aliquis dicere sensum esse *hoc est corpus meum*, id est, figura corporis mei, quod pro vobis tradendum est. Huic sensui repugnat, quod nullus evangelista neque de corpore, neque de sanguine loquens futuro usus sit tempore ; sed omnes tres evangelistæ, et præterea Apostolus Paulus præsenti utantur : *Quod pro vobis datur, qui pro vobis funditur*. Quòd si præsens pro futuro positum esset, aliquis profectò eorum futuro usus esset ; nec enim casu eâdem omnes figurâ usos esse credendum est. Possunt etiam dicere, quod quidam etiam eorum jam dixerunt, aut tempus præsens accipi pro futuro, aut si pro præsenti accipitur, sensum esse, *quod pro vobis datur*, id est, dari incipit, et *pro vobis funditur*, id est, incipit fundi, quia initium jam passionis erat. Primùm apparet hæc esse commenta, et confugia hominum nescientium quam in partem se convertant, deinde utrumque commentum uno D. Pauli verbo refutatur, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, quod de corpore Christi in cruce dici non potuit, quia sacramentalem locutionem esse constat ; hic enim oportebat Calvinistas sacramentalem locutionem recognoscere ; non ubi non est fingere. Diximus supra hoc eodem versu corpus Christi dici frangi, quatenùs sub panis specie, et sacramento est, quia panis frangitur ; itaque extra sacramentum frangi non dicitur, ac ne in cruce quidem, ubi etiam D. Joannes tanquàm mysterium adnotabit latronibus crura confracta fuisse, Christo non fuisse, quia scriptum erat, Exodi 12, 46 : *Os non comminuetis ex eo*. Joan. 19, 36. Deinde cùm D. Lucas et Paulus de calice loquuntur, ita scribunt : Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *hoc est poculum novum Testamentum in meo sanguine, quod pro vobis effunditur* ; sic enim vertere voluimus, ut ambiguitatem tolleremus quæ in nostrâ versione est, in quâ non apparet, utrùm illud, *qui pro vobis effunditur*, ad calicem an ad sanguinem referatur. Græcè verò dubium non est ad calicem esse referendum, quia sanguis est in tertio casu, ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ἐκχυνόμενον, *qui funditur* ; aut si id participio passivo exprimi posset, fusus, in nominativo, quemadmodùm si Latinè verteres, hic est calix novum Testamentum in meo sanguine pro vobis fusus ; manifestum utique esset effusionem non ad nomen sanguinis, sed ad nomen calicis esse referendam. Quanquàm calix effundi non dicitur, nisi quia qui intùs est liquor effunditur ; id tamen nihil refert, hoc nobis satis est, quod inde evidentissimè probatur non agi de effusione sanguinis in cruce, sed in sacramento, cùm calix pro nobis dicatur effundi, qui non in cruce, sed in sacramento fusus est. Quo autem sensu aut calix, aut sanguis Christi in sacramento fundi dicatur, vers. 28 explicabimus. Præterea qui hoc ad crucem referunt, vim et artificium verborum Christi non intelligunt. Acceperat Christus panem, benedixerat, fregerat, porrigebat apostolis dicens : *Hoc est corpus meum* ; addit, *quod pro vobis datur*. Quis non videt his extremis verbis vim, pretium et fructum ejus rei quam porrigebat commendare voluisse, et ut comicus ille dixit (Terent. in Eunucho), *ornare munus verbis* ? Dabat enim corpus suum non apertum, sed sacramento celatum ; poterant apostoli existimare se solum panem accipere soli ventri profuturum, et minori quàm par erat habere in pretio. Christus affirmat se non panem, sed corpus suum dare, et corpus suum, quod pro ipsis tunc oblatum remissionem illis peccatorum offerret. Non commendat fructum crucis de quâ non agebat, sed fructum sacramenti de quo agebat.

Objiciet aliquis quod Matthæus, Marcus, cùm de calice loquuntur, non dicunt : Qui pro vobis effundetur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed : *Qui pro multis effundetur*, quasi non ad solos apostolos, sed aut ad omnes, aut ad multos alios Christus verba dirigeret; quare non posse Christum de solo Eucharistiæ fructu loqui, sed ad crucem potiùs ejus orationem pertinere. Hanc objectionem versu 28 omninò diluemus, ubi probaturi sumus illud, *pro multis*, idem esse atque *pro vobis*, ut Lucas et Paulus dixerunt. Nam et apostoli qui aderant multi erant; sed quia Judæ, qui unus erat ex illis, corpus et sanguis suus nihil profuturus erat, aut ipse Christus, aut, quod ego magis credo, evangelistæ Matthæus et Marcus, ut id applicarent, non dixerunt *pro vobis*, ne omnes comprehendere viderentur, sed *pro multis*, ut aliquis exceptus significaretur. Præterea quemadmodùm de corpore omnes evangelistæ dicunt : *Hoc est corpus meum*, ita de calice Lucas et Paulus dicunt : *Hic est calix*; apud Lucam autem et Paulum nomen calicis non potest accipi figuratè; ergo apud evangelistas, et apud eumdem Paulum nomen corporis figuratè accipi non potest. Quòd autem nomen calicis figuratè non accipiatur, ex eo quod paulò ante adnotavimus, manifestissimum est. Ipse enim calix dicitur fundi : ergo verus calix est; sed quia dicit : *Hic est calix in meo sanguine*, quod perinde est ac si diceret : *Hic est calix sanguinis mei*, idem est quod Lucas et Paulus dicunt : *Hic est calix in meo sanguine*, et quod Matthæus et Marcus dicunt : *Hic est meus sanguis*. Solent Calvinistæ hunc nobis locum passim objicere, sed non poterant ullam movere lapidem, qui majorem super illos ruinam traheret. Vociferantur : Hanc orationem : *Hic est calix*, constat figuratam esse; ergo et illa : *Hoc est corpus meum*, figurata est. Nos contra : Hanc orationem : *Hic est calix*, constat figuratam non esse; ergo illa : *Hoc est corpus meum*, figurata non est. Videndum quis opinionem suam melius probet. Ostendant illi ubi figura sit. In verbo est? Jam docuimus esse non posse : in nomine calicis? ergo non accipitur pro vero calice sed pro figurâ calicis; quemadmodùm dicunt illi corpus non accipi pro vero corpore, sed pro corporis figurâ. At hoc imperitè, absurdè et ridiculè dictum est; verum enim calicem Christus porrexit. At dicunt figuratè nomen calicis accipi, quia pro sanguine ponitur; hoc etiam absurdius est : primum, quia perinde esset ac si Christus diceret : Hic calix, id est, meus sanguis, ut illi interpretantur, est meum testamentum in meo sanguine; quid ineptius dici potuit? Deinde, quia, si figura in nomine calicis esset, eadem utique esset quam in nomine corporis esse dicunt. At in corpore hanc dicunt esse figuram, ut nomen corporis pro figurâ corporis accipiatur; ergo et in calice, si qua figura est, hæc est, ut nomen calicis pro figurâ calicis positum sit. Denique, si figura est in calice, certè in sanguine non est; quæ enim esset absurditas : *Hic est calix sanguinis mei*, id est, figura calicis, figura sanguinis mei? Ad hunc enim modum eorum sententia oratio esset necessariò resolvenda. Deinde, si figura esset, ea esset quam in illâ suâ tam decantatâ oratione esse dicunt : *Petra autem erat Christus*; at in illâ aut nulla figura est, aut non est in nomine Christi, sed in nomine petræ; nec enim sensus est, ut omnes Calvinistæ mirâ semper ignorantiâ putaverunt, petram esse figuram Christi, sed Christum esse petram; transposita enim verba sunt : *Petra autem erat Christus*, pro : Christus autem erat petra; itaque nomen petræ non subjectum, sed attributum est, ut ex circumstantibus perspicuum est : *Bibebant autem de consequente eos petrâ*, 1 ad Cor. 10, 4; non consequebatur autem eos vera petra, sed Christus; petra enim immobilis manebat. Christus eos antecedebat, et cibum illis ac potum dabat; hoc est, *bibebant autem de consequente eos petrâ; petra autem erat Christus*; id est, Christus erat petra illa de quâ bibebant, quæque eos consequebatur. Cujus transpositionis causa fuit, quòd solent Hebræi ultimum verbum præcedentis orationis initio sequentis ponere : *In principio creavit Deus cœlum et terram; terra autem erat inanis*, Genes. 1, 1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; sic quia dixerat : *Bibebant de consequente eos petrâ*, repetivit nomen petræ : *Petra autem erat Christus*. Figura ergo si qua est, non est in nomine Christi, quod pro vero Christo, non pro ejus figurâ positum est, sed est in nomine petræ, quia Christus non verè erat petra, sicut non verè vitis, non verè leo, sed similitudine quâdam, quis Ecclesiæ fundamentum erat. Ea autem figura non est quam in his verbis : *Hoc est corpus meum*, Calvinistæ esse dicunt, id est, hoc est figura corporis mei; sensus nullus esset : Christus erat figura petræ, quod absurdissimum est; itaque concidit ars illa super hanc petram ædificata, quâ omnes docti, indocti Calvinistæ sese defendere solebant. Deinde quis dubitat eodem modo hoc loco nomen corporis accipiendum esse, quo apud Joannem, capite 6, 51, nomen carnis accipitur? *Panis quem ego dabo, caro mea est*. Certum enim est quod illic promiserat hic tradidisse, et nomen panis declarat, quod non accipitur pro corpore Christi, nisi quatenùs sub specie panis datur : nam quod isti negant agi illo capite de Sacramento, tam impudenter negant, ut opus non sit hoc loco refutare, et est à multis viris doctis integris etiam scriptis libris refutatum; et ipsi ex eodem cap. nobis objiciunt illud : *Caro non prodest quidquam*, quasi Christus agat de sacramento. Illic autem nomen carnis non potest accipi, nisi pro verâ carne; nec enim figura in carne, sed in pane est, neque vocat panem carnem suam, sed carnem suam panem, quasi dicat : Caro mea est panis ille quem ego dabo. Opponit enim, ut diximus, panem illum verò et naturali pani; ergo, cùm dicit : *Hoc est corpus meum*, nulla in corpore figura est, sed nomen corporis verum significat corpus Christi. Etverò, si Christus dixisset : Hic panis est corpus meum, ut illi, si non verbis, sensu dixisse putant, tamen non possemus interpretari, ut illi interpretantur : Hic panis est figura corporis mei, sed : Hic panis est verum corpus meum, non tamen veros panis, sicut apud Joannem ita interpretentur necesse est : *Panis quem ego dabo, caro mea est*; vera quidem caro, sed non verus panis. Ad hæc, si figuratè Christus his verbis locutus fuerat, mirum profectò est neminem

evangelistarum, aut D. Paulum, qui omnes eamdem hujus sacramenti institutionem narraverunt, figuram exposuisse, maximèque cùm scirent non multò ante tempore Capernaitas simili oratione offensos fuisse, Joan. 6, 60, et cùm soleant evangelistæ in rebus multò minoris momenti quod aut figuratè, aut obscurè à se vel ab aliis dictum est, explicare. Dixerat Christus, Joan. 2, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus reædificabo illud*. Figuratè corpus suum templum appellaverat, nec erat magnoperè necessarium ut id intelligeremus; explicavit tamen idem Joannes, v. 21 : *Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Dixerat, Joannis 12, 32 : *Si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum*, ubi nulla figura, sed obscuritas tantùm in dicto erat; explicat tamen Joannes, v. 33 : *Significans*, inquit, *quâ morte esset moriturus*. Dixerat, Matthæi 16, 6 : *Cavete à fermento Pharisæorum*, quod et obscurè, et figuratè dictum erat; Christus ipse explicat vers. 11, 12 : *Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis : Cavete à fermento Pharisæorum et Sadducæorum? Tunc intellexerunt quia non dixerit, cavendum à fermento panum, sed à doctrinâ Pharisæorum et Sadducæorum*. Dixerat apud Joannem, 15, 1 : *Ego sum vitis vera*; exponit v. 4 : *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*. Appellaverat D. Paulus Ecclesiam corpus Christi, ad Coloss. 1, 24 : *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne meâ pro corpore ejus*; figura erat pro corpore, non enim pro vero et naturali Christi corpore sumebatur, explicat statim, *quod est Ecclesia*. Quis credat, si similis hoc in nomine corporis figura esset, neminem ex quatuor evangelistis et uno apostolo Paulo, aut casu aut consilio explicaturum fuisse? Præterea, cùm Christus dixerit se apostolis corpus suum dare, et solerent in rebus multò clarioribus dubitare si aut obscurè, aut per figuram dictæ essent, cur nemo eorum de hâc locutione dubitavit? Si figurata erat, cur nemo interrogavit Christum quid sibi vellet? Dubitaverant de parabolâ seminis et seminantis, Matthæi 13, 3; explicat illis Christus etiam non interrogantibus versu 18. Dubitaverant eodem capite, v. 36, de parabolâ zizaniorum; interrogant Christum, et ab eo interpretationem eliciunt, versu 3. Sanè, si figuratè Christus locutus fuisset, et figuram non explicâsset, dubios et multis erroribus expositos apostolos reliquisset; præsertim cùm hæc illius novissima ferè verba fuerint, quæ oportebat esse quàm clarissima; quis enim prudens testator ultimam suam voluntatem obscuris aut figuralis declarat verbis? Ad hæc, locus D. Pauli 1 ad Cor. 11, 27, manifestissimus est : *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini*; cur rei sunt, si verum corpus verumque sanguinem non accipiunt? Solent dicere Calvinistæ reos esse corporis et sanguinis Domini, quia etiamsi verè non sumant, sumunt figuram, eamque injuriâ afficiunt, aut in figurâ corporis et sanguinis corpus ipsum et sanguinem inhonestè et irreverenter tractant. Hoc à nobis fortassè dici posset; ab illis non posset, qui nec sacramentis ullam reverentiam deberi putant, et nos rident quòd dicamus eumdem honorem imaginibus atque rebus per imagines significatis tribuendum esse, et exemplum quo uti solent aptum non est : Si quis, inquiunt, regis sigillum in terram projiceret aut perfringeret, reus læsæ majestatis esset. Nam ponunt pro certo quod probandum erat, sacramenta esse sigilla; quod multis à nobis argumentis in scholis theologicis refutatum est. Proponant igitur exemplum in regis imagine; an si quis ergo eam minùs se rectè habeat, læsæ majestatis reus erit? sanè non erit, aut concedendum illis est, quod tantoperè negant, etiam imaginibus rerum significatarum honorem exhibendum. D. Paulus cur qui indignè manducat et bibit reus sit corporis et sanguinis Domini, rationem reddit : *Non dijudicans*, inquit, v. 29, *corpus Domini*; propterea enim *judicium sibi manducat et bibit*, quia *reus est corporis et sanguinis Domini*; propterea *reus est corporis et sanguinis Domini*; quia *corpus Domini non dijudicat*, id est, non aliâ reverentiâ quàm alium panem accipit : loquitur igitur de vero corpore et sanguine Christi. Adde quòd in Scripturâ tribus tantùm modis corpus Christi dici reperiamus, primùm propriè pro naturali et vero corpore Christi; secundò metaphoricè pro Ecclesiâ, ad Coloss. 1, 24; tertiò pro Evangelio aut veritate veteribus figuris respondente, ibid., 2, 16, 17 : *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum quæ sunt umbra futurorum; corpus autem Christi*, et plures acceptiones non invenimus. Itaque hoc loco cùm neque pro Ecclesiâ neque pro Evangelio sumatur, usus Scripturæ docet nos pro vero et naturali corpore esse sumendum. Res denique cujusvis hominis errore non occupati judicio relinquatur; si Christus voluisset dicere se dare verum corpus et sanguinem suum, utrùm clariùs, apertiùs, explicatiùs, distinctiùs dicere potuisset, quàm dixit : *Hoc est corpus meum*, et : *Hic est sanguis meus*? Cur ergo quod clarissimè dictum est, ne credere cogamur, figuris obscuramus?

Argumentatur Calvinus contra alios sibi similes hæreticos, qui Christum solum figuram dedisse dicunt : *Si Deus*, inquit (lib. 4 Instit., c. 17), *nec fallere, nec mentiri potest, consequens est ipsum omnia, quæ illis significat reipsâ implere ac præstare; necesse est igitur nos in cœnâ verè corpus et sanguinem Christi recipere*; et in Commentariis (in Harmoniâ Evang.) : *Frustra juberet suos Dominus panem edere, corpus suum esse affirmans, nisi effectus verè ad figuram accederet; etsi enim nihil illic præter panem cernimus, non tamen frustratur nos vel ludit, qui animas nostras suscipit carne suâ alendas; igitur, non signo tantùm monstratur, sed reipsâ quoque exhibetur carnis Christi manducatio*. Argumentatur, inquam, Calvinus adversus Zuinglianos, quia Christus mentiri non potuit, aut nos fallere atque deludere, non figuram solam, sed verum corpus et sanguinem suum nobis dare; et nos ex ejus argumento contra illum argumentemur : Christus mentiri non potuit, aut nos fallere atque deludere; ergo, cùm dixit : *Accipite, et manducate, hoc est corpus*

meum, non solùm sacramentum, sed verum etiam corpus suum dedit ; et rursùm quia non dicit : Hoc erit corpus meum, cùm manducabitis, sed : *Hoc est*, sequitur sub illo sacramento, quod dabat, corpus suum dedisse. Diximus initio hujus disputationis hoc mysterium non esse ab aliis Trinitatis Incarnationis et Resurrectionis mysteriis sejungendum ; nunc verò monstrandum est hoc eodem jure et, si fieri potest, etiam meliore nos credere, et sine ullis figuris interpretari, quàm Calvinistæ cætera credunt. Illic enim, ut probavimus, nullam illi figuram reperire possunt, in aliis mysteriis veteres hæretici reperiebant, et ex Scripturis confirmabant : *Ego et Pater unum sumus*, interpretabantur Ariani unum non naturâ et essentiâ, sed concordiâ consensioneque voluntatum ; probabant Scripturis : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una*. Actor. 4, 32. et : *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te*, Joan. 17, 21. Quid ad speciem tam probabile Calvinistæ ex Scripturis proferre possunt, ut hanc orationem : *Hoc est corpus meum*, figuratam esse doceant ? *Et verbum caro factum est*, Joan. 1, 14, Marcionistæ et Manichæi per figuram exponebant, id est, similitudinem carnis accepit ; id etiam Scripturis probare videbantur, Rom. 8, 3 : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum* ; et ad Philippens. 2, 6, 7 : *Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Quos triumphos agerent Calvinistæ, quos contra nos clamores tollerent, si aliquem in sacris Litteris locum reperirent, ubi Christus formam aut similitudinem corporis sui nobis dedisse diceretur ? Mortuos resurrecturos esse figuratè etiam Origenistæ intelligebant, non quòd eàdem resurrecturi essent carne, sed quòd aliâ induendi, non verâ, non corporeâ sed cœlesti et spirituali, eodem planè modo quo isti dicunt nos sumere quidem corpus Christi, sed spiritualiter. Probabant illi ex D. Paulo, 1 Cor. 15, 44 : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, et rursùm, 1 Cor. 15, 50 : *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt*. Allegabant alii expressa, ut videbatur Scripturæ testimonia, quibus futura resurrectio negari videretur ; Job 14, 12 : *Homo, cùm dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum ; non evigilabit, neque consurget de somno suo* ; et Psalm. 77, 39 : *Spiritus vadens et non rediens* ; et Psalm. 48, 12 : *Sepulcra eorum domus eorum in æternum*. Quid Calvinistæ facerent, si aliquod Scripturæ testimonium haberent ubi diceretur corpus Christi non dari, sicut illis in locis dici videtur mortuos non esse resurrecturos ? At his veterum hæreticorum testimoniis rectè Catholici respondebant. Rectè quidem ; sed rectiùs et faciliùs nos omnibus testimoniis quæ Calvinistæ ad probandam figuram suam afferre solent, ut paulò post apparebit. Denique mirum est interpretationem istam Calvinistarum nemini post apostolos in mentem venisse, nisi Berengario, et nescio an Bertramo, à nemine receptis, à totâ statim Ecclesiâ condemnatis.

Nos veterum Patrum sententiam interpretationemque sequi profitemur ; quod, ut appareat, non omnia (nec enim caperent commentarii), sed illustriora quædam eorum testimonia proponemus. Justinus, apologiâ 2 pro Christianis : *Non*, inquit, *ut communem panem, nec ut communem potum hæc accipimus ; sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Jesus Christus Servator noster, et carnem et sanguinem salutis nostræ causâ habuit, sic et per orationem verbi ipsius, cibum, in quo gratiæ actæ sunt, εὐχαριστηθὲν τροφὴν, ex quo sanguis et carnes nostræ per transmutationem mutantur, illius ipsius incarnati Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus ; ita enim apostoli in suis commentariis, quæ Evangelia vocantur, nobis tradiderunt.* Ita docet Justinus panem et vinum in corpus et sanguinem Christi converti ; sicut in carnem et sanguinem nostrum, cùm edimus et bibimus, converti solet. Cyprianus, in lib. de Cœnâ Dominicâ : *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi factus est caro.* Soleo ridere, cùm Calvinistas hanc Cypriani sententiam interpretantes audio : *Naturâ*, inquiunt, *mutatus*, id est, usu, quia nunc est sacramentum, ante non erat. Scilicet ea mutatio tam difficilis erat, ut *omnipotentiâ verbi*, ut ait Cyprianus, opus esset. Cyrillus Jerosolymitanus, catechesi 4 mystagogicâ : *Fecerat ex aquâ vinum, quod est sanguini propinquum, in Canâ Galilææ, solâ voluntate, et non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutavit ! Si enim ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est, an non multò magis corpus et sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur ? Quare omni cum certitudine corpus et sanguinem Christi sumamus ; nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur tibi sanguis, ut sumpto corpore et sanguine Christi, efficiaris et comparticeps corporis et sanguinis. Sic χριστοφόροι γινόμεθα, id est, Christum in nobis ferimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, 2 Epist. 1, 4, « divinæ naturæ con- « sortes efficiemur ; » et eàdem catechesi 4, sub finem : Qui videtur panis, non est panis, etiamsi gustu ita appareat, sed corpus Christi, et quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi gustus id velit, sed sanguis Christi.* Eusebius Emissenus, hom. 5 de Paschâ : *Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secretâ potestate convertit* ; et rursùs : *Nec dubitet quisquam primarias creaturas motu potentiæ, præsentiâ majestatis in Domnici corporis transire posse naturam, cùm ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ, Christi corpus effectum* ; et sub initium hom. : *Recedat omne infidelitatis ambiguum quandoquidem qui auctor est muneris, ipse testis est veritatis.* Hilar., lib. 8 de Trinitate : *De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus ; nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostrâ verè caro est, et verè sanguis est, et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est ? contingat his planè verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant ; est*

ergo in nobis ipse per carnem, et summa in eo, dum secum hoc, quod non sumus, in Deo est ; et infrà : *Quòd autem in nobis naturalis hæc unitas sit, ipse ita testatus est, Joan. 6, 56 : « Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. »* D. Chrysost. 83. hom. in hunc locum : *Credamus*, inquit, *ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui et cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit ; superet et sensum et rationem nostram sermo ipsius, quod in omnibus, et præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodò aspicientes, sed verba quoque ejus sanctæ ; nam verbis ejus falli non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est ; illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit : « Hoc est corpus meum, » nullâ tenea- « mur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectûs id perspiciamus.* Hæc Chrysostomus verba et alia ejusmodi, quæ apud illum passim reperiuntur, cùm adeò dilucida sint ut nullâ interpretatione obscurari possint, tamen non puduit quemdam hæreticorum interpretem verba, quæ statim sequuntur, suis ad hunc locum Commentariis inserere, quasi D. Chrysostomus in eorum etiam esset sententiâ. *Nihil*, inquit, *sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus, omnia verò, quæ tradidit, insensibilia sunt.* Illinc enim bonus iste interpres colligit sententiâ Chrysostomi corpus Christi non sumi à nobis, nisi spiritualiter. Atqui oportebat videre hominem acutum, quod proximis verbis Chrysostomus dixisset : *Quoniam ergo ille dixit : « Hoc est corpus meum, » nullâ tenea- « mur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectûs id perspiciamus ; nihil enim*, inquit, *sensibile traditum nobis à Christo*, id est, nihil sensu judicandum, sed oculis intellectûs et fide comprehendendum. Docet ergo Chrysostomus asinos istos non debere solo, ut faciunt, sensu de corpore Christi judicare. Ambrosius, in lib. de his qui mysteriis initiantur, cap. 9 : *Fortè dicas : Aliud video, quomodo tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam ? et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, majoremque vim esse benedictionis quàm naturæ ? quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moyses ; projecit eam, et facta est serpens. Rursùs apprehendit caudam serpentis, et in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetici gratiâ his mutatam esse naturam, et serpentis, et virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu ; subitò de fontium venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis ; rursùs ad prophetæ voces cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus Hebræorum ; hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clausus. Virgam levavit Moyses, separavit se aqua, et in murorum speciem congelavit ; atque inter undas via pedestris apparuit. Jordanis retrorsùm conversus contra naturam in sui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam, vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis cursûs esse mutatam ? Sitiebat populus patrum ; tetigit Moyses petram, et aqua de petrâ fluxit. Numquid non præter naturam operata est gratia, u. aquam vomeret petra, quam non habebat natura ? Marath fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset. Misit lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusu subitò gratia temperavit. Sub Eliseo prophetâ uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi, et statim mersum est. Rogavit Eliseum, qui amiserat ferrum ; misit etiam Eliseus lignum in aquam, et ferrum natavit ; utique et hoc præter naturam factum esse agnoscimus. Gravior est enim ferri species quàm aquarum liquor. Advertimus igitur majoris esse virtutis gratiam quàm naturam, et adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam ? Quòd si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsâ consecratione divinâ, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum ! De totius mundi operibus legisti, Psal. 148, 5 : « Quia ipse dixit, et facta « sunt, ipse mandavit, et creata sunt. » Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant ? Non enim minus est novas rebus dare, quàm mutare naturas. Sed quoad argumentis utimur ? suis utamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterii veritatem. Numquid naturæ usus præcessit, cùm Jesus Dominus ex Mariâ nasceretur ? Si ordinem quærimus, viro nupta femina generare consuevit. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem virgo generavit ; et hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine ? Vera utique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est ; verè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus : « Hoc « est corpus meum ; » ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur ; post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis : Amen, hoc est, verum est ; quod os loquitur, mens interna fateatur ; quod sermo sonat, affectus sentiat.* Eadem libro 4 de Sacramentis, c. 5, scribit : *Vis scire quia verbis cœlestibus consecratur ? Accipe, quæ sunt verba. Dicit sacerdos : « Fac no- « bis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem, « acceptabilem ; quod est figura corporis, et sanguinis « Domini nostri Jesu Christi. Qui pridiè quàm pateretur, « in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad « cœlum, ad te, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, « gratias agens, benedixit, fregit, fractumque apostolis « suis, et discipulis suis tradidit, dicens : Accipite et edite « ex hoc omnes ; hoc enim est corpus meum, quod pro « multis confringetur. Similiter etiam calicem, postquàm « cœnatum est, pridiè quàm pateretur accepit, respicit « ad cœlum, ad te, sancte Pater, omnipotens æterne « Deus, gratias agens benedixit, apostolis, et discipulis « suis tradidit dicens : Accipite, et bibite ex eo omnes, « hic est enim sanguis meus. (1) » Vide, omnia illa verba*

(1) Verba Canonis Missæ apud Ambrosium.

evangelistæ sunt usque ad : ACCIPITE, *sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi* : ACCIPITE, BIBITE EX EO OMNES, HIC EST ENIM SANGUIS MEUS. *Vide singula* : QUI PRODIIT, *inquit*, QUAM PATERETUR, IN SANCTIS MANIBUS SUIS, ACCEPIT PANEM ; *antequàm consecretur, panis est ; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem* : ACCIPITE ET EDITE EX EO OMNES ; HOC EST ENIM CORPUS MEUM. *Et ante verba Christi, calix est vini, et aquæ plenus. Ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus, et sanguinem. Numquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare? Jam redi mecum ad expositionem meam. Magnum quidem et venerabile quòd manna Judæis pluit è cœlo ; sed intelige, quod est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? corpus Christi utique, qui auctor est cœli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est ; qui manducaverit hoc corpus, fiet à remissio peccatorum, et non morietur in æternum. Ergo non otiosè, cùm accipis, tu dicis* : AMEN, *jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos* : CORPUS CHRISTI, *et tu dicis* : AMEN, *hoc est verum ; quod confitetur lingua, teneat affectus.* Gregorius Nazianzenus, in oratione 2 in sanctum Pascha : *Absque confusione et dubio comede corpus, et sanguinem bibe, neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deroges, neque ob passiones offendaris, sed firmus, et constans, et stabilis, nec propter adversariorum sermones fluctues.* Gregorius Nyssenus, orat. catechetica, c. 37 : *Recte nunc quoque credo Dei verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus transmutari* ; et Leo, sermone 6 de Jejunio septimi mensis : *Dicente Domino* : « *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et « biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* » *sic Dominicæ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsùs de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis* ; et Cyrillus Alexand., lib. 10 Commentariorum in Joan. cap. 15 : *Verùm, quoniam nullâ nos ratione humanitati Christi posse ista attribuere arbitratur ; quoniam fide atque dilectione, non carne illi conjungimur, age pauca de hoc dicamus, ac perversè ab eo sacrarum Litterarum sensum exponi ostendamus. Non tamen negamus rectè nos fide, charitateque sincerâ Christo spiritualiter conjungi ; sed nullam nobis conjunctionis rationem secundùm carnem cum illo esse, id profectò pernegamus, idque à divinis Scripturis omninò alienum dicimus. Quis enim dubitavit Christum etiam vitem esse, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem*, 1 Cor. 10, 17 : « *Quia omnes unum corpus sumus « in Christo. Quia etsi multi sumus, unum tamen in eo « sumus. Omnes enim uno pane participamus.* » *An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Christi sunt?* « *Nescitis, inquit*, 1 Cor. 6, 20, *quia membra ve- « stra, membra sunt Christi? Membra igitur Christi « meretricis faciam membra? absit.* » *Salvator etiam* Joan. 6, 56 : « *Qui manducat carnem meam, bibit, et « bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* » *Unde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur Christum in nobis esse, verùm etiam et participatione naturali. Nam quemadmodùm si quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur ; sic communicatione corporis et sanguinis Christi ipse in nobis est, et nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem et vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Non credis mihi hæc dicenti, Christo (te obsecro) fidem præbe.* « *Amen, amen, inquit, dico vobis, nisi « manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis san- « guinem ejus, non habebitis vitam in vobis.* » Non ansa longos commentarios, et qui alienis descriptis testimoniis in molem crescant ; sed locus hic adeò est ad informandam rectam fidem necessarius, ut non debuerim, tam illustria tamque efficacia gravissimorum auctorum testimonia prætermittere, ut intel'igat lector nec nos aliter credere, nec aliter quàm omnes veteres auctores Scripturam interpretari.

Nunc Calvinistarum argumenta diluenda nobis sunt. Habent semper in ore : *Spiritus est, qui vivificat ; caro non prodest quidquam*, Joannis 6, 63. Quorsùm enim, inquiunt, Christus carnem suam daret, nihil profuturam ? Non illi primi omnium hæreticorum his abusi sunt verbis, ut ecclesiasticam fidem refutarent. Nam et Tertullianus, in lib. de Resurrectione carnis, scribit hæreticos illos veteres, qui carnis negabant resurrectionem, solitos dicere : Quorsùm caro, quæ nihil prodesset, esset resurrectura ? Non vident homines valdè, ut sibi videntur, acuti, istâ ratione se non hoc solum mysterium, sed omnem prorsùs christianam religionem evertere. Si enim *caro non prodest quidquam*, cur eam Christus assumpsit ? cur pro nobis eam cruci suffixit ? Profuit fortassè, dicent, ad nascendum, profuit ad patiendum, non prodest ad edendum ; qui id sciunt ? Nam omnibus modis prodesse posse, quibus eam Christus prodesse voluit, quamvis impudentes sint, negare non possunt. Voluisse autem ut non tantùm crucifixa, sed etiam manducata prodesset, quibus ipse verbis apertiùs docere potuit, quàm : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* ? Et si naturam et usum spectemus carnis, quis non videat magis manducatam quàm crucifixam solere prodesse ? Quantò mirabilius gentibus olim videbatur, carnem Christi affixam cruci, quàm commanducatam vitam attulisse ? Dicent rursùs carnem Christi, non quia sola caro, sed quia caro cum spiritu et divinitate conjuncta erat, profuisse. Quid ergo ! an quisquam in Eucharistiâ sine spiritu ac divinitate esse dicit ? Quemadmodùm ergo in cruce, ita et in sacramento non sola caro, sed caro cum divinitate conjuncta nobis prodest. At satis, inquiunt, est, si solâ manducetur fide. Satis utique fuisset, si Christus voluisset ; sicut satis fuisset, si ita Deus statuisset, si non reipsâ, sed fide, aut figurâ moreretur ; sed nostrum non est ei eo legem dare. Quemadmodùm quia voluit reipsâ mori, aliter quàm per veram ejus mortem salvi esse non possumus ; ita quia voluit reipsâ carnem suam à nobis manducari, non possumus esse salvi, nisi eam reipsâ manducaverimus. Sed hæreticorum, ut dixi, habenda non est ratio. Catholici interpretes quid dixerint videamus. Tribus in rebus omnis hujus loci versatur quæstio. De quo loquatur spiritu, cùm dicit : *Spiritus est qui vivificat* ; de quâ carne, cùm dicit : *Caro non prodest quidquam* ; quid sit vivificare spiritum, et non prodesse carnem. Quidam spiritum recipientis fidem et charitatem, cæterasque omnes dispositiones vocari putant, quas qui carnem Christi recipit, ut dignè recipiat habere debet : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*, 1 ad Cor. 11, 28. Ita Augustinus, serm. 2 de Verbis Apostoli ; Gaudentius, tractatu 2 in Exod. ; Paschasius, in lib. de Corpore et Sanguine Christi. Itaque sensum esse solam Christi carnem sine fide manducatam nihil prodesse, cum spiritu, id est, cum fide manducatam vivificare. Quæ vera quidem sententia est, an verus quoque sit sensus, postea videbimus. Alii spiritum ipsam Christi divinitatem interpretantur, carnem verò ejus corpus ; sensumque esse carnem per se consideratam, si cum spiritu, id est, divinitate conjuncta non esset, nihil profuturam ; spiritum vivificare, id est, carni tribuere ut vivificare possit. Quemadmodùm ad naturalem vitam caro sola nihil prodest, cum animâ, id est, cum humano spiritu conjuncta prodest ; ita ad spiritualem vitam nihil prodesse solam per se Christi carnem, tamen cum spiritu, id est, divinitate conjunctam maximè prodesse. Ad hunc modum D. Augustinus, tract. in Joan. 27 ; et lib. 4 de Consens. Evang. c. 10 ; et lib. 10 de Civit., c. 24 ; et in Comment. Psalm. 98 ; Cyrillus, lib. 4, c. 25 ; Leontius, Rupertus, et Bernardus, serm. 55 in Cantic. Vera quoque sententia ; sed quod attinet ad interpretationem loci, hoc in eâ et superiore desiderari posset, ut magis esset ad id quo de agebatur, accommodata. Nec enim id agere Christus videbatur, ut doceret quâ ratione caro sua vivificaret ; sed ut doceret posse se carnem suam dare ad manducandam ; aut certè, ut ostenderet quid causæ esset, quamobrem illi non crederent quod dicebat, quemadmodùm paulò post sumus explicaturi. Alii intelligunt Spiritum sanctum tertiam personam Trinitatis, sine quo ne ipsa quidem Christi caro vivificare possit, Basilius, libro de Spiritu sancto ad Amphiloch., c. 24, Victorinus, lib. 4 adversùs Arianos, Victor Uticensis, in Confessione fidei ad Hunericum Vandalorum regem. Illinis probabile hoc est, quàm quod modò ex August. et aliis auctoribus dicebamus. Alii existimant Christum verba sua spiritum vivificantem appellâsse, ut Tertull., in lib. de Resurrectione carnis, et ut videtur Cyrill. Jerosolym., catech. 16 ; sed ii ipsi non eodem modo sentiunt. Quidam enim eorum putant vocâsse verba sua spiritum, id est, non carnaliter, sed spiritualiter intelligenda ; idque statim declarare cùm dicit : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Sic

Tertullianus, de Resurrectione carnis, c. 5, 24 : *Exequitur etiam quid velit vocari spiritum* : « *Verba quæ « locutus sum vobis, spiritus sunt, vita sunt* ; » *sicut et suprà* : « *Qui audit sermones meos, et credit in eum qui « me misit, habet vitam æternam, et in judicium non « venit.* » Putat quoque Tertullianus eadem verba sua carnaliter intellecta vocâsse carnem ; sed perexiguam id speciem probabilitatis habet. Quidam verò verba sua vocâsse spiritum, quia verba Christi, quibus conficitur sacramentum, vicem spiritûs habent ; convertunt enim substantiam panis in substantiam corporis Christi, eamque animant atque vivificant. Quem etiam ad modum Rupertus interpretatur. Invenio qui et carnem ipsam Christi per se consideratam, carnem ; eamdem verò quatenùs divino ac vivificante spiritu plena est, spiritum appellâsse dicant. Quod à D. Augustini sententiâ, quam suprà posuimus, non distat nisi modico discrimine. Ejus auctor Ammonius : *Spiritum hic*, inquit, *vocat plenam vivifici spiritûs virtute carnem ; manet enim caro.* Alii spiritum, modum intelligendi spiritualem, carnem, modum intelligendi carnalem interpretantur. Judæos carnaliter intellexisse, quod de manducandâ carne sub dixerat Christus, putantes eum concisam suam carnem, et aut assam aut elixam ad manducandum daturum esse. Respondisse igitur Christum carnem suam spiritualiter, id est, sub sacramento intellectam ac sumptam vitam dare ; carnaliter, quemadmodùm Judæi intelligebant, nihil profuturam ; ad hunc ferè modum Athanasius, in orat. in verba illa : *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur.* Chrysostomus, hom. in Joann. 48, August., in Psal. 98, Beda, Theophylactus et Euthymius. Sic intelligendum quod dicit Augustinus : *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri eum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi ; spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Quibus verbis quia hæretici ad erroris sui confirmationem abutuntur, demonstrandum est non ita intelligenda, quasi velit Augustinus dicere nos non revera, sed sacramento, aut fide tenùs, ut hæretici volunt, carnem Christi manducare, et sanguinem bibere ; sed hoc tantùm significare, nos non carnaliter, non visibiliter, non denique modo cæterarum carnium ; sed sub sacramento, sed invisibiliter, sed admirande et inexplicabili quodam modo manducaturos. Primùm eodem modo Chrysostomus, Theophylactus et Euthymius, ut diximus, quo Augustinus, interpretantur ; et tamen certum est Chrysostomum, Theophylactum atque Euthymium in eâ, quâ omnes Catholici sumus, fuisse sententiâ, ut crederent verè ac reipsâ carnem Christi à nobis sumi. Si quis dubitat, quod nemo doctus dubitabit, Chrysostomum legat, hom. in Matth. 85, Theophylact., hoc loco, et Euthym., in c. Matth. 26 ; ergo et Augustinus eodem modo intelligendus. Quia ipsum legat Augustinum, concione 1 in Psal. 33 ; dubitare desinet eum de præsentiâ in Eucharistiâ corporis Christi minimè dubitâsse. Quid enim aliud illa

ejus verba declarant? *Et ferebatur in manibus suis. Hoc verò, fratres, quomodò possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum literam, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suum, ait : « Hoc est corpus meum. » Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Dicant Calvinistæ, quomodò Augustinus dicat Christum tulisse corpus suum in manibus suis, si non sentiebat reipsà in eo esse sacramento, quod apostolis porrigebat? Ferebat, inquiunt, figurâ, non veritate. Eodem modo non solùm David, sed alius etiam quilibet homo seipsum, id est, figuram corporis sui in manibus suis ferre poterat; quid enim repugnabat? Atqui Augustinus id Christum fecisse dicit, quod nemo alius facere potuerit. Legat eumdem Augustinum, epistolâ 120, et in Psal. 98, ubi docet neminem carnem Christi in Eucharistiâ accipere, quin eam priùs adoret. Nam quod Calvinistæ respondere soleni, adorari carnem Christi à sumentibus non in Eucharistiâ, sed in cœlo, tam ineptum atque ridiculum est, ut refutatione non egeat; et verendum non est ne quis credat, qui modò sanæ sit mentis. Noluit igitur in loco illo, Psalm. 98, Augustinus dicere aliud corpus Christi quàm quod discipuli videbant manducaturos fuisse eos, sed non eo modo quo videbant, id est, non visibiliter, non carnaliter manducaturos. Usitatum enim non solùm apud ecclesiasticos auctores, sed in ipsis etiam sacris Litteris est, ut rem unam duobus modis se habentem duas vocent, aut duplicem esse indicent. Sic D. Paulus duplex corpus nostrum esse dicit, animale ante resurrectionem, spirituale post, cùm unum tamen idemque sit corpus; *seminatur*, inquit, *corpus animale, surget spirituale. Si est corpus animale, est et spirituale*, 1 Cor. 15, 44. Sic Hieronymus loquitur in Commentariis in Epistolam ad Ephes., c. 1 : *Dupliciter*, inquit, *sanguis Christi et caro intelligitur, vel spiritualis illa, atque divina, de quâ ipse dixit : « Caro mea verè « est cibus, et sanguis meus verè est potus; » et : « Nisi « manducaveritis meam carnem, et sanguinem meum « biberitis, non habebitis vitam æternam; » vel caro, et sanguis, quæ crucifixa est, et qui militis effusus est lanceâ. Juxta hanc divisionem et in sanctis ejus diversitas sanguinis, et carnis accipitur; ut alia sit caro quæ visura est salutare Dei; alia caro et sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere.* Non significat utique Hieronymus aliam esse carnem Christi, quæ in Eucharistiâ à nobis sumitur, aliam, quæ crucifixa est. Quod ne Calvinistæ quidem dicunt. Quid enim nobis in Eucharistiâ prodesset, si non eadem esset atque illa quæ fuit crucifixa, cùm propterea nobis prosit, quia fuit crucifixa; sed significat eamdem carnem alio modo fuisse crucifixam, nimirùm visibilem, patibilem; alio autem modo in Eucharistiâ manducari invisibiliter, impatibiliter. Id ex exemplo quo utitur manifestum est. Nam in sanctis ejus una tantùm est caro sed aliter se habet ante resurrectionem, ut modò dicebamus, subjecta miseriis, subjecta passionibus, subjecta peccatis, quomodò regnum Dei possidere non potest; aliter post resurrectionem ab his omnibus libera. Nam si eadem non esset caro, non esset verum nostram carnem resurrecturam, cùm non hæc eadem, quæ cadit surrectura, sed alia pro eâ danda nobis esset. Necesse fuit paulò longiùs hæc dicere, ut Augustinum auctorem nostrum ab hæreticis vindicaremus. Redeamus nunc ad interpretationem loci. Multi graves auctores ita videntur exposuisse, quasi caro non pro verâ carne, sed pro carnali hominis ingenio; et spiritus, non pro spiritu vero, sed pro spirituali, et à Deo per fidem illuminato homine sumatur; sensusque is sit : *Spiritus est qui vivificat*, id est, fides est quæ hominis ingenium ex carnali spirituale reddens, efficit ut percipiat quæ sunt Dei, hoc est, vivificare; *caro non prodest quidquam*, id est, carnale ingenium, humana ratio nihil juvat, sed potiùs impedit ad percipienda divina mysteria. Itaque non explicare Christum quomodò carnem suam ad manducandum daturus esset, aut quomodò caro sua à nobis manducata data vitam æternam, quod Judæi intelligere non poterant; sed eos reprehendere, quòd mysteria, quæ illis de carne suâ manducandâ proponebat, carne, id est, humanâ ratione carnalique ingenio metirentur, ideòque intelligere non possent, intellecturos fuisse, si non carne, sed spiritu, id est, fide ducerentur. Diù mihi hæc placuit interpretatio, nec omninò modò displicet, et quia ita etiam Tertullianus, in lib. de Resurrectione carnis, certè Cyprianus, in lib. de Cœnâ Domini, interpretantur; eamque interpretationem Chrysostomus hoc loco cæteris præfert; et quia videbam aptè ad id, quod agebatur convenire, ut Christus auditorum tarditatem, carnaleque ingenium reprehenderet, causamque declararet, quam ob rem quæ illis dicebat intelligere non possent, quemadmodùm alio loco non intelligentibus, quæ dixerat, discipulis dicit : *Adhuc et vos sine intellectu estis?* Matth. 15, 16, et quia in hanc sententiam dixerat, vers. 37 : *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet*, id est, qui fide trahitur, ad me venit, mihi credit; qui vult suopte ingenio humanisque rationibus, quasi suis pedibus, ad me venire, pervenire non potest, et ea capere quæ doceo, et vers. 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; et quia paulò post, vers. 65, dicit : *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*; ubi similiter rationem reddit quare quæ illis dixerat intelligere non potuissent; et quia observamus in Litteris sacris, quoties caro et spiritus opponuntur, carnem non pro carne, sed pro homine aut ingenio et naturâ carnali hominis; et spiritum non pro spiritu, sed pro homine spirituali, aut spirituali hominis ingenio atque naturâ sumi. Innumerabilis exempla notari possunt : Matth. 16, 17 : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*; et c. 26, 41 : *Spiritus promptus est, caro autem infirma*; Joan. 3, 6 : *Quod natum est ex carne, caro est; quod natum est ex spiritu, spiritus est*; Rom. 8, 1 : *Qui non secundum carnem ambulant*; et vers. 6 :

Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritûs vita et pax; Galat. 4, 29 : *Quomodò tunc qui secundum carnem natus est, persequebatur eum, qui secundum spiritum*; et quia hæc sententia maximè displicebat hæreticis, maximè mihi placebat. Video tamen nonnullis postea Catholicis displicuisse, quibus etsi nihil me eorum rationes movent, pertinaciter repugnare nolo. Nam quòd dicunt, cùm semper ante de suâ Christus carne locutus fuisset, credendum non esse eodem orationis contextu significationem variâsse, et carnale hominis ingenium vocasse carnem, non solùm nihil habet ponderis, sed potest etiam contra ipsos retorqueri. Nam et nomen spiritûs eodem contextu priùs ponitur pro Christi divinitate ipsorum opinione, cùm dicit : *Spiritus est qui vivificat*; proximis verò verbis pro verbo Christi, aut pro modo illud intelligendi spirituali, ut iidem ipsi interpretantur : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Et in eo potiùs versatur vis et gratia sententiæ, quòd acutè Christus nominis ludat ambiguitate. Quasi dicat vos miramini, quòd dixerim daturum me vobis carnem meam manducandam, idque creditu difficile putatis; non in meâ, sed in vestrâ carne difficultas et impedimentum credendi est, quòd vos ipsi caro; non spiritus, id est, carnali, non spirituali sitis ingenio. Quo minùs mihi quàm solebat hæc placeat interpretatio, aliæ potiùs rationes faciunt; quòd illud *vivificat*, non satis cum eâ convenire videatur; quòd quæ proximè sequuntur, non benè hærere : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt*. Itaque malo secundam illam Augustini, et Cyrilli eo modo quo explicavimus intellectam interpretationem sequi. Nam quod unum in eâ desiderari diximus, ut magis esset ad id de quo agebatur accommodata, id etiam habet, si benè intelligatur. Nec enim Christus, cùm hæc dixit, quæstioni illi respondere voluit, vers. 52 ejusdem Joannis : *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* sed verbis illis discipulorum, vers. 60 : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Durum autem dicebant esse sermonem, quia dixerat neminem vitam habere posse, nisi carnem suam manducaret. Itaque docet quâ ratione caro sua vitam tribuat, non quia caro, sed quia cum spiritu conjuncta est. Itaque probabiliter D. Augustinus existimat hæc verba Christum non omnibus auditoribus sed solis discipulis suis dixisse, postquàm cæteri recessissent : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*, id est, non de solâ et nudâ carne, quemadmodùm vos intelligitis, sed de carne divino plenâ Spiritu, de Spiritu vivificante sunt intelligenda; sola enim caro nihil prodest, cum spiritu verò conjuncta, vivificat, ut supra ex Ammonio et aliis multis auctoribus dicebamus; sic Cyrillus. Atque hic verus est sensus. Hoc tantùm in hâc interpretatione durius videri potest, quòd insolens appareat, ut verba spiritus appellentur, id est, de spiritu intelligenda. Sed desinet durum, insolensque videri, si recordemur sæpè in Scripturâ substantiva pro adjectivis, et adjectiva pro substantivis poni; *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*, id est, carnalis; et *caro et sanguis*, id est, homines carnales, *regnum Dei possidere non possunt*; et : *Quod natum est ex carne, caro est*, id est, carnale; *et quod natum ex spiritu, spiritus est*, id est, spirituale. Hâc phrasi dicit Christus verba sua spiritum et vitam esse, id est, spiritualia, vivifica, salutaria. Fingamus ergo dixisse, quod scimus dicere voluisse : Verba mea spiritualia sunt, nemo, credo, dubitaret sensum esse spiritualia esse, id est, de spiritu, non de solâ carne dicta à se esse; de spiritu et vitâ, aut de spiritu vivificante esse intelligenda. Spiritum enim, et vitam dixit Hebraico more, pro spiritu vivificante, ut constat ex verbis præcedentibus, quibus ista respondent : *Spiritus est qui vivificat*. Alias supra interpretationes attigimus Chrysost., Augustini, Bedæ, Theophylacti, Euthymii, Ruperti, *spiritus et vita sunt*, id est, spiritualiter intelligenda. Quam interpretationem, quamvis sensu alio, hæretici arripuerunt. Nam auctores illi catholici, ut diximus supra, non eo sensu dixerunt hæc verba Christi spiritualiter intelligenda esse, quòd non reipsà carnem ejus manducare juberemur; sed quòd non carnali modo manducare. Hæretici verò interpretantur spiritualiter intelligenda, id est, figuratè, metaphoricè, quòd non reipsà, sed solâ fide apprehensione manducemus; quod absurdum penitùs est. Quis enim unquàm isto modo locutus est, ut spiritualiter diceret, pro metaphoricè? Sanè, si ita loqueremur, magis spiritualiter spurissimus quisque poeta quàm Christus loqueretur, quia magis metaphoricè et figuratè loquitur. Et ut fingamus ita quenquam locutum esse, quid erit : *Vita sunt?* an vitaliter intelligenda? hoc enim postulat consequentia, quod nescio an quis quam audire sine risu queat.

Aliud argumentum hæretici solent ex his locis sumere, quibus videtur hoc sacramentum etiam post consecrationem panis appellari, sed eos locos omnes paulò superiùs explicavimus. Tertium summut ex nomine calicis, in quo figuram esse volunt. Id etiam à nobis solutum est, et vers. sequenti omninò diluetur, ubi docturi sumus Christum verbis illis usum non fuisse, sed diserte et explicatè dixisse : *Hic est sanguis meus*, ut Matthæus et Marcus scribunt; itaque non est quòd ibi hæretici figuram quærant; ubi, etiamsi reperirent, nihil prodarent. Unus reliquus locus est 1 ad Cor. 10, 3, 4 : *Omnes eumdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt*. Inde enim colligunt nos nisi spiritualiter Christi corpus non manducare, et sanguinem ejus bibere. Valdè mirarer, si hæretici non essent, tam parùm istos habere oris, ut eum nobis locum objicere non puderet. Quis enim tam cæcus est, ut non videat sensum D. Pauli non esse veteres Hebræos eamdem nobiscum spiritualem escam, sed eamdem ipsos inter se manducavisse? sed id ex fine capitis præcedentis, versu 26 et 27, et initio hujus 10, quod citant, usque ad vers. 5, perspicuum est : *Ego*, inquit, *sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*; hæc erat ero-

positio, quam sequenti capite confirmat : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; nam prostrati sunt in deserto*, quasi dicat : Quemadmodùm majores nostri, etsi iisdem inter se sacramentis utcrentur, iisdem à Deo afficerentur beneficiis, non omnes salvi fuerunt, sed multi in deserto prostrati ; ita ego, etsi iisdem vobiscum utar sacramentis, securus esse non debeo, sed *paviduS*, ut sapiens ille admonet, *ne fortè cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*. Deinde ex initio ejusdem capitis id manifestum est : *Nolo*, inquit, *vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt*. Cùm enim id dicit, non comparat eos nobiscum, qui sub nube nunquàm fuimus, sed sub sole justitiæ; sed comparat ipsos inter se ; ergo et cùm dicit : *Eamdem escam spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritualem biberunt*. Præterea cùm dicit : *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo*, vers. 5, manifestè indicat se ante non eos nobiscum, sed inter se comparavisse; inepta enim alioquì esset argumentatio : nam non potuit ita argumentari : Eamdem illi nobiscum spiritualem escam manducaverunt, et tamen non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; ergo fieri potest ut neque nos Deo placeamus; nec enim contra Christum D. Paulus argumentaretur, qui comparans panem illum, id est, carnem suam cum mannâ, quam veteres Judæi manducaverunt, ait, apud Joannem cap. 6, 49, 50 : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt, hic est panis, de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*. Denique, versu 6, addit D. Paulus : *Hæc autem in figurâ facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum*; ubi applicat et accommodat ad nos quæ ante de Judæis dixerat; ergo ante de solis Judæis loquebatur.

Non sum contentus telum hoc extorsisse hostibus, nisi retorsero. Inde igitur argumentor : Scriptura vocat escam spiritualem, quam Hebræi manducaverunt, et potum spiritualem quem biberunt, ut ab esca potuque nostro discernat; nostram verò escam, et nostrum potum nusquàm spiritualem vocat; ergo illa spiritualiter tantùm, nostra verò etiam reipsà sumitur. Hæc sunt aut omnia Scripturæ testimonia, quibus hæretici abutuntur, aut quæ plus certè probabilitatis habere videbantur, quæ qualia sint, vel mediocriter prudens lector judicabit. Adferunt et rationes nostras, sed dignandum non est illis respondere, præsertim in Commentariis, ubi nihil præter Scripturas sonare debet, aut, si respondendum est, non hic, sed in scholis respondendum, ubi subtiliùs ista tractantur. Et satis nobis esse debet, si omnibus rationibus uno verbo respondeamus, nos Christianos, non philosophos esse ; rationes nostras esse verbum Dei, quod cùm expressum et locutentum habeamus, nihil moramur, quid naturalis ratio suadere videatur. Unam tamen eorum rationem non præteribo, quòd maximè theologicam esse putent. Hanc, inquiunt, locutionem : *Hoc est corpus meum*, manifestum est esse sacramentalem ; ergo sacramentaliter intelligenda est. Primùm possem respondere, si sacramentalis locutio est, non verè, non realiter, non substantialiter, ut Calvinus docet ac loquitur, sed solo sacramento, ut Zuingliani volunt, corpus et sanguinem Christi nobis dari; sed brevius expeditiùsque respondeo, ignorare eos, quid sit locutio sacramentalis; putant enim eam esse quâ signum externum asseritur, res significata excludítur; hoc enim eorum principium est : Si est sacramentum corporis Christi, corpus Christi non est præsens; existimant enim rei significatæ præsentiam cum signo repugnare. Sed nos sacrarum Litterarum exemplis refutamus, Arca veteris Testamenti signum quoddam, et veluti sacramentum erat, quo divina majestas significabatur, doctore etiam Calvino; atqui majestas divina præsens erat. Columba illa, quâ Spiritus sanctus in Christum descendit, haud dubium, quin ejusdem Spiritûs sancti signum fuerit, et quasi sacramentum. Quis dicat Spiritum sanctum non fuisse præsentem? Linguæ igneæ, quæ super apostolos ecciderunt, Act. 2, 3, Spiritûs sancti signum erant; significabant enim fore ut Spiritus sanctus per apostolos variis linguis loqueretur; atqui non erat absens Spiritus sanctus. Discant igitur : *Hoc est corpus meum*, etiamsi agatur de sacramento, locutionem non esse sacramentalem. Errant enim in eo vehementer, ut homines in litteris parùm exercitati, quòd quidquid de sacramento dicitur, sacramentaliter dici putent. Nam cùm de aquâ baptismi dico : Hæc est aqua, non sacramentaliter, sed verè propriè que loquor. Eodemque modo cùm Christus dicit : *Hoc est corpus meum*, sacramentalis locutio esset, si aqua diceretur esse regeneratio, si panis corpus Christi, si corpus Christi frangi et dentibus teri, quemadmodùm D. Chrysostomus locutus est; hæc enim non possunt nisi sacramento tenùs intelligi, quia non corpus Christi propriè frangitur, sed sacramentum.

Vers. 27. — Et accipiens calicem gratias egit. De verbo εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, vers. præcedenti disputavimus. Hic tantùm observandum est, Christum separatim calicem et panem benedixisse, quia omnes Evangelistæ id expresserunt, aut certè indicarunt, ut cùm Lucas et Paulus dicunt : *Similiter et calicem, postquàm cœnavit;* cùm enim dicunt, *similiter*, periode est ac si dicant : Similiter accepit, et similiter benedixit.

Bibite ex hoc omnes. Clamant hic adversarii nostri, nos contra expressum Dei verbum alterâ sacramentorum specie defraudare populum, cùm Christus summo consilio, quasi prævidens errorem nostrum, quod de corpore suo non dixerat, de sanguine dixerit : *Bibite ex hoc omnes*. Cur ergo illi infantibus sanguinem Christi non porrigunt? nam et illi aliqui sunt

Vers. 27. — Gratias egit, Gr. : Καὶ εὐχαριστήσας : unde, et dicta est *Eucharistia*, ob præviam gratiarum actionem.

præsertim cùm eos baptizent, et eorum opinione magis sit necessarium corpus et sanguinem Christi sumere quàm baptizari ; cùm unum illi locum, quo baptismi necessitas comprobatur : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3, 5, deleant, et de sacramento Baptismi intelligendum non esse dicant. Cur non dant sanguinem Christi excommunicatis, si Christus neminem excipi jubet? Ergo non ideò Christus dixit : *Bibite ex hoc omnes*, cùm calicem daret, cùm id de corpore non dixisset, quòd magis sanguinem suum quàm corpus commendare vellet, sed quòd corpus singulis sigillatim porrexisset, calicem verò non singulis, sed uni, qui proximo, proximus sequenti et deinceps daret. Quia ergo calicem uni tantùm tradidit, ne videretur velle ut ille solus biberet, dixit : *Bibite ex hoc omnes*, ut Lucas, c. 22, 17, clariore verbo explicavit : *Dividite inter vos*, quod neminem nostro præsertim tempore animadvertere memini, quo tempore hoc verbum incredibiles multis molestias attulerit. Lucas his calicis meminit : primùm dixit calicem Christum accepisse, egisseque gratias, ac dixisse : *Accipite et dividite inter vos;* sed non dixit eum dixisse : Hic est calix in sanguine meo. Deinde, v. 20 : *Similiter et calicem postquàm cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*. Itaque Hieronymus, quem multi recentiores interpretes secuti sunt, duos calices fuisse putat. Ego Augustino potiùs assentior, lib. 3 de Consensu evangelistarum, c. 1, et Euthymio in hujus loci commentariis, unum tantùm fuisse calicem, de quo Lucas non servatâ narrationis serie his meutionem fecerit, primùm per anticipationem, deinde suo loco.

Vers. 28. — Hic est sanguis meus. Quæ in horum verborum explicationem desiderari possunt, vers. 26 dicta sunt.

Novi Testamenti. Τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *sanguis*, inquam, *ille novi Testamenti;* διαθήκη propriè dispositionem significat : itaque ad omne fœdus pertinet, cujus species una est testatio ultimæ voluntatis ; sed ad testamentum, quo ultima voluntas declaratur, plerùmque accommodatur, sicut disponendi verbum apud nostrum interpretem : *Dispone*, inquit, *domui tuæ, quia morieris*, Isaiæ 38, 1. Hebraicè צַו, eâdem significatione appellatur. D. Paulus in Epistolâ ad Hebræos, c. 9, 16, 17, pro testamento interpretatur, loquens et de veteri et de novo Testamento; *ubi*, inquit, *testamentum est, διαθήκην, mors necesse est intercedat testatoris*. Itaque nimis putidi Grammatici sunt

Vers. 28. — Hic est sanguis novi Testamenti, quo sanciturnovum Testamentum. Alludit ad hæc verba Exodi 24 : *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum*. Sed cum eo discrimine, quòd in veteri Testamento Deus promiserit se illis datorum terram Chananæorum, et Israelitæ sese obstrinxerint ad servandam legem Mosis : in novo Testamento Christus promiserit æternam hæreditatem, nos verò ipsos ac legem novâ observandâ obstringimus. Effundetur, Gr. : *Ἐκχυνόμενον*, pro vobis Deo fibatur et offertur. Potest etiam intelligi, effundetur in cruce. Illud verò ex perpetuâ et constanti Ecclesiæ traditione constat, Christum Dominum Eucharistiam non solùm ut Sacramentum, sed etiam ut sacrificium instituisse, quòd in Ecclesiâ pro vivis et mortuis semper oblatum est. *Ipse sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, sacerdotes constituit apostolos, qui alios sibi successuros ordinarent. His autem verbis à Lucâ relatis eos consecravit sacerdotes : *Hoc facite in meam commemorationem*. Hanc fidem ut acceptam à Domino Paulus Corinthiis, et alii apostoli omnibus fidelibus tradiderunt.

Calvinistæ et Lutherani, qui vetus et novum Fœdus, quàm vetus et novum Testamentum appellare malunt; Marcus iisdem quibus Matthæus verbis scribit : *Hic est sanguis meus novi Testamenti*; Lucas verò, cap. 22, 20 : Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, *hic calix novum Testamentum in meo sanguine*. Paulus autem, 1 Cor. 11, 25 : *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*; unde hæretici dupliciter argumentantur, et quòd Christus dicat : *Hic est calix*, et : *Hic calix est novum Testamentum*, quod utrumque necesse est figuratè dictum esse. De figurâ calicis, vers. 26 satis diximus. De alterâ figurâ, deque toto sensu horum verborum nunc dicendum est. Nec multis opus est verbis. Nego Christum hæc verba dixisse. Cùm enim Matthæus, qui aderat, et Marcus, qui ex Matthæo didicerat, scribant Christum his verbis sanguinem suum tradidisse : *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, cùmque utroque modo Christus dicere non potuerit, et : *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, ut Matthæus et Marcus, et : *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine*, ut Lucas et Paulus scribant, nisi fortè ineptâ repetitione uti voluisset, æquum est credere Matthæi potiùs et Marci, quàm Lucæ et Pauli verbis Christum usum fuisse. Deinde quia verba Matthæi et Marci magis exprimunt quod Christus agebat; id enim agebat, ut daret corpus et sanguinem suum; quòd autem sanguinem suum novi Testamenti appellaverit, id obiter et explicationis gratiâ dictum est, ut apud Matthæum et Marcum apparet; Lucas autem et Paulus ita videntur loqui, ut si Christus id inprimis egisset, ut potiùs declararet se novum Testamentum quàm sanguinem suum dare; credendum igitur est verbis potiùs Matthæi et Marci, quàm Lucæ et Pauli usum esse. Et ut fingamus ità dixisse, ut apud Lucam et Paulum scriptum est, tamen nec sensus esset, quem hæretici esse putant, nec ullum inde ad confirmandum suum errorem argumentum possent sumere. Si enim Christus dixisset : *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine*, ut Lucæ verba vertenda sunt, Hebraismo usus fuisset *in meo sanguine*, id est, mei sanguinis, ut Matth. et Marcus sine Hebraismo dixerunt. Cùm ergo idem sit, *hic est calix in meo sanguine*, et : *Hic est calix sanguinis mei*, fingamus hoc posteriori modo Christum dixisse, nulla profectò figura esset; nam, *hic est calix sanguinis mei*, nihil aliud significat quàm in hoc calice est sanguis meus, nec magis figurata oratio est, quàm si dicas, hæc est amphora vini, hoc est vas aquæ. Videamus an in omnine Testamenti figura sit. Illi, qui ad figu-

ras omnia revocant, figuram esse contendunt, quia calix novum Testamentum appellatur. Ego, qui non figuram, sed veritatem quæro, figuram nullam invenio. Videmus enim in omnibus linguis nomen fœderis multa significare, et res, de quibus fœdus sancitur, et symbolum, quo sancitur, ut percussio porcæ apud veteres Romanos fœdus erat. Itaque sine ullâ figurâ vocabatur; et vetus Testamentum non solùm dicebatur, quòd Deus e< unâ, Hebræi ex alterâ parte facere debebant; sed etiam promissio ipsa divina, ut sæpè dicit, *propter pactum*, et sanguis ille, quo tanquàm externo symbolo initum fœdus erat, idque sine ullâ figurâ, quia hæc omnia nomen significabat. Apud Lucam oratio sine verbo est, itaque dubitari potest, et à multis disputatur, ubi subintelligendum verbum sit: *Hic*, inquit, *calix novum Testamentum in meo sanguine*; duobus enim locis verbum poni potest, aut post pronomen *hic*: *Hic est calix novum Testamentum*, ut *calix* per appositionem *novum Testamentum* appelletur; aut post nomen *calix*: *Hic calix est novum Testamentum in meo sanguine*, quo sensu videtur dixisse Paulus verbo postposito: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*. Sed ego quidem non dubito, quin statim post pronomen *hic* verbum ponendum sit. Cùm enim Matthæus et Marcus, ut diximus, non solùm sententiam, sed verba etiam Christi recitaverint, ex illis Lucæ et Pauli verba non solùm intelligenda, sed etiam ordinanda sunt. Præterquàm quòd, ut modò diximus, non erat Christo propositum, ut novum Testamentum, sed ut sanguinem suum traderet. Itaque credendum non est dicere voluisse: *Hic calix est novum Testamentum*; sed: *Hic est calix sanguinis mei*, qui calix est novum Testamentum. Quare ad hunc etiam modum verba D. Pauli, quamvis transposita sint, redigenda sunt. Scribit: *Hic calix novum Testamentum est*, id est, hic est calix novum Testamentum. Meritò dubitabit aliquis, cur Lucas et Paulus non dixerunt: *Hic est calix novum Testamentum sanguinis mei*; aut clariùs: *Hic est calix sanguinis mei novum Testamentum*. Respondeo Hebraismum esse *in meo sanguine*, id est, per meum sanguinem, quo propterea usi sunt, quia calicem novum Testamentum appellaverant, et melius dicitur novum Testamentum per sanguinem, aut, quod idem est, in sanguine, quàm sanguinis; sed quod ad sensum attinet, is est quem Matthæus et Marcus clarissimis verbis expresserunt: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*. Cur autem novi Testamenti sanguinem suum Christus appellaverit, digna commentariis quæstio est. Solebant omnes ferè gentes victimarum sanguine sancire fœdera; aliquando et leginus solitos, qui aliquod inter se, quod sanctissimum, et inviolabile esse vellent, fœdus stabilirent, tractum ex propriis venis sanguinem bibendum alterum alteri tradidisse, quod et nostro tempore fieri solet. Hoc Christus fecit dato ad bibendum Apostolis sanguine suo; novum fœdus, id est, testamentum sancire voluit; duodecim enim, qui aderant, Apostoli omnis Ecclesiæ, cum quâ fœdus inibat personam repræsentabant. Id ergo Christus voluit verbis etiam exprimere. Præterea alludit ad veteris Testamenti institutionem, quod sanguine sacrificati vituli dedicatum fuerat, Exodi 24, 8, videtur etiam ad verba ipsa Mosis alludere, qui sumpto, aspersoque sanguine in populum dixit: *Hic est sanguis fœderis, quod mandavit ad vos Deus*. Opponit ergo se Mosi, sanguinem suum vitulorum sanguini, apostolos populo Judæorum, aspersionem aspersioni, Testamentum Testamento. Asperserat Moses Hebræorum populum extrinsecùs vitulorum sanguine: aspersit Christus apostolos intrinsecùs sanguine suo; hanc fortassè vim habere potest participium illud ἐκχυνόμενον, *qui effunditur*, id est, qui aspergitur. Novum autem Testamentum appellat novum pactum, quod non jam cum solis Judæis, ut priùs, sed cum omnibus omninò gentibus, quæ Evangelium receperint, confirmavit, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, ut ait D. Joannes, c. 3, 16. Alludit ergo ad novum illud fœdus, quod Deus per prophetas sæpè promiserat Isaiæ 59, 21; Jerem. 31, 31, 32, 33. Atque hanc fortassè emphasim habet articulus ille Græcus apud Matth. et Marcum: Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, *hic est sanguis meus novi illius Testamenti*, id est, illius novi Testamenti, quod promissum erat, et de quo sæpè audivistis. Unde intelligitur, cur, cùm de corpore loqueretur, nullam de novo Testamento mentionem fecerit, cùm autem de sanguine, fecerit; nimirùm, quia sanguine fœdera sanciebantur; non, ut existimat Origenes, quòd ejus sanguine redempti sumus; nam et ejus carne redempti sumus. Deinde colligitur Christum ibi novum Testamentum constituisse, non in cruce, ut novi hæretici contendunt; non enim sensus est, hic est sanguis, quo sancietur, sed quo sancitur nunc novum Testamentum, et quidem, cùm initur fœdus, partes præsentes esse oportet, aliqua miscere verba, aliquod dare symbolum; in cruce nihil ejusmodi factum est; Christus desertus erat, et quasi capite minutus, cum solâ matre, et D. Joanne locutus est, sed de rebus tantùm privatis, non de publico fœdere locutus est, hic omnia fecit, quæ ad fœderis celebritatem desiderari poterant; cum Apostolis, id est, cum totâ Ecclesiâ erat: in convivio ubi solent fœdera celebrari, sanguinem suum dedit, quo tanquàm symbolo fœdera feriuntur, verba dixit, quibus se fœdus inire cum Ecclesiâ declarat: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*. Hic ergo novum Testamentum constitutum est; unde et illud rursus colligitur, cum tunc sacrificium obtulisse, sine quo iniri fœdera non poterant. Cùm ergo sanguinem suum apostolis tradit dicens: *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, in possessionem novi Testamenti eos mittit. Colligitur etiam Christum verum dedisse sanguinem. Opponit enim sanguinem suum sanguini vitulorum, tanquàm figuræ veritatem.

QUI PRO MULTIS. Eodem usus est Marcus. Lucas autem et Paulus dixerunt, *qui pro vobis*. Utrumque timul dixisse vero simile non est, cùm ad præsentes verba dirigeret: utro autem modo dixerit, omninò non constat, sed conjecturâ ductus probabilissimâ affirmare audeo potiùs dixisse: *Hic est sanguis, qui pro vobis effunditur*, quàm, *qui pro multis*. Primùm, quia cùm solis apostolis loquebatur. Deinde, quia, ut supra diximus, munus illis commendabat, volebatque declarare, quid illis, quibus porrigebat sanguinem suum, profuturus esset; quare ex verbis Lucæ, et D. Pauli, Matthæi, et Marci verba exponenda sunt, ut idem sit, *qui pro multis effunditur*, *et qui pro vobis effunditur*, non ut Euthymius, et Theophylactus existimant ut idem fit *pro multis*, atque pro omnibus, quos hic Calvinus perverso omninò consilio secutus est, si tamen legerat; nec enim nominat, cùm alibi docere soleat Christum non pro omnibus, sed pro solis prædestinatis mortuum esse; nec sensus est, qui pro multis effundetur, id est, prædestinatis, ut multi etiam Catholici interpretes exponunt. Quinimò nec pro omnibus, qui aderant, significat sanguinem suum fundi: minùs enim est *pro multis*, quàm *pro vobis*: nam perinde est, ac si dicat: *Hic est sanguis meus*, *qui pro vobis*, id est, pro plerisque vestrùm *effunditur*; itaque multos opponit omnibus, qui aderant. Cùm ergo Christus dixisset: *Hic est sanguis meus*, *qui pro vobis effunditur*, quia certum erat eum noluisse Judam etiam comprehendere, pro quo ejus sanguis quoad effectum, et fructum attinet, non effundebatur, Matthæus et Marcus, ut id explicarent, optimo concilio non verba sed sensum referentes dixerunt, *qui pro multis effundetur*. Objiciet aliquis, Ecclesiam sentire utrumque Christum dixisse, *qui pro vobis*, *et pro multis effundetur*. — Respondeo Ecclesiam nihil definire, sed cùm alii evangelistæ dixissent *pro multis*, alii *pro vobis*, ne in re dubiâ errare posset, utrumque conjunxisse.

EFFUNDETUR, qui effunditur, de cujus præsentis temporis vi, versu 28, disputavimus, ubi etiam docuimus ad crucem referri non posse. Hoc loco videndum est, quo sensu Christus dixerit tunc sanguinem suum fundi, plerique putant sensum esse, qui funditur ad bibendum; nam et in mensâ, cùm ad bibendum, vinum petimus, puero dicimus, funde vinum; ita ut alludat Christus ad verba Mosis, Exodi. 24, 8. Convenit cum hâc opinione nomen calicis, qui ad bibendum fundi solet; nec enim alia ratio cogitari videtur posse, cur Lucas, et Paulus nomine calicis, quo Chri-

VERS. 29. — NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS, quod nimirùm fuit materia consecrationis: ex Lucæ narratione qui rerum ordinem descripsit, de calice profano, non de consecrato ea verba intelliguntur. Cyrillus, l. 7 in Levit., hinc colligit Christum non bibisse ex calice quem discipulis propinavit. CUM ILLUD BIBAM VOBISCUM NOVUM, spirituale nempe et cœleste. Transit à significatione vini propriâ ad metaphoricam et figuratam, qualis futura est, cùm nos inebriabit ubertate cœlestis beatitudinis. Alii tamen per fructum vitis proprium Christi sanguinem intelligi oportere existimant, cùm sit ipse vitis vera, idque futurum polliceatur, ut novum bibat cum discipulis, postquàm resurrexerit. Verba quidem Lucæ 22 de legali calice quem paterfamilias bibendum porrigebat accumbentibus, sunt intelligenda, cùm ante consecrationem prolata fuerint et ad Eucharistiæ mysterium præpararent

stus, ut diximus, usus non fuerat, usi sint; nisi, ut significarent, quem ad finem sanguis funderetur; nimirùm, ut apostoli biberent; bibimus enim calice. Magis eorum probo sententiam, qui interpretantur, *funditur*, id est, offertur, sacrificatur. Primùm, quia non dicit, qui vobis funditur, ut dicendum erat, si ad bibendum funderetur, sed *qui pro vobis funditur*, quod cum sacrificio optimè convenit; sacrificium enim non hominibus, sed pro hominibus offertur. Deinde quia cùm Christus tradens corpus suum etiam dixerit: *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis datur*, non potest aliâ fingi causâ, cur Matthæus, et Marcus id de solo dixerint sanguine, nisi quia existimârunt ad declarandam sacrificii naturam satis esse, si id de sanguine dicerent, in quo sacrificii vis maximè cernitur. Denique eodem sensu de corpore dictum est, *quod pro vobis datur*, et de sanguine, *qui pro vobis funditur*. At cùm de corpore dicitur, *quod pro vobis datur* non potest esse sensus, quod pro vobis datur ad edendum, sed quo pro vobis sacrificatur: ergo et, cùm de sanguine dicitur, *qui pro vobis effunditur*. Dicet aliquis nomen calicis, quo Lucas, et Paulus usi sunt, huic interpretationi repugnare; dicitur enim apud illos non sanguis, sed calix effundi τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον; calix autem non effunditur ad sacrificandum, sed ad bibendum. Respondeo et alias gentes solitas fuisse victimarum sanguinem poculis exceptum sacrificare, quod proprié libare dicebatur.

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris:

Inquit ille, cùm de sacrificio quodam loqueretur, et Moyses ipse, cujus hic figuram Christus explebat, sanguinem vitulorum accepisse dicitur haud dubiè patera, deinde in populum dispersisse, Exodi 24, 6, 7.

VERS. 29. — NON BIBAM AMODO, οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, de hâc generatione, aut de hoc fructu vitis. Vetus interpres, ut Græcum verbum exprimeret, Latinis inusitato verbo usus est. Non dubium, quin genimen vitis periphrasis vini sit; quanquàm in Scripturâ parùm usitata. Cur eâ Christus usus fuerit, paulò post exponemus. Solet Scripturâ aliâ in eamdem sententiam uti periphrasi, ut vinum *sanguinem* uvæ vocet, Genes. 49, 11; Deut. 32, 14. Quid Christus vitis generationem hîc appellet, magna est quæstio. Calvinistæ non dubitant quin id, quod apostolorum animos, uti et hæc verba Christi quæ ad agnum paschalem referuntur. DUCO ENIM VOBIS, etc. Ad corporis sui consecrationem præparabant. Itaque negant viri docti utrjusque evangelistæ textus suis locis dimoveri oportere: sic præparatis animis per agni paschalis esum et calicis legalis potum, ita ut non amplius cum discipulis vinum bibiturus esset, Eucharistiæ Sacramentum instituit. Siquidem per hæc verba; NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS, non absolutè, sed cum restrictione loquitur, DE HOC GENIMINE, pronomen demonstrativum adhibens. Deinde certum prædigit tempus, cùm ex illo bibiturus esset unà cum discipulis suis: quod postea bibit, novum illud fuit, et incorruptum. Observat illud vir doctus Judæos novum appellare quidquid præcellit. Regnum Patris est status gloriæ, quem Christus post resurrectionem suam adeptus est.

Apostolis porrexerat, vitis fructum, id est, vinum vocat; ut ubique panem et vinum asserant, Christi corpus, et sanguinem excludant. Et quidem Origenes, tract. in Matthæum, 30; et Cyprian. in epistolâ ad Cæcilium 68; et Chrysostom., homil. in hunc locum 83; et Epiphanius, hæres. 47 contra Encratitas; Hieronym. in Commentariis; Augustin., lib. 1. Quæst. evang. cap. 42; Beda, Euthym. et Theophylact. hoc loco ad sanguinem Christi referunt; sed alio tamen sensu quàm Calvinistæ. Nam Calvinistæ dicunt Christum id, quod apostolis dederat, vinum appellâsse, quia vinum erat; hi verò auctores sanguinem suum vocâsse vinum, sicut carnem suam apud Joannem panem appellaverat, et per periphrasim generationem vitis, quia ipse erat vitis vera, Joan. 15, 1. Qui horum auctorum sententiam sequi volet, meminerit hoc modo interpretari, ne Calvinistarum errori affinis esse videatur. Confirmari hæc interpretatio videtur ex Matthæi et Marci narratione, atque contextu, qui cùm dixissent Christum accepisse calicem, discipulis tradidisse, dixisseque *hic est sanguis meus*, addiderunt statim hæc verba: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Sed persuadere mihi non possum hæc verba ad sanguinem Christi esse referenda; primùm quis quod hic Matthæus et Marcus de calice Christum dixisse scribunt, Lucas, cap. 22, 15, 16, scribit etiam de Paschâ, id est, de agno dixisse: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequàm patiar, dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*: ergo hæc verba, quæ Matthæus et Marcus referunt Christum de calice dixisse, non de eo calice dixit, quo sanguinem suum dedit, sed de eo, qui in cœna agni paschalis, ut supra docuimus, à patrefamiliâs inter accumbentes distribui solebat. Deinde quia non reddit Christus rationem cur sanguinem suum dederit nam dato sanguine aliam rationem reddiderat, *qui pro vobis effundetur*, sed reddit causam, cur desideraverit eam cœnam cum apostolis agere, quia ultima futura erat, ut Lucas explicavit. Præterea dubium non est Christum consueto hominum more locutum fuisse, qui ab amicis longè discessuri ita soleant dicere, non bibemus ampliùs simul; id autem non dixisset Christus de sanguine suo, qui etsi verus erat, dabatur tamen sub cæremoniâ atque sacramento, sed dixisset de verâ et justâ cœnâ, cui magis verba illa convenirebant. Denique, quod sequitur *donec bibam illud novum in regno Patris mei*, ut statim docebimus, non potest intelligi, nisi de cœlo: in cœlo autem non erat bibiturus sanguinem suum, non verò, non metaphoricè; vinum autem metaphoricè bibiturus erat. *Ego*, inquit, *dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo*, Lucæ 22, 29, 30. Ergo non de sanguine suo, sed de vino dixit: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Unde colligo, quemadmodùm supra diximus illos, qui apud Lucam duo videntur esse, calices non duos, sed unum calicem esse, quemadmodùm Augustinus, et Euthymius existimant; hoc uno ab illis dissentio, quòd illi de illo ipso uno calice putent dixisse Christum primùm quidem, *non bibam amodò de hoc genimine vitis* non tamen dixisse, *hic est sanguis meus*; postea verò dixisse, *hic est sanguis meus*, sed non dixisse, *non bibam amodò*, etc. Ego contra non solùm existimo Lucam per anticipationem ante tempus calicis meminisse, sed etiam in illâ ipsâ anticipatione narrâsse eo loco, quod Christus ante de alio calice dixerat, *non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Nisi fortè dicamus unum et eumdem calicem fuisse, quo Christus in paschali et communi biberat cœnâ, et quo post sanguinem suum dedit; cùmque primùm in paschali biberet cœnâ, ea verba dixisse: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*, nec exhausisse calicem; sed aliquid in eo vini remansisse, quod postea in sanguinem suum consecratum Apostolis dederit; ideòque ita evangelistas hæc verba cum calice illo confudisse, ut de eo calice, quo sanguinem suum apostolis dedit, nisi diligentiùs lector animum attendat, dicta fuisse videantur. Hoc mihi certum est de sanguine Christi dicta non esse. Matth. igitur, et Marcus non servato, ut sæpè faciunt, narrationis ordine verba, quæ ante calicis consecrationem Christus dixerat, post consecrationem posuerunt.

DONEC BIBAM ILLUD NOVUM. Quidam interpretantur novum, id est, novo modo, quod ipsum non ad vinum, sed ad Christum referunt, quasi dicat, donec renovatus, id est, glorificatus illud bibam. Ita Chrysost., Euthym. et Theophylact. quos plerique recentiores interpretes secuti sunt. Hic sensus aliquando etiam mihi placuit, modò non placet; et quia nimis dura locutio est, *novum*, id est, novo modo; maximèque, si ad diversa, ut isti auctores volunt, referatur; et quia pronomen *illud* pati non videtur, ut ita interpretemur, quod ad vinum procul dubio refertur; itaque vinum ipsum novum appellatur: novum igitur dicitur, non quòd novo modo bibendum sit, sed quòd alterius generis, id est, præstantius, atque jucundius futurum sit, quale illud erit, quo omnes beati in cœlo inebriandi esse dicuntur: *Inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domûs tuæ*, Psal. 35, 9. Solent enim Hebræi, quorum phrasim Christus secutus est quidquid præstantius est, atque suavius novum appellare: *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*, Ps. 95. 97, 149, 1. id est, jucundum.

IN REGNO PATRIS MEI. Quidam non malè interpretes, nec malo animo interpretantur regnum Patris initium novi Testamenti, quod in ipsâ cœnâ cœpit, cùm Christus corpus et sanguinem suum novi Testamenti dedit, quod ideò faciunt, ut genimen illud vitis vinum, quod ante Christus biberat; novum autem genimen, id est, novum vinum Christi sanguis intelligatur. Pium studium, sed minimè necessarium. Nam regnum Patris non posse de institutione novi Testamenti intelligi verbum illud, quo Matthæus, et Marcus usi sunt, planum facit *usque in diem illum, quo illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*; dies enim ille non poterat eadem esse nox, minùs etiam eadem hora, quâ novum Testamentum Christus instituturus erat; quin, ut postea docebimus, non quemvis diem, sed remotissimum demonstrat. Deinde, qui hoc dicunt, non

videntur animadvertere, quo consilio hoc Christus dixerit; non enim dubium est voluisse eum spem discipulorum alere, et animos præcedentibus dejectos verbis *non bibam amodò de hoc genimine vitis*, verbis sequentibus excitare, *donec illud bibam vobiscum novum in regno patris*; quo eodem consilio narrat Lucas dixisse eum postquàm corpus, et sanguinem suum dederat: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Ita enim apostolos moriturus consolatur, quemadmodùm si moriens Pater filio flenti dicat se amplam illi hæreditatem relinquere, non esse, quòd mortem suam defleat. Hoc autem non de novi Testamenti institutione, sed de possessione vitæ beatæ dici potuit. Alii regnum patris Ecclesiam vocari putant, ut Hieronym. et Beda. Alii tempus illud quadragiesta dierum, quibus post resurrectionem cum apostolis sæpè edit, ac bibit, ut Chrysost., Theophylact. et Euthym. Sed hæ duæ interpretationes iisdem quibus prima, argumentis refutari possunt. Nam dies ille non potest nisi longissimum, et postremum diem demonstrare, sicut dies judicii *dies ille* vocari solet, 1 ad Thess. 5, 4, et 2 ad Thess. 1, 10, et 2 ad Timoth. 1 12, 18, et 4, 8. Præterea illud etiam observatur in sacris Litteris, quamvis regnum Dei aliquando pro Ecclesiâ, aliquando pro Evangelio accipiatur, tamen regnum Patris nunquàm, nisi cœlum, vocari; ideò, ut opinor, quòd solus Pater nunquàm videatur de cœlo descendisse. Deinde illud etiam observo, quotiescumque de eâ re potu regni cœlorum Scriptura mentionem facit, regnum cœlorum nec pro Ecclesiâ, nec pro Evangelio, sed pro vitâ beatâ posui solere: *Sathabor*, inquit, Ps. 13, 16, *cùm apparuerit gloria tua*, et Matth. 8, 11: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum*, et Lucæ 14, 15: *Hæc cùm dixisset, quidam de simul discumbentibus dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*; et cap. 22, 29, 30: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*, et Apocal. 19, 9: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*, quæ omnia sine ullâ dubitatione de cœlesti, beatâque vitâ intelliguntur, ergo et quod Christus hic dicit, *in regno Patris mei*, cùm de bibendo agat. Denique si regnum cœlorum pro aliâ re, quàm pro beatitudine sumatur, haud video, quomodò vinum illud novum convenienter exponi possit; nam si de sanguine Christi interpreteris, post resurrectionem bibisse non constat, aut si bibit, non potuit tam exiguum temporis momentum designare. Si de vero vino, post resurrectionem non novum, sed vetus bibit; nam illud novum, id est, novo modo jam refutavimus. Cum vitâ autem beatâ novum vinum optimè convenit, quia, ut diximus, Hebræorum more novum, id est, præstans, suave, et jucundum appellatur, qualia veteres postæ nectar, et ambrosiam esse fabulabantur. Atque ad hunc modum Origenes, tract. in hunc locum, 35, et Gregorius Nazianzenus, in oratione 2, in sanctum Pascha, et Beda, quamvis ipse quidem Beda allegoricè interpretetur. Objicit quidam, cui primam interpretationem omnium minimè probabilem secuto hæc nostra non placuit, credendum non esse Christum tam exiguo verborum intervallo, verbi significationem mutavisse, ut genimen vitis, nunc verum vinum, nunc metaphoricum, id est, beatæ vitæ suavitatem appellaret. Levis in re gravi ratio, et quæ non minùs sui auctoris, quàm nostram sententiam refutare potest; nam si, ut ille ait, vinum novum sanguinem suum Christus appellavit, verbi etiam mutavit significationem. Sanguis enim Christi non verum, sed metaphoricum vinum est. Tenendum ergo memoriâ, quod cap. 8, 22, adnotavimus, solere Christum in eâdem orationè uno eodemque verbo ambiguè uti, non solùm sine vitio, et cum magnâ etiam orationis elegantiâ et argutiâ, sententiæque sententiæ. *Dimitte*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos*, priori loco mortuos metaphoricè, posteriori verè mortuos appellat, et in illo exemplo, quod huic, de quo agimus, simillimum est Joan. 4, 13, 14: *Omnis, qui biberit ex hâc aquâ, sitiet iterùm, qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*: primo loco aquâ proprie, secundo metaphoricè usus est. Melius objici posset, quòd Christus dicat, *non bibam ex hoc, donec bibam illud*, nam cùm dicit *ex hoc*, et periphrasi describit, verum vinum demonstrat, et cùm dicit, *donec bibam illud novum*, idem ipsum vinum intelligit, quia ad illud, *hoc*, illud, *illud*, refertur. Respondeo hæc pronomina hoc loco nec individuum, neque speciem, sed totum genus, quod nomine vini sive proprie, sive metaphoricè continetur, demonstrare, sed ex circumstantiis intelligi pronomen *hoc* accipi pro vero vino, *illud*, pro metaphorico; perinde enim est ac si diceret, non bibam deinceps vinum, donec bibam illud vobiscum novum in regno Patris. Alii objiciunt; quòd Christus post resurrectionem, antequàm ad cœlum ascenderet, sæpè cum apostolis ederit ac biberit, ut Petrus testatur, Actor. 10, 41. Primum possemus negare bibisse vinum, quia id Scriptura non dicit; sed ut concedamus, quia probabile est si non semper, aliquando bibisse; verba Christi humano, et consueto more intelligenda sunt; eumque dicit, *non bibam amodò de hoc genimine vitis*, tantùm significat se postea non esurum, et bibiturum cum apostolis, sicut antea; ibat enim ad mortem: edit quidem, et bibit cum apostolis post resurrectionem; at non consueto more, ut naturæ necessitati satisfaceret, sed obiter, raptim, et tantùm, ut se resurrexisse demonstraret; edit et bibit; et solet de his rebus, quas alio modo, quàm ante, resurrectionem egit, ita loqui, quasi non egerit: *hæc*, inquit, *sunt verba, quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum*, Lucæ 24, 44, quasi tunc cum illis non esset; nempe quia ita cum illis erat, ut non nisi aliquando illis appareret, cæterùm invisibilis, non ut ante, ita ut semper cum illis esset, semper ab illis videretur, semper cum illis ederet ac biberet. Eodem igitur modo, etsi post resurrectionem suam cum apostolis aliquando edit et bibit, tamen quia id non nisi veluti per transennam fecit, non ducit in numerum. Hinc ratio colligi potest, quam

in hunc locum supra distulimus, quam ob rem Christus periphrasi usus sit. Sunt qui dicunt alludere voluisse ad consuetam gratiarum actionem Judæorum ; quæ his, ut ferunt, verbis concepta erat : *Benedictus sis, tu, Domine, Rex mundi, qui das nobis fructum vitis.* Id nec omninò probo, nec reprehendo ; sed illud mihi videtur probabilius, Christum emphasis causâ ita locutum esse : plus enim est, et majore cum exaggeratione dicitur, non bibam ex fructu vitis, quàm non bibam vinum, sicut magis exaggeratè idem dicit, qui negat se quidquam, quod terra ferat, esurum esse, quàm qui negat se cibum ullum sumpturum, quamvis nullus cibus sit, quem terra non ferat, quia periphrasis illa, atque descriptio orationi vim addit.

Vers. 30. — Et hymno dicto, καὶ ὑμνήσαντες, cùm laudem Deo cecinissent ; hæc enim tria Græca dictio complectitur. Itaque non solus Christus, sed etiam apostoli hymnum dixerunt, ut Origenes et Hilarius adnotant ; quamvis Beda non considerans Græcum verbum à solo Christo dictum putet. An cecinerint, non satis constat ; sed quia id verbum proprié significat, probabile est et exemplum cantûs ecclesiastici esse potest. Certè Chrysostomus ad missæ sacrificium accommodat, inde colligens neminem debere ante gratiarum actionem, quæ in fine fit, ab Ecclesiâ discedere. Sunt qui putent Christum usitatum aliquem Judæorum hymnum cecinisse. Nam evangelistæ quasi de usitato hymno dicunt : *Et hymno dicto.* Paulus Burgensis scribit Judæos loco gratiarum actionis septem Psalmos recitare solitos, id est, à Psalmo centesimo duodecimo, cujus initium est : *Laudate pueri Dominum*, usque ad Psalmum centesimum decimum octavum. Alii Christum novum aliquem hymnum composuisse dicunt. Neutrum certum est ; illud hoc probabilius ; Judæos enim aliquâ certâ gratiarum actione uti solitos ideò credendum est, quòd non solùm eorum interpretes docent, sed etiam præceptum illis à Deo fuisse videamus. Deuteronomii 8, 10 : *Cùm comederis, et satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terrâ optimâ, quam dedit tibi.*

Exierunt, ex domo, ubi cœnaverant, aut etiam ex urbe. Divus Joannes inter sacramentorum exhibitionem, et egressum Christi multa illis, et gravissima verba fecisse tradit, quæ à cap. 13, 30, usque ad initium cap. 18 scribit ; Lucas etiam alia nonnulla ponit, quæ Joannes prætermisit ; factam fuisse contentionem inter apostolos quis eorum videretur esse major, et reliqua, quæ cap. 20, 25, à nobis explicata sunt, et illa Lucæ 22, 28, 29, 30 : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo* : unde colligitur, antequàm Christus exiret è domo, exiisse Judam, quia dicit : *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*, quasi opponens undecim apostolos Judæ, qui cum illo in tentatione non permanserat, sed potiùs *magnificavit contra eum supplantationem* (Psal. 40, 10).

Vers. 30. — Et hymno dicto ; Erasmus vertit : *Cùm hymnum cecinissent* : August., in Psal. 72, docet de ratione hymni esse ut cantetur.

In montem Oliveti. Distabat mons Oliveti ab urbe Jerosolymâ sabbati iter, ut Lucas scribit, Actor. 1, 12, id est, mille passus, aut ut alii volunt, bis mille. Certum est proximum fuisse locum, cùm Christus post cœnam eò ire potuerit : quanquàm hortum Gethsemani, in quem ivisse dicitur, vero simile est non in ipso monte, sed citra ad radicem montis situm fuisse, cùm nomen ipsum Hebraicum vallem pinguem declaret.

Vers. 31. — Omnes vos scandalum patiemini. Non significat, ut multi interpretantur, fidem apostolos perdituros ; nec, ut alii dicunt, in fide vacillaturos esse, aut negaturos Christum, sed deserturos, ut ex Petri responsione colligitur, versu 33 : *Et si omnes scandalizati fuerint in te ego nunquàm scandalizabor*, id est, et si omnes te deserant, ego non deseram : fidem enim nemo eorum perdidit, ne Petrus quidem ipse, qui negavit ; etsi scio nonnullos veteres auctores ita loqui solere, quasi fidem perdiderit, non distinguentes fidei confessionem à fide, et negationem Christi à fidei amissione, quæ longè diversa sunt. Lucas, cap. 22, 31, soli Petro dixisse ait : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Deinde Matth. et Marcus hæc ita narrant, quasi Christus ea dixerit, postquàm de domo exiisset. D. August. lib. 5, de Consensu evangel., c. 2, putat prius Christum dixisse, quod Joannes narrat c. 13, 33 : *Quæretis me, et sicut dixi Judæis, quò ego vado, vos non potestis venire*, eâ occasione Petrum interrogâsse, quod idem Joannes scribit, vers. 36 : *Domine quò vadis*, Christum respondisse : *Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea* : Petrum dixisse : *Quare non possum te sequi modò ? animam meam pro te ponam.* Tunc Christus, cùm videret Petri confidentiam, et jactantiæ similem promissionem, dixisse, quod Lucas scribit : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret.* Quod autem Matthæus, et Marcus dicunt : *Omnes vos scandalum patiemini*, aut Christus postquàm Petro privatim dixisset, quod scribit Lucas, ad omnes conversus omnibus dixit, aut quia, quod Petro dicebat, omnibus dicebat ; Matthæus, et Marcus non verba, sed sensum Christi retulerunt.

In me. Hebraismus, id est, propter me. Cùm videbitis me indignæ patientem, occasionem mei deserendi accipietis, hoc est, *scandalum patiemini in me.*

Scriptum est enim. Accommodat Zachariæ testimonium ad se jure suo. Nam etsi ad veteres sacerdotes pertinebat, de illo tamen propriè dictum fuerat, ut ex præcedentibus et sequentibus prophetæ verbis manifestum est. Accommodat autem, non ut doceat necessariò eventurum esse, ut se apostoli deserant, eosque à culpâ eventûs necessitas excuset, sed ut doceat, id sibi novum non fore ; nam et se jam scire, et verò à prophetâ prædictum fuisse : *Percutiam pastorem*

rem πατάξω. Apud prophetam Hebraicè est נכה, Septuginta verterunt πάταξον percute. Itaque facilè adduceret hoc etiam loco pro πατάξω *percutiam* legendum esse πάταξον percute, ne evangelistæ verba à verbis prophetæ dissonare videantur, nisi viderem nonnullis etiam aliis in verbis evangelistam à prophetâ discrepare. Malo itaque dicere evangelistam sententiam spectâsse, non verba. Quòd ad sententiam autem attinet, idem est percute, et percutiam. Deus enim erat, qui pastorem percuti jubebat, et quod per alium facit, ipse facit. Indicat ergo se esse, qui filium suum percutit ; sicut alibi dicitur eum pro nobis ad mortem tradidisse.

Vers. 32. — Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Duobus verbis discipulorum animos recreat, et cùm se resurrecturum affirmat, et cum eis in Galilæâ apparaturum.

Vers. 34. — Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Marcus, c. 14, 30, scribit : *Priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*, unde nata quæstio est, quomodò intelligendum sit, quod Matth. dicit hoc loco, et Lucas, c. 22, 34, et Joann., c. 13, 38, *antequàm gallus cantet, ter me negabis* ; an adverbium illud *ter* ad galli cantum, an ad Petri negationem referendum sit. D. August., lib. 3, de Consensu Evang., c. 2, putat hunc esse sensum, *antequàm gallus cantet, ter* me negare incipies, quasi ante galli cantum tres negationes incœperit, sed non absolverit. Dura interpretatio ; nam ex contextu hujus loci, et Lucâ, cap. 22, 34, et ex Joanne, cap. 13, 38, manifestum est Christum dicere voluisse, antequàm gallus cantaret, Petrum se ter esse negaturum ; deinde perit Augustino illo modo interpretanti tota hujus sententiæ Christi gratia ; significat enim Petrum, antequàm gallus cantet, id est, brevissimo temporis intervallo non semel, non bis, sed ter se esse negaturum. Ita intelligendum esse eventus docuit, et evangelistæ monuerunt ; nam et Matthæus infra vers. 74, 75, et Lucas, vers. 60, 61, et Joann., c. 18, 27, postquàm narrâssent ter Petrum negavisse, addiderunt : *Et continuò gallus cantavit, et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat, priusquàm gallus cantet, ter me negabis.* Rectè ergo hunc locum explicavit, qui dixit Matthæum, Lucam et Joannem galli cantum appellâsse, non illum, quem ad mediam noctem edere solet gallus, sed eum quem ante auroram, quod ille propriè atque usitatè gallicinium, aut galli cantus vocari soleat, quia primus cantus alio nomine media nox appellari potest. Tempus autem illud, quod auroram præcedit, et quo gallus cantat, nisi galli cantus appelletur, alio vocabulo appellari non potest. Ita Scriptura loqui solet, Tobiæ 8, 11 : *Et factum est circa pullorum cantum accersiri jussit Raguel servos suos, et abierunt cum eo pariter, ut foderent sepulcrum*, et Marcus ipse, c. 13, 35 : *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domûs veniet, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane.* Ergo ante auroram, quod propriè tempus galli cantus appellatur Petrus ter Christum negavit, ut Matth., Lucas, et Joannes scribunt, et quod idem est, antequàm gallus bis cantaret, semel ad mediam noctem, iterùm ante auroram, ter Petrus negavit, ut scribit Marcus. Quæret aliquis cur Marcus aliter de eâ re, quam alii Evangelistæ, scripserit. Probabile mihi videtur Marcum ex Petro, cujus discipulus erat intellexisse non solùm, quâ sententiâ, sed quibus etiam verbis sibi Christus prædixisset fore, ut ter eum eâ nocte negaret ; iisdemque verbis usum fuisse ; eò autem vero similius est Christum Marci usum fuisse verbis, quòd ea majorem habeant efficacitatem. Opponit enim Christus numerum numero, quasi dicat, diligentior tu eris in me negando, quam gallus in cantando ; nam antequàm ille bis cantet, tu ter me negabis. Videmus namque totam Christi orationem emphaticam esse, *amen dico tibi*, hæc enim emphasis est ; *in hâc nocte*, et hæc, quasi dicat, hâc ipsâ nocte, quâ jactas te, etiamsi pro me mori oporteat, te non esse negaturum, *antequàm gallus bis cantet, tu ter me negabis.*

Vers. 36. — In villam, εἰς χωρίον, quo eodem verbo Marcus usus est, hortum fuisse constat ex Joanne, c. 18, 1, 26, in quem Christus orationis causâ sæpè itâbat, ut idem ait Joann., vers. 2, Judam scivisse eò solitum ire Christum, et Lucas, c. 22, 39 : *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum*, unde apparet Christum non, ut se absconderet, eò se recepisse, sed potiùs, ut faciliùs à Judâ et militum cohorte inveniretur, ut eo loco Joan. indicavit.

Quæ dicitur Gethsemani. Gechemani potiùs, aut Gesemani dicendum esset, id est, vallis, aut hortus octavus, aut pinguis ; pinguis, quia fertilis erat, octavus, quia, ut quidam putant, cùm circum Jerosolymam multæ amœnæ villæ essent, multique horti, ex distantiâ, quâ ab urbe aberant, nomina sortiebantur, ut alius primus, alius secundus hortus diceretur ; ut apud Romanos primus, secundus, tertius ab urbe lapis. Putat Cyrillus in Commentariis in c. 18 Joann. aliquod fuisse mysterium, quòd Christus se in hortum comprehendendus receperit, hortum scilicet illum symbolum fuisse paradisi : nos in paradiso à diabolo captos fuisse, in eodem paradiso liberatos ; comprehensio enim Christi initium fuit nostræ libertatis.

Vers. 37. — Petro, et duobus filiis Zebedæi. Jacobo et Joanne, c. 10, 3. Cur aliquos secum assumpserit, non difficilis est ratio ; voluit orationis suæ, doloris, et lethalis illius sudoris testes habere. Cur autem hos tres potiùs quàm alios. Hilarius, Chrysost. et Theophylact. respondent, propterea quòd hi tres gloriam et majestatem ipsius in transfiguratione viderant,

Vers. 33. — In eo peccat Petrus quòd Domino contradicat, quòd se aliis præponat, ac de viribus suis nimium præsumat.

Vers. 34. — Marcus, c. 14 : *Priusquàm gallus bis vocem dederit* : Joannes, c. 13 : *Antequàm gallus cantet, ter me negabis* : Ante gallicinium, paulò ante diluculum : tametsi etiam galli mediâ nocte cantare solent : quod tempus non dicitur galliciniun.

Vers. 36. — In villam, Gr. : Εἰς χωρίον, in locum, seu in prædium ad radices montis Oliveti positum.

c. 17, 2, et verendum erat, ne alii, qui non viderant, Christi infirmitate offenderentur. Simpliciùs responderi potest, ideò hos tres potiùs, quàm alios assumpsisse, quia plus illis confidebat, ideòque ad omnia secreta solebat adhibere, sicut ad transfigurationem adhibuerat.

Cœpit contristari, et mœstus esse, ἤρξατο λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν, *tristari et anxio esse animo*, est enim ἀδημονεῖν ita vehementi objecti discriminis metu angi, ut quodammodò exanimis, et attonitus sis. Evangelistæ verò Matthæus, et Marcus, qui hoc usi sunt verbo, solam magnitudinem tristitiæ Christi declarare voluerunt. Fuerunt olim, qui negarent veram in Christo fuisse tristitiam, ut Chrysost. hoc loco, et Ambrosius in Comment., in c. 22 Lucæ indicant et Damascenus de hæreticis quibusdam scribit, lib. de Hæresibus, cap. 84. Nescio an Hilarius in eo imprudenter fuerit errore; nimis enim illi congruenter videtur loqui, et hoc loco, et lib. 10 de Trinitate, ubi planè affirmat nullum Christum dolorem sensisse, et in Comment. in Ps. 68. Evagrius, libro 4 Hist. eccl., c. 39, scribit simili in errore Justinianum imperatorem fuisse impatibilem fuisse Christum. Non possumus ejus rei meliorem testem, quàm Christum ipsum desiderare, qui animam suam usque ad mortem tristem esse dicit. Alii contrà, ut refert in Comment. D. Thomas, etiam secundùm divinitatem, passionem ac dolorem sensisse docuerunt; nimis stultè de divinitate sentientes. Alii tristitiam istam Christi non passionem fuisse, sed propassionem, id est, non πάθος, ut Græci vocant, sed προπάθειαν: hoc autem inter passionem et propassionem interesse, quod nunc theologi inter primos et secundos quos appellant motus interesse dicunt; passionem esse, quæ animum aliquâ ratione turbat, et aliquem, quamvis imperfectum voluntatis consensum extorquet; propassionem, quæ hominem quidem movet, et aut doloris, aut delectationis sensum aliquem affert, sed animum de quiete suâ non deturbat. Ita Origenes, Hieronym. et Beda existimant Christum fuisse tristatum, atque hanc ejus verbi vim esse ἤρξατο *cœpit*, quasi cœperit quidem, sed non finierit, quia propassio usque ad passionem non pervenit. Potiùs credo verbum illud hanc vim habere, ut significet Christum non coactum, cùm periculum objectum est, sed sponte quando voluit, quantum voluit, et quomodò voluit, tristatum fuisse, quod ex aliis quoque circumstantiis apparet. Paulò ante cùm esset cum undecim discipulis, tristatus non fuerat, quia nolebat tristitiam suam omnibus notam esse, statim, ut ab illis digressus est, et cum tribus tantùm familiaribus discipulis fuit, tristari cœpit, ut evangelistæ adnotaverunt indicantes, quando voluit, et quâ ratione voluit fuisse tristatum. Eleganter in hanc sententiam Augustinus scribit in Comment. in Psal. 87: *Hos humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ Dominus Jesus non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit; ut transfiguraret in se corpus suum, quod est Ecclesia, cui caput suæ dignatus est, hoc est membra sua in sanctis et fidelibus suis, ut si cui eorum inter humanas tentationes contristari, et dolere contingeret, non ideò se ab ejus gratiâ putaret alienum, et non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tanquàm voci præmissæ concinens chorus; ita corpus ejus ex ipso suo capite addisceret.* Rectè Damascenus scripsit, lib. 3, de Fide orthodoxâ, cap. 20. Hoc inter nostras, et Christi passiones interesse, quòd nostræ voluntatis præveniant actionem; Christi sequantur, id est, non etiam nolentes passiones habere, Christum non nisi volentem habuisse; deinde quòd nostræ ex naturali necessitate, et peccato originali nascantur, Christi nec ex peccato, nec ex necessitate, sed ex misericordiâ natæ sint; esurivit enim pro nobis, sitivit pro nobis, doluit pro nobis. Itaque quod quidam docti, ut Catholici interpretes docuerunt Christum conditione humanæ naturæ mortem extimuisse, interpretari malo, quàm refutare; potest enim sic intelligi, ut Christus non conditione, et necessitate naturæ doluerit, sed voluntate suâ ita naturam in suâ naturali conditione reliquerit, ut tantum doluerit, quantum, si pura natura humana fuisset, doluisset. Subtiliùs in scholis à theologis disputatur, qui fieri potuerit, ut Christus, cùm beatus fuerit, tristitiam habuerit. Sunt, qui respondeant beatum fuisse superiore tantùm animæ parte; corpus enim illius nondùm fuisse beatum, quia, ut pati posset, nondùm se in illud beatitudo effuderat; tristitiam autem fuisse in inferiore parte quæ in corpore est. At Christus animam suam usque ad mortem tristem esse affirmat, quo verbo ostendit omnes animæ suæ partes occupâsse, et paulò post dicti: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, et ut alius evangelista clariùs dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*: ubi haud obscurè significat se etiam voluntate, quæ superior animæ pars est, fuisse tristatum, mortemque refugisse. Et verò ex eo loco sexta synodus generalis, aliique auctores veteres probaverunt duas fuisse in Christo voluntates, divinam et humanam. Itaque earum subtilitas, qui voluntatem hic interpretantur partis sentientis appetitum, probanda non est. Melius igitur alii dispensatione quâdam factum fuisse, ut cùm Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animæ partem admiserit; nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit, ne defluceret in corpus, ut pati posset, ita premere eam potuit, et quodammodò occultare, ut ad tempus tristitiæ cederet, quæ una passionis suæ pars futura erat. Quæritur inter interpretes quam ob causam Christus tristatus sit. Hilarius, Hieron. et Beda non metu mortis, sed discipulorum commiseratione, quòd scandalum passuri essent, tristatum fuisse dicunt, atque hoc esse, quod paulò post dicit, *tristis est anima mea usque ad mortem*, quasi dicat, cùm hora mortis veniet, non erit tristis, quia scandalum præteritum fuerit. Hilarius verò nominatim propter judam, quòd perditum se iret, tristatum putat. Bono animo hi auctores ita senserunt; ne Christum timidiorem, quàm multi ejus martyres fuerunt, facere viderentur, sed si id, quod paulò ante notavimus, teneatur, istud non erit necessarium,

Christum verò quidem, sed sponte tamen, et liberè timuisse: hâc enim ratione fit, ut etiamsi plus pertimuisse mortem videatur, quàm multi ejus martyres timuerunt, timidior illis dici non possit. Non enim timidus, sed fortissimus est, qui non nisi, quando vult, timet. Et ita omnia docent Christum timuisse mortem, ut negari salva Scripturæ auctoritate non possit. At si voluntate suâ timuit, cur timere voluit? Possem uno verbo respondere, si voluntate suâ mortuus est, cur mori voluit? Utique pro nobis, et pro nobis doluit; nam mortis præludia et dolor, et tristitia, et sanguineus sudor erant. Magnum ergo fuit, et cumulatum Christi beneficium, quòd mortem pro nobis non subitam, qualis eorum esse solet, qui nec opinantes securi feriuntur, sed cum omnibus suis circumstantiis conjunctâ suscipere voluerit, cum dolore, cum flagellis, cum convitiis, cum ignominiâ, et cum nonnullis rebus, quæ mortem comitari non solent, qualis sudor ille sanguinis fuit, ut verè posset dicere: *Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me*, Psal. 114, 3. Paulò aliter Hieron., Beda, Euthym. et Theophyl. in Commentariis, et August. in Psal. 87, propterea timere, et tristari Christum voluisse, ut se verum hominem ostenderet, tum etiam, ut idem, ait August. ne ejus membra, id est, fideles, si quando tristarentur, putarent id esse peccatum. At cur vehementiùs, quàm aliis homines mortis metu tristari solent, tristatus videtur fuisse, eò quidem usque, ut quemadmodùm Lucas c. 22, 44, scribit, guttæ sanguinis, aut, ut Græcè est, θρόμβοι, grumi, id est, magnæ sanguinis guttæ ex ejus corpore in terram defluerent? Scribit Hilarius lib. 10, de Trinitate, et D. Hieronym. lib. 2, adversùs Pelagianos suo tempore id, quod Lucas de sanguine et de angelo, qui Christo oranti apparuisse dicitur, tradit in plerisque Græcis, et Latinis codicibus lectum non fuisse: sed potiùs credendum est à nonnullis id fuisse deletum, quàm à quoquam adjunctum. Alii non delent verbum, sed sensum extenuant, quasi non verè sanguinem Christus sudârit, sed proverbiali formâ dictum sit sudâsse sanguinem, id est, vehementi timore correptum fuisse, sicut vulgò de his dicere solemus, qui valdè anxii, et impediti sunt, guttas eos sanguinis sudare. Ita Euthym. et Theophyl. exponunt; sed evangelista, cùm dicat guttas sanguinis in terram defluxisse, non potuit profectò aliter intelligi, quàm ita ut verum sudaverit sanguinem. Quod ergo sanguinem Christus sudaverit, etsi sunt, qui miraculo, ac præter naturam factum putent, tum etiam mysterio quodam, ut totum ejus corpus, quod est Ecclesia, ipsius sanguine perfundi videretur, potiùs naturalem sudorem fuisse arbitror, sed quia insolitus est, miraculo fuit similis, qualia omnia rara esse solent. Scribit tamen Aristoteles id fieri naturaliter posse, et aliquando contigisse. Et quidem ratio naturalis docet in hominibus præsertim raræ texturæ, delicatæque constitutionis fieri id posse; cùm enim sudor nihil aliud sit, quàm pars sanguinis aquosa, quæ in venis est, cur quemadmodùm omnibus pars illa per sudorem effluit, non posset in paucissimis quibusdam, qui rarissimo sint corpore, et subtiliorem sanguinem habeant, sanguis ipse tenuior loco sudoris effluere, et quemadmodùm videmus omnes subitò correptos metu sudare, ita Christum, qui delicatissimæ naturæ erat, non dicamus naturaliter apprehenso ignominiosissimo genere mortis sanguinem sudavisse? Audio de his qui viderunt aut cognoverunt ante annos duos Lutetiæ Parisiorum hominem robustum et benè valentem, auditâ in se capitali sententiâ, sudore sanguineo fuisse perfusum. Majore admiratione dignum est, quamobrem Christus tantoperè mortem apprehenderit, ut sanguinem sudaret. Respondet D. Thom. quia non solam mortem, sed mortis potissimùm causam, id est, omnium hominum peccata animo concipiebat; in quam sententiam D. Ambrosius in Commentariis, in cap. 22, Lucæ piè sanè, et eleganter scripsit: *Minùs contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret, et sequestratâ delectatione divinitatis æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur, et vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico; nec enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem; debuit ergo et dolorem suscipere, ut vinceret tristitiam, non excluderet. Nec enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint quàm dolorem.*

Vers. 38. — Tristis est anima mea usque ad mortem, περίλυπος, tristitiâ undique obsessus est animus meus, eodem omninò sensu quo in personâ Christi David dixerat, *circumdederunt me dolores mortis*. Quod autem dicit usque ad mortem, Origenes, Hilarius et Hier. tempus significare putant, quasi dicat, tristis est anima mea, sed tristitia hæc non durabit, nisi usque ad mortem. Aliena, ut mihi videtur interpretatio: nec enim Christus id agebat, ut tristitiæ magnitudinem minueret, sed ut augeret; minuisset autem, si dixisset eam non nisi usque ad mortem duraturam. Aliam interpretationem memini apud auctorem quemdam recentiorem legere: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, id est, adeò tristis, ut tristitia ipsa mortem mihi afferre videatur, quemadmodùm vulgò dicere solemus, morior dolore, morior fame. Verus sensus est, quem Euthymius indicavit, *tristis est anima mea usque ad mortem*, id est, tam tristis, quàm si jam morerer, sicut David dixit: *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, tam magni quàm qui in morte sentiuntur.

Sustinete hic. Μείνατε, *manete*. Eodem verbo usus est Marcus. Alios discipulos paulò ante non solùm manere, sed etiam sedere jusserat vers. 36, hos manere et vigilare, id est, in statione esse, excubias agere, quia propriores periculo erant, cujus volebat esse testes, sicut paulò post vers. 41, non solùm manere, et vigilare, sed etiam orare jubet

Vers. 39. — Et progressus. Lucas : *Et avulsus est ab eis*, quo verbo nescio, an nimis argutè significari quidam putent illum non libenter à tribus illis charissimis discipulis discessisse.

Pusillum. Quantum pusillum illud fuerit, Lucas 22, 41, ut Euth. adnotavit, expressit, *quantum*, inquit, *jactus est lapidis*. Quæri potest, cur secesserit à discipulis oraturus. Secutus est, ut ait D. Th. præceptum suum supra, c. 6, 6 : *Tu autem, cùm oras, intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum*, et, ut, ego etiam opinor, humanam consuetudinem, et veluti verecundiam secutus est. Nam etiamsi coram aliis orare nos non putèat, multa tamen in oratione audientibus aliis loqui, multa exteriora interioris affectus, et ardoris signa ostendere pudet, quæ solos non pudet.

Procidit. Marcus in terram procidisse dicit, Lucas verò positis genibus orâsse, unde intelligimus non fuisse omninò in terram prostratum, sed genua flexisse, ideòque Marcum dixisse procidisse in terram, quia, qui genua in terram ponit, in terram procidit.

Pater, si possibile est. Sciebat Christus absolutè possibile esse Deo, sicut apud Marcum declarat : *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt*, sed posito divino decreto, quo constitutum erat, ut pro nobis moreretur, sciebat esse impossibile, ut calix ille à se transiret; cur ergo orabat ut, si fieri posset, calix transiret? Relinquebat naturam humanam partes suas agere, quemadmodùm egisset, si neque cum divinitate conjuncta fuisset, nec de divino decreto quidquam scivisset. Colligitur ex collatione Matthæi et Marci, ut rectè D. Augustinus lib. 3, de Consen. evangelist. cap. 4, observavit, idem valere, *si possibile est*, et *si vis*, nam de absolutâ illâ, quam vocant potestate Christus non agebat, nec eam in dubium revocabat, et quasi cautionis causâ apud Marcum profitetur, *omnia tibi possibilia sunt*; cùm enim addit, *sed non quod ego volo, sed quod tu*, indicat, cum dixit, *si possibile est*, nihil aliud dicere voluisse, quàm *si vis*, aut si rebus integris, si salvâ gloria tuâ velle potes. Refellitur etiam ex Marco Calvinistarum error, qui putant Deum plura facere non posse, quàm quæ vult; nam etsi apud Matth. idem est, *si possibile est*, et *si vis*, apud Marcum idem non est, apud quem de Dei potestate Christus non dubitat, *omnia*, inquit, *tibi possibilia sunt*. De voluntate autem dubitat, id est, quasi homo dubitans loquitur. Quod dicit, *Pater*, orationis initio aptum ad conciliandam gratiam exordium est, ut Hieronymus adnotavit; Marcus Chaldaicum et Græcum copulavit verbum, *Abba, Pater*, Græco Chaldaicum interpretans, quo Christus usus fuisse creditur, quod et D. Paulus duobus locis fecit ad Roman. 8, 15, et ad Galatas 4, 6, quod D. August. mysterio aliquo factum putat, ut significaretur Deus et Judæorum et gentilium pater esse.

Transeat a me, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ, prætereat à me, aut, ut Latini loquuntur, prætereat me.

Calix iste. Passio, mors ista terribilis. Cur Calix appelletur cap. 20, 22, à nobis dictum est. Putant Hieronym. et Beda ideò dixisse *calix iste*, ut Judæorum calicem indicaret, id est, eorum peccatum, atque interitum; non enim Christum mortem suam, sed Judæorum perniciem timuisse. Sed supra probavimus verè timuisse mortem, eamque fuisse deprecatum.

Verumtamen non sicut ego, volo, sed sicut tu. Aptè apposita moderatio : sic enim naturæ infirmitatem ostendit, ut ultra divinæ voluntatis terminos non egrediatur. Colligitur ex hoc loco, ut antè attigimus, duas in Christo fuisse voluntates humanam, atque divinam, ut in sextâ synodo generali hoc ipso testimonio probatum est. Præterea non esse factum hoc contrarium sententiæ D. Pauli ad Hebr. 5, 7, ubi dicit Christum exauditum fuisse pro suâ reverentiâ; nec enim hic, quamvis calix ab eo non transierit, non exauditus fuit, cùm hâc conditione oraverit : *Si possibile est*, id est, si vis : Pater autem nolebat. Dubitabit aliquis, quomodò Christus humanâ voluntate mortem recusaverit, cùm Deus vellet, ut moreretur. Videtur enim contrariam divinæ voluntati voluntatem habuisse, quod sine peccato fieri non potest, quia, ut August. definit, peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, divinamque voluntatem. Paulò ante diximus Christum in hâc oratione ita locutum fuisse, ut si prorsùs fuisset homo, cui neque divina voluntas cognita esset, neque satis esset fortitudinis ad mortem superandam, relinquebat enim naturam humanam, veluti solam, compressâ divinitate, ut pleniùs officio suo fungeretur. Inter homines autem non quisquis contra divinam voluntatem aliquid vult, continuò peccat : sed qui vult, dicit, aut facit aliquid contra voluntatem Dei sibi cognitam, atque perspectam : nec enim peccamus, cum parentibus nostris longam vitam bonamque valetudinem à Deo petimus, sed peccaremus potiùs, si non peteremus, etsi voluntas Dei fortassè est, ut citò moriantur, quia ea voluntas nobis cognita non est, et altera cognita est, quâ vult, ut parentes honoremus, et omnia illis optemus prospera. Quin etiam aliquando contra divinam voluntatem nobis cognitam aliquid sine peccato licet velle, modò ea non sit præcepto declarata. Mortuus est Pater meus, dubitare non possum divinâ voluntate mortuum esse; vellem tamen mortuum non esse, nec tamen pecco. Adde quòd hæc Christi voluntas, quâ mortem recusavit non fuit plena, atque perfecta, sed, ut theologi vocant, conditionalis; nec enim dicebat apud se, nolo mori, sed nollem mori, si fieri posset, quæ voluntas peccatum non est adhibitâ honestâ conditione.

Vers. 39. — si possibile est; Lucæ 22. Christus sciebat conditionem non subsistere, sed voluit sic orare instructionis et consolationis nostræ causâ : neque ineficax illud desiderium non moriendi, aut declaratio naturalis desiderii pugnat cum efficaci voluntate moriendi. Verumtamen non sicut ego volo, desiderio naturali : Sed sicut tu, id volo voluntate rationali et deliberatâ, quæ semper est divinæ voluntati conformis, et naturalis desiderii voluntati perfectè dominatur. Unde nulla est inter utramque pugna; nec voluntas illa desiderii naturalis erat absoluta, sed tantùm conditionalis. Naturæ ipsius sensum et carnis innoxiæ, ut à morte tam acerbâ immunis esset, Patri exponit : sed divinæ voluntati suam statim subjicit.

Et invenit eos dormientes præ tristitia. Solet enim mœror animi, sicut lacrymas exprimere, ita vapores in cerebrum excitare; unde nascitur somnus : videmusque et infantes, postquàm fleverunt, alitè dormire, et viros, cùm in luctu sunt, opprimi somno.

Sic? non potuistis. Duplici interrogatione hæc verba legenda sunt, ut Euthymius animadvertit, ut altera ponatur post adverbium, *sic*, altera post sequentem orationem. Nec enim adverbium *sic* ad verbum *potuistis* applicandum est, sed ad superiora potiùs referendum, quæ vers. 35, Petrus primo loco, deinde omnes alii similiter discipuli dixerunt : *etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, quasi dicat Christus : Itane parati estis, ut pro me moriamini, et non potuistis unâ horâ vigilare mecum? Dicit autem hoc Christus soli Petro, quia ille se primus, et omnium maximè jactaverat, ut Hieronym., Chrysost., Beda, Theophyl. et Euth. observaverunt. Marcus non omnibus, sed soli Petro, quæ sequuntur, dicta esse scribit : *Non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* atque ita Christum dixisse vero simile est : sed quia, quod Petro dicebat, tanquàm cæterorum duci, omnibus dicebat, Matthæus sensum non verba recitans omnibus dictum tradit : *Una hora* μίαν ὥραν, unam horam, quâ phrasi continuum, et integrum unius horæ tempus significatur; non quòd constet unam integram horam Christum in oratione posuisse, sed quòd voluerit brevissimum temporis spatium, integrum tamen significare. Hebraismus enim est, quo solent Hebræi momentum temporis, aut brevissimum quodque spatium *horam* שעה appellare. Voluit enim Christus, ut discipulorum exaggeraret negligentiam, brevissimum tempus designare, quod Latinè dicemus, non potuistis momentum temporis vigilare mecum? Nec propterea indicat se per unum tantùm momentum oravisse, sed loquitur per exaggerationem.

Mecum. Incredibilem hæc dictio vim habet ad pungendos animos discipulorum, quasi dicat, me non solùm vigilante, sed etiam oraute, sudante, pugnante cum morte, vos, qui me dormiente pugnare debebatis, ne vigilare quidem momento temporis potuistis.

Vers. 41. — Spiritus quidem promptus est; Quamvis sitis prompto et alacri animo ad subeunda mortis

Vers. 41. — Vigilate, et orate. Non jam meâ, sed vestrâ causâ, vers. 38, tantùm dixerat, *vigilate*, nunc addit, *et orate*, indicans propius esse discrimen.

Ut non intretis in tentationem. Non intrare in tentationem Hier., Beda, Euth. et Theop., et omnes, quos legisse memini, posteriores interpretes dicunt non esse in tentationem non incidere, sed eam superare. Ego potiùs credo, ut verba ipsa significant, non intrare in tentationem, esse in eam non incurrere; hoc enim jubemur à Deo petere conscii infirmitatis nostræ, non solùm ut pericula superemus, sed etiam ne in pericula veniamus. Tutius est non pugnare quàm vincere. Hoc enim sensu oramus Deum ne nos inducat in tentationem, ut cap. 6, 13, exposuimus.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Causæ redditio est, quamobrem orare debeant, quia etiamsi animus ac voluntas illis non desit, vires tamen desunt, nisi à Deo per orationem impetrent. Spiritum igitur hoc loco non Spiritum sanctum, non Spiritum suum, sed discipulorum voluntatem vocat, sicut D. Paulus 1 ad Cor. 7, 34, cùm dicit : *Ut sit virgo sancta et corpore et spiritu*, id est, casta et pura, non solùm corpore, sed etiam voluntate. Videtur autem ad superiorem illam discipulorum jactantiam alludere : magnos enim animos, magnos spiritus ostentaverant, cùm singuli dixerant, v. 35, Petri vocem secuti : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Non vult Christus animum illum improbare atque dejicere, sed eo potiùs laudato infirmitatis carnis admonet, ut doceat, quamvis magno promptoque animo sint, oportere tamen orare eos, quia caro infirma est, sicut dixit D. Paulus, 2 Cor. 4, 7, nos gestare *thesaurum in vasis fictilibus*.

Vers. 42. — Iterum secundò, πάλιν ἐκ δευτέρου, rursùs secundò. Tautologia videtur esse, nisi hebraismum intelligamus. Hebræi dixissent משוב שנית, et rediit secundò, et oravit, sicut : *Tu conversus vivificabis nos*, id est, iterùm vivificabis, quem hebraismum multis jam locis explicavimus. Tantumdem ergo duæ illæ dictiones valent ac si aliis verbis dixisset, et reversus secundò oravit.

Vers. 43. — Erant enim oculi eorum gravati. Aut gravati somno, quia multa jam erat nox, aut humore præ tristitiâ, ut Lucas indicavit.

Vers. 44. — Et oravit tertiò. Subit hic statim animum dubitatio; cur ter Christus oraverit, non sæpiùs, non minùs sæpè. Chrysost., Euthym. et Theophylact. respondent hunc numerum rei veritatem, perfectionem, atque constantiam solere declarare, quod multis sacrarum Litterarum exemplis verum esse intelligimus; vas illud plenum omnis generis animalium, quod Petrus vidit, ter de cœlo demissum est, pericula, caro tamen est imbecilla, ac proinde vobis necessarium est orationis præsidium.

Act. 10, 16; D. Paulus, 2 Cor. 12, 8, ter dominum se rogàsse dicit, ut spiritum illum Satanæ à se tolleret; Petrus Christum ter negavit; Christus Petrum ter interrogavit, *diligis me plus his?* Joan. 21, 15. Eodem modo ter Christus orat; quia, quod ter fit, omninò, ac semper fieri videtur; et docuerat ipse nos semper orare, Lucæ 18, 1. In Hispanico proverbio optimè explicatur: *A tres va la vencida*, quasi dicas non potest videri verè vicisse, qui ter non pugnavit.

Eumdem sermonem dicens. Non est necesse, ut eadem verba, sed ut eamdem sententiam Christum recitàsse intelligamus, ut Euthymius indicavit. Quod enim Evangelista dicit *eumdem sermonem dicens*, perinde est, ac si dicat, in eamdem sententiam oravisse, id est, nihil novi petivisse, sed quod ante petierat. Etsi suspicor evangelistam cautè hæc verba addidisse, ut indicaret semper Christum verba illa, et conditionem, quam antea explicaverat, adhibuisse; *verùmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, ut doceret Christum, quamvis ter oravisset, nunquàm ejus moderationis oblitum fuisse, in quà tota orationis laus consistebat; atque hoc est, *eumdem sermonem dicens*. Lucas unius tantùm orationis mentionem fecit; ideò, ut opinor, quia quamvis ter Christus oraverit, tamen quia, ut ait Matthæus, eumdem sermonem dixit, eadem fuit oratio; statimque narrat angelum ei apparuisse. Itaque non constat quà in oratione apparuerit; nam quod quidam putant in singulis apparuisse, probabile non est. Credendum, cùm ideò missus fuerit, ut ad ejus orationem responderet, et Patris ad eum sententiam deferret, non nisi finità jam tertià oratione venisse; nec enim Christus, si venisset priùs, idem à Patre petere perrexisset. Itaque quod Lucas ait Christum venisse ad discipulos, et invenisse eos dormientes, postquàm dixerat apparuisse angelum, per ὕστερον πρότερον intelligere necesse est. Priùs enim de oratione verba facere cœperat, unde quidquid in oratione acciderat, eodem contextu narrare voluit, quale fuit, quod angelus apparuisset. Quare et cùm dicit adhuc eo loquente cum discipulis venisse turbam, et Judam unum de duodecim, non est ad proxima verba referendum: *Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem;* non enim, cùm ea verba Christus diceret Judas venit. Nam ut ex Matthæo et Marco manifestum est, postquàm ea dixit verba, his ad orationem rediit, et cùm tertiò ad discipulos revertisset, non dixit: *Vigilate et orate*, sed, *dormite jam, et requiescite*, vers. sequenti; atque tunc Judas apparuit. Intelligendum igitur est, quod ait Lucas: *Adhuc eo loquente* non ea, quæ dixerat, sed ea, quæ tacuerat, id est, cùm adhuc cum discipulis loqueretur, non tunc, sed postea. Verùmtamen quia, sicut ex tribus orationibus unam, ita ex tribus Christi cum discipulis colloquiis unum fecit; ea quæ in tertio colloquio acciderunt, cum primo conjungit.

Vers. 45. — Dormite jam, et requiescite. D. Augustin., lib. 3, de Consen. evang., c. 4, et Beda hunc locum edisserens existimant hoc à Christo non ironicè, sed seriò dictum fuisse, quia apud Marcum 14, 41, dicit *sufficit*, quasi dicat, sufficit, quod hactenùs vigilàstis, nunc dormire potestis, et requiescere. Chrysost. verò, Euthym. et Theophylactus ironiam esse putant. Jubet enim eos dormire, et requiescere, quando minimè dormiendum, et requiescendum erat, appropinquantibus hostibus. Videtur tanquàm cum pueris Christus loqui, quibus, cùm, nobis prohibentibus, toto die ludant, cùm ad prandium venitur, solemus dicere, ite, saltate, et ludite, quà concessione pungimus eos vehementer, quia dùm concedimus illis ludere, cùm ludere non possunt, nec volunt, exprobramus eos cùm non deberent, ludere solere; ita Christus dicit: *Dormite jam, et requiescite*, quo tempore, etiamsi maximè vellent, cernentibus hostibus dormire, ac requiescere non possent, exprobrans, quòd ante, cùm vigilare deberent, prohibente se dormiverint.

In manus peccatorum, gentilium. Solebant enim Hebræi Gentiles absolutè peccatores appellare, ut Lucæ 24, 7: *Oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi*; et ad Gal. 2, 15: *Nos naturà Judæi, et non ex gentibus peccatores.* Erat enim major pars eorum, qui ad comprehendendum Christum veniebant, Romani milites, quia, ut ait Joannes, c. 18, 3, Judas militarem cohortem secum adduxit.

Vers. 47. — Adhuc eo loquente. Omnes tres evangelistæ, Matth., Marcus, et Lucas notaverunt adhuc Christo loquente venisse Judam, eo, ut opinor, consilio, ut docerent veram fuisse Christi prædictionem, quà paulò ante dixerat: *Surgite, eamus, ecce appropinquavit, qui, me tradet.* Id ipsum aliis verbis Joannes dixit, c. 18, 4: *Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit, et dixit eis: Quem quæritis?*

Et ecce Judas. Primum, tanquàm ducem, nominat Judam, quod et Marcus similiter fecit. Lucas verò alio consilio turbam priùs, deinde Judam nominavit, quòd turba, ut vero simile est, priùs apparuerit.

Turba multa. Ita Marcus et Lucas etiam scribunt. Joannes verò, c. 18, 3: *Cùm accepisset, Judas cohortem;* unde sequitur omnis generis homines ad capiendum Christum venisse, unum è duodecim discipulis, qui et eum vendiderat, et aliorum dux erat: sacerdotum, scribarum, et seniorum servos; nam omnes evangelistæ declarant eum, cui Petrus auriculam abscidit, pontificis fuisse servum: deinde milites, qui gentiles erant. Cum armis venerunt, tanquàm facinorosum aliquem hominem comprehensuri, aut ejus timentes discipulos, cum facibus autem, quia tenebræ erant.

Vers. 48. — Qui autem tradidit. ὁ δὲ παραδιδοὺς; traditor, id est, qui tradebat eum.

Dedit illis signum. Dederat ante. Dubitari potest, quid signo opus fuerit, cùm tam notus Christus omnibus esset. Scribit Origenes hoc loco traditionem suo tempore fuisse, Christum duas habuisse facies, aliam naturalem atque usitatam, quà omnes eum cognoscebant; alteram, quam assumebat aliquando, qualis illa fuit, quam in transfiguratione habuit. Meliùs Theophylactus hic majorem partem eorum, qui ad comprehendum Christum venerant, milites fuisse, id est, gentiles, qui Christum audire non solebant, ut homines alieni à Judæorum religione. Leontius verò in comment. in 18 c. Joan., v. 5, putat Christum suà fecisse potestate, ut non solùm milites, sed ne Judas quidem ipse tam diù cum eo versatus ipsum agnosceret; idemque Theodorus Heracleota, in Græcorum Catenà, Chrysost., Cyrillus, et Theophylact., in illo Joannis loco, docent. Nec enim tenebras in causà fuisse; nam propterea evangelistam ante dixisse cum facibus, et laternis venisse milites, et iterùm eumdem evangelistam adjecisse. *Stabat autem, et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis*, quasi diceret, etsi Judas, qui Christum indicaturus venerat, cum illis esset, tamen eum non cognoverunt. Quanquàm Theodorus Mopsuest. ideò putat evangelistam dixisse Judam cum illis fuisse, ut ejus impudentiam improbitatemque declararet, qui cùm tantum miraculum viderit, à cœpto facinore non destiterit. At cur hoc potiùs signo, quàm alio usus est? quia, ut opinor, ita signum dare volebat, ut quà re militibus Christum prodebat, eàdem Christum proditionem suam celaret; non celàsset, si inusitatum dedisset signum. Erat autem usitatum, ut osculo se Judæi, præsertim inferiores superiores salutarent, et quicumque magnum erga eos, quos salutabant., amorem ostendere volebant, Gen. 29, 11, 13; et 33, 4; et 45, 15; et Exodi 4, 27; et 18, 7, quod et inter Christianos usitatum fuit, Act. 20, 37; Roman. 16, 16; 1 Cor. 16, 20; 2 Corinth. 13, 12, 1 Thess. 5, 26; 1 Petri 5, 14, et longo post etiam tempore, ut ex Tertulliano, libro de Oratione cognoscimus; hoc est quod Christus apud Pharisæum illum queritur, Lucæ 7, 45: *Intravi in domum tuam, osculum mihi non dedisti;* putabat enim miser Judas posse se Christo scelus suum occultare; nec enim verè in eum crediderat; sed, ut Hieronym. et Beda tradunt, omnia miracula illius, quæ viderat, magicis artibus facta esse arbitrabatur, quod Christus ipse indicat apud Joan., c. 6, 64: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt;* loquebatur autem cum apostolis. Id verò propter Judam dixisse evangelista declaravit, addens: *Sciebat enim ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Origenes duas refert opiniones, cur hoc signo potiùs, quàm alio Judas Christum tradiderit; alteram, quòd adhuc eum revereretur, nec omnem penitùs pudorem exuisset; itaque quia alioqui osculaturus erat Christum, voluit idem osculum, quod illi præbiturus erat, signum esse militibus; quam opinionem Leontius etiam refert, nec videtur improbare. Alteram, ne si alio inusitato uteretur signo, Christus proditionem, et insidias intelligeret, et, ut aliàs fecerat, elaberetur.

Tenete eum. Marcus 14, 44, ait addidisse Judam, *et ducite cautè*, nimirùm timebat, ne si Christus evaderet, et promissam pecuniam perderet et magistrum; sciebat enim sæpè illum, cùm eum Judæi tenere vellent, evasisse, ut Lucæ 4, 30; Joan. 8, 59, ut Chrysost. et Hieronym. adnotàrunt. Scribit Joannes Jesum scientem omnia, quæ ventura erant super se, processisse, dixisseque: *Quem quæritis?* Quibus duabus rebus indicavit Christum non solùm forti hilarique animo sese hostibus obtulisse, sed etiam eos quodammodò provocàsse. Itaque vox illa *quem quæritis?* non fuit hominis metuentis, negaturique se eum esse, quem illi se quærere respondissent; sed interriti, et lacessentis, ut Leontius adnotavit.

Vers. 49. — Ave, rabbi. Et osculo, et verbis scelus cònatur dissimulare; contra verò Christus ostendit se non ignorare quo animo veniat, cùm versu sequenti eum interrogat: *Amice, ad quid venisti?* et cùm apud Lucam 22, 48, dicit illi: *Osculo Filium hominis tradis?* E contrario verò illi ipsi, quibus signum dabat, eo etiam dato Christum non cognoverunt: priùs enim Judam osculum illi dedisse arbitror, quàm Christus, ut ait Joannes, milites interrogaret: *Quem quæritis?* Unde colligitur eos nondùm Christum cognovisse, idemque intelligitur ex eorum responso; nec enim responderunt, te ipsum quærimus, sed *Jesum Nazarenum*, hisque oportuit Christum eos interrogare, antequàm cognoscere possent; si enim priùs eos Christus interrogàsset, quàm Judas signum dedisset, opus non fuisset signo, cùm bis jam Christus dixisset: *Ego sum;* atque ita videtur, lib. 3 de Consen. evangel., c. 5, sentire D. Augustinus.

Vers. 50. — Amice ad quid venisti? Videtur Christus his verbis non solùm declarare scire se, quorsùm venerit Judas; sed etiam verecundantem, cunctantemque proditorem suum excitare, ut animosè se tradat, sicut, cùm cœnaret, illi dixerat, Joan. 13, 27, *quod facis, fac citiùs*, et ut is, qui securi percutitur, carnifici dicere solet, fac quod tui est officii. Porrò credendum est priùs Christum dixisse, quod Lucas 22, 48, scribit: *Osculo Filium hominis tradis?* Deinde quod Matth. et Marcus dicunt: *Amice, ad quid venisti?* postremò, quod Joannes ait, *quem quæritis?* lib. 3 de Cons. evang., c. 5, D. August. existimat, etsi contra Leontius sentit.

Tunc. Non est hoc adverbium ad proxima verba referendum. *Amice, ad quid venisti?* quasi simul atque ea dixerit Christus, milites in eum manus injecerint, sed ad ea, quæ Joannes scribit, c. 18, v. 6 et 8, bis dixisse Christum, *ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire.* His enim verbis potestatem illis comprehendendi sui fecit, sine quà ligatas habebant manus.

Vers. 51. — Et ecce unus ex his, qui aderant. Vel ex tribus, quos Christus secum ad orationem secedens adduxerat (Petrus enim unus ex tribus illis fuerat, vel unus ex undecim discipulis, qui fortassè tunc cum Christo erant. Quanquàm illud prius probabilius est, quia, cùm Judas cum militibus venit, cum solis illis tribus Christus loquebatur, ut Matthæus, Marcus et Lucas minimè obscurè significant. Quis iste unus fuerit, Joannes 18, 10, declarat fuisse Simonem Petrum, qui gladium eduxerit, et servi pontificis auriculam amputaverit. Lucas 22, 49, omnes discipulos, qui aderant, ad resistendum, et armis pugnandum pa-

Vers. 45. — Dormite jam, si potestis: nam statim erant excitandi. Alii legunt per interrogationem an dormitis?

Vers. 49. — Osculatus est eum; ex usu Judæorum qui osculo se invicem salutabant: Lucæ 7: *Osculum mihi non dedisti.*

ratos fuisse indicat. Omnes enim Christum interrogâsse alt : *Domine, si percutimus in gladio?* nec enim fortassis intellexerant, quod paulò ante Christus dixerat apud eumdem Lucam, v. 38. Qui apostolis dicentibus, *ecce duo gladii hic*, responderat, *satis est*; nec enim cùm dixerat : *Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium*, significaverat armis sibi opus esse, aut iis discipulos uti oportere, sed tantùm significare voluit magnum periculum imminere, quod non soleat ab hominibus, nisi armis propulsari. Neque cùm dicit, *satis est*, significat duobus illis gladiis hostibus esse resistendum, nec pluribus opus esse, sed dicit, *satis est*, quia nec illis, nec aliis gladiis opus sibi erat. Cùm igitur Christum omnes interrogâssent, *si percutimus in gladio?* Petrus, antequàm Christus responderet, pontificis servum percussit, quem, quia summi sacerdotis minister erat, vero simile est et audaciorem cæteris fuisse heri sui auctoritate confisum, et infestiorem Christo domini sui invidiam et malevolentiam imitatum; itaque cæteris præiisse, primumque voluisse in Christum manus injicere, propterea Petrum Christi responsum non expectâsse, sed audacem hominem in Christum irruentem majori audaciâ conatum fuisse repellere.

AMPUTAVIT AURICULAM EJUS. Lucas, et Joannes explicant dexteram auriculam fuisse, in quo multi mysterium fuisse arbitrantur : quod ego nec affirmare volo, neque negare; quia, ut sæpè monuimus, non allegorias, sed litteralem, et propriam Scripturæ sensum quærimus. An omninò auriculam illius servi Petrus abscîderit, ita ut deciderit in terram, ex evangelistis satis liquidò colligi non potest, sed est probabilius prorsùs eam amputâsse, quia hoc scindendi et amputandi verba, quibus evangelistæ utuntur præ se ferunt. Quanquàm Lucas indicat non omninò fuisse decisam, quia non dicit Christum auriculam reposuisse, sed cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum : itaque si quis ita senserit, non reprehendero.

VERS. 52.—OMNES, QUI ACCEPERINT GLADIUM, GLADIO PERIBUNT. Origenes ad hunc modum interpretatur : Omnes, qui bellorum, aut seditionum auctores fuerint, in eo ipso bello, quod excitaverint, extinguentur. Hieronym. et Beda; gladio peribunt non corporali, sed spirituali, id est, divinâ vindictâ, quæ de illis, vel in hâc, vel in alterâ vitâ pœnas sumet. Euthym. verò de solis privatim Judæis Christum loqui putat, quos significet propter mortem suam Romanorum gladio perituros esse. Sed quid hoc ad Petrum, qui gladium accepit? Igitur non significat Christus necessariò omnes, qui gladium acceperint, gladio perituros esse; multi enim gladio non pereunt, sed tantùm legem allegat, quæ jubebat homicidam occidi, Gen. 9, 6 : *Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; nec dicit, quam pœnam necessariò subituri sint, sed quàm mereantur, ut indicant D. Augustinus, in libro quæstionum veteris et novi Testamenti, cap. 104, et Theophylactus hoc loco. Qui verò ex his verbis colligunt ne judicibus quidem licere uti gladio, nimis inepti sunt, quorum hodiè multis in locis hæresis regnat, et verbis D. Pauli facilè refelluntur, qui eos à Deo potestatem habere affirmat, et non sine causâ gladium portare, quasi ipsum etiam gladium à Deo acceperint : ergo gladio non peribunt, si gladio suo utantur : quia non abutuntur, quia non ipsi acceperunt, id est, privatâ auctoritate usurpârunt, sed datum à Deo susceperunt. Mirantur quidam, quid causæ sit, cur Petrum Christus reprehenderit, cùm vim vi repelleret, idque ut magistrum defenderet, quod et naturali, et divino, et humano jure licere creditur. D. Augustinus eo loco, quem modo notavimus, putat Petrum non fuisse reprehensum, quòd servi pontificis auriculam abscidisset; id enim Christi permissu fecisse existimat, atque hoc verbum illud apud Lucam, cap. 22, v. 51, significare : *Sinite usque huc*, quasi dicat sufficit auriculam servi pontificis abscidisse. De cætero *mitte gladium tuum in vaginam*, quod ait, Joan. cap. 18, v. 11, quia *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, ut hic dicit Matth., sed admonere tantùm Petrum arbitratur, ne ultra pugnet. Verùmtamen manifestum est Petri factum à Christo reprehendi, ut ne disputari quidem debeat. Cur ergo reprehenditur? Primùm, quis illa non erat defensio, quid enim unus homo contra cohortem unam fecisset, nisi milites irritaret, ut crudeliùs tractarent Christum? Deinde, quia non expectato Christi responso gladio percusserat. Postremò, quia etiam si posset, non debuit tamen Christi mortem impedire, sicut Christus ipse poterat duodecim legiones angelorum à Patre petere, qui se defenderent; sed maluit Patris parere voluntati, et prophetarum implere vaticinia, quam rationem Christus, hoc loco, reddit, vers. 53 et 54, et apud Joannem, cap. 18, 11 : *Calicem, quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum?* sicut simili de causâ Petrum reprehenderat, cap. 16, 23 : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum*, quia voluerat eum à suscipiendâ morte dehortari. Cur ergo Christus generalem citat legem? Quia ubicumque exceptio locum non habet, lex locum habet, et non habebat exceptio locum in Petro, qui bono quidem animo, sed quo loco, et quo tempore non debuit, gladium accepit. Suo hic more Calvinus non solùm Petrum, sed omnes etiam discipulos, quia ad defendendum Christum paratos se esse ostenderant, rogaverantque, *Domine, si percutimus in gladio?* stultos atque amentes appellat.

VERS. 53. — AN PUTAS, QUIA NON POSSUM MODO ROGARE PATREM? Duplex his verbis Calvinistarum error confutatur, et Christum necessariò mortuum esse, et

VERS. 52. — QUI ACCEPERINT GLADIUM, privatâ auctoritate, ii mori debent ex lege sancitâ, Gen. 9; mortis rei sunt. Id fecit Petrus per modum defensionis, sed non expectato Domini responso, cujus forte silentium pro consensu accipiebat. Verba autem illa :

OMNES ENIM QUI ACCEPERINT GLADIUM, sic intelligenda sunt, ut Deo aut hominibus dent pœnas et saepissimè violentâ morte pereant, qui privatâ auctoritate humanum fundunt sanguinem.

Deum non posse plura, quàm quæ actu vult, facere. Nam et Christus indicat se, si voluisset duodecim angelorum legiones à Patre petere, potuisse non mori; et Deum duodecim legiones angelorum sibi mittere potuisse, nec tamen voluisse. Dubitabit aliquis, quomodò dicat Christus Patrem sibi non negaturum fuisse duodecim angelorum legiones, si ab eo petivisset, cùm paulò ante, quod ab eo petiverat, ut calix à se transiret, negavisset. — Respondeo Christum ex naturâ ipsâ rei, non consideratis circumstantiis, locutum esse, quasi diceret, putâsne, si non scivissem decretum esse à Patre meo, ut morerer, non potuisse me duodecim legiones angelorum ab eo petere, eumque mihi daturum non fuisse?

DUODECIM LEGIONES ANGELORUM. Et res, et dictio Romana est, quâ etiam evangelistæ Græcè loquentes usi sunt, sicut multa alia Latina vocabula usurpârunt. Nulla enim gens, præter Romanos; legionibus utebatur. Itaque credendum est ex Romanorum consuetudine, qui tunc in Judæâ dominabantur locutum fuisse. Apud Romanos autem, ut Vegetius et D. Hieronymus scribunt, legio sex millia hominum continebat, aut, ut Polybius, communes legiones habebant quatuor millia ducentos pedites; equites verò trecentos, in gravioribus autem bellis pedites quinque millia, equites trecentos. Quidquid sit, hoc certum est voluisse Christum ingentem angelorum numerum significare. Oppouit autem angelos hominibus, multos paucis, potentes impotentibus, et quorum unus unâ nocte centum octoginta quinque millia hominum occidit in exercitu Sennacherib, 4 Regum 19, 35. Et mihi quidem vero simile videtur Christum angelos non militibus, sed discipulis opponere, qui unà cum Judâ duodecim erant, ac propterea duodecim non plures, nec pauciores legiones nominâsse, ut indicaret posse se pro duodecim hominibus duodecim legiones habere, quarum unaquæque sex angelorum millia continebat, aut aliquanto plures, si Vigelii sententia vera est. Nisi fortè magis placet duodenarium numerum pro omni, et perfecto numero positum esse, ut : *Sedebitis, et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel*, quemadmodùm Augustinus, et Beda illum locum interpretantur, supra, c. 19, 28. Colligit hinc Origenes angelos bonos perpetuum contra angelos malos bellum gerere, ideòque cœlestem militiam tam multis Scripturæ locis appellari. Mitti quidem frequenter à Deo, ut homines non solùm ab angelis malis, sed ab aliis etiam hominibus tueantur, apparet 4 Regum 6. 17., ubi tanta angelorum multitudo in unius Elisæi auxilium missa est, ut montem operiret, hoc est quod sit David, Psal. 33, 8 : *Immittet angelos Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos*, Hebraicè חנה castrametabitur angelus Domini in circuitu timentium eum, id est, angelorum castra in uniuscujusque circuitu ponet, ne quis eum lædat, et Psal. 90. 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Mitti etiam aliquando, ut in bello pro nobis pugnent, constat ex Daniele, cap. 10, 13, 20, 21, et 12. 1. Ex eâ consuetudine locutus est Christus.

VERS. 54. — QUOMODO ERGO IMPLEBUNTUR SCRIPTURÆ, QUIA SIC OPORTET FIERI? Et deficiens oratio est, et hebraismum continens; intelligendum enim est, quo modo impleantur Scripturæ, quæ dicunt, quia sic oportet fieri? et illud, *quia*, Hebræorum more positum est pro infinitivo; sic fieri oportere, ut Lucæ 24, 25, 26 : *Et ipse dixit ad eos, ô stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ, nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Scripturæ autem, et prophetæ, de quibus Christus loquitur, sunt Isaiæ 53, 10 : *Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, et Danielis 9, 26 : *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Hoc autem ideò Christus dixit, ut ostenderet se non violentè ad mortem trahi, sed sponte ire, ut Patris decreto per prophetas promulgato satisfaceret. Joannes, c. 18, 11, aliter Christum Petro respondisse scribit : *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Itaque probabile est quod Augustinus existimat, libro 3 de Consensu evang., c. 5, utrumque Christum dixisse, primùm : *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* deinde, *quomodò ergo implebuntur Scripturæ?* Videtur autem mihi Christus ambiguè nomine calicis hoc loco usus esse; cùm enim paulò ante dicebat : *Si possibile est, transeat à me calix iste*, calicem rem acerbam, et horroris plenam appellavit. Hic rem potiùs jucundam, et suavem videtur appellare; hanc enim vim hæc habent verba : *Calix, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* quasi dicat, non potest non esse et salutaris et jucundissima ea potio, quam mihi charissimus Pater meus porrigit; nam, ut cap. 20, 22, diximus, utramque in partem et bonam et malam, et pro re acerbâ, et pro re jucundâ calix accipitur, quia solet eodem calice aliquando amara, aliquando dulcis potio exhiberi; *calix*, inquit, *meus inebrians, quàm præclarus est!* id est, quàm dulcis et suavis! Psal. 22, 5, loquitur quidem Christus utrobique de morte suâ, eamque calicem appellat, sed in oratione, antequàm Patris sententiam audiret, calicem, id est, rem difficilem, et horribilem appellabat; nunc Patris cognitâ voluntate eamdem mortem calicem, id est, rem sibi jucundissimam appellat. Nihil enim non dulce, nihil non suave est obedientiæ. Solus Lucas, c. 22, 51, scribit, *sinite usque huc*, id est, sinite, adhuc plura patienda mihi sunt, quemadmodùm si Gallicè diceret, *laissez-les encore faire*; unde apparet, et omnes qui aderant discipulos pro Christo pugnare voluisse, et Christum respondisse omnibus; sed ad Petrum conversum nominatim corripuisse, quòd non expectato responso servum pontificis vulnerâsset. Solus etiam Lucas narrat Christum servi illius auriculam tetigisse, atque sanâsse; voluit nimirùm Petri errorem emendare, simulque his, qui se comprehendebant, osten-

dere potuisse se ab illis defendere, qui abscissam auriculam solo tactu sanare potuit; se enim esse, *qui mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit*, 1 Regum 2, 6. Solus Joannes servo pontificis Malcho nomen fuisse tradit, c. 18, 10.

Vers. 55. — Quotidie. Marcus 14, 49 : *Quotidiè*, inquit, *eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis, sed ut impleantur Scripturæ*; quibus verbis Christus indicat iis, qui se comprehendebant, non eorum industriâ, aut viribus se ab illis capi, sed Patris voluntate, et Scripturarum decreto. Si enim id eorum viribus, et studio fieret, sæpè jam antè, cùm quotidiè sederet in templo docens, comprehendissent; quod cùm tentàssent facere, non potuerunt, Lucæ, 4, 30, et Joan. 8, 59. Hoc est, quod apud Lucam ait 22, 53 : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum*, id est, nunc potestis facere in me, quidquid libet, non quòd potentiores sitis, sed quòd hora venerit, quà à Patre decretum est, ut moriar.

Vers. 56. — Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Petrus quidem secutus est eum, quamvis longo intervallo, vers. 58. Itemque Joannes, ut ipse testatur, c. 18, 15. Itaque quod Matth. dicit, *omnes*, aut pro plerisque, accipiendum est, ut Theophylact. interpretatur, aut dicendum statim quidem omnes diffugisse, sed paulò post Petrum, et Joannem rediisse, et Christum secutos esse.

Vers. 57. — Ad Caiphan. De Caiphâ, supra, versu 3, diximus. Joannes 18, 13, ad Annam primùm ductum fuisse scribit, atque ita quidem scribit, ut videatur multa, quæ postea narrat, in domo Annæ facta fuisse significare, ut primam petri negationem; primam examinationem Christi de discipulis et doctrinâ; quemdam ex adstantibus colaphum illi impegisse. Unde non solùm in vulgus, sed in magnos etiam auctores D. Augustinum, et alios opinio permanavit ea omnia, quæ diximus, in domo Annæ contigisse. Sed hæc sententia ex tribus aliis evangelistis manifestissimè refutatur, qui summo consensu testantur tres Petri negationes in domo Caiphæ pontificis accidisse. Quin ex ipso D. Joanne perspicuum est. Nam primam etiam negationem in domo pontificis factam esse narrat, cùm ipse, qui pontifici notus erat, Petrum introduxisset. Annas autem non erat pontifex, sed socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius, ut idem scribit Joannes. Nam quod Lucas, cap. 3, 2, ait Joannem Baptistam sub principibus sacerdotum Annâ, et Caiphâ cœpisse pœnitentiam prædicare, non ita intelligendum est, quasi eodem anno uterque et Annas, et Caiphas pontifices fuerint, non enim erat nisi unus pontifex; sed quia præcedenti anno Annas pontifex fuerat, ut Josephus auctor est, et utroque anno Joannes pœnitentiam prædicavit, dicitur sub pontificibus Annâ, et Caiphâ prædicâsse. Sed D. Augustinum, et alios auctores fefellit, quòd tacitam et obscuram D. Joannis transitionem non animadverterunt. Ita enim significat ab Annâ ad Caiphan traductum fuisse Christum, ut non nisi attentus lector observare possit : *Et adduxerunt*, inquit, vers. 13, 14, 15, *eum ad Annam primum* (*erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius*). *Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis.* Non dixit apertè ab Annâ ad Caiphan Christum ductum fuisse, sed satis superque significat, cùm dicit ductum fuisse ad Annam primùm; indicat enim deinde ductum ad Caiphan, et cùm dicit discipulum illum, qui pontifici notus erat, ingressum cum Christo in atrium pontificis, cùm paulò ante dixisset Caiphan fuisse pontificem. Cùm ergo addit se introduxisse Petrum in atrium pontificis, ibique ab ancillâ ostiariâ interrogatum, an ex discipulis Christi esset, negavisse, minimè dubium relinquit, quin et Petri negationes omnes, et cætera, quæ deinceps scribit, in domo Caiphæ pontificis facta fuerint. Illud etiam magis hos auctores in errorem impulit, quòd Joannes post multa, vers. 24, dicat, *et misit eum Annas ligatum ad Caiphan pontificem*, quasi post primam Petri negationem, et alia, quæ jam facta narraverat, Annas ad Caiphan ligatum miserit; sed sunt, quia ea verba transposita esse putent, et de loco suo mota; debere enim esse post versum 13, *et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius*, ut statim sequatur, *et misit eum Annas ligatum ad Caiphan*. Et quidem oratio, et sententia hâc ratione rectissimè cohæret, et Cyrillus hoc modo legit. Si hæc correctio non placet, dicendum necessariò est Joannem postea, cùm in narrandâ primâ Petri negatione occupatus fuisset, antequàm apertè dixisset Christum ab Annâ ad Caiphan missum fuisse per epanalepsin, postea, quod præterniserat, resumpsisse, ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν ὁ Ἅννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν, ut vertendum sit, *miserat autem eum Annas ligatum ad Caiphan*. Sed illud prius mihi magis probatur. Cur ergo ad Annam duxerunt primùm, si pontifex non erat? Joannes tacitus rationem reddit, quia erat socer Caiphæ, cujus, ut probabile est, consilio Caiphas plurimùm utebatur, et est vero simile Annæ domum in viâ fuisse.

Vers. 59. — Principes agten sacerdotum. Græcè additur καὶ οἱ πρεσβύτεροι, et seniores.

Vers. 60. — Et non invenerunt, καὶ οὐχ εὗρον, καὶ πολλοὶ ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον, *et non invenerunt, et quidem multis accedentibus falsis testibus non invenerunt*, quam repetitionem noster interpres, aut non legit, aut exprimendam non putavit : habet tamen aliquam vim. Quid autem testibus opus erat, cùm vellent sive jure, sive injuriâ Christum damnare? Volebant flagitio suo juris speciem obtendere.

Vers. 61. Possum destruere templum Dei. Cur hi duo falsi vocantur testes, cùm verum testimonium dixisse videantur? Dixerat enim Christus se posse solutum templum tribus diebus rædificare, Joan. 2, 19. Rectè Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Theophylactus, et Euthymius respondent, propterea falsos appellari, quia, quod Christus dixerat, et malo animo, et diverso sensu, et aliis verbis recitârunt. Christus non fuerat locutus de templo illo secundo Salomonis, sed de corpore suo, ut continuò Joan. explicavit, nec dixerat, *possum destruere templum Dei*, etiam si poterat, sed dixerat : *solvite templum hoc*, id est, solvetis, aut si solveritis, *et ego in tribus diebus excitabo illud*, hebraismus. Magis etiam apud Marcum 14, 58, verba mutant : *Nos audivimus eum dicentem, ego dissolvam templum hoc manu factum, et post triduum aliud non manufactum ædificabo*. Matthæus dixit hos falsos testes, qui hoc testificati sunt, duos fuisse. Alii Evangelistæ numerum non exprimunt. Duo autem propterea fuerunt, quia manu facti erant, id est, à principibus sacerdotum, et senioribus subornati. Subornârunt autem duos, quia lex erat : *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*, Deuter. 17, 6, et 19, 15. Sicut adversùs Stephanum in simili causâ alios duos falsos testes submiserunt, Act. 6, 13. Addit Marcus, *et non erat convenientes testimonium illorum*, καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν. Ac nec sic quidem eorum testimonium æquum erat, aut æquale, quòd quidam interpretantur ipsos inter se testes non convenisse, sicut videtur noster interpres intellexisse; sed verba Græca alium sensum præ se ferunt, et nec sic quidem eorum testimonium æquale erat, id est, sufficiens ad damnandum Christum. Hanc enim vim habet illud, et nec sic quidem, id est, quamvis affirmarent se audivisse Christum dicentem : *Ego dissolvam templum hoc manufactum, et post triduum aliud non manufactum ædificabo*, non judicâsse pontifices posse propterea Christum ad mortem condemnari. Nam testes quidem inter se rectè convenichant, cùm eadem utrique verba, et eodem sensu recitaret. Cur ergo, dicet aliquis, Stephanus non de alio convictus crimine lapidatus est? Act. 6, 14, quia duo falsi testes dixerunt : *Audivimus eum dicentem, quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum*. Respondeo multa in illis verbis, quæ duo illi falsi testes ex Stephano se audivisse mentiti sunt, contineri, Jesum enim Deum esse confitebatur, quod Judæis blasphemiæ erat, et jubebantur blasphemi lapidibus obrui, Levit. 24, 16. Ibi præterea addebant testes dixisse eum, *et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*.

Vers. 62. — Et surgens princeps sacerdotum. Non debebat judex surgere, sed sedere, sed non loquitur, tanquàm judex in tribunali sedens, sed tanquàm sacerdos in synagogâ, ubi quisquis aut loquebatur, aut legebat, solebat surgere, ut apparet Lucæ 4, 16.

Nihil respondes. Quid opus responsione erat, cùm testimonium, quod contra Christum afferebatur, ne ipsorum quidem sacerdotum judicio, ut Marcus significat, sufficiens esse videretur? Loquitur ex affectu malus judex, et Christi silentium, ex quo debuit testimonii colligere vanitatem, in culpæ argumentum trahit, quasi Christus ideò taceret, quòd sibi malè esset conscius, et quòd sibi ipsi leve testimonium esse videbatur, acri interrogatione exaggerat, quasi dicat, nihil ne respondes, cùm tam magna tibi crimina objiciantur?

Vers. 63. — Adjuro te per Deum vivum, ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, quod propriè significat Dei nomine, et quasi mandato aliquem aut ad loquendum, aut ad faciendum obstringere; frequens ejus rei apud Judæos usus erat, ut ex sacris Litteris intelligimus.

Si tu es Christus filius Dei. Quemadmodùm vulgò docere soles, quemadmodùm te nonnunquàm appellas : eà enim causâ aliàs voluerant Judæi Christum lapidare, quod se filium Dei esse significâsset, Joannis 10, 31. Non agebatur de eâ re, sed eo consilio pontifex Christum interrogat, an filius Dei sit, quia tunc omnem occasionem quæreret eum condemnandi, solereique Christus docere se filium esse Dei. Credidérat eum in judicio interrogatum non esse negaturum, et non posse meliorem reperiri causam, ut ad mortem damnaretur, quàm si convinceretur aliquando blasphemâsse. Erat autem eorum judicio magna blasphemia, si quis se Dei filium appellâsset, quia non poterat naturalis Dei filius esse, quin Deus esset. Itaque Judæorum etiam judicio Arianorum error confutatur. Lucas 22, 66, narrat hæc ipsa accidisse facto jam die : *Et ut factus*, inquit, *est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et scribæ, et duxerunt illum in concilium suum dicentes : Si tu es Christus, dic nobis*. Quapropter sunt, qui putent diversam esse historiam, bisque Christum de hâc re interrogatum, primùm à pontifice ante mediam noctem, cùm primùm ad illum ductus est, deinde à toto concilio, facto jam die, cùm priùs non satis apertè respondisse videretur, sed tantùm, *tu dixisti*. Augustino, libro 3 de Consensu evangel., cap. 7, magis assentior, qui eamdem historiam esse dicit. Quis enim credat postea iterùm de eâdem re interrogatum fuisse Christum, cùm ante tam disertè respondisset : *Tu dixisti*, et, ut Marcus ait, etiam clariùs : *Ego sum*; et pontifex tam benè intellexerit, ut sciderit vestimenta sua, ac dixerit : *Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam*; ergo quia Matthæus tempus non notavit, Lucas notavit, cùm factus esset dies, credendum est Matth. factum illud per anticipationem narrâsse, idque non sine causâ, quia cœperat Christi examinationes in Judæorum concilio exponere, et ea interrogatio una examinatio fuit, ut deinde continuâ

Vers. 63. — Jesus autem tacebat, nam sciebat sibi profuturam responsionem. Adjuro te. Christus ob Patris reverentiam silentium abrumpit.

etiam oratione tres Petri negationes exponeret. Quòd autem Matthæus à pontifice, Lucas ab omnibus interrogatum fuisse dicit, *dic nobis, si tu es Christus*, et Matthæus adjuratum, quod non dicit Lucas, leve est; nam vel pontifex primùm, deinde omnes, qui in concilio erant, Christum interrogârunt, vel quia pontifex omnium nomine interrogabat, Lucas à toto concilio interrogatum fuisse dicit. Adjurationem autem silentio præteriit, ut solent evangelistæ multa præterire.

Vers. 64. — Tu dixisti. Hanc phrasim supra explicavimus, vers. 25, eâdemque, cap. sequenti, vers. 11, coram Pilato Christus usus est. Marcus, c. 14, 62, clariùs scribit respondisse Christum, *Ego sum*, quia sensus idem est; unde intelligitur non significari, quod August. putat, *Tu dixisti*, id est, non ego, quasi non affirmet se Christum esse. Lucas, cap. 22, 67, aliter Christum respondisse ait : *Si vobis dixero, non credetis mihi, si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.* Vero simile igitur est Christum bis eâ de re interrogatum fuisse; primùm simpliciter, et sine adjuratione, atque tunc respondisse, quod Lucas ait, *si dixero vobis, non credetis.* Deinde adjuratum à pontifice, atque tunc respondisse, quod Matthæus et Marcus scribunt : *Tu dixisti, ego sum*, aut, *quia ego sum*, Hebraicâ phrasi. Utrumque enim dixisse credibile est. Respondet autem non solùm, quantùm interrogatur, sed plus etiam quàm interrogatur, quia de summo rei capite agebatur, an ipse esset Christus Filius Dei, quod nullo modo conveniebat eo loco aut negare, aut dissimulare, sed liberè potiùs profiteri, cùm eâ de causâ in hunc mundum venisset, ut tanquàm Filius Dei pro filiis Adami moreretur. Addit ergo : *Verumtamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* Illud, *verumtamen*, non habet apud Matthæum, cui respondeat, et pro suo officio adversetur, cùm adversativa, ut vocant, particula sit. Itaque videtur mihi adversari verbis, quæ non expressit evangelista, sed intelligenda reliquit; expressit autem Lucas : *Si dixero vobis, non credetis mihi, verumtamen amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli*, quasi dicat, quid opus est ut vobis respondeam, cùm crediturì non sitis? Meliùs est ut rebus, quàm ut verbis fidem vobis faciam; veniet ergo tempus, quo tempore Filium hominis videatis sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli, et velitis nolitis credere cogamini, quod nunc mihi dicenti non creditis, sicut alio loco dixit : *Si mihi non creditis, propter opera ipsa credite*, Joan. 14, 10, 11. Solet enim Christus incredulos Judæos ad resurrectionem suam, et ad diem judicii mittere, ut supra cap. 12, 39, et cap. 16, 4 : *Generatio prava et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ*, et Apoc. 1, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Quod autem dicit à modo, Græcè, ἀπ' ἄρτι, non significat statim post illud tempus, quo loquebatur, eos visuros Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Loquitur enim de die judicii quo die in nubibus cœli venturus est, supra, c. 19, 28, et c. 24, 30, sed significat Judæos non esse visuros se ab eo tempore, id est, à morte suâ, donec videant eum sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli, quasi per negationem dicat, deinceps non videbitis me habitu rei, ut nunc videtis, sed habitu filii Dei sedentem à dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Tacitè igitur primo adventui secundum opponit. At quo modo à dextris virtutis Dei sedentem visuri erant, qui Deum ipsum visuri non erant? nempe visuri erant Christum tantâ cum majestate venientem, ut facilè intelligerent eum in meliore, ut ita dicam, divinitatis parte locatum esse, hoc est, sedere à dextris virtutis Dei, maximè divinitatem ostendere. A dextris autem virtutis Dei, hebraismus est, pro, ad potentem dexteram Dei. Quomodò autem in nubibus cœli venturus sit, c. 19, 28, et c. 24, 30, docuimus.

Vers. 65. — Scidit vestimenta sua. Multarum gentium consuetudo fuit in luctu et indignatione vestem discindere, ut etiam ex Homero et Virgilio manifestum est; Judæi autem duabus potissimùm in rebus vestimenta scindebant : in luctu, ut Gen. 37, 29, 34, et 44, 13, et Num. 14, 6, et Judicum 11, 35, et 1 Regum 4, 12, et 2 Reg. 1, 11, et 13, 19. Deinde cùm aliquam contra Deum blasphemiam audiebant, sicut, 4 Regum 19, 1, rex Ezechias, auditis blasphemiis quas legati Sennacherib contra Deum jactaverant, vestimenta scidisse dicitur; et Thalmudistæ tradunt, ut nonnulli adnotaverunt, in lib. de Magistratibus, tractatu de quadruplici morte Judæorum, traditionem fuisse ut auditâ blasphemiâ vestimenta scinderent. Putabant autem magnum esse blasphemiam quòd Christus se filium Dei profiteretur; itaque clamat pontifex, *blasphemavit*, חרף; contumeliosè et impiè adversùs Deum locutus est; hoc enim et Hebraicum verbum, חרף, et Græcum, βλασφημεῖν, proprièsignificat; facit autem contra juris ordinem summus sacerdos, quòd judex cùm sit, accusatoris partes suscipiat, et accusatores judices faciat.

Vers. 66. — Reus est mortis. Jubebat lex ut qui blasphemâsset, lapidaretur, Levit. 24, 16; propterea et hoc loco reum mortis esse dicunt, et aliàs, cùm se filium Dei appellâsset, voluerunt lapidare, Joann. 10, 31.

Vers. 67. — Tunc exspuerunt in faciem ejus. Istud *tunc* non significat tempus illud quo Christus confessus est se filium Dei esse, et quo Judæi clamaverunt : *Reus est mortis*, sed tempus potiùs præcedens, aut confusè totum tempus illius noctis; constat enim ex Lucâ, c. 22, 66, interrogationem illam pontificis et

Vers. 67. — Exspuerunt in faciem ejus, gravissimum ignominiæ genus, ex Numer., c. 12, v. 14, uritatum.

Christi responsionem factam esse lucente jam die, et hæc quæ nunc Matthæus narrat, facta fuisse de nocte, dùm Christus in domo pontificis vinctus tenebatur, eumque Petrus negabat.

Alii autem palmas in faciem ejus dederunt. Οἱ δὲ ἐβάλλοντες, fustibus, aut hastilibus ceciderunt, vel fortè crepidis, quibus Judæi plurimùm utebantur; *ῥάπις* enim, unde verbum ἐῤῥάπισεν ductum est, et virgam, aut fustem, et crepidam significat, et est vero simile Judæos contumeliæ causâ crepidis faciem Christi cecidisse. Marcus et Lucas scribunt faciem priùs Christo velavisse; Joannes autem, priùs quemdam ex adstantibus alapam illi impegisse, quòd pontifici respondisset : *Quid me interrogas? interroga eos qui me audierunt, quid locutus sim*; quasi parùm reverenter cum pontifice loqueretur : *Sic*, inquit, *respondes pontifici?* Christum autem respondisse : *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis?*

Vers. 68. — Prophetiza nobis. Quia vulgò insignis propheta habebatur, c. 21, 11, 46, et ipse Filium Dei se confessus fuerat, vers. 64, per irrisionem obvelatis oculis eum cædentes interrogant : *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* sicut cùm in cruce penderet, dicebant : *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei*, c. 27, 42.

Vers. 69. — Petrus verò sedebat foris in atrio. Quomodò Petrus in atrium pontificis ingressus fuerit, c. 18, 16, Joannes exponit : *Petrus*, inquit, *stabat ad ostium foris; exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum.* Matthæus tantùm dixerat ingressum fuisse, vers. 58. Quomodò autem nunc dicat eum sedisse foris in atrio, difficile non est; cùm in atrio erat, et intùs erat, et foris : intùs, quia intra ambitum ædium et ultra primam januam; foris, quia non erat in interiori domo, sed in atrio, et sub dio, ubi prædiarii milites, et pontificis, sacerdotum, et seniorum famuli erant.

Et accessit ad eum una ancilla. Joannes declarat ancillam ostiariam fuisse, quæ ostium illi aperuerat. Lucas verò ait ad ignem tunc sedisse, idemque ait Marcus; erat enim ignis accensus in atrio, ut in præsidiis militaribus esse solet, ut omnes circumstare possent, et calefieri. Itaque ex evangelistarum collatione colligitur Petrum à Joanne in atrium pontificis introductum, et ab ancillâ quæ ostium illi aperuerat, recognitum, ad ignem qui in atrio erat, cum aliis accessisse; ancillam verò primùm tacuisse, quia fortassè non satis certa erat an benè Petrum cognovisset;

Vers. 69. — Petrus vero sedebat in atrio. Joannes, cap. 18, v. 25, ait eum stetisse : utrumque verum est : ad ignem, ut fit, modò stans, modò sedens unà cum servis et ministris.

Vers. 70. — Nescio, non intelligo quid dicas : quæ fuit prima negatio. Ancilla ostiaria quæ illum introduxerat, ad lumen eum videns, interrogavit obiter, et quasi aliud agens, ex Lucâ : *Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius?* Quod et postea confirmavit, ex Matthæo et Marco : *Et tu cum Jesu Galilæo eras.* Petrus se eum nosse negavit primò : tum exiit ex atrio, cùm autem sæpè in eum intuita esset, meliùsque agnovisset, accessisse ad eum ad ignem sedentem, dixisseque : *Et tu cum Jesu Galilæo eras.* Vocat Jesum Galilæum ignominiæ causâ, sicut qui iniquo erga eum erant animo solebant appellare, et quia, cùm in Galilæâ plurimùm versaretur, Galilæus fortassè esse credebatur, et quia omnes ferè ejus discipuli Galilæi erant, ut Joann. 7, 41. Sic Julianus Apostata et Christum et Christianos omnes Galilæos appellabat, ut lib. 3 Hist. Eccl., cap. 12, auctor est Socrates. Joannes, c. 18, 17, non scribit ancillam dixisse Petro : *Et tu cum Jesu Galilæo eras;* sed interrogâsse eum : *Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?* Lucas verò, 22, 56 : *Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat.* Itaque credendum est omnia hæc ancillam illam dixisse; primùm dixisse Petro, quasi dubitando : *Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?* ut ait Joan.; deinde affirmando eidem dixisse : *Et tu cum Jesu Galilæo eras*, ut ait Matth.; postremò ad circumstantes conversam dixisse, et hic cum illo erat, ut ait Lucas.

Vers. 70. — At ille negavit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Quod coram omnibus evangelista Petrum negâsse dicit, aut ideò fecit, ut circumstantiam declaret quâ crimen augetur, aut ut historiæ fidem faciat, ne apostolorum principem falsò accusare videatur, quasi omnes qui aderant, pro testibus adducens. Quod autem dicit Petrus, *nescio quid dicis*, secundæ negationis emphasim habet, quasi dicat : Non solùm non sum quem me esse dicis, sed tantùm absum ut sim, ut ne intelligam quidem quid dicas. Sic enim solemnus respondere, cùm ab eo crimine quod nobis objicitur, longissimè nos abesse significamus : Non intelligo quid dicas, nescio quid dicis. Joannes scribit Petrum respondisse : *Non sum*; Lucas : *Non novi illum*; Marcus, *neque scio, neque novi quid dicas*; οὔτε ἐπίσταμαι οὔτε οἶδα, neque novi cum, neque scio quid tu dicas. Credibile est hæc omnia exaggerandi causâ Petrum dixisse. Primùm simpliciter, *non sum*, ut ait Joannes, cùm ancilla quasi dubitando interrogavisset : *Numquid et tu ex discipulis es hominis istius?* ut idem Joannes scribit; deinde cùm ancilla instaret, et diceret affirmanter, quod Matthæus ait, *et tu cum Jesu Galilæo eras*, Petrum respondisse : *Neque novi illum, neque scio quid dicas*, ut Matth., Marcus et Lucas scribunt.

Vers. 71. — Egredienti autem illo januam. Egressum autem eum in vestibulum. Marcus ait : *Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit*; quod ad sententiam non è domo; Marcus : *Ante mulam*, id est, in atrii vestibulum; tumque gallus primùm cantavit circa mediam noctem : nisi fortè post secundam negationem, aut paulò ante gallus cantaverit, nam ex Marco jam Petrus vestibulum domûs ingressus fuerat.

Vers. 71. — Vidit eum alia ancilla; et alius quidam, ex Lucâ : et ait ancilla circum-tantibus : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Quidam verbis ancillæ moti Petrum ad ignem reversum interrogaverunt : *Numquid tu ex discipulis ejus es?* ex Joanne, cùm urgeretur Petrus.

idem est; nam vestibulum ante atrium erat, sicut in amplis ædibus esse solet; et notavit Marcus gallum statim cantâsse, quia solus dixerat : *Antequàm gallus vocem bis dederit, ter me negaturus es;* unde colligitur citeriùs mediam fuisse noctem; eo enim tempore galli primùm cantare solent. Joannes verò hanc secundam Petri negationem factam fuisse dicit, cùm Petrus ad ignem calefaceret se. Unde colligimus Petrum, simul atque Christum primùm negavisset, quia fortassè à circumstantibus vexabatur, quasi Christi discipulus esset, aut quâ aliâ causâ, ab atrio in vestibulum exiisse, deinde, ut rem dissimularet, ne fuga, quod sibi objiciebatur, confiteri videretur, ad ignem rediisse, et, ut ait Lucas, *post pusillum*, id est, non longo interjecto temporis spatio, iterùm negavisse. Illud autem *pusillum*, quod Lucas ait, necesse est tres, ut minimùm, horas intelligamus, quia idem Lucas scribit inter secundam et tertiam negationem spatium fuisse quasi horæ unius, et omnes evangelistæ dicunt statim post tertiam negationem gallum cantâsse; unde colligimus tertiam negationem factam fuisse circiter horam quartam matutinam, id est, paulò ante auroram, quo tempore gallus cantare solet; erat enim æquinoctium; quare à mediâ nocte, quo tempore Petrus primùm negaverat, usque ad ortum solis sex fuerunt horæ; itaque secundum galli cantum vero simile est incidisse in horam quartam matutinam; et cùm inter secundam et tertiam negationem fuerit una hora, sequatur secundam negationem accidisse circiter horam tertiam, ac proinde tres ferè horas inter primam et secundam negationem intercessisse. Ea Joanne etiam colligimus quomodò participium ἐτάθησαν, quo Matthæus utitur, interpretari debeamus, nimirùm postquàm exiisset, ut subintelligatur, quod ait Joannes, et ad ignem rediisset; cùm enim exiret in vestibulum, vidit eum alia ancilla et recognovit; sicut cùm in atrium ingrederetur, ostiaria viderat, atque cognoverat. Ea ergo ancilla quæ exeuntem viderat, cùm jam Petrus ad ignem rediisset, accessit, et dixit iis qui ibi erant : *Et hic erat cum Jesu Nazareno*, ut ait Matth. Lucas non dicit ancillam fuisse, sed potiùs indicat fuisse virum : *Et post pusillum*, inquit, *alius videns eum dixit : Et tu de illis es.* Marcus verò ita loquitur, quasi eamdem ancillam quæ ante Petrum interrogaverat, fuisse indicet : *Rursum autem cum vidisset eum ancilla, cœpit dicere circumstantibus.* Joannes autem scribit multos fuisse qui in hac secundâ negatione Petrum interrogârunt : *Dixerunt ergo ei, numquid et tu ex discipulis ejus es?* Quos evangelistarum sententias cùm conciliare non possent, quidam in eum errorem (sic enim audacter appello) inciderunt ut Petrum sæpiùs quàm ter Christum negâsse dicerent, et nonnulli quidem septies. Satius erat ignorantiam confiteri suam, quàm et Petro, et quatuor evangelistis, et Christo etiam ipsi facere injuriam. Nam et Christus non quater, non quinquies, non septies, sed ter tantùm Petrum negaturum prædixerat, dicturus utique negaturum sæpiùs, si sæpiùs fuisset negaturus; cùm, ut eo loco docuimus, maximè verò fuerit Petro inconstantiam et metum exaggerare; præterea enim dixit, ut Marcus scribit, c. 14, v. 30 : *Priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus;* et omnes evangelistæ tres Petri negationes exposuerunt, plures nemo; quod mirandum profectò esset, si sæpiùs quàm ter Petrus negavisset. Rursùs omnes evangelistæ notaverunt post tertiam negationem gallum cantâsse, et quasi negandi finem fecisse. Petrum enim galli admonitum voce verba Domini recordatum, et culpam suam, cùm foras exiisset, lacrymis abluisse; et Petri crimen augere nostrum non est; hæretici, ut solent, angent, qui et Petro, et ejus successoribus infenso animo sunt. Magis miror tam levibus conjecturis in re tam gravi, et contra evangelistarum, et contra Christi testimonium hos auctores à receptâ omnibus seculis per totam Ecclesiam sententiâ discessisse; prima est, quòd Joannes primam negationem in domo Annæ contigisse scribere videatur; alii autem evangelistæ tres præterea negationes in domo Caiphæ factas fuisse narrent. Jam enim docuimus, vers. 57, negationem illam primam, de quâ Joannes scribit, et cætera quæ eodem loco narrat, non in Annæ, sed in Caiphæ domo accidisse. Secunda, quòd videatur Marcus scribere Petrum ab eâdem rursùs ancillâ interrogatum, iterùm negavisse, ut paulò ante indicavimus, quod si ita est, cùm Matthæus aperte dicat aliam ancillam fuisse, diversæ fuerunt negationes. Sed Marcus non dicit eamdem ancillam fuisse, nec verò significat; nam cùm dicit ἡ παιδίσκη, articulus ille ἡ non sumitur relativè, quasi ad ancillam ostiariam, de quâ ante locutus fuerat, referatur; et cùm dicit πάλιν, *iterùm*, non significat ab eâdem iterùm ancillâ interrogatum fuisse Petrum, sed ab ancillâ quadam, scilicet aliâ, iterùm interrogatum, sicut ab alterâ priùs interrogatus fuerat, quemadmodùm disertis verbis Matthæus scribit. Tertia verò conjectura nihilo firmior est, quòd Lucas videatur dicere non ab ancillâ, sed à viro quopiam Petrum interrogatum negavisse : cùm enim dicit : *Alius videns eum dixit : Et tu de illis es*, non significat distinctè fuisse virum, sed fuisse alium hominem, sicut Petrus vocat, vers. sequenti : *Homo, nescio quid dicis;* cùm ergo Lucas aut nesciret, aut exprimere nollet, utrùm vir, an fœmina fuisset, qui Petrum secundò interrogâsset, dixit communiter alium quemdam interrogâsse, nimirùm hominem, qui et de viro, et de fœminâ communiter dicitur. Utrùm autem vir, an fœmina fuerit, ex Matthæo et Marco colligendum erat, qui nominatim dicunt ancillam quamdam fuisse. Quarta eorum conjectura est, quam superiùs attigimus, quòd Joannes, secundam Petri negationem exponens, à multis interrogatum fuisse dicat, num et ipse ex discipulis Christi esset. Itaque, cùm præter tres illas negationes, quas Matthæus explicavit, quatuor aliæ apud alios evangelistas sibi reperire videantur, unam apud Joannem in domo Annæ, alteram apud eumdem Joannem, cùm Petrus à multis interrogaretur, tertiam apud Marcum, cùm ab eâdem interrogaretur ancillâ, quartam apud Lucam, cùm à viro quodam, septem fuisse colligunt. Alias tres refutavimus; superest illa

quam ex Joanne secundo loco colligunt, quæ multò minori negotio refutari potest. Primùm Joannes non dicit multos fuisse qui Petrum interrogârunt; tantùm dicit : *Dixerunt ergo ei*, id est, dicum est ei. Hebraismus enim est, quo soleat Hebræi verbum impersonale passivum per tertiam personam pluralem exprimere sine supposito, ut *amant*, id est, amatur; quod quamvis ab uno tantùm fiat, verum est, sicut in quibusdam verbis Latini etiam faciunt, *perhibent, ferunt, dicunt*, pro perhibetur, fertur, dicitur. Ergo quamvis una tantùm ancilla Petro dixisset : *Numquid et tu ex discipulis ejus es?* verè potuit Joannes scribere, *dixerunt ergo ei*. Deinde credibile est primùm ancillam cœpisse dicere : *Numquid et tu ex discipulis ejus es?* deinde eos qui aderant, sermonem prosecutos, sed non propterea putandum est diversas fuisse negationes.

Et hic erat cum Jesu Nazareno. Marcus ait ancillam dixisse circumstantibus : *Hic ex illis est*, Lucas verò : *Et tu de illis es;* Joannes autem : *Numquid et tu ex discipulis ejus es?* Omnia ancillam dixisse credendum est. Primùm : *Numquid et tu ex discipulis ejus es?* ut ait Joannes; et cùm Petrus negâsset, affirmanter addidisse : *Et tu de illis es*, ut ait Lucas; deinde ad eos, qui aderant, conversam dixisse : *Et hic de illis est*, ut ait Marcus; *nam cum Jesu Nazareno erat*, ut ait Matthæus.

Vers. 72. — Et iterum negavit cum juramento. Anget Petrus crimen. Primùm enim non juraverat, sed negaverat : nunc et negat, et jurat. Lucas scribit dixisse : *O homo, non sum;* Joan. autem : *Non sum*, quale credibile est priùs simpliciter dixisse : *Non sum*, ut ait Joannes, deinde cùm aut ancilla, aut ii qui aderant, instarent, addidisse, quod ait Lucas : *O homo, non sum;* postremò, cùm adhuc urgerent dixisse : *Non novi hominem*, ut ait Matthæus.

Vers. 73. — Et post pusillum. Post unius horæ spatium, ut Lucas exponit.

Accesserunt qui stabant. Sic etiam Marcus dicit. Lucas verò : *Alius quidam affirmabat dicens : Verè hic cum illo erat.* Joann. declarat fuisse cognatum ejus cujus Petrus auriculam absciderat, qui affirmaret se Petrum in horto cum Christo vidisse. Credendum est cognato illo servo pontificis incipiente alios secutos fuisse.

Nam et loquela tua manifestum te facit. Marcus et Lucas : *Nam et Galilæus est.* Quomodò Galilæi, cùm Hebræo sermone uterentur, ex linguâ cognosci potuerint Hieronym. his verbis exponit : *Quod unumquæque provincia et regio habeat proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum vitare non possit;* sicut videmus Ephraimæos non potuisse aliorum Hebræorum more *schibboleth* pronuntiare, sed pro *schibboleth* dixisse *sibboleth*, quod multis causa fuit mortis. Judicum 12, 6; et sicut in Gallià videmus, cùm omnes provinciæ Gallicè loquantur, Aquitanos, Arvernos, Neustrios à Parisiis facillimè dignosci.

Vers. 74. — Tunc cœpit detestari, ἀναθεματίζειν, exsecrari, quod vel ad Christum, vel ad ipsum Petrum referri potest, ut aut Christum, aut se ipsum exsecratus fuerit; sed quia neutrum constat, malo rem dubiam in meliorem partem interpretari, credereque Petrum se ipsum exsecratum, id est, diris, ut Latini loquuntur, devovisse, quod species exsecrabilis juramenti est; qualis illa, quâ malè assueti Galli utuntur : *Le Diable m'emporte, si je le connais.*

Et jurare, quia non novisset hominem. Crevit semper cum tentatione culpa. In primâ negatione primùm dixerat : *Non sum*, deinde : *Non novi illum*, postremò : *Nescio quid dicas.* In secundâ adhibuit juramentum. In tertiâ, exercrationem, eamque vero simile est sæpè ingeminâsse, hanc enim vim habere videtur verbum illud *cœpit detestari*, quasi sæpè, et multis modis exsecratus fuerit, sicut Galli dicunt de homine, qui sæpè, et multis modis jurat : *Il a commencé à jurer.* Marcus etiam scribit Petrum exsecratione usum fuisse; Lucas et Joannes simpliciter dicunt eum negavisse, hanc circumstantiam omittentes.

Et continuo gallus cantavit. Lucas, *adhuc eo loquente gallus cantavit*, quæ temporis circumstantia tam diligenter expressa eò pertinet, ut appareat Christi prædictionem veram fuisse, *antequàm gallus cantet, ter me negabis*, vers. 34. Omnes evangelistæ notaverunt eodem modo eamdem circumstantiam, sed Lucas magis expressit.

Vers. 75. — Et recordatus est Petrus verbi Jesu. Mirum, cur ante recordatus non fuerit, cùm ante ad mediam noctem post primam negationem gallus cantâsset; fortasse galli vocem non audiverat, aut quia semel tantùm cantaverat, sperabat se non iterum negaturum, aut, quod omnium verissimum est, non solo galli cantu, sed multò maximè Christi respectu admonitus est, ut significat Lucas, c. 22, 61 : *Et conversus Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini.* Ita Chrysost. in hunc locum, et Ambrosius, lib. 10 Comment. in Lucam : *Denique, quos Jesus respicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus, et non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundò, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit tertiò, et respexit Jesus, et ille amarissimè flevit.* Et Leo, sermone 3 de Passione Domini : *Respexit ergo Dominus Petrum, et inter columnias sacerdotum, inter salutiferos testium, inter cædentium et conspuentium injurias constantus, illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum præviderat esse turbandum, et in illis conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis faciendæ correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret, ac diceret : Quid habes, Petre? quid in tuam conscientiam recedis? ad me convertere, in me confide, me sequere, meæ passionis hoc tempus est, nondum*

Vers. 74, — Detestari, Gr. : *Mala imprecari*, mendacio adjiciens perjurium.

Vers. 75. — Jesus respexit Petrum, cor ejus ad pœnitentiam movendo.

Vers. 73.—Alius affirmabat eum cum Jesu verè fuisse : Lucæ 22, 59, alii qui itidem adstabant, id ipsum ex ejus loquelâ confirmabant, et cognatus Malchi inprimis, ut refert Joannes, is tamen ignorabat casum fuisse à Petro cognatum, id enim illi objecisset.

tui venit hora supplicii. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas quam recepi : ego de tuo fui trepidus ; tu de meo esto securus. Tria in his Petri negationibus observanda sunt. Primùm, non contigisse post ea omnia, quæ Matthæus narravit, antequàm de illis dicere aggrederetur, cùm una pars eorum, quæ ante dixit, acciderit orto jam die, ut quod Christus à pontifice rogatus fuerit, utrùm ipse esset Christus, ut constat ex Lucâ 22, 66, cùm manifestum sit tres Petri negationes diversissimis ejus noctis horis accidisse; Matthæus ergo, et Marcus, quia narrare cœperant, quæ erga Christum eâ nocte facta fuerant, eam totam historiam priùs absolvere voluerunt, quam Petri negationes inciperent recitare, ideòque negationes Petri simul ultimo loco posuerunt. Lucas è diverso, quia de primâ Petri negatione dicere cœperat, omnes simul explicare voluit, priusquàm narraret, quæ Christo facta essent ; solus Joannes negationes Petri cum historiâ Christi permiscuit. Secundo loco cavendus vulgaris error est eorum, qui putant fidem Petrum perdidisse ; nec enim fidem perdidit, sed negavit, quod aliud esse theologi dicunt, quemadmodùm et Prudentius ait in libro Cathemerin. :

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.

Tertio loco altera huic oppositæ sententiæ fugienda est, multos licèt, et bonos auctores habeat, Petrum, cùm Christum negavit, aut non peccâsse, aut certè mentitum non fuisse, sed salvâ veritate ambiguè locutum, ut Hilarius et Ambrosius scribunt. Nec enim, inquiunt, mentiebatur, qui eum hominem se nôsse negabat, quem Deum cognoscebat, quos, ut opinor, auctores his verbis Hieronymus notat : *Scio, quosdam pio affectu erga apostolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negâsse, sed hominem, et esse sensum : nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm frivolum sit, prudens lector intelligit ; sic defendunt apostolum, ut Deum mendacii reum faciunt. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat : Amen dico tibi, quia hâc nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Cerne, quid dicat, me negabis, non hominem.* Quanquàm possumus Hilarium et Ambrosium ab errore benignâ interpretatione liberare, ut non negent et negavisse, et peccâsse, et mentitum fuisse Petrum, sed tantùm ita locutum dicant, ut ex verbis ejus aliquis verus sensus elici posset, quia dixerat *non novi hominem*, quod interpretari possemus, non novi tanquàm solum hominem, sed tanquàm Deum.

Et egressus foras flevit amare. Non potuit, ut aiunt Hieronymus et Beda, in atrio pontificis agere pœnitentiam, foras illi egrediendum fuit. Fecisset constantiùs et fortiùs, si quo loco peccaverat eodem pœnitentiam egisset, et coram quibus Christum se nôsse negaverat, coram eisdem confessus fuisset ; ut negationis damnum repararet. Sed ita naturâ comparatum est, ut ibi pudeat agere pœnitentiam, ubi peccare non puduit. Quanquàm Petrus non tam infirmitate fortasse, quàm Christi verecundiâ egressus est foras, quòd ejus conspectum, quem negaverat, sustinere non posset. Quòcumque tandem ratione egressus sit, magnum pœnitentiæ præbuit exemplum, rectèque de illo, libro 10 Comment. in Lucam, scribit Ambros. : *Etiam lapsus sanctorum utilis est. Nihil mihi nocuit quòd negavit Petrus ; profuit, quòd emendavit. Didici cavere colloquia perfidorum. Petrus inter Judæos negavit. Salomon contubernio gentili deceptus erravit. Flevit igitur amarè Petrus, ut lacrymis culpam ablueret ;* et, ut Clemens Romanus scripsit, tam altè in ejus animo ejus delicti dolor sedit, ut toto vitæ suæ tempore, quoties gallum cantantem audiret, procidens in genua lacrymas funderet, et peccati sui peteret veniam. Tenere non possum me, quin insignem novorum hæreticorum impudentiam traducam, qui ut probent nullam in nobis esse pro peccatis satisfactionem, Ambrosii in 22 cap. Lucæ verbo proferunt : *Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ;* quod testimonium ne Calvinum quidem, qui omnium doctissimus videri voluit, citare puduit. Recitabo totum Ambrosii locum, ut istorum impudentiam, et malignitatem lector perspiciat. *Petrus*, inquit, *doluit, et flevit, quia erravit, ut homo. Non invenio, quid dixerit, invenio quòd flevit ; lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego, sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, et veniæ fletus consulunt, et verecundæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur ; lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur ; lacrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inveni cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, quàm petendum. Bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam.* Quibus verbis clariùs potuit Ambrosius dicere Petrum pro peccato satisfecisse, quàm, *lavant lacrymæ delictum?* quàm, *lacrymæ veniam non postulant, sed merentur?* quàm, *bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam?* Ergo cùm dicit : *Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ;* satisfactionem, excusationem et purgationem appellat ; et, ut vulgò loquuntur, sui ipsius justificationem. Significat igitur Petrum non excusâsse culpam, sed flevisse. Hoc est, quod sit : *Non invenio quid dixit, invenio quòd flevit.* Sed isti boni theologi, qui aut nihil, aut solam grammaticam sciunt, ne grammaticam quidem apud D. Ambrosium intellexerunt.

CAPUT XXVII.

1. Manè autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversùs Jesum, ut eum morti traderent.

CHAPITRE XXVII.

1. Le matin étant venu, tous les princes des prêtres et les sénateurs du peuple tinrent conseil contre Jésus, pour le faire mourir.

2. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus,

4. Dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos? tu videris.

5. Et projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit.

6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israël :

10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

11. Jesus autem stetit ante præsidem : et interrogavit eum præses, dicens : Tu es rex Judæorum? Dicit illi Jesus : Tu dicis.

12. Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia?

14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.

15. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?

18. Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum.

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum hodiè per visum propter eum.

20. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.

21. Respondens autem præses, ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barabbam.

22. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu qui dicitur Christus?

23. Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur.

24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret : acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum à sanguine justi hujus : vos videritis

2. Et l'ayant lié, ils l'emmenèrent et le mirent entre les mains de Ponce Pilate, gouverneur.

3. Cependant Judas qui l'avait livré, voyant qu'il était condamné, fut touché de repentir, et reporta aux princes des prêtres et aux sénateurs les trente pièces d'argent,

4. Disant : J'ai péché, en livrant le sang innocent. Mais ils lui répondirent : Que nous importe? c'est votre affaire.

5. Alors Judas ayant jeté cet argent dans le temple, se retira, et s'en allant il se pendit.

6. Mais les princes des prêtres, ayant pris l'argent, dirent : Il n'est pas permis de le mettre dans le trésor, parce que c'est le prix du sang.

7. Et ayant délibéré, ils en achetèrent le champ d'un potier, pour la sépulture des étrangers.

8. C'est pourquoi ce champ est appelé encore aujourd'hui Haceldama, c'est-à-dire, le Champ du sang.

9. Alors fut accomplie cette parole du prophète Jérémie : Ils ont reçu les trente pièces d'argent qui étaient le prix de celui qui avait été mis à prix, et dont ils avaient fait le marché avec les enfants d'Israel ;

10. Et ils les ont employées à l'achat du champ d'un potier, comme le Seigneur me l'a ordonné.

11. Or, Jésus parut devant le gouverneur ; et le gouverneur l'interrogea, disant : Etes-vous le roi des Juifs? Jésus lui répondit : Vous le dites.

12. Et étant accusé par les princes des prêtres et les sénateurs, il ne répondit rien.

13. Alors Pilate, lui dit : N'entendez-vous pas de combien de choses ces personnes vous accusent?

14. Mais il ne lui répondit rien à tout ce qu'il put lui dire ; de sorte que le gouverneur en était tout étonné.

15. Or, le gouverneur avait coutume, au jour de la fête, de délivrer au peuple celui des prisonniers qu'il voulait.

16. Et il y en avait alors un fameux, nommé Barabbas.

17. Comme ils étaient donc tous assemblés, Pilate leur dit : Lequel voulez-vous que je vous délivre, de Barabbas, ou de Jésus qui est appelé Christ?

18. Car il savait bien que c'était par envie qu'ils l'avaient livré.

19. Or, lorsqu'il était assis sur son tribunal, sa femme lui envoya dire : Qu'il n'y ait rien entre vous et ce juste, car j'ai été aujourd'hui étrangement tourmentée dans un songe à cause de lui.

20. Mais les princes des prêtres et les sénateurs persuadèrent au peuple de demander Barabbas, et de faire périr Jésus.

21. Alors le gouverneur, reprenant la parole, leur dit : Lequel des deux voulez-vous que je vous délivre? Mais ils répondirent : Barabbas.

22. Pilate leur repartit : Que ferai je donc de Jésus qui est appelé Christ?

23. Ils répondirent tous : Qu'il soit crucifié. Le gouverneur leur répliqua : Mais quel mal a-t-il fait? Et ils se mirent à crier encore plus fort : Qu'il soit crucifié.

24. Pilate voyant qu'il ne gagnait rien, mais que le tumulte croissait de plus en plus, se fit apporter de l'eau ; et lavant ses mains devant le peuple, il leur dit : Je suis innocent du sang de ce juste ; c'est votre affaire.

tui venit hora supplicii. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas quam recepi : ego de tuo fui trepidus ; tu de meo esto securus. Tria in his Petri negationibus observanda sunt. Primùm, non contigisse post ea omnia, quæ Matthæus narravit, antequàm de illis dicere aggrederetur, cùm una pars eorum, quæ ante dixit, acciderit orto jam die, ut quod Christus à pontifice rogatus fuerit, utrùm ipse esset Christus, ut constat ex Lucâ 22, 66, cùm manifestum sit tres Petri negationes diversissimis ejus noctis horis accidisse; Matthæus ergo, et Marcus, quia narrare cœperant, quæ erga Christum eâ nocte facta fuerant, eam totam historiam priùs absolvere voluerunt, quam Petri negationes inciperent recitare, ideòque negationes Petri simul ultimo loco posuerunt. Lucas è diverso, quia de primâ Petri negatione dicere cœperat, omnes simul explicare voluit, priusquàm narraret, quæ Christo facta essent ; solus Joannes negationes Petri cum historiâ Christi permiscuit. Secundo loco cavendus vulgaris error est eorum, qui putant fidem Petrum perdidisse ; nec enim fidem perdidit, sed negavit, quod aliud esse theologi dicunt, quemadmodùm et Prudentius ait in libro Cathemerin. :

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem.

Tertio loco altera huic oppositæ sententiæ fugienda est, multos licèt, et bonos auctores habeat, Petrum, cùm Christum negavit, aut non peccâsse, aut certè mentitum non fuisse, sed salvâ veritate ambiguè locutum, ut Hilarius et Ambrosius scribunt. Nec enim, inquiunt, mentiebatur, qui eum hominem se nôsse negabat, quem Deum cognoscebat, quos, ut opinor, auctores his verbis Hieronymus notat : *Scio, quosdam pio affectu erga apostolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negâsse, sed hominem, et esse sensum : nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm frivolum sit, prudens lector intelligit ; sic defendunt apostolum, ut Deum mendacii reum faciunt. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat : Amen dico tibi, quia hâc nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Cerne, quid dicat, me negabis, non hominem.* Quanquàm possumus Hilarium et Ambrosium ab errore benignâ interpretatione liberare, ut non negent et negavisse, et peccâsse, et mentitum fuisse Petrum, sed tantùm ita locutum dicant, ut ex verbis ejus aliquis verus sensus elici posset, quia dixerat *non novi hominem*, quod interpretari possemus, non novi tanquàm solum hominem, sed tanquàm Deum.

Et egressus foras flevit amare. Non potuit, ut aiunt Hieronymus et Beda, in atrio pontificis agere pœnitentiam, foras illi egrediendum fuit. Fecisset constantiùs et fortiùs, si quo loco peccaverat eodem pœnitentiam egisset, et coram quibus Christum se nôsse negaverat, coram eisdem confessus fuisset ; ut negationis damnum repararet. Sed ita naturâ comparatum est, ut ibi pudeat agere pœnitentiam, ubi peccare non puduit. Quanquàm Petrus non tam infirmitate fortasse, quàm Christi verecundiâ egressus est foras, quòd ejus conspectum, quem negaverat, sustinere non posset. Quòcumque tandem ratione egressus sit, magnum pœnitentiæ præbuit exemplum, rectèque de illo, libro 10 Comment. in Lucam, scribit Ambros. : *Etiam lapsus sanctorum utilis est. Nihil mihi nocuit quòd negavit Petrus ; profuit, quòd emendavit. Didici cavere colloquia perfidorum. Petrus inter Judæos negavit. Salomon contubernio gentili deceptus erravit. Flevit igitur amarè Petrus, ut lacrymis culpam ablueret ;* et, ut Clemens Romanus scripsit, tam altè in ejus animo ejus delicti dolor sedit, ut toto vitæ suæ tempore, quoties gallum cantantem audiret, procidens in genua lacrymas funderet, et peccati sui peteret veniam. Tenere non possum me, quin insignem novorum hæreticorum impudentiam traducam, qui ut probent nullam in nobis esse pro peccatis satisfactionem, Ambrosii in 22 cap. Lucæ verbo proferunt : *Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ;* quod testimonium ne Calvinum quidem, qui omnium doctissimus videri voluit, citare puduit. Recitabo totum Ambrosii locum, ut istorum impudentiam, et malignitatem lector perspiciat. *Petrus*, inquit, *doluit, et flevit, quia erravit, ut homo. Non invenio, quid dixerit, invenio quòd flevit ; lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego, sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, et veniæ fletus consulunt, et verecundæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur ; lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur ; lacrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inveni cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, quàm petendum. Bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam.* Quibus verbis clariùs potuit Ambrosius dicere Petrum pro peccato satisfecisse, quàm, *lavant lacrymæ delictum?* quàm, *lacrymæ veniam non postulant, sed merentur?* quàm, *bonæ lacrymæ, quæ lavant culpam?* Ergo cùm dicit : *Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego ;* satisfactionem, excusationem et purgationem appellat ; et, ut vulgò loquuntur, sui ipsius justificationem. Significat igitur Petrum non excusâsse culpam, sed flevisse. Hoc est, quod sit : *Non invenio quid dixit, invenio quòd flevit.* Sed isti boni theologi, qui aut nihil, aut solam grammaticam sciunt, ne grammaticam quidem apud D. Ambrosium intellexerunt.

CAPUT XXVII.

1. Manè autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversùs Jesum, ut eum morti traderent.

CHAPITRE XXVII.

1. Le matin étant venu, tous les princes des prêtres et les sénateurs du peuple tinrent conseil contre Jésus, pour le faire mourir.

2. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus,

4. Dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos? tu videris.

5. Et projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit.

6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, Ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israël :

10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

11. Jesus autem stetit ante præsidem : et interrogavit eum præses, dicens : Tu es rex Judæorum? Dicit illi Jesus : Tu dicis.

12. Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit.

13. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia?

14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.

15. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?

18. Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum.

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum hodiè per visum propter eum.

20. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.

21. Respondens autem præses, ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barabbam.

22. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu qui dicitur Christus?

23. Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur.

24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret : acceptâ aquâ, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum à sanguine justi hujus : vos videritis

2. Et l'ayant lié, ils l'emmenèrent et le mirent entre les mains de Ponce Pilate, gouverneur.

3. Cependant Judas qui l'avait livré, voyant qu'il était condamné, fut touché de repentir, et reporta aux princes des prêtres et aux sénateurs les trente pièces d'argent,

4. Disant : J'ai péché, en livrant le sang innocent. Mais ils lui répondirent : Que nous importe? c'est votre affaire.

5. Alors Judas ayant jeté cet argent dans le temple, se retira, et s'en allant il se pendit.

6. Mais les princes des prêtres, ayant pris l'argent, dirent : Il n'est pas permis de le mettre dans le trésor, parce que c'est le prix du sang.

7. Et ayant délibéré, ils en achetèrent le champ d'un potier, pour la sépulture des étrangers.

8. C'est pourquoi ce champ est appelé encore aujourd'hui Haceldama, c'est-à-dire, le Champ du sang.

9. Alors fut accomplie cette parole du prophète Jérémie : Ils ont reçu les trente pièces d'argent qui étaient le prix de celui qui avait été mis à prix, et dont ils avaient fait le marché avec les enfants d'Israel ;

10. Et ils les ont employées à l'achat du champ d'un potier, comme le Seigneur me l'a ordonné.

11. Or, Jésus parut devant le gouverneur ; et le gouverneur l'interrogea, disant : Etes-vous le roi des Juifs? Jésus lui répondit : Vous le dites.

12. Et étant accusé par les princes des prêtres et les sénateurs, il ne répondit rien.

13. Alors Pilate, lui dit : N'entendez-vous pas de combien de choses ces personnes vous accusent?

14. Mais il ne lui répondit rien à tout ce qu'il put lui dire ; de sorte que le gouverneur en était tout étonné.

15. Or, le gouverneur avait coutume, au jour de la fête, de délivrer au peuple celui des prisonniers qu'il voulait.

16. Et il y en avait alors un fameux, nommé Barabbas.

17. Comme ils étaient donc tous assemblés, Pilate leur dit : Lequel voulez-vous que je vous délivre, de Barabbas, ou de Jésus qui est appelé Christ?

18. Car il savait bien que c'était par envie qu'ils l'avaient livré.

19. Or, lorsqu'il était assis sur son tribunal, sa femme lui envoya dire : Qu'il n'y ait rien entre vous et ce juste, car j'ai été aujourd'hui étrangement tourmentée dans un songe à cause de lui.

20. Mais les princes des prêtres et les sénateurs persuadèrent au peuple de demander Barabbas, et de faire périr Jésus.

21. Alors le gouverneur, reprenant la parole, leur dit : Lequel des deux voulez-vous que je vous délivre? Mais ils répondirent : Barabbas.

22. Pilate leur repartit : Que ferai je donc de Jésus qui est appelé Christ?

23. Ils répondirent tous : Qu'il soit crucifié. Le gouverneur leur répliqua : Mais quel mal a-t-il fait? Et ils se mirent à crier encore plus fort : Qu'il soit crucifié.

24. Pilate voyant qu'il ne gagnait rien, mais que le tumulte croissait de plus en plus, se fit apporter de l'eau ; et lavant ses mains devant le peuple, il leur dit : Je suis innocent du sang de ce juste ; c'est votre affaire.

25. Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

26. Tunc dimisit illis Barabbam : Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

27. Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.

28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.

29. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dexterâ ejus : et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum.

30. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

31. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum, ut crucifigerent.

32. Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem : hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.

33. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.

34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cùm gustâsset, noluit bibere.

35. Postquàm autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes : ut impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

36. Et sedentes, servabant eum.

37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones ; unus à dextris, et unus à sinistris.

39. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua,

40. Et dicentes : Vah ! qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce.

41. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus, dicebant :

42. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.

43. Confidit in Deo : liberet nunc, si vult eum : dixit enim : Quia Filius Dei sum.

44. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

45. A sextâ autem horâ, tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

46. Et circa horam nonam, clamavit Jesus voce magnâ, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani ? hoc est : Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me ?

47. Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant : Eliam vocat iste.

48. Et continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere

25. Et tout le peuple répondant, dit : Que son sang soit sur nous et sur nos enfants.

26. Alors il leur délivra Barabbas ; et ayant fait fouetter Jésus, il le leur abandonna pour être crucifié.

27. Les soldats du gouverneur ayant emmené Jésus dans le prétoire, rassemblèrent autour de lui toute la cohorte.

28. Et après lui avoir ôté ses habits, ils le couvrirent d'un manteau d'écarlate.

29. Et entrelaçant une couronne d'épines, ils la lui mirent sur la tête, avec un roseau en la main droite ; et fléchissant le genou devant lui, ils le raillaient, disant : Salut, roi des Juifs.

30. Et lui crachant au visage, ils prenaient le roseau, et ils lui en frappaient la tête.

31. Après s'être joués de lui, ils lui ôtèrent le manteau ; et lui ayant remis ses habits, ils l'emmenèrent pour le crucifier.

32. Or, comme ils sortaient, ils rencontrèrent un homme de Cyrène nommé Simon, qu'ils contraignirent de porter la croix de Jésus.

33. Et étant arrivés au lieu appelé Golgotha, c'est-à-dire le lieu du Calvaire,

34. Ils lui donnèrent à boire du vin mêlé de fiel. Mais en ayant goûté, il ne voulut point en boire.

35. Après qu'ils l'eurent crucifié, ils partagèrent entre eux ses vêtements, les jetant au sort, afin que cette parole du prophète fût accomplie : Ils ont partagé entre eux mes vêtements, et ils ont jeté ma robe au sort.

36. Et s'étant assis, ils le gardaient.

37. Ils mirent aussi au-dessus de sa tête la cause écrite de sa condamnation : CELUI-CI EST JÉSUS, LE ROI DES JUIFS.

38. Alors on crucifia avec lui deux voleurs, l'un à sa droite et l'autre à sa gauche.

39. Et ceux qui passaient par là, le blasphémaient, en branlant la tête,

40. Et disant : toi qui détruis le temple de Dieu, et qui le rebâtis en trois jours, que ne te sauves-tu toi-même ? Si tu es le Fils de Dieu, descends de la croix.

41. Les princes des prêtres se moquaient aussi de lui, avec les scribes et les sénateurs, en disant :

42. Il a sauvé les autres, et il ne saurait se sauver lui-même. S'il est le roi d'Israël, qu'il descende présentement de la croix, et nous croirons en lui.

43. Il met sa confiance en Dieu ; si donc Dieu l'aime, qu'il le délivre maintenant ; car il a dit : Je suis le Fils de Dieu.

44. Les voleurs qui étaient crucifiés avec lui, lui faisaient les mêmes reproches.

45. Or, depuis la sixième heure du jour jusqu'à la neuvième, toute la terre fut couverte de ténèbres.

46. Et sur la neuvième heure, Jésus jeta un grand cri, disant : Eli, Eli, lamma sabacthani ? c'est-à-dire, Mon Dieu, mon Dieu, pourquoi m'avez-vous abandonné ?

47. Quelques-uns de ceux qui étaient présents, entendant cela, disaient : il appelle Elie.

48. Et aussitôt l'un d'eux courut emplir une éponge de vinaigre ; et l'ayant mise au bout d'un roseau, il lui présenta à boire.

49. Ceteri verò dicebant : Sine, videamus an veniat liberans eum.

50. Jesus autem iterùm clamans voce magnâ, emisit spiritum.

51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsùm, et terra mota est, et petræ scissæ sunt,

52. Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

54. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræ motu, et his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes : Verè Filius Dei erat iste.

55. Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant Jesum à Galilæâ, ministrantes ei :

56. Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.

57. Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæâ, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu.

58. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone mundâ.

60. Et posuit illud in monumento suo novo, quod excederat in petrâ ; et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum.

62. Alterâ autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et pharisæi ad Pilatum.

63. Dicentes : Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.

64. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit à mortuis : et erit novissimus error pejor priore.

65. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam : ite, custodite sicut scitis.

66. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus.

49. Les autres disaient : Attendez, voyons si Elie viendra le délivrer.

50. Mais Jésus jetant encore un grand cri, rendit l'esprit.

51. Et voici que le voile du temple se déchira en deux, depuis le haut jusqu'en bas ; la terre trembla, les pierres se fendirent,

52. Les sépulcres s'ouvrirent ; et plusieurs corps des saints qui étaient dans le sommeil ressuscitèrent ;

53. Et sortant de leurs tombeaux après sa résurrection, ils vinrent en la ville sainte, et furent vus de plusieurs.

54. Le centenier et ceux qui étaient avec lui pour garder Jésus, ayant vu le tremblement de terre, et tout ce qui se passait, furent saisis d'une extrême crainte, et dirent : Celui-ci était vraiment Fils de Dieu.

55. Il y avait là aussi plusieurs femmes qui regardaient de loin, et qui avaient suivi Jésus depuis la Galilée, ayant soin de l'assister.

56. Entre lesquelles étaient Marie-Madeleine, Marie mère de Jacques et de Joseph, et la mère des fils de Zébédée.

57. Sur le soir, un homme riche de la ville d'Arimathie, nommé Joseph, qui était aussi disciple de Jésus,

58. Vint trouver Pilate, et lui ayant demandé le corps de Jésus, Pilate commanda qu'on le lui donnât.

59. Joseph donc, ayant reçu le corps, l'enveloppa dans un linceul blanc,

60. Et le mit dans un sépulcre neuf, qu'il avait fait tailler dans le roc ; et après avoir roulé une grande pierre à l'entrée du sépulcre, il se retira.

61. Marie-Madeleine et l'autre Marie étaient là, se tenant assises auprès du sépulcre.

62. Or, le jour suivant, qui était celui d'après la préparation du sabbat, les princes des prêtres et les pharisiens vinrent ensemble trouver Pilate.

63. Et lui dirent : Seigneur, nous nous sommes souvenus que cet imposteur a dit, lorsqu'il était encore en vie : Après trois jours je ressusciterai.

64. Commandez donc que le sépulcre soit gardé jusqu'au troisième jour, de peur que ses disciples ne viennent l'enlever, et ne disent au peuple : Il est ressuscité d'entre les morts. Et ainsi la dernière erreur serait pire que la première.

65. Pilate leur répondit : Vous avez des gardes ; allez, faites-le garder comme vous l'entendez.

66. Ils s'en allèrent donc ; et garantirent le sépulcre, scellant la pierre, et y posant des gardes.

COMMENTARIA

VERS. 1. — MANE AUTEM FACTO. Marcus, *confestim mane*, Lucas, *et ut factus est dies*.

CONSILIUM INIERUNT. Lucas, *commenerunt*. Credibile enim est primum illud concilium fuisse dissolutum. Nec enim est verò simile sacerdotes, scribas et seniores populi quantâvis contra Christum rabie incitatos per totam noctem sine ullâ requie congregatos fuisse. Itaque, quæ Matthæus supra narravit, cap. 26, vers. 62, usque ad 67, in hoc concilio matutino facta sunt ut ex Lucâ manifestum est, quia quemadmodum, cap. 26, 67, probavimus, eadem est apud Matthæum et Lucam historia.

OMNES PRINCIPES SACERDOTUM, ET SENIORES POPULI. Marcus et Lucas addunt, *et scribæ* ; hæc enim, ut sæpè diximus, tria hominum genera Judæorum concilium efficiebant. Quomodò autem multi principes sacerdotum fuisse dicantur, cap. 2, 4, declaravimus.

UT EUM MORTI TRADERENT. Nonne jam dixerant, cap. superiore, vers. 66 : *Reus est mortis* ? Paulò ante monuimus illa verba hoc loco et in hoc concilio

VERS. 1 et 2. — CONSILIUM INIERUNT, cùm de crimine cui judicium mortis erat addictum, agebatur : si ad legem Mosis id pertineret, de illo judicium ferre potuerant ; sed executioni illud mandare citra præsidis auctoritatem non licebat. Jam utique statuerant Christum occidere : sed mane facto de mortis genere et

dicta fuisse; sed Matthæus per anacephalæosim dixit: *Consilium inierunt*, quia interpositâ historiâ de Petri negationibus intermiserat narrationem. Non erant visa falsa testimonia, quæ adversùs Christum producta fuerant, satis idonea ut Christus morti traderetur, quemadmodùm Marcus, c. 14, 56, indicavit; ideò cùm viderent diem illucescere, et nullam se habere satis sufficientem accusationem, quam ad Pilatum deferrent, concilium iterùm vocant, ut deliberent quid possint coram præside Christo objicere, quod morte dignum esse videatur, ideòque regant an ipse sit Christus, ut cap. præcedenti, vers. 63, Matth. scripsit; hoc enim Christum credebant non negaturum, et præsidi capitale videri poterat, quia cùm omnium Judæorum opinio esset Christum futurum regem, et populum à tyrannide liberaturum, quisquis se Christum esse dicebat, regem profitebatur, quâ re nihil criminosius Romanis imperium in Judæos obtinentibus videri poterat.

Vers. 2. — Et vinctum, *καὶ δήσαντες αὐτὸν, et cùm eum vinxissent*, ut etiam Marcus scribit, c. 15, 1. Jam ante vinctus fuerat, cùm comprehenderetur, ut ait Joannes, c. 18, 12, sed aut fuerat relaxatus, cùm in domo Pontificis tenebatur, unde fugere non posse credebatur, aut tenebatur quidem ligatus, sed non manibus vinctis; cùm autem vellent eum à domo Caiphæ in domum Pilati traducere, iterùm vinxerunt.

Et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Quare præsidi tradiderunt, et non ipsi occiderant, sive jure, sive rabie, dubitari potest. Chrysostomus existimat propterea Pilato tradidisse, quòd dies esset festus, quo die ipsis quenquam condemnare non licebat; sed cap. superiore, vers. 2, satis probavimus non fuisse diem illum Judaïs festum. Theophylactus verò ideò Pilato traditum fuisse putat, quòd affectati regni accusaretur, quæ res ad Pilatum Romanum præsidem spectare videtur. Vera causa ex Joanne colligitur, c. 18, 31, ubi Judæi dicunt sibi non licere quemquam occidere, sive omninò non licuerit, sublatâ illis à Romanis omni de capitalibus causis judicandi potestate, ut omnes ferè sentiunt auctores; sive, ut nonnulli existimant, quòd non licuerit illis quenquam crucifigere; sed aut lapidare, aut strangulare, aut urere, aut gladio jugulare, ut c. 5, 22, docuimus; ex quo pœnarum genere crux non erat, quæ à Romanis in Judæam fuerat introducta. Volebant autem non quoquo modo Christum occidi, sed cruce occidi, quod omnium ignominiosissimum mortis genus erat. Objiciet aliquis Stephanum ab illis lapidatum, Act. 7, 58; quare non omnis in capitalibus causis potestas erepta Judæis erat. Facilè responderi potest, illud mortis genus Judæis non fuisse prohibitum; quare et Christum ipsum aliàs voluerant lapidare, Joan. 10, 31. Si autem, quod probabilius est, omnis omninò occidendi potestas ablata illis erat, respondendum est, ut nonnulli responderunt interpretes, impetu, non judicio id factum fuisse, ut et Stephanum lapidaverint, et Christum lapidare voluerint. Porrò quomodò Pontius Pilatus præses fuerit, ex Josepho intelligitur. Diximus cap. 14, 1, magni Herodis regnum post ejus mortem in tetrarchias fuisse divisum, ut ex Luca, c. 3, 1, colligitur, quarum una Judæa fuit, quam Archelaus magni Herodis filius annos decem, partim regis specie, partim tetrarchæ auctoritate gubernavit. Post id tempus accusatus apud Augustum imperatorem est, quòd tria Judæorum millia, qui in templum confugerant, ipso Paschæ die trucidàsset, quòdque tyrannidem in Judæos exerceret, et sacerdotium quibus vellet auferret, quibus vellet daret; itaque Viennam Galliæ urbem relegatus est, ut Josephus, libro 17 Antiquitatum, cap. 19, et libro 18, cap. 1, testatur. Sic Judæa in provinciam Romanorum redacta est, et per præsides, sicut aliæ provinciæ, cœpta gubernari. Ex quibus Pilatus sextus fuit, ut Josephus scribit libro Antiquitatum 18, c. 4. Putat Theophylactus Pontium Pilatum vocatum fuisse, quòd ex Ponto esset, nimis levi nominis conjecturâ; nam et apud Romanos Pontios fuisse legimus.

Vers. 3. — Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset. Sunt qui interpretentur quòd ipsemet Judas damnatus esset, quasi dicat evangelista: Tunc videns Judas nullam sibi spem salutis superesse, retulit triginta argenteos, et desperans, laqueo se suspendit, sed hæc opinio facilè ex evangelistæ contexta refutatur, qui ita narrationem texuit, ut non obscurè indicaret hoc esse ad Christum referendum, quòd cùm eum Judas videret damnatum esse, triginta argenteos retulit. Difficilior quæstio est, de quâ Christi damnatione hoc quod solus Matthæus narrat, sit intelligendum. Sunt qui putent de damnatione per Pontium Pilatum factâ, vers. 26, intelligi oportere; sed Matthæum per anticipationem ante narravisse, quod et Juvencus poeta christianus existimavit, multique recentiores interpretes assentiuntur, quia dicitur Judas triginta argenteos ad sacerdotes retulisse, quos cùm accipere noluissent, in templum projecerit.

modo deliberant: præterquàm aliquam juris formulam servare voluerunt, ne judicium illud de nocte factum violentiæ potiùs et tumultuosæ necis speciem, quàm veri judicii formam habere videretur. Unde mane in templum convenerunt, ubi Synedrion erat congregatum.

Vers. 5. — Tunc videns Judas, etc. Hic fortè speraverat fore ut Jesus aliquo miraculo sacerdotum consilium eluderet. Pœnitentia ductus, sed infructuosâ, non salutari, vel ex eo maximè, quòd esset spe veniæ et amore Dei destituta: nam ut pulchrè ait S. Leo: *Nihil præter usum facinus cogitabat, habens timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur.* Infidelis scilicet ex conscientiæ stimulo dolet, idque maximè, si hominem innocentem et de se optimè meritum insigni injuriâ affecerit. Cùm essent in templo congregati, argenteos projecit ante pedes ministrorum. Idque longè est probabilius factum fuisse ante mortem Christi: non enim ait Evangelista Judam vidisse quòd Christus esset mortuus, sed damnatus, scilicet in concilio Judæorum. Atque ex hoc Judæ facto colligitur Synedrion, cui præerat Anna, in templo fuisse coactum.

Unde colligitur in templo tunc fuisse sacerdotes, ubi antequàm Christus à Pilato condemnaretur, esse non potuerunt, cùm in accusando Christo tantoperè essent occupati. Tenuis conjectura: nec enim omnes sacerdotes, sed soli principes sacerdotum, id est, sacerdotalium familiarum capita Christum accusabant, ut versu 1 evangelista significavit; itaque poterant alii omnes sacerdotes, qui principes non erant, in templo esse. Etverò probabile non est templi ministeria, quæ per sacerdotes perficiebantur, dùm Christus apud Pilatum accusabatur, cessavisse. Difficilior objectio esse potest, quòd principibus sacerdotum Judas dicatur argenteos retulisse. Verùmtamen potuit ad principes sacerdotum, qui non in templo, sed aut in domo Caiphæ, aut in prætorio erant, argenteos referre, quos cùm accipere noluissent, in templum projecit; projectos verò, qui in templo erant, sacerdotes accepisse atque servâsse vero simile est, donec principes sacerdotum consilium postea inierunt, quid de illis fieri oporteret, ut vers. 6 et 7 Matth. scribit. Ergo quod dicit evangelista: *Videns Judas, quòd damnatus esset*, ita intelligendum est: Videns Christum Judæorum præjudicio condemnatum, qui omnes unâ voce clamaverant: *Reus est mortis*, c. 26, 66; videns Christum à Judæis ad Pilatum trahi, quod nequaquàm fecissent, nisi omninò deliberàssent non priùs desistere quàm ad crucem condemnaretur; *retulit triginta argenteos.* Principes enim sacerdotum dicuntur Christum morti tradidisse, quia Pilato ad mortem condemnandum tradiderunt, ut scribit Lucas, cap. 24, 20: *Quomodò eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum.* Hinc colligitur Judam, cùm Christum vendidit, neque eo vendidisse animo, ut occideretur, neque putàsse fore ut condemnaretur ad mortem, quemadmodùm Theophylactus et nonnulli recentiores interpretes admonuerunt. In hoc sacerdotibus, scribis et senioribus aliquantò melior, quòd quamvis avaritiâ et infidelitate magistrum vendidisset, de morte tamen ejus non cogitàsset.

Pœnitentia ductus. Origenes et Hieronymus ita de hâc Judæ pœnitentiâ loquuntur, ut eam laudare videantur. Hinc enim Manichæorum refelluni errorem, qui duas, alteram bonam, alteram malam, naturas introducebant. Cæterùm non intelligunt, ut opinor, bonam omninò fuisse, sed aliquid habuisse boni, quòd, quàmvis peccatum non emendaverit, cognovit tamen atque confessus est, et ferisse doluit. Hoc propriè Græcum verbum significat, quo Matth. usus est, μεταμεληθεὶς, *de peccato dolens et anxius*; hòc enim inter μεταμελεῖσθαι et μετανοεῖν interesse nonnulli observaverunt, quòd μεταμελεῖσθαι sit patratum peccatum agnoscere atque dolere, μετανοεῖν non solùm dolere, sed emendare; hoc Petrus, illud Judas fecit, ideò non dicitur μετανοηθεὶς, aut μετανοῶν, sed μεταμεληθεὶς. Rectè Leo, serm. 3 de Pass. Domini: *Meritò, sicut et propheta prædixerat: « Oratio ejus facta est in peccatum, » quàm consummato scelere tam perversa impii conversio fuit; ut etiam pœnitendo peccaret*, et Ambrosius, libro 10 Comment. in Lucam: *Et si cassa est pœnitentia proditoris, quia peccavit in Spiritum sanctum, est tamen ullus in scelere pudor culpam agnoscere. Et quamvis ille non absolvitur, Judæorum tamen impudentiâ confutatur, quos cùm professio redarguat venditoris, scelesti tamen sibi vindicant jura contractûs, et exsortes reatûs se esse credunt, dùm dicunt: « Quid ad nos? tu videris. » Amentes planè, qui putant solvi se magis auctoris scelere, quàm teneri.* Scribunt Origenes et Theophylactus voluisse Judam, cùm Christi jam mortem impedire non posset, eumdem moriendo prævenire, ut in alterâ illi occurreret vitâ, et veniam ab eo sui sceleris obtineret. Quod et si fabulæ simile est, tamen illud habet utilitatis, quòd inde intelligimus Origenis ætate doctrinam de Purgatorio, et peccatorum post hanc vitam remissione fuisse vulgarem.

Vers. 4. — Peccavi tradens sanguinem justum, id est, justum hominem ad mortem; etsi Judas Christum Deum esse non credebat, ut supra docuimus, et Leo, sermone 1 de Passione Domini, scribit, hominem tamen justum et innocentem confitetur. Voluit Deus ut ab omni hominum genere contra sacerdotum et seniorum perversitatem suæ innocentiæ testimonium Christus haberet, etiam ab ipso judice Pilato, etiam ab ejus uxore, etiam à proditore, qui eum vendiderat.

Quid ad nos? Hominum obsæcatorum vox est, et, ut paulò ante ex Ambrosio citavimus, amentium, *qui putant solvi se magis auctoris scelere, quàm teneri. In pecuniariis*, inquit, *causis refuso pretio jus solvitur. Hi pretium recipiunt, et sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem cùm refunderet venditor sacrilegii mercedem.*

Vers. 5. — Et projectis argenteis in templo. Visus sibi est Judas, cùm in templo argenteos projiceret, sacerdotibus dare, et initium venditionis contractum rescindere.

Abiens laqueo se suspendit, ἀπελθὼν ἀπήγξατο, *laqueo præfocatus est.* Act. 1, 18, ait Petrus de Judâ loquens: Καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, ad verbum, *et præceps factus crepuit medius*, quod non satis videtur cum Matthæo cohærere. Itaque sunt qui dicant priùs se Judam, ut Matthæus ait, laqueo suspendisse, sed inclinatam fuisse arborem, atque ita supervixisse, postea verò hydrope fuisse mortuum, cùm medius crepuisset, ut ait Petrus, sic Theophylactus. Alii, cùm de laqueo penderet, à prætereuntibus agnitum fuisse, atque depositum, vixisseque postea aliquantisper secreto in eo loco, dein præcipitem ex eo loco edito laqueo, inflatumque crepuisse medium; sic Euthymius. Alii rupto laqueo supervixisse, ac postea crepuisse medium; ut Œcumenicus, in Commentariis in Acta Apostolorum, cap. 1, ex Papiâ vetustissimo auctore recitat, et auctor Scholasticæ, quam vocant, Historiæ, tanquàm vulgarem opinionem refert. Probabilius est, quod alii suspicantur, primùm quidem se ex loco edito laqueo suspendisse, seque inde præcipitem

Vers. 5. — Laqueo se suspendit. Petrus, Act. 1, id supplet quod deest narrationi Matthæi, et hujus facti finem exprimit, cujus initium Matthæus enarravit.

egisse, sicut solent, qui laqueo suspenduntur inserto laqueo de superiore loco dejici et præcipites dari, ut citiùs strangulentur; postea verò aut rupto laqueo cecidisse ac effudisse viscera; aut cùm penderet ita intumuisse, ut non quidem statim, sed aliquanto post tempore medius crepuerit; nam omnes, qui suspenduntur, vehementer inflari solent. Dubium an statim ut retulit argenteos se suspenderit. Sunt qui dicant non nisi post Christi resurrectionem id eum fecisse, cùm audisset resurrexisse Christum, quod minimè sperabat; tunc enim abjectâ omni spe salutis, quòd humani generis Redemptorem vendidisset, laqueo sibi vitam eripuisse, ut Historiæ Scholasticæ auctor scribit. Sed cùm id non probetur, et evangelista rem ita narret, ut statim projectis in templum argenteis ad laqueum indicet cucurrisse, hoc potiùs credendum. Nimis curiosa quæstio est quâ ex arbore se suspenderit, cùm ex evangelistâ ne illud quidem constet, an ex ullâ se omninò suspenderit arbore; sed tamen video opinionem quamdam incerto auctore vulgari, vulgò arborem ficum fuisse, quemadmodùm et Hebræi tradunt eam, unde Adam et Eva vetitum decerpserunt fructum, fuisse ficum. Hanc, quæ nunc vulgi est, antiquam etiam, et magnorum olim auctorum opinionem fuisse, ex Juvenco poetâ perspicuum est.

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas
Informem rapuit ficûs de vertice mortem.

VERS. 6. — PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM ACCEPTIS ARGENTEIS. Cur nunc accipiunt, cùm paulò ante accipere noluissent? Quia ante ipsis Judas dabat, quasi ut infectum faceret quod factum erat, ideò accipere noluerunt, ne venditionem rescindere viderentur, cogerenturque Christum illi reddere, sicut ille reddebat argenteos: nunc autem accipiunt, quia eos in templum projecerat; quæ autem in templum projiciebantur, templo Deoque videbantur offerri, quas oblationes, cùm sacerdotes asservarent, et triginta argenteos projectos collegerant.

NON LICET NOBIS MITTERE IN CORBONAM. הקריב Hebræis est offerre. Inde nomen קרבן ductum est, quod propriè oblationem significat, frequens in Litteris sacris, Levitici 1, 2, 3, et 2, 5, 7, et 6, 20, et Num. 7, 13, et 28, 2. Aliquando accipitur pro juramento, quod per קרבן, id est, templi oblationes fiebat, quemadmodùm Judæi aliquando jurabant, ut constat ex superiore cap. 23, 16, 18. Auctor est Josephus, lib. 1 contra Appionem. Atque hoc fortasse modo apud Marcum, cap. 7, 11, accipi potest. Deinde translatum nomen est, ut locum ipsum, ubi templi oblationes recondebantur, id est, sacrum ærarium significaret, ut Josephus, libro 2 de Bello Judaico, cap. 8, scribit, sicut Græci γαζοφυλάκιον appellant, 4 Reg. 12, 9, 10; Marci 12, 41, 43, Lucæ 21, 1; Joan. 8, 20. Sunt qui interpretentur *mittere*, pro remittere, quòd existiment triginta illos argenteos ex sacro gazophylacio à sacerdotibus elatos fuisse, ut emerent Christum, in quâ sententiâ Juvencus est, habetque non minimam probabilitatem; solebant enim publici sumptus, qui ad templi causam, religionemque pertinebant, ex sacris fieri thesauris, cujusmodi sacerdotes causam esse arbitrabantur, ut Christus, qui se Dei Filium profitebatur, occideretur.

QUIA PRETIUM SANGUINIS EST. Hebræorum idiomate sanguis ponitur pro morte. Addere debuerunt justi, quemadmodùm Judas paulò ante confessus fuerat; sed nesciunt homines errore cæci aut vera sentire, aut loqui. Prohibebantur Judæi turpe lucrum in templum offerre, Deuter. 23, 18: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui; quidquid illud est, quod voveris, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum*; unde per analogiam colligebant nec pretium sanguinis Deo esse offerendum, aut, quod majoris stultitiæ erat, mittendum in gazophylacium. Nam oblationem Deo factam, cùm argenteos acceperant, approbaverant. Itaque plus reverentiæ homines insani gazophylacio quàm Deo tribuendum esse judicabant.

VERS. 7. — CONSILIO AUTEM INITO. Non est credendum hoc continuò factum esse, sed postquàm crucifixus esset Christus, ac fortassè post Paschæ diem festum. Nam toto illo die in accusando et crucifigendo Christo occupati fuerant. Die autem insequenti in Paschæ celebratione, quo tempore contractus inire non licebat. Sed Matthæus, quia de relatis à Judâ argenteis loqui cœperat, totam narrationem finire voluit, docereque quid de illis actum esset. Cæterùm, quod de inito consilio, et empto dicit agro, per anticipationem dictum esse intelligendum est.

EMERUNT EX ILLIS AGRUM FIGULI. Cur *agrum figuli* Matthæus appellet, incertum. Potuit sic vocari, vel quia alicujus figuli erat, vel quia ex eo figuli ad fingenda vasa terram effodiebant, aut quia in eum testarum fragmenta projiciebant, ita ut culturæ inutilis esset, solisque mortuis sepeliendis commodus esse posset. Quâcumque tandem ratione sic appelletur, illud certum, notum eo nomine vulgò fuisse agrum, et quia evangelista, tanquàm de notissimo agro dicit: *Emerunt ex illis agrum figuli*, et quia Græcum illi articulum adjungit τὸν ἀγρὸν, qui rem notam demonstrat, quemadmodùm *Clericorum pratum* apud Parisienses.

IN SEPULTURAM PEREGRINORUM. Solebant cives Jerosolymitani, aut in publico loco, aut in suo quisque fundo proprium habere sepulcrum, ubi omnes qui ejusdem essent familiæ sepelirentur. Magnum enim illis solatium mortis videbatur, si in patrum suorum sepulcris sepelirentur, ut ex multis librorum Regum locis manifestum est. Qui autem peregrini erant, cùm patria sepulcra in urbe non haberent, difficilè sepulturam reperiebant. In hoc bonum publicum sancti illi sacerdotum principes oblatam templo pecuniam impenderunt, quòd res Deo sacra non nisi in pium opus consumenda videretur; sic Origenes interpretatur. Alii putant peregrinos hìc gentiles appellari, qui aliquando aut habitabant Jerosolymæ, aut eò ventitabant; si verò inibi mori contingeret, locum ubi sepelirentur non habebant; nefas enim Judæis videbatur non solùm in vitâ, sed etiam post mortem cum gentilibus habitare.

VERS. 6. — CORBONAM, *corbam* קרבן, Hebr. et Syr., donum sacrum significat: eaque vox ad gazophylacium, ubi sacra dona erant reposita, translata est.

VERS. 7. — EMERUNT EX ILLIS AGRUM FIGULI. Illud admodùm verisimile est, hoc factum fuisse post mortem Christi: ager autem ille exigui fuit pretii, quòd exhaustus esset et inutilis prorsùs.

VERS. 8. — PROPTER HOC VOCATUS EST AGER ILLE ACHELDEMA, ID EST, AGER SANGUINIS USQUE IN HODIERNUM DIEM. Nimirùm divino consilio factum est, ut quâ ratione sacerdotes impietatem suam unà cum illâ pecuniâ obruere et quasi sepelire voluerunt, sempiterno monimento in omnem posteritatis memoriam transtulerint, ut quoties ager ille *Acheldema*, id est, *ager sanguinis*, vulgò diceretur, toties sceleris eorum memoria renovaretur, ut Chrysostomus, Euthymius et Theophylactus adnotârunt. *Acheldema* Syriacum verbum est, quâ tunc linguâ Judæi loquebantur et agrum sanguinis significat, sic appellatum, quòd pretio sanguinis emptus esset. Cæterum Syriacum verbum apud Matthæum Græcè non legitur, sed ejus tantùm periphrasis, *ager sanguinis*, neque Chrysostomus, hoc loco, et Eusebius, lib. 10 de Demonst. evangelicâ, cap. 4, hunc locum edisserens legit. Itaque sunt qui putant ex Actis apostolorum, cap. 1, 19, ubi eo verbo Petrus usus est, aliquem in hunc locum illud transtulisse, non omninò improbabilis conjectura.

VERS. 9. — TUNC IMPLETUM EST, QUOD DICTUM EST PER JEREMIAM PROPHETAM. Magna hìc et vetus quæstio est, quomodò Matthæus Jeremiam citet, apud quem hoc testimonium non reperitur, cùm apud Zachariam, 11, 13, potiùs reperiatur. Omnes et veteres, et recentiores interpretes in hujus difficultatis explicatione magnoperè laborârunt. Sunt qui putent hoc testimonium Jeremiæ quidem esse, non ex his quos nunc habeamus, sed ex his qui perierint ejus libris à Matthæo desumptum. Multa enim veteres scripsisse prophetas, quæ non exstant, ex libris Regum et Paralipomenon multis locis apparet, nominatim verò Jeremiam alios præter eos quos habemus scripsisse libros auctor librorum Machabæorum, libro 2, cap. 2, 1, testis est. Sunt qui suspicentur in his etiam prophetiis Jeremiæ, quas nunc habemus, scriptum hoc fuisse, sed à Judæis postea malignè deletum, ut Eusebius etiam arbitratur, lib. 10 de Demonst. evang., cap. 4. Sunt qui ex libris quidem Jeremiæ, sed apocryphis sumptum esse dicant; nam et apostolos ex ejusmodi libris testimonia aliquando proferre, sicut D. Paulus, 2 ad Timoth. 3, 8, quod dicit de Janne et Mambre ex apocryphis libris sumptum esse creditur. In hâc opinione Origenes est, eamque videtur Hieronymus confirmare, affirmans Hebræum quemdam apocryphum Jeremiæ librum sibi legendum tradidisse, ubi hoc testimonium ad verbum reperiebatur. Sunt qui evangelistam memoriâ lapsum existiment, cùmque pro Zachariæ nomine nomen illi Jeremiæ occurrisset, id scripsisse; postea verò etiam vel ipsum per se, vel aliorum monitu, quos adhuc eo vivente ejus Evangelium legisse credendum est, et *Jeremiæ* pro Zachariæ nomen positum animadvertisse, emendare tamen noluisse, quòd id ipsum Spiritu sancto instigante factum crediderit, qui cùm idem omnium prophetarum ore locutus esset, non referret quid à quo prophetâ dictum sit; singulorum enim prophetarum dicta omnium esse communia, ita ut quod ab uno dictum est, ab omnibus dictum esse censeatur. Ita Augustinus, libro 3 de Cons. evang., c. 7, et Beda in Comment., quorum opinionem nullo prorsùs modo probandam existimo. Nam evangelistas memoriâ aliquando lapsos esse, etsi scio dixisse aliquos, et doctos, et catholicos auctores, existimàsseque nihil propterea de Scripturæ auctoritate minui, haud equidem intelligo quomodò id et Spiritu sancto dictante, et salvâ Scripturæ fide, quæ summa et firmissima esse debet, fieri potuerit, et dicere propterea *Jeremiam* pro Zachariâ citari potuisse, quòd idem per omnes prophetas Spiritus locutus sit, violenta mihi videtur interpretatio. Sunt qui scriptorum errore nominum similitudine occasionem dante, *Jeremiæ* nomen pro *Zachariæ* scriptum fuisse arbitrentur, ut Origenes et Eusebius referunt, et improbare non videntur. At quæ, obsecro, inter *Jeremiæ* et *Zachariæ* nomina similitudo est? Sunt qui Zachariam binominem fuisse conjiciant, et Jeremiam etiam appellatum; sed probanda conjectura erat. Sunt qui cap. 32, vers. 9, *Jeremiæ* citari putent, ubi Jeremias agrum emisse dicitur, quod Augustinus etiam approbat. At nihil huic testimonio

VERS. 8. — HACELDAMA. Suspicatur Mariana, hanc vocem ex Act. 1 insertam fuisse narrationi Matthæi, cùm desit in exemplaribus Græcis et Syriacis: USQUE IN HODIERNUM DIEM; perpetuò vocatus est, quasi monumentum publicum iniquitatis.

VERS. 9. — PER JEREMIAM, etc. Plerique putant JEREMIÆ nomen loco *Zachariæ*, cujus hoc est vaticinium, c. 11, incuriâ exscriptorum irrepsisse: alii nec Jeremiam, nec Zachariam ab evangelistâ nominatum, sed ut plerùmque aliàs, scriptum esse: PER PROPHETAM DICENTEM. Sic legitur in textu Syriaco, et quidam codices olim ita habuerunt, ex August., l. 3 de Consensu Evangelistarum, cap. 7. Alii id priùs dictum esse à Jeremiâ volunt. Sed pro Zachariâ scribas posuisse Jeremiam verisimilius est, quòd apud eum, c. 32. v. 9, fiat venditi agri mentio; cùmque in translatione Septuaginta vix ullum hujus testimonii vestigium reperirent. QUEM APPRETIAVERUNT, seu æstimaverunt: SICUT PRÆCEPIT MIHI DOMINUS, ut figura esset ejus quod aliquando futurum erat in passione Christi: adeò ut Zacharias hâc in re fuerit typus Christi Domini, cujus pretium datum est figulo. Ac semper exstiterunt codices, quibus nomen *Jeremiæ* deest, neque in Syriacis illud occurrit. Fieri etiam potest ut compendiariâ scriptione pro [illegible], facta sit [illegible] lectio, aut, quod videtur Sanctio, pars prophetiæ exstet apud Jeremiam, unde solum Jeremiam Matthæus citaverit, quod in aliis evangelistis occurrit. Hujus verò prophetiæ sensum magis, quàm verba reddidit evangelista.

cum illo Jeremiæ præter nomen agri commune est; nihil illic de figulo, nihil de pretio appretiati, quem appretiaverunt à filiis Israel; nec emit Jeremias agrum triginta argenteis, sed septemdecim, decem nimirùm argenteis, et septem stateribus. Sunt qui Jeremiæ prophetiam citari existiment, non quidem scriptam, sed per traditionem acceptam, ut illud, quod apud Lucam, c. 13, 4, de turri in Siloe Christus citavit. Hoc probarem, si nihil esset quod dicere possem probabiliùs. Rem nihil attingere videntur, qui existimant evangelistam nullius prophetæ nomen posuisse, sed tantùm dixisse : *Tunc impletum est, quod dictum est per prophetam*, ut multis aliis locis dicere consuevit, c. 1, 22; c. 2, 5, 15, 23, et 13, 35, et 21, 4, et hoc ipso capite, vers. 35; scriptorem verò aliquem, cùm putaret Jeremiæ citari testimonium, ejus nomen ad marginem ascripsisse, postea aliquem alium in contextum inseruisse. Confirmat hanc conjecturam, quòd in Syriaco Evangelio *Jeremiæ* nomen non legatur, quòdque Augustinus, libro 3 de Cons. evang., c. 7, scribit suo tempore in multis Latinis etiam codicibus lectum non fuisse. Objicit contra hanc opinionem Augustinus nihil fuisse causæ cur *Jeremiæ* nomen adderetur, fuisse autem cur potiùs deleretur, quòd Jeremias falsò citari videri posset; mirum est, cùm eodem loco dicat satis esse causæ cur hoc testimonium Jeremiæ tribuatur, quòd Jeremias, c. 32, 9, emerit agrum, negare nunc eum ipsam causam satis esse potuisse, ut aliquis putans evangelistam ad illam Jeremiæ locum allusisse, nomen *Jeremiæ* ad marginem adnotaverit; alius in contextum transtulerit. Potuit et alia esse causa cur *Jeremiæ* nomen ascriberetur, quòd hoc testimonium Zachariæ apud septuaginta Interpretes adeò ab Hebraicâ discrepet veritate, ut nihil prorsùs habere simile videatur, ita ut agnosci à Græcis lectoribus non potuerit, à quibus vero simile est *Jeremiæ* nomen additum fuisse. Quod attinet ad testimonii interpretationem, evangelista, ut sæpè solet, nec verba, nec personas expressit, contentus sensum exprimere, et, quod volebat, ostendere, impletam fuisse prophetiam.

Et acceperunt triginta argenteos, καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, Hebr.: *Et accepi triginta argenteos.* Propheta dixerat primâ personâ, ut declararet se fecisse quod illi Dominus præcepisset. Evangelista sensu eodem per tertiam personam reddidit, ut ostenderet id per sacerdotes impletum fuisse, quorum in eâ re propheta personam gerebat; quanquàm et ἔλαβον apud Græcos prima persona singularis esse potest.

Pretium appretiati, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου. Hoc apud prophetam et paulò ante, et aliis verbis dictum erat, Hebr., *decus preti*, aut *pretium æstimationis.* Evangelista videtur non legisse *pretii* aut *æstimationis*; sed *æstimati*, τετιμημένου, quod Latinus interpres vertit, *appretiati.*

Quem appretiaverunt a filiis Israel, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, Hebr., *quo æstimatus sum ab illis.* Evangelista mutatâ primâ personâ singulari in tertiam pluralem, et voce passivâ in activam eamdem sententiam reddidit: *Quem æstimaverunt à filiis Israel*, id est, ii qui erant ex filiis Israel. Intelligitur enim relativum, οἱ, sicut apud Hebræos אשר, ut in idiomatis Hebræorum adnotavimus; simile est exemplum in libro Judith, c. 8, 17.

Vers. 10. — Et dederunt eos in agrum figuli. Hebr. et Græc.: *Et projeci ipsum* (argentum, aut pretium) *in domum Domini ad figulum*, id est, ut ex eo ager à figulo emeretur, ut evangelista optimus interpres exponit. Itaque Rabbi David Kimhi, et aliis Hebræis in ejus Zachariæ loci explicatione credendum non est, qui putant, *in*, mutato pro *thesauro*, scriptum esse *figulum*, ut sit sensus: *Projeci illud in domum Domini ad thesaurum*, aut *ad thesaurarium*, id est, *ut in thesauro sacro reponeretur.* Si apud evangelistam pro ἔδωκαν, *dederunt*, legamus τέθεικα, dedi, Græcum verbum cum Hebraico personâ conveniet. Apud prophetam nomen *agri* non est, sed quia in *figuli* nomine quodam modo continebatur, quia sensus, ut diximus, est: *Projeci ad figulum*, id est, *ut figulo ager emeretur*; evangelista, quasi prophetæ interpres, *agri* nomen, quod latebat, expressit, εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, *in agrum figuli.*

Sicut constituit mihi Dominus. Hæc verba apud prophetam non reperimus; sententiam tamen et rem ipsam reperimus; dixerat enim propheta sibi à Domino præceptum esse ut triginta argenteos projicere ad statuarium, id est, figulum: dixit postea se projecisse. Itaque fecit sicut constituerat illi Dominus. Hoc etiamsi propheta verbis non dixit, quia reipsâ faciendo dixerat, Matthæus etiam explicavit, ut doceret id non casu, aut humanâ voluntate, sed Dei jussu factum esse; quamobrem sacerdotes divinâ providentiâ atque impulsu ex triginta argenteis agrum illum emisse figuli.

Vers. 11. — Jesus autem stetit ante præsidem. Joan., c. 18, 28, scribit Christum in prætorium ad ductum esse. Judæos verò non ausos introire, ne contaminarentur, ut Pascha manducare possent; propterea Pilatum foràs ad eos exisse, interrogâsseque: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* quod ita ab eo dictum apparet, ut significaret se Christum innocentem existimare, quasi diceret: Quid huic homini justo objici potest? propterea Judæi ita respondent, quasi eâ interrogatione injuriam sibi factam arbitrentur: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*, post quæ verba ea collocanda sunt, quæ, cap. 23, 2, scribit Lucas: *Cœperunt autem illum accusare dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et*

dicentem se Christum regem esse. Tunc ponenda sunt Joannis verba, vers. 31. Dixit ergo eis Pilatus: *Accipite eum vos, et secundùm legem vestram judicate eum.* Apparet enim omnibus modis conatum fuisse præsidem de Christo non judicare. Dixerunt ergo ei Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*, quod vers. 2 exposuimus. Addit Joannes ideò hoc factum esse, *ut impleretur sermo Jesu, quem dixerat, significans quâ morte esset moriturus*; nempe sermo ille, quem Matthæus recitat, c. 20, 18, 19: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.* Significat ergo Joannes, propterea Judæos potestate sibi à præside factâ uti noluisse, quòd secundùm legem neminem crucifigere liceret, quo maximè genere mortis Christum tollere cupiebant, et Christus ipse se moriturum prædixerat; aut intelexerunt Pilatum ironicè locutum fuisse. Non ergo Judæorum virtute, sed potiùs crudelitate et divino consilio, quo decretum fuerat ut Christus crucifigeretur, factum esse Joannes significat, ut Judæi Christum secundùm legem suam noluerint judicare. Post hæc, ut ait Joannes, præses in prætorium ingressus est, et foris manentibus Judæis, Christum ad se vocavit rogavitque, quod illic, Joannes et hic Matthæus scribit: *Tu es rex Judæorum?* Non rogat præses, nisi de regno et tributo, quod in eâdem regni causâ continebatur. Si enim rex erat, dubitari non poterat quin tributa Cæsari danda esse negaret; hæc enim duo inter alia Judæi objecerant Christo, quæ præsidem movere maximè poterant, quòd se regem faceret, et tributa Cæsari danda non esse diceret; quæ ipsorummet testimonio refelli poterant, à quibus interrogatus aliquando Christus, utrùm liceret censum dare Cæsari, responderat: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo*, c. 22, 17, 21. Testes quoque Romani erant, aut Judæi publicani, qui Cæsaris vectigal colligebant, Christum non solùm solvendum Cæsari, tributum docuisse, sed ipsum quoque solitum solvere, cap. 17, 27. Sed objiciunt nihilominùs repugnante conscientiâ odiosum crimen, quòd scirent eò verisimilius præsidi videri posse, quod Herodianorum tunc secta vigeret, qui creduntur in eâ fuisse sententiâ, ut dicerent non licere Judæis regi alienigenæ tributa pendere, ut cap. 22, 16, docuimus.

Tu dixisti. Ante hæc verba ponenda sunt ea quæ scribit Joannes, cap. 18, 34: *Tu ex te rex Judæorum?* Respondit Jesus: *A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Quibus verbis videtur Christus Pilati conscientiam pungere, quasi diceret: Tu utique scis me Judæorum regem non esse; sed ista quæ rogas, Judæorum postulatione rogas. Respondit Pilatus: *Numquid ego Judæus sum? gens tua et pontifices tradiderunt te mihi; quid fecisti?* Sensit se Pilatus à Christo perstrictum esse; ideò iracundè videtur respondere se non suâpte sponte interrogâsse; nec enim Judæum esse, sed judicis officio fungi, qui eum sibi ex Judæis traditum non possit non de rebus objectis interrogare. Respondit Jesus: *Regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Itaque horum verborum occasione à multis de regno Christi disputatur, verènе rex fuerit. Sunt qui quodammodò invitum facere velint regem, hæreticosque eos putent, qui temporalem etiam regem fuisse negant, cùm ipse in judicio interrogatus palàm responderit: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, non est mundanum, non est terrenum, non est temporale, sed cœleste et spirituale; regnum suum non solùm beatorum societatem, sed fidelium etiam in terris congregationem, id est, Ecclesiam appellans, quæ etsi in hoc mundo est, tamen de hoc mundo non est, et quia non ex terrâ, sed ex cœlo originem habet, cùm ejus caput Christus à quo congregata, et formata est, de cœlo descenderit, cùm fides, quæ ejus forma est, et charitas, quæ ejus vinculum, et spes, quæ præmia illi promittit, de cœlo dentur, sicut Christus apud Joan., cap. 8, 23, ait: *Vos de deorsùm estis; ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis; ego non sum de hoc mundo*; et rursùs, cap. 15, 19: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret; quia verò de mundo non estis*; et quia ejus conversatio in cœlo est, neque putat se hic habere civitatem permanentem, sed à Domino peregrinari, ad Philippenses 3, 20. Tota igitur quæstio ad hunc modum expedienda est, Christum, quatenùs Deus est, non solùm spiritualem, sed etiam temporalem totius mundi et superioris et inferioris regem esse; propterea enim *habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum, et Dominus dominantium*, Apoc. 19, 16, ut ostendat se non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed naturâ, quæ per femur significatur, regem esse; quia naturâ et *non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*, Philip. 2, 6. Propterea jubet Abraham servum suum super femur suum manum ponere, ut eum per Deum cœli adjuret, quòd ex ejus femore nasciturus esset Christus, Genes. 24, 2. Illud etiam certum est, Christum, quà homo est, regem esse spiritualem totius Ecclesiæ; hoc enim est regnum quod sanguine suo Patri acquisivit, quodque illi post finem mundi redditurus est, 1 Cor. 15, 24. Hoc est regnum illud de quo scribit David, Psalm. 2, 6: *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, quod spirituale esse, non temporale statim declarat: *Super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*; nam et Sion illa spiritualiter intelligenda est, ut, tract. in Joan. 115, D. August. adnotavit; et prædicare præceptum Dei non temporalis, sed spiritualis regis officium est. Hoc est regnum de quo eodem Psalmo paulò post dicitur: *Et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, quia Ecclesia toto terrarum orbe diffundenda erat, et à mari usque ad mare propaganda. Hoc regnum est de quo Christus post resurrectionem dicit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ*, Matthæi 28, 18, quæ potestas, qualis fuerit, statim exponit, vers. 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in no-*

nine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; quæ partes non temporalis, sed spiritualis regis sunt : ideòque sicut in regno temporali solus rex condendarum legum potestatem habet, ita Christus in Ecclesiâ solus potuit sacramenta constituere, quæ, sicut in republicâ leges, ita in spirituali Christi regno peccatorum remedia sunt. Quâ verò parte Christus homo erat, non erat universi orbis terrarum temporalis rex, ut et Augustinus eo loco, quem modò nominavimus, et omnes boni theologi sentiunt. Aut enim naturali, aut divino, aut humano jure rex esset. Naturali non erat, quia regis filius non erat, quod est naturalem esse regem; divino non erat, quia omnia sacrarum Litterarum testimonia, quæ de ejus loquuntur regno, de spirituali regno, ut Augustinus ait, intelliguntur; humano non erat, quia non fuerat orbis terrarum consensu rex electus, et cùm Judæi vellent eum rapere, ut regem facerent, aufugit, Joan. 6, 15. De regno Judææ dubitari potest, an humano jure ad Christum pertineret; quâ in re illud constat, eum ex regio sanguine à Davide usque procreatum, et Matth., cap. 1, ejus genealogiam per reges deducens docere voluit. An autem ad illum jus regium perveniret, si rex esse voluisset, meo quidem judicio, non satis constat, quia nescimus an ex regum genere alius fuerit eo propinquior, ad quem regnum, si ad jus hereditarium revocandum fuisset, pertineret. Probat Christus apud Joannem, cap. 18, 36, regnum suum non esse de hoc mundo, id est, mundanum, quia si mundanum esset, mundanos etiam, qui pro se pugnarent, ministros haberet. Tantùm verò aberat ut haberet, aut habere vellet, ut Petrum unum ex discipulis suis, qui servum pontificis vulnerârat, ut se defenderet, et graviter reprehenderit, jusseritque gladium in vaginam remittere, suosque ministros non terrenos, sed cœlestes, id est, angelos esse significaverit : *An putas quia non possum modò rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones angelorum?* cap. 26, 53. Hâc occasione Pilatus intulit : *Ergo rex es tu?* Tunc respondit Christus, quod hîc Matthæus scribit : *Tu dixisti*, quâ phrasi non ambiguè, ut D. Augustinus et nonnulli alii putant, sed modestè respondet se regem esse, ut supra, cap. 26, 25, 64.

Vers. 12. — Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Ante hanc partem historiæ illa collocanda est, quam Lucas, cap. 23, 4, scribit, Pilatum postquàm Christum interrogâsset an ipse rex esset, ut ait Joannes, 18, 38, ad Judæos, qui extra prætorium expectabant, exisse, dixisseque, *Ego nullam invenio in eo causam*, id est, nullam culpam.

Vers. 13. — Tunc dicit ei Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Hæc testimonia, quæ tunc adversùs Christum dicebantur, Matthæus non scripsit, Lucas autem scribit, vers. 5 et 7 : *At illi invalescebant, dicentes : Commovit populum docens per universam Judæam, incipiens à Galilæâ usque hùc. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.* Herodem autem viso Christo gavisum esse, quòd multa de eo priùs audivisset, cupieretque aliquod ejus signum videre, et multis Christum interrogâsse, Christum verò nihil respondisse, sacerdotes et scribas constanter eum apud Herodem accusâsse; Herodem cùm nihil Christus responderet eum contempsisse, et veste albâ per opprobrium indutum ad Pilatum remisisse, factos amicos Pilatum, et Herodem ex eo die, cùm ante inimici essent; cùm Christus ad Pilatum remissus esset, Pilatum convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, atque plebi dixisse, v. 14, 15, 16 : *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans nullam causam invenî in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes; nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam, παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύω, castigatum dimittam*, quod aut de verbis, aut de verberibus potest intelligi. Ad hanc Pilati vocem vero simile est corripisse Judæos vehementiùs instare, et accusare Christum, quamvis Evangelistæ non dicant, atque tunc Pilatum dixisse, quod hoc loco Matthæus ait : *Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?*

Vers. 14. — Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut mirabatur præses vehementer. Mirum cur Christus tam obstinatum coram judice silentium tenuerit, præsertim cùm paulò ante interrogatus respondisset. Cur autem responderit, in promptu ratio est : causæ jugulum petebatur, an ipse rex esset, id est, Christus, quod negare nequaquàm oportebat, cùm in mundum eâ re venisset, ut se Christum Filium Dei vivi esse doceret. Cur autem nunc taceat, multæ rationes reddi possunt : prima, quæ per contrarium colligitur, quia nunc non de summâ rei, sed de commotione populi, de doctrinâ et aliis hujusmodi rebus agebatur, quas cùm in omnium oculis egisset, nemo poterat ignorare, ita ut opus non esset ut ipse responderet, sicut priùs pontifici responderat, Joan. 18, 20 : *Ego palàm locutus sum mundo; ego semper docui in synagogâ et in templo, quò omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil; quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis; ecce hi sciunt quæ dixerim ego.* Secundam rationem Ambrosius in Commentariis in Lucam, Chrysostomus et Euthymius hoc loco reddunt, quòd sciret Christus Judæos sibi, etsi responderet, creditûros non esse, ut illis apud Lucam dixerat, cap. 22, 67. Tertiam affert Theophylactus, ne si respondisset, irritaretur Judæorum rabies, et eorum culpa major foret. Quartam Hieronymus et Beda, ne si respondisset, criminaque diluisset, dimitteretur, et crucis fructus, id est, salus nostra periret. Quintam Ambrosius, quòd defensione non indigeret. *Accusetur*, inquit, Dominus, *et tacet, et bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.* Denique prophetiam ipso Christi silentio impleri oportebat : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum*, Isaiæ 53, 7.

Vers. 15. — Per diem autem solemnem, per diem Paschæ, qui κατ' ἐξοχὴν, *solemnis*, appellatur, ut Joan. exponit, cap. 18, 39. An hoc privilegium Judæi à Romanis Judæam in provinciam redigentibus novum obtinuerint, an, cùm antiqua consuetudo eorum esset, Romani illis aut ipsorum rogatu, aut suâ liberalitate concesserint, ut populi sibi gratiam conciliarent, incertum est. Sed tamen probabilius veterem fuisse Judæorum traditionem, ut in memoriam liberati ex Ægypto populi vinctum unum eo die à carcere liberarent.

Vers. 16. — Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas, ἐπίσημον, id est, insignem ac nobilem appellat vinctum, non virtute, sed scelere, et improbitate. Marcus 15, 7, qualis fuerit magis declarat : *Erat autem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditionis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium*; et Lucas 23, 19 : *Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, et homicidium missus in carcerem.* Joannes, cap. 18, latronem fuisse dicit ληστὴν, eo, ut opinor, sensu, quo Latini latrones vocant eos, qui publicas obsident vias, et prætereuntes trucidatos exspoliant.

Vers. 17. — Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Multis indiciis manifestum est omnem occasionem absolvendi Christi Pilatum quæsivisse. Primùm simul atque ad se Christus adductus est Judæos interrogat : *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Joannis 18, 29; quod, ut supra explicavimus, periode valet, ac si dicat, quid homini huic justo, et innocenti objicere potestis? Deinde interrogato intra prætorium Christo ad Judæos exit, dixitque : *Nihil invenio causæ in hoc homine*, Lucæ 23, 4; Joannis 18, 38. Præterea cùm audisset tantùm per totam Galilæam docuisse Christum, occasionem libenter arripuit, ut Galilæum esse interpretaretur, eumque ad Herodem adlegaret, Lucæ 23, 7. Cùm remissus ab Herode esset iterùm dimittere tentavit, dicens se nihil in eo culpæ deprehendere, neque Herodem, ad quem missus à se fuerat, deprehendisse. Cùm hoc Judæorum iras non mitigaret, castigare voluit, id est, aut verbis corripere, aut flagellis cædere, castigatumque dimittere, Lucæ 23, 16. Nunc religionem Judæis ante oculos ponit, ut saltem solemnis festi respectu, sicut alii facinorosi homines dimitti solent, Christus, contra quem nihil facinoris, nihil culpæ probatum esset, dimitteretur. Alio etiam utitur artificio, nec solum Christum, nec cum multis, sed cum uno Barabbâ homine omnium sceleratissimo proponit, ut Judæi Christum, nisi omninò cæci, aut iniquissimi sint, eligere cogantur. Quis enim cogitâsset Barabbam hominem homicidam, seditiosum, latronem publicum Christo, cui nihil objectum mali erat, nihil certò probatum, fuisse anteponendum? Sed Judæorum odium, atque nequitia Pilati hominis profani opinionem superavit. Post hæc etiam dimittere Christum conatus est, cùm enim urgerent

Vers. 17 et 19. — Barabbam, an Jesum, scelestum, an innoxium. Homo, somnium terroribus plenum Deus huic mulieri injecerat, non ut Jesum à morte eximeret, sed ut ejus innocentiam hoc testimonio comprobaret. Judæi : *Tolle, tolle, crucifige eum*, respondit : *Regem vestrum crucifigam?* Joannis 19, 15; quasi ipsorum consuleret honori, quibus ignominiosum videri poterat eorum regem, quamvis gravis reum sceleris, fuisse crucifixum. Solent reges securi percuti, non in crucem agi. Multò verò maximè cùm ad eum uxor nuntium misisset, caveret ne quid sibi cum justo illo esset, et cùm ex Judæis audivisset filium Dei se facere, Joannis 19, 7. Priùs enim religione, ut videtur, et æquitate, post etiam metu absolvere conatus est. Hæc omnia ideò evangelistas narrâsse credendum est, ut intelligeremus, quàm iniquè Christus damnatus esset, quem profanus etiam, et iniquus judex solâ pietate et æquitate motus, tam sæpè dimittere tentavit. Deinde, ut ex Pilati et Judæorum comparatione incredibilis Judæorum iniquitas, atque perversitas cognosceretur. Tum etiam, ut ex ratione condemnationis per importunitatem extortæ à judice omnibus modis repugnante, appareret Christum non tam ab hominibus, quàm à Patre ad crucem tractum fuisse.

Vers. 19. — Sedente autem eo pro tribunali, id est, valdè opportunè, cùm jam ad ferendam sententiam paratus esset, ut res non casu, sed divino consilio facta videretur. Eâ enim re Matth., qui hoc solus narrat, hanc circumstantiam expressit.

Misit ad eum uxor ejus dicens, Nihil tibi, et justo illi. Id est, ne te ejus negotio immisceas, ne eum condemnes. Justum et vulgari opinione, et viso suo admonita Christum appellat. Addit hoc verbum nuntio, ut facilius vel religione, vel metu marito persuadeat; nam etsi credendum est piam fuisse mulierem, et in Christum aut ante, aut tunc primùm per quietem edoctam credidisse, tamen vero simile etiam est aliquem in eâ humanum quidem, sed non malum affectum fuisse, timuisseque ne quid mali marito suo, si hominem justum condemnâsset, eveniret.

Multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Id est, multa somniavi, quæ me anxiam, sollicitamque reddiderunt. Quid somniaverit, quia evangelista non docet, temerarii est interpretis divinare velle. Hoc tantùm ex ejus ad maritum misso nuntio colligere nobis licet, eam per somnium et Christum innocentem filiumque Dei esse cognovisse, et ea prospexisse mala, quæ ab ejus nece Jerosolymitanæ civitati erant eventura, quibus ne maritus mortis ejus auctor involveretur, verebatur. Disputatur à nonnullis, quale id fuerit somnium. Quatuor enim genera ab iis, qui de eâ re scripserunt tradi solent. Naturale, quod corporis constitutio, et natura gignit; alia enim biliosi, alia sanguinei, alia melancholici somniare solent. Morale, quod ex cujusque studiis, actionibus, cogitationibus, et moribus nascitur : sic enim comparatum est, ut quæ aut agimus, aut vehementer cogitamus, et cupimus ea somniemus. Itaque meritò Plato alia etiam philosophi, et hominis sapientis, quàm cæteroram hominum somnia esse oportere arbitrabatur. Divinum, quod à Deo, aut per angelos, aut sine nllo ret, sed ut ejus innocentiam hoc testimonio comprobaret.

angelo frequenter immittitur, cujus in sacris Literis, et multa, et nota sunt exempla, ut cap. 2, 13, disseruimus. Diabolicum, quod à Diabolo immittitur, cujusmodi major pars eorum, quæ obscœna sunt, vulgò esse creduntur. Hujus mulieris somnium naturale fuisse nemo, quod sciam, dixit, neque ullâ cum probabilitate dici potest. Morale fuisse nonnulli, aut putant, aut non negant, quasi mulier ideò de Christo eâ nocte somniaverit, quòd sciret ejus inter Judæos causam agitari. Opinio non vulgaris modò, sed vetus etiam fuit, ut ex Ignatio, epistolâ 5 ad Philippenses, et Bedæ, ad hunc locum Commentariis, ex auctore scholasticæ, ut appellant, Historiæ intelligimus, diabolicum hoc fuisse somnium. Diabolum enim tunc cœpisse Christi divinitatem cognoscere, et mysterium mortis ejus, quâ hominum genus, liberaturus erat, intelligere; quare conatum per mulierem ejus impedire mortem. Sententia meo quidem judicio, quamvis bonos habeat auctores, minimè probabilis; nam diabolum Christi divinitatem priùs cognovisse, cap. 4, ex Evangelistarum testimoniis probatum à nobis est; et si impedire Christi mortem volebat, cur non potius Judæorum animos, qui totius tragœdiæ auctores erant, quàm alienigenæ mulieris, cujus sexus etiam, quæ veræ divinationes sunt, somnia creduntur, hujusmodi in somniis territabat? A Deo igitur illi immissum est somnium, ut Origen., Hilarius, Leo, serm. 11 de Passione, Chrysost., Hier., Euth. et Theoph. in hunc locum existimant. Quærunt quidam, cur non potiùs Pilato hujusmodi somnium Deus injecerit. Chrysost., Theophylact., et Euthymius duas hujus rei rationes afferunt, vel quòd indignus fuerit, cui id Deus revelaret, vel quòd minùs illi à Judæis creditum fuisset, tanquàm homini suspecto, aut corrupto judici, qui ad dimittendum Christum somnia confingeret. Voluit, ut ego arbitror, Deus, si de divinis nobis consiliis licet conjecturam facere, ita condemnari Christum, ut tamen omnibus modis, omnis generis personarum sententiis, omnium elementorum veluti sensu ejus innocentia testata esset: propterea non solùm Judæi multi, qui in Christum credebant, non solùm judex qui sententiam in ejus causâ laturus erat, non solùm ejus uxor mulier ante profana, et testis minimè suspecta, non solùm centurio, et milites, qui paulò ante crucifixo Christo convicia dictitabant, sed obscuratus sol, scissæ petræ, diruptum velum templi, concussa terra, Christi innocentiæ, atque divinitati testimonium præbuerunt. Salvam eam fuisse mulierem propter somnium illud, quod de Christo habuit, probabiliter Origenes, Chrysost. et Theophylact. existimant.

Vers. 23. — Quid enim mali fecit? Eodem modo, atque iisdem verbis Marcus scribit, cap. 15, 14; et Lucas, 23, 22: Τί γὰρ κακὸν ἐποίησε; causalis particula, γάρ, *enim*, difficilem orationem reddit, quia non apparet cujus rei causâ reddatur. Clamabant Judæi: *Crucifige, crucifige eum.* Respondet Pilatus: *Quid enim mali fecit?* Itaque existimare aliquis possit particulam γὰρ positam esse pro οὖν, igitur, quasi dicat, si voltis, ut crucifigatur, quid igitur mali fecit? id est, reddite causam, cur crucifigendus sit. Ego non his, quæ dicuntur, sed his, quæ tacentur et intelliguntur respondere arbitror; nec enim omnia evangelista recitavit; sed, ut Joannes scribit, Pilatus clamantibus Judæis, *tolle, tolle, crucifige eum*, priùs respondit: *Regem vestrum crucifigam?* quasi dicat: Non crucifigam, *quid enim mali fecit?* simile exemplum supra adnotavimus, c. 26, 64, ubi docuimus particulam *verumtamen* non respondere iis quæ exprimuntur, sed iis quæ intelliguntur, quæque ab alio evangelistâ Lucâ expressa sunt; Lucas addit dixisse Pilatum hoc loco: *Corripiam ergo illum*, παιδεύσας οὖν αὐτὸν aut castigabo verbis, aut cædam flagris. Quanquàm ex Joanne, ut paulò post dicemus, flagellatum fuisse appareat. Post hæc enim, quæ Matthæus et Marcus hoc loco similiter narrant, scribit verberibus cæsum, spinis coronatum, purpurâ indutum, et ad Judæos productum fuisse, dicente Pilato: *Ecce homo*, ut vel miserabili spectaculo feroces Judæorum animi placarentur, Joan. 19, 1, 2, 3, 5. Sed Matth. et Marcus, quia de Christi condemnatione agere cœperant, ne narrationis filum rumperent, ista proposuerunt infrà, vers. 26, 27, 28, 29, ut D. August., lib. 3 de Consens. evang., c. 9, existimat. Quanquàm Hilarius, Matth. et Marcum rectum narrationis ordinem tenuisse putat. Sunt etiam, qui his Christum flagellatum arbitrentur, primùm hoc loco ad mitigandos Judæorum animos, ut eo contenti supplicio absolvi permitterent, ut scribit Joann. Deinde cùm jam condemnatus esset, quòd Romanorum, ut Hieronymus ait, esset consuetudo, ut neminem, nisi priùs flagellatum, crucifigerent. Quod de Judæorum crudelitate facilè credi potest; sed ex evangelistarum historiâ probari non potest. Quanquàm Beda in eâ videtur esse sententiâ.

Vers. 24. Tunc Pilatus videns, quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret. Non excusat Pilatum, sed Christum, dùm docet præsidem non ullo idoneo testimonio, non ullo probato crimine, sed solo popularis seditionis metu Christum damnavisse, et ita damnavisse, ut damnando etiam absolverit.

Accepta aqua lavit manus coram populo. Sunt qui existiment non solùm Judæorum fuisse cæremonium, ut judices reum mortis judicaturi aquâ manus abluerent, ut Deut. 21, 6, traditum est; sed aliarum etiam gentium consuetudinem, ut ex Triclinio Sophoclis interprete confirmant, et ex illo Virgilii carmine:

Me bello è tanto digressum, et cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Vers. 25, 25, 26, 27 et 28. — Quod supplicium erat Romanis usitatum adversùs seditiosos. Super nos, mors ejus vindicetur in nos, et filios nostros, si sic est innocens: quæ ultio est consecuta. Flagellatum, more Romanorum. Universam cohortem, cohors erat pars decima legionis. Chlamydem, vestis erat regia et militaris, ut verisimillimum est, valdè dotrita.

Fuerit sanè mos aliarum gentium, Romanorum certè non fuit, ut etiam Origenes adnotavit, et ex Romanorum historiis manifestum est. Potiùs ergo credo Pilatum, quamvis Romanum hominem, in causâ tamen hominis Judæi, et apud Judæos Judæorum cæremoniâ suam innocentiam testari voluisse. Sciebat Judæos manuum ablutione innocentiam significare, ut ex illo, quem paulò ante signavimus, Deut. loco perspicuum est, et ex Psal. 25, 6: *Lavabo inter innocentes manus meas*, sed non abluitur tam grave crimen aquâ, rectèque de Pilato, serm. 8, de Passione, scripsit Leo: *Nec purgant contaminatum animum manus totæ, nec in aspersis aquâ digitis expiatur, quod famulante impiâ mente committitur. Excessit quidem Pilati culpam facinus Judæorum, qui illum nomine Cæsaris territum, et invidiosis vocibus increpatum ad effectum sui sceleris impulerunt; sed nec ipse evasit reatum, qui cooperatus seditionis reliquit judicium proprium, et in crimen transivit alienum.*

Innocens ego sum a sanguine justi hujus. Declarat verbis, quod ablutione aquæ significabat, et antequàm Christum condemnet, absolvit, dùm justum esse testatur, se verò ipsum condemnat, quòd, quem justum esse affirmat, eum condemnet, mentitur ergo, cùm dicit: *Innocens ego sum*; nec enim condemnato justo innocens esse poterat.

Vers. 25. — Sanguis ejus super nos, et super filios nostros, id est, nos, et filii nostri, si qua in eo culpâ est, præstabimus; nos pœnam luemus; phrasis Hebraica, Levitici 20, 9, 12, 16; Josue 2, 19; 2 Regum 1, 16; Ezech. 33, 4; Osee 12, 14. Similem apud Senecam observare memini.

Vers. 26. — Flagellatum tradidit, ut crucifigeretur. Flagellatum ante, ut vers. 25 explicavimus. Quale flagellum fuerit, minimè constare potest, et inanis curiositatis est quærere; vulgò ex spinis fuisse creditur. Euthym. ex funiculis, aut loris fuisse conjicit. Probabilius est fuisse virgas, quibus Romani utebantur; propterea enim lictores ante consules virgas ferebant.

Vers. 27. — Tunc milites præsidis. Istud *tunc* non significat consecutionem, et rerum, quæ narrantur, contextum, sed totum illud tempus, quo Christi passio duravit. Hæc enim, quæ Matth. dicit tunc facta fuisse, ante fuisse facta, vers. 25, ex Joan. probavimus. Itaque *tunc* idem valet, atque sub idem tempus, id est, paulò ante.

Suscipientes Jesum in prætorium, id est, in locum, ubi prætoris tribunal erat, qui prætorium appellabatur. Qualis fuerit locus, Marcus, cap. 15, 16, exponit: *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii.* Erat ergo tribunal prætoris in atrio aliquo, aut atrio vicinum, ut eò, qui causas habebant, convenire possent. Cur milites in eum locum Christum deduxerunt, ex eventu licet facere conjecturam, voluisse nos Christum in tribunali, quasi regem, irrisionis causâ collocare. Videmus enim et coronam illi, tanquàm regi, imposuisse, et induisse purpuram, et pro sceptro arundinem dedisse. Reliquum erat ut in tribunali quasi in throno collocaretur. Hæc autem omnia, quæ milites fecisse legimus, Pilati jussu, ex Joanne colligimus: *Tunc*, inquit, *apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit, et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus*, Joannes, 19, 1, 2.

Congregaverunt ad eum universam cohortem, quasi ad regem, ut magis irriderent.

Vers. 28. — Et exuentes eum, καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, *cùm exuissent eum veste suâ.*

Chlamydem coccineam circumdederunt ei, purpuream, ut Marcus, c. 15, 17, et Joannes 19, 2, exponunt. Nemo nescit purpuram proprium habitum fuisse regum, non apud Romanos solùm, sed apud alias etiam gentes. Itaque, quos volebant reges sibi proximos esse, iis pro magno beneficio concedebant, ut purpurâ uti liceret, 3 Esdræ, 5, 6, 4 Machab., 10, 20, et 11, 58, et 14, 43, 44.

Vers. 29. — Plectentes coronam de spinis. Spinas in coronæ modum concinnantes atque vincientes Christi capiti imposuerunt coronam, ut regi; de spinis ut condemnato imponunt, ut significent non verum, sed ridiculum et miserabilem esse regem. Eòdem pertinet quòd arundinem in dexterâ ejus pro sceptro ponunt.

Vers. 32. — Exeuntes autem, cùm ex urbe exirent aut statim egressi urbe. Non enim dixit Græcè ἐξελθόντες, per aoristum, sed ἐξερχόμενοι, *exeuntes*, ut significaret in ipsâ urbis portâ hominem illum Cyrenensem offendisse.

Invenerunt hominem Cyrenæum. Cyrenæus appellabatur, vel quia Cyrene natus, vel quia inde oriundus erat; erat autem Cyrene et urbs regionis Decapoleos in Syriâ caput, et totius Decapoleos regia, quæ ex principe urbe Cyrene vocabatur, 4 Regum 16, 9. Legat, qui volet Plinium, libro 5, c. 5, et Strabonem, libro 17, et Melam, libro 1, et Ammianum Marcellinum, libro 22. In eâ urbe atque regione Judæos etiam fuisse ex Actis Apostolorum, c. 2, 10, colligimus. Quanquàm incertum est, Judæusne, an gentilis Simon ille Cyrenæus fuerit. Veteres enim auctores Hilarius, Ambros., Beda et Leo, serm. 8 de Passione, gentilem fuisse putant, in eo ipso mysterium ponentes, quasi significatum eâ re sit fore ut non credentibus Judæis, gentiles Christi crucem amplecterentur. Cæterùm, quia Marcus, 15, 21, dicit patrem fuisse Alexandri et Rufi, probabilius fortassè videri potest fuisse Judæum; nominat enim eos quasi vulgò notos, aut, ut nonnulli suspicantur, quasi Christi discipulos.

Hunc angariaverunt. Quid esset angariare, c. 5, 41, docuimus. Joannes, 19, 17, scribit Christum crucem suam bajulâsse, quod facilè cum Matthæi et Marci sententiâ conciliari potest, si dicamus principio milites Christo crucem imposuisse, eamque per totam Jerosolymitanam urbem gestâsse; in exitu verò urbis angariatum Simonem Cyrenæum, ut eam [illegible] absynthio, imò et felle mistum: Gr.: ὄξος μετ acetum fortè, aut vinum evanidum myrrhâ

locum ubi crucifigendus erat, portaret, ut Origenes, tract. in Matth. 35, Athanasius, in serm. de Pass. et Cruce Domini, Augustinus, libro 3 de Cons. evangelistar., cap. 10, Hyeronymus, Beda, Euthym. et Theophylactus existimant. Videtur consuetudo fuisse, ut qui crucifigendi erant, suam quisque portaret crucem. Itaque propterea initio imposita Christo est. Cur autem postea conductus Simon fuerit, ut eam gestaret, evangelistæ non indicant, sed vero similis quorumdam est conjectura, adeò et vigiliâ et flagris fatigatum fuisse Christum, ut portare ultra non posset. Nam quamvis ut Deus portet *omnia verbo virtutis suæ*, Hebr. 1, 2, naturam tamen humanam perinde ut si Deus non esset, pati permittebat. Sunt qui putent Judæorum studio id factum esse adeò Christi mortem accelerantium, ut quia Christus crucis gravis festinare, quantùm ipsi volebant, non posse videbatur, robustum conduxerint hominem, qui crucem portaret. Fortassè et mysterio id factum est, ut Christus initio quidem crucem suam gestaret, ut veterem Isaæ impleret figuram, qui ligna, quibus sacrificaretur, humeris suis portaverat, Genes. 22, 6, ut Chrysostomus, hom. 84 in Joan., et August., tract. in Joannem 1, 7, et Theodoretus in Impatibili interpretantur; poster verò portaret Simon, ut reipsà doceret quod verbis ante docuerat, c. 16, 34: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Ita Ambrosius, lib. in Lucam 10: *Bonus ordo nostri profectus est, ut prius crucis suæ trophæum ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum.* Narrat hoc loco Lucas, 23, 27, secutas fuisse Christum mulieres magnamque populi multitudinem, quæ plangebant et lamentabantur eum. Mulieres quæ fuerint, vers. 56, Matthæus exponit; reliquam verò multitudinem populi confluxisse vero simile est, quam solam in Christum credidisse principes sacerdotum dictitabant, Joan. 7, 49. Narrat præterea Lucas, vers. 28, 29, conversum ad mulieres Christum dixisse: *Filiæ Jerusalem*, id est, ô mulieres Jerosolymitanæ; phrasis Hebraica, qualis illa Gallorum est quâ Parisienses cives filios Parisienses vocare solent: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete*, id est, nolite flere propter me, sed propter vos; alter hebraismus *super me*, id est, propter me; *quoniam ecce venient dies*; cùm dicit *ecce*, appropinquare tempus significat, quasi jam ante oculos sit; hanc enim plerùmque ejus particulæ vim esse diximus, c. 2, 1. Itaque non dubium quin proximum excidium Jerosolymitanum designet, quod sub Tito et Vespasiano factum est, quo tempore cùm Judæi omnes, tum maximè mulieres adeò miserabilem calamitatem expertæ sunt, ut nonnullæ, quemadmodùm Josephus scribit, suos edere infantes coactæ sint. Dicit hoc Christus mulieribus potiùs quàm viris, et quia credendum est mulieres potiùs quàm viros in eâ populi multitudine, quæ Christum sequebatur, lamentatas fuisse atque planxisse, ut mulièbre ingenium est, et quia majorem illæ quàm viri miseriam in illâ Jerosolymitanâ clade experturæ erant. Vetat autem propter se flere, indicans secum minimè malè agi, qui ut Patris obsequeretur voluntati, hominesque à diaboli tyrannide liberaret, non trahebatur vi, sed sponte iret ad mortem paulò post ad dexteram Patris exaltandus, et nomen accepturus quod est super omne nomen. Jubet autem eas propter seipsas flere, quòd ipsæ essent mortis suæ pœnas luituræ, cujus causâ Jerosolymitanum excidium immineret; non quòd illæ ipsæ, quæ tunc flebant, mulieres Jerosolymitanam illam calamitatem subituræ essent, quæ fortassè omnes ante id temporis de vitâ decesserunt; sed quia Jerosolymitanæ mulieres, quæ tunc futuræ erant, tot tantaque mala passuræ essent, ut dicerent: *Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt.* Nam etsi cum illis personis loquitur, tamen non de illis ipsis personis, sed de toto personarum genere, quod dicit intelligendum est, ut c. 3, 11: *Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne;* non enim indicat eos ipsos, quibuscum loquebatur, à Christo fuisse baptizandos, qui nunquàm fortassè baptizati sunt; sed Judæos quales illi erant Spiritu sancto et igne baptizandos. *Beatæ steriles et ventres, qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt.* Mulierem lamentationem describit, quæ in rebus adversis constituæ magis de filiis suis quàm de se sollicitæ eos quasi sui oblitæ lamentari solent. Itaque, ut extremam calamitatem David describeret, Psalm. 77, 63, dixit: *Juvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatæ.* Aliâ ratione, sed simili ejus calamitatis magnitudinem supra, c. 24, 19, declaravit. *Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus* quòd et ejusmodi mulieres impeditæ ad fugam futuræ essent, et duplicem dolorem pro se proque suis infantibus percepturæ. *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, et collibus: Operite nos.* Vox est hominum extrema patientium mala, qui mori vellent nec possunt, dolorisque magnitudine superati montibus clamant ut super se cadant, et vel miserabili morte præsentibus malis eripiant. Eâdem phrasi apud Isaiam, cap. 2, 19 et apud Osee, cap. 10, 8, et in Apocalyp., cap. 6, 16, extrema miseria declaratur. *Quia si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Comparat se ligno viridi, Judæos arido, quia quemadmodùm lignum viride ad incendium minimè aptum est, aridum, aptissimum, ita ipse ad supplicium minimè aptus, id est, minimè dignus, Judæi verò aptissimi, id est, dignissimi erant, si non ob aliud, ob hoc certè ipsum, quòd Christum quem pro servatore suo recipere debuerunt, morti tradererent. Quod hoc loco Christus lignum aridum vocat, D. Paulus ad Rom. 9, 22, aliâ metaphorâ, *vasa iræ apta in interitum* appellat, id est, vasa adeò fragilia, ut quovis o tactu conterantur, quibus eos vult homines significari, qui cumulantes peccata peccatis adeò maturi ad pœnam sint, ut nisi infinita Dei misericordia sustentaret, dehiscens eos terra consumeret. Propheta ejusmodi homines stipulæ, iram verò Dei flammæ comparare solent, Isai. 5, 24, et 33, 11, et 47, 14, et Abdiæ 1, 18, et Malach. 4, 1. Argumentatur jaitur

Christus à minori ad majus: Si Deus mihi innocenti non pepercit, sed pro aliis me tam gravia supplicia subire jussit, quomodò his parcet, qui me ad crucem adegerint? Simili D. Petrus argumento usus est, 1 Epistolâ, c. 4, 17, 18: *Tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei; si autem primùm à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei evangelio? et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?*

Vers. 33. — Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est calvariæ locus. Hebræi caput גלגלתא appellant, quòd rotundum sit. Syri et Chaldæi unius adjunctione litteræ גלגלתא, *Golgoltha*. Sic enim legendum est, sed scriptorum vitio unam detractam litteram fuisse arbitror, errorem deinde temporis longinquitate confirmatum. Cur ita locus ille vocatus fuerit, satis compertum non est. Antiqua et multorum veterum scriptorum auctoritate nobilis opinio est, ideò Golgoltha, id est, *Calvariam*, aut *Cranium* appellatum, quòd ibi Adam primi hominis caput repertum esset. Vetus enim traditio quasdam invaluit, eo loco Adamum fuisse sepultum, ut Origenes, tract. in Matth. 33, Cyprianus, serm. de Resurrectione, Athanasius, in serm. de Passione et Cruce Christi, in eam sententiam Hebræorum magistros auctores proferens, quod etiam facit Ambrosius, libro Commentariorum in Lucam 10. In eâdem sententiâ divus Basilius est in Comment. in cap. 5 Isaiæ, et Epiphanius, hæres. 46, et in Anchorato, et Chrysostomus, homil. in Joan. 84, et D. Augustinus, serm. 71 de Tempore, et lib. 16 de Civitate, cap. 52, et Paula et Eustochium, doctæ mulieres, in Epistolâ ad Marcellam, quæ apud Hieronymum extat. Quam opinionem D. Hieronymus in Commentariis ad hunc locum meritò fortassè, sed minùs, meo quidem judicio, probabili argumento refellit, quòd Scriptura, inquit, doceat, Josue 14, 15, Adamum non juxta montem Sion et Jerosolymitanam urbem, quæ Jebus prius appellabatur, sed in Hebron fuisse sepultum. *Nomen Hebron*, inquit Josue, *ante vocabatur Cariatharbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Nomen enim Adam eo loco non est proprium, sed appellativum, quod mirum non est, Hieronymum virum quidem maximum, sed aliud agentem, præterisse. Alii à formâ montium humano similis capiti, ubi locus ille situs erat, *Calvariam* appellatum putaverunt, ut Cyrillus Jerosol., catech. communi 13, auctor est; sed eam opinionem idem Cyrillus ex topographiâ refellit; *nec enim*, inquit, *eo loco, qui Calvaria dicebatur, mons ullus est.* Existimat verò idem Cyrillus locum illum propheticè *Calvariam*, id est, *Caput* dictum esse, quòd ibi Christus caput nostrum moriturus esset. Hieronymi et Bedæ sententiam magis probo, ideò eum locum *Calvariam* aut *Cranium* nominatum, quòd ibi facinorosi homines decollarentur, ideòque humanis capitibus plenus esset. Nam qui cruci eodem loco affigebantur, cùm animam egissent, tolli ad sepulturam solebant; qui verò securi feriebantur, ut Hieronymus putat, insepulti manebant.

Vers. 34. — Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Marcus, 15, 23, *myrratum vinum* Christo porrectum fuisse dicit, quod auctores alii aliâ ratione conciliant. Augustinus, lib. 3 de Cons. evang., c. 11, *myrrhatum*, ut ait Marcus, *vinum*, fuisse putat, non felle infectum, sed Matthæus felle mixtum appellâsse, quòd amarum esset, et solemus quidquid amarum est, aut fel, aut felle mixtum appellare. Putat etiam idem Augustinus, quem Beda et Strabus imitantur, probabile esse vinum et myrrha, et felle simul fuisse permixtum, et Matthæum fellis, non myrrhæ, Marcum myrrhæ, non fellis meminisse. Euthymius autem existimat duplex Christo vinum à diversis hominibus, ab aliis myrrhâ, ab aliis felle mixtum exhibitum fuisse. Sunt qui à pïis mulieribus, quæ Christum lamentantes sequebantur, priùs vinum myrrhâ commixtum datum fuisse, quod tormenta et cruciatus subituris dari solerent, ut conditi vini ardore alienatis sensibus dolorem aut nullum, aut minorem caperent. Sunt qui hunc potum, et illum quem Lucas, c. 23, 36, et Joannes, c. 19, 29, Christo jam crucifixo, ut extremum penè spiritum emittenti datum fuisse tradunt, unum eumdemque fuisse dicant, cujus sententiæ primus Chrysostomus auctor fuit, secutus Euthymius. Sed ex diversâ apud evangelistas narrationis serie perspicuum est fuisse diversum. Nam Matthæus et Marcus non obscurè significant, antequàm in crucem tolleretur, myrrhatum illi vinum datum fuisse, uno crucis dolorem minùs sentiret. Lucas verò et Joannes non solùm jam crucifixo, sed etiam extremum exhalanti spiritum, cùm omnes jam cruciatus perpessus esset, illum alium potum porrectum fuisse tradunt. Deindè Matthæus, et Marcus vinum fuisse dicunt, Lucas et Joannes acetum, nam quod in codicibus Græcis hoc etiam loco ὄξος, id est, acetum legitur, quamvis et Origenes, et Chrysost., et Euthymius, et Hieronymus, et, quod amplius est, Syrus interpres ita legisse videantur, tamen viriosam esse lectionem ex Marco manifestum est, apud quem eamdem historiam enarrantem nemo unquàm nisi vinum legit. Certissimum autem argumentum est, quod idem Matth. paulò post vers, 48, de illo ipso potu, quem Lucas et Joannes morienti jam Christo datum fuisse dicunt, loquens. *Et continuò*, inquit, *currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.* Potum illum sine ullâ ambiguitate ab eo, de quo hoc loco agit, omninò distinguens; hic vinum illic acetum; hic antequàm crucifigeretur, illic crucifixo; hic vasi, ut credendum est; illic spongiâ, et arundini; hic non petenti, illic petenti Christo, dicentique, ut ait Joannes: *Sitio*, datum esse. Noster certè interpres, non acetum hoc loco, sed vinum legit, sicut et Hilarius, et Ambrosius, in Com. in Lucam, et August., lib. 3 de Cons. evang. c. 11, et Juvencus, et Sedulius legunt, et, ut ego quidem opinor, etiam Hieronymus. Nam, in Comm., non aceti, sed vini mentionem facit. Sed aliquis improbè doctus et vitiato codice in Matthæi contextum, qui cum Hieronymi commentariis est, expuncto vino acetum intrusit. Certè Hilarius et Ambrosius, hunc

et illum, de quo idem Matth. postea, versu 48, et Lucas, atque Joannes scribunt, diversos postea fuisse putant, neque de eâ re quemquam, qui attentè evangelistas legerit, dubitare posse arbitror.

Et cum gustasset, noluit bibere. Marcus scribit non accepisse, quod, cùm dissonare videatur, minimè dissonat. Matthæus enim accepisse indicat, id est, gustâsse, Marcus non accepisse, id est, non bibisse, quemadmodùm D. Augustinus eo, quem paulò ante notavimus, loco interpretatur. Cur gustatum vinum bibere noluerit, conjecturæ locus est. Puto, ne contemnere datum de more vinum videretur, gustare voluisse; ut autem ostenderet se ad ferendos crucis dolores eo medicamento non indigere, noluisse bibere. Nam et nos, cùm minimè sitimus, ad bibendum ab amicis invitati, uti benevolentiæ officium agnoscamus, oblatum gustamus vinum; ut autem temperantiæ satisfaciamus, gustatum non bibimus. Hoc duplici potu, quem Christo datum docuimus, impleta Davidis prophetia est Psal. 68, 22. *Dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto.* Nam primum vinum illi cum felle aut myrrhâ mixtum, quæ propter amaritudinem, ut diximus, fel appellatur, deinde acetum datum est: at propheta fel non potum, sed in escam datum dicit. Sanè quidem, sed quia de felle tantùm loquebatur, quod si alio liquore dilutum non sit, magis cibi, quàm potûs similitudinem habet, escam potûs quàm potum appellavit. Eo fortassè consilio Matth., quamvis fortassè sciret vinum illud non vero felle, sed metaphorico, id est, amarâ myrrhâ dilutum fuisse, felle tamen mixtum fuisse dixit, ut Davidis prophetiam impletam fuisse uno obiter verbo doceret. Quæri à nonnullis solet, cur hoc mortis genere Christus mori voluerit. Ejus rei, qui multas rationes videre volet, Gregorium Nyssenum, in Oratione de Resurrectione Christi, et D. Thomam, in Comment. hujus loci, legat. Mihi una D. Pauli ratio satis est. Voluit Christus ignominiosissimum genus mortis pro nobis subire, ut eâ etiam ratione et se ipsum demitteret, et suum erga nos charitatem declararet, et humilitatis nobis exemplum relinqueret: *Humiliavit*, inquit, *semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ad Philip. 2, 8. Et Petrus, I Epistolâ, cap. 2, 21: *In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*

Vers. 35. — Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus. Lucas, 23, 34, scribit Christum, dùm crucifigeretur, pro crucifigentibus his verbis orâsse, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, quibus verbis haud obscurè indicat se etiam pro illis ipsis, à quibus crucifigebatur, mortem obire; unde et veius Prædestinatianorum, de quo alio diximus loco, et novus Calvinistarum error confutatur, qui Chri-

Vers. 35. — Crucifixerunt eum; quatuor clavis affixerunt: non enim ligabant pedes et manus, sed figebant, suppedaneo subjecto. Plautus, in Mostellariâ, actu 2: Ego dabo ei talentum primus qui in crucem excurrerit, sed eâ lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia. Cùm hæc verba, ut impleretur, desint

stum pro solis prædestinatis mortuum fuisse docent.

Sortem mittentes. Marcus, cap. 15, 24: *Diviserunt vestimenta ejus mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.* Lucas, 23, 34: *Dividentes verò vestimenta ejus miserunt sortes.* Itaque tres evangelistæ Matth., Marcus, et Lucas, maximè verò Marcus ita scribunt, quasi omnes Christi vestes sortibus distributæ fuerint, neque aliter profectò intelligere possemus, nisi rem distinctiùs explicâsset Joannes, cap. 19, 23, 24: *Milites ergo, cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam; erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem non scindamus eam, sed sortiamur de illâ, cujus sit.* Unde perspicuum est non omnes Christi vestes, sed solam tunicam sortitione distributam fuisse, quemadmodùm Euthymius observavit. Sunt qui ex Lucâ quinque tunicas Christum habuisse colligant, sed ex Joanne manifestè colligitur unam tantùm habuisse. Dicit enim milites vestimenta Christi, et tunicam distribuisse, quasi cæteris vestimentis tunicam opponens, quod Euthymius acutè vidit. Quæ autem fuerit tunica, quæve cætera vestimenta, compertum non est; conjecturâ tamen aliquid, quod simile vero sit, consequi possumus; tunicam fuisse eam, quæ post interulam (si eâ tamen Christus utebatur) corpori proximè adhærebat, totumque tegebat hominem; nullum enim vestis genus est, quod verò similius sit suturâ caruisse. Cæteras verò vestes, et superiorem togam, cujus loco purpurâ Christum milites induerant, vers. 28, et caligas, cæteraque indumenta, quibus tenues etiam homines uti solebant, intelligenda esse arbitror. Vulgaris est opinio probabilitate non carens, tunicam illam inconsutilem à matre Christo adhuc puero factam fuisse, quam opinionem Euthymius tanquàm vetustiorem et recitat, et approbat. Dubitare lector poterit, an latronum etiam vestes à militibus divisæ fuerint; nihil enim de eâ re evangelistæ scriptum reliquerunt. Non dubito, quin consuetudo eadem apud Judæos et Romanos fuerit, quam nunc apud omnes gentes esse videmus, ut eorum, qui capite puniuntur, vestes carnifex tollat. Quare et latronum vestes à militibus qui carnificum munere fungebantur, distributas fuisse credendum est, sed nimirùm evangelistæ, quia nec latronum, sed Christi historiam narrabant, et in vestium latronum distributione nullum sciebant fuisse mysterium, solâ enim consuetudine fuisse divisas; divisionem autem vestium Christi, non consuetudine solùm, sed etiam mysterio factam fuisse, ut Davidis impleretur prophetia, Psal. 21, 19: *Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem*, de vestium latronum divisione mentionem non fecerunt, de distributione, sortitioneque vestium Christi fecerunt. Hâc de causâ adjecit statim

in plerisque manuscriptis Græcis, multi existimant ex Joannis, c. 19, ea esse desumpta. Diviserunt sibi vestimenta ejus, nudus adeò crucifixus est, et impleta est prophetia Psalmi 21, et Isaiæ 53: *Et cum iniquis deputatus est.*

Matthæus, ut impleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: *Diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem.* Quanquàm hæc verba in antiquis Græcorum codicibus non invenio, nec ea Origenes, et Euthym. legunt. At legit utique noster interpres, legit Syriacus, et credibile est à Matthæo scripta fuisse, qui inter omnes evangelistas studiosissimè veteres prophetias à Christo impletas fuisse ubique ostendere conatur.

Vers. 37. — Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam, id est, affixerunt in eâ crucis parte, quæ super Christi caput eminebat. Utrùm tabella aliqua ligno crucis affixa, an in ipso crucis ligno titulus ille scriptus fuerit certum non est; sed et vulgò creditur, et est multò probabilius fuisse tabellam, et quia vix in ipso crucis ligno tam multa verba tribus linguis, tam magnis characteribus, ut à prætereuntibus legi possent, scribi potuerunt; et quia nemo est, qui homini cruci affixo ejusmodi titulum posituras non scriberet in tabellâ, et quia veteres historici tradunt titulum illum à cruce separatum ab Helenâ Constantini matre fuisse repertum, Ruffin, lib. 1; Hist. Eccles., c. 7. Non solet quæri, et quæri tamen posse video, an etiam latronibus positi tituli fuerint. Probabile mihi videtur suum quemque titulum etiam habuisse; morem enim fuisse usitatum, ut his, qui in crucem agebantur, causa mortis super crucem poneretur, eoque instituto Christo etiam superpositum fuisse titulum. Nam quod Ambrosius in oratione de Obitu et Vitâ Theodosii, et alii nonnulli scriptores antiqui tradunt crucem Christi, cùm ab Helenâ inventa est, ex titulo ab aliis discretam fuisse, minimè repugnat: potuit enim titulo discerni, non quòd illa haberet, aliæ non haberent, sed quod in titulo crucis Christi scriptum esset: *Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Ex quibus verbis perspicuum erat eam Christi fuisse crucem.

Hic est Jesus rex Judæorum. Marcus, c. 15, 26, hæc tantùm in titulo ponit verba: *Rex Judæorum.* Lucas verò, cap. 23, 38: *Hic est rex Judæorum.* Joan. cap. 19, 19: *Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Itaque cùm omnes evangelistæ tituli sententiam expresserint, nemo tamen eorum videtur omnia tituli verba posuisse. Ex omnibus autem hæc fuisse verba colligere nobis licet: *Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Jussu Pilati cum titulum Christo impositum fuisse Joannes docet, sive recepto posuerit more, quòd judicis, qui reum damnaverat, esset damnationis causam posito super caput damnati titulo exponere, sive privato in solo Christo consilio id fecerit, cùm aliis, qui cruci affigebantur, non soleret titulus poni, ut quia Christi causa justissima erat, immeritòque damnatus fuerat, publico illo elogio purgaret sese, ut meritò Christum damnâsse videretur, quòd regnum contra Cæsaris fidem affectâsset. Quocumque suo consilio Pilatus id fecerit, divino impulsum consilio fecisse ex Joanne, 19, 21, 22, manifestum est, ut judex etiam ipse, qui Christum damnaverat, illo ipso titulo, quo meritò damnâsse declarare voluit, immeritò damnâsse declararet, et Christum verum Judæorum regem, id est, Messiam esse testaretur. Nam cùm Judæi, qui titulum legerant, Pilatum rogavissent, ne scriberet: *Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum*; sed: *Hic est Jesus Nazarenus*, qui se regem Judæorum fecit, respondit: *Quod scripsi, scripsi*, id est, quod à me scriptum est, mutare non possum, quasi divinâ teneretur manu, quâ priùs, ut ea verba scriberet, impulsus fuerat. Non dubito, quin Pilatus his verbis: *Hic est Jesus Nazarenus rex Judæorum*, nihil aliud significare voluerit, quàm, quod scribi Judæi postulabant: *Hic est Jesus Nazarenus*, qui se Judæorum regem fecit. Sed divina effecit providentia, ut id illis diceret verbis, quibus Christus verus rex Judæorum esse significaretur. Extorsit Deus ab invito judice veritatem.

Vers. 38. — Tunc crucifixi sunt, cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris. Cur cum latronibus crucifixus fuerit, Marcus, c. 15, 28, unam reddit causam, ut Isaiæ impleretur prophetia, c. 53, 12: *Et cum iniquis reputatus est.* Sed hæc causa Deum movit, Pilatum verò non movit, qui de implendis prophetiis homo profanus non cogitabat. Itaque alia, quæ Pilatum impulerit, causa quærenda est. Puto eum iniquitatis suæ velamentum quærere voluisse: si enim solum Christum egisset in crucem, improbis Judæorum precibus non jure id fecisse credi potuisset; cùm autem unà cum aliis crucifixit, et quidem cum hujusmodi hominibus, quos nemo posset meritò damnatos esse dubitare, fore existimavit, ut quemadmodùm pœnæ, ita etiam culpæ similitudine Christus unà cum latronibus damnatus esse videretur. Non dissimile verò est Judæos etiam sollicitâsse, ut cum latronibus crucifigeretur, ut ignominiosior ejus esset mors. Cur autem medius inter duos latrones Christus positus fuerit, et humano Judæorum, et divino consilio factum esse arbitror. Judæorum quidem, ut ostenderent Christum facinorosorum hominum caput, et quasi ducem esse; propterea in medio crucifigendum curant, ut eo contumelioso honoris genere Christi ignominiam magis augeant. Solent enim latronum duces cum sociis comprehensi et in medio eorum, et sublimiore loco suspendi. Divino autem, ut vita in medio peccatorum poneretur, ut qui eam vellet, acciperet. Mysterium eventus declaravit; ex duobus latronibus, inter quos crucifixus Christus erat, alter credidit, alter blasphemavit. Omnes ad se peccatores vocat, qui in medio omnium crucifixus est: *Et ego*, inquit, *si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum*, Joan. 12, 32. Traxit ad se omnia non effectu, sed voluntate: nam utrumque latronem, quasi unum dexterâ, alterum sinistrâ manu prehendens trahere ad se voluit, sed unum traxit, alterum non traxit, quia duci se unus passus est, alter non est. Invenit et Tertullianus aliud in hoc loco mysterium, *semper*, inquit, *Christus inter duos latrones crucifigitur*, Christum Ecclesiam et Christi doctrinam appellans, quemadmodùm Christus ipse aliquando vocat, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9, 4, cùm non Chri-

stum Saulus, quem extinctum credebat, sed ejus Ecclesiam, doctrinamque persequeretur. Sic plerùmque accidere videmus, quemadmodùm Tertullianus ait, ut inter duos contrarios hæreticos Ecclesia crucifigatur. Docebant Ebionitæ Christum solùm fuisse Deum, hominis verò solam speciem habuisse. Ecclesia in medio est, et utrumque conjungit, Christum, et verum Deum et verum hominem esse docens. Docebant Sabelliani Patrem, Filium et Spiritum sanctum non unam solùm naturam, sed unam etiam esse personam; docebant Ariani Patrem, Filium, Spiritum sanctum non tres tantùm personas, sed tres etiam esse naturas; in medio Ecclesia est, unam naturam, tres personas esse docens. Docebant Nestoriani in Christo non duas tantùm naturas, sed personas etiam esse duas; docebant Eutychiani et unam esse personam, et naturam in unam; medio Ecclesia est, quæ unam personam, duas naturas esse docet. Docebant Manichæi, hodièque Lutherani et Calviniani docent nullam in homine esse arbitrii libertatem, omnia aut naturâ, aut divinâ effici gratiâ; docebant Pelagiani tam forte, tam robustum in nobis esse liberum arbitrium, ut gratiâ Dei non egeamus; Ecclesia in medio est, docetque et liberum in nobis arbitrium esse, et divinâ tamen indigere gratiâ.

VERS. 39. — PRÆTEREUNTES AUTEM BLASPHEMABANT. Prætereuntes dixit pro omnibus, qui præteribant, ut doceret non ab uno, vel à paucis, sed ab omnibus vulgò jactata in crucifixum Christum fuisse convicia.

MOVENTES CAPITA SUA. Inter Judæos movere caput aliquandò commiserationis, aut admirationis cum commiseratione conjunctæ, aliquandò verò irrisionis signum erat. Commiserationis apud Job, cap. 16, 4: *Consolarer et ego vos sermonibus, et moverem caput meum super vos*, et cap. 42, 11: *Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, et universæ sorores suæ, et cuncti, qui noverant eum priùs, et comederunt cum eo panem in domo ejus, et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum*, id est, fleverunt cum flente, ut admonet D. Paulus, Rom. 12, 15, et Ecclesiastici 12, 18, 19: *In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas, caput suum movebit, et plaudet manu*, id est, dolore se, et miseratione commoveri simulabit, et Jeremiæ 18, 16: *Ut fieret terra eorum in desolationem, et in sibilum sempiternum. Omnis, qui præterierit per eam obstupescet, et movebit caput suum*, Irrisionis verò 4 Reg. 19, 21; Isaiæ 37, 22; *Sprevit te, et subsannavit te, virgo filia Sion, post te caput movit, filia Jerusalem*, id est, irrisit te, et ut Galli dicunt: *Il t'a fait la nique*, et David, Psal. 21, 8, hanc ipsam Judæorum adversùs Christum motionem capitis longè præmonstrans, *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Totus enim ille Psalmus de Christo patiente intelligendus est, ut Christus ipse indicat vers. 46, ejus exordium usurpans, et Psal. 108, 25: *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, et moverunt capita sua*, id est, injicientes in me oculos deriserunt. Et Ecclesiast. 13, 8: *In novissimo deridebit te, et postea videns derelinquet te, et caput suum movebit ad te*, id est, contra te, et Thren. 2, 15: *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem.*

VERS. 42. — SI REX ISRAEL EST, DESCENDAT NUNC DE CRUCE. Non erat regis de cruce descendere, qui nihilo robustior, nihilo faciendis miraculis insignior cæteris hominibus sit necesse est, sed accommodatè ad rem, de quâ agebatur, hæc verba intelligenda sunt. Eum enim regem intelligebant, qui Messias esset, et Filius Dei, qualem se Christus professus fuerat, ut apparet ex Marco, c. 15, 32: *Christus rex Israel descendat nunc de cruce*, et ex Luc. c. 23, 35: *Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.*

VERS. 43. — CONFIDIT IN DEO, LIBERET EUM, SI VULT. Ostendunt sacerdotes cæcitatem suam, quòd contra seipsos Scripturam proferant; nam hæc verba, quibus, ut Christo conviciarentur, usi sunt, apud Davidem, Psal. 21, 9, quem totum de Christo scriptum esse diximus, impiorum hominum sunt, qui non divinam solùm providentiam, sed Deum etiam ipsum de medio tollebant, justumque, et Dei colentem Davidem irridebant, quòd in adversis rebus Deo confideret: *Confidit*, inquiunt, *in Deo, liberet eum, quoniam vult eum*, id est, quoniam amavit eum, scilicet Deum, quasi dicant, liberet ipsum Deus, quem amavit. Itaque eodem modo intelligendum est quod concisè hoc loco dicitur *liberet eum, si vult*, id est, si eum amat. Hebraismus enim est חפץ velle, id est, amare; in Græcis codicibus magis expressa sententia est, ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν, liberet nunc eum, si vult eum, id est, si amat eum eodem Hebraismo servato, nam θέλει αὐτόν, Græci non dicunt. Efficiunt etiam imprudentes sacerdotes, dùm irridere Christum volunt, ut suâ ipsorum irrisione verum Christum eum esse probent, dùm Davidis de illo prædictam prophetiam implent; nam etsi de seipso ea verba David scripserat, quasi sibi ab adversariis suis dicerentur, minimè tamen dubium est, quin suâ personâ, quod Christo eventurum esset, significaverit.

VERS. 44. — ID IPSUM AUTEM, id est, eadem verba, aut aliis verbis eadem convicia, *si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos*, ut Lucas, 23, 39, explicavit.

ET LATRONES, QUI CRUCIFIXI ERANT CUM EO. Eodem numero, et iisdem verbis Marcus scribit. Lucas verò unum tantùm latronem hæc convicia in Christum jactâsse dicit. Multi itaque antiqui, magnique auctores putaverunt initio quidem utrumque latronem hujusmodi convicia Christo dixisse, postea verò alterum et miraculis, quæ patiente Christo fiebant, et singulari

VERS. 40. — DESCENDE DE CRUCE. Non fecit quod petebant, ut nos salvos faceret, et majus aliquid facturus erat è sepulcro surrecturus. Quin etiam si de cruce descendisset, non propterea credidissent, cùm non crediderint resurgenti, et tot miraculis in cruce factis.

VERS. 45. — SI VULT EUM, Gr.: *Si diligit eum.* LATRONES, sub initium fortassè, aut per syllepsim pluralis numerus pro singulari usurpatur.

ejus patientiâ, et mansuetudine animadversis in Christum credidisse, et latronem alterum conviciari pergentem reprehendisse. Origenes, Athan., serm. contra omnes hæreses, Hilarius, Chrys., Theoph. et Euth., hoc loco, et Juvencus in Poematio, quod et Ambrosius, et Hier. et Beda probabile esse putant. Probabilior tamen aliorum sententia est, unum tantùm fuisse latronem, qui conviciis in Christum usus fuerit, ut Cyprian., serm. de Pass. Domini; Cyril. Jerosol., Catech. communi 13; August., lib. 3 de Cons. evang., c. 16; Ambros., in Com. in Lucam; Hier., in Com. in hunc locum; Leo, serm. 2 de Passione; Greg., l. 27 in Job., c. 16, existimant. Quomodò autem Matthæus, et Marcus plurali numero latrones blasphemâsse dicant, haud difficile. Hier., Aug. et Amb. interpretantur esse syllepsim, quâ de uno plurali numero loqui solemus: quod Ambr. et Aug. multis Scripturarum probant exemplis. Psalm. 2, 2. *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus*, cùm unus tantùm rex Herodes, ut Petrus, Act. 4, 26, 27, interpretatur, adversùs Christum convenerit. Et ad Hebr. 11, 33, 34: *Per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis*, cùm solus Daniel ora leonum obturaverit, et vers. 37, *lapidati*, inquit, *sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti*, cùm solus Isaias sectus fuerit. Observavit Euth. eo consilio evangelistas narravisse etiam latrones convicia in Christum jactâsse, ut quæ quantasque contumelias passus fuisset, meliùs intelligeremus, cùm non solùm principes sacerdotum, et cæteri, qui eum in eum usque locum adduxerant; sed latrones etiam, qui ejusdem pœnæ socii erant, quique, ut erga se, ita erga illum commiseratione commoveri debuerant, conviciis eum affecerint. Judæos eos fuisse latrones vero simile est, et ex alterius confessione, qui tanquàm Christum à Judæis expectatum etiam in cruce pendentem excepit, et ex alterius convicio, quod Judæorum more, eâdemque incredulitate ingerit. Scribit Lucas 23, 40, respondisse alterum latronem, et eum qui blasphemabat reprehendisse, *Neque tu*, inquit, *times Deum* οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεὸν: quæ pauca verba variè inter se juncta varias possunt interpretationes admittere. Primam, si sic jungantur, nec times Deum, ut illud, *nec*, referatur ad, times, id est, non solùm non amas, et revereris Deum, sed ne times quidem, quemadmodùm recentiores quidam interpretes exponunt, quorum sententiæ minimè subscribo, quia non dubito, quin bonus ille, et fidelis latro perversum illum latronem cum Judæis voluerit comparare, quæ comparatio in illâ dictione *nec* obscurè delitescit, quasi dicat, non solùm isti, qui pœnâ carent, sed nec tu, qui in eâdem es pœnâ, Deum times. Secundam si sic, nec Deum tu times, ut sit sensus non solùm homines, sed nec Deum quidem times, ut alii nonnulli explicant quorum sententiam idcircò non probo, quia nec ingeniosa, neque ad rem accommodata est. Nullam enim hoc loco emphasim habebat, ut fidelis latro diceret, non solùm homines, sed ne Deum quidem times. Itaque dubium mihi non est, quin ad hunc modum conjungenda sint verba, *neque tu times Deum*, etiamsi Græcè transposita sint οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεὸν, quod rectè noster interpres intelligens transpositis verbis trajectionem illam paulò obscuriorem dissolvit. Sensus ergo est, non solùm isti, qui cùm nihil pœnæ patiantur, nullâ pœnarum istius hominis miseratione commoventur, quin potiùs metùs Dei obliti, contumelias in eum jaciunt, sed ne tu quidem, qui cùm eâdem afficiaris pœnâ, non conviciari, sed miserari debuisti, *Deum times*, sed ejus potiùs, sicut cæteri, timoris oblitus afflicto afflictionem addis. Hoc est *neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es*, aut *quòd in eâdem damnatione es*, ut noster vertit interpres ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, quæ verba obscura etiam sunt. Quibusdam novis interpretibus valdè nova quædam placuit interpretatio, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, id est, quia in ipsâ damnatione es, quasi dicat, cùm animam jam agas, et in supremo supplicio verseris, Deum non times. Quam interpretationem verba Græca pati non possunt: non enim dixisset evangelista, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ, sed, ὅτι ἐν αὐτῷ τῷ κρίματι εἶ· sic enim Græci loquuntur. Significant ergo Græca verba non ipsam damnationem, sed eamdem damnationem. Cæterùm quia eadem damnatio non nisi per comparationem dicitur, alia ex hoc verbo difficultas existit, cum quâ damnatione, id est, cum quâ pœnâ (pœnam enim damnationem, aut, ut Græcè est, κρίμα judicium appellari manifestum est) latronis damnatio comparetur. Quidam cum Judæorum damnatione comparari putant, tanquàm sensus sit, *neque tu times Deum* magis quàm isti Judæi, cum eâdem, quâ illi pœnâ, propter contumelias in Christum jactatas dignus sis. Quæ explicatio, nostrâ, quam paulò ante exposuimus, opinione videtur confirmari; diximus enim latronem verbis illis, *neque tu*, cum Judæis collatum fuisse. Alii comparationem cum alterius latronis pœnâ fieri existimant, quasi dicat, cùm eadem, quæ ego, patiaris, tamen non magis, quàm cæteri Deum times. Hanc interpretationem ideò rejicio, quia abs re est. Credo ergo inter latronis, et Christi pœnam fieri comparationem, ut sensus sit, cùm in eâdem, quâ Christus, pœnâ verseris, et, quod plus est, tu quidem meritò, ille verò immeritò, tamen neque pœnæ societas, nec ejus te movet innocentia, ut ejus miserearе; hic enim sensus rectè in hunc locum cadit 41: *Et nos quidem justè, hic verò nihil mali gessit.* Præcedentis sententiæ correctio est. Dixerat alterum latronem in eâdem, in quâ Christum, pœnâ esse; videri poterat in eâdem etiam culpâ Christum esse significare, corrigit exponendo sententiam, *et nos quidem justè: hic autem nihil mali gessit.* Prudenter se cum altero latrone connumerat, ut modestior, et melior sit reprehensio; nec enim videri poterat alterum nimis acerbè asperèque reprehendere, qui sese unà cum illo reprehendebat, *nihil mali gessit*, οὐδὲν ἄτοπον. Non placet mihi nova versio

quorumdam, qui ἄτοπον insolens transferunt. Nam etsi id Græcum verbum aliquandò significat, tamen hoc loco aliud significet necesse est : quia insolens dicitur quidquid novum, et insuitatum est, quamvis malum non sit, et manifestum est hoc loco non pro re insuitatâ, sed pro malâ verbum ἄτοπον positum esse, cùm latro dicere voluerit Christum omni vacare culpâ. Meliùs per periphrasim ejus dictionis vis explicari potuit, οὐδὲν ἄτοπον, nihil quod virum bonum non deceat, quibus verbis indicare latro ille voluit non solùm nullum magnum scelus, sed nullum etiam vel levissimum peccatum in Christo esse. Nihil enim ullâ reprehensione dignum egisse, hoc est, ἄτοπον. 42 : *Et dicebat ad Jesum, Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum,* ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, in regno tuo. Itaque non est sensus, cùm veneris ad regnandum sed cùm veneris jam regnans ; cùm veneris non ad acquirendum regnum, sed regno jam acquisito, quemadmodùm venturus ad judicium est. Brevis, sed plena sententiæ confessio. Paucis enim verbis, et regem, et Deum Christum confitetur ; regem, cùm dicit : *Cùm veneris in regnum tuum :* Deum, cùm dominum vocat, et eum ita regem facit, ut condonare peccata possit. *Memento,* inquit, *mei.* Et hic eum ressurrecturum indicat ; nec enim rogàsset, quem animam exhalantem videbat, ut sui, cùm in regnum suum venisset, memor esset, nisi et resurrecturum, et post resurrectionem regnaturum credidisset. Quæ confessio, cùm ipsa per se admirabilissima est, tum consideratis temporis, loci, et personarum circumstantiis admirabilior ; ut Chrysostomus, hom. 2, de Cruce et Latrone, et Leo, serm. 2, de Passione adnotaverunt. *Quæ,* inquit Leo, *istam fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, cessaverat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum ; ea ipsa, quæ mox erant gerenda, non aderant, et tamen Dominum confitetur, et regem, quem videt supplicii sui esse consortem.* MEMENTO MEI. Modesta postulatio ; nec enim petit, ut se participem regni sui faciat, aut ut aliquem honoratiorem in eo, quàm cæteris, locum tribuat, non ut ad dexteram, vel ad sinistram ejus sedeat, quemadmodùm uxor Zebedæi pro filiis suis postulaverat, cap. 20, 21, sed tantùm dicit, *memento mei,* quasi dicat ne me excludas, ne habeas peccatorum meorum rationem, sed pro tuâ misericordiâ et benignitate vel ad ultimum me locum admitte. Rectè ex hoc loco D. Aug., lib. 6 contra Julianum, c. 5, purgatorium probavit ; videbat enim latro se paulò post moriturum esse, et oravit tamen Christum, ut sui post mortem memor esset, id est, peccata sibi condonaret ; credebat ergo Judæorum instructus religione etiam post mortem peccata remitti, quod alibi quàm in purgatorio fieri non potest. 43. *Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso.* Tria hunc locum verba difficilem reddunt : *Hodiè, in paradiso, mecum.* Adverbium *hodiè*, quidam, cùm sententiam intelligere non possent, ad præterita retulerunt, quasi dicat Christus : Amen dico tibi hodiè, non hodiè mecum in paradiso, quemadmodùm Theophylactus recitat. At insipida et enervis sententia esset ; quam enim emphasim habuisset? Amen dico tibi hodiè ; potiùs utique dixisset : Amen dico tibi nunc. Alii, meo quidem judicio, etiam absurdiùs, illud *hodiè* ad extremum judicium extendunt, tanquàm dixerit Christus : *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso,* id est, post resurrectionem et ultimum judicium. In quâ tamen sententiâ nonnulli minimè mali auctores fuisse videatur ex his qui sanctorum animas ante supremum judicium beatas fore non crediderunt, quorum magnus numerus fuit. Hoc si dicere Christus voluisset, non benè latronis respondisset precibus. Nam etsi tantum illi quantum petiverat concessisset, ut tunc, cùm in suum regnum veniret, sui memor esset, tamen perspicuum est ex Christi oratione plus eum latroni quàm petiverat concedere voluisse. Petiverat latro, *memento mei,* id est, dimitte mihi peccata mea ; respondet Christus : *Mecum eris in paradiso,* id est, non solùm tibi peccata remittam, sed optimo te loco collocabo, hoc est, in paradisum inducam, idque mecum, quasi dicat : Juxta me, ubi ego ero, ut alio loco dicit : *Ut ubi ego sum, illic et minister meus sit,* Joan. 12, 26. Petiverat latro non ut statim, sed ut cùm in suum regnum veniret, recordaretur sui, respondet Christus : *Hodiè mecum eris in paradiso,* non tam longè differam preces tuas, quod post multa secula tibi dari postulas, hodiè donabo. Illud ergo, *hodiè,* illi latronis verbo : *Cùm veneris in regnum tuum* respondet, quod miror interpretes non observàsse : solus Augustinus, in libro contra Felicianum, cap. 115, videtur animadvertisse. Hoc ergo est *hodiè. In paradiso* autem diversissimis sententiis et veteres et recentiores auctores interpretantur. Alii in paradiso, id est, in cœlo, ut Cyrillus Jerosolym., catech. communi 13, Gregorius Nyssenus, sermone de Resurrectione Domini, Chrysostomus, hom. 2, de Cruce et Latrone, et D. Augustinus, tractatu in Joannem 3. Si roges quomodò eo die latro in cœlo cum Christo esse potuerit, cùm Christus non nisi post quadraginta dies in cœlum ascenderit, respondent partim nonnulli horum auctorum, partim ii qui eorum complectuntur opinionem, Christum, quatenus Deus est, ubique esse, ideoque et in cœlo eo die fuisse. Magnorum licèt auctorum sententia sit, probari mihi non potest, quia oculis ipsis cernere mihi videor voluisse Christum significare non solùm latronem, sed se etiam ipsum eo die in eo paradiso futurum fuisse, ubi tunc cùm hæc dicebat, non esset. Est enim in hâc sententiâ et tacita quædam personarum similitudo, et locorum antithesis, quasi dicat : Sicut nunc mecum in eâdem pœnâ es, ita mecum hodiè in eodem eris paradiso. Alii exponunt, *in paradiso,* id est, in loco Adæ, ubi terrestris fuit paradisus, ut Theophylactus et Euthymius. Sed hi auctores solam paradisi vocem secuti, Christum post mortem unà cum latrone in Mesopotamiam sine causâ deducunt, aut ubicumque tandem paradisus ille fuit. Quid acturus eò Christus se post mortem contulisset ? aut quid latroni dedisset beneficii, quòd eo in loco posuisset, ubi nihil esset nunc

percepturus voluptatis, paradiso jam deserto atque vastato ? Sunt qui putent nullum certum designari locum, sed paradisum appellari ubicumque Christus sit, et undecumque Deus videatur ; quia ergo anima latronis Christum secutura erat, Deumque eo die visura, in paradiso cum eo futura esse dicitur. Multi recentiores interpretes magno favore hanc sententiam prosequuntur, ejusque auctores Augustinum et Bedam citant, quàm verè ipsi viderint. Interpretationem certè cujuscumque auctoris sit, approbare non possum, et quia Christus de eo, ut diximus, loquebatur paradiso, ubi tunc ipse non erat. Si autem paradisus nihil aliud est quàm locus unde videtur Deus, cùm in cruce penderet, in paradiso erat ; Deum enim videbat, et, ut omnes theologi consentiunt, nunquàm beatus esse desiit. Valdè me judicium meum fallit, nisi paradisus hoc loco Abrahæ sinus appelletur, ubi viri sancti, interim dùm cœli aditus patefieret, detinebantur ; ille enim locus pro paradiso et requietis loco habebatur. In eum enim, tanquàm in locum voluptatis, aut certè quietis, mortuus Lazarus ab angelis deportatus esse dicitur, Lucæ 16, 22. Ergo, quia in eum locum eodem die Christus descensurus erat, ut sese sanctis illis patribus ostenderet, ea spiritibus, qui ibi detinebantur, Evangelium prædicaret, ut Petrus, 1 epistolâ, cap. 3, 19, docet, et ut inde rediens captivam duceret captivitatem, ut Ephes. 4, 8, D. Paulus interpretatur ; ad eum locum latroni promittit se eum eâdem die deducturum. Minùs mihi hæc sententia placeret, si mea tantùm esset. Nunc verò, aut vehementer fallor, aut in eâdem sententiâ multi fuerunt auctores Justinus, quæst. 76 ad Orthodoxos, Athanasius, in Epistolâ ad Epictetum, Aug., l. 12 de Gen. ad litter., c. 34. Prudentius, in hymno in exequiis defunctorum :

Sed dùm resolubile corpus
Revocas, Deus, atque reformas,
Quânam regione jubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ut est Eleazar,
Quem floribus undique septum
Dives procul aspicit ardens.
Sequimur tua dicta, Redemptor,
Quibus atrâ morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.

Hinc perspicuum est quomodò tertium illud verbum, *mecum* intelligendum sit, id est, ubi ego etiam ero, quò ego iturus sum. Rideo cùm in hunc locum commentarios hæreticorum lego. Hinc, inquiunt, colligitur non esse purgatorium, et nunquàm culpam sine pœnæ remissione remitti, cùm latroni utraque simul remissa fuerit, nec post mortem ad purgatorium relegatus, sed ad paradisum deductus sit. Scilicet tam stupidi sunt, ut ex uno exemplo generaliem legem colligant. Latroni non fuit purgatorium, ergo nemini est ; latroni remissâ culpâ, et pœna remissa est ; nemini ergo cùm culpa remittitur, pœna retinetur. Isto sanè modo neque paradisus, neque infernus esset. Nam non dico alteri latroni, qui cum hoc crucifixus erat, sed infinitis etiam hominibus, qui damnati sunt : Paradisus non est ; an colligemus : Nemini ergo est ? Non solùm huic latroni, de quo agimus, sed etiam apostolis, multisque aliis beatis infernus non est ; nemini ergo est ? Utinam eorum vera esset sententia ! infinitis enim, quibus à Deo punimur, malis careremus. Quis negat morbos, miserias hujus vitæ, mortem ipsam originalis peccati pœnam esse ? Atqui remissâ originalis peccati culpâ, pœnæ istæ retinentur. Quis ignorat Davidi adulterii culpâ remissâ, retentam fuisse aliquam pœnam ? 2 Reg. 12, 13, 14 : *Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum ; non morieris ; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur.* Ad hunc locum pertinent quæ scribit Joannes, cap. 19, 25, 26, 27 : *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene,* de quibus, vers. 26, dicemus. *Cùm vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : mulier, ecce filius tuus ;* mulierem, ut opinor, non matrem appellat, ut desertam, et viduam significet ; cùm autem dicit : *Ecce filius tuus,* non commendat illi discipulum, sed ipsam discipulo, quasi dicat non omninò te desertam derelinquo ; iste discipulus meas erga te implebit vices teque consolabitur, tuebitur et egentem alet. *Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua ;* contrario sensu propter personarum differentiam hæc verba intelligenda sunt. Nunc enim non discipulum matri, sed matrem discipulo commendat, quasi dicat : Hanc deinceps loco habebis matris, eam coles, eam solabere, eam defendes, eam ales.

VERS. 45. — A SEXTA AUTEM HORA. Existit hoc loco difficilis quæstio de horâ, quâ Christus crucifixus fuit. Nam Marcus, cap. 15, 25, horâ tertiâ crucifixum fuisse dicit. *Erat,* inquit, *hora tertia, et crucifixerunt eum,* unde colligunt quidam, cùm tenebræ factæ sunt, per tres jam horas Christum in cruce pependisse ; nec enim, quod Marcus scribit, Matthæo contrarium est, qui quamvis non exponat quâ horâ Christus crucifixus fuerit, cùm tamen dicit horâ sextâ post vestimentorum distributionem, post Judæorum in Christum jam crucifixum blasphemias, post Christi et latronis colloquium factas fuisse tenebras, non obscurè indicat eum ante horam sextam fuisse crucifixum ; repugnare autem Marco Joannes videtur, qui horâ circiter sextâ Christum à Pilato damnatum dicit, cap. 19, 14 : *Erat,* inquit, *parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Itaque non solùm tertiâ, ut ait Marcus, sed ne sextâ quidem horâ, quâ Matthæus tenebras eo jam crucifixo factas fuisse dicit, crucifigi potuit, cùm tam multa inter damnationem et crucem facta fuerint. Ductus à militibus in prætorium Christus, flagellatus, coronatus spinis, indutus purpurâ, multis modis illusus ;

VERS. 45. — A SEXTA HORA, in ipso meridie : SUPER UNIVERSAM TERRAM, cujus rei meminit Phlegon, Adriani libertus, apud Eusebium.

deinde ad locum Calvariæ lentè, ut homo tantoperè fatigatus, et crucem portans progredi poterat, ductus est, quæ omnia vix unâ integrâ horâ fieri potuerunt. Hunc nodum duobus modis solvit Augustinus, tract. in Joan. 116, et lib. 5, de Cons. evang., cap. 15. Primùm, horâ tertiâ, ut ait Marcus Christum non militum manibus, sed Judæorum linguis fuisse crucifixum; tertiâ enim horâ Judæos apud Pilatum clamavisse : *Crucifige, crucifige*. Non potest meo judicio hæc interpretatio cum evangelistarum verbis cohærere; Marcum enim non de illâ metaphoricâ linguarum, sed de verâ Christi crucifixione loqui ex eo manifestum est, quòd continenter dicat eum crucifixum, et ejus vestimenta divisa. Deinde quia jam ante dixerat, vers. 14, clamâsse eorum Pilato Judæos : *Crucifige eum*. Quid illi nunc in mentem venisset, ut iterum diceret Christum Judæorum linguis crucifixum? Denique ex Matthæo, et Marco, et Lucâ perspicuum est Christum ante horam sextam fuisse crucifixum, quia omnes hi tres evangelistæ scribunt eo jam crucifixo factas fuisse tenebras. Itaque non potuit horâ sextâ crucifigi, multò etiam minùs à Pilato condemnari. Quare si alteruter evangelistâ Marcus, aut Joannes interpretandus est, potiùs interpretandus est Joannes, cujus sententia minùs videtur posse cum cæterorum evangelistarum sententiâ convenire. Alterâ D. Augustini solutio est, Christum horâ sextâ non dici, sed noctis, ut ait Joannes, condemnatum fuisse : horâ verò tertiâ non noctis, sed diei, ut ait Marcus, fuisse crucifixum; nec enim dixisse Joannem horâ sextâ diei, aut absolutè horâ sextâ, sed cum adjectione horâ sextâ Parasceves: *erat*, inquit, *Parasceve Paschæ hora quasi sexta*. Parasceve autem erat non solùm dies, sed etiam nox, aut, ut D. putat Augustinus, nox potiùs quàm dies. Hæc interpretatio vel ipsi Augustino minùs, quàm altera, probabilis visa est : et verò facilius etiam, quàm altera, refutari potest. Docuimus supra, et ex Lucâ, cap. 22, 66, certum est priùs diem illuxisse, quàm Christus ad Pilatum duceretur : ergo etiamsi simul atque coram Pilato stetit, damnatus fuisset, non potuisset horâ noctis sextâ damnari. Adde quòd multa ante damnationem, postquàm ad Pilatum ductus est, intercesserunt; multis Pilatus tergiversationibus conatus est Christum absolvere : examinavit eum diligenter, an ipse rex Judæorum esset; misit ad Herodem, remisit Herodes; flagellis remissum cecidit. Sunt qui conjecturam faciant apud Marcum scriptorum culpâ vitiatum esse numerum, et prò ἕκτος *sexta*, scriptum esse τρίτος *tertia*; facilem enim et lobriem per notas quibus apud Græcos numeri scribi solent, erroris viam fuisse. Scribunt *sex* notâ quæ cum litterâ significante *tria* planè admodùm confundi potest, adeò ut facile fuerit propter notarum similitudinem unam pro alterâ ponere. Nimis audax semper mihi hæc conjectura visa est, et quia non alio nititur argumento, quàm quòd, qui eâ utuntur, non possint hujus loci difficultatem explicare, et non debemus, ut Scripturam interpretemur, corrumpere. Deinde, quia, ut vera conjectura esset, locus tamen non explicaretur. Fingamus enim dicere Marcum horâ sextâ crucifixum fuisse Christum, quomodò horâ sextâ crucifigi potuit, cùm Joannes dicat horâ sextâ fuisse condemnatum, et inter condemnationem et crucifixionem necesse sit una, ut minimùm, hora intercesserit? Quomodò Matthæus et Lucas, ipse etiam Marcus scribunt horâ sextâ, cùm multò ante crucifixus fuisset Christus, tenebras fuisse factas? Adde quòd ipse Marcus postea, vers. 33 scribat γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, *factâ autem horâ sextâ*, cùm ante dixisset horâ tertiâ crucifixum, horam sextam illi horæ, quâ crucifixus fuerat, opponens; hanc enim vim habet participium illud γενομένης *facta*, quasi priùs facta non esset, et adversativa particula δὲ *autem*, per quam eam horam illi, quâ dixerat Christum fuisse crucifixum, opponit. Itaque si quis evangelistæ locus corrigendus esset, Joannis potiùs locus, ut nonnulli etiam putant, corrigendus videtur, ut pro horâ sextâ apud illum tertiam legamus. Sed et hoc est scripturam non corrigere, sed vitiare, et eadem manebit quæstio, quomodò potuerit Christus horâ tertiâ damnari, cùm dicat Marcus horâ tertiâ fuisse crucifixum, cùm unâ, ut minimùm, horâ post damnationem crucifixus fuerit necesse sit. Res erat facilis, et ab ipso etiam Lyrano jam explicata, nisi multi interpretes, dùm nimis diligentes et subtiles esse volunt, difficilem reddidissent. Diximus, cap. 20, 3, Hebræos diem in duodecim horas, quas astronomi usuales et inæquales vocant, distribuisse; duodecim rursùs horas in quatuor partes, sicut et horas noctis, dividebant, nisi quòd quatuor illæ noctis partes proprium habebant nomen militare, ut custodiæ, aut vigiliæ dicerentur, quia milites qui excubias noctu agebant, ternas singuli horas vigilabant. Quatuor autem partes dici, quarum singulæ tribus constabant horis, quia proprio carebant nomine, à fine præcedentis partis diei nomen accipiebant. Itaque totum trium horarum spatium, quod inter solis ortum et horam diei tertiam interjectum erat, ab horâ tertiâ, quæ ultima erat, hora tertia vocabatur, si quis propriè verèque loqueretur. Obtinuit autem apud eos, ut apparet, consuetudo, quod videmus apud nos etiam obtinuisse, ut horæ sequentes ex præcedentibus nomen acciperent, sicut nos, postquàm meridianæ horæ signum datum est, usque ad horam primam, aut certè usque ad majorem horæ partem, meridianam horam appellamus, cùm propriè non meridiana, sed prima pomeridiana sit; nam meridiana ea est, quæ ab undecimâ inchoatur, et duodecima finitur. Itaque aliquando dicimus de spatio loquentes, quod inter undecimam est, esse horam undecimam, aliquandò esse duodecimam, nunc à principio, nunc à fine nomen accipientes. Eâdem prorsùs consuetudine Marcus et Joannes locuti sunt. Nam quia Christus et damnatus et crucifixus fuit eo temporis spatio, quod est inter finem horæ tertiæ, quod idem sextæ initium erat, et finem sextæ, quod erat initium nonæ, Joannes ex fine spatium illud appellans vocavit horam sextam, Marcus ex initio vocavit tertiam; sed quia non est verò simile Joannem sextam

horam vocaturum fuisse, nisi spatium illud ad finem sextæ inclinatum fuisset, sicut non solemus horam primam pomeridianam appellare, nisi cùm meridiana et semis transacta est; credendum est Christum post horam decimam et semis, si nostro more horas numeremus, damnatum fuisse; respondebat enim hora tertia nonæ nostræ, sexta duodecimæ, tertia et semis erat decima et semis : eo ergo tempore damnatus est Christus; ideò Joannes scribit horâ quasi sextâ, damnatum esse; post unam circiter horam nostram, id est, horâ undecimâ et semis crucifixus est, quam Marcus horam tertiam appellat; quia totum illud spatium horarum ab horâ tertiâ usque ad sextam hora tertia vocabatur. Itaque per duodecimam horam crucifixus jam fuerat Christus, cùm tenebræ factæ sunt, quâ dimidiâ horæ parte et vestimenta à militibus distributa, et convicia à Judæis in Christum jactata, et latroni paradisus promissus est. Unde sequitur veram non esse quorumdam opinionem, qui docent Christum per sex horas, id est, à nonâ matutinâ usque ad tertiam pomeridianam in cruce vivum pependisse? Non potuit enim hâc ratione, quam exposuimus, plus quatuor horis vivus in cruce pendere, cùm post horam undecimam crucifixus fuerit; horâ nonâ, id est, tertiâ pomeridianâ, aut paulò post expiraverit, ut constat ex versu 46 et 50. Notârunt Origenes et Theophylact. Christum eâ horâ crucifixum fuisse, quâ Adamus peccaverat, qui circa meridiem peccâsse traditur. Alii quâ horâ Adamus è paradiso ejectus fuerat, eâdem Christum paradisi occlusam januam moriendo reserâsse, Beda et Theophylactus. Crucifixum etiam dicit sextâ horâ Lucas 23, 44 : *Erat autem ferè hora sexta*, non quòd non esset sexta, sed aut quòd satis non esset certus, num hora sexta completa jam esset, aut certò noluerit affirmare. Adjecit, *ferè*, ut solemus, cùm tempus describimus, et non magni refert præcisè temporis punctum notare. Horam enim fuisse sextam, et Matth. hoc loco, et Marcus 15, 33, affirmant γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, *factâ autem horâ sextâ*. Exprimunt autem tres evangelistæ sextam horam, id est, meridianam, quò majus miraculum appareat, tunc cùm maximè sol medio cœli cursu vigeret, tenebras fuisse factas; sicut Amos dixerat, cap. 8, 9 : *Occidet sol in meridie*. Contraria enim videntur esse, ideòque magis mirabilia, solem in meridie esse, et occidere. Eo etiam consilio, ut opinor, sextam horam evangelistæ notaverunt, ne quis tam illustre miraculum, et meridianâ luce clarius obscurare conaretur dicens non veras fuisse tenebras; sed quia aut matutinum, aut vespertinum erat tempus, alicujus grandioris nubis objectu visas fuisse tenebras, quæ veræ tenebræ non erant.

TENEBRÆ FACTÆ SUNT. Non arbitror tam densas, tamque obscuras fuisse tenebras, quàm mediâ nocte, neque sole, neque lunâ lucente esse solent : sed quales obscurato plenâ eclipsi sole fieri videmus. Nam neque Christi mater et Joannes, discesserunt, neque milites et cæteri qui aderant quos non Christi amor, ut discipulum, et matrem, juxta crucem retinebat. Mirum enim profectò fuisset, si cùm per tres integras horas tam densas quàm noctis vidissent tenebras, non discessissent. Quâ ratione tenebræ illæ factæ fuerint, quia evangelistæ, non exponunt, certò scire non possumus : conjecturis quod vero simillimum videatur, consequi possumus. Nonnulli naturalem solis eclipsim fuisse dixerunt, ut miraculi magnitudinem elevarent : hominesscilicet Christianæ religionis inimici, ut Origenes, et Hieronym. hoc loco referunt, à quibus facilè est eorum impietas, inscitiaque refutata. Erat Paschæ tempus, quod nunquàm nisi in diem 15 lunæ primi mensis incidebat, cùm plenissima luna est : solis autem eclipsis, quæ inæqualitate cursûs naturalis astrorum fit, non potest nisi novâ fieri lunâ. Tunc enim cum sole conjungitur, et inter ipsum, et aspectum nostrum interposita ejus nobis lumen aufert. Alii per eclipsim quidem solis factas fuisse tenebras, non quidem naturalem, sed supra naturam. Cùm enim lunâ à sole dimidiâ cœli parte distaret, ut solet, cùm plena est, jubente Deo cessisse retrò, et ad solis locum rediisse, eumque obscurâsse, quemadmodum petente Ezechiâ rege, solem decem gradibus contrario cursu recurrisse legimus, Isai. 38, 8. Hæc sententia, auctore Origene et Dionysio Areopagitâ in Epistolâ ad Polycarp., ubi se, cùm in Ægypto tunc esset, unâ cum Apollophane familiari suo eam eclipsim præter naturæ legem factam notavisse scribit, ferè apud omnes jam Catholicos obtinuit; et est ipsa per se sine ullo etiam auctore valdè probabilis. Illud tantùm videtur repugnare, quòd, ut paulò post dicturi sumus tenebræ illæ non nisi in Judeâ factæ sunt. Itaque non potuerunt in Ægypto loco tam longè dissitâ apparere. Sed hanc ipsam objectionem postea dissolvemus. Alii tamen auctores per radiorum substractionem solem obscuratum fuisse putant quasi puderet eum tantum videre scelus, ut Hieronym. interpretatur. Alii per nubium demissionem oppositionem factas arbitrantur tenebras quemadmodum in Ægypto olim per nebulas factas fuisse legimus, ita ut Ægyptii non viderent, Hebræi viderent, Exodi 10, 22, 23. Ita Origenes sentit, et, ut videtur, Chrysost., homil. in Matth. 89, et Theophyl. et Euthym., in Comment. Quare facta fuerint non est ab re quærere. Quidam ad significandam Judæorum cæcitatem factas fuisse dicunt, ut Leo, serm. 10 de Passione : *Sed his*, inquit, *vocibus vestris stultis, atque blasphemis reddunt omnia elementa responsum, et unam in vos sententiam ferunt. Cælum, terra, sol, sideraque indignos vos suo ministerio protestantur terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt.* Alii in tanti sceleris detestationem obscuratum fuisse solem, ut Hieronymus scribit : *Videtur*, inquit, *mihi clarissimum lumen mundi, hoc est, luminare majus retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret hominem, aut impii blasphemantes suâ luce frucrentur.* Quam etiam rationem indicavit Leo. Alii ad significandum Christum justitiæ solem occubuisse, *occidet*, inquit Amos, cap. 8, 9, *sol in meridie*, sic Cyrillus Hierosolym., catechesi communi 13. Alii ad declarandam divinam iram, ut nonnulli recentiores putant interpretes, quorum opinionem eo

probabiliorem censeo, quòd Scripturarum phrasi consentanea sit. Solet enim Scriptura divinam in homines iram solis obscuratione declarare, quòd homines divinam experti iram, atque severitatem usque adeò attoniti esse soleant, ut solem ipsum videre non videantur sicut et vulgò, cùm magnam alicui pœnam comminamur, dicere solemus : Efficiam ut inmeridie stellas videns, id est, ut nox tibi esse videatur; quia plenis lacrymarum oculis solem cernere non poteris. Sic Jerem. 15, 9 : *Infirmata est, quæ peperit septem, defecit anima ejus, occidit ei sol, cùm adhuc esset dies, confusa est, et erubuit;* et Ezechiel. 32, 7, 8, cùm Deus Pharaoni, Ægyptoque magnam calamitatem minaretur : *Operiam,* inquit, *cùm extinctus fuerit, cœlos, et nigrescere faciam stellas ejus, solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum; omnia luminaria cœli mœrere faciam super te, et dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus;* et Joelis 2, 10 : *A facie ejus,* id est, propter iram ejus, *contremuit terra, moti sunt cœli, sol, et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum;* et vers. 30 et 31 : *Dabo prodigia in cœlo et in terrâ, sanguinem, et ignem, et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequàm veniat dies Domini magna, et horribilis,* et capite 3, 14, 15, 16 : *Populi, populi in valle concisionis, quia juxta est dies Domini in valle concisionis, sol, et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, et de Hierusalem dabit vocem suam, et movebuntur cœli et terra.* Illud etiam, quod paulò ante posuimus, Amos 8, 9 : *Occidet sol in meridie,* de divinâ irâ dictum est. Alii ad expergefaciendos Judæos, obscuratum existimant fuisse solem, ut miraculi magnitudine commoti Christum agnoscerent; non improbo; sed tamen mihi eâ potissimum de causâ et tenebræ, et cætera miracula, quæ Christo moriente contigerunt, facta fuisse videntur, ut Christi testarentur divinitatem. Nam, ut supra me dixisse memini, ita Deus filium suum damnari, ita mori voluit, ut in ipsâ damnatione, in ipsâ crucis ignominiâ, in ipsâ morte ejus non solùm innocentia, sed etiam divinitas maximè elucteret, ne fortè si absque miraculis mortuus fuisset, purus homo crederetur; eò etiam magis, quòd crucî affixus finiret vitam, ne inde descenderet, clamantibus Judæis : *Si filius Dei est, descendat de cruce et credimus.* Cruci ergo sapientissimo Dei consilio multa magnaque miracula opponuntur, ut fides, quæ crucis ignominiâ infirmari poterat, miraculorum multitudine magnitudineque roboraretur. Alia in hunc locum superest quæstio, quàm latè tenebræ illæ diffusæ fuerint. Matthæus *super universam terram* factas fuisse dicit, idemque Marcus 15, 33, et Lucas 23, 44, aliis licèt verbis confirmant. Itaque multi boni auctores, ut Chrysostomus, Euthymius, et Theophylactus toto terrarum orbe tenebras illas fusas fuisse putant, idque confirmant, quòd in epistolâ ad Polycarpum Dionysius scribit se, in Ægypto cùm esset, eas vidisse. Magis Origenis probo sententiam, qui super solam Judæam factas existimat, et quia propter solos Judæos, eosque ubi Evangelium Christus prædicaverat, factæ sunt, ut ejus divinitas, ut paulò ante diximus, doctrinaque confirmaretur, et quia vero simile non est neminem ex tam multis Græcorum, et Latinorum historicis rem tam mirabilem, tam universam memoriæ proditurum fuisse, si toto terrarum orbe facta, cognitaque fuisset. Addo ego ne fieri quidem potuisse, ut per universam terram, id est, per totum penitùs terrarum orbem horâ sextâ tenebræ fierent, cùm in mediâ orbis terrarum parte nox tunc fuerit, et in plerisque aliis partibus ubi dies erat, horâ certè sextâ, id est, meridiana esse non potuerit, cùm diversis in locis diverso tempore meridies sit, et manifestum est evangelistas, non solùm miraculum narrare voluisse, quòd tenebræ factæ fuerint, sed ita narrare voluisse, ut horâ sextâ, id est, meridianâ, cùm majus miraculum erat, factum fuisse declararent. In his ergo locis, ubi meridies non erat, miraculum illud factum non est. Quo ergo modo tres Evangelistæ super universam terram tenebras illas factas fuisse dicunt? Recte Origenes respondet universalem illam particulam *universam,* aut *totam* accommodatè ad locum, de quo agebatur, intelligendam esse. Gerebatur res in Judæâ, *super universam* ergo *terram,* id est, super universam Judæam tenebræ factæ sunt, sicut libro 3 Reg., cap. 18, 10. Abdias servus regis Achab, qui ad quærendum Eliam missus erat, invento dicit : *Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum quò non miserit Dominus meus te requirens :* cùm dubium non sit Achab non ad omnia regna, sed in omnes regni sui partes nuntios misisse, Luc. 2, 1 : *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Non enim totus omninò orbis, cujus dominus non erat, sed illæ orbis partes, quibus Romanum imperium terminabatur, à Cæsare descriptæ sunt. Putat etiam Origenes in hujusmodi locutionibus aliquid hyperboles esse, quemadmodùm, cùm vulgò dicimus : per totum mundum quæsivi te, id est, multis in locis quæsivi te; ut nihil aliud Evangelistæ dicere voluerint, cùm tenebras per universam terram factas fuisse dixerunt, quàm tenebras longè latèque fuisse factas. Quâ ergo ratione fieri potuit, ut in Ægypto Dionysius tenebras videri? nec enim aut epistolæ illius auctoritatem, aut auctoris testimonium rejiciendum esse judicamus. Opinor per integram lunæ oppositionem tenebras illas factas fuisse; ideòque in Judæâ, ubi plena erat eclipsis, magnas etiam fuisse tenebras; in aliis verò locis, ubi luna non totum occultabat solem, minores fuisse, prout alius magis, alius minùs ab Hierosolymâ distabat; ideòque in Ægypto Dionysium eclipsim videre potuisse, magnas verò illas tenebras, quæ in Judæâ fuerunt, non potuisse, quanquàm ille magnas etiam tenebras, vidisse se testatur; sed magnas, ut arbitror, vocat, cum aliis, quæ in solis defectu fieri solent, comparando. At cur harum ipsarum tenebrarum, quæ in Judæâ factæ sunt, nemo aut Græcus, aut Latinus scriptor meminit? imò verò meminit. Nam Origenes Plegontem Ægyptiorum scriptorem citat, qui de eâ eclipsi mentionem fecit.

Vers. 46. — Et circa horam nonam. Quæ tertiæ nostræ pomeridianæ respondebat, ut superiore versu, et c. 20, 3, exposuimus.

Clamavit Jesus voce magna, *exclamavit;* utràque enim ratione clamoris magnitudinem Marcus expressit, et additâ verbo præpositione epitasin significante, et adhibito epitheto *voce magnâ;* hoc est quod D. Paulus ad Hebræos 5, 6 scribit : *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens exauditus est pro suâ reverentiâ.* Quòd tam validâ voce moribundus jam Christus exclamaverit, supra humanam naturam est. Solet enim non solùm morientes, sed timentes etiam mortem vox inprimis deficere. Christus qui etsi, quia homo erat, moriebatur, tamen quia Deus erat, supra hominem magnâ moriens voce clamare potuit. Cur fecerit, existimandum non est causâ mysterioque vacare. Origenes putat idcò magnâ exclamâsse voce, ut ostenderet magna in morte suâ esse mysteria, non omninò improbabiliter, si rem totam in allegoriam non convertisset : exis.imat enim magnam fuisse vocem, non quòd valida et sonora fuerit, sed quòd plena doctrinæ, atque mysterii; omnem enim Christi vocem magnam esse. Euthym. magnâ Christum voce clamando existimat indicare voluisse verè se pati. At eâ ratione potiùs ostendisset se non pati, cùm tam validus, tam integer esse videretur, ut tantâ voce clamare posset. Potiùs ergo credo idcircò magnâ voce clamâsse, ut omnes, qui aderant, Psalmi verba recognoscerent, et se eum esse intelligerent Christum de quo ea scripta fuissent : *Eli, Eli lamma sabacthani?* Marcus 15, 34. *Eloi, Eloi,* eâdem sententiâ paululùm inflexo verbo, eodem tamen Hebraico. Utroque enim modo Hebræi dicunt : Deus meus, et *Eli,* et *Eloi;* utro autem modo dixerit Christus, difficilis non est conjectura; cùm enim Psalmi 21 verba recitaret, credendum est non *Eloi,* aut *Eloai,* sed *Eli* dixisse, quemadmodùm in Psalmo scriptum est. Accedit quòd, qui aderant, existimaverunt Eliam invocare, quòd non tam facilè existimare potuissent, si dixisset *Eloi,* quàm si dixit : *Eli lamma sabacthani,* לבזה שבקתני Syriacè dictum est, quâ tunc linguâ Judæi loquebantur, Hebraicè עזבתני. Davidis quidem verba sunt querentis apud Deum, quòd ab eo in rebus adversis desertus videretur. Hoc est, quod statim sequitur, רחק מרשועתי דברי שאגתי, *longè à salute meâ verba ragitûs mei,* id est, longè abest, ut querelæ apud te meæ ullam mihi salutem et liberationem afferant, quod Hebraici nominis similitudine septuaginta Interpretes verterunt : Μακράν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι παραπτωμάτων μου, *longè à salute meâ verba delictorum meorum,* id est, ego clamo pro salute meâ, peccata verò mea contra meam salutem ad te clamant,

Vers. 46. — Clamavit, voce magnâ : ut palam faceret se suâ voluntate mori : Eli, Eli, lamma sabactani, quod est initium psalmi 21, ut omnes intelligerent psalmum integrum ad se pertinere. Vulgari idiomate hæc verba Jesus protulit : quem nec milites ita ut ab eâ longè absim. Cæterùm quia totus Psalmus de Christo scriptus est, ut ex vers. 17 perspicitur : *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea,* et rursùs ex vers. 19, *diviserunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem,* quæ in alium, quàm in Christum convenire non possunt dubium non est, quin, cùm David hæc diceret, prospiceret ad Christum. Propterea ergo moriens Christus ejus Psalmi exordium usurpavit, ut doceret se eum esse Christum, de quo totus ille Psalmus loqueretur. Sed alia hinc oritur quæstio, quomodò Christus se à Deo derelictum verè dicere potuerit. Occludendæ hoc loco aures sunt hæreticorum blasphemiæ, quorum magister Calvinus desperationis vocem hanc fuisse dicit, impium errorem impio etiam errore confirmans; oportuisse Christum, in quem ira Dei hominibus debita effundebatur, omnes damnatorum experiri pœnas, inter quas una est nullam sperare salutem. Nam Christum de salute suâ desperâsse non solùm impium, sed horrendum etiam auditu est; et ipso Christi morientis facto refutatur. *In manus,* inquit, *tuas commendo spiritum meum,* Luc. 23, 46, quo enim modo spiritum suum in manus Patris commendabat, à quo nullam salutem sperare cœperat? Neque verò necesse erat, neque potuit omnes damnatorum pœnas experiri, ut divinam placaret iram, alioqui et blasphemare eum oportuisset, et cætera facere, quæ damnati faciunt, quæ etsi faciunt libenter, pœnæ tamen peccatorum sunt. Quin ne illud quidem fuit necessarium, ut Christus tam magnam subiret pœnam, quàm multi pro Christo martyres subierunt. Non enim magnitudo pœnæ, quæ quantacumque fuisset, cum peccatorum nostrorum multitudine, magnitudineque conferri non poterat, sed conditio personæ placavit Deum. Quidquid enim Deus pateretur, tantum erat, ut quamvis irato Deo satisfaceret. Facessat igitur ista blasphemia; satis blasphemiarum à Judæis in cruce pendens Christus accepit; opus non est, ut ab hæreticis inter pretibus ad dexteram jam Patris sedens plures accipiat. Veteres igitur auctores etsi aliâ ratione alii hunc locum explicaverunt, id conati sunt omnes, ut suam Christo gloriam assererent. Receptissima apud illos interpretatio fuit, Christum hæc verba non suâ, sed nostrâ, id est, omnium peccatorum personâ pronuntiâsse. Cùm enim hic locus ad confirmandum errorem suum ab Arianis objiceretur, tantùm abfuisse ut Christus fuisset Deus, ut se etiam à Deo derelictum clamavisset; catholici auctores respondebant, non pro se, sed pro nobis clamavisse, quos cùm à Deo desertos, ab eoque alienatos videret, in ejus gratiam reponere volebat. Sic Athanasius orat. 1 et 2, contra Arianos, et serm. 3 et 4 adversùs eosdem, et in lib. Quòd Deus de Deo sit verbum, et Gregorius Nazian., orat. 4 de Theolog., et Cyrill. Alexandrinus in lib. de Fide ad Reginas, et August. in Comment. in Psal. 21, et Leo, serm. 16 de

qui aderant, nec Judæi peregrini, seu Hellenistæ intelligebant, *Eli* אלי, *Lamma* למא, *Sebac* שבק, voces illæ erant Syriacæ, non Hebraicæ, quales sunt in psalmo 21.

Passione, et Joann Damascenus, lib. 3 de Fide, c. 24, et Euthym. in hujus loci Comment. exponunt. *Inde est* inquit Leo, *quod caput nostrum Dominus Jesus Christus omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in Psalmo eructaverat, id in supplicio crucis sub redemptorum suorum voce clamabat, Deus, Deus meus respice in me, quare me reliquisti?* Hanc interpretationem ex his, quæ continuò sequuntur, verbis Augustin. confirmat, *longè à salute meâ verba delictorum meorum*, quæ in nos, non in Christum convenire possunt. Alii derelictum se à Patre dixisse putant, quòd, cùm in formâ Dei esset, Patris decreto exinanisset semetipsum, formamque servi accepisset in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo: quasi eum tot, tantaque expertum supplicia quodammodò pœnituerit factum fuisse hominem. Ad hunc modum Origenes, non admodùm, ut mihi videtur, probabiliter. Mihi aliorum sententia magis placet, qui Christum hæc verba, tanquàm hominem, pro seipso dixisse putant, sicut dixerat : *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Cùm enim et homo, et Deus esset, tamen, ut illo loco diximus, ita Deus hominem, quasi divinitatem suam cohibens pati permittebat, ut si purus esset homo. Itaque etsi Deus sit, tamen ut purus homo orat, ut purus homo se à Deo derelictum queritur, non quòd se ab eo derelictum putaret, in cujus manus paulò post spiritum suum commendavit, sed quòd ita se pati videret, quemadmodùm si ab eo derelictus fuisset. Quam ob rem et hominis à Deo derelicti more clamat : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* ut hominis extrema patientis supplicia, et à Deo derelicti personam exprimat. In hanc sententiam Tertullianus in lib. adversùs Praxeam, Hilarius, canone in Matthæum 33. Epiphanius hæresi 69; Cyrillus, lib. 10 Thesauri, cap. 2, Ambros., lib. 10 Comment. in Lucam, et lib. 1 de Fide, cap. 6, et Hieronym. hoc loco interpretantur. Cæterùm Hilarius, et Ambros. cautè, prudenterque legendi sunt; ita enim exponunt, quasi moriente Christo divinitas sit ab ejus animâ, et à corpore separata. *Clamavit*, inquiunt, *homo divinitatis separatione moriturus.* Benignè bonos auctores interpretari decet, ut non putaverint divinitatem ab animâ et corpore Christi verè fuisse sejunctam, sed ita cum passum, ita fuisse mortuum, ut si sejuncta ab eo divinitas fuisset.

VERS. 47. — QUIDAM AUTEM ILLIC STANTES, ET AUDIENTES DICEBANT : ELIAM VOCAT ISTE. Dubium, qui fuerint illi, *quidam illic stantes*, qui Eliam à Christo vocari putaverunt. Theophylactus existimat fuisse Judæos, non illos quidem sacerdotes, scribas, et Pharisæos, cæterosque, qui Scripturarum scientiam, aut habebant, aut profitebantur; sed imperitum vulgus, quòd cùm Scripturas et litteras ignoraret, Eliam à Christo vocari existimavit. Alii doctos fuisse Judæos, aut sacerdotes, aut scribas, et Pharisæos, qui non linguâ, aut Scripturarum ignoratione, sed procacitate quâdam, et nominis *Eli*, et *Eliæ*, similitudine irridendi captantes occasionem dixerint, *Eliam vocat iste.* Quam sententiam Hieronymus et Beda referunt, nec omninò improbant. Alii Romanos milites fuisse arbitrantur, qui sive Hebraicæ ignoratione linguæ, ut Hieronymus, Beda, Strabus, et Euthymius existimant, sive irridendi licentiâ dixerint : *Eliam vocat.* Quo animo id fecerint, judicare non audeo; affirmare Romanos milites fuisse audeo, quia Matthæus, et Marcus eos ipsos, qui dixerant, *Eliam vocat iste*, aut ex illis certè aliquem acetum statim obtulisse Christo indicant. Lucas verò, cap. 23, 36, et Joan., cap. 19, 29, eos, qui acetum Christo porrexerunt, milites fuisse dicunt.

VERS. 48. — ET CONTINUO CURRENS UNUS EX EIS ACCEPTAM SPONGIAM IMPLEVIT ACETO. Matthæus hoc loco, et Marcus, cap. 15, 36, ita historiam texere videntur, ut indicent propterea unum ex militibus accurrisse, ut acetum Christo porrigeret, quòd Eliam invocare visus esset. Quæ non satis inter se videntur cohærere : quid enim aceto cum Eliâ? Joannes rem magis explicat : *Postea*, inquit, *sciens Jesus, quia omnia jam consummata sunt*, id est, se passum esse, quæ Patris decreto pati oportebat, nihilque superesse, nisi ut illi animam redderet, *ut consummaretur*, inquit, *Scriptura, dixit : Sitio*, id est, ut impleretur Davidis prophetia, Psalmo 68, 22 : *In siti meâ potaverunt me aceto, dixit, sitio*, id est, declaravit sitim suam, de quâ David locutus fuerat tempusque jam esse indicavit, ut sibi acetum potandum porrigeretur, Joan. 19, 28, 29. Mirum videri lectori potest, quomodò eo in loco acetum ad manum fuerit, ut Christo daretur. Joannes scribit *vas ergo erat positum aceto plenum.* Sed de illo ipso vase, quorsùm illic positum fuerit, dubitari potest. Non dubito, quin de more ibi positum fuerit, quòd hominibus crucifixis, aut cruci affigendis acetum dari soleret. Cur autem daretur, de eo dissentiunt interpretes; Theophylactus, quem omnes recentiores secuti sunt, ideò crucifixis acetum dari solitum fuisse putant, ut citiùs morerentur, et à cruciatibus liberarentur. Potiùs credo solitum fuisse dari, ut recrearetur, si quis metu mortis, antequàm in crucem sublatus esset, exanimaretur. In hunc enim usum et capite plectendis, et his, quibus secta vena trahitur sanguis, etiam hodierno die dari solet. Quia autem Christus in cruce sublimis pendebat, nec acetum in ipso vase bibendum dari poterat, spongia aceto madefacta, et arundini impositâ datum est. Pro arundine hyssopum Joannes dixit. Itaque nonnulli arundinem, aut calamum ex hyssopo fuisse putaverunt; quemadmodùm Euthymius in cap. Joan. 19 interpretatur : nam etsi apud nos hyssopus humilis est herba, tamen in Judæâ, regione calidâ, in arbusculam excrescere; quod nec ipsum per se mihi probabile videtur, cùm neque Plinius, neque Dioscorides, neque quisquam eorum, qui de plantis scripserunt, hyssopum ullo in loco tantæ magnitudinis nasci dixerint, ut ex eâ calamus fieri possit; et auctor librorum Regum contrarium omninò docet. Nam libro 3, cap. 4, 33, dicit Salomonem de omnibus plantis disputâsse à cedro, quæ est in Libano, usque ad hys-

VERS. 48. — SPONGIAM IMPLEVIT ACETO, quam arundini imposuit, ut vitam ejus produceret, expectans an veniret Elias ad deponendum eum.

sopum, quæ egreditur de pariete : ubi manifestum est hyssopum pro minimâ herbâ positam esse, quæ maximis cedris Libani opponitur, tantùm abest ut in Judæâ arbuscula fuerit. Probabilior Theophylacti sententia est, arundinem à Joanne propter aliquam summorum foliorum similitudinem hyssopum appellatam, sed neque istam ipsam similitudinem video. Sunt qui exponant spongiam hyssopo, ut ait Joannes, circumpositam fuisse, id est, arundini hyssopi herbâ circumligatam; ut *hyssopo* non tertius, sed sextus casus sit, quo instrumentum significatur. Suspicor ego Joannem noluisse dicere spongiam hyssopo circumpositam, tanquàm calamo, quo acetum Christo porrigeretur : sed tanquàm medicamento, quod unà cum aceto exanimatis dari soleret. Scribit enim Galenus hyssopum aceto mixtum exanimatis animum reddere. Ergo primùm quidem hyssopum arundini milites circumligârunt, deinde hyssopo spongiam circumposuerunt, quemadmodùm Joannes scribit, ut Christus hyssopi succum unà cum aceto exsugeret.

VERS. 49. — CÆTERI AUTEM DICEBANT. Marcus, cap. 15, 36, non cæteros, sed illum ipsum, qui acetum daturus accurrerat, hæc dixisse scribit : *Sinite, videamus, an veniat Elias ad deponendum eum.* Itaque nonnulli interpretes Marci locum vitiatum esse putant, et pro λέγων, ἄφετε, legendum, οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, ἄφες, *cæteri autem dicebant : Sine*, ut ait Matthæus, ut hæc verba οἱ δὲ λοιποὶ, apud Marcum exciderint, et pro ἔλεγον scriptum fuerit λέγων pro ἄφες ἄφετε, quam correctionem Syriaci interpretis auctoritate probant, qui ad hunc modum reddit; dicebant autem : Sinite, videamus an Elias veniat; deinde nonnullorum Græcorum codicum suffragio, qui ad eumdem modum apud Marcum legunt; postremò, quia videmus Marcum Christi passionem non eàdem modò sententiâ, sed iisdem etiam, quibus Matthæum, ferè ubique verbis scribere. Non ausim tamen sine majoribus argumentis Scripturam emendare, quam qui interpretantur, proverbium illud observare debent : *Ne moveas lineam.* Certè D. Augustinus, lib. 3 de Consensu evangelistarum, cap. 17, Marci locum tractans ita legit ut nos hodie legimus; etsi miror eum nodum non satis solvisse; neque correctio ista ad conciliandos evangelistas necessaria mihi videtur esse. Nam hæc Matthæi verba : *Cæteri verò dicebant : Sine, videamus an veniat Elias liberans eum*, non sunt, ut ego quidem opinor, ad ea quæ versu 48, sed ea quæ 47 dicta sunt, referenda. Nec enim cæteros opponit illi qui currens acceptam spongiam implevit aceto, sed illis qui dicebant : *Eliam vocat iste*; quasi dicat evangelista : Quidam dicebant : *Eliam vocat iste; cæteri verò dicebant : Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.* Inter quos cæteros illum ipsum fuisse credendum est qui currens acceptam spongiam implevit aceto, ut ait Marcus. At non dicunt : *Sinite*, sed *sine*, quasi cum illo qui ad dandum acetum currebat, loquerentur. Respondeo Hebraicam esse phrasim, quâ etiam cùm de multis Hebræi loquuntur, dicunt הנח *sine*; Marcus autem, quia unum nominatim, quasi cum cæteris loquentem id dixisse narrat, non dicit dixisse : *Sine*, sed, *sinite, videamus an veniat Elias liberans eum.* Quid hoc ad acetum hinc mea confirmatur opinio, eos qui hæc dixerunt, neque ille qui acetum porrigere volebat, sed omnibus in communi dixisse : *Sine, videamus an veniat Elias*, neque acetum ideò solitum fuisse dari, ut citiùs qui crucifixi erant morerentur, sed ut animum potiùs resumerent. Nam quia morientem Christum videbant, Eliamque, ut putabant, aut se putare simulabant, invocantem, vitam ejus dato ad recreandum animum aceto producere voluerunt; ne, antequàm Elias veniret, moreretur, et ut experirentur utrùm Elias eum liberaret. Propterea unus, ut diximus, ex illis ipsis qui dicebant : *Sine, videamus an veniat Elias liberans eum*, ad quærendum acetum quod illi daret, accurrit. Cur Eliam finxerint se venturum existimare, causa esse potuit quod recepta vulgò inter Judæos esset opinio, eaque vera, ante Christi adventum Eliam venturum esse. Quâ de re, cap. 11, 14, et 17, 10, 11, disputavimus. Ergo etsi, qui hæc dicebant, Romani erant milites, tamen, cùm inter Judæos viverent, eorum de venturo Eliâ opinionem cognitam habebant, ex eâque loquebantur.

VERS. 50. — JESUS AUTEM ITERUM CLAMANS VOCE MAGNA. Jam ante Christus voce magnâ clamaverat, vers. 46. Propterea dicit, iterùm clamavisse. Marcus, cap. 15, 37 : *Jesus autem emissâ voce magnâ expiravit.* Indicat in exprimendâ magnâ Christi voce evangelistarum diligentia aliquid in eâ re fuisse mysterii. Itaque otiosum non erit ejus rei rationem quærere. Multas easque probabiles veteres auctores reddunt : Origenes, tractatu in Matthæum 35, ut ostenderet Christus se non timidè, sed confidenter et securè mori; ut qui sciret se post mortem ad Patris dexteram collocandum, et nomen accepturum quod est super omne nomen; Cyrillus Hierosolym., catech. 13, et Chrysost. hom. 89, Hieronym., Euthym. et Theophylact., in Comment., ut ostenderet se non infirmitate, non ullâ naturæ necessitate, sed voluntate suâ mori, cùm tam validâ voce clamando moreretur; idem Euthymius, ut usque ad extremum spiritum, quemadmodùm totâ vitâ fecerat, clarâ profiteretur voce se Patri suo esse concordem, cùm suum in ejus manus spiritum commendaret. Nonnulli idcircò magnâ voce morientem clamâsse dicunt, ut omnes intelligerent quousque se propter peccata hominum demisisset, cujus sententiæ in c. 23 Lucæ auctor Ambrosius. Videtur mihi, sicut cæteris, quæ tunc acciderunt, miraculis, ita vocis quoque magnitudine divinitatem suam declarare voluisse, ut qui supra humanam naturam in ipso extremo spiritu tam magnâ clamaret voce, plus esse quàm homo crederetur. Confirmat hanc rationem qui consecutus est eventus. Nam, ut ait Marcus, 15, 39, *videns centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset, ait : Verè hic homo filius Dei erat.* Quid magnâ illâ voce clamans Christus dixerit, Lucas, 23, 46, solus expressit : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Spiritum animam vocare manifestum est; commendat igitur animam suam in manus Patris, non eo sensu quo pii homines morientes, eademque

verba recitantes animam suam in manus Dei commendare solent ; nec eo quo Stephanus, primus martyr, cum lapidibus peteretur dixit : *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*, Act. 7, 59. Homines enim animam suam Deo commendant, ut eam non damnet, sed vitæ æternæ participem facist sicut solent qui in capitali causâ rei aguntur, vitam suam judicibus commendare. Non sic Christus, qui sciebat se damnari non posse, nullumque habere peccatum, quod sibi à Patre remitti precaretur ; sed commendat illi animam suam, ne eam relinquat in inferno, quò descensura erat ; et ne det *sanctum suum videre corruptionem*, ut de ipso Christo loquens David dixerat Psal. 15, 10 ; uno igitur ut dicam verbo, tanquàm paulò post repetiturus, interim dùm mortuus per triduum, quæ apud inferos agenda sibi erant, agit, animam suam in manibus Patris quodammodò deponit, hoc est, *commendo spiritum meum* ; quemadmodùm si quis tradui facturus iter familiari, confideret, cui amico, quod domi suæ charissimum haberet, custodiendum interim daret, dicens : Hoc tibi commendo. In hanc sententiam Tertullianus, in lib. contrà Praxeam, et Ambrosius in c. 23 Lucæ, hæc Christi verba interpretantur. Sumpsit autem ea Christus ex Psal. 30, 6, et ad se, quod de seipso David dixerat, paululùm immutato sensu, accommodavit. Nam David non animam suam, sed vitam suam, quam per spiritum significavit, Deo commendaverat. Christus autem spiritum suum animam suam vocat ; et apud Davidem oratio conditionalis est quasi dicat : Quotiescumque, aut, si vitam meam in manus tuas commendavero, etiamsi in extremo verser vitæ periculo, *redemisti*, id est, redimes, *me, Deus veritatis*, id est, fidelis, qui quemadmodùm mihi promisisti te mihi semper affuturum, ita facies. Hoc autem loco, non conditionalis, sed absoluta oratio est.

Emisit spiritum. Hoc etiam verbum non coactum, sed voluntariam Christi mortem significat, ut Ambrosius, Hieronymus et Beda notaverunt. *Et hoc dicto*, inquit Ambrosius, *tradidit spiritum, et benè tradidit, qui non invitus amisit. Denique Matthæus ait : Emisit spiritum ; quod enim emittitur, voluntarium est ; quod amittitur necessarium.* Eòdem pertinet quod ait Joannes, 19, 30 : *Et inclinato capite, tradidit spiritum* ; significat enim Christum non infirmitate, sed voluntate inclinâsse caput, quasi spiritum leniter positurum. Non ergo intelligendum est Christum in ipso illo magno clamore spiritum emisisse ; priùs enim clamâsse credendum est, ut Matthæus et Marcus scribunt, deindè inclinâsse caput et spiritum tradidisse, ut ait Joannes ; id apud Matthæum hoc loco ambiguum non est, qui aoristo usus est tempore ἀφῆκε φωνῇ μεγάλῃ, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, *cùm clamâsset voce magnâ, emisit spiritum*. Magis ambiguè dixit Marcus : Ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην, *emittens vocem magnam* ; sed ex Matthæo interpretari necesse est, *emittens*, id est, cùm emisisset. Putat Euthymius Christum inter clamorem et spiritûs emissionem matrem, ut narrat Joannes, discipulo commendâsse. Sed ex ipso Joanne contrarium apparet, qui multò ante matrem discipulo commendatam fuisse commemoraverat. Scribit autem idem Joannes, quod pertinet ad hunc locum. Christum antequàm caput inclinaret, et spiritum emitteret dixisse : *Consummatum est*, quo verbo mirum quàm ineptè Lutherani et Calviniani passim abutantur, ut Eucharistiæ sacrificium et omnem nostram satisfactionem tollant, quasi Christus dicere voluerit omnia jam sacrificia esse finita, nullumque deinceps offerendum, omnem satisfactionem, omnem sanctificationem nostram esse perfectam. Atqui Christus neque de sacrificii satisfactione, sed de passione suâ loquebatur, significavitque consummatum esse, id est, finitum, quidquid passurus erat ; nihil jam sibi superesse nisi ut animam poneret, quam non aliâ ratione quàm ut moreretur, sumpserat, neque aliâ ratione sumptam retinebat. Accommodatè enim ad locum, ad tempus, ad rem subjectam hæc verba interpretanda sunt. Erat passionis tempus, pendebat in cruce Christus, pertulerat omnia quæ laturus erat pro nobis supplicia ; dicit : *Consummatum est*, id est, nihil jam mihi patiendum superest, quemadmodùm si ægroto, cui à chirurgo membra secantur, finità sectione, ut eum consoletur, aliquis dicat : Actum est, id est, quidquid doloris patiendum erat, jam passus es, nihil est reliquum. Denique nihil aliud significare Christus voluit, quàm quod D. Paulus interpretatur, Rom. 6, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Et ut fingamus de sacrificiis et figuris veteris legis locutum esse Christum, quemadmodùm non diffiteor multos etiam veteres auctores interpretari, tanquàm sensus sit : *Consummatum est*, id est, omnes prophetiæ, omnes figuræ veteris legis impletæ sunt, quod et scisso templi velo, ut versu sequenti docebimus, significatum est ; tamen quid hoc ad tollendam Eucharistiæ sacrificium ? quid ad tollendam bonorum operum satisfactionem ? Nam illi ipsi auctores veteres, qui hanc interpretationem secuti sunt, et Eucharistiæ sacrificium, et satisfactionem bonorum operum, credidernut. Sed isti otiosi homines, ut nihil agant, Christi verbum interpretantur : *Consummatum est*, id est, nihil jam ad salutem hominum aut mihi, aut illis faciendum reliquum est. Cur ergo credimus ? cur baptizamur ? cur Eucharistiam sumimus ? cur bona à nobis opera etiam post Christi mortem exiguntur ? cùm illo uno verbo *consummatum est*, salvi esse possimus ? Apagesis ista deliria. Alia vis in eo latet verbo quod isti jacuti, ut sibi videntur, homines non viderunt. Indicat Christus, se tunc, non ante, non post mori voluisse ; non enim naturæ lege, sed voluntate suâ et officii causâ mori, ut Patris voluntati decretoque satisfaciat. Qui cùm ante non satisfecisset, mori noluit, cùm jam à se satisfactum esset, etiamsi naturâ, ut diutiùs viveret, postularet, tamen ne perfunctus jam officio frustra, vel paucas horas vivere videretur, mori voluit. Hoc est, *consummatum est*, quasi dicat : Tempus est ut animam ponam. Hinc factum est ut Pilatus mysterium non intelligens, cùm Christum jam mortuum esse intelligeret, mirareturque, Marci 15, 44. Mi-

nimè igitur his assentior qui et in commentariis suis et in concionibus docere solent Christum, propterea quòd majora per totam noctem quàm latrones supplicia pertulisset, citiùs quàm illos fuisse mortuum. Hi enim auctores, ut Christi passionem augeant, mysterium imminuunt.

Vers. 51. — Et ecce. Rectè D. Augustinus, lib. 3 de Consensu evang., cap. 19, observavit, istud, *ecce*, significare velum templi statim atque Christus spiritum emisit fuisse discissum, ita ut mors Christi scissi veli causa fuisse demonstretur. Itaque quòd Lucas 23, 45, veli scissionem cum tenebris, quæ vivente adhuc Christo factæ sunt, junxerit, per anticipationem historiæ fecisse credendum est.

Velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. Ad eumdem modum scribit Marcus, 15, 39. Quod et scissum fuisse velum, et in duas partes scissum, et à summo usque ad imum, tam diligenter commemorant, magni alicujus mysterii indicium est. Major pars antiquorum interpretum hoc fuisse mysterium tradiderunt, ut significaretur vetera sacramenta atque figuras, quæ vix doctissimus quisque legis intelligebat, fuisse scisso velo patefacta, ut omnes in ipsum Sanctum sanctorum, quod velo separabatur, id est, in ipsa veteris legis penetralia, occultissimaque mysteria intueri possent ; quæ enim antiquis Hebræis in figurâ contingebant, nos, ablato velo, et, ut ait 2 Cor. 3, 18, D. Paulus, *revelatâ facie* contemplamur. Hujus interpretationis Origenem, tractatu in Matth. 36, Ambrosium, lib. 10, in Lucam, Hieronymum in Comment. ad hunc locum, Cyrillum Alexandrinum, lib. 10 in Joannem, c. 57, Theodoretum, orat. 9 in Danielem, D. Augustinum in Psal. 64 et 76, et lib. 12 contra Faustum, c. 11, et serm. 4, de Verbis Domini secundùm Joannem, et Theophilum Antiochenum, lib. 1 Allegor. in Evang., et Leonem, serm. 10 de Pass., et Sedulium hunc locum carmine reddentem, auctores invenio. Alii synagogæ abrogationem et veluti dissolutionem significatam fuisse putant, ut idem Augustinus, serm. de Tempore 114, et Cæsarius, hom. 4 de Paschâ. Alii ipsam Christi passionem finitam esse ; carnem enim Christi per velum templi significari, veli discissione aut fractionem carnis, aut animæ à carne separationem, ut Cyrill. Hierosolym., catech. 13, et Theodoret., dial. 1 impatibili, videntur exponere. Alii velum, quasi vestem fuisse templi, et quemadmodùm Judæi in luctu vestem scindere solebant, ita templum moriente Christo lugentis modo vestem suam discidisse. Ita Euthymius et Sedulius hunc locum exprimens, lib. 5 Carminum.

Illud ovans templum, majoris culmina templi
Procubuisse videns, ritu plangentis alumni,
Saucia discisso nudavit pectora velo.

Alii Judaici populi in diversas partes divisionem,

Vers. 51. — Toto orbe : ut de Bithyniâ testatur Phlegon apud Eusebium. Et velum, quod erat propitiatorium, magno argumento judaicas cæremonias, et sacrificia cessâsse, velamen legis sublatum, cœlum antea clausum per Christi mortem esse apertum.

Vers. 52. — Et corpora sanctorum. Non veterum sanctorum, qui agniti non fuissent, sed eorum qui in Christum credideranl, nèc ita pridem mortui fuerant, quique post resurrectionem Christi multis apparuerunt. Erant apud Judæos sepulcra communia, quæ aperta sunt in morte Christi : post resurrectionem quidam ex iis qui fideles erant, multis apparuerunt ingressi civitatem.

dissipationemque significari crediderunt, ut Hilarius, canone in Matth. 35. Alii templum illud, quod ad illud usque tempus sanctum fuerat, deinceps profanum fore, ut Theophylactus. Alii *propalatam esse sanctorum viam*, ut ad Hebræos 9, 8, ait D. Paulus, id est, apertam nobis januam cœli esse, quæ ante Christi mortem occlusa fuerat, liceretque omnibus qui velint ingredi. Nam velum illud templi ideò oppositum, ne quis præter summum sacerdotem, idque semel in anno, et non sine sanguine in Sancta sanctorum ingrederetur, cœli figuram fuisse, idem D. Paulus, eodem c., vers. 24 et 25, auctor est. Itaque hæc interpretatio, et illa quam primo loco posuimus, plurisque auctores habere diximus, mihi magis placent.

Et terra mota est, et petræ scissæ sunt. Non possumus in terræmotu, petrarumque scissione idem, quod in scisso velo, mysterium recognoscere. Mysterium tamen aliquod esse credendum est. Puto Christi divinitatem his duabus rebus declaratam. Solet enim divina præsentia, atque majestas, terræmotu et petrarum concussione significari, ut Psal. 67, 8, 9 : *Deus, cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est ; etenim cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel* ; et Psalm. 97, 7, 8, 9 : *Moveatur mare et plenitudo ejus, orbis terrarum, et qui habitant in eo, à facie Domini, quoniam venit judicare terram* ; et Psal. 98, 1 : *Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super Cherubim, moveatur terra* ; et Psal. 113, 6, 7 : *Montes, exultâstis, sicut arietes, et colles, sicut agni ovium, à facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob* ; et Joelis 2, 10 : *A facie ejus contremuit terra, mota sunt cœli.* Potest et divina ira, quæ Judæis imminebat, significari. Nam et ira Dei motu terræ significari solet, ut Joelis, 3, 16 : *Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam, et movebuntur cœli, et terra*, et Aggæi 1, 22, 23 : *Ego movebo cœlum pariter, et terram, et subvertam solium regnorum, et conteram fortitudinem regni gentium, et subvertam quadrigam et ascensores ejus*, et Psal. 45, 7 : *Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra.* Idem de hoc terræmotu, quod supra versu 45, de tenebris quæsitum est, quæri potest, quàm latè patuerit. Origenes in solâ Judæâ, sicut et tenebras, factum fuisse putat, auctor verò librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ, qui August. falsò tribuuntur, libro 2, c. 5, longiùs pervenisse scribit, et in Thraciâ undecim urbes corruisse. Nescio quàm sit simile veri in Thraciâ, ubi innocentes homines erant, undecim corruisse urbes, in Judæâ verò, ubi scelus patrabatur, nullam corruisse.

Vers. 52. — Et monumenta aperta sunt. Non satis liquidò ex evangelistis colligi potest, quo tempore monumenta aperta fuerint. Chrysost. hoc loco viven-

te adhuc Christo aperta fuisse putat : eos enim, qui resurrexerunt, Christum fuisse ad inferos euntem comitatos. Id non videtur verbis evangelistæ consentaneum, qui quamvis non explicet, an statim post Christi mortem monumenta fuerint patefacta : tamen post ejus mortem patefacta fuisse minimè obscurè indicat. Theophylact. statim post Christi mortem aperta fuisse putat, sicut statim scissum est velum, mota est terra, ruptæ sunt petræ. Atque hæc quidem verba videntur præ se ferre. Illud tantùm obstat, quòd, cùm monumenta non fuerint aperta, nisi ut mortui resurgerent, aut ut resurrexisse testarentur, et mortui illi non resurrexerint, nisi ut suâ resurrectione Christi resurrectionem confirmarent, supervacaneum videtur fuisse ante Christi resurrectionem resurgere. Quid enim interim egissent? Deinde, quòd valdè sit verò simile Christum eos, qui resurrexerunt, apud inferos adhuc commorantes, sicut cæteros, qui illic erant, visitâsse, eosque inde secum abduxisse, ut secum etiam resurgente resurgerent. Denique quòd versu sequenti idem Matthæus scribat : *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem*, ubi sic jungi verba videntur, ut, qui resurrexerunt, non nisi post Christi resurrectionem dicantur resurrexisse. Itaque his adducti argumentis Origenes, Hieronym. et Beda non nisi post resurrectionem Christi resurrexisse eos existimant, nisi quòd Hieronym. et Beda monumenta statim post Christi mortem aperta fuisse dicunt; quamvis mortui non nisi post Christi resurrectionem resurrexerint. At quorsùm statim aperta sepulcra, si resurrecturi statim non erant mortui? Malo igitur credere, neque monumenta ante Christi resurrectionem aperta fuisse, neque resurrexisse mortuos; sed Matthæum, cùm cœpisset ea miracula, quæ moriente Christo contigerant, commemorare, hoc etiam cum cæteris copulasse, cujus causa, sicut et cæterorum, Christi mors fuerat. Cur mortui illi resurrexerint, meritò quæri potest; sed ratio non est difficilis. Voluit Christus resurrectionis suæ habere socios, qui ejusdem essent testes. Si solus resurrexisset, phantasma esse credi poterat; cùm alios secum, qui simul resurrexerant, adduxerit, facilè probavit se resurgere potuisse, qui alios suscitaverat. Propterea dicuntur illi, qui resurrexerant, multis in civitate apparuisse. Fuit etiam hoc singularis charitatis argumentum. Solus mori voluit, qui non solus resurrexit. Nam latrones illi, qui cum eo crucifixi fuerant, non à Christo, sed à suis ipsorum sceleribus fuerant crucifixi. Qui autem cum eo suscitati sunt, ab eo suscitati sunt. Mors ejus resurrectionis nostræ causa est, mortis nostræ causa ipsi nobis sumus. Quæri etiam solet, utrùm illi, qui tunc cum Christo resurrexerunt, mortui iterùm sint. Theophylact. mortuos postea fuisse credit. Magis aliorum recentiorum interpretum opinionem probo, qui non iterùm mortuos; sed cum Christo in cœlum evectos fuisse dicunt. Quid enim inter vivos egissent, qui divinæ jam gloriæ gustum acceperant? pejoris profectò conditionis fuissent, quàm si nunquàm fuissent exsuscitati, si à sinu Abrahæ, ubi in loco quietis erant, ad turbulentam vitam fuissent revocati, ut in eâ diù manerent, iterùm morituri. Quid quòd in sinu illo Abrahæ, ubi eos fuisse credendum est, cùm eos evangelista sanctos appellet, certi salutis suæ erant; in hâc vitâ certi esse non poterant, cùm iterùm peccare possent? Adde quòd si iterùm morituri surrexissent, non multis, ut ait evangelista, sed vulgò omnibus apparuissent : et quemadmodùm antequàm morerentur, inter homines humano more versati fuissent; ut Lazarus à Christo suscitatus versatus est. Nunc autem, cùm dicat evangelista apparuisse multis, minimè obscurè indicat non omnibus communiter apparuisse, sed quibus oportebat Christi resurrectionem confirmare; quemadmodùm et ipse Christus, quia non iterùm moriturus, sed paulò post rediturus in cœlum resurrexerat, neque omnibus, sed solis apostolis, et aliis fidelibus visus est, et ut ait Petrus, Act. 10, 41, *testibus præordinatis à Deo*, neque quemadmodùm ante mortem suam cum ipsis Apostolis quotidiè, et humano more versatus est, sed nunc apparebat, nunc disparebat.

Vers. 53. — Venerunt in sanctam civitatem. Hierosolymam sanctam civitatem appellat; non quòd tunc sancta esset, cùm fuisset recenti Christi cæde contaminata, sed quia priùs propter templum, et Sancta sanctorum, quæ in eo erant, sancta dicebatur, ut Hieronym. et Beda interpretantur, quemadmodùm et Matthæus, postquàm Christi discipulus factus est, quia ante publicanus fuerat, publicanus etiam appellatur supra, cap. 10, 3.

Et apparuerunt multis. Cur non omnibus, et cur his multis apparuerint, docuimus vers. superiore.

Vers. 54. — Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu, et his, quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes : Verè filius Dei erat iste. Marcus 15, 39, aliam rationem timoris affert. *Videns*, inquit, *centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset, ait : Verè hic homo filius Dei erat.* Utrumque centurionem novisse credendum est validum morientis Christi clamorem, et factas in universâ regione tenebras, et motum subitum terræ, et cætera miracula, quæ omnia Lucas 23, 47, uno comprehendit verbo : *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens : Verè hic homo justus erat.* Cur centurio et milites tantoperè timuerint, non est difficile cognitare. Verebantur ne divina in ipsos, qui sceleratæ necis ministri fuerant, vindicta converteretur, cùm Christum Dei esse Filium agnoscerent, quem credebant non esse Filii sui mortem inultam præteriturum. Lucas dicit centurionem glorificasse Deum, id est, veritatem fuisse confessum, Christum Dei esse Filium. Hoc enim Hebraica significat phrasis; glorificare Deum, aut dare gloriam Deo, vel nostram culpam, vel ejus gloriam majestatemque recognoscere; ita Joannis 9, 24 : *Vocaverunt ergo* Phariszi *rursùm hominem, qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo*, id est, confitere veritatem, *nos scimus, quia hic homo peccator est*; et Josue 7, 19, ait Josue Achan, qui sumpserat de anathemate : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, et confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas.*

Verè filius Dei erat iste. Sic etiam Marcus; Lucas verò, *verè hic homo justus erat*, quod duobus modis, l. 3 de Consensu evang., c. 20, explicat August., aut utrumque centurionem dixisse, et Christum hominem esse justum, et filium fuisse Dei : quorum alterum Matthæus et Marcus, alterum Lucas recitaverit; aut ut Lucas explicare voluerit, quo sensu centurio Christum filium Dei, ut Matthæus et Marcus scribunt, appellavisset, nempe non quasi naturalem Dei filium esse crederet, sed eo modo, quo omnes homines justi filii Dei vocabantur : *Ego dixi dii estis, et filii excelsi omnes*, Psalm. 81, 6. Probabilis Augustini sententia est; sed ego potiùs credo centurionem utrumque dixisse, et hominem justum, pro Dei Filio posuisse. Non enim vulgari more hominem justum Christum appellavit, cùm ea miracula in aliorum justorum morte non fierent, sed justum vocavit, quemadmodùm Christus ab iis, qui in eum credebant, appellabatur. Verè ergo centurionem arbitror in Christum credidisse multitudine, magnitudineque commotum miraculorum. Scribit præterea Lucas, c. 23, 48, omnem turbam *eorum, qui simul aderant ad spectaculum, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua* rediisse, quasi culpam suam agnoscerent, et innocentis mortis vindictam abominarentur.

Vers. 55. — Erant autem ibi mulieres multæ a longè. Idem Marcus scribit; Lucas verò, vers. 49, *stabant autem omnes noti ejus à longè*, quod universè intelligi non potest, cùm omnes ferè discipuli, qui maximè ei noti erant, diffugissent, ut cap. 26, 56, Matth. dixit. Sed quia notæ mulieres ibi erant, et præterea ex discipulis solus Joannes, quantum quidem licet ex evangelistarum historiâ intelligere, Joan. 19, 26, Lucas dixit omnes notos ejus ibi fuisse, non significans, ut opinor, ibi fuisse omnes, sed omnes, qui ibi erant, fuisse longè; neque, quod Joannes ait c. 19, 25, juxta crucem matrem Christi, et ejus discipulum fuisse, contrarium est. Nam et juxta crucem, et longè erant; juxtà, quia tam propè ut et patientem videre Christum, et secum loquentem exaudire possent; longè, quia non tam propè crucem erant, quàm erant milites, qui Christum custodiebant, et cætera Judæorum turba, quæ convicia in eum jactabat. Quod ergo Matthæus dicit, *à longè*, non significat à longè eas venisse mulieres, quæ propè crucem erant; id enim paulò post dicit, *quæ secutæ erant Jesum à Galilæa*, sed fuisse longè à cruce, et ut Græcè est ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι, procul spectantes.

Quæ secutæ erant Jesum a Galilæa ministrantes ei. Tribus rebus piarum mulierum studium evangelista declarat; primùm quòd ibi essent, ubi apostoli, qui se cum eo morituros jactaverant, esse non audebant: deindè quòd à Galilæâ usque, relictis domibus et patriâ, Christum secutæ fuerint : postremò quòd Christo ministrarent, quod duobus modis intelligendum est, et quia illi serviebant, et quia de facultatibus suis necessaria suppeditabant, ut cap. 8, 3, Lucas tradit. Videtur Deus, quia viri fideles deerant, mulieres, quæ et mortis, et sepulturæ Christi testes essent, excitare voluisse. Nec enim apostoli postea verè resurrexisse Christum testari potuissent, nisi fuissent, qui verè mortuum, verè fuisse sepultum testari possent. Mors et sepultura Christi mulierum, resurrectio, Apostolorum fide atque testimonio probata est.

Vers. 56. — Inter quas erat. Cùm multò plures essent, ut ex Lucâ colligitur, tres tantùm Matthæus nominat, et quia cæteris notiores erant, et in omni ergà Christum officio diligentiores, et quia tres illæ aliis abeuntibus usque ad sepulturæ finem perseverârunt, ut idem evangelista, v. 16, indicat. Christi matrem excipimus, quâ nulla notior, nulla officiosior fuit : quam ideò Christi sepulturæ non interfuisse credimus, quòd eam Joannes, cui fuerat à Christo adhuc vivente commendata, eo mortuo, ne dolore conficeretur, abduxisset.

Maria Magdalene, soror Lazari et Marthæ, Joan. 11, 5, ut recepta apud omnes fert opinio, etsi sunt, qui eam Galilæam fuisse dicant, ut ex Lucâ, cap. 8, 4, colligunt, neque cum Lazaro quidquam habuisse, de quâ Christus septem ejecerat dæmonia, Lucæ 8, 2.

Et Maria Jacobi, et Joseph mater; Græcè, Ἰωσῆ Jose; sic enim Jacobi frater appellabatur. Describit mulierem ex filiis, qui notiores erant; de his autem cap. 12, 46, et cap. 10, 3, copiosè diximus. Hæc erat soror matris Domini, ut ibidem docuimus, et c. 19, 25, Joannes exponit. *Stabant*, inquit, *juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ.* Maria enim Cleophæ, et Maria Jacobi, et Jose eadem erat. Sed Cleophæ à viro, Jacobi, et Jose à filiis appellabatur, quemadmodùm à nobis his locis, quos paulò ante designavimus, probatum est. Ilic Jacobus erat apostolus, qui et minor, et frater Domini, et Jacobus Alphæi appellabatur, auctor epistolæ, quam nunc habemus, et primus Hierosolymorum episcopus, ut c. 10, 3, docuimus. Nam Cleophæ Jacobi patri cognomentum erat Alphæus.

Et mater filiorum Zebedæi. Hæc alio nomine Salome vocabatur, Marc. 15, 40. In hunc locum inserenda sunt, quæ Joan. à cæteris evangelistis prætermissa, c. 19, à versu 31, usque ad 37, exponit : *Judæi ergo quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.* De Parasceve, et de magno illo die sabbati c. 26, 2, disputavimus. Quòd autem Judæi nolint corpora die sabbati in cruce manere, ridicula, et putida religionis simulatio est. Non ducebant religioni innocentem Christum crucifigere, et ipso die Paschæ Pilatum adire, milites ab eo petere, sepulcrum munire, lapidem obsignare; ducunt mortuorum corpora in cruce relinquere. Addit Joannes : *Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo.* Apparet morem fuisse, ut crucifixis, quò citiùs morerentur aliquando frangerentur crura. Nec enim factum hoc singulare fuisse credendum est. Vix enim ausi fuis-

sent Judæi à præside postulare. Et videmus apud Gallos simile quiddam fieri his qui confringuntur in rotâ, quorum nonnullis beneficii loco, ut citiùs moriantur, et à cruciatibus liberentur, ferreâ virgâ pectus obtunditur, ut statim exanimentur. Sequitur apud Joannem : *Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua.* Quòd miles Christi latus aperuerit, et suâ petulantiâ et divino consilio fecisse credendum est : petulantiâ quidem sea, quasi ferret indignè Christum tam brevi tempore mortuum esse, et sese cruciatibus et Judæorum ac militum contumeliis, et irrisionibus eripuisse ; ideòque cùm videt vivo se illudere non posse, illudit mortuo ; divino autem consilio, ut inde sanguis et aqua defluerent, humanæ salutis symbola, quemadmodùm omnes veteres auctores interpretantur. Nam et Christi sanguine redempti sumus, et aquâ baptismi, cum quâ ejus quodammodò miscetur sanguis, abluimur ; et per sanguinem Eucharistia, quâ alimur, per aquam baptismus, quo nascimur, duo præcipua salutis nostræ sacramenta significantur. Ideò Christus per aquam et sanguinem venisse dicitur 1 Joan. 5, 6, et tres esse testes, qui de Christo in terris testimonium perhibeant, Spiritum aquam, et sanguinem ; Spiritum, qui super eum descendit, eumque Filium Dei esse testificatus est, vers. 8, 10, aquam et sanguinem, quæ ex ejus mortui latere profluxerunt. Quod, cùm humanum non esset, Christum non solùm hominem, sed Deum etiam fuisse declaravit. Copiosè hæc Cyrillus Jerosolymitanus edisserit in 13 catechesi : *Primùm Moyses*, inquit, *mutavit flumen in sanguinem ; et Jesus postremò aquam emisit de latere unâ cum sanguine, fortassè propter duas cædes, alteram judicantis, alteram verò clamantium ; aut propter credentes, et non credentes. Pilatus enim dixit : Innocens sum, et aquâ lavit manus. Clamantes autem dicebant : Sanguis ejus super nos. Erant igitur hæc duo de latere fortassis judicanti aqua, clamantibus verò sanguis. Ac rursus aliter intelligendum, Judæis quidem sanguis, Christianis verò aqua ; illis quidem, tanquàm insidiatoribus, ex sanguine condemnatio ; tibi verò nunc credenti per aquam salus. Nihil enim temerè factum est. Assignârunt enarratores patres nostri et aliam ejus rei causam. Cùm enim duplex sit baptismi salutaris virtus, ut est in Evangeliis, una quidem, quæ baptizatis donatur per aquam ; altera verò sanctorum martyrum in persecutionibus per proprium sanguinem, exivit de latere salutari sanguis et aqua propter eam quæ esset futura, Christi confessionem et in baptismo, et in temporibus martyrii confirmans gratiam. Est et alia lateris hujus causa. Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est. Sed Jesus, qui venit, ut viris simul ac mulieribus conferret reconciliationem, aperuit latus pro mulieribus, ut solveret peccatum.* Itaque profana est, et divino adversa consilio interpretatio Calvini, qui, quòd sanguis et aqua ex latere Christi manaverint, naturale fuisse dicit ; Joannes ipse rem supra naturam fuisse significavit : *Et qui vidit*, inquit, *testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.* Quia enim res incredibilis videri poterat, confirmat se vidisse et vera narrare. Quòd autem Christo crura fracta non fuerint, mysterio Joannes factum interpretatur : *Ut impleretur Scriptura*, Exodi 12, 46 : *Os non comminuetis ex eo.* Quòd etsi proprié de agno Paschæ dictum erat, tamen quia agnus ille Christi erat figura, quod de agno dictum fuerat, de Christo dictum Joannes intelligit. Rursùm aliam Scripturam impletam dicit Zacharias 12, 10 : *Videbunt in quem transfixerunt*, quæ quidem Scriptura non omninò impleta tunc fuit, sed impleri, cœpta. Tunc enim in Christum transfixerunt, quæ una prophetiæ pars erat ; in die autem judicii *videbunt in quem transfixerunt*, ut idem Joannes, Apoc. 1, 7, interpretatur.

Vers. 57. — Cum autem sero factum esset. Serum vocat, non vesperum, sed tempus dici ad vesperum inclinatum ; si enim vesper fuisset, non licuisset hominibus justis Christum de cruce ponere et sepelire, quia sabbati otium atque observatio à vespere incipiebat ; propterea ergo, antequàm vesper esset, et sabbatum inciperet, Christi corpus sepelire festinârunt, ne si venisset sabbatum, sepelire non licuisset, ut Marcus et Lucas exponunt : *Et cum jam serò esset factum*, inquit Marcus 15, 42, *quia erat Parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathæâ*, etc. ; Lucas verò, 23, 54 : *Et dies erat Parasceves, et sabbatum illucescebat*, id est, appropinquabat. Itaque quod Græcè Matthæus dicit : Ὀψίας γενομένης verti clariori sententiâ potest : Cùm *serò fieret*, quod Latini dicerent : Inclinato jam ad occasum die.

Venit quidam homo dives. Abs re videri poterat, quòd Evangelista hominem divitem fuisse diceret, sed consilio non caruit. Voluit tacitè rationem reddere, cur ausus fuerit corpus Christi à præside petere : et cur tam facilè petitum impetraverit, quia homo dives erat. Cujusmodi homines apud præsides et judices gratiosi esse solent, ut August., lib. 3 de Consensu evang., cap. 22, animadvertit, et Marcus uno verbo significavit, *Et audacter*, inquit, vers. 43, introivit ad *Pilatum, et petiit corpus Jesu.*

Ab Arimathæa. Arimathæam Judæorum civitatem fuisse Lucas scribit, cap. 23, 51. Ea civitas et Ruma et Remptis, auctore Eusebio, appellabatur. Erat autem in tribu Judæ, Judic. 9, 41, et 4 Reg. 23, 36.

Nomine Joseph. Ad fidem historiæ facit, quòd viri nomen exprimit.

Qui et ipse discipulus erat Jesu. Reddit occultæ causam cur officium sepulturæ Christo exhibuerit. Joannes, cap. 19, 38, ita discipulum Christi fuisse dicit, ut *occultus tamen* esset *propter metum Judæorum.* Marcus nobilem decurionem appellat, *qui et ipse*, inquit, *erat expectans regnum Dei*, ὃς καὶ αὐτὸς προσεδέχετο,

Vers. 57. — Ab Arimathæa ; quidam putant esse Ramatha patriam Samuelis

nobilis consiliarius, ut etiam D. Hieronymus interpretatur. Eodem modo vocat Lucas, 23, 51, additque eum non consensisse consilio et actibus Judæorum ; unde facilè colligitur non solùm consiliarium eum fuisse, sed illi etiam interfuisse consilio, quo Judæi de capiendo et crucifigendo Christo deliberaverant, neque in eorum voluisse ire sententiam.

Vers. 58. — Hic accessit ad Pilatum, antequàm sabbatum veniret, ut Marcus, 15, 42, et Lucas, 23, 54, significant. Non licebat damnatorum corpora sine judicis facultate deponere aut sepelire, l. 1, *ff. de Cadav. pun.* Ideò Joseph à præside corpus Christi postulavit.

Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Marcus, 15, 44, scribit miratum fuisse Pilatum, cùm audiret tam citò mortuum esse Christum, accersitumque ad se centurionem interrogàsse num verè mortuus esset, cùmque mortuum jam esse cognovisset, corpus ejus concessisse Josepho. Probabile est fraudem timuisse Pilatum, ne fortè Joseph Christi discipulus, quamvis occultus, Christi tanquàm jam mortui, cùm adhuc viveret, corpus petivisset, ut specie exhibendæ sepulturæ, et à cruce eum et à morte liberaret. Omnia divino facta consilio, ut judex ipse, qui Christum condemnaverat, verè mortuum fuisse ex centurionis et aliorum qui crucifixum custodiebant testimonio cognosceret, deque ejus morte testari posset, ne quis postea diceret non verè surrexisse qui verè non fuisset mortuus, sed vivus adhuc de cruce sublatus et in sepulcrum inclusus. Mirabitur fortassè aliquis non apostolos, non cæteros, qui se palàm Christi discipulos profitebantur, sed Josephum, qui occultus discipulus erat, et Nicodemum, quem Josepho eâ in re adjumento fuisse, cap. 19, 39, Joannes scribit, qui et ipse occultus discipulus erat (venerat enim ad Christum noctu propter Judæorum metum, Joan. 3, 2, et 7, 50), hoc sepulturæ officium Christo exhibuisse. Respondet Ambrosius, lib. in Lucam 10 : *Quid sibi etiam vult, quòd non apostoli, sed Joseph, et Nicodemus Christum sepeliant, unus justus et constans, alter in quo dolus non erat ? Talis enim Christi est sepultura, quæ fraudem iniquitatemque non habeat. Obstruitur igitur tergiversandi locus, et domestico Judæi testimonio rejiciuntur. Nam si apostoli sepelissent, dicerent aliqui non sepultum, quem raptum esse dixerunt.*

Vers. 59. — Involvit illudin sindone munda. Minime dubium est quin Joseph honoris causâ, non qualicumque sindone, sed mundâ, Christum involvit, quam Marcus, 15, 46, cum emisse dicit, ut non solùm mundam, sed etiam novam fuisse ostendat. Quanquàm veteres auctores non immeritò divini consilii mysterium in eo facto cognoverunt, oportuisse Christi corpus, quod mundissimum erat, et sindone involvi mundâ, et in novo sepulcro reponi.

Vers. 60. — Et posuit in monumento suo novo quod excidérat in petra. Et hæc ad Christi honorem pertinent, ideòque tam diligenter ea evangelistæ exposuerunt. Nam quòd Christum Josephus nou in quolibet, sed in suo ipsius monumento condiderit, ipsius enim fuisse monumentum Matthæus indicat, cùm dixit : *Quod exciderat*, et quòd in eo monumento, quod non à majoribus, sed ab ipso sibi factum fuisset, et quòd non lapidum structurâ fabricatum, sed in rupe excisum esset, honoris fuit. Non enim solent in hujusmodi sepulcris, nisi viri magni et nobiles sepeliri. Lucas non solùm novum monumentum fuisse dixit, sed addidit, 23, 53 : *In quo nondùm quisquam positus fuerat.* Joannes verò, 19, 40, quod cæteri non narrârunt, explicavit, aromatibus etiam Josephum Christi corpus condiisse, *sicut mos*, inquit, *est Judæis sepelire.* Morem fuisse dicit, non quòd omnes etiam de plebe homines, sed quòd primarii viri ita sepelirentur. Videmus ergo Josephum et Nicodemum nihil prorsùs honoris prætermisisse, quod Christi sepulturæ non adhiberent. Atqui mortuum tunc corpus erat. Quid vivo facturi erant ? In hoc etiam mysterium esse aliquod veteres auctores tradiderunt, oportuisse Christi sepulcrum matris utero simile esse, in quo nemo alius positus esset ; oportuisse Christum et mundè concipi, et mundè sepeliri. Pertinent etiam hæc ad probandam resurrectionis fidem, ut Beda, Theophylactus et Euthymius adnotârunt. Nam si novum non fuisset sepulcrum, dicere Judæi potuissent non Christum, sed alium, qui eodem loco sepultus fuisset, resurrexisse. Si diversis structum lapidibus, discipulos suffossis lapidibus Christum furatos fuisse, quod, cùm in rupe excisum esset, dicere non potuerunt, ut Hieronymus et Beda observaverunt. Eòdem spectat quod statim addit evangelista : *Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti*, ne quis causari posset Christum, cùm mortuus nondùm esset, remoto lapide è sepulcro evasisse, aut discipulos aperto monumento, cùm facilè aperiri posset, furatos fuisse corpus, ut Origenes indicavit. Describit hoc loco Beda Christi monumentum ex eorum fide, qui suo tempore, religionis causâ, Hierosolymam ibant. *De monumento*, inquit, *Domini ferunt, qui nostræ vitatis tempore de Jerosolymis venêre, quòd domus fuerit rotunda, de subjacente rupe excisa, tantæ altitudinis, ut intrò constitens homo eâ manu extentâ culmen possit attingere, qua habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus advolutus atque impositus est, in cujus monumenti parte aquilonali sepulcrum ipsum, hoc est locus Dominici corporis de eâdem petrâ factus est, septem habens pedes longitudinis, trium verò palmarum mensurâ cætero pavimento altius eminens. Qui videlicet locus, non desuper, sed à latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebatur, color autem ejusdem monumenti ac loculi rubicundo et albo dicitur esse permixtus.*

Vers. 61. — Erant autem ibi Maria Magdalene. Vide versum 56.

Et altera Maria, mater Jacobi et Jose, de quâ versu 56 dictum est ; eam enim hoc loco alteriùs Mariæ nomine intelligendam esse ex Marco, 15, 47, per-

Vers. 56. — Joseph, Gr. : Ἰωσῆ, Jose ; mater filiorum Zebedæi, quæ à Marco *Salome* appellatur : ut Maria mater Jacobi Minoris, Maria Cleophæ.

Vers. 60. — Posuit illud in monumento novo ; quare in novo ? Respondet Ambrosius, scribens in Lucam, ne alius suscitatus à perfidis diceretur.

spicuum est. Solet ita Matthæus loqui, ut cùm Marias nominat, Magdalenæ primo loco nomen exprimat, alteram autem Mariam dicat, Jacobi et Jose matrem intelligens, ut cap. 28, 1. Quid illic, cùm Christus sepelretur, hæ mulieres, agerent ex Marco 15, 47, et 16, 1, et ex Luca 23, 55, colligitur; nempe observabant ubi Christi corpus poneretur, ut elapso sabbati die redirent, et illud ungerent.

Vers. 62. — Altera autem die, quæ est post parasceven, id est, die sabbati, quo eo anno Judæi Pascha etiam celebrabant, ut à nobis, cap. 26, 2, probatum est.

Convenerunt principes sacerdotum, et Pharisæi ad Pilatum. Qui in sabbati nimis etiam superstitiosâ observatione totam religionem ponere videbantur, Christi odio obcæcati sabbatum violant: nec enim licebat illis aut lege aut ipsorum traditionibus die sabbati, eodemque Paschæ adire judicem, milites petere, ad monumentum armatos ducere, sepulcrum obsignare.

Vers. 63. — Recordati sumus. Malunt suam negligentiam et oblivionem accusare, quàm videri in custodiendo homine jam mortuo minùs esse seduli. Dicunt enim, quasi priùs recordati non fuissent: *Recordati sumus*, ne Pilatus mirari possit eos initio militarem custodiam non petivisse, nunc eam sepulto jam Christo postulare.

Quia seductor ille dixit adhuc vivens. Sic Christum appellabant, quòd ipsorum judicio seduceret populum, sicut nunc hæretici Catholicos, quia veritatem docent, seductores vocant. Joan. 7, 12: *Murmur, inquit, multum erat in turbâ de eo; quidam enim dicebant quia bonus est; alii autem dicebant* (scilicet scilicet, sacerdotes et Pharisæi): *Non, sed seducit turbas.*

Post tres dies resurgam. Non dixerat Christus se post tres dies, sed tertiâ die resurrecturum esse, supra, cap. 16, 21, et 20, 19. Itaque placet mihi eorum sententia, qui hoc loco *post tres dies*, pro intra tres dies, aut ut Latinè dicimus, tertio post die interpretantur. Sic enim intelligendum esse ex eo manifestum est, quòd, si sacerdotes et Pharisæi aliter intelligerent, id est, Christum non nisi post tres transactos dies resurrecturum divisse, non erat quòd timerent ne fortè spatio illo trium dierum discipuli eum furarentur. Nec enim eos ante diem à Christo dictam eum furaturos esse credendum erat. Deinde non solùm tribus illis diebus, sed multis etiam post sepulcrum custodiri curavissent, cùm, qui post tertium diem se surrecturum dicebat, non significaret statim post tertium diem, sed non ante tertium diem esse surrecturum, atque eodem modo, quod apud Marcum 8, 31, Christus dicit, intelligendum est: *Oportet Filium hominis pati multa, et reprobari à senioribus, et à summis sacerdotibus et scribis, et occidi, et post tres dies resurgere.*

Vers. 64. — Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium. Quemadmodùm paulò ante, cùm dixerunt Christum dixisse: *Post tres dies resurgam*, illud *post* non significabat tres dies transactos esse oportere, antequàm resurgeret; ita hic cùm dicunt: *Usque in diem tertium*, illud *usque* non significat initium, ut solet, sed finem tertii diei, quasi dicant: Jube custodiri sepulcrum, donec tertius dies transactus sit.

Ne fortè veniant discipuli ejus, κύκλῳ, quod quidam non satis congruo, ut mihi videtur, sensu vertunt, *ne quando*; cùm enim utrumque dictio significet, magis convenit in hunc locum, *ne fortè*, quàm ne quando; cùm non dubitarent sacerdotes et Pharisæi de tempore, sed de facto. Sciebant etenim discipulos, si furaturi corpus Christi erant, intra tres illos dies fuisse furaturos; cæterùm, an furaturi essent, dubitabant, quod explicant, *ne fortè veniant discipuli ejus.*

Et furentur eum. Græcè additur νυκτὸς, *nocte*, quod et ad participium ἐλθόντες, *venientes*, et ad verbum κλέψωσιν, furentur eum, referri potest; ut aut sensus sit: Ne fortè noctu venientes, aut ne fortè noctu furentur; quanquàm eodem tempore et venturos et furaturos crederent; nihil interest quomodò verba jungantur.

Et dicant plebi: Surrexit a mortuis, quasi dicant: Nobis et hominibus elegantibus atque eruditis id dicere non audebunt minimè crediturii, sed imperitæ multitudini, quæ facilè omnibus rumoribus fidem habet. Solebant enim Judæi dicere quod de nobis nunc hæretici jactant, Christo non nisi rudes et imperitos homines credere, Joan. 7, 47, 48, 49: *Responderunt ergo eis* (Pharisæi): *Numquid et vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

Et erit novissimus error pejor priore. Priorem errorem vocant, quòd Christus adhuc vivens multis persuasisset factis, ut illi interpretabantur, diabolicâ virtute miraculis se Filium esse Dei; novissimum verò, si discipuli populo persuadeant à mortuis eum resurrexisse, quem ideò priori pejorem fore dicunt, quòd in posteriori prior etiam contineretur error. Nam si homines sibi persuasissent à mortuis Christum resurrexisse, quod omnium difficillimum erat, facilùs omnia, quæ vivens docuerat, vera esse credidissent.

Vers. 65. — Habetis custodiam. Quidam milites, qui templum custodiebant, intelligunt fuisse enim aliquos, qui templum etiam armati custodirent, ne qua vis inferretur; ex eo intelligitur, quòd inter alios templi ministros στρατηγὸς, id est, dux etiam connumeratur, Lucæ 22, 4, 52. Putant ergo Pilatum respondere: *Habetis custodiam*, quasi dicat: Quid opus est ut militarem custodiam à me petatis, cùm vos etiam milites habeatis, qui sepulcrum custodire possint? Probare non possum interpretationem. Quid enim opus erat ut sacerdotes à præside milites peterent, si milites ipsi, quos adhibere possent, habuissent? Aut ergo non habebant, aut si habebant, ut diximus, in templo, ita custodiendo templo addicti erant, ut alium recordati sunt Judæi non fide, sed metu inducti. Pejor prior, firmior ex resurrectionis persuasione.

Vers. 63 et 64. — Recordati sumus, etc. Joan. 2: *Solvite templum hoc.* Vel ex famâ ab apostolis sparsâ:

in usum adhiberi non possent. Præterea, si de Judæis militibus, qui templum custodiebant, Pilatus locutus fuisset, cùm dixit: *Habetis custodiam*, certum utique esset et indubitatum eos milites, qui sepulcrum custodierunt, non solùm Judæos, sed etiam ex sacerdotali genere fuisse. Nec enim alii custodiendi templi curam habebant. Quid ergo opus fuisset ut post resurrectionem principes sacerdotum militibus et Judæis, et sacerdotibus copiosam, ut ait Matthæus, cap. 28, 12, pecuniam pollicerentur, ut mentirentur Christi discipulos dormientibus se venisse, ac de sepulcro sustulisse corpus? Sponte enim sua mentiti fuissent. Alii Græcum verbum ἔχετε ita interpretantur, quasi imperandi modus sit: habete custodiam, quod nihilo mihi magis placet. Præsentis ergo temporis indicandi modi verbum est, quo Pilatus non imperat, non dicit eos custodiam habere, sed concedit ut habeant, quasi dicat: Quidquid ego militum habeo, in vestrâ est potestate: *Ite, custodite sicut scitis*; quod rectè carmine Juvencus expressit, lib. 4 Evang. Hist:

Et Pilatus ad hæc: Miles permittitur, inquit,
Servate, ut cultis, corpus tellure sepultum.

Vers. 66. — Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, militibus. Idem enim verbum est ἀσφαλίζεσθαι, quo paulò ante et sacerdotes, vers. 64, cùm à Pilato peterent ut sepulcrum custodiretur, et Pilatus, versu 65, cùm responderet: *Ite, custodite sicut scitis*, usi sunt. Itaque sic verba jungenda sunt, quæ hyperbato sunt separata: *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus*, ut extrema versûs verba primis copulentur, munierunt sepulcrum cum custodibus signantes lapidem, σφραγίσαντες τὸν λίθον, cùm ante lapidem obsignâssent; aliquo nimirùm annulo, aut alio quo sigillo eos signâsse credendum est, ne aut dormientibus militibus discipuli aperire possent, quin furtum ex sigilli violatione deprehenderetur, aut ne milites ipsi pecuniâ à discipulis corrupti corpus illis traderent, quemadmodùm Darius lacum leonum, in quem Daniel conjectus fuerat, annulo suo obsignâsse dicitur, Daniel. 6, 17, ne aut alii dicerent se Danielem furtim liberâsse; aut alii in lacum ingressi eum occiderent, et à leonibus occisum evulgarent. Admirabilis in obscurandâ Christi divinitate et glorià sacerdotum sedulitas. Admirabilior divina providentia, quæ ipsorum diligentiâ atque artificio ad eam illustrandam usa est. Timebant sacerdotes ne plebi discipuli persuaderent Christum, sicuti dixerat, resurrexisse; adhibent ea de causâ custodes, illi ipsi non jam plebi, sed ipsis à quibus adhibiti fuerant sacerdotibus et Pharisæis Christum resurrexisse testati sunt, cap. sequenti, vers. 11. Obsignaverunt sepulcri lapidem, ne quis corpus furari posset, ille ipse tam diligenter obsignatus lapis fidem fecit Christi corpus non vi, non fraude de sepulcro sublatum fuisse, sed divinâ virtute suscitatum. Nihil clausum, nihil obsignatum est Deo, sed *comprehendam*, inquit, *sapientes in astutiâ eorum*, Job. 5, 13, et 1 Cor. 3, 19. Rectè dixit Hilarius: *Metus deinde furandi corporis, et sepulcri custodia atque obsignatio stultitiæ atque infidelitatis testimonium est, quòd signare sepulcrum ejus voluerint, cujus præcepto conspexissent de sepulcro mortuum suscitatum.*

CAPUT XXVIII.

1. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.

2. Et ecce terræmotus factus est magnus: angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum.

3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: et vestimentum ejus sicut nix.

4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis.

6. Non est hic; surrexit enim, sicut dixit: Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus.

7. Et citò euntes dicite discipulis ejus: Quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.

8. Et exierunt citò de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.

9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.

10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt

CHAPITRE XXVIII

1. Mais cette semaine étant passée, lorsque le premier jour de la suivante commençait à luire, Marie-Madeleine et l'autre Marie vinrent pour visiter le sépulcre.

2. Et voilà qu'il se fit un grand tremblement de terre; car un ange du Seigneur descendit du ciel, et vint renverser la pierre, et s'assit dessus.

3. Son visage était brillant comme un éclair, et ses vêtements blancs comme la neige.

4. Et les gardes en furent saisis de frayeur, et devinrent comme morts.

5. Mais l'ange s'adressant aux femmes, leur dit: Pour vous, ne craignez point: car je sais que vous cherchez Jésus qui a été crucifié.

6. Il n'est point ici; il est ressuscité, comme il l'avait dit. Venez voir le lieu où le Seigneur avait été mis;

7. Et hâtez-vous d'aller dire à ses disciples: Il est ressuscité; et il vous précède en Galilée; c'est là que vous le verrez; voici je vous l'ai dit.

8. Et elles sortirent aussitôt du sépulcre, saisies de crainte et transportées de joie; et elles coururent porter ces nouvelles à ses disciples.

9. Et voilà que Jésus se présenta à elles, et leur dit: Je vous salue. Et elles s'approchèrent de lui, embrassèrent ses pieds et l'adorèrent

10. Alors Jésus leur dit: Ne craignez point: allez, dites à mes frères qu'ils se rendent en Galilée; c'est là qu'ils me verront.

spicuum est. Solet ita Matthæus loqui, ut cùm Marias nominat, Magdalenæ primo loco nomen exprimat, alteram autem Mariam dicat, Jacobi et Jose matrem intelligens, ut cap. 28, 1. Quid illic, cùm Christus sepelretur, hæ mulieres, agerent ex Marco 15, 47, et 16, 1, et ex Luca 23, 55, colligitur; nempe observabant ubi Christi corpus poneretur, ut elapso sabbati die redirent, et illud ungerent.

Vers. 62. — Altera autem die, quæ est post parasceven, id est, die sabbati, quo eo anno Judæi Pascha etiam celebrabant, ut à nobis, cap. 26, 2, probatum est.

Convenerunt principes sacerdotum, et Pharisæi ad Pilatum. Qui in sabbati nimis etiam superstitiosâ observatione totam religionem ponere videbantur, Christi odio obcæcati sabbatum violant: nec enim licebat illis aut lege aut ipsorum traditionibus die sabbati, eodemque Paschæ adire judicem, milites petere, ad monumentum armatos ducere, sepulcrum obsignare.

Vers. 63. — Recordati sumus. Malunt suam negligentiam et oblivionem accusare, quàm videri in custodiendo homine jam mortuo minùs esse seduli. Dicunt enim, quasi priùs recordati non fuissent: *Recordati sumus*, ne Pilatus mirari possit eos initio militarem custodiam non petivisse, nunc eam sepulto jam Christo postulare.

Quia seductor ille dixit adhuc vivens. Sic Christum appellabant, quòd ipsorum judicio seduceret populum, sicut nunc hæretici Catholicos, quia veritatem docent, seductores vocant. Joan. 7, 12: *Murmur, inquit, multum erat in turbâ de eo; quidam enim dicebant quia bonus est; alii autem dicebant* (scilicet scilicet, sacerdotes et Pharisæi): *Non, sed seducit turbas.*

Post tres dies resurgam. Non dixerat Christus se post tres dies, sed tertiâ die resurrecturum esse, supra, cap. 16, 21, et 20, 19. Itaque placet mihi eorum sententia, qui hoc loco *post tres dies*, pro intra tres dies, aut ut Latinè dicimus, tertio post die interpretantur. Sic enim intelligendum esse ex eo manifestum est, quòd, si sacerdotes et Pharisæi aliter intelligerent, id est, Christum non nisi post tres transactos dies resurrecturum divisse, non erat quòd timerent ne fortè spatio illo trium dierum discipuli eum furarentur. Nec enim eos ante diem à Christo dictam eum furaturos esse credendum erat. Deinde non solùm tribus illis diebus, sed multis etiam post sepulcrum custodiri curavissent, cùm, qui post tertium diem se surrecturum dicebat, non significaret statim post tertium diem, sed non ante tertium diem esse surrecturum, atque eodem modo, quod apud Marcum 8, 31, Christus dicit, intelligendum est: *Oportet Filium hominis pati multa, et reprobari à senioribus, et à summis sacerdotibus et scribis, et occidi, et post tres dies resurgere.*

Vers. 64. — Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium. Quemadmodùm paulò ante, cùm dixerunt Christum dixisse: *Post tres dies resurgam*, illud *post* non significabat tres dies transactos esse oportere, antequàm resurgeret; ita hic cùm dicunt: *Usque in diem tertium*, illud *usque* non significat initium, ut solet, sed finem tertii diei, quasi dicant: Jube custodiri sepulcrum, donec tertius dies transactus sit.

Ne fortè veniant discipuli ejus, κύκλῳ, quod quidam non satis congruo, ut mihi videtur, sensu vertunt, *ne quando*; cùm enim utrumque dictio significet, magis convenit in hunc locum, *ne fortè*, quàm ne quando; cùm non dubitarent sacerdotes et Pharisæi de tempore, sed de facto. Sciebant etenim discipulos, si furaturi corpus Christi erant, intra tres illos dies fuisse furaturos; cæterùm, an furaturi essent, dubitabant, quod explicant, *ne fortè veniant discipuli ejus.*

Et furentur eum. Græcè additur νυκτὸς, *nocte*, quod et ad participium ἐλθόντες, *venientes*, et ad verbum κλέψωσιν, furentur eum, referri potest; ut aut sensus sit: Ne fortè noctu venientes, aut ne fortè noctu furentur; quanquàm eodem tempore et venturos et furaturos crederent; nihil interest quomodò verba jungantur.

Et dicant plebi: Surrexit a mortuis, quasi dicant: Nobis et hominibus elegantibus atque eruditis id dicere non audebunt minimè crediturii, sed imperitæ multitudini, quæ facilè omnibus rumoribus fidem habet. Solebant enim Judæi dicere quod de nobis nunc hæretici jactant, Christo non nisi rudes et imperitos homines credere, Joan. 7, 47, 48, 49: *Responderunt ergo eis* (Pharisæi): *Numquid et vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

Et erit novissimus error pejor priore. Priorem errorem vocant, quòd Christus adhuc vivens multis persuasisset factis, ut illi interpretabantur, diabolicâ virtute miraculis se Filium esse Dei; novissimum verò, si discipuli populo persuadeant à mortuis eum resurrexisse, quem ideò priori pejorem fore dicunt, quòd in posteriori prior etiam contineretur error. Nam si homines sibi persuasissent à mortuis Christum resurrexisse, quod omnium difficillimum erat, facilùs omnia, quæ vivens docuerat, vera esse credidissent.

Vers. 65. — Habetis custodiam. Quidam milites, qui templum custodiebant, intelligunt fuisse enim aliquos, qui templum etiam armati custodirent, ne qua vis inferretur; ex eo intelligitur, quòd inter alios templi ministros στρατηγὸς, id est, dux etiam connumeratur, Lucæ 22, 4, 52. Putant ergo Pilatum respondere: *Habetis custodiam*, quasi dicat: Quid opus est ut militarem custodiam à me petatis, cùm vos etiam milites habeatis, qui sepulcrum custodire possint? Probare non possum interpretationem. Quid enim opus erat ut sacerdotes à præside milites peterent, si milites ipsi, quos adhibere possent, habuissent? Aut ergo non habebant, aut si habebant, ut diximus, in templo, ita custodiendo templo addicti erant, ut alium recordati sunt Judæi non fide, sed metu inducti. Pejor prior, firmior ex resurrectionis persuasione.

Vers. 63 et 64. — Recordati sumus, etc. Joan. 2: *Solvite templum hoc.* Vel ex famâ ab apostolis sparsâ:

in usum adhiberi non possent. Præterea, si de Judæis militibus, qui templum custodiebant, Pilatus locutus fuisset, cùm dixit: *Habetis custodiam*, certum utique esset et indubitatum eos milites, qui sepulcrum custodierunt, non solùm Judæos, sed etiam ex sacerdotali genere fuisse. Nec enim alii custodiendi templi curam habebant. Quid ergo opus fuisset ut post resurrectionem principes sacerdotum militibus et Judæis, et sacerdotibus copiosam, ut ait Matthæus, cap. 28, 12, pecuniam pollicerentur, ut mentirentur Christi discipulos dormientibus se venisse, ac de sepulcro sustulisse corpus? Sponte enim sua mentiti fuissent. Alii Græcum verbum ἔχετε ita interpretantur, quasi imperandi modus sit: habete custodiam, quod nihilo mihi magis placet. Præsentis ergo temporis indicandi modi verbum est, quo Pilatus non imperat, non dicit eos custodiam habere, sed concedit ut habeant, quasi dicat: Quidquid ego militum habeo, in vestrâ est potestate: *Ite, custodite sicut scitis*; quod rectè carmine Juvencus expressit, lib. 4 Evang. Hist:

Et Pilatus ad hæc: Miles permittitur, inquit,
Servate, ut cultis, corpus tellure sepultum.

Vers. 66. — Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, militibus. Idem enim verbum est ἀσφαλίζεσθαι, quo paulò ante et sacerdotes, vers. 64, cùm à Pilato peterent ut sepulcrum custodiretur, et Pilatus, versu 65, cùm responderet: *Ite, custodite sicut scitis*, usi sunt. Itaque sic verba jungenda sunt, quæ hyperbato sunt separata: *Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus*, ut extrema versûs verba primis copulentur, munierunt sepulcrum cum custodibus signantes lapidem, σφραγίσαντες τὸν λίθον, cùm ante lapidem obsignâssent; aliquo nimirùm annulo, aut alio quo sigillo eos signâsse credendum est, ne aut dormientibus militibus discipuli aperire possent, quin furtum ex sigilli violatione deprehenderetur, aut ne milites ipsi pecuniâ à discipulis corrupti corpus illis traderent, quemadmodùm Darius lacum leonum, in quem Daniel conjectus fuerat, annulo suo obsignâsse dicitur, Daniel. 6, 17, ne aut alii dicerent se Danielem furtim liberâsse; aut alii in lacum ingressi eum occiderent, et à leonibus occisum evulgarent. Admirabilis in obscurandâ Christi divinitate et glorià sacerdotum sedulitas. Admirabilior divina providentia, quæ ipsorum diligentiâ atque artificio ad eam illustrandam usa est. Timebant sacerdotes ne plebi discipuli persuaderent Christum, sicuti dixerat, resurrexisse; adhibent ea de causâ custodes, illi ipsi non jam plebi, sed ipsis à quibus adhibiti fuerant sacerdotibus et Pharisæis Christum resurrexisse testati sunt, cap. sequenti, vers. 11. Obsignaverunt sepulcri lapidem, ne quis corpus furari posset, ille ipse tam diligenter obsignatus lapis fidem fecit Christi corpus non vi, non fraude de sepulcro sublatum fuisse, sed divinâ virtute suscitatum. Nihil clausum, nihil obsignatum est Deo, sed *comprehendam*, inquit, *sapientes in astutiâ eorum*, Job. 5, 13, et 1 Cor. 3, 19. Rectè dixit Hilarius: *Metus deinde furandi corporis, et sepulcri custodia atque obsignatio stultitiæ atque infidelitatis testimonium est, quòd signare sepulcrum ejus voluerint, cujus præcepto conspexissent de sepulcro mortuum suscitatum.*

CAPUT XXVIII.

1. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum.

2. Et ecce terræmotus factus est magnus: angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum.

3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: et vestimentum ejus sicut nix.

4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis.

6. Non est hic; surrexit enim, sicut dixit: Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus.

7. Et citò euntes dicite discipulis ejus: Quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.

8. Et exierunt citò de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.

9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.

10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt

CHAPITRE XXVIII

1. Mais cette semaine étant passée, lorsque le premier jour de la suivante commençait à luire, Marie-Madeleine et l'autre Marie vinrent pour visiter le sépulcre.

2. Et voilà qu'il se fit un grand tremblement de terre; car un ange du Seigneur descendit du ciel, et vint renverser la pierre, et s'assit dessus.

3. Son visage était brillant comme un éclair, et ses vêtements blancs comme la neige.

4. Et les gardes en furent saisis de frayeur, et devinrent comme morts.

5. Mais l'ange s'adressant aux femmes, leur dit: Pour vous, ne craignez point: car je sais que vous cherchez Jésus qui a été crucifié.

6. Il n'est point ici; il est ressuscité, comme il l'avait dit. Venez voir le lieu où le Seigneur avait été mis;

7. Et hâtez-vous d'aller dire à ses disciples: Il est ressuscité; et il vous précède en Galilée; c'est là que vous le verrez; voici je vous l'ai dit.

8. Et elles sortirent aussitôt du sépulcre, saisies de crainte et transportées de joie; et elles coururent porter ces nouvelles à ses disciples.

9. Et voilà que Jésus se présenta à elles, et leur dit: Je vous salue. Et elles s'approchèrent de lui, embrassèrent ses pieds et l'adorèrent

10. Alors Jésus leur dit: Ne craignez point: allez, dites à mes frères qu'ils se rendent en Galilée; c'est là qu'ils me verront.

11. Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13. Dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.

14. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.

15. At illi, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti : et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.

17. Et videntes eum, adoraverunt : quidam autem dubitaverunt.

18. Et accedens Jesus, locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ.

19. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti :

20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

11. Quand elles furent parties, quelques-uns des gardes vinrent à la ville, et rapportèrent aux princes des prêtres tout ce qui s'était passé.

12. Et s'étant assemblés avec les sénateurs, et ayant délibéré ensemble, ils donnèrent une grosse somme d'argent aux soldats,

13. Et leur dirent : Dites que ses disciples sont venus la nuit, et l'ont dérobé pendant que vous dormiez.

14. Si cela vient à la connaissance du gouverneur, nous l'apaiserons, et nous vous mettrons en sûreté.

15. Les soldats ayant donc reçu l'argent, firent ce qu'on leur avait dit ; et ce bruit qu'ils répandirent, dure encore aujourd'hui parmi les Juifs.

16. Cependant les onze disciples s'en allèrent en Galilée, sur la montagne que Jésus leur avait indiquée.

17. Et le voyant, ils l'adorèrent ; quelques-uns néanmoins furent en doute.

18. Et Jésus s'approchant d'eux, leur parla ainsi : Toute puissance m'a été donnée dans le ciel et sur la terre.

19. Allez donc, et instruisez tous les peuples, les baptisant au nom du Père, du et Fils, et du Saint-Esprit ;

20. Et leur enseignant à observer tout ce que je vous ai ordonné ; et voici que je serai toujours avec vous jusqu'à la consommation des siècles.

COMMENTARIA.

Vers. 1. — Vesperè autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati. Hic locus ideò omnium interpretum sententiâ difficillimus judicatur, quòd et ipsa per se verba obscura sint, et neque alii evangelistæ cum Matthæo, neque ipse secum Matthæus, neque inter se alii, neque Marcus ipse secum convenire videantur. Scribit Matth. ut videtur, mulieres vesperè sabbati ad sepulcrum venisse. Scribit Marcus 16, 2, transacto jam venisse sabbato ; *valdè*, inquit, *manè, orto jam sole*. Scribit Lucas 24, 1, *valdè diluculo* venisse. Scribit Joannes 20, 1, venisse *manè, cùm adhuc essent tenebræ* ; ita ut tres alii evangelistæ Matthæo repugnare videantur, tùm etiam ipse sibi ; cùm enim dixisset mulieres vesperè sabbati ad sepulcrum venisse, eodem loco dicit, *quæ lucescit in primâ sabbati*, indicans matutinum fuisse tempus. Cæteri verò inter se evangelistæ ideò videntur dissentire, quòd, cùm Marcus dicat, *orto jam sole*, ad sepulcrum venisse, Lucas dicat, *valdè diluculò*, et paulò infrà, vers. 22, *ante lucem*, quòd idem Joannes dicit, *cùm adhuc tenebræ essent*. Pugnare etiam secum ipse videtur Marcus, quòd cùm dicat *valdè manè* ad monumentum venisse mulieres, statim addat, *orto jam sole*. Nec enim valdè venerunt manè, quæ orto jam sole venerunt. Quæ inter Matthæum et cæteros evangelistas videtur esse dissensio, sic à nonnullis explicatur auctoribus, ut dicant easdem mulieres, non semel, sed bis aut etiam sepiùs, excitante sollicitanteque singulari in Christum studio ad sepulcrum venisse. In quâ sententiâ et Hieronymus in Comment., et Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Basilidem, fuisse video. Alii quater venisse putant, *vespere*, ut Matthæus ait ; *manè, cùm adhuc tenebræ essent*, ut ait Joannes ; profundo adhuc diluculo, seu *valdè diluculo*, ut scribit Lucas ; et *orto jam sole*, ut dicit Marcus. Itaque quatuor evangelistas quatuor diversa tempora, quibus mulieres ad sepulcrum venerunt, descripsisse. Athanasius, quæst. 90. At ita Matthæus, Marcus et Lucas loqui videntur, ut adventum illum ad monumentum mulierum matutinum primum fuisse significent, et id sumus, versu 3, copiosè probaturi. Alii alias putant fuisse mulieres, quæ, ut Matthæus ait, vespere sabbati ad monumentum venerunt ; alias, quæ, ut idem dicit, lucescente jam primâ sabbati ; et quia objici poterat unam earum quas vesperi, et earum quas manè ad sepulcrum Matthæus venisse indicat, ab eodem Matthæo Magdalenam appellari, quemadmodùm et ab aliis tribus evangelistis appellatur, quæ manè venisse dicitur ; duas fecerunt Magdalenas, quarum altera vespere, altera manè venerit. Sic Ambrosius, lib. 10 Comment. in cap. Lucæ 24, quæstionem explicat, et Eusebius, et alii apud Anastasium. Cæterùm unam addit Mariam Salomè ; Lucas hoc pietatis officium iis tribuit mulieribus, quæ à Galilæâ secutæ erant Jesum. Habitâ ratione temporis, quo profectæ sunt, nulla est inter Evangelistas dissensio. Matthæus eas advenisse *nocte sabbatorum*, ut dictum est, aut exacto die sabbati ; Joannes, *cùm adhuc tenebræ essent*, quod de profectione earum est intelligendum : ex Lucâ et Marco profectæ sunt valdè manè : Marcus addit eas advenisse *orto jam sole*, nempe jam de die.

Vers. 1. — Vesperè sabbati, Gr. : *Serò sabbatorum*, dies hebdomadæ, dies sabbatorum dicuntur. Itaque sub finem hebdomadæ, vel *vespere*, id est, de nocte, quæ lucescit in prima sabbati, sub finem noctis : Gr., *illucescente*, nimirùm die, *in primam sabbatorum*, seu in primam hebdomadæ diem ; vel illucescente diluculo in primâ sabbati. Et altera Maria. Ambros., l. 5 de Virginitate, existimat eam fuisse matrem Domini. Alii matrem Jacobi esse censent, ex Lucâ, cap. 24, 10. Matthæus duas tantùm commemorat, Marcus his

tantùm fuisse Magdalenam, et constans omnium opinio est ; et ex Matthæo, cap. 27, 56, et ex Marco, cap. 15, 40, et 16, 1, et ex Lucâ, cap. 8, 2, 3, et cap. 24, 10, et ex Joanne, c. 20, 1, et ex omnibus omninò locis, ubi apud evangelistas de Magdalenâ fit mentio, perspicuum est ; ubique enim ita Mariam Magdalenam appellant, ut eo cognomento ab omnibus aliis distinguant, quæ Mariæ vocabantur. Quòd si alia fuisset Magdalena, aliquid aliud distinctionis causâ adhibuissent, nimirùm Marthæ aut Lazari sororem appellàssent. Rationem autem quæ in hanc sententiam impulit Ambrosium, vers. 9 dissolvemus. Alii sic exponunt, ut dicant et easdem fuisse mulieres, et semel tantùm ad sepulcrum venisse, eâ saltem nocte quæ sabbatum consecuta est. Nam utrùm orto jam die bis an semel tantùm venerint, alia quæstio est, de quâ sumus vers. 3 disputaturi. Cæterùm vespere quidem venire cœpisse putant, manè pervenisse, non quòd totam noctem in tam exiguo itinere consumpserint, sed quòd vesperi venire cœpisse videantur, quia tunc, ut manè venirent, aromata paraverunt. Veniebant ergo vesperi, quia se ad veniendum accingebant, ea comparantes quæ ad ungendum Christum erant necessaria, Marci 16, 1, et Lucæ 23, 56 : sic Beda, et Strabus, et Rabanus apud D. Thomam, et Rupertus in Comment. in cap. Joannis 20, et hoc loco Lyranus, quibus ideò, ut assentiar, adduci non possum, quòd illa mihi interpretatio *venerunt*, id est, quæ ad veniendum necessaria erant, comparaverunt, violenta prorsùs esse videatur. Quis enim vel eorum qui ad hunc modum interpretantur, ad hunc modum locutus fuisset ? Alii vesperam à Matthæo totam noctem appellatam fuisse existimant, ut Dionysius Alexandrinus, in Epistolâ illâ quam citavimus ad Basilidem ; Gregorius Nyssenus, in orat. 2 de Resurrect. ; Cyrillus Alexandrinus, lib. 12 in Joannem ; Augustinus, lib. 3 de Consensu evang., cap. 24 ; Euthymius, Theophylactus et D. Thomas ; quin etiam Ambros. lib. in Lucam 10, hanc probat interpretationem. Ego verò ita probo, ut cæteras aut nihil, aut parùm admodùm existimem habere probabilitatis. Nec enim dubium est quin idem Matthæus, quod cæteri evangelistæ, dicere voluerit, maximèque Marcus, qui ejus quodammodò est interpres. Cæteri verò evangelistæ nullâ de vespere factâ mentione mulieres manè ad monumentum venisse dicunt. Idem ergo dicere Matthæus voluit. Quare cùm vesperam sabbati vocat, non vespertinum tempus, quod inter diem et noctem est, sed totam noctem intelligit, in cujus extremâ parte, id est, manè jam lucescente, mulieres ad sepulcrum venisse dicit. Minùs hoc mirum videtur, si Hebræorum phrasis, quam etiam D. Thomas adnotavit, intelligatur. Solent Hebræi non solùm vespertinum tempus, sed totam etiam noctem ערב vesperam appellare, cujus rei primum Geneseos caput multa exempla suppeditabit : *Et factum*, inquit, *est vespere et mane dies unus, et factum est vespere et mane dies secundus*. Solent quidam hanc interpretationem propterea refutare, quòd Matthæus non simpliciter vesperam, sed vesperam sabbati fuisse dicat. Vespera autem sabbati pars sabbati sit necesse est, sicut et mane sabbati. At nox, quæ sabbatum consecuta est, pars sabbati non erat ; vespera igitur sabbati vocari non potuit. Miratus sum quorumdam interpretum legens Commentarios, viros judicio et eruditione præstantes tam levi ratione à vero Matthæi sensu discessisse. Primùm animadvertere debuerunt Matthæum non dixisse : Ἑσπέρᾳ δὲ σαββάτων, *vesperâ autem sabbati*, sed : Ὀψὲ δὲ σαββάτων, ad verbum, *serò sabbatorum*, aut tardè sabbatorum, si ita liceret Latinè loqui. Admonuit autem Gregorius Nyssenus, homo et linguâ et naturâ Græcus, et eum, ut opinor, secutus Ambrosius, hanc phrasim apud Græcos propriè significare, transacto jam sabbato longo intervallo ; sic enim Græcos loqui solere : Ὀψὲ τοῦ καιροῦ παραγέγονας, *serius quàm pro opportuno tempore venisti*, aut longè post opportunum tempus advenisti, et ὀψὲ τῆς ὥρας, *transactâ longè horâ*, et, ὀψὲ τῆς χρείας, *longè serius quàm opus erat* ; eodem ergo sensu Matthæum dixisse : Ὀψὲ σαββάτων, *sero sabbati*, id est, multò ante transacto sabbato, quia inter sabbatum et tempus matutinum, quod notare volebat, tota jam nox intercesserat. Quòd si Matthæus vesperam sabbati appellàsset tamen non continuò sequeretur partem fuisse sabbati. Solet enim Scriptura ita frequenter loqui, ut vesperam alicujus diei vocet, cujus pars non sit, sed eum consequatur. *Ecce kalendæ*, inquit David, *sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum. Dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ*, 1 Reg. 20, 5 vesperam diei tertiæ sequentem noctem appellans. Cùm enim rex noctu cœnaret, significabat se cum eo non cœnaturum, et Exodi 12, 6, 18 : *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, ubi manifestum est vesperam vocari decimæ quartæ diei noctem subsequentem, quæ non decimæ quartæ, sed decimæ quintæ diei pars erat, cùm agnus non decimâ quartâ, sed decimâ quintâ, id est, inchoatâ jam die Paschæ et azymorum festo immolaretur. Simile Levit. 23, 5, et Num. 9, 3, 5, 11, exemplum est. Unde constat nullam inter Matthæum et cæteros evangelistas esse discordiam ; eâdemque ratione intelligitur à seipso Matthæum non dissentire. Nec enim vespertinum simul, et matutinum tempus, sed solum, ut diximus, matutinum significavit. Illud movere lectorem potest, quomodò si nox erat lucescere dicatur. Sunt qui ita Hebræos loqui solitos putent, quòd noctis initio lucernæ in domibus accenderentur, idque ex Thalmudistarum pro hant traditionibus, à quâ sententiâ non procul Hieronymus abhorret. Alii phrasim Hebræorum esse putant, quâ lucescere tempus dicitur, cùm incipit, translatâ ex die significatione, quia tunc incipit dies esse, cùm incipit illucescere. Phrasim Hebræorum esse rectè dicunt, et ex Lucâ 23, 54, perspicuum est : *Et dies*, inquit, *erat Parasceves, et sabbatum illucescebat*, id est, appetebat, appropinquabat ; de eo enim tempore loquebatur, quo Christus sepultus fuerat : fuerat autem sepultus die Parasceves, id est, ante

sabbatum, inclinato jam ad occasum die. Atque tum dicit sabbatum illuxisse, id est, incœpisse, aut appropinquâsse. Cæterùm, quominùs et hanc et superiorem interpretationem probemus, non locutionis insolentia, sed historiæ veritas impedit. Probavimus Matthæum, sicut et alios omnes evangelistas, non vespertinum, sed matutinum tempus notare voluisse; nihil ergo ad hunc locum lucernarum ex Thalmudistis pertinet accensio, nihil hebraismus; propriè enim et Græcè Matthæus aut Matthæi interpres locutus est. Voluit namque significare diem lucescere cœpisse. Alii interpretantur vesperam, id est, noctem illucescere cœpisse in primâ sabbati, quia in diem sequentem inclinata erat, quemadmodùm si è contrario diem noctescere dicamus; non quòd dies noctescere possit, sed quòd nox jam appropinquet, et dies quodammodò in noctem convertatur, et ut Juvencus carmine dixit, lib. 4 Hist. Evang. :

Sidera jam noctis venturo cedere soli
Incipiunt, tumuli matres tunc visere septum
Concurrunt.

Ad hunc ferè modum Augustinus, Euthymius et Theophylactus à quibus ego non totâ sententiâ, sed solâ sententiæ explicatione dissentio. Putant illi noctem hoc loco dici lucescere; ego non noctem, sed diem lucescere Matthæum dixisse arbitror; neutrum neque noctis, neque diei nomen est, sed ὀψὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων serò autem sabbati, ea quæ lucescit in unam sabbati, ubi cùm in illo articulo τῇ aut noctem, aut diem intelligi necesse sit, Græcorum consuetudo postulat ut diem potiùs quàm noctem intelligamus, ut supra, cap. 6, 34, et Joan. 1, 35, et 12, 12, et Act. 4, 3, 5, et 20, 7, et Jacobi 4, 14. Neque memini articulum illum absolutè positum legere, ubi nox intelligeretur. Hâc etiam ratione mollior et minùs coacta sententia est. Nam diem illucescere, et res, et locutio est naturalis; noctem illucescere, ut dici possit, minùs tamen usitatè, et non nisi per figuram dici potest. Potest contra hanc interpretationem objici, quod à nemine tamen objectum video, tautologiam videri, aut minùs concinnam saltem orationem, ut dies in primam sabbati lucescere dicatur, cùm per primam sabbati dies etiam, et quidem eadem dies, quæ lucescere dicitur, intelligatur. Absurdum id videri posset, si diei nomen exprimeretur; cùm autem expressum non sit, non magis absurdum est quàm si dicamus de diei Dominicæ manè loquentes, diem in Dominicam illucescere. Nam et per Dominicam diem intelligimus, sed quia dies non exprimitur, et sensus est diem Dominicam illucescere, tautologia non est.

In prima sabbati, εἰς μίαν σαββάτων, in unam sabbatorum, magis expressâ sententiâ. Significatur enim præpositione *in* cum quarto conjunctâ casu motus atque progressus noctis in diem. Sic etiam fortassis noster verterat interpres, sed facile fuit scriptorum incuriâ in fine dictionis unam *m* perire litteram. Notum est apud Hebræos sabbatum, et totam hebdomadam, et septimum hebdomadis diem appellari; cùmque totam significat hebdomadam, primum hebdomadis diem, primam sabbati; secundum, secundam sabbati, eodemque modo sequentes dies appellari, ut Lucæ 18, 12, Act. 20, 7, 1 Cor. 16, 2. Adnotaverunt autem quidam, cùm septimus tantùm significatur dies, σάββατον sabbatum singulari numero, cùm tota hebdomas, σάββατα plurali dici solere; ut hoc loco, et apud Marcum, c. 16, 2, et Luc. 24, 1, et Joan. 20, 1, 19, et Act. 20, 7, et 1 Cor. 16, 2. Id perpetuum non est. Nam Marci 16, 9, legimus, *primâ σαββάτου*, *sabbati*, cùm tota hebdomas significetur, et è contrario Act. 13, 14 : Τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, *die sabbatorum*. cùm septima tantùm significetur dies. Porro unam sabbati pro primâ sabbati Hebræorum idiomate dictum esse, tam est vulgare, ut difficiliora spectantem indicare pigeat. *Factum*, inquit, *est vespere et mane dies unus*, id est, primus, Gen. 1, 5. Noster interpres hebraismum in latinitatem solvit, cùm Marci 16, 2, et Lucæ 24, 1, et Joan. 20, 1, retinuerit. Solet id facere, sive quo alio consilio, sive solâ vertendi varietate delectatus. Primum autem sabbati diem nostram fuisse Dominicam neminem ignorare arbitror, quæ, et quia in eâ creatus, et quia postea redemptus resurgente Christo mundus fuit, loco sabbati Judæorum cœpta fuit celebrari; quod et Gaudentius tractatu in Exodum 1, et Sedulius hoc loco dixit, lib. 5 Carm. :

Cœperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primusque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.

Videndum nunc est, quomodò cæteri inter se evangelistæ in temporis quo mulieres ad sepulcrum venerunt descriptione conveniant. Maxima inter Marcum, et Joannem videtur esse dissensio; Marcus enim dicit, *orto jam sole* mulieres ad monumentum venisse; Joannes, *cùm adhuc tenebræ essent*; quod idem Lucas, 24, 22, aliis scribit verbis, *ante lucem* venisse. Sunt qui Marci locum corrigant, et pro ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *orto jam sole*, additâ negatione, sensuque in contrarium mutato, legendum putent οὐκ ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *nondùm orto sole*, non aliâ moti conjecturâ, quàm quòd in nonnullis Græcis codicibus legatur : ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *adhuc orto sole*; et quòd ita l. 10 de Demonstrat., c. 8, legat Eusebius; et facile fuerit syllabam unam οὐκ excidere; nimis tenuis conjectura, et frustra ex Eusebio petita, cùm nemo ferè veterum auctorum aliter quam Eusebius legat; ipsum nostrum interpretem ita legisse perspicuum est, et Dionysius Alexandrinus, in Epist. ad Basilidem, et D. Augustinus, lib. 3 de Consensu evangelist., c. 24, et Rupertus, in c. 20 Joan., et Lyranus, in Comment. in c. Marci 16, ita legunt. Esset quidem aptissima sententia, si negatio, ut isti auctores volunt, legeretur; sed, ut sæpè admonemus, non est tam obscuris indiciis Scriptura, quæ sanctissima nobis esse debet, corrigenda. Malo, licèt minùs ingeniosam, vulgarem interpretationem sequi, ut mulieres *valdè manè*, ut ait Marcus, et,

cùm adhuc tenebræ essent, ut Joannes dixit, domo egressæ fuerint, orto verò jam sole, ad monumentum pervenerint. Nam etsi non magno ab urbe distabat spatio, tamen mulieribus satis magnum erat, ut cùm, adhuc tenebræ essent, egressæ domo non nisi orto jam sole pervenirent; quemadmodùm Dionys. in illâ, quam sæpè citavimus, epistolâ interpretatur : aut ut orto, id est, oriente jam sole ad sepulcrum pervenerint. Oriri enim sol dicitur, non solùm cùm solare corpus supra terram apparet, sed etiam cùm ejus radii noctis tenebras dispulerunt; ut Augustinus, Euthym., Beda, Theophylact. et Lyranus exponunt. Quæ interpretatio melior etiam erit, et probabilior, si legamus, oriente jam sole, ut Augustinus et Theophylactus legunt; sive ita Græcum aoristum interpretantes ἀνατείλαντος, id est, ἀνατέλλοντος, sive Græcè non ἀνατείλαντος legerint, sed ἀνατέλλοντος, quemadmodùm ego faciliùs emendare ausim, quam ut negationem οὐκ intercidisse dicam. Nam neque sententia tantoperè mutatur, et faciliùs fuit scriptorem Græcum ἀνατέλλοντος pro ἀνατείλαντος scribere, quàm integram prætermittere dictionem, eo præsertim in loco, ubi eâ sublatâ, nemini non absurdus sensus, et proximis verbis repugnans videretur. Quòd si ad hunc legamus modum, nulla inter evangelistas repugnantia est. Nam idem est oriente jam sole, et nondùm orto sole. Tamen quamvis nihil aliud repugnet, mihi non facilè persuaserim mulieres, antequàm illucesceret ad sepulcrum pervenisse. Vix enim muliebris animus tam audax esse potuit, ut obscurâ adhuc nocte sepulcrum inviserent, et in illud ingrederentur. Itaque etiam si Marcus non dixisset, *orto jam sole*, et Joannem dicentem : *Cùm adhuc tenebræ essent*, et Lucam dicentem *ante lucem* mulieres ad monumentum venisse, ita intelligendos existimarem, ut non tempus, quo ad sepulcrum pervenerunt, sed quo egressæ domo fuerant notare voluissent. Hinc etiam intelligitur, quomodò ipse sibi Marcus non repugnet; cùm enim dixit *valdè manè*, designavit tempus, quo domo discesserant; cùm dixit *orto*, aut oriente *jam sole*, tempus, quo ad sepulcrum pervenerant, indicavit.

Venit Maria Magdalena, et altera Maria. De Mariâ Magdalenâ diximus superiore cap., ver. 56. Alteram autem Mariam vocat uxorem Cleophæ, matrem Jacobi minoris, et Jose, ut c. 27, 61, quemadmodùm ex Marco c. 16, 1, perspicuum est. Nominat etiam Marcus Salomem, quæ mater erat filiorum Zebedæi. Lucas, c. 24, 10, multò etiam plures. *Erat*, inquit, *Maria Magdalene, et Johanna*. Erat autem *Johanna uxor Cusæ procuratoris Herodis*, ut idem Lucas, c. 3, docuerat, *et Maria Jacobi, et cæteræ, quæ cum eis erant*, id est, *quæ cum eo venerant de Galilæâ*, ut dixerat c. 23, 55. Itaque sunt qui putent etiam Beatam Virginem Christi matrem ad sepulcrum cum hisce mulieribus venisse, ut Greg. Nyssenus, orat. 2, de Resurr., et Sedulius hunc locum explicans,

Hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæque simul cum munere matres
Messis aromaticæ noctu venêre gementes
Ad tumulum.

Et verò nemini Beatam Virginem pietate et studio erga Christum concessisse ne dubitari quidem potest, sed venisse cum aliis mulieribus ad monumentum, haud ita facilè mihi persuadeo. Videmus neminem evangelistarum de eâ mentionem fecisse, quam profectò non prætermisissent, si cum cæteris venisset. Videmus omnes evangelistas Magdalenam, tanquàm omnium mulierum, quæ ad sepulcrum venerant, nobilissimam, et velut aliarum ducem primo loco nominâsse. Atqui sacram utique Virginem, si cum illis venisset, Magdalenæ anteposuissent. Dixit Joannes Mariam Christi matrem et Mariam Cleophæ, et Mariam Magdalenam juxta crucem fuisse; Mariam Christi matrem ante omnes posuit. Idem nempe cæteri hoc loco fecissent evangelistæ, si cum cæteris mulieribus mater Christi ad monumentum venisset. Illud etiam mihi videtur incredibilius, quod idem Gregorius scribit Matthæum, cùm alteram Mariam dicit, B. Virginem Christi matrem intelligere; cùm, quæ illa sit altera Maria, ex Marco, ut diximus, satis appareat. Joannes solam Magdalenam venisse scribit, eâ, ut opinor, ratione, quòd Magdalena dux cæterarum fuerit, omniumque nobilissima, et quòd sola cum angelis colloquia miscuerit, quæ volebat Joannes enarrare. Alii evangelistæ non omnes eodem numero, sed omnes tamen plures unà commemorârunt, quia propositum illis fuit docere mulieres tres primas fuisse testes resurrectionis Christi, et oportebat duos, ut minimùm, testes numerare, quia *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*. Propterea Matthæus duas, Marcus tres, Lucas plures numeravit.

Videre sepulcrum. Marcus, c. 16, 1, ut Christum ungerent, venisse dicit, idemque indicat Lucas, 24, 1, *portantes*, inquit, *quæ paraverant, aromata*. Joannes adventûs causam non exposuit : unde etiam nonnulli auctores occasionem acceperunt, ut existimarent bis mulieres ad sepulcrum venisse; primùm, non ut Christum ungerent, sed, ut ait Matthæus, ut sepulcrum viderent, deinde ut ungerent. In quibus est Dionys. Alexandrin. et Hieronym. hoc loco, et quæst. 6 ad Hedibiam. Sed hanc opinionem et supra refutavimus, et infra versu tertio, pluribus argumentis refutaturi sumus. Cur ergo Matthæus dixit ad videndum sepulcrum venisse? Non utique ut indicaret, ad videndum tantùm sepulcrum, non ad ungendum Christi venisse corpus, sed ut indicaret venisse quidem ad ungendum, sed dubitantes tamen, an possent ungere, quia sciebant monumentum magno clausum fuisse lapide. Itaque sollicitè de eâ re in viâ inter se dicebant, *quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Marc. 16, 3. Significavit ergo Matthæus venisse eas, ut viderent sepulcrum, num ita clausum et munitum esset, ut in-

Vers. 2. — Terræ motus factus est; factus fuerat. Descendit, descenderat, ut veritatem resurrectionis demonstraret, et sanctis mulieribus aditum ad sepulcrum pararet. Nam Christus è sepulcro clauso ex omnium SS. Patrum consensu resurrexit.

gredi possent, et ingressæ ungerent Christum.

Vers. 2. — Et ecce terræ motus factus est magnus. Dictio *ecce* indicat terræmotum cuntibus, aut appropinquantibus ad sepulcrum mulieribus factum esse. Hæc enim vis ejus est, ut cap. 2, 1, docuimus. Cur terræmotus factus fuerit, haud obscurè indicat evangelista, quia angelus descenderat de cœlo; utitur enim causali particulâ, *angelus enim Domini descendit*. Cur autem descendente angelo factus fuerit, id quia nullus indicat evangelista, in quæstionem vocari potest. Probabilis est ratio, quam Chrysostomus, hom. in Matthæum 90, Euthym. et Theophylactus, in comment., afferunt, ut concussâ terrâ custodes, qui dormiebant, excitarentur, et resurrectionis Christi cogerentur esse testes. In eo Chrysost. non assentior, quòd etiam mulieres excitatas putet; dormivisse enim grâvi oppressas somno. Quis enim hoc de earum diligentiâ et charitate credat? nescit dormire amor. Credo ego ob eam etiam causam factum fuisse terræmotum, ut et custodes, et mulieres intelligerent eos, qui splendenti vestitu juxta sepulcrum apparuerunt, non homines fuisse, sed angelos, id est, cœlestes, atque divinos nuntios. Motum enim terræ Dei præsentiam, aut alicujus, qui Dei personam repræsentet, significare cap. 27, 51, multis scripturarum exemplis demonstravimus. Ut ergo et custodes, et mulieres angelis fidem haberent, oportebat, ut terræ concussione, non solo splendore angelos esse cognoscerent. Potuit et alia terræmotûs esse causa, ut intelligerent custodes Christum non furto sublatum, nec humanâ, sed divinâ virtute, quâ ille ipse terræmotus fiebat, resurrexisse.

Angelus enim Domini descendit de cœlo, Græcè, ἄγγελος γὰρ Κυρίου κατέβαινε ἐξ οὐρανοῦ προσελθὼν ἀπεκύλισε τὸν λίθον, angelus enim Domini, cùm descendisset de cœlo, et accessisset (ad sepulcrum), revolverat lapidem. Una causa, cur de cœlo angelus descendisset explicatur, ut lapidem à monumento revolveret. Aliæ conjecturæ nostræ relinquuntur. Chrysostom., in homil. in Psalm. 2, tres præterea rationes affert. Primam, ut angeli ostenderent Deum illic fuisse sepultum, cùm ad sepulcrum tanquàm in cœlo, ubi Deus habitat, assisterent. Secundam, ut mulieres docerent verè Christum resurrexisse, monerentque, ut id apostolis quamprimùm renuntiarent: quòd si ab angelis edoctæ non fuissent; minimè credidissent, cùm constet ex Joanne, etiam postquàm ab illis doctæ fuerant, non satis credidisse, sed existimâsse potiùs furto ab aliquo fuisse sublatum. Tertiam, ut omnes fraudes, et machinationes anteverterent, nec Judæi, cùm audissent Christum resurrexisse, alium pro eo in eodem sepulcro supponerent, ut non resurrexisse videretur. Cur autem lapidem angelus removerit, de eo nobiscum hæretici disputant. Una enim eorum pars (nam alii quamvis insani, sanioris tamen judicii sunt) propterea lapidem ab angelo revolutum fuisse putant, ut Christus resurgeret, et à sepulcro exiret, quod et Hilarius, can. in Matthæum 33, dicere videtur. *Angelus*, inquit, *Domini de cœlo descendens, et lapidem revolvens, et sepulcro assidens misericordiæ Dei patris insigne est resurgenti filio ab inferis virtutum cœlestium ministeria mittentis*; sic enim legendum arbitror, ubi *mysteria* legitur, quod vix ullum habet sensum; et Leo, epistolâ 83 ad Monachos Palæstinos: *Dicant igitur isti phantasmatici Christiani, quæ substantia Salvatoris affixa sit ligno, quæ jacuerit in sepulcro, et revoluto monumenti lapide, quæ tertiâ die caro surrexerit.* At ex verbis evangelistarum manifestum est priùs Christum resurrexisse, quàm angelus à monumento lapidem revolvisset. Nam Matthæus apertè dicit terræmotum propter angeli descensum fuisse factum, *et ecce*, inquit, *terræmotus factus est magnus; angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem.* Quòd si Christus nondùm resurrexerat, non propter angeli descensum, sed propter Christi resurrectionem factum dixisset. Propterea Marcus, cap. 16, 3, 4, non ut Christus resurgeret, sed ut mulieres ingrederentur, et vacuum corpore sepulcrum videre possent, lapidem ab angelo remotum fuisse significat. *Et dicebant*, inquit, *ad invicem, quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti, et respicientes viderunt revolutum lapidem:* quasi dicat, opportunè venisse angelos, et mulieribus de removendo lapide sollicitis, antequàm ad sepulcrum accederent, lapidem revolvisse. Denique quâ horâ Christus resurrexerit, nemo unquàm mortalium, ut Hieronym., quæstione 6 ad Hedibiam, et Gregor. Nyssenus, orat. 2 de Resurrectione, et Euthym., hoc loco, docent, scire potuit. Quâ autem horâ lapis à monumento amotus fuerit; ex omnibus evangelistis compertum est. Cùm enim terræmotus, ut ait Matthæus, propter angeli descensum factus fuerit; factus autem fuerit mulieribus jam ad sepulcrum appropinquantibus, ut particulâ illâ, *ecce*, significari diximus; angelus autem, ut idem Matthæus scribit, lapidem revolverit, sequitur appropinquantibus jam mulieribus revolutum fuisse. Quâ autem horâ appropinquaverint, omnes evangelistæ exprimunt; *diluculo* enim, *cùm adhuc essent tenebræ*, ut ait Joannes, domo profectæ ad sepulcrum, ut ait Marcus, *orto*, aut oriente *jam sole* pervenerunt; tunc ergo lapis revolutus est; non est igitur revolutus, ut de sepulcro Christus exiret, neque ante novos istos hæreticos id quisquam cogitavit. Nam omnes veteres interpretes docuerunt, quod et evangelistæ planè docent, lapidem non propter Christum, sed propter mulieres fuisse revolutum, ut ad Hedibiam Hieronym. scribit, et alii quos paulò post citaturi sumus. Nec aliter Hilarius, aut Leo senserunt. Nam, quod dicit Hilarius Deum resurgenti Filio cœlestium virtutum ministeria misisse, non significat misisse angelos qui eum resurgentem adjuvarent, quasi sine eorum auxilio exire de sepulcro non potuisset, sed misisse ut testes, atque præcones resurrectionis ejus essent; quemadmodùm in Christi tentatione non venerunt angeli, dùm à diabolo tentaretur, ne juvandi causâ venisse viderentur; sed postquàm tentatus est, post victoriam venerunt, ut triumphum agerent, et victorem Dominum recognoscerent. Quod autem dicit Leo, *et revoluto monumenti lapide, quæ tertiâ die caro surrexerit*, non ita intelligendum est, quasi ablativus ille *revoluto lapide* causam, sed quasi signum, effectumque, et argumentum significet; tanquàm dicat, quæ caro fuit illa, quæ tertiâ die resurrexit, ut revoluto monumenti lapide probatum est. Sic enim intelligendum esse, vel ex eo manifestum est, quòd statim de re simili lo quens addat, *vel quale corpus Jesus discipulorum visui clausis ad eos ostiis ingressus intulerit.* Ita enim egressum de sepulcro Christum, sicut ingressum ad discipulos fuisse credebat, ut omnes alii auctores, quos paulò post citaturi sumus, crediderunt. Aliâ ratione hæretici nituntur hunc locum devitare, ne fateri cogantur posse Christum, qui è sepulcro non revoluto lapide exsiliverit, in Eucharistiæ quoque Sacramento unà cum magnitudine panis esse. Cessisse egredienti Domino lapidem dicunt, et ad mollis materiæ modùm locum Christi corpori dedisse. At unde id probant? Nos lapide nondùm remoto exisse perspicuis evangelistarum verbis comprobamus; illi emollitum fuisse lapidem, et quasi aquam, aut aërem solido Christi corpori cessisse nullo ullius evangelistæ verbo, nullâ conjecturâ, nullo boni auctoris testimonio probare possunt; solo metu confitendæ veritatis probant, teste valdè suspecto, quique facillimè corrumpitur, ne si id concesserint, et corpus Christi in Eucharistiâ esse posse concedere cogantur. Docent omnes veteres auctores Christum eodem modo; quo de utero matris egressus fuerat, et è sepulcro evasisse, et ad discipulos ingressum fuisse, id est, ità ut corpore suo matris corpus, sepulcri lapidem, domûs, ubi discipuli erant, fores nec aperiret, nec rumperet, nec quod simile rupturæ est, emolliret, sed penetraret. Justinus Martyr, quæstione ad orthodox. 117; Chrysost., homiliâ 2 de Joan. Baptistâ; Gregor. Nazianz., in Tragœd. de Christo patiente; Hieron., q. 6 ad Hedib.; August., serm. de Tempore 158 et 159; Euthymius in Comment.

Et sedebat super eum. Sedebat super lapidem angelus quasi mulierum adventum expectans, et quasi indicans se, qui lapidem revolvisset; sedebat enim super opus suum. Quomodò autem sedere hic dicatur, cùm apud Lucam stantes introducantur angeli, et quis lapis ille fuerit, super quem angelus sedebat, vers. sequenti dicturi sumus.

Vers. 3. — Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Omnes evangelistæ insolitum angeli habitum studiosè descripserunt; omnium verò diligentissimè Matthæus; Marcus, cap. 16, 5: *Et viderunt*, inquit, *juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ*, et Lucas 24, 4: *Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*; Joannes, cap. 20, 12: *Et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus.* Non vacat tanta diligentia mysterio, cujus et aliud indicium est. Sæpè legimus angelos usitato hominum habitu, ita ut homines esse crederentur, hominibus apparuisse, Gen. 16, 7, et 18, 1, 2, et 19, 1, et 32, 24, et Josue 5, 13, et Judic. 2, 1, 4, et Daniel. 8, 16, et Zachar. 2, 1, et Tob. 5, 5, 6, et 12, 15. Hic autem novo vestitu, novâ specie, novo splendore angeli videntur. Minimè difficilis conjectura est; ideò missi hic angeli fuerant, ut cœlesti divinâque auctoritate resurrectionis Domini fidem facerent. Oportebat eâ venire specie, ut nemo eos angelos esse dubitare posset. Cùm ergo necesse non sit ut angeli esse cognoscantur, communi hominum formâ mittuntur sicut ad Abraham, Gen. 18, 2, et ad Lot. Gen. 19, 1, et ad Tobiæ filium, Tob. 5, 7, missi sunt; cùm autem utile est ut angeli esse cognoscantur, speciem humanâ illustriorem præ se ferunt, ut Act. 1, 10; quam rationem Cyrillus affert, lib. in Joan. 12, c. 46; Gregorius verò, homiliâ in Evangel. 20, et Beda, in hujus loci Comment., aliam quoque rationem reddunt, cur splendenti habitu angeli apparuerint, nempè ut resurgentis Christi gloriam et gaudium de eâ nostrum demonstrarent. Eòdem pertinet, quòd Marcus juvenem vocat; nunquàm enim angeli aliâ quàm juvenili formâ videri solent, ut eorum *nunquàm senescens, et semper vigens vis vitalis*, ut ait Dionysius, *et immortalitas*, significetur. Porrò Matthæus et Joannes angelos, Marcus et Lucas homines appellant; illi, quod erant, hi, quod primo aspectu videbantur, declarantes. Multæ verò hoc loco propter eam quæ inter evangelistas videtur esse, discordiam difficiles quæstiones sunt. Prima, quomodò Matthæus et Marcus unum, Lucas, et Joannes duos angelos fuisse dicant. Secunda, quomodò Matthæus dicat angelum sedisse super lapidem quem revolverat, qui utique extra monumentum erat, ita ut angelum ipsum extra monumentum fuisse necesse sit. Marcus verò, 16, 5, et Joannes 20, 12, intra monumentum, ille juvenem, hic duos angelos visos fuisse dicant. Tertia, quomodò Matthæus et Marcus angelum sedisse scribant, cùm Lucas dicat, stantes angelos à mulieribus visos fuisse. Quarta, quomodò Matthæus, Marcus et Lucas plures mulieres, Joannes verò solam Magdalenam angelos vidisse narret. Quinta, quomodò Joannes scribat Magdalenam, cùm primùm ad sepulcrum venisset, lapidem revolutum invenisse; angelum verò non vidisse, nisi postquàm redierat, et discipulis Christi resurrectionem annuntiaverat, cùm Matthæus, Marcus et Lucas non solùm, cùm primùm venerunt, vidisse angelum; sed ab eo etiam jussas fuisse ire, et discipulis annuntiare dicant. Ad primam quæstionem, qui D. Augustini, lib. 3 de Consensu evang., c. 24, opinionem secuti, dicunt mulieres, non quidem vespere et manè, ut Hieronym. ait, sed orto jam die ad sepulcrum venisse, facilè, nescio an etiam verè, respondent, cùm primùm venerunt, vidisse unum, cùm secundò, vidisse duos. Alii primùm quidem, antequàm in sepulcrum ingrederentur, unum vidisse angelum, deinde in sepulcrum ingressas, aut unum alterum, ut indicat Marcus, aut duos, ut Lucas et Joannes scribunt, intùs vidisse; quemadmodùm Theophylactus, in Comment. in cap. Luc. 24, et hoc

loco D. Thomas interpretantur. Nolo aliorum judicio præferri meum. Itaque licebit per me lectori sequi in re minimè compertâ, quod simillimum esse vero judicabit. Tamen ego quidem tria hoc loco animadverto magno multorum interpretum recepta consensu, quæ persuadere mihi non possum. Primum est, mulieres bis ad monumentum venisse Christi. Secundum, cùm primùm venerunt, aut nullum, aut unum tantùm vidisse angelum. Tertium, unum extra monumentum, alterum intra, aut unum extra, duos intra vidisse; quæ tria, quia ex illis video omnium quas proposuimus quæstionum explicationem magnâ parte pendere, operæ pretium me facturum arbitror, si refutavero. Atque primum et secundum, quia ita copulata sunt, ut distrahi non possint, simul sunt, et communibus argumentis refellenda. Primum quidem, cùm Matthæus, Marcus et Lucas mulieres ad Christi sepulcrum venisse dicunt, dubium profectò non est quin de primo earum loquantur adventu. Propterea enim dixerunt summo venisse mane, ut indicarent venisse, cùm primùm et per sabbatum, et per sequentem sabbatum noctem venire licuit, quasi totam insomnes noctem egerint tempus illud expectantes matutinum, ut ad sepulcrum properarent. Atqui tunc cùm manè venerunt, dicunt eas vidisse angelos, nisi velimus apertam eorum verbis vim afferre. Deinde nemo, qui attentè evangelistas legerit, dubitare poterit quin mulieres angelorum monitu Petro et Joanni Christi resurrectionem annuntiaverint; illos verò et mulierum testimonio, et audito angelorum viso, excitos ad sepulcrum accurrisse, ut ipsi sibi oculis suis fidem facerent. Scribit enim disertis verbis Marcus, c. 16, 7, angelum mulieribus dixisse: *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro*; ergo prius viderunt angelum quàm Petro renuntiarent, et quàm Petrus et Joannes ad sepulcrum venirent. Quid enim opus erat jubere ut Petro dicerent resurrexisse Christum, si ipse jam venerat, et vacuum corpore sepulcrum oculis suis viderat. Qui autem existimant bis ad sepulcrum venisse mulieres, et cùm primùm venerunt, nullum vidisse angelum, illud etiam dicunt, aut dicant necesse est, prius Petrum et Joannem ad sepulcrum venisse, quàm mulieres ullum viderent angelum, quemadmodum videtur indicare Joannes, cujus narratione moti in hanc sententiam impulsi sunt. Hoc autem disertis Marci verbis omninò repugnat. Præterea nequaquàm obscurè Matthæus indicat eodem tempore et milites et mulieres vidisse angelum, vers. 4: *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.* Manifestum autem est milites, antequàm Petrus et Joannes ad sepulcrum venirent, et angelum vidisse, et exterritos discessisse. Nec enim Petrus et Joannes tam audacter ad sepulcrum venissent, nisi ex mulieribus cognovissent jam milites discessisse. Nam mulieres, cùm adhuc à militibus sepulcrum custodiretur, venire ausas mirum non est. Solet militaris furor in viros accendi, mulieribus parcere. Scribit præterea Lucas, cap. 24, 13, eo ipso die, cùm duo ex discipulis irent in Emmaus, Christum se illis adjunxisse comitem, eosque dixisse, vers. 21, 22, 23: *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel, et nunc super hæc omnia tertia dies est hodiè quòd hæc facta sunt; sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere; et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt.* Minimè dubium est quin cùm dicit: *Abierunt quidam ex nostris ad monumentum*, Petrum, et Joannem intelligat. Atqui priùs dixerat mulieres visionem angelorum vidisse, eamque et Petro, et cæteris discipulis narrâsse. Ad hæc aliorum etiam gravissimorum interpretum auctoritas accedit, qui cùm primùm mulieres ad sepulcrum venerunt, angelos vidisse putant; in quibus Gregorius Nyssenus est, orat. 2 de Christi Resurrectione. Cùm ergo, qui bis mulieres ad monumentum venisse dicunt, non aliâ ratione dicant quàm ne Joanni, qui videtur significare mulieres, cùm primùm venerunt, angelum non vidisse, repugnare videantur, cùmque probatum satis, ut opinor, à nobis sit, cùm primùm venerunt, vidisse angelos, nulla illis reliqua ratio est, quamobrem bis dicant ad sepulcrum venisse mulieres. Nam locum Joannis ita paulò post explicaturi sumus, ut nulla prorsùs appareat repugnantia. Constat ergo et semel tantùm venisse mulieres, et tunc cùm primùm venerunt, vidisse angelos. Tertium facilius est refutare. Marcus, 16, 4, 5: *Et respicientes*, inquit, *viderunt revolutum lapidem, et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris*; dicturus nimirùm erat Marcus alterum angelum extra monumentum vidisse, si aliquem alium extra vidissent, ut vulgò creditur Matthæus indicare. Accedit quòd et eum quem Matthæus, et eum quem Marcus à mulieribus visum fuisse dicunt, ex iisdem quibus ad mulieres usus est verbis eumdem fuisse manifestum est; uterque enim dicit: *Nolite timere vos; scio quòd Jesum qui crucifixus est quæritis.* Cùm ergo ille de quo Matthæus, et ille de quo Marcus scribit, idem fuerit angelus, et Marcus, cùm à mulieribus intra monumentum perspicuis verbis visum fuisse dicat, Matthæus verò extra visum fuisse non dicat, sed tantùm super eum quem à sepulcro dimoverat, sedisse lapidem, sequitur non extra monumentum, quod Matthæus non dicit, sed intra, quod Marcus dicit, visum fuisse. Maximèque cùm cæteri etiam evangelistæ, Lucas, 24, 4, et Joannes, 20, 12, non foris, sed intùs dicant duos illos angelos visos. Scio quid plerosque, ut aliter sentiant, interpretes moveat. Scribit Matthæus, vers. 2: *Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum*, apertè significans super illum ipsum lapidem quem revolverat, sedisse angelum. Illum autem lapidem non intra, sed extra monumentum fuisse colligunt ex Marco, 16, 3: *Quis*, inquiunt mulieres, *revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* in ostio igitur, id est, foris, lapis erat. Quòd si super eum sedens à mulieribus visus est angelus, extra monumentum visus est.

Miror neminem, quod sciam, interpretum observâsse duos in monumento fuisse lapides, et utrumque fuisse ab angelo revolutum. Nam et D. Augustinus, lib. 3 de Consensu evangelistarum, c. 24, suspicatur monumentum Christi non solùm continuisse sepulcrum, sed ædificium fuisse, quam ipse maceriam appellat, ut vero simile est, concameratum foris ostium habens, quâ introitus esset, intùs verò sepulcrum, ubi corpus reponeretur, quod alio clauderetur lapide. Ejusmodi autem fuisse Christi sepulcrum, quale Augustinus animo finxerat, et Beda, in cap. 27 Matth., et Brocardus, et omnes qui viderunt, uno ore confirmant. Duo igitur erant lapides, alter foris, quo totius monumenti ostium claudebatur, alter intùs, quo claudebatur sepulcrum, utrumque angeli revolverant, primum, ut mulieres ingredi possent; secundum, ut vacuum sepulcrum viderent. Angelus ergo non super primum, sed super secundum sedebat. Si enim super primum sedisset, primo aspectu mulieres terruisset, neque ausæ fuissent in monumentum introire. Et conveniebat non super primum, sed super secundum sedere lapidem, et ut ostenderet se ideò sepulcri lapidem amovisse, ut mulieres vacuum sepulcrum videre possent, et ut ipso quodammodò digito locum, ubi Christus positus fuerat, vacuum demonstraret. Sicut v. 6 dicit: *Surrexit enim, sicut dixit. Venite, videte locum ubi positus erat Dominus.* Cùm ergo Matthæus dicit angelum removisse lapidem, utrumque lapidem intelligit; cùm dicit sedisse super eum, secundùm intelligit, qui intra monumentum erat. Nam cùm super utrumque sedere non posset, necesse est, aut super primum, aut super secundum sederit. Matthæus super primum sedisse non dicit; Marcus, Lucas et Joannes super secundum sedisse manifestè dicunt, cùm dicant sedisse intùs; ergo et Matthæus cùm dicit sedisse super eum, secundùm lapidem intelligit, unde sequitur etiam secundùm Matthæum angelum non foris, sed intùs à mulieribus visum esse. Objiciet aliquis quòd Matthæus, vers. 6, scribat dixisse mulieribus angelum: *Venite, videte locum ubi positus erat Dominus*, quasi eas nondùm in monumentum ingressas, ad ingrediendum invitet. Scio etiam hoc multos interpretes fefellisse, quòd existimârunt mulieres his verbis ad ingrediendum in monumentum invitatas esse, cùm non ad ingrediendum, sed ad veniendum, id est, ad accedendum et videndum sepulcrum invitentur. Nec enim dicit angelus: Introite, sed *venite*. Erant enim jam intra monumentum, ut Marcus et Lucas disertissimè scribunt. Cùm enim ad monumentum venissent, et præter opinionem primum lapidem, de quo in viâ sollicitæ fuerant, remotum invenissent, audacter ingressæ sunt; cùm intùs essent, et angelum super sepulcri lapidem sedentem vidissent, obstupefactæ restiterunt, non audentes ad sepulcrum accedere. Angelus verò primùm jubet timorem ponere: *Nolite*, inquit, *timere, vos; scio quia Jesum qui crucifixus est quæritis; surrexit, non est hic*; deinde invitat ad accedendum videndumque sepulcrum: *Venite, videte locum, ubi positus erat Dominus.* Objici etiam potest quòd Lucas, 24, 2, 3, 5, scribat: *Et invenerunt lapidem revolutum à monumento, et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu; et factum est, dùm mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti*, ubi indicat priùs mulieres non solùm in monumentum ingressas fuisse, sed ad sepulcrum etiam quod intùs erat, accessisse, idque vidisse vacuum, quàm aut ab angelo invitarentur, aut ullum viderent angelum. Respondeo Lucam per anticipationem locutum esse; quia enim eo properabat animo, ut narraret mulieres Christum in sepulcro non invenisse, quia jam resurrexerat, id dixit, antequàm commemoraret angelos ab illis visos, eorumque testimonio Christi fuisse confirmatam resurrectionem. Hinc primæ simul et secundæ quæstionis earum quinque, quas supra posuimus, explicatio colligitur. Primæ duos fuisse quidem angelos quemadmodùm Lucas Joannesque commemorant; sed quia unum tantùm cum mulieribus locutum fuisse credendum est (nec enim necesse erat ut alter cùm non nisi eadem dicere posset, loqueretur), Matthæus et Marcus, quibus propositum erat quid mulieribus angeli dixissent, recitare, unius tantùm meminerunt, sicut è contrario, cùm multæ mulieres ad monumentum venissent, quia una pro omnibus Magdalena, et cum angelis et cum Christo locuta est, ejus tantùm Joannes mentionem fecit. Lucas verò et Joannes, indicare volentes angelorum testimonio Christi resurrectionem probatum fuisse, testium numerum ut exprimerent necesse fuit. Conveniebat enim duos saltem angelos fuisse testes, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum; et videmus in simili causâ, ascendente in cœlum Christo, duos etiam candidis vestibus angelos apparuisse, qui eum et ad cœlum ire, et eodem modo rediturum esse testificarentur, Act. 1, 10. Repugnare huic interpretationi videtur illud quod Lucas, 24, 5, scribit, angelos mulieribus dixisse: *Quid quæritis viventem cum mortuis?* et Joannes, 20, 12, angelos dixisse Magdalenæ: *Mulier, quid ploras?* facilis solutio, esse syllepsim, quâ, quod unus fecit, totum genus fecisse dicitur, qualem supra, cap. 27, 44, exposuimus, et multis Scripturarum exemplis confirmavimus, ubi latrones convicia in Christum jactâsse dicuntur, quæ unus latro jactaverat, et ut apud D. Paulum, Hebr. 11, 35, 37, prophetæ secti fuisse, cùm unus sectus fuerit Isaias: ora leonum obturâsse, cùm solus obturaverit Daniel. Angeli ergo apud Lucam et Joannem cum mulieribus locuti dicuntur, quia alter eorum cum illis locutus est. Secundæ verò explicatio quæstionis ipsa jam per se manifesta est. Probavimus enim angelum, de quo Matthæus loquitur, non extra super primum, sed intra monumentum super secundum sedisse lapidem. Itaque nulla eâ in re inter Matthæum et Marcum, cæterosque evangelistas dissensio est. Tertia quæstio, etsi à multis difficilis judicatur, admodùm facilis mihi videtur esse, quia in unius proprietate verbi tota res vertitur. Quærebatur quomodò Matthæus, Marcus et

Joannes sedisse angelos, Lucas verò stetisse dicant. D. Augustinus, et qui eum secuti, putant alium de quo Matthæus et Marcus, et alios de quibus Lucas et Joannes loquuntur fuisse angelos, facilè sibi videntur respondere, illum sedisse, hunc stetisse. Quid ergo Joanni facient, qui de illis ipsis duobus angelis, de quibus Lucas scribit, loquens, sedisse dicit, cùm eos Lucas stetisse dicat? Alii priùs sedisse, ut Matthæus, Marcus et Joannes scribunt, dein, ut cum mulieribus loquerentur surrexisse, stetisseque, ut ait Lucas. Distinctio, meo quidem judicio, minimè necessaria, cùm facilius possimus, explicatâ verbi proprietate, quod Lucas stetisse angelos dicit, interpretari. Diximus, cap. 6, 5, standi verbum, et Latinè et Græcè non semper rectum corporis habitum, sed solam aliquando præsentiam, solam aliquando quietem significare. Stare enim dicitur non solùm qui rectus est, sed etiam qui præsens est, etsi sedeat; exempla sunt, supra, c. 16, 28 : *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus*, id est, ex his qui adsunt, qui præsentes sunt, *qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo*; et Marci 11, 25 : *Cùm*, inquit, *stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversùs aliquem*; nec enim jubet ut recti orent, sed ut stent, id est, ut quieti orent, aut ut stent, id est, coram Deo sese quodammodo sistant et repræsentent, quia orare Deum alloqui est, et Lucæ 7, 37, 38 : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retrò secùs pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat; et osculabatur pedes ejus*; non enim erecta erat, sed ad Christi pedes provoluta, cùm eos lacrymis rigaret, capillis tergeret, ungeret, oscularetur; rursùs, c. 18, 11 : *Pharisæus stans hæc apud se orabat*; nec enim stetisse credendum est, cùm oraret, hominem præsertim professum hypocrisim, et Joan., 1, 26 : *Ego baptizo vos in aquâ, medius autem vestrùm stetit quem vos nescitis*, id est, inter vos est, præsens vobis adest. Quarta quæstio alterâ propositâ consimili quæstione solvitur. Quæritur cur Joannes solam Magdalenam angelos vidisse dicat, cùm cæteri evangelistæ plures dicant, quæ viderunt, fuisse mulieres? Quæro similiter ego cur Joannes solam Magdalenam ad monumentum venisse dicat, cùm cæteri evangelistæ plures mulieres venisse dixerint? Non fuit evangelistis propositum omnia penitùs commemorare. Plures juxta crucem Christi mulieres erant; multi etiam viri, ut Lucas, c. 23, 49, indicavit, Matthæus, c. 27, 55, tres tantùm nominavit mulieres, quæ cæteris et notiores, et diligentiores erant, virum nullum. Eadem ratione Joannes, et solam Magdalenam ad monumentum venisse dixit, et solam vidisse angelos, quia haud dubium est quin Magdalena præcipuas ejus officii egerit partes, et omnium aliarum fuerit nobilissima. Quod vel ex eo intelligitur quòd cæteri etiam evangelistæ, cùm plures nominant, eam semper primo loco ponunt, ut Matthæus, c. 27, 56, 61, et hoc cap. 5, 1, et Marcus, c. 15, 40, et 16, 1. Quinta quæstio reliqua est, quæ in solius Joannis explicatione versatur, quæque omnium fere aliarum difficultatem peperit, quomodo Joannes significare videatur Magdalenam, cùm primùm ad sepulcrum venit, neque angelum, neque Dominum vidisse, sed statim ut lapidem revolutum vidit, recurrisse, et Petro Joannique nuntiasse : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum*; post verò significat redisse, et angelos Christumque vidisse. Tam perspicuè hæc Joannes dicere plerisque interpretibus visus est, ut ex eo alios evangelistas, qui contrarium dicere videbantur, explicandos putaverint. Tam perspicuè mihi alii evangelistæ contrarium dicere videntur, ut ex illis Joannem explicandum putem. Nam si non sententiæ perspicuitate, certè numero vincant æquum est. Quis autem credat tres evangelistas, quasi communicato consilio conspirâsse, ut obscurè loquerentur? Facilius creditu est unum evangelistam quàm plures obscurè locutum esse. Magdalenam et reliquas mulieres semel tantùm ad monumentum venisse, et antequàm Petro et Joanni nuntiarent, vidisse angelos firmissimis à nobis argumentis paulò ante probatum est. Quo ergo modo Joannes interpretandus? Non servavit, ut evangelistis sæpè contigit, in historiæ narratione rerum gestarum ordinem, et quæ simul gesta fuerant, non simul, sed alia priùs, alia posteriùs commemoravit; simul et Magdalena venerat, et angelos viderat; priùs venisse et lapidem vidisse revolutum, post angelos vidisse, narrat. Quod probabilius videbitur, si hujus ipsius non servati ordinis causam aliquam non improbabilem reperiamus. Putat Gregorius Nyssenus, Oratione de Resurrectione 2, Magdalenam Petro et Joanni nihil de angelis quos viderat dicere voluisse, quod se delusam crediderit, nec veros fuisse angelos; propterea non dixisse Christum resurrexisse, sed : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum*. Ego, cùm Joannem lego, perspicere mihi videor eum, omnibus prætermissis rebus, eò properare voluisse, ut exponeret quomodo ipse et Petrus continuò ad primum Magdalenæ verbum ad videndum sepulcrum cucurrissent. Itaque et angelorum et Christi omissâ visione, suam et Petri ad monumentum festinationem exponit; non ullâ quidem gloriæ cupiditate, quæ ab eo tam procul aberat ut ne nomen quidem suum exprimere voluerit, sed studio probandæ resurrectionis Christi, ut quamprimùm se et Petrum oculatos ejus fuisse testes declararet, majorque historiæ ipsius haberetur fides. At non solùm Joannes, dicet aliquis, sed neque ipsa quidem Magdalena Petro Joannique narravit se angelos et Christum vidisse; quin indicat non vidisse cùm dicit : *Tulerunt Dominum meum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum*; si enim angelum jam vidisset, et ab eo de Christi resurrectione fuisset edocta, dixisset utique resurrexisse Christum, non de monumento sublatum fuisse, idque et angelorum visione et testimonio confirmâsset; dixisset, quod multò plus ad faciendam fidem ponderis erat habiturum, se Christum ipsum vidisse. Quid si propterea Petro et Joanni se angelos et

Dominum vidisse non dixit, quòd illi simul atque primum audiverunt verbum, non expectatis pluribus, ad sepulcrum cucurrerunt? Quid si prudenter noluit illis angelorum et Domini visionem exponere, sed ita narrare factum, quasi sublatum solum de sepulcro Christum putaret, ut eos et ad visendum sepulcrum, et ad quærendum Christum magis accenderet, credens fore ut si ad monumentum irent, et angelos, sicut ipsa, et Christum viderent, nec suo illis testimonio jam opus esset? Obstare videtur quòd Lucas, c. 24, 23, scribat mulieres discipulis narrâsse se etiam ad sepulcrum vidisse angelos, et quosdam ex discipulis, id est, Petrum et Joannem ad sepulcrum cucurrisse; sed non dissimile vero est initio mulieres nihil de visis angelis et Christo dicere voluisse, neque de ipsâ Christi resurrectione quidquam affirmare, sed quasi furto sublatum existimarent, tantùm dixisse : *Tulerunt Dominum meum, nescio ubi posuerunt eum*; ut, quemadmodùm diximus, ad visendum sepulcrum discipulos excitarent : quod ad excitandum Petrum et Joannem cæteris ardentiores satis fuit, ad excitandos et persuadendos reliquos satis non fuit; ideò egressis jam Petro et Joanne, ut cæteris discipulis fidem facerent, rem totam clariùs exposuisse, narrâsseque se et angelos et Christum vidisse. Hoc enim Christus apud Marcum, c. 16, 14, illis exprobravit, *quòd iis, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*. Hæc interpretatio et ipsa per se credibilis est, et ab iis qui credere noluerint refutari non potest; hâc enim ratione evangelistæ inter se omnes maximè conveniunt. Joannes ergo suum et Petri ad sepulcrum adventum primùm narrare voluit. Quod cùm fecisset, redit per anacephalæosim ad exponendam angelorum et Christi visionem, vers. 11 : *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans; dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos in albis*. Quod autem dicit inclinâsse se, cùm Marcus et Lucas in monumentum introisse dicant, contrarium non est; utrumque enim fecit, et introiit et inclinavit se ut sepulcrum videret : aut inclinando se intravit, cùm non pedes, sed caput et corpus intra monumentum immisisset, ut sepulcrum videre posset.

Vers. 4. — Præ timore autem ejus, angeli, de quo proximè loquebatur. Quanquàm et terræ motu territos fuisse custodes credendum est; sed quia res naturalis videri poterat, multò magis angeli conspectu territi sunt. Quo autem modo angelos viderint, cùm ipsi foris, angeli, ut diximus, intra sepulcrum essent, non sine causâ quæri potest. Credibile est angelos cùm primùm venerunt, et primum ab ostio monumenti lapidem removerunt, etiam foris ostendisse sese, ut custodes viderent ac terrerentur, cùm eam etiam ob causam venissent, ut custodes Christi resurrectionis testes vel invitos esse cogerent. Credibile etiam cu-

Vers. 4. — Exterriti sunt custodes, non Christo resurgente; neque enim congruum erat, ut impia illa militum turba Christum gloriosè resurgentem primùm videret; sed angelo viso, et terræ motu sunt

stodes, postquàm remotum viderunt lapidem, ingressos intùs, antequàm mulieres accederent ut viderent, num Christi corpus in sepulcro esset, quod custodiæ ac fidei suæ commissum fuerat, atque tunc intùs sedentes vidisse angelos.

Et facti sunt velut mortui, exanimes præ timore, quod et Danieli, cùm angelum vidisset, accidisse legimus, cap. 10, 8 : *Et non remansit*, inquit, *in me fortitudo, sed et species mea immutata est in me, et emarcui, neque habui quidquam virium*. Timuerunt autem custodes non humano tantùm timore, ne à so quasi Christi custodibus ejus corpus repeteretur, quod cùm reddere non possent, quasi aut negligentiâ suâ discipuli furati essent, aut ipsi pecuniâ corrupti illis tradidissent, pœnas luerent; sed multò etiam maximè divino, ne, cùm viderent Christi resurrectionem divinitùs accidisse, ejusque divinitatem confirmâsse, divinitùs etiam, aut immisso fulmine, aut dehiscente terrâ ab eo punirentur, ut qui Judæorum sceleri operam præstitissent; quemadmodùm Pilatus, cùm audivisset eum filium esse Dei, condemnare timuit, et absolvendi quæsivit occasionem, Joan. 19, 8. Timuerunt etiam viso angelo mulieres, versu 8, et Marci 16, 6, 8, et Lucæ 24, 5; sed nullus evangelista indicat tantum earum quantus militum fuit fuisse timorem, ut examines fierent. Contrà verò Lucas verecundum potiùs timorem quàm ullius periculi metum fuisse significat. *Cùm*, inquit, *timerent, et declinarent vultum in terram*. Vultum enim in terram declinare non tam fuit timoris quàm verecundiæ. Etverò quis insolito et supra humanum angelorum viso non timeat? Timuit Daniel, cap. 10, 8, 16; timuit Zacharias, Luc. 1, 12; timuit ipsa Maria Virgo, Luc. 1, 29. Sed aliter boni quàm mali timent. Auget enim malis mala conscientia timorem. Timent mali, ut nequam servi, ne pœnas dent; timent boni, ut filii, ne coram angelis minùs reverentes esse videantur, et quia non potest humana infirmitas divinum ferre conspectum. Timent milites, et exanimantur; timent mulieres, sed non exanimantur, quia, ut D. Antonius, quemadmodùm in Comment. refert D. Thomas, et D. Hieronymus hoc loco, dicit, cùm bonus angelus bonis hominibus apparet, etiamsi initio inusitato aspectu timorem injiciat, ad extremum consolationem et animi tranquillitatem relinquit. Mulieres ergo, non milites angelus timentes consolatur, vers. sequenti : *Nolite*, inquit, *timere*, vos, ut D. Hieronymus et poeta Juvencus adnotaverunt. Hanc enim vim habet pronomen illud, *vos*, ut statim dicturi sumus.

Vers. 5. — Respondens autem angelus, id est, exorsus verba facere; sæpè enim hunc jam hebraïsmum exposuimus, quo ענה et respondere significat, et loqui incipere, ut supra, cap. 11, 25, et cap. 22, 1.

Nolite timere, vos; quasi dicat : Milites timeant, exterriti, quasi viso spectro.

Vers. 5. — Dixit mulieribus, quæ ex Marco ingressæ erant monumentum, seu anteriorem cryptam : nam duplici cryptâ sepulcrum constabat.

qui malo hoc animo, quasi Christi resurrectionem impedituri venerunt; vos, quæ non ut impediatis, sed ut pietatis illi et charitatis officium exhibeatis, venistis, nullam timendi causam habetis. Hæc est vis illius pronominis *vos*, quasi illas militibus opponat, ut Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 14, Chrysostomus, homiliâ 90, Gregorius, homiliâ in Evangel. 21, Beda, Euthymius, et Theophylactus adnotaverunt. *Paveant*, inquit Gregorius, *illi, qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertingere posse desperant; vos autem, cur pertimescitis, quæ vestros concives videtis?*

SCIO ENIM, QUOD JESUM, QUI CRUCIFIXUS EST, QUÆRITIS. Reddit causam, cur timere non debeant, quòd non malo, sed bono, ac pio venerint animo, ut Christi corpus quærerent, et religiosum illi unctionis officium exhiberent: idque se scire confirmat, ne fortè, quamvis bona sint conscientiâ, tamen propterea aliquid à se mali timeant, quòd nesciens quâ de causâ venerint, aut ad furandum corpus, aut ad aliquid aliud agendum mali venisse suspicari possit. Quòd autem Christum, et Jesum proprio appellat nomine, et crucifixum fuisse dicit, ad faciendam etiam pertinet fidem, ut ostendat se rectè Christum nosse, nec ignorare eum, et crucifixum, et mortuum, et eo loco sepultum fuisse; scire tamen se eum resurrexisse. Apud Marcum 16, 6, *Jesum Nazarenum crucifixum* angelus Christum appellat, pluribus verbis Christum describens, quod eodem pertinet. Sed Matthæus Nazareni verbum prætermisit. Lucas, c. 24, 5, alia angelorum recitat verba: *Quid*, inquiunt, *quæritis viventem cum mortuis?* Joannes rursùs alia cap. 20, 13: *Mulier quid ploras?* omnia dixisse angelos credendum est. Primùm mulieres cœpisse plorare, cùm sepulcri ostium apertum vidissent, existimantes Christi corpus sublatum fuisse. Atque hoc est, quod scribit Joannes: *Maria autem stabat foris plorans*, unam nominans, omnes intelligens: mox plorantes in monumentum ingressas esse, angelosque illis dixisse: *Quid ploratis?* et de solâ Magdalenâ loquens, ait Joannes, Magdalenam unam pro omnibus respondisse, *quia tulerunt Dominum meum*, ut idem scribit Joannes; tunc subjecisse angelum, qui pro se, et altero angelo loquebatur: *Nolite timere, vos; scio enim, quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis viventem cum mortuis*; quasi amicis verbis earum incredulitatem subreprehendat. Si enim Christi verbis, quibus adhuc vivens se tertiâ die resurrecturum affirmaverat, fidem habuissent, non quærerent viventem cum mortuis, sed cum vivere pro certo sibi persuasissent. Ad extremum subjecisse, quod etiam Matthæus, Marcus, et Lucas scribunt, *non est hic, surrexit*, easque jussisse ad apostolos ire, et Christi illis resurrectionem annuntiare, ut iidem tres narrant evangelistæ.

VERS. 6.— NON EST HIC; SURREXIT ENIM. Non satis fuit dicere *non est hic*; poterat enim illic non esse, nec tamen resurrexisse, quia inde translatus, aut furto sublatus; propterea addit, *surrexit enim*; quasi dicat, ideo non est hic, non quòd translatus, ut vos putatis, aut furto sublatus sit, sed quia resurrexit. Quòd ne novum, et incredibile videatur addit, *sicut dixit*, confirmans ex verbis Christi ipsius resurrectionem, et earum incredulitatem tacitè notans, tanquàm dicat, si Christo credidissetis dicenti se tertiâ resurrecturum die, supra, cap. 16, 21, et 17, 23, et 20, 19, et 26, 32 facilè nunc sine meo etiam testimonio eum resurrexisse crederetis.

VENITE, VIDETE LOCUM, UBI POSITUS ERAT DOMINUS. Quod et suo, et Christi testimonio probaverat, nunc experientia confirmat, et ipso visu nititur fidem facere, *venite*, inquit, *videte locum, ubi positus erat Dominus*; Dominum eum vocat, Deum confitetur. Quis enim præter Deum angelorum Dominus est? Videtur de industriâ iisdem uti verbis, quibus auctore Joanne, Magdalena usa fuerat. Illa dixerat: *Tulerunt Dominum meum*; ille dicit: *Venite, videte locum ubi positus erat Dominus*, non solùm suum, sed omnium et hominum, et angelorum Dominum vocans. Hoc enim indicat, cùm absolutè, et sine ullâ adjectione Dominum appellat. Distulimus certo consilio in hunc locum quæstionem illam, quânam horâ Christus resurrexerit, quòd hoc primùm loco mentio de ejus resurrectione facta sit. Nocte illâ, quæ inter sabbatum, et primam hebdomadis diem, quam nos Dominicam appellamus, intercessit, resurrexisse, quod ego quidem sciam, nemo non dixit. Illud etiam apud omnes ferè auctores constare video, non ante mediam noctem resurrexisse, etsi non defuerunt, qui propter Matthæi verba, *vespere autem sabbati*, vers. 1, vespere, id est, noctis initio resurrexisse dixerint, ut Dionysius Alexandrin. in epistolâ ad Basilidem auctor est. Ea opinio neque fidem invenit, et eorum verborum, quibus adducti sunt ejus auctores explicatione, supra est à nobis refutata. Mediâ surrexisse nocte, sicut mediâ etiam nocte natus creditur, multorum opinio fuit; qui, ut idem scribit Dionysius, propterea quadragesimæ jejunium mediâ ante diem Paschæ nocte solvebant, quod et in Synodo Constantinopolitanâ in Trullo habitâ, ut fieret, decretum est, can. 89, ut Balsamon in Comment. ad Dionys. scribit, idque est totius ferè etiam Ecclesiæ vetere consuetudine confirmatum, quæ sacrum illud de resurrectione, quod nunc die sabbati horâ vix aliquando decimâ celebramus, ad mediam noctem celebrabat. Alii sub auroram circiter galli cantum resurrexisse crediderunt. In quam sententiam Gregorius Nyssenus, orat. 2, de Resurrect. magis inclinat. Romanos etiam eâ horâ, quasi tunc Christum resurrexisse crederent, solitos fuisse solvere jejunium Dionysius auctor est. Euthym. etiam affirmat eam omnium sanctorum patrum opinionem fuisse, quam et ipse, ut probabiliorem, sequitur. Certissimum est, quod et Gregorius Nyssenus in eâ, quam paulò ante diximus, oratione, et Hieronymus, quæst. 6 ad Hedibiam, et Euthymius hoc loco monent, quâ horâ Christus resurrexerit, neminem scire posse mortalium; solum scire ipsum, qui ut voluit, et quando voluit, resurrexit. Cæterùm si, cùm certa desunt argumenta, aliquis conjecturis locus est, et in rebus incertis quod simillimum vero est, dum verum ipsum appareat, pro vero tenendum, sub auroram resurrexisse credendum est. Cùm enim angeli ideò de cœlo descenderint, ut eum surrexisse testarentur, probabile est statim, ut surrexit, descendisse, ne si interim milites, aut ipsi, qui occluserant, sacerdotes sepulcrum aperuissent, et corpus non invenissent, furto sublatum putarent, idque non jam datâ pecuniâ, sed gratis rati se vera dicere divulgarent; angelos autem sub auroram venisse ex eo manifestum est, quòd ad eorum adventum mota sit terra. Terræ autem motus mulieribus ad sepulcrum appropinquantibus, ut ait Marcus, oriente jam sole factus est. Tunc ergo Christus resurrexit, aut non multo certè ante resurrexerat. Sed hanc opinionem tantùm probabilitatis habere volumus, quantùm eâ conjecturâ, quâ à nobis probata est, habere judicabitur.

VERS. 7.— ET CITO EUNTES. Citò ire jubet, et ut quamprimùm, qui ob Christi mortem tristes erant, lætissimo resurrectionis nuntio recreentur, et ut nutans eorum, antequàm penitùs cadat, fides sustineatur. Marcus, cap. 16, 7, angelum sic dixisse ait: *Ite, dicite discipulis ejus, et Petro*; Petro nominatim dici jubet, ne quia ter Christum negando peccaverat, exclusus esse ab eo beneficio videretur, ut Greg., hom. 21 in Evang., et Euthym. docuerunt.

QUIA SURREXIT. Eum surrexisse; sæpè eum Hebraismum explicavimus.

ET ECCE PRÆCEDET VOS IN GALILÆAM. Indicat angelus Christum jam in Galilæam discessisse, aut quòd ita putâsset, aut quòd sciret eo animo Christum fuisse, cùm resurrexit, ut iret in Galilæam, et se illic discipulis ostenderet: nisi malimus præsens tempus Hebræorum more pro futuro positum esse, quasi dicat, ecce præcedet vos in Galilæam, quantumcumque festinetis; sciebat enim Christum momento temporis hoc illuc volitare. Ignorabat, ut videtur, angelus, quod paulò post futurum erat, Christum se mulieribus in urbem redeuntibus ostensurum esse. Facit etiam hoc ad accendendum discipulorum studium, ut cùm audierint Christum jam, ut in Galilæam præcedat, discessisse, magis eò festinarent, et sequi non pigeret, si præire pigebat. Mira humana infirmitas est, mira inconstantia; multò erat facilius Christum in Galilæam euntem, et quidem jam suscitatum, atque gloriosum, quàm in crucem infirmum, et ignominiæ plenum sequi. Atqui illud omnes polliciti erant, cap. 26, 35, ne hoc quidem præstiterunt. Nam cùm hæc à mulieribus discipulis narrata essent, *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba illa*, ut, c. 24, 11, Luc. scribit. Duplex in hunc locum incidit quæstio. Altera, cur in Galilæâ potiùs, quàm in Judæa Christus se apostolis ostendere voluerit. Altera, cur contra quàm decreverat, ac dixerat, in Judæâ se, priusquàm in Galilæam iret, ostenderit. Priorem quæstionem plerique ad hunc modum explicant, ideò in Galilæâ discipulis apparere voluisse, ut liberiùs cum illis agere, eosque docere posset, in Judæâ enim sacerdotum et Pharisæorum metus impedire discipulos poterat, ut Chrysost., homil. 90, et Euthym., exponunt, idemque in Comment. in c. 24 Lucæ indicat Ambros. Alii propterea in Galilæâ apparere voluisse, quod, cùm diutiùs ibi evangelium prædicâsset, plures ibi discipulos haberet, quos vellet omnes eâdem operâ confirmare. Hieronym. et Beda aliam, sed allegoricam rationem reddunt, Galilæam juxta nomen suum omnium vitiorum volutabrum significare, ideòque oportuisse Christi præsentiâ illustrari, ut Isai. cap. 9, 1, 2, quod supra c. 4, 15, Matthæus ad Christi etiam prædicationem accommodavit, longè ante dixerat: *Terra Zabulon, et terra Nephthali, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* At cur non statim eò contendit? quæ secunda quæstio erat. Quoniam vidit cunctantes adhuc, et dubitantes apostolos, nec ituros fuisse in Galilæam, nisi priùs se illis, ut eorum corroboraret fidem, Hierosolymæ demonstrâsset, ut indicat Ambrosius: non ergo fefellit fidem suam, sed superavit, quia plus præstitit, quàm pollicitus erat. Promiserat se in Galilæâ discipulis apparitùrum, apparet etiam Hierosolymæ, ut Gregor. Nyssen. scribit.

ECCE PRÆDIXI VOBIS. Hæc verba eò pertinent; ut, cùm in Galilæâ Christum discipuli viderint, credant non phantasma, non spiritum, sed ipsissimum esse Christum, cùm experti fuerint angelum vera prædixisse, ideòque non potuisse, nisi divinitùs locutum esse. Quare et Christum esse, quem videant, credere oportere, cùm ab eodem angelo fore, ut eum viderent, prædictum fuisset. Sic Samuel, ut Sauli persuadeat ea quæ illi prædixerat, futura esse, quædam alia prædixit, quæ eodem die Saul experturus erat, ut ea cæteris fidem facerent. *Cùm abieris*, inquit, *hodie à me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus Benjamin in meridie, dicentque tibi, inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas*, 1 Reg. 10, 2. Eodem modo Christus, Joann. 14, 29, *Et nunc*, inquit, *dixi vobis, priusquàm fiat; ut cùm factum fuerit, credatis.* Marcus 16, 7 paulò aliter dicit καθὼς εἶπεν ὑμῖν, *sicut dixit vobis*, ut angelus non se, sed Christum hoc prædixisse dicat, alludens ad verba Christi, quæ paulò ante mortem discipulis dixerat: *Et postquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam*, Matth. 26, 32; fortassè hoc loco pro εἶπον *dixi*, εἶπεν *dixit* legendum est; facilis enim et Græcè unius litteræ mutatione, et Latinè unius detractione lapsus esse potuit, et si ita legatur, nulla inter Matthæum et Marcum discordia erit; sed facilè corrigere non audeo.

VERS. 8.—ET EXIERUNT CITO DE MONUMENTO CUM TIMORE, ET GAUDIO MAGNO. Quòd citò exierint, et angelorum jussu, qui versu præcedenti illis dixerant, *citò euntes dicite discipulis ejus*, et timore simul, gaudioque fecerunt. Utrumque enim festinare homines cogit. Cur simul timuerint, simul gavisæ sint, facilius est, ut factâ ex se quisque, si eo loco fuisset, conjecturâ dijudicet, quàm ut nos verbis explicemus. Timebant, quia angelos viderant, et cœlestis, divinæque naturæ conspectum, quia ferre non potest, humana natura reformidat. Gaudebant, quia audiverant Christum resurrexisse. Marcus ait, 16, 8: *At illæ exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas tremor et pavor, et nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* Quòd autem dicit, nemini quidquam præ timore dixisse mulieres, non ita intelligendum est, quasi nemini prorsùs, ne ipsis quidem apostolis, quæ viderant, dixerint; nam ex Lucâ, c. 24, 11, 22, manifestum est, eas discipulis dixisse se in monumento vidisse angelos: sed significat Marcus eas in viâ adeò mutas fuisse, ut neque iis, qui occurrebant, neque ipsæ inter se aliæ aliis quidquam dicerent, sicut timore correpti homines facere solent.

VERS. 9.—ET ECCE JESUS OCCURRIT ILLIS. Non satis cum his verbis convenire videntur, quæ Marcus et

---

VERS. 7. — Marcus: Sicut dixit vobis: Matth.: Εἶπον, *dixi*, fortè pro εἶπεν, *dixit*; non enim angelus prædixerat. PRÆCEDIT, mox præcessurus est.

VERS. 8. — CURRENTES NUNTIARE DISCIPULIS EJUS à monumento redeuntibus. Voluit Dominus resurrectionem primùm discipulis innotescere per mulieres, ut haberent causam dubitandi et explorandi antequàm crederent, et per illorum dubitationem fides resurrectionis magis in nobis firmaretur: quæ autem viderint piæ mulieres, ad apostolos referunt. Summa est, *angelum descendisse*; duos esse visos angelos scribunt Lucas et Joannes: sed Matthæus et Marcus illius tantùm meminère qui mulieres est allocutus. Et quidem ea est commoda rem omnem, ut gesta fuit, disponendi ratio, quam auctor Analyseos Gallicæ sic exponit. Cùm mulieres ad sepulcrum venissent, et intrâssent, neminem viderunt: nam angelus qui super lapidem sedebat, iis se manifestum non fecit. Ingressæ in monumentum, et non invento Christi corpore, quid agerent, incertæ prorsùs erant. Maria Magdalene, relictis aliis ad sepulcrum, cucurrit ad Petrum et Joannem, ut legimus Joan. 20. Aliò translatum corpus existimabat. Tum exiit Petrus cum Joanne, et ambo venerunt ad monumentum, quos secuta est Maria: illi sudarium et linteamina separatim posita invenerunt, tum domum rediêre, relictis mulieribus: Mariâ longiùs in hortum progressâ, si fortè locum ubi corpus domini abscondissent, inveniret. Aliæ mulieres paulò post exeuntes in priori speluncâ, seu in vestibulo offenderunt angelos. Maria postquàm frustra quæsiisset corpus Christi, rediit ad monumentum, cùm aliæ mulieres jussu angelorum ad apostolos nuntiatum ivissent, quæ ab angelis acceperant. Cùm Maria inclinata vidisset angelos, existimavit hos esse homines eò missos, postquàm ipsa egressa fuerat. Cùm reverteretur, vidit Jesum, quem hortulanum esse credidit, cùm aliæ mulieres essent adhuc in viâ.

VERS. 9. — ET ECCE JESUS OCCURRIT ILLIS. Maria interim superveniens earum testimonio suum quoque adjecit. Sic omnia sibi constant: obscurior autem visa est rei gestæ historia, quòd citiùs quàm par esset, angelos mulieribus apparuisse, et Magdalenam semper cum iis fuisse plerique existimârint. Sed expectato reditu ejus ad sepulcrum, res suo quæque ordine ritè disponuntur. Alii paulò aliter seriem ipsam narrationis pertexunt: consensus quidem Evangelistarum non minùs est perspicuus; ingressis mulieribus in sepulcri anterius cubiculum, angelus specie juvenis apparuit, qui ita illas est affatus: *Nolite timere*, Matth. v. 5 et sequentibus: cùm autem in sepulcrum ipsum introeuntes corpus Domini non invenirent, in ipso egressu duos viderunt angelos lumine

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Joannes scribunt. Marcus, 16, 9, ait : *Surgens autem Jesus manè primâ sabbati apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de quâ ejecerat septem dæmonia*, quasi Christus nec aliis tunc mulieribus apparuerit, nec Magdalenæ ipsi ad discipulos eunti, sed aliàs. Joannes verò, cap. 20, 13, 14, 15, 16, 17, cùm dixisset Magdalenam stetisse extra monumentum plorantem, cùmque se in monumentum inclinâsset, vidisse angelos, qui eam interrogaverint, *Mulier, quid ploras? dicit*, inquit, *eis, quia tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsùm, et vidit Jesum stantem, et non sciebat, quia Jesus est. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? quem quæris? illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei, Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus, Maria. Conversa illa dicit ei : Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* Quod attinet ad Marcum, minor est difficultas, cùm enim illi propositum esset dicere Christum mulieribus apparuisse, prætermissis omnibus circumstantiis dixit eadem die surrexisse Christum, non de resurrectione, sed, ut ita dicam, de surrectione loquens, quasi priùs sedisset, et Magdalenæ apparuisset. Surgere enim Hebraicâ phrasi dicitur, qui aliquid operis aggreditur, etiamsi verè non surgat, ut : *Cœpit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere*, id est, incœperunt, et suprà, cap. 24, 11 : *Multi pseudoprophetæ surgent*, id est, existent, aut se demonstrare incipient, et versu 24 : *Surgent enim pseudochristi.* Non enim Marcus docere voluit quâ horâ Christus resurrexisset, quod, ut vers. 6 docuimus, incertum omninò est, sed quâ horâ Christus mulieribus apparuisset. Quòd autem solam nominet Magdalenam, aut ideò fecit, quòd soli priùs Magdalenæ apparuerit, ut paulò infra disputaturi sumus, aut quòd cùm omnibus simul mulieribus apparuerit, tamen cum solâ priùs Magdalenâ locutus fuerit. Verba Joannis plus habent difficultatis. Sunt igitur qui existiment bis se Christum mulieribus demonstrâsse : primùm soli Magdalenæ adhuc juxta sepulcrum hærenti et retrò respicienti, ut Joannes dicere videtur; deinde omnibus mulieribus quæ ad sepulcrum venerant, ut discipulis nuntiarent redeuntibus. Nam cùm omnes in monumento essent, digressis, ut abirent, aliis Magdalenam adhuc plorantem juxta sepulcrum restitisse, cùmque respexisset retrò, vidisse Christum, ab eo interrogatam quid ploraret, aut quid quæreret, hortulanum ratam respondisse : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, et ego eum tollam*, Christum respondisse nomine eam appellantem, *Maria*, et cætera quæ Joannes narrat tunc accidisse; mox Magdalenam profectam, inde cæteras quæ præibant, mulieres curriculo consecutam, cùmque unà cum illis pergeret, Christum illis iterum simul euntibus apparuisse, ut hoc loco Matthæus scribit. Sic D. Augustinus, lib. 3 de Consensu evang., cap. 24, et Severus apud D. Thomam in Comment. Alii duas quidem, sed aliter factas apparitiones fuisse putant. Priùs enim Magdalenam solam ad monumentum venisse, atque tunc illi, quemadmodùm scribit Joannes, visum fuisse Christum; deinde unà cum cæteris mulieribus ad monumentum rediisse, et cùm inde rursùs ad apostolos reverterentur, Christum illis in viâ, ut ait Matthæus, occurrisse. His Gregorius Nyssenus auctor est. Utramque opinionem, quia bonos habet auctores, non tam probare cogor quàm non refutare. Sed nescio quomodò mihi insedit animo, ut vix mihi persuadere possim, aut Magdalenam bis ad monumentum venisse, aut bis illi apparuisse Christum. Quid enim cogit nos ita sentire, cùm Matthæus apertè significare videatur, et omnes simul mulieres ad sepulcrum venisse, et omnes simul rediisse, et omnibus redeuntibus occurrisse Christum? Nam quod Marcus ait visum fuisse primùm Magdalenæ, facillimè interpretari possumus, ut Magdalenam non cæteris mulieribus, sed apostolis opponat; ut sensus sit, non quidem priùs Magdalenæ quàm cæteris mulieribus, sed priùs illi quàm apostolis apparuisse. Nam, ut versu 16 dicturi sumus, meritò à Catholicis creditur quamvis scriptum non sit, Christum primùm omnium matri suæ apparuisse. Quare non potest esse sensus primùm apparuisse Magdalenæ, id est, inter omnes mulieres primùm ab eâ visum fuisse. Quòd autem Marcus solam nominet Magdalenam, nec mirum est, cùm Joannes nullam aliam nec ad sepulcrum venientem, neque revertentem, neque Christum videntem nominaverit, et constet ex aliis evangelistis et aliàs cum eâ ad sepulcrum venisse, et revertentes vidisse Christum. Et cur solam nominaverit Marcus, paulò ante rationem exposuimus, quòd cum eâ primùm loqui cœperit, et fortassè inter omnes, quæ simul ibant, prima Christum viderit Magdalena. Quod autem Joannes scribit, etsi difficilius videtur, haud multò difficiliùs explicare possumus. Primùm, quod dicit Magdalenam ad sepulcrum stantem atque plorantem conversam vidisse Christum, sic intelligi potest, ut conversam dicat, non respicientem, sed redeuntem. Nam etsi contrarium videri potest, quòd hortulanum Christum esse putaverit, quod non putâsset, nisi in horto, ubi sepulcrum erat, vidisset, id ipsum ita intelligi potest, ut dicamus Christum revertentibus quidem jam mulieribus, sed nondùm hortum egressis, aut egressis quidem, sed quasi ad hortum euntem Christum apparuisse, aut eâ apparuisse formâ, ut facilè hortulanus esse credi posset; ideò hortulanum existimâsse. Quòd autem Christum illam interrogâsse dicit, *quid ploras?* credendum est, etiam, cùm reverterentur, omnes, maximèque Magdalenam ploravisse, quia, ut Gregorius Nyssenus ait, et ex hoc ipso Joannis loco perspicuum est, Magdalena etiam affirmanti angelo resurrexisse Christum, non satis credidit. Nam postquàm id angelus affirmavit, adhuc plorat, quasi non resurrexisse, sed furto sublatum fuisse crederet; adhuc dicit : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi;* adhuc dicit apostolis : *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum*, Joan. 20, 2; cùm enim hæc dicit, jam angelum vidisse, vers. 5 copiosè probavimus. Quòd autem solam Joannes nominat Magdalenam, minùs etiam mirum est quàm quòd eam Marcus solam nominaverit, cùm Marcus non eam solam, sed cum eâ alias mulieres ad monumentum venisse dixisset. Joannes autem solam venisse docuit. Non auderem dissentientibus tot interpretibus hanc sequi sententiam, nisi præclarum haberem auctorem D. Athanasium in Oratione de Christi Incarnatione.

AVETE, pax vobis; sic enim Hebræi salutare solent, quamvis Græci interpretes vertant, χαίρετε, *avete*. Utuntur autem Hebræi eâ salutationis formâ, cùm aliàs, tum maximè cùm eos quos salutant, non timere, sed bono animo esse jubent, ut Gen. 43, 23, et Judic. 6, 23, et 19, 20; quod in hunc locum aptè convenit : quia enim timoris plenas mulieres videbat, hâc ratione salutat : Pax vobis, quasi dicat : Bono estote animo, non adversarius, sed amicus vobis venio, quemadmodùm versu sequenti illis dicit : *Nolite timere.*

fulgentes, qui illas sic affati sunt, ut habemus Lucæ 24, 6; tum eæ metu et gaudio concussæ citò abierunt Jerosolymam, quæque viderant et audierant apostolis narravère : *Et visa sunt ante illos sicut deliramentum*, Lucæ 24. Ex cap. 20, 2, Joannis, Maria Magdalene venit ad Petrum et Joannem, tum ambo apostoli cucurrerunt, eaque rursùs ad monumentum

rediit orto jam sole, ubi vidit duos angelos sedentes in sepulcro : qui eam rogârunt cur fleret, tum ea è specu egressa Jesum vidit quem hortulanum putabat. Unde Marcus, c. 16, ait Jesum apparuisse primò Mariæ Magdalenæ, tum aliis mulieribus, vel prope sepulcrum, vel in viâ.

ILLÆ AUTEM ACCESSERUNT, ET TENUERUNT PEDES EJUS. Joannes, 20, 17, indicat Magdalenam pedes Christi non tetigisse; prohibitam enim à Christo dicente : *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Si eadem, ut ego existimo, hæc fuit visio, de quâ Matthæus, et illa, de quâ Joannes scribit, non difficile potest ea quæ inter evangelistas videtur esse repugnantia conciliari. Joannes enim non dicit Magdalenam pedes Christi non tetigisse, sed Christum dixisse : *Noli me tangere.* Atqui fortassè, cùm hoc Christus diceret, jam tetigerat, ut nonnulli etiam interpretes existimant; fortassè Christo etiam prohibente tetigit, ut res importuna et pertinax est amor. Simile enim supra, cap. 9, 30, 31, legimus exemplum, cùm Christus cæcos curâsset, illisque præcepisset dicens : *Videte ne quis sciat; illi*, inquit evangelista, *exeuntes diffamaverunt eum in totâ terrâ illâ.* Obedientiæ enim et pietatis genus esse putaverunt Christo in hâc re non obedire. At solam Joannes Magdalenam prohibitam fuisse dicit, ne tangeret Christum. Quid si omnes prohibitæ sint, sed Joannes, quia de solâ Magdalenâ loquebatur, sicut solam ad sepulcrum venisse dixerat, solam vidisse Christum, ita solam prohibitam tangere fuisse dicit? At cæteri evangelistæ, qui de aliis loquuntur, non dicunt eas fuisse prohibitas; nec Magdalenam prohibitam dicunt; quemadmodùm ergo id quod in Magdalenâ factum fuisse constat, prætermiserunt, ita id ipsum quod in aliis mulieribus eâdem ratione factum esse probabile est, prætermittere potuerunt; quia non quid Christus fieri vetuisset, sed quid factum esset, non Christi voluntatem, sed mulierum in Christum amorem declarare voluerunt. Quòd si, ut plerique putant, hæc ab illâ, de quâ Joannes scribit, diversa fuit visio; non quidem eadem, sed similis tamen oritur quæstio, cur illic Magdalenam Christus se tangere prohibuerit; hic eamdem Magdalenam et cæteras mulieres non prohibuerit. Quid si et hîc prohibuit, sed id evangelistæ prætermiserunt? Joannes, quia hanc visionem, si diversa fuit, non narravit; cæteri, quia, quamvis narraverint, tamen, ut modò diximus, non quid Christus vetuisset, sed quid mulieres fecissent, declarare voluerant. Itaque et omnes prohiberi, et omnes tangere, licèt neutrum expressum sit, tamen potuerunt; hinc sive omnes, sive aliquæ tetigerint, sive omnes, sive aliquæ prohibitæ fuerint, duæ tamen adhuc quæstiones manent, cur aut omnes, aut aliquæ tetigerint; omnes certè tangere voluerunt; et cur Christus, aut omnes, aut solam certè Magdalenam prohibuerit, aut voluerit saltem prohibere. Ad priorem quæstionem natura ipsa respondet. Quis enim Christianus suscitatum ante se videns Christum, non subitò perfusus gaudio in ejus amplexum corruisset? Muliebris autem modestiæ et verecundiæ fuit non corpus amplexari, sed pedes, ut Theophylactus et Euthymius docuerunt. Erat porrò inter Judæos reverentiæ et adorationis genus, præsertim mulierum erga viros, pedes tangere; sicut Exodi 4, 25, Sephora mariti pedes tetigit, quasi deprecabunda, et 4 Reg. 4, 27, mulier illa Sunamitis, cùm ad Eliseum venisset, ejus pedes tetigit, orans ut veniret, et filium suum mortuum suscitaret. Quemadmodùm apud Græcos adoraturi genua tangebant;

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων,

inquit Græcus ille poeta Iliad. A; de quâ consuetudine et ejus origine multa Plinius, libro 11, cap. 45, nescio quàm verè, philosophatur. Eum certè morem diù in Ecclesiâ viguisse, ut qui Episcopos salutabant, eorum genua manu tangerent, ex nonnullis veterum conciliorum decretis intelligimus. Sic ergo Magdalena reverentiæ causâ, Luc. 7, 38, Christi pedes tenuit; sic omnes hoc loco mulieres pedes ejus adoraturæ tenuerunt, quod explicans evangelista addidit statim : *Et adoraverunt eum*; propterea ergo tetigerunt, ut adorarent. Altera tangendi causa esse potuit, ut experirentur num verus esset Christus, an spiritus aliquis qui falsâ ipsas Christi specie deluderet, ut Theophylactus multos auctores existimâsse dicit. Potuerunt id facere mulieres non sine exemplo; nam et apostoli, ut ait Lucas, cap. 24, 37, cùm primùm vidissent Christum, putaverunt *se spiritum videre.* Cur ergo Christus, aut omnes, aut solam saltem prohibuit Magdalenam, ne se tangeret? Ab ipso Christo ratio ejus rei addita est : *Nondùm enim*, inquit, *ascendi ad Patrem meum;* sed ea ipsa ratio difficiliorem quæstionem reddit. Quid enim sibi vult : *Noli me tangere; nondùm enim ascendi ad Patrem meum?* quasi postquàm ad Patrem ascendisset, eum tactura esset, quemadmodùm sæpe D. Augustinus argumentatur. Atqui propterea tangere eum posse ac debere videbatur, quia nondùm ascenderat ad Patrem; si enim ascendisset, nec deberet, nec posset tangere. Quidam non omninò se tangi Christum prohibuisse existimant, sed eo modo quo Magdalena tangere videbatur, quasi hominem, qui eodem modo quo ante mortem familiariter esset inter homines versaturus, et sese omnibus tangendum præbiturus; cùm non ita eum illis sicut ante versaturus esset, sed more spiritûs, qui nec videtur, nec tangitur, sed aliquando apparet, aliquando abit. Sic Justinus Martyr, quæst. ad Orthodox. 48, et Cyrillus, lib. 12 in Joannem, cap. 50, unde dicit eam in Ecclesiam manâsse disciplinam, ut spiritu sanctificatis mysteriis clamare solitum esset : *Sancta sanctis*, — sicut Christus antequàm ascenderet et Spiritum sanctum in apostolos mitteret, non est passus se à mulieribus tangi. Nam si apostolis se tangendum præbuit : *Palpate*, inquit, *et videte;* si Thomam jussit in latus suum, et in locum clavorum digitum inferre, fecit necessariò, ut eorum incredulitati tactu mederetur, sicut ante mortem suam ægrotos tactu curare consueverat. Ingeniosa interpretatio, sed quomodò hærebit ratio : *Nondùm enim ascendi ad Patrem meum?* Alii propterea prohibitam Magdalenam tangere, quia indigna erat ut Christum tangeret, quæ de ejus resurrectione etiam testificante angelo dubitabat, et viventem cum mortuis adhuc quærebat, Chrysostomus, hom. de Joanne Baptistâ, Ambrosius, serm. 58, et in Psal. 46, et lib. Comment. in Lucam, 10, Hieronymus, quæst. 5 ad Hedibiam, et in Epistolâ ad Paulam de Obitu Blesillæ, August., epistolâ 58. Alii mysterio factum putant; per Magdalenam enim gentium Ecclesiam significari, quæ non ante credidit, quod est Christum tangere, quàm ad Patrem ascendisset, ut D. August., tract. in Joannem 26 et 121, interpretatur. Mysterium aliquod esse ut concedamus, tamen solum esse mysterium, nec aliam subesse causam, concedere non possumus. Aliam idem D. Augustinus iisdem duobus locis, et epistolâ 222, et lib. 4 de Trinit., cap. 3, interpretationem affert, quam ipsius verbis hic recitabo. *Sic*, inquit, *in se voluit credi Jesus, hoc est, sic se spiritualiter tangi, quòd ipse et Pater unum sunt. Ejus quippe intimis sensibus quodammodò ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecit, ut Patri agnoscat æqualem; aliter non rectè tangitur, hoc est, non rectè in eum creditur; nondùm enim ascendo ad Patrem meum; ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum* (1). Sequitur Fulgentius Augustinum discipulus præceptorem lib. 2, ad Thrasymundum. Ad eumdem ferè modum Chrysostomus, homil. 5 de Resurrectione, interpretatur : *Noli*, inquit, *me tangere; non debes tangere, sed credere.* Calvinus sine ullâ conjecturâ dicit Christum hæc verba non dixisse, nisi postquàm Magdalena non solùm ejus pedes tetigerat, sed nimiùm etiam tetigerat et contrectaverat; quasi Christus non tactum, sed nimium et importunum tactum prohibeat. At quid cum nimio tactu quod sequitur : *Nondùm enim ascendi ad Patrem meum?* Nec tacitus prætereo quòd Calvinus Magdalenæ pietatem et religionem superstitionem appellat, et studium erga Christum stultum fervorem vocat; quod vel scribere horruissem, nisi judicâssem Ecclesiæ publicè interesse; ut quemadmodùm hæretici de sanctis viris ac mulieribus loqui soleant, Catho-

(1) Hæc verba Augustini ex tract. 121 in Joan. desumpta sunt.

lici sciant, et ex ipsorum verbis de eorum doctrinâ et religione judicent. Ad rem ut redeam, propterea nulla mihi ex superioribus placet interpretatio, quòd cum nullâ earum ratio, quam Christus reddit, convenire possit, *nondùm enim ascendi ad patrem meum.* Itaque quærenda alia explicatio est, cum quâ hæc ratio rectè conveniat. Ego quidem simpliciùs, nullum licèt auctorem habens, et minùs ingeniosè interpretari soleo, voluisse Magdalenam ita Christum tangere, quasi eum ampliùs non visuram, et quasi timeret, ne statim abiret, aut ad Patrem ascenderet, et occasionem eum amplectendi, et adorandi habitura non esset. Ad hunc ejus sensum Christus respondet : *Noli me tangere; nondùm enim ascendi ad Patrem meum,* quasi dicat, satis habebis temporis, ut me sæpè tangas, antequàm ad Patrem ascendam, nunc noli me tangere, noli ad pedes meos hærere, sed citò abi ad fratres meos, et dic, ut eant in Galilæam, ubi me videbunt. Huic interpretationi nihil aliud videtur obstare, quàm quòd Christus non dicat, nondùm ascendam, aut nondùm ascendo, sed *nondum ascendi ad Patrem meum.* In promptu responsio est, ita vulgò loqui solemus, nondùm discessi, cùm significare volumus nos non tam citò discessuros, sed satis adhuc esse temporis, ut cum amico, qui nos interpellare vult, colloqui possimus. Docuimus etiam aliis in locis sæpè verba non naturalem et proprium actum, sed agendi voluntatem, et decretum significare; *vado piscari*, inquit Petrus, Joan. 21, 3, id est, decrevi ire ad piscandum; cùm enim hoc diceret, nondùm ibat. Respondent alii, *venimus et nos tecum*, id est, venire volumus, nondùm enim veniebant. Eodem modo à Christo dictum est, *nondùm ascendi*, id est, nondùm ascendere decrevi ad Patrem meum. Si ergo Christus omnes mulieres se tangere prohibuit, hoc sensu prohibuit : si solam Magdalenam, ideò solam prohibuit, quia sola hoc modo, et hoc animo tangebat; ideò se à discipulis tangi non prohibet; sed eos potiùs ad tangendum invitat, *Palpate*, inquit, *et videte quia spiritus carnem et ossa non habet*, Luc. 24, 39, et : *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis*, Joan. 20, 27. Cur priùs Christus à mulieribus, quàm à viris, et quidem apostolis visus fuerit, quæri inter interpretes solet. Ejus rei una statim ratio lectoris animo etiam non quærentis occurrit, priores Christum videre mulieres, quia priores quæsierunt : digna fuit eâ mercede earum diligentia. *Illæ*, inquit Cyprian. in serm. de Resurrectione, *primæ viderunt et cognoverunt, quæ ardentiùs dilexerunt, quæ devotiùs quæsierunt*; et Hieronymus : *Quæ sic quærebant, quæ ita currebant, merebantur obvium habere Dominum resurgentem, et primum audire : Avete, ut maledictum Evæ mulieris in mulieribus subverteretur.* At cur mulieres potiùs quàm viri priores quæsiverunt? Mulierum studium, et pietatem cum apostolorum studio, et pietate comparare nostrum non est, ut dicamus propterea mulieres, non apostolos Christum ad monumentum venientes quæsivisse, quòd plus in eum studii, et pietatis haberent; hoc Deo judicium relinquamus; aliam nos rationem, quæ in manifesto est, afferre possumus; propterea mulieres Christum quæsiverunt, quia ejus corpus ungere volebant. Ungere autem mortuos, sicut lavare, et involvere, non tam virorum, quàm mulierum erat officium. Non ergo mulieres Christum, sed corpus Christi quærebant, propterea ab angelis reprehenduntur : *Quid quæritis viventem cum mortuis?* Luc. 24, 5. Tamen quia hoc ipsum pium officium fuit, remuneratione non caruit, ut primæ Christum viderent. Alia quoque potuit esse causa, cur Christus mulieribus priusquam viris voluerit apparere. Perseverant mulieres digressis hàc illàc discipulis non solùm usque ad Christi mortem, sed etiam usque ad finem sepulturæ, Luc. 23, 55. Itaque mulieres resurrectionis ejus testes esse poterant, quæ et mortis, et sepulturæ ejus testes fuerant. Sciebat etiam Christus faciliùs mulieres quàm apostolos viso se credituras esse, ut est ingenium mulierum ad credendum magis propensum et facile quàm virorum. Eventus id docuit, apostolos enim etiam viso Christo dubitâsse legimus infra, vers. 17, et Lucæ 24, 38, 39, mulieres viso quidem, et audito angelo dubitâsse ex Joanne colligimus, viso autem Christo dubitâsse nullo ex evangelistâ colligimus. Voluit ergo Christus per mulieres de suâ jam resurrectione persuasas apostolos ad credendum paulatim præparare. Alias Hilarius, et Ambros., sed allegoricas rationes afferunt. Quærunt alii, cur non ipse Christus priùs quàm angeli mulieribus apparuerit? In promptu ratio est, quia minimè eum Christum esse credidissent, nisi priùs ab angelo de ejus resurrectione edoctæ fuissent.

VERS. 10. — TUNC AIT ILLIS JESUS, NOLITE TIMERE. Verò simile est mulieres ad pedes Christi quamvis unâ ex parte repentino perfusas gaudio, quòd eum ante se viderent, aliâ tamen ex parte tremebundas accessisse, et num phantasma esset dubitantes, antequàm propiùs recognoscerent, et loquentem audirent, propterea dicit illis : *Nolite timere.*

ITE, RENUNTIATE. Idem eas facere quod angeli, jubet, ut angelorum visionem veram fuisse confirmet; ita Christo angeli, angelis Christus mutuam operam præstiterunt.

FRATRIBUS MEIS. Quidam fratres à Christo ejus cognatos vocatos putant, ut supra, c. 12, 46, 47, meliùs omnes discipulos intelligemus, ut dixerat angelus vers. 7 : CITÒ EUNTES DICITE DISCIPULIS EJUS, quemadmodùm effectus etiam declaravit; mulieres enim non solis Christi cognatis, sed omnibus etiam apostolis ejus nuntiaverunt resurrectionem, infra, vers. 16, et Luc. 24, 10, et Joan. 20, 18; vocat autem omnes discipulos fratres, quòd, sicut ipse, quamvis alio genere, quàm ipse, Dei filii essent, quia ejus faciebant voluntatem, sicut dixerat, c. 12, 49, 50 : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? et extendens manum in discipulos suos dicit : Ecce mater mea, et fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Narrabo*, inquit, *nomen tuum fratribus meis*, Psal. 21, 23, ut ad Hebræos, 2, 12, exponit D. Paulus. Hoc loco peropportunè apostolos fratres appellavit, et ut se Christum esse ostenderet, qui eos jam, cùm in mediâ concione esset, digito demonstratos fratres suos esse dixerat, et ut blandâ fratrum appellatione dejectos metu eorum animos allevaret, et ad se visendum invitaret.

UT EANT IN GALILÆAM. Vide quæ versu 7 dicta sunt; sciebat Christus apostolos solo mulierum testimonio in Galilæam ituros non esse, sed facit, quod in se est, et quia expediebat, ut eò irent, seque ibi primùm viderent, ire nihilominùs jubet. Multa jam ejusmodi observavimus exempla, ubi Christus non id, quod faciendum, sed quod fieri oportere sciebat, fieri jubet.

VERS. 11. — QUÆ CUM ABIISSENT. Ut apostolis, quemadmodùm Christus et angeli jusserant, renuntiarent.

ECCE QUIDAM DE CUSTODIBUS. Indicat non omnes custodes venisse ad principes sacerdotum. Cur autem non omnes venerint, diversæ conjecturæ sunt; aut quòd cæteri animo perterriti nihil aliud haberent curæ, quàm ut fugerent, et quasi malè functi officii pœnas daturi delitescerent, aut quòd ausi non fuerint id nuntiare sacerdotibus non credituris, sed in ipsos potiùs culpam, calumniamque conjecturis, quasi prævaricati essent, pecuniâque Christi corpus discipulis vendidissent, et miraculi figmento scelus velare conarentur : aut quòd qui ad sacerdotes venerant, omnium nomine venerint, ut poeta Juvencus interpretatur, idque ex vers. 12 colligitur, non illis enim tantùm, qui venerunt, sed illis etiam, qui non venerunt, ut mentirentur, pecunia data est. Sunt, qui putent spe eliciendæ à sacerdotibus pecuniæ milites, illis, quæ viderant, renuntiâsse, scientes quamvis avarissimi

essent, tamen usque adeò esse adversùs Christum animatos, et tantoperè timere, ne resurrexisse crederetur, ut facilè divinarent fore ut pecuniam sibi ad celandam ejus resurrectionem darent. Non facilè hoc credo; nec enim se capitis periculo exposuissent spe tam incertâ; venerunt ergo, non ut pecuniam emungerent, sed ut officii sui rationem redderent, ne fortassis apud præsidem tanquàm deserti officii rei agerentur.

VERS. 12. — ET CONGREGATI CUM SENIORIBUS. Scribas etiam intelligit; his enim personarum generibus Judæorum concilium constabat, ut cap. 2, 4, docuimus. Detestanda sacerdotum contra cognitam veritatem indurata malitia; cùm avarissimi sint mendacium tamen, et damnationem suam emunt. Sed non potest pecuniâ veritas vinci. Nam illos ipsos, qui ad mentiendum empti fuerant, milites credendum est et gloriosam Christi resurrectionem, et sacerdotum, qui, ut eam obscurarent, pecuniam dederant, facinus inter familiares suos evulgâsse.

VERS. 14. — ET SI HOC AUDITUM FUERIT A PRÆSIDE. Ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, apud præsidem, aut coram præside, id est, si fama ad præsidem pervenerit, hoc enim significat ἐπὶ, ut 1 ad Timotheum, 6, 13, ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, apud Pontium Pilatum, aut *sub Pontio Pilato*, ut noster vertit interpres, quasi legerit ὑπό. Fortassè et hoc loco pro ἐπὶ legit ὑπό, quod aliquando, ut aliis locis observavimus, cum personâ agente in verbis passivis copulatur; ideòque vertit *à præside*. Poterant milites meritò à præside timere, ne ab illo tanquàm negligentes, aut prævaricatores punirentur. Contra hoc periculum suam illis sacerdotes vicissim mentiendi operam pollicentur : futurum, ut ipsorum mendacium suo etiam superaddito mendacio præsidi persuadeant atque confirment; præsidem sibi milites defendentibus, qui eos maximè accusare debere videbantur, facilè crediturum. *Emitur*, inquit Hilarius, *à custodibus, qui omnia hæc viderant, argento, resurrectionis silentium, et mendacium furti.* Militum autem mendacium subtiliter et eleganter his versibus Sedulius coarguit :

Fare, improbe custos,
Responde scelerata cohors, si Christus, ut audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro
Sopitos latuit, cujus jacet intùs amictus?
Cujus ad exuvias sedet angelus? cunc beati
Corporis ablator velocius esse putarit
Solvere contectum, quàm devectare ligatum?
Cùm mora sit furtis contraria? cautiùs ergo
Cum Domino potuêre magis sua lintea tolli.
Mentita est vox vana sibi, tamen ista figuram
Res habet egregiam, Judæis constat ademptum,
Quem nos devoto portamus pectore Christum.

VERS. 15. — ET DIVULGATUM EST VERBUM ISTUD APUD JUDÆOS USQUE IN HODIERNUM DIEM. Nempe Christum à discipulis furto fuisse sublatum, ut Chrysost., homil. 91 in Matth., Eutym. in Comment., Severus et Rabanus apud D. Thomam exponunt. Neque qui aliter interpretetur invenio, etsi nihil absurdi esse video, si hoc ad id quod evangelista dixerat, referatur, hoc ipsum vel inter ipsos Judæos divulgatum fuisse, milites datâ à sacerdotibus pecuniâ corruptos dixisse, atque divulgâsse discipulos se dormientibus furatos fuisse corpus; neque huic interpretationi quidquam ad probabilitatem deesse præter bonum auctorem video. Cæterùm eo per se probabilior, quòd, ut hoc diceret, quàm, et illud, quòd omnes interpretes dixisse putant, plus causæ evangelista videtur habuisse. Magis enim conveniebat historiæ, ut diceret sacerdotum fraudem ne apud ipsos quidem Judæos latuisse, ne quis existimaret se illis falsum objecisse crimen; quàm ut diceret Judæos credidisse Christum à discipulis furto sublatum, quod ut exponeret, historia minimè postulabat.

VERS. 16. — UNDECIM AUTEM DISCIPULI. Judas enim aut jam sese laqueo præfocaverat, ut omnium ferè auctorum fert opinio, aut certè spe omni salutis abjectâ laqueum cogitabat, neque ausus fuerat, postquàm Christum vendidisset, ad Apostolorum redire consortium. Oportebat enim Davidis impleri prophetiam : *Fiat habitatio ejus deserta, et episcopatum ejus accipiat alter*, Psal. 68, 26, ut Petrus, Act. 1, 20, interpretatur. Videat, si volet lector, quæ à nobis cap. 27, 5, dicta sunt.

ABIERUNT IN GALILÆAM. Non statim, sed post octo, ut minimùm, dies, ut D. August., lib. 3 de Consensu evang., c. 25, ex evangelistarum historiâ probat. Multa enim Matth. prætermittit, quæ ut alii testantur evangelistæ, per octo dies Apostolis adhuc Hierosolymæ convenientibus facta sunt. Quæ, ut, quo ordine acciderint, intelligantur, alienum non erit ab hoc loco quibus, et quo tempore Christus post resurrectionem apparuerit, obiter explicare. Primùm quidem matri suæ apparuisse, non quòd evangelistæ factum dicant; sed, quòd fieri decuerit, credendum est. Nec eorum mihi placet diligentia, qui in hâc opinione in animis ferè omnium Catholicorum jam inhærente refutandâ multùm operæ consumunt. Secundò, eodem die, quo resurrexit, apparuit Magdalenæ, aut soli, ut D. August. et plerique interpretes putant, aut, ut nos sumus interpretati, unà cum aliis mulieribus, quæ ad sepulcrum simul venerant, Joan. 20, 12. Tertiò, ut major pars sentit auctorum, omnibus mulieribus, quæ ad monumentum venerant, simul redeuntibus apparuit, quod eodem etiam die factum est. Quartò, eodem quoque die Petro creditur apparuisse; aut soli, ut putat Leo nonus in lib. contra Michaelem Constant., cap. 15, aut, ut vero simile est, etiam Joanni, cùm à sepulcro rediissent, ut colligitur ex Lucâ 24, 34 : *Surrexit Dominus verè, et apparuit Simoni*; et ex D. Paulo, 1 Cor. 15, 3, 4, 5 : *Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi; quoniam Christus mortuus est secundùm Scripturas pro peccatis nostris, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas, et quia visus est Cephæ.* Quintò, eodem rursùs die visus est duobus illis discipulis euntibus Emmaüntem, Luc. 24, 13. Sextò, eodem die sub vesperum decem discipulis, absente Thomâ, Hierosolymæ domi congregatis apparuit, Joan. 20, 19, unde sequitur eodem vespere, et cum duobus illis discipulis Emmaunti cœnâsse, ut Lucas scribit, et Hierosolymæ decem discipulis apparuisse. More enim spiritûs magna locorum spatia momento temporis permeabat. Hæ sex apparitiones eodem die, quo Christus resurrexit, acciderunt. Septimò, octo post dies undecim simul Apostolis præsente jam Thomâ in eâdem urbe Hierosolymorum apparuit, Joann. 20, 26, etsi Hieronymus in monte illo Galilææ, de quo Matthæus loquitur, hanc apparitionem factam putat, minùs, ut mihi videtur, probabiliter. Octavò, septem discipulis, Petro, Thomæ, duobus filiis Zebedæi, Nathanaeli, et aliis duobus, quos evangelistæ non nominant, piscantibus in mari Galilææ, visus est, Joan. 21, 1. Quare, quod ibidem Joan. dicit, vers. 14 : *Hoc jam tertiò manifestatus est Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis*, non sic intelligendum est, quasi ter tantùm priùs visus fuisset, cùm sæpiùs jam apparuisse, ut probavimus, manifestum sit : sed aut, ut D. Augustinus interpretatur, libro 3 de Consensu Evang., cap. 25, ut illud adverbium *tertiò* non ad numerum apparitionum, quasi tertiò tunc apparuerit, sed ad numerum dierum, quibus apparuit, referatur. Hâc enim ratione tertiò tunc apparuit. Primo enim die, quo resurrexerat, sexies apparuerat. Octo post diebus iterùm, nunc piscantibus discipulis tertiò apparuit. Aut, ut ego intelligi posse puto, ut Joannes non de quâvis apparitione, sed de publicâ, et generali loquatur, quâ Christus aut omnibus simul discipulis, aut plerisque omnibus visus est. Nam etsi privatim matri suæ, Magdalenæ, Petro, duobus discipulis

VERS. 16. — UNDECIM AUTEM DISCIPULI ABIERUNT IN GALILÆAM. Ea videtur solemnis apparitio, in quâ visus est plus quingentis fratribus, 1 Cor. 15, 6.

cuntibus Emauntem apparuerat, tamen omnibus aut plerisque simul discipulis non nisi bis ante apparuerat : primùm eodem die, quo resurrexerat absente Thomâ : secundò octo diebus post Thomâ jam præsente : tertiò hoc loco, cùm septem discipuli in mari Tiberiadis piscarentur. Nonò apparuit omnibus simul discipulis in monte Galilææ, ut hoc loco Matthæus ait. Atque hæc, ut Chrysost. existimat, ultima fuit ante ascensionem apparitio, cui Augustinus decimam addit eam, quâ discipulis in cœlum ascendens visus est. Ex D. Paulo, 1 Cor. 16, 6, 7, aliæ duæ apparitiones colligi posse mihi videntur. *Deindè*, inquit, *visus est, plus quàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhùc, quidam autem dormierunt. Deindè visus est Jacobo*, 1 Cor. 15, 8. Quibus si eam etiam addamus, quâ D. Paulus post ascensionem in cœlum sibi ἔκτρωτι ultimò *tanquam abortivo* visum esse dicit, tredecim omninò Christi apparitiones reperiemus.

In monte, ubi constituerat illis Dominus. Nihil de monte Christum mulieribus dixisse tradunt evangelistæ, neque constat an id mulieribus, an Apostolis dixerit ; dixisse tamen aliquando ex hoc loco perspicuum est, aut ante mortem, cùm illis dixit, postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam, supra, cap. 26, 32, ut putat Euthym., aut post resurrectionem, cùm Hierosolymæ discipulis apparuit, ut quidam existimant. Cur in montem discipulos ire jusserit, non difficilè suspicari possumus, volebat cum illis liberè, et sine arbitris loqui, quod quoties volebat facere, in montem eos seducebat, ut apparet supra, c. 14, 23 ; et 15, 29 ; et 17, 1, ut Euthym. admonuit. Quis ille fuerit mons, certum non est, hoc tantùm constat fuisse juxta mare Tiberiadis, qui et lacus Genesareth, et mare Galilææ appellabatur, cap. 14, 25, et 15, 29. Nam ex monte, ubi discipuli erant, ad mare illud quasi propinquum piscatum ibant, ut constat ex Joan., cap. 21, 2. Quapropter eorum opinio, qui putant eum fuisse montem, unde postea Christus in cœlum evectus est, vera esse non potest ; quia hic, ut Matthæus scribit, in Galilæâ erat, ille autem, unde in cœlum ascendit, mille, aut, ut alii volunt, bis mille passus ab urbe Hierosolymâ distabat, ut ex Actis, c. 1, 12 probatur. Alii eum montem fuisse existimant, in quo Christus transfiguratus fuerat, quem plerique Thaborium appellant, quâ de re diximus supra, cap. 17, 2.

Vers. 17. — Et videntes eum adoraverunt. Id est, adhibitâ extrinsecus adorationè crediderunt, confessique sunt non solùm Christum, sed verum etiam esse Deum, cùm de ejus jam resurrectione dubitare non possent. Dubitationi enim adorationem opponit, cùm statim addat, *quidam autem dubitaverunt*. Quibus in verbis queri solet, quomodò discipuli post tot tamque apertas visiones dubitaverint. Nonnulli non ex undecim discipulis, sed ex aliorum numero, qui discipuli etiam appellabantur, eos, qui dubitaverunt, fuisse putant ; cum eum post resurrectionem nunquam vidissent ; in quâ sententiâ Theophylactus est. Alii de illis ipsis apostolis, qui Christum adoraverunt, dictum existimant ; quidam autem dubitaverunt, non quòd eodem loco ac tempore, et adoraverint, et dubitaverint, sed quòd illi ipsi, qui nunc in monte adoraverant, priùs Hierosolymæ dubitâssent. Quam etiam interpretationem refert, et approbat Theophylactus. Sed dubium non est quin evangelista non solùm tempus à tempore, locum à loco, sed personas etiam à personis distinguere voluerit ; alios fuisse, qui credíderunt et adoraverunt, alios, qui dubitaverunt. Manifestum enim est non omnes dubitâsse. Non ergo eosdem et dubitâsse et adorâsse intelligit. Alii interpretantur nonnullos ex apostolis simul atque in monte viderunt Christum, adorabundos procidisse, alios cunctatos esse, ac substitisse, non quidem de Christi resurrectione, et divinitate dubitantes, sed an ille, quem videbant, quemque aliàs post resurrectionem sæpè viderant, Christus esset. In hâc sententiâ videntur esse Chrysost., homil. in Matth. 91, et Gregorius Nyssenus, orat. 2, de Resurrectione, et Juvencus et Euthym. in Comment. Alii, quod Matthæus dicit, *quidam autem dubitaverunt* non ad hanc visionem, quæ in monte Galilææ accidit, sed ad eam, quæ Hierosolymæ acciderat, cùm Thomas dubitavit, et cùm alii discipuli spiritum se videre putaverunt, Luc. 24, 37, et Joannis 20, 25, 27, referendum existimant, voluisse enim studentem brevitati Matthæum omnes visiones, quibus Christus discipulis apparuerat, unâ complecti, et quidquid in illis notatu dignum acciderat, indicare. Acciderat autem, ut nonnulli discipuli, maximèque Thomas dubitaret, ideò ergo dixit, *quidam autem dubitaverunt*, non quidem tunc in monte Galilææ, sed priùs Hierosolymæ. Dicet aliquis Hierosolymæ non solùm Thomam, et nonnullos alios, sed omnes omninò discipulos dubitavisse, putásseque spiritum se videre, Luc. 24, 37. Respondent qui hanc sequuntur interpretationem, valdè, ut mihi videtur probabiliter Lucam commoniter dixisse discipulos existimâsse se spiritum videre, non quòd omnes existimaverint, sed quòd aliqui, sicut dixit supra Matthæus, cap. 27, 44, latrones in Christum crucifixum jecisse convicia, quia unus latro jecerat. Hæc mihi placet sententia, ut Bedæ etiam, et Theophylacto placuisse video.

Vers. 18. — Et accedens Jesus. Sunt qui putant, hæc non tunc, sed postea in ultimâ demonstratione, quâ se Christus discipulis ostendit, cùm vellet in cœlum ascendere, accidisse, quod valdè mihi probabile videtur. Multa enim, cap. 21, à versu 15 usque ad finem, narrat Joannes à cæteris evangelistis prætermissa, quæ post montis Galilææ apparitionem, et antequàm hæc fierent, quæ nunc Matthæus scribit, contigerunt. Quòd Petrum Christus ter interrogaverit : *Simon diligis me plus his?* quòd illi pascendarum ovium suarum curam dederit ; quòd quâ morte moriturus esset, significaverit ; quòd Petrus de Joanne dixerit : *Hic autem quid?* Christus respondent : *Sic eum volo manere, donec veniam ; quid ad te? tu me sequere* ; quòd exierit *sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur* ; quæ omnia [in commentariis in Joannem explicabuntur.

Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Quod antequàm apostolis potestatem evangelii prædicandi tradat, datam sibi in cœlo et in terrâ omnem potestatem dicit, eò spectat, ut doceat se mihi sibi temerè arrogare, nihil illis dare, quod non habeat, et, ut vulgò loquuntur, suas illis quodammodò litteras patentes ostendit, quibus constet, quâ eos auctoritate apostolos creet, et tantam illis concedat potestatem. Illud durius videri potest, quòd sibi datam omnem potestatem dicat, cùm eam ipse per se habeat. Non præteribunt hoc negligenter Ariani, sed contra Christi divinitatem inter alia Scripturæ testimonia hoc etiam Catholicis objicíebant, quasi Deus esse non posset, cui potestas non innata, sed data esset, ut Athanas. in Orat. contra Arian., quòd Deus ex Deo sit verbum, et Cyrillus, libro 2 in Joannem, cap. 75, auctores sunt. Duobus modis veteres illi patres respondebant. Primùm datam sibi omnem potestatem dixisse Christum, quia, cùm homo factus est, eam cum naturâ humanâ accepisset, ut nobiscum communicaret. Itaque non tam sibi quàm nobis datam esse si-

ejus, in ipsâ Incarnatione, cùm Verbum caro factum est ; tum enim rex et sacerdos fuit constitutus. Sed executio utriusque potestatis in opportunum tempus dilata est. Atque hujus potestatis participes fecit apostolos, et ejus successores non regni temporalis, quod regnum Pilato dixit non esse de hoc mundo.

gnificare. Sic Athanasius. Deinde accepisse quidem potestatem, quatenùs homo erat, quam, quatenùs erat Deus, naturaliter habebat. Sic Gregorius Nyssenus, et Cyrillus Alexandrinus. Poterant sine ullâ absurditate concedere etiam, quatenùs Deus erat, potestatem omnem, sicut et naturam ipsam divinam à Patre per æternam generationem accepisse, ut iidem auctores illud interpretari solent : *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Luc. 10, 22. Hæc omnia verè quidem dicuntur, sed non satis meo quidem judicio ad hujus rei explicationem accommodatè. Loquitur enim hic non de quâlibet potestate, sed de eâ quam apostolis dabat, id est, de potestate regni sui spiritualis acquirendi, colligendique, quam ad rem apostolos mittebat. Et ita loquitur, quasi eam potestatem ante resurrectionem non habuerit, ut alio loco idem Athanas. annotavit. Nam tanquàm de re novâ dicit, *data est mihi omnis potestas, euntes ergo docete*, etc. Non ergo de eâ loquitur potestate, quam ut Deus, nec de eâ quam ut homo, sed de eâ, quam ut redemptor hominum habebat, quamque per mortem, et resurrectionem suam sibi compararverat. Quia enim omnes homines suo sanguine redemerat, jus habebat eos in regnum suum congregandi, et veluti subditos suos efficiendi. De eâ ergo loquitur potestate, de quâ ille, Psal. 2, 8, à Patre dictum est : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, et de quâ Psal. 109, 1 : *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, et de quâ per Isaiam, cap. 49, 6, 8, 9 : *Ecce dedìa te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Hæc dicit Dominus : In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui, et servavi te, et dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram, et possideres hæreditates dissipatas, ut diceres his qui vincti sunt, exite, et his, qui in tenebris revelamini*. De eâ loquitur potestate, de quâ Daniel, cap. 7, 13, 14 : *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum ; dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, et omnes populi, tribus, et linguæ servient ei : potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur*. De eâ denique loquitur potestate, de quâ apud Joannem, c. 16, 35, dicit : *Confidite, ego vici mundum*. Hanc sibi potestatem per mortem et resurrectionem suam datam esse dicit, quia eam meruit, *propter quod, inquit, exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum*, hoc est : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ*, quâ potestate ad propagandos regni sui fines apostolos mittit, ut rectissimè mihi videtur, libro 5, adversùs Eutychet. Vigilius interpretari. Quòd autem dicit *in cœlo et in terrâ*, propterea dicit, ut ubique se, quemadmodum significat D. Paulus, regnandi potestatem habere dicat, sed ex hoc ejus regno quædam pars, id est, eâ quæ in cœlo erat, jam penitùs acquisita, et pacata erat ; altera, quæ in terris, spirituali bello acquirenda, quam ad rem apostolos mittebat.

Vers. 19. — Euntes. Intelligit in universam terram, sicut dixerat, *data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ* ; ipse enim in cœlum, id est, in unam partem regni sui quæ jam pacata erat, ut in solio suo ad dexteram patris sederet, ascendebat ; apostolos in alteram partem, id est, in omnem terram mittebat, ut ad se omnes homines revocarent. Id Marcus, c. 16, 15, apertiùs dixit : *Euntes*, inquit, *in mundum universum*. Opponit autem universam terram Judæorum terminis, quibus ante, cap. 10, 5, apostolorum legationem definiverat : *In viam*, inquit, *gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis*. Tunc enim quasi hæreditario jure Judæorum rex esset, ad solos Judæos apostolos mittebat ; nunc per mortem et resurrectionem suam in omnes homines regnandi acquisito jure in totum orbem terrarum mittit, declarans nunc per mortem suam disruptam fuisse maceriam, quâ regnum suum intra Judæorum fines septum continebatur, ut ait D. Paulus ad Ephes. 2, 14, ideòque longiùs nunc esse regni sui limites proferendos, *à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum*, Psal. 71, 8, nec alios regni, id est, Ecclesiæ suæ, quàm orbis terræ fines futuros esse : priùs in Judæâ tantùm notum fuisse Deum, Psal. 75, 2, nunc ubique cognoscendum, *populus*, inquit, *quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obœdivit mihi*, Psal. 17, 44, 45. *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant, invenerunt, qui non quæsierunt me*, Isaiæ 65, 1, *et vocabo non plebem meam plebem meam*, Osee. 2, 23, ad Romanos 9, 25. Ergo quandoquidem à me missi estis, cui *data est omnis potestas in cœlo et in terrâ*, et à me vobiscum communicata (hanc enim emphasim habet hoc loco particula *ergo*. *Docete*, non humanam sapientiam, quia nihil est regno meo magis adversum ; *stultitia enim est apud Deum*, 1 Cor. 3, 19 ; sed divinam, quæ apud homines stultitia est ; docete crucem meam, *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam ; ipsis autem vocatis Judæis ac Græcis Dei virtutem et Dei sapientiam*, 1 Cor. 1, 23. Marcus, c. 16, 16, quid docturi essent exposuit, *prædicate*, inquit, *Evangelium omni creaturæ*. Hoc verbo non solùm nunc Anabaptistæ, eò insanius hæreticorum genus, quò magis sibi sapere videtur, sed etiam nonnulli antiqui bonique auctores abusi sunt, ut Tertullian., in lib. de Baptismo ; et Nicetas in Comment. in Orat. Gregorii Nazianzeni in sanctum baptisma, ut probarent baptismum infantibus, nisi mortis periculum immineret, dandum non esse, quòd Christus eos, qui baptizandi sint, priùs doceri jubeat, et infantes doceri non possint. Non animadverterunt Christum hoc loco non vetare baptizari eos qui doceri non possunt, sed tantùm jubere omnes, qui priùs docti fuerint, baptizari ; reliquos verò, qui nondùm doctrinæ capaces sunt, si salvos esse velimus, baptizari oportere non hic, sed alio loco docuit Joan. 3, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quapropter Calvinus, et ejus hæresis sectatores, qui cum Joannis locum non de baptismi sacramento, sed de fidei regenerationè intelligendum esse contendunt, nullo Scripturæ testimonio satis efficaci probare possunt infantes baptizari oportere. Et quidem cum Calvini de Pædobaptismo adversùs Anabaptistas librum lego, ridere soleo, videreque mihi videor hominem hæreticum, dùm suis, non Ecclesiæ armis adversùs alios hæreticos pugnare vult, turpiter in pugnâ succumbentem. Et absurdiùs et insolentiùs eodem verbo Calvinistarum interpretes abutuntur, neque Romanorum pontificem, neque ullum alium Ecclesiæ catholicæ episcopum apostolorum successorem dici posse, cùm apostoli ad docendum missi sint, ipsi non doceant. Quid Calvinistarum ministri? an apostolorum successores sunt? at illi quidem docent, sed, ut omnes qui SS. Trinitatis fidem profitentur ; idque invocato nomine Patris, etc. Quæ est forma apostolis usitata. Et ecce ego vobiscum sum, adest in Ecclesiâ perpetua successio et promissio quâ se adfuturum Ecclesiæ ad finem usque mundi pollicetur. Quæ promissio synagogæ nunquàm facta fuit. Promissio est absoluta, non ex conditione suspensa : hæc cùm ad fidei integritatem, tum ad vitæ sanctitatem pertinet, cùm utraque ad salutem sit necessaria.

Vers. 19 et 20. — Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes. Apostolicas functiones his verbis complectitur ; potestatem docendi non solùm quæ ad fidem, sed etiam quæ ad mores pertinent. Omnia quæcumque mandavi vobis, ut administrationem Sacramentorum, quorum primum et maximè necessarium est Baptismus. In nomine Patris, in virtute, efficaciâ, auctoritate, ut Marci 16 : *In nomine meo ejicient dæmonia*, Gr., ἐν τῷ ὀνόματί μου : in nomen Patris, adscribentes eorum numero : *Et incorporantes* eos

faciunt hæretici, apostolis contraria docent. Cæterùm, ut de doctrinæ genere nihil dicamus, quod nostrum omni antiquitate probatum, ipsorum omni antiquitate damnatum est, de hoc solùm disputamus loco. Objiciunt illi nobis, quòd episcopi nostri non doceant. Objicimus illis nos, quòd illi quidem doceant, sed ad docendum missi non fuerint, quemadmodùm apostoli missi sunt: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo et in terrâ. Euntes ergo docete.* Multò faciliùs nos probare possumus episcopos nostros docere, quàm illi se à Christo ad docendum missos esse. Nam non solùm episcopi nostri, sed ipsi etiam imperiti sacerdotes, quos isti molossi canes, canes mutos et non valentes latrare vocare solent, etiamsi nullum dicant verbum, meliùs tamen quàm illi docent, dùm venientes Calvinistas, et cæteros hæreticos insolentem novamque doctrinam afferentes digito demonstrant.

Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Doctrinæ baptismi conjungit sacramentum, non, ut Calvinus delirat, tanquàm acceptæ jam gratiæ sigillum, sed tanquàm doctrinæ fideique signaculum atque professionem. Βαπτίζειν Græcis aquâ mergere, lavare, abluere, et, ut Tertullianus solet vertere, tingere significat. Itaque ipsâ verbi proprietate sacramenti materia declaratur, aquâ baptismum confici debere, quemadmodùm Christus ipse apud Joannem, c. 3, 5, magis expressit: *Nisi*, inquit, *quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto.* Constat etiam apostolos nunquàm aliter quàm aquâ baptizâsse; propterea enim inter Christi et Joannis discipulos æmulatio nata est, quòd Christi discipuli, sicut Joannes faciebat, aquâ baptizarent, Joan. 3, 26. Philippus etiam eunuchum illum Candacis reginæ ita proculdubiò instituerat debere eos qui in Christum credidissent, aquâ baptizari. Cùm enim ad aquam quamdam pervenissent: *Ecce*, inquit eunuchus, *aqua; quis prohibet me baptizari?* Act. 8, 36; et c. 10, 46, 47: *Respondit Petrus, Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos?* Id ex figuris etiam per apostolos declaratis manifestum est. Scribit Paulus, 1 Cor. 10, 2, patres veteris Testamenti in mari baptizatos esse. Scribit D. Petrus, 1 Epist., c. 3, 21, sicut in diluvio per aquam octo animæ liberatæ sunt, ita nunc similis formæ baptismum multos homines liberare. Unde colligitur, quemadmodùm mare et diluvium aquâ constabat, ita baptismum aquâ perfici debere. Hinc Seleuci et Hermiæ hæresis refutatur, qui, ut lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, c. 59, auctor est August., sine aquâ baptizandum putabant, quòd ubique cùm Joannis baptismus cum baptismo Christi comparatur, ille aquâ, hic Spiritu sancto et igne perfici dicatur: *Ego*, inquit, *baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*, Matth. 3, 11, Marci 1, 8, Luc. 3, 16, Joan. 1, 26, 33, Act. 11, 16. Audivi ego meis auribus Calvinianum ministrum similia dicentem, nostramque ridentem, ut ille vocat, simplicitatem et ignorantiam, quòd crederemus baptismum necessariò debere aquâ constare. Non enim, inquiebat, magis aquâ quàm igne constare debet, cùm pluribus locis Christus igne quàm aquâ baptizaturus dicatur. Sic isti boni doctores Scripturam interpretantur. Cùm ergo Christi baptismus baptismo Joannis opponitur, et Joannes aquâ, Christus igne et Spiritu sancto baptizare dicitur, non est sensus Christum aquâ baptizaturum non esse, sed non solâ aquâ baptizaturum, ut Joannes baptizabat, sed præter aquam, quæ extrinsecùs adhibetur, Spiritum sanctum intrinsecùs effusurum esse, qui immisso specie linguarum igne significatur, ut die Pentecostes factum est, quemadmodùm Damascenus, lib. 4 de Fide orthod., c. 10, interpretatur. Quare ex his locis tantùm abest ut colligatur baptismum aquâ constare non oportere, ut alter potiùs Calvinistarum error indè manifestissimè refutetur, quòd inter Joannis et Christi baptismum nihil discriminis esse dicant; sed contra hunc errorem, c. 3, 11, copiosè disputavimus. Forma quoque baptismi præscribitur his verbis. Nam licèt ex hoc loco, si quis subtiliter et pertinaciter tergiversari velit, satis apertè probari non possit hanc, quâ utimur, baptismi formam esse oportere: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, tamen Ecclesiæ traditione verborum sensum interpretante probatur. Sic enim semper Ecclesiam baptizâsse inde perspicuum est, quòd quicumque aliâ usi sunt formâ, ab Ecclesiâ damnati sunt. Excommunicantur can. apost. 49 omnes episcopi et presbyteri, qui aliter quàm in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti baptizaverint. Judicati sunt Marcionistæ verum non dare baptismum, quòd hâc formâ non uterentur, apud Irenæum, lib. 1, c. 13, et apud Epiphanium, hæres. 34. Propterea Paulianistarum baptismus in concilio Nicæno, can. 19, damnatus est, quia hâc verborum formâ non utebantur, ut ex concilio VI Carthag., can. 19, et ex Innocentio I, epistolâ 22, cap. 5, colligitur. Hâc ergo ratione omnes argutiæ quibus horum verborum sensus deludi potest, refellendæ sunt, ut si quis dicat sensum non esse: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, id est, invocato aut appellato nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; sed baptizantes eos auctoritate Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, quemadmodùm multis locis baptismum in nomine Christi datum legimus, non quòd, qui baptizabat, diceret: Ego te baptizo in nomine Christi, sed quòd Christi auctoritate baptizaret, ut alio loco dicturi sumus; præterea, si quis dicat, non sequi ex loco debere eum qui baptizat, dicere: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; id enim Christus non dicit, sed satis esse, si aquam fundat, et dicat: In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti; denique si quis argumentetur posse hæc verba per disjunctionem intelligi, ut sensus sit: baptizantes eos in nomine Patris, vel Filii, vel Spiritûs sancti, quam interpretationem videtur eventus probare posse; sæpè enim in nomine solius Christi datum ab apostolis fuisse baptismum, multi graves auctores sunt; istas, inquam, omnes subtilitates una Ecclesiæ traditio, optima sacrarum Litterarum interpres omninò dissipat. Nec enim disputamus quomodò hæc verba intelligi possint, sed quomodò debeant. Debent autem eo intelligi sensu, quo à Christo dicta sunt, non quem sibi quisque animo finxerit. Hoc autem à Christo sensu dicta fuisse, ut apostoli, cùm baptizarent, dicerent: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, usu, et traditione constat Ecclesiæ, quæ his semper aut idem significantibus verbis baptizavit. Quomodò autem apostoli aliquando in nomine Christi baptizâsse dicantur, Act. 2, 38, loco magis idoneo disputabimus. Potest meritò quæri cur Christus voluerit hâc formâ dari baptismum. Multæ rationes ejus rei afferri possunt: prima, ut declararet undè vim baptismus haberet, nimirùm ex Patre, qui Filium suum misit, ut pro hominibus moreretur; ex Filio, qui baptismum instituit, et suo quodammodò sanguine irrigavit, et fertilem, uberem, efficacem effecit; ex Spiritu sancto, qui sicut aqua extrinsecùs corpora, ita ipse intrinsecùs animos sanctificando lavat. Secunda, ne, qui baptizabantur, humanum tantùm aliquid se recipere putarent, et non solùm homines dicendo: *Ego sum Pauli, ego Apollo*, 1 Cor. 1, 12, sed Deum ipsum quodammodò dividerent dicentes: Ego sum Patris; ego sum Filii; ego sum Spiritûs sancti, si in unius tantùm personæ nomine baptizarentur. Tertiam rationem Fulgentius adducit in lib. de Fide orthodoxâ ad Donatum, ut homines eumdem regenerationis suæ auctorem esse intelligerent, qui generationis auctor fuerat, Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Sensus ergo verborum est: Baptizantes eos non vestro nomine, sed nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, id est, declarantes atque testantes id quod facitis non vestrâ, sed Dei Patris, et Filii, et Spiritûs sancti personâ facere, ne vester, sed Dei baptismus esse credatur; sicut de bapti-

smo Joannis innumeris locis scribit Augustinus, propterea Joannis baptismum vocatum fuisse, quòd suo nomine atque personâ, licèt aut jussu, aut instinctu Dei, non autem Dei personâ baptizaret. Itaque hæc verba: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*, non tantùm ad verbum baptizantes, sed etiam ad eos qui baptizant, referenda sunt. Porrò ex hoc loco rectè veteres auctores Trinitatis mysterium probaverunt; hinc ab illis Sabelliani refutati, qui ex hoc etiam loco suum errorem confirmare conabantur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unam tantùm esse personam, quòd Christus non dixerit: Baptizantes eos in nominibus, sed *in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti*. Refellit eos D. Basilius, epistolâ 64, hinc potiùs colligi tres esse personas, unam naturam, quia cùm Pater, Filius et Spiritus sanctus, ut tres distinctæ personæ nominentur, unum tamen illis divinitatis nomen, una auctoritas sit. Hinc alii adversùs Arianos Patres, Filii et Spiritûs sancti divinitatem, æqualitatemque probaverunt; nec enim nos in nomine ullius creaturæ baptizari. Sic Athanas., serm. 3 contra Arianos, et in Orat. de æternâ substantiâ Filii et Spiritûs sancti, contra Sabellii gregales, et in Orat. in hoc dictum: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, Luc. 10, 22, et in Disputatione contra Arium in concilio Nicæno habitâ, et in Epistolâ ad Serapionem contra eos qui dicebant Spiritum sanctum esse creaturam, et in Professione regulæ catholicæ, et Hilarius, libro 2 de Trinitate, et Gregorius Nazianzenus, in Oratione habitâ coram centum quinquaginta episcopis, et oratione 5 de Theolog., et Ambros., lib. 1 de Spiritu sancto, cap. 14, et Didymus, lib. 2 de Spiritu sancto, et Theodoretus, lib. 5 hæreticarum Fabularum, c. de Spiritu sancto, et Fulgent., in lib. contra objectiones Arianorum, et lib. Fide de orthodoxâ ad Donatum, et libro de Incarnatione et Gratiâ Domini nostri Jesu Christi, c. 9. Marcus addit ad hæc verba, cap. 16, 16, 17: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient*, etc., utrâque re baptismi effectum significans. Salvos enim nos facit non sola fides, sed etiam baptismus, ut D. Petrus scribit 1 Epist. 3, 21. Quod autem dicit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*, non solùm, qui crediderint intelligit, sed etiam qui baptizati fuerint. Nam qui credebant, antequàm baptizarentur, hujusmodi miracula facere non solebant; cujus rei in Actis Apost., c. 19, 6, illustrissimum exemplum est. Nec ita intelligendum, quasi omnes qui baptizarentur, hæc miracula facturi essent; sed quia multi facturi erant, et ii non solùm suo, sed aliorum etiam nomine et commodo facturi, ut et sua, et ipsorum fides corroboraretur, generaliter loquitur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*. Neque semper ea signa secutura esse intelligit; sed cùm ad fidei confirmationem erit necessarium, quasi dicat: Eorum qui crediderint, fides miraculis confirmabitur.

Vers. 20. — Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Post fidem et baptismum præceptorum observationem adjungit, indicans, neque fidem, neque baptismum ad salutem satis esse, nisi Dei etiam præcepta servemus, ut hoc loco Theophylactus observavit.

Et ecce ego vobiscum sum. Mittebat ad docendum, quasi ad pugnam cum universo terrarum orbe suscipiendam, apostolos; verendum erat ne tanti operis mole, et futurorum periculorum prævisione desponderent animos. Jubet eos forti animo esse, et contra omnia pericula confidenter obsistere, se illis affuturum esse, et quidem non serò, sed opportunè. Hanc vim habent duæ illæ dictiones *Ecce*, et, *ego*. Nam *ecce* præsens, et opportunum significat tempus, quasi dicat: simul atque opus erit, vobis adero improvisus, et ut in proverbio est, Deus è machinâ. Dictio autem *ego* significat eum qui eos ex omnibus periculis liberare possit: quemadmodùm si pugnanti militi dux dicat: Bono fortique animo esto, ecce ego tibi opem fero, ut Joan. 16, 33, discipulis dicit: *Confidite, ego vici mundum.* Ego igitur vobiscum sum, qui mundum vici, contra quem vos pugnaturi estis; ego vobiscum sum contra quem princeps hujus mundi non habet quidquam, Joan. 14, 30; ego vobiscum sum, cui pater promisit fore ut poneret omnes inimicos meos scabellum pedum meorum, Psal. 109, 2. Variant veterum auctorum de hujus loci interpretatione sententiæ: quidam Christum non de humanâ, sed de divinâ naturâ loqui putant, quâ ubique præsens est, ut D. August., tract. in Joan. 60, et Fulgentius, lib. 3 contra Thrasymundum, et libro de Incarnatione et Gratiâ Domini nostri Jesu Christi, c. 9. At aliquid minùs generale Apostolis Christum promittere manifestum est. Aliter enim cum illis, quàm cum cæteris rebus, quàmque cum cæteris hominibus se futurum significat. Alii ergo de divinâ Providentiâ interpretati sunt, per quam Deus, hominibus magis quàm rebus mutis, et inter homines justis potiùs, quàm injustis adesse dicitur. Itaque significare Christum se, etiam si discedat, tamen cum illis futurum esse, quia Spiritum sanctum suo loco missurus erat, ut eos omnem veritatem doceret; ut eos dirigeret ac gubernaret, quemadmodùm Joannis 14, 18, dixerat: *Non relinquam vos orphanos.* Ad hunc modum Cyrillus Alexandrinus, lib. 7 de Trinitate, et Salvianus, l. 2 de vero Judicio et Providentiâ Dei, et Leo, epist. 51 et 92 interpretantur. Quæ omnia vera quidem sunt, cæterùm non tantùm, quid verum sit, sed quid ad sensum hujus loci maximè accommodatum, quærimus. Fateor Christum, quatenùs Deus est, ubique esse, sed aliam hîc præsentiam suam apostolis pollicetur; fateor Christum misso Spiritu sancto Ecclesiam usque ad consummationem seculi gubernaturum, idque hoc loco colligi non nego, quemadmodùm illi, quos modò nominavimus, auctores rectè collegerunt, sed non quærimus, quid ex eo, quod Christus dixit, colligatur, sed quid dicere voluerit. Optimè mihi Chrysost., hom. in Matth. 91; D. Hieron. in epist. ad Damasum; Prosper, libro 2, de Vocatione gentium, cap. 2; Beda, et Euthym., hoc loco, videntur exposuisse, ut Christus non solùm de divinâ sed de humanâ etiam præsentiâ loquatur; non quòd, quatenùs homo est, corpore cum apostolis futurus esset præsens: sed quòd favorem et auxilium suum præsentiam appellet, quod non solùm, quatenùs Deus, sed etiam, quatenùs homo, apostolis præstiturus erat. Dicitur enim cum illis futurus esse, quia auxilio illis omnibus in rebus futurus erat; sicut Deus dicitur cum Joseph fuisse, et cum eo in foveam descendisse, quia illi etiam in carcere opem tulit, *venditum*, inquit, Sap. 10, 13, *justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditque cum eo in foveam*; et Act. 7, 9: *Et patriarchæ æmulantes Joseph vendiderunt in Ægyptum, et erat Deus cum eo*; et ut Psal. 33, 20 dicitur: *Multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus*; et ut 2 epist. ad Timoth. 3, 11 scribit D. Paulus Deum se ex omnibus persequentibus eripuisse, et ut Christus cum Stephano fuit, cùm lapidaretur, quia cum in cœlo stantem, et quasi manum porrigentem, auxiliumque ferentem Stephanus vidit, Act. 7, 56, et quomadmodùm Deus Jeremiæ prophetæ officium recusanti dicit: *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus*, Jeremiæ 1, 8, et ut Ezechieli dicit, c. 3, 8, 9: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem, et ut silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum*, id est, fortes quidem illi sunt, sed ego te fortiorem faciam, hoc est: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, missis enim ad pugnam auxilium promittit, et, ut ait Prosper, *cum sicut oves introieritis in medium luporum, nolite de vestrâ infirmitate trepidare, sed de meâ potestate confidite, qui vos usque ad consummationem seculi in omni hoc opere non derelinquam; non ad hoc, ut nihil patiamini, sed, quod multò majus est, præstiturus, ut nullâ sævien-*

tium crudelitate superemini. In meâ enim potestate præ-dicobitis, et per me fiet, ut inter contradicentes, inter furentes Abrahæ filii de lapidibus suscitentur; ego insuuabo, quod docui; ego faciam, quod promisi. Denique quemadmodum, cùm ad prædicandum Judæis Evangelium apostolos mitteret, præsentiam illis et auxilium Spiritûs sancti promisit, cap. 10, 19, 20: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; ita nunc ad docendas omnes gentes missis suam præsentiam, ac auxilium pollicetur.

USQUE AD CONSUMMATIONEM SECULI. Indicat se non cum solis apostolis, sed cum omnibus, qui in eorum locum successuri erant, loqui, quos etiam apostolos futuros esse significat. Nec enim undecim illi, quibuscum loquebatur, usque ad consummationem sæculi victuri erant, ut D. August., lib. 6 de Genesi ad litteram, cap. 8. Theophylact., in hujus loci comment., annotaverunt. Melius, quàm Hieronymus, qui his verbis significari putat apostolos usque ad consummationem sæculi victuros esse, quia etiamsi corpore mortui sunt, semper animo vivunt. Cœterùm non promittit Christus se illis in cœlo, ubi opus non est, sed in terrâ, in pulvere, in arenâ, in certamine afuturum. Illud D. Hieronymus adversùs Helvidium, et Gregorius Nazianz. orat. 4, de Theologiâ rectè monuerunt, præpositionem illam *usque* non excludere tempus, quod post consummationem sæculi futurum est, quasi significet Christus post sæculi consummationem se cum illis futurum non esse. Quâ de re, cap. 1, 25, disputavimus. Atque hâc ratione ineptè quædam recentiorum Hebræorum argutiæ refelluntur. Non enim dicitur, nisi quod dubium esse poterat. Dubium non erat, quin post consummationem sæculi Christus cum apostolis suis in regno suo futurus esset; an autem in certamine cum illis futurus esset, de eo poterat dubitari; sicut Psal. 109, 1, Pater dicit Filio: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, non enim significat, postquàm ejus inimici subjecti fuerint, ad dexteram Patris sessurum non esse: quin tunc magis quodammodò sedebit, quia magis ejus gloria, majestasque demonstrabitur. Quanquàm si ea interpretatio, quam modò adhibuimus, vera est, nihil absurdi sequitur, si dicamus eâ dictione *usque* sequeas tempus excludi. Nam eo modo, quo se Christus cum apostolis usque ad consummationem sæculi futurum dicit, id est, pugnantes adjuvando, post sæculi consummationem, quia non pugnabunt, sed regnabunt, cum illis non erit. Erit autem alio modo, quia edent, et bibent super mensam ejus in regno ipsius, Luc 22, 30.

INDEX RERUM.

ARNALDI VITA. 9-10
HISTORIA ET CONCORDIA EVANGELICA. 11-22
PRÆFATIO. *Ibid.*
Articulus primus. Quantùm conferat ad Evangelii intelligentiam evangelica concordia, et quanta sit evangelicæ historiæ dignitas. *Ibid.*
Art. II. De optimâ harmoniâ evangelicas contexendi ratione; quòdque in iis Evangelistarum textus sine piaculo transponi possit. *Ibid.*
Art. III. Refelluntur qui temporis ordinem ab omnibus Evangelistis ubique servatum esse contendunt. 15
Art. IV. De iis qui cùm agnoscant ab Evangelistis multa præter ordinem posita, religioni tamen ducunt in concordiis suis transpositione uti. 14
Art. V. Cùm eadem res à pluribus Evangelistis narratur, eorum verba inter se misceri debere, ut plena et cohærens historia habeatur. *Ibid.*
Art. VI. De Concordiâ evangelicâ Joannis Rubi, cujus primus auctor quoad ordinem rerum gestarum Cornelius Jansenius, episcopus Gandavensis. 15
Art. VII. De utilitate et ordine hujus Concordiæ, quem ex Joanne Rubo depromptum secuti sumus. 16
Art. VIII. Quid in hâc Concordiâ supra Jansenii Gandavensis et Joannis Rubi Concordias præstitum sit. 17
Art. IX. De annis Christi qui cum annis æræ vulgaris non confundendi. *Ibid.*
Art. X. Lateculum variarum sententiarum de anno Christi natalitio. 18
Art. XI. De tempore prædicationis Christi. 19
Art. XII. Cohortatio ad christianum lectorem, ut evangelicam historiam eo quo par est spiritu ac proposito perlegat. *Ibid.*
DE AUCTORITATE, NUMERO SCRIPTIS ET CONCORDIA EVANGELISTARUM. Excerpta ex quatuor Augustini libris de eorumdem Evangelistarum consensu. Quibus adjunctus est locus unus Hieronymi, et alter Chrysostomi. 19-20
Articulus primus. Auctoritas Evangeliorum. Cur duo ex Evangelistis discipuli tantùm, non apostoli. 21
Art. II. Ordo, dignitas, stylus Evangelistarum. Alius alia præcipuè persecutus est. 22
Art. III. Christus simul rex et sacerdos. Lucas sacerdotium ejus maximè designavit. 25
Art. IV. Tres primi Evangelistæ humanitatem Christi, Joannes divinitatem præcipuè commendavit. *Ibid.*
Art. V. In tribus prioribus Evangelistis activa, in Joanne contemplativa vita exprimitur. 24
Art. VI. Proponitur et solvitur objectio ethnicorum, discipulos tantùm Christi, non Christum ipsum de seipso scripsisse. *Ibid.*
Art. VII. Christum ipsum de seipso scripsisse, quoniam ad scribendum Evangelium Evangelistas quasi manus suas adhibuit. 25
Art. VIII. Deus ita mentem et recordationem Evangelistarum gubernavit, ut per ea quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, multi ad eligendum pium intellectum exercerentur. 26
Art. IX. Evangelistarum quisque quædam omittit, ut tanquàm nihil prætermittentis series digesta videatur. *Ibid.*
Art. X. Non dissentire Evangelistas, etiamsi eadem non iisdem verbis efferant. 27
Art. XI. Unde factum sit, quod Evangelistæ ordine et modo narrandi, salvâ tamen rerum concordiâ, inter se discrepent. 28
Art. XII. Quomodò ex difficultatibus manifestè solutis ab ipso Evangelio, nobis similium solutionum in locis obscurioribus excogitandarum aditus detur. *Ibid.*
Art. XIII. Idem altero exemplo probatur. 29
Art. XIV. De Evangelii Joannis præ cæteris altitudine. *Ibid.*
Art. XV. De corde per contemplationem et humilitatem emundando præclara ex Augustino, quibus quartum et postremum de Evangelistarum Consensu librum claudit Augustinus. 50
Art. XVI. Pseudo-Evangelistæ. Evangelistarum ordo, stylus, figuræ. 51
Art. XVII. Cur Evangelista non unus, sed multi. Hinc maximè Evangeliorum veritatem elucescere. 55
PROŒMIUM EX LUCA. *Ibid.*
Caput primum. Verbum Dei æternum caro factum. *Ibid.*
Cap. II. Annuntiatio et conceptio Joannis. 55
Cap. III. Annuntiatio et incarnatio Christi. 56
Cap. IV. Visitatio. Canticum Mariæ. *Ibid.*

Cap. V. Nativitas Joannis. 57
Cap. VI. Genealogia Christi. 58
Cap. VII. Joseph admonitus de generatione Christi. *Ibid.*
Cap. VIII. Nativitas Christi. 59
Cap. IX. Epiphania. 40
Cap. X. Purificatio. *Ibid.*
Cap. XI. Fuga in Ægyptum. 41
Cap. XII. Inventio Jesu in templo. 42
Cap. XIII. Joannes in deserto. 45
Cap. XIV. Baptismus Christi, et genealogia ex Lucâ. 45
Cap. XV. Jejunium et tentatio. 47
Cap. XVI. Testimonia Joannis de Christo. 48
Cap. XVII. Discipuli primùm à Christo vocati. 49
Cap. XVIII. Nuptiæ Cana. 50
Cap. XIX. (Primum pascha.) Ejecti vendentes. Templum solvendum. 51
Cap. XX. Colloquium cum Nicodemo. 52
Cap. XXI. Quartum testimonium Joannis de Christo. 55
Cap. XXII. Incarceratio Joannis. *Ibid.*
Cap. XXIII. Secessus è Judæâ Samaritanâ 54
Cap. XXIV. Ingressus in Galilæam. Prædicatio. Fama. 56
Cap. XXV. Filius reguli. 57
Cap. XXVI. Vocatio Petri et Andreæ, Jacobi et Joannis. *Ibid.*
Cap. XXVII. Ingressus Capharnaum. Doctrina. Spiritus immundus. 59
Cap. XXVIII. Socrus Simonis. Omnes malè habentes. 60
Cap. XXIX. Ingressus in desertum. Prima peragratio Galilææ. 61
Cap. XXX. Reprehensio trium. 62
Cap. XXXI. Tempestas sedata. *Ibid.*
Cap. XXXII. Legio dæmonum. Porci submersi. 64
Cap. XXXIII. Paralyticus. 67
Cap. XXXIV. Matthæi vocatio. Peccatores. Jejunium. 69
Cap. XXXV. Jairus. Hemorrhoissa. 72
Cap. XXXVI. Duo cæci. Dæmoniacus. 75
Cap. XXXVII. (Secundum pascha.) Probatica piscina. 76
Cap. XXXVIII. Confricatio spinarum in sabbato. 78
Cap. XXXIX. Manus arida. 79
Cap. XL. Electio duodecim apostolorum. Sermo in monte. 81
Cap. XLI Prima continuatio sermonis in monte. 84
Cap. XLII. Secunda continuatio sermonis in monte. 86
Cap. XLIII. Tertia continuatio sermonis in monte. 88
Cap. XLIV. Leprosus. 91
Cap. XLV. Servus centurionis. 92
Cap. XLVI. Filius viduæ suscitatus. 95
Cap. XLVII. Legatio Joannis ad Christum. *Ibid.*
Cap. XLVIII. Peccatrix ungens Christum. 96
Cap. XLIX. Secundus dæmoniacus cæcus et mutus. 97
Cap. L. Exclamatio mulieris. Mater et fratres Christi. 101
Cap. LI. Parabola seminantis. 102
Cap. LII. Parabolæ variæ. 106
Cap. LIII. Expositio zizaniorum. Aliæ parabolæ. 108
Cap. LIV. Prædicatio in Synagogâ Nazareth. 109
Cap. LV. Decollatio Joannis. 111
Cap. LVI. Secunda peragratio Galilææ. Missio apostolorum. *Ibid.*
Cap. LVII. Fama Jesu. Quinque panes. 115
Cap. LVIII. (Tertium pascha.) Jesus ambulans super mare. 119
Cap. LIX. Sermo de cibo cœlesti. 121
Cap. LX. Illotæ manus. 125
Cap. LXI. Chananæa. 126
Cap. LXII. Surdus et mutus, ac multi alii. 127
Cap. LXIII. Septem panes. *Ibid.*
Cap. LXIV. Signum de cœlo. Fermentum Phariseorum. 128
Cap. LXV. Cæcus in Bethsaidâ. 129
Cap. LXVI. Confessio Petri. Ejusdem correptio. 150
Cap. LXVII. Transfiguratio. 155
Cap. LXVIII. Dæmoniacus lunaticus et mutus. 155
Cap. LXIX. Prædictio mortis. Didrachma. 157
Cap. LXX. Quis major. Scandalum. 158
Cap. LXXI. Correptio fraterna. Claves. Condonandum. 140
Cap. LXXII. Recessu è Galilæâ. 142
Cap. LXXIII. Decem leprosi. *Ibid.*
Cap. LXXIV. Scenopegia. 145
Cap. LXXV. Mulier adultera. 144
Cap. LXXVI. Altera prædicatio Christi in templo. 145
Cap. LXXVII. Cæcus natus. 147
Cap. LXXVIII. Verus Pastor. 148
Cap. LXXIX. Missio septuaginta. 149
Cap. LXXX. Samaritanus. 154
Cap. LXXXI. Martha et Maria. 152
Cap. LXXXII. Oratio. *Ibid.*
Cap. LXXXIII. Væ in Pharisæos et legisperitos. 155
Cap. LXXXIV. Mors non timenda. 155
Cap. LXXXV. Sollicitudo divitiorum. 156
Cap. LXXXVI. Bonus et malus servus. 157
Cap. LXXXVII. Pœnitentia agenda. 158
Cap. LXXXVIII. Mulier inclinata. 159
Cap. LXXXIX. Encænia. *Ibid.*
Cap. XC. Pauci salvi. 160
Cap. XCI. Hydropicus. Humilitas. Pauperes. Cœna magna. 162
Cap. XCII. Omnibus renuntiandum. 165
Cap. XCIII. Parabolæ ovis, drachmæ, filii prodigi. *Ibid.*
Cap. XCIV. Faciendi amici de mammonâ. 164
Cap. XCV. Matrimonii vinculum. 165
Cap. XCVI. Epulo et Lazarus. 166
Cap. XCVII. Adventus judicii. 167
Cap. XCVIII. Judex et vidua. 168
Cap. XCIX. Pharisæus et publicanus. *Ibid.*
Cap. C. Parvuli. 169
Cap. CI. Operarii vineæ. 172
Cap. CII. Lazarus suscitatus. 175
Cap. CIII. Concilium primum adversùs Jesum. 175
Cap. CIV. Prædictio mortis. Filii Zebedæi. 176
Cap. CV. Zachæus. 178
Cap. CVI. Decem minæ. *Ibid.*
Cap. CVII. Duo cæci propè Jericho. 179
Cap. CVIII. Secunda unctio pedum Christi. 181
Cap. CIX. Rami palmarum. 182
Cap. CX. Ejectio è templo. 185
Cap. CXI. Ficus arefacta. Fides. Oratio. 188
Cap. CXII. In quâ potestate. 189
Cap. CXIII. Parabolæ filiorum et vineæ. 190
Cap. CXIV. Invitati ad nuptias. 192
Cap. CXV. Quæ Cæsaris, Cæsari, quæ Dei, Deo. 194
Cap. CXVI. Sadducæi confutati. 195
Cap. CXVII. Magnum mandatum. 197
Cap. CXVIII. Christus cujus filius. 198
Cap. CXIX. Audiendi, non imitandi scribæ. 199
Cap. CXX. Duo minuta viduæ. 200
Cap. CXXI. Prædictio eversionis Jerusalem. *Ibid.*
Cap. CXXII. Ultimus adventus Christi. 204
Cap. CXXIII. Vigilandum. 206
Cap. CXXIV. Decem virgines. *Ibid.*
Cap. CXXV. Talenta. 207
Cap. CXXVI. Judicium. 208
Cap. CXXVII. Secundum concilium adversùs Jesum. 209
Cap. CXXVIII. (Quartum pascha.) Cœna paschalis. 210
Cap. CXXIX. Lotio pedum. 212
Cap. CXXX. Eucharistia. *Ibid.*

tium crudelitate superemini. In meâ enim potestate præ-dicobitis, et per me fiet, ut inter contradicentes, inter furentes Abrahæ filii de lapidibus suscitentur; ego insuuabo, quod docui; ego faciam, quod promisi. Denique quemadmodum, cùm ad prædicandum Judæis Evangelium apostolos mitteret, præsentiam illis et auxilium Spiritûs sancti promisit, cap. 10, 19, 20: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*; ita nunc ad docendas omnes gentes missis suam præsentiam, ac auxilium pollicetur.

USQUE AD CONSUMMATIONEM SECULI. Indicat se non cum solis apostolis, sed cum omnibus, qui in eorum locum successuri erant, loqui, quos etiam apostolos futuros esse significat. Nec enim undecim illi, quibuscum loquebatur, usque ad consummationem sæculi victuri erant, ut D. August., lib. 6 de Genesi ad litteram, cap. 8. Theophylact., in hujus loci comment., annotaverunt. Melius, quàm Hieronymus, qui his verbis significari putat apostolos usque ad consummationem sæculi victuros esse, quia etiamsi corpore mortui sunt, semper animo vivunt. Cœterùm non promittit Christus se illis in cœlo, ubi opus non est, sed in terrâ, in pulvere, in arenâ, in certamine afuturum. Illud D. Hieronymus adversùs Helvidium, et Gregorius Nazianz. orat. 4, de Theologiâ rectè monuerunt, præpositionem illam *usque* non excludere tempus, quod post consummationem sæculi futurum est, quasi significet Christus post sæculi consummationem se cum illis futurum non esse. Quâ de re, cap. 1, 25, disputavimus. Atque hâc ratione ineptè quædam recentiorum Hebræorum argutiæ refelluntur. Non enim dicitur, nisi quod dubium esse poterat. Dubium non erat, quin post consummationem sæculi Christus cum apostolis suis in regno suo futurus esset; an autem in certamine cum illis futurus esset, de eo poterat dubitari; sicut Psal. 109, 1, Pater dicit Filio: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, non enim significat, postquàm ejus inimici subjecti fuerint, ad dexteram Patris sessurum non esse: quin tunc magis quodammodò sedebit, quia magis ejus gloria, majestasque demonstrabitur. Quanquàm si ea interpretatio, quam modò adhibuimus, vera est, nihil absurdi sequitur, si dicamus eâ dictione *usque* sequeas tempus excludi. Nam eo modo, quo se Christus cum apostolis usque ad consummationem sæculi futurum dicit, id est, pugnantes adjuvando, post sæculi consummationem, quia non pugnabunt, sed regnabunt, cum illis non erit. Erit autem alio modo, quia edent, et bibent super mensam ejus in regno ipsius, Luc 22, 30.

INDEX RERUM.

ARNALDI VITA. 9-10
HISTORIA ET CONCORDIA EVANGELICA. 11-22
PRÆFATIO. *Ibid.*
Articulus primus. Quantùm conferat ad Evangelii intelligentiam evangelica concordia, et quanta sit evangelicæ historiæ dignitas. *Ibid.*
Art. II. De optimâ harmoniâ evangelicas contexendi ratione; quòdque in iis Evangelistarum textus sine piaculo transponi possit. *Ibid.*
Art. III. Refelluntur qui temporis ordinem ab omnibus Evangelistis ubique servatum esse contendunt. 15
Art. IV. De iis qui cùm agnoscant ab Evangelistis multa præter ordinem posita, religioni tamen ducunt in concordiis suis transpositione uti. 14
Art. V. Cùm eadem res à pluribus Evangelistis narratur, eorum verba inter se misceri debere, ut plena et cohærens historia habeatur. *Ibid.*
Art. VI. De Concordiâ evangelicâ Joannis Rubi, cujus primus auctor quoad ordinem rerum gestarum Cornelius Jansenius, episcopus Gandavensis. 15
Art. VII. De utilitate et ordine hujus Concordiæ, quem ex Joanne Rubo depromptum secuti sumus. 16
Art. VIII. Quid in hâc Concordiâ supra Jansenii Gandavensis et Joannis Rubi Concordias præstitum sit. 17
Art. IX. De annis Christi qui cum annis æræ vulgaris non confundendi. *Ibid.*
Art. X. Lateculum variarum sententiarum de anno Christi natalitio. 18
Art. XI. De tempore prædicationis Christi. 19
Art. XII. Cohortatio ad christianum lectorem, ut evangelicam historiam eo quo par est spiritu ac proposito perlegat. *Ibid.*
DE AUCTORITATE, NUMERO SCRIPTIS ET CONCORDIA EVANGELISTARUM. Excerpta ex quatuor Augustini libris de eorumdem Evangelistarum consensu. Quibus adjunctus est locus unus Hieronymi, et alter Chrysostomi. 19-20
Articulus primus. Auctoritas Evangeliorum. Cur duo ex Evangelistis discipuli tantùm, non apostoli. 21
Art. II. Ordo, dignitas, stylus Evangelistarum. Alius alia præcipuè persecutus est. 22
Art. III. Christus simul rex et sacerdos. Lucas sacerdotium ejus maximè designavit. 25
Art. IV. Tres primi Evangelistæ humanitatem Christi, Joannes divinitatem præcipuè commendavit. *Ibid.*
Art. V. In tribus prioribus Evangelistis activa, in Joanne contemplativa vita exprimitur. 24
Art. VI. Proponitur et solvitur objectio ethnicorum, discipulos tantùm Christi, non Christum ipsum de seipso scripsisse. *Ibid.*
Art. VII. Christum ipsum de seipso scripsisse, quoniam ad scribendum Evangelium Evangelistas quasi manus suas adhibuit. 25
Art. VIII. Deus ita mentem et recordationem Evangelistarum gubernavit, ut per ea quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, multi ad eligendum pium intellectum exercerentur. 26
Art. IX. Evangelistarum quisque quædam omittit, ut tanquàm nihil prætermittentis series digesta videatur. *Ibid.*
Art. X. Non dissentire Evangelistas, etiamsi eadem non iisdem verbis efferant. 27
Art. XI. Unde factum sit, quod Evangelistæ ordine et modo narrandi, salvâ tamen rerum concordiâ, inter se discrepent. 28
Art. XII. Quomodò ex difficultatibus manifestè solutis ab ipso Evangelio, nobis similium solutionum in locis obscurioribus excogitandarum aditus detur. *Ibid.*
Art. XIII. Idem altero exemplo probatur. 29
Art. XIV. De Evangelii Joannis præ cæteris altitudine. *Ibid.*
Art. XV. De corde per contemplationem et humilitatem emundando præclara ex Augustino, quibus quartum et postremum de Evangelistarum Consensu librum claudit Augustinus. 50
Art. XVI. Pseudo-Evangelistæ. Evangelistarum ordo, stylus, figuræ. 51
Art. XVII. Cur Evangelista non unus, sed multi. Hinc maximè Evangeliorum veritatem elucescere. 55
PROŒMIUM EX LUCA. *Ibid.*
Caput primum. Verbum Dei æternum caro factum. *Ibid.*
Cap. II. Annuntiatio et conceptio Joannis. 55
Cap. III. Annuntiatio et incarnatio Christi. 56
Cap. IV. Visitatio. Canticum Mariæ. *Ibid.*

Cap. V. Nativitas Joannis. 57
Cap. VI. Genealogia Christi. 58
Cap. VII. Joseph admonitus de generatione Christi. *Ibid.*
Cap. VIII. Nativitas Christi. 59
Cap. IX. Epiphania. 40
Cap. X. Purificatio. *Ibid.*
Cap. XI. Fuga in Ægyptum. 41
Cap. XII. Inventio Jesu in templo. 42
Cap. XIII. Joannes in deserto. 45
Cap. XIV. Baptismus Christi, et genealogia ex Lucâ. 45
Cap. XV. Jejunium et tentatio. 47
Cap. XVI. Testimonia Joannis de Christo. 48
Cap. XVII. Discipuli primùm à Christo vocati. 49
Cap. XVIII. Nuptiæ Cana. 50
Cap. XIX. (Primum pascha.) Ejecti vendentes. Templum solvendum. 51
Cap. XX. Colloquium cum Nicodemo. 52
Cap. XXI. Quartum testimonium Joannis de Christo. 55
Cap. XXII. Incarceratio Joannis. *Ibid.*
Cap. XXIII. Secessus è Judæâ Samaritanâ 54
Cap. XXIV. Ingressus in Galilæam. Prædicatio. Fama. 56
Cap. XXV. Filius reguli. 57
Cap. XXVI. Vocatio Petri et Andreæ, Jacobi et Joannis. *Ibid.*
Cap. XXVII. Ingressus Capharnaum. Doctrina. Spiritus immundus. 59
Cap. XXVIII. Socrus Simonis. Omnes malè habentes. 60
Cap. XXIX. Ingressus in desertum. Prima peragratio Galilææ. 61
Cap. XXX. Reprehensio trium. 62
Cap. XXXI. Tempestas sedata. *Ibid.*
Cap. XXXII. Legio dæmonum. Porci submersi. 64
Cap. XXXIII. Paralyticus. 67
Cap. XXXIV. Matthæi vocatio. Peccatores. Jejunium. 69
Cap. XXXV. Jairus. Hemorrhoissa. 72
Cap. XXXVI. Duo cæci. Dæmoniacus. 75
Cap. XXXVII. (Secundum pascha.) Probatica piscina. 76
Cap. XXXVIII. Confricatio spinarum in sabbato. 78
Cap. XXXIX. Manus arida. 79
Cap. XL. Electio duodecim apostolorum. Sermo in monte. 81
Cap. XLI Prima continuatio sermonis in monte. 84
Cap. XLII. Secunda continuatio sermonis in monte. 86
Cap. XLIII. Tertia continuatio sermonis in monte. 88
Cap. XLIV. Leprosus. 91
Cap. XLV. Servus centurionis. 92
Cap. XLVI. Filius viduæ suscitatus. 95
Cap. XLVII. Legatio Joannis ad Christum. *Ibid.*
Cap. XLVIII. Peccatrix ungens Christum. 96
Cap. XLIX. Secundus dæmoniacus cæcus et mutus. 97
Cap. L. Exclamatio mulieris. Mater et fratres Christi. 101
Cap. LI. Parabola seminantis. 102
Cap. LII. Parabolæ variæ. 106
Cap. LIII. Expositio zizaniorum. Aliæ parabolæ. 108
Cap. LIV. Prædicatio in Synagogâ Nazareth. 109
Cap. LV. Decollatio Joannis. 111
Cap. LVI. Secunda peragratio Galilææ. Missio apostolorum. *Ibid.*
Cap. LVII. Fama Jesu. Quinque panes. 115
Cap. LVIII. (Tertium pascha.) Jesus ambulans super mare. 119
Cap. LIX. Sermo de cibo cœlesti. 121
Cap. LX. Illotæ manus. 125
Cap. LXI. Chananæa. 126
Cap. LXII. Surdus et mutus, ac multi alii. 127
Cap. LXIII. Septem panes. *Ibid.*
Cap. LXIV. Signum de cœlo. Fermentum Phariseorum. 128
Cap. LXV. Cæcus in Bethsaidâ. 129
Cap. LXVI. Confessio Petri. Ejusdem correptio. 150
Cap. LXVII. Transfiguratio. 155
Cap. LXVIII. Dæmoniacus lunaticus et mutus. 155
Cap. LXIX. Prædictio mortis. Didrachma. 157
Cap. LXX. Quis major. Scandalum. 158
Cap. LXXI. Correptio fraterna. Claves. Condonandum. 140
Cap. LXXII. Recessu è Galilæâ. 142
Cap. LXXIII. Decem leprosi. *Ibid.*
Cap. LXXIV. Scenopegia. 145
Cap. LXXV. Mulier adultera. 144
Cap. LXXVI. Altera prædicatio Christi in templo. 145
Cap. LXXVII. Cæcus natus. 147
Cap. LXXVIII. Verus Pastor. 148
Cap. LXXIX. Missio septuaginta. 149
Cap. LXXX. Samaritanus. 154
Cap. LXXXI. Martha et Maria. 152
Cap. LXXXII. Oratio. *Ibid.*
Cap. LXXXIII. Væ in Pharisæos et legisperitos. 155
Cap. LXXXIV. Mors non timenda. 155
Cap. LXXXV. Sollicitudo divitiorum. 156
Cap. LXXXVI. Bonus et malus servus. 157
Cap. LXXXVII. Pœnitentia agenda. 158
Cap. LXXXVIII. Mulier inclinata. 159
Cap. LXXXIX. Encænia. *Ibid.*
Cap. XC. Pauci salvi. 160
Cap. XCI. Hydropicus. Humilitas. Pauperes. Cœna magna. 162
Cap. XCII. Omnibus renuntiandum. 165
Cap. XCIII. Parabolæ ovis, drachmæ, filii prodigi. *Ibid.*
Cap. XCIV. Faciendi amici de mammonâ. 164
Cap. XCV. Matrimonii vinculum. 165
Cap. XCVI. Epulo et Lazarus. 166
Cap. XCVII. Adventus judicii. 167
Cap. XCVIII. Judex et vidua. 168
Cap. XCIX. Pharisæus et publicanus. *Ibid.*
Cap. C. Parvuli. 169
Cap. CI. Operarii vineæ. 172
Cap. CII. Lazarus suscitatus. 175
Cap. CIII. Concilium primum adversùs Jesum. 175
Cap. CIV. Prædictio mortis. Filii Zebedæi. 176
Cap. CV. Zachæus. 178
Cap. CVI. Decem minæ. *Ibid.*
Cap. CVII. Duo cæci propè Jericho. 179
Cap. CVIII. Secunda unctio pedum Christi. 181
Cap. CIX. Rami palmarum. 182
Cap. CX. Ejectio è templo. 185
Cap. CXI. Ficus arefacta. Fides. Oratio. 188
Cap. CXII. In quâ potestate. 189
Cap. CXIII. Parabolæ filiorum et vineæ. 190
Cap. CXIV. Invitati ad nuptias. 192
Cap. CXV. Quæ Cæsaris, Cæsari, quæ Dei, Deo. 194
Cap. CXVI. Sadducæi confutati. 195
Cap. CXVII. Magnum mandatum. 197
Cap. CXVIII. Christus cujus filius. 198
Cap. CXIX. Audiendi, non imitandi scribæ. 199
Cap. CXX. Duo minuta viduæ. 200
Cap. CXXI. Prædictio eversionis Jerusalem. *Ibid.*
Cap. CXXII. Ultimus adventus Christi. 204
Cap. CXXIII. Vigilandum. 206
Cap. CXXIV. Decem virgines. *Ibid.*
Cap. CXXV. Talenta. 207
Cap. CXXVI. Judicium. 208
Cap. CXXVII. Secundum concilium adversùs Jesum. 209
Cap. CXXVIII. (Quartum pascha.) Cœna paschalis. 210
Cap. CXXIX. Lotio pedum. 212
Cap. CXXX. Eucharistia. *Ibid.*

Cap. CXXXI. Notatio et egressus proditoris. 215
Cap. CXXXII. Contentio. Prædictio negationis. 215
Cap. CXXXIII. Sermo post cœnam. 217
Cap. CXXXIV. Continuatio sermonis. 218
Cap. CXXXV. Altera continuatio sermonis. 219
Cap. CXXXVI. Oratio Christi post cœnam. 221
Cap. CXXXVII. Hortus. 222
Cap. CXXXVIII. Examen et judicium Caiphæ. 226
Cap. CXXXIX. Negationes Petri. 229
Cap. CXL. Jesus Pilato traditus. Mors Judæ. 251
Cap. CXLI. Jesus apud Pilatum accusatus. 253
Cap. CXLII. Barrabas. Flagellatio. Condemnatio. 254
Cap. CXLIII. Crucifixio et mors. 258
Cap. CXLIV. Latus. Sepultura. 243
Cap. CXLV. Resurrectio. 246
Cap. CXLVI. Tertia et quarta apparitio. 250
Cap. CXLVII. Quinta et sexta apparitio. 252
Cap. CXLVIII. Septima apparitio ad mare. 253
Cap. CXLIX. Octava, nona et decima apparitio. 254
Cap. CL. Ascensio. 256
MONITUM. 257-288
VERBA A CHRISTO PROLATA. *Ibid.*
Ex S. Matthæo. *Ibid.*
Ex S. Marco. 283-284
Ex S. Luca. 295-296
Ex S. Joanne. 319-320
Ex Actibus Apostolorum. 357-358
Ex Epist. 1 ad Corinthios. *Ibid.*
MONITUM. *Ibid.*
DU HAMEL VITA. 339-340
Joannis MALDONATI et Joannis Baptistæ DU HAMEL in quatuor Evangelia Præfationes. 341-342
Caput primum (Præfat. Maldonati). Evangelii variæ significationes. *Ibid.*
Cap. II. Auctoritas Evangelistarum. 345
Cap. III. Quot Evangelistæ. 348
Cap. IV. Quo tempore Evangelistæ scripserint. 350
Cap. V. Quâ linguâ Evangelistæ scripserunt. 352
Cap. VI. Cur Evangelistæ scripserunt. 355
IN S. MATTHÆUM COMMENTARIA. 357-358
Caput primum. Genealogia JESU CHRISTI, qui ex Mariâ Virgine nascitur. *Ibid.*
Commentaria. 359-361
Cap. II. Magorum adoratio. Christi fuga in Ægyptum. Infanticidium. Reditus ex Ægypto. 401-402
Commentaria. 403-404
Cap. III. Præcursor Joannes. Jesus ab eo baptizatur. 429-430
Commentaria. 431-432
Cap. IV. Christi jejunium et tentatio. Docere incipit. Petrum et Andræam, Jacobum et Joannem vocat. Morbos sanat. 457-458
Commentaria. 461-462
Cap. V. (Sermo Christi in monte.) Octo beatitudines, et christianæ perfectionis capita. 475-476
Commentaria. 479-480
Cap. VI. (Sermonis in monte continuatio.) Eleemosyna et preces. Ignoscendum. Jejunium. Pecuniæ amor et sollicitudo vitanda. 527-528
Commentaria. 551-552
Cap. VII. (Sermonis in monte continuatio altera). Non judicandum temerè. Sancta non danda canibus. Fiducia in precibus. Summa legis. Angusta porta. Ex fructibus judicandum. Domus supra petram aut arenam. 561-562
Commentaria. 563-564
Cap. VIII. Curatio leprosi, pueri centurionis, socrûs Petri et dæmoniacorum. Tempestas sedata. Dæmones ejecti porcos invadunt. 585-586
Commentaria. 587-588
Cap. IX. Paralyticus. Matthæi vocatio. Responsum Pharisæis et discipulis Baptistæ datum. Hæmorrhoissa. Puellæ mortuæ vita, cæcis duobus visus, et dæmoniaco muto loquela et sanitas redita. 611-612
Commentaria. 613-614
Cap. X. Apostolorum nomina. Christi eos mittentis monita. 639-640
Cap. XI. Christus Joanni respondet, eum prædicat, Judæos reprehendit, Petrum laudat, laborantes invitat. 665-666
Commentaria. 667-668
Cap. XII. Christus discipulos excusat; manum aridam et dæmoniacum mutum ac cæcum sanat; Pharisæis et scribis respondet. 689-690
Commentaria. 695-694
Cap. XIII. Parabolæ seminantis, lolii, grani sinapis, fermenti, thesauri, margaritæ, sagenæ. Jesus in patriâ despectus. 721-722
Commentaria. 727-728
Cap. XIV. Caput Joannis præmium puellæ. Infirmi curati. Panes et pisces multiplicati. Petrus supra mare ambulans. 751-752
Commentaria. 755-756
Cap. XV. Pharisæorum falsæ traditiones. Chananæa. Infirmi sanati. Multiplicat iterùm panes et pisces. 777-778
Commentaria. 781-782
Cap. XVI. Pharisæorum et Sadducæorum fermentum. Petri confessio et merces. Mors et resurrectio Christi ab ipso prædictæ. Abnegatio sui. 799-800
Commentaria. 801-802
Cap. XVII. Christi transfiguratio. Joannes Elias. Lunaticus. Virtus fidei. Christi mors iterum prædicta. Didrachma. Stater in ore piscis inventus. 829-830
Commentaria. 853-854
Cap. XVIII. Humilitas. Scandalum. Oris perditæ parabola. Fraterna correctio. Clavium potestas. Injuriæ condonatio. Parabola de rege cum servis rationem incunte. 853-854
Commentaria. 857-858
Cap. XIX. De matrimonio, eunuchis, divitiis. 877-878
Commentaria. 879-880
Cap. XX. Operarii in vineâ. Christi passio iterùm prædicta Filii Zebedæi. Cæci Jerichuntini. 925-926
Commentaria. 929-930
Cap. XXI. Triumphalis Christi ingressus Jerosolymam. Venditores templo ejecti. Ficus exarescens. Principes sacerdotum confutati. Parabolæ de duobus filiis, et de homicidis vinitoribus. 949-950
Commentaria. 955-954
Cap. XXII. Nuptiæ regiæ. Reddenda Cæsari quæ sunt Cæsaris. Mortuorum resurrectio. Summa legis. Messias Davidis filius et Dominus. 977-978
Commentaria. 981-982
Cap. XXIII. De scribis et Pharisæis. Christi sermo. 999-1000
Commentaria. 1001-1002
Cap. XXIV. De Jerosolymorum eversione et die judicii. Fici parabola. Servus fidelis et malus. 1017-1018
Commentaria. 1021-1022
Cap. XXV. Decem virgines. Talenta servorum. Sententia divini Judicis extremo die. 1043-1044
Commentaria. 1049-1050
Cap. XXVI. Ultima cœna. Eucharistiæ institutio. Christi patientis historia. 1073-1074
Commentaria. 1079-1080
Cap. XXVII. Jesu tormenta, mors et sepultura. 1199-1200
Commentaria. 1205-1206
Cap. XXVIII. Christus redivivus. Discipuli ad omnes populos missi. 1269-1270
Commentaria. 1271-1272
INDEX RERUM. 1307-1308

FINIS TOMI VIGESIMI-PRIMI SCRIPTURÆ SACRÆ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BS548
M5
v.21 44467
AUTOR
MIGNE, Jacques Paul

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.